SANCTI AURELII

AUGUSTINI,

HIPPONENSIS EPISCOPI,

SERMONES INEDITI.


SANCTI CLODOALDI. — EX TYPIS BELIN-MANDAR

SANCTI AURELII
AUGUSTINI,
HIPPONENSIS EPISCOPI,
SERMONES INEDITI.

CURA ET STUDIO

D. A. B. CAILLAU,

CANONICI HONORARII CENOMANENSIS ET CADURCENSI.



PARISIIS,

APUD PAUL MELLIER, BIBLIOPOLAM,

PLATEA SANCTI ANDREI DE ARCUBUS, N° 11.

1842.

VINDICIÆ

SERMONUM

SANCTI AUGUSTINI

INEDITORUM.

Quicumque opera sive nova, sive antiqua, stampis submittere præsumit, publicæ hominum sententiæ obnoxium se ac devotum sciat necesse est. Nec ulla ipsi querendi causa potest emergere, si a doctis veritatisque amantibus viris, severo etiam subjiciatur examini. Unum est quod scriptoris vel editoris permovere animum queat, mens scilicet malevola, et aliqua cupiditatis labe infectum judicium. Quod utrum nobis acciderit, non tam nostri est asserere, quam lectoris subodorari. Duo etenim adversariorum genera nostris insurrexerunt laboribus, quæ omni suspicione prorsus immunia non videntur. Prior quidem, non temporis, sed dignitatis ratione, in nostras inclamavit lucubrationes, doctrina quidem conspicuus, Reverendus in Christo Pater DD. Guillon, Marochensis Episcopus, sed ideo hostilis factus, quod in quibusdam, quas recensere vanum et grave foret, rerum catholicarum circumstantiis, ejus agendi rationi annuere non potuerimus, nec proinde consilium circa hanc Augustinianam editionem accipere. Inde iræ; inde libellus iste, qui in publicum emissus est apud fratres Gaume, in-8°, anno 1837. Cujus insuper commotum jam animum adjuvasse, si non et excitasse credendi sunt recentiores doctoris Hipponensis editores, de republica christiana et litteris aliunde benemeriti, et quos, ex eo quod humanum aliquid perpessi sint, non minus commendandos prædicare delectamur. Nemo est autem qui nesciat, quantus inter homines etiam generosos zelus exardescat, quando de captanda concivium, imo et extraneorum approbatione agitur, præsertim si ex hac approbatione magni cujusdam ad facultates temporales pertinentis negotii pendeat eventus. Clavem habes; aperta janua, pandatur jam mysterium. Duæ Sancti Augustini editiones simul in lucem dabantur, una in-8° cum ineditis quibusdam sermonibus apud Parent-Desbarres, altera in-4°, sine hac ineditorum accessione, in officina fratrum Gaume jam superius nominatorum. Hinc timor ne prior posteriori præferretur; hinc latina primum dissertatio, quinto operum Augustinianorum volumini inserta, qua recentius inventi beati Doctoris fœtus doctorum indoctorumque contemptui propalabantur; hinc, cum præfata dissertatio a paucis legeretur, imo et a paucioribus fuisset deprehensa, solertior ad libellum gallicum recursus, qui simul et operis nostri, cui non sine lucro præfixum erat scribentis contemnentisque nomen, perpetua depressio, et editionis adversariorum foret exaltatio perpetua; hinc semel atque informe istud opusculum qualitercumque absolutum est, sollicita ejusdem et gratuita ad omnes, ut gallice dicunt, *subscriptores* emissio. De quo quid amplius dicamus non superest, cum jam objecta omnia in pulverem redegerimus in nostra *responsione*, edita Parisiis, apud Parent-Desbarres, anno 1838, quam videas. Restat igitur ut pauca dicamus de latina dissertatione, quæ nihil aliud profert quam difficultates ab Episcopo Marochensi oppositas, cum præcipue ipse argumenta inde extraxerit, et in gallicum redegerit idioma.

In procinctu autem hujus disputationis, primam hanc mihi liceat præmittere cogitationem, nempe talem esse apud optimi ingenii liberaliorisque instituti viros scientiam virtutisque amorem, ut locutionis urbanitatem non excludant. Sic docti omnes nostri antecessores gravi inter se moderatoque sermonis genere contendebant. Quam vero alienus ab hac lepida elocutionis castigatione fuerit noster adversarius, facillime patebit ex facetis illis hinc et inde intermixtis sermoni verbis, tanquam si fila serica pulchro tapeti quis intromittat, *inepte dicta, quisquiliæ, simia, ampullæ meræ blateronis, dignus misero sermone finis! eloquendi inopia, pueritia, ancilla loquens puerulo quem manu ducit, absurda, blasphema, hæretica*, imo et *blasphemiæ pejores quam quales ab hostibus fidei unquam in eum* (Augustinum) *conjectæ sunt.* Si docto critico fides, *nullum fuit prævium examen, antequam apographus typothetis traderetur.* Adde etiam puncta admirationis et exclamationis passim disseminata, cum signis stupefactionis et indignationis *ohe! apage*, etc. Quin etiam editores Collectionis selectæ ita inepti sunt et ignobiles, ita contemptui

publico devoti, ut si forte Benedictinis adversentur, isti nullis egeant advocatis, *quando* TALES *adversarii litigant*[1]. Ut autem omnia uno verbo concludamus, videte *exhorrescentem animo* scriptorem, novos sermones primo supplemento adjiciendos cogitantem.

Primæ huic cogitationi secundam insuper adjiciamus, scriptorem videlicet disquisitionem evidenter incœpisse et persecutum fuisse, cum præfixa intentione omnia in partem malam accipiendi, ita ut approbare studeat, quæ approbare omnino non fuimus ausi, et condemnare omnia quæ a nobis non fuerunt condemnata. Sufficiet lectori primas transcurrisse paginas, ut hujus assertionis clarissimam adipiscatur veritatem. Unde, ab initio, certissimas critices regulas, aliter eas accipiendo ac fuerunt propositæ pervertit. Dixeramus quidem requiri: 1° ut sermo qui tribuitur Augustino, nomen ejus in codice præferret; et criticus noster regulam hanc incontrastabilem infirmare contendit, annotando omnia spuria nomen habere beati Doctoris. Habeant istius nomen, et sint spuria aliquando; hoc concedimus. Si vero sermonem aliquem Augustino tribuere præsumat aliquis, licet nullus codex nomen ejusdem habeat, hoc severrime damnamus. Nomen igitur in codice præfixum non est argumentum authenticitatis peremptorium, sed est conditio sine qua nullus legitime sermo beato Patri adjudicari potest. 2° Dixeramus iterum exigere insuper certæ critices severitatem, nihil in sermone contineri quod aut tempori, aut ingenio, aut stylo scriptoris contrarium deprehenderetur. Quæ quidem regula ita est certa, ut illam ne attingere quidem tentaverit adversarius noster, sed tantummodo annotaverit ad hoc dijudicandum *magna doctrina, subacto sensu, limato judicio opus esse*, quod idem est ac innuere doctrinam nullam, sensum minime subactum, non limatum judicium in editoribus Collectionis selectæ reperiri; unde nobis illum gratulandi pro laudum lepiditate ampla datur occasio. Miratur ibidem in minusculis sermonum initio præfixis annotationibus hæc tantum pauca verba aliquando adesse, *stylus concordat, nihil sancto Doctori contrarium*, non attente sine dubio pensans, argumentum negativum probationibus non indigere, nec satis memor consuetudinis Benedictinæ, qui sæpius sine alia demonstratione dicunt *non sapit Augustinum*. Ante oculos mihi obversatur sermo qui nomen præfert Augustini; hunc attentius lego, et præsumptam a me emittens sententiam, non legem aliis imponens, nihil hic occurrere, quod sancto Doctori repugnet pronuntio; quid ibi, quod probetur occurrit? Si aliqua exurgat difficultas, tunc illam explanandi datur, nec prætermittitur occasio, ut a nobis factum videre est Sermone I, II, et alibi. 3° Dixeramus denique non stricte exigendum esse, at saltem anxie desiderandum doctis mentibus, ut plura inveniantur quæ cum scriptoris cogitationibus et communi dicendi genere concordent. Hanc regulam evertere contendit noster adversarius, asseritque non plura quæ concordent requiri, sed omnia; qui certe nostram sententiam minime assecutus est, aliunde illam, utpote evidentissimam, non aggressurus. Indulgeat mihi si illum in errore versantem palam traducimus. Legatur quilibet sermo, sive alterius, sive beati Augustini, integri aliquando numeri, aut saltem integræ sententiæ deprehendentur, quæ, si solæ essent, non ita scriptoris quasi sigillum præ se ferre viderentur, ut absque hæsitatione tali vel tali possit assignari. Sunt autem hinc et inde emicantes scintillæ, quæ uniuscujusque ingenii ita typum gerunt, ut simul atque oculos perstrinxerunt, mentis assensum rapiant scriptoris quasi certam notitiam assequentis. Si anonymus quidam occurrat sermo, cave illum nemini ascribas, nisi ubique hos distinctivos deprehenderis caracteres. Ubi enim alia deficit auctoritas, intrinsecæ illæ notæ auctoritatem extrinsecam deficientem resarcire debent. Non ita vero judices, si agatur de sermone vel fragmento, cui vel unus vel plures codices, scripto auctoris nomine, evidenter favent. Tunc illum abjicere non audeas, nisi graves exigant rationes, id est, nisi quædam emergant quæ a cognitis scribentis principiis, vel ab assueto ejusdem dicendi modo evidenter recedant. Quod si insuper accedant cogitationes communibus doctoris sententiis, vel dicta sæpe recurrentibus passim in operum collectione verbis propius accommodata, vel auctori præsumpto particulares Scripturarum allegationes aut interpretationes, hæc omnia tanquam confirmantia assume argumenta, non velut necessarias probationes require. Non enim semper oratori, præcipue ex abrupto loquenti, easdem datur ingenii flammas emittere, sæpiusque fit ut sive ob rerum præoccupationem, sive ob fatigationem corporis, sive ob temporis ad se orationi accingendum requisiti defectum, infirmiores quasdam lectiones declamet, quæ, licet nihil characteristicum complectantur, nihil tamen continent dicentis doctrinæ contrarium. In eo igitur errat adversarius noster, quod datas a nobis regulas separatim voluerit satis astute perpendere, non autem, ut propositæ fuerunt, conglobatim, cum evidentia sit evidentius auctoritatem plurium codicum, quando vetustate sunt commendabiles, non posse debilitari, nisi positivis quæ illorum evertant testimonium, argumentis.

Quid autem dicemus de adversarii nostri eruditione, stylum duplicem distinguentis, grammaticum scilicet et rhetoricum, ut ostendat prorsus in nostris sermonibus ineditis neutrum ex his duobus perspici. Sed quid refert sententias aliquas sancti Augustini allegare, in quibus de latinitatis puritate loquitur, cum in iis contrarius alleganti sese demonstret? Hic enim contra latinitatis puritatem attentius requirentes clare et evidenter insurgit? *Dum*, enim ait, *omnes instruantur, grammatici non timeantur... Quid ad nos, quid grammatici velint?... Nec quærant grammatici quam sit latinum, sed Christiani quam verum*. Cur hæc verba citaverit adversarius noster ad demonstrandum nullam barbariem, ut dicit, apud sanctum Augustinum reperiri, satis assequi non valeo? Fateor equidem beatum illum Doctorem, non barbarum frenduisse idioma, sed mecum simul fatendum est plura inveniri in ejus operibus verba quæ ad puram Ciceronis, vel Quintiliani, vel aliorum aureæ

[1] Pag. xxxv, ad Serm. xxx.

apud Latinos ætatis scriptorum dictionem non assurgant; et in iis plura hic possum enumerare, quæ præsertim apud ineditos sermones fuerunt, tanquam sancto Augustino indigna, gravius severiusque vituperata. Talia sunt hæc dicta *imprægnare* et *imprægnari* (1), *epithema* (2), *vox corvina* (3), *destina* (4), *manganæ* (5), *entheca* (6), *injuriare* (7), *meniana* (8), *molendinum* (9), *perventio*, *perventor* (10), *fiere* (11), *fetalia* (12). Nec inde sanctum Augustinum barbara scripsisse incusamus, sed excusamus eum his usum fuisse verbis, quæ degenerem ad latinitatem hoc temporis pertinebant. Exemplorum contra nos allatorum confutatio hæc clarius elucidabit. Quoad autem stylum rhetoricum, qui difficilior judicatu quam grammaticus asseritur, ita forte de cæteris, sed non ita prorsus de sancti Augustini fœtibus pronuntiandum est. Nullus unquam forte scripsit Doctor, cujus dicendi modus possit planius et promptius agnosci. Unde, cum adversario nostro, aut potius cum Benedictinis profiteor, quod *ubique agnoscitur Augustinus proprio quodam eloquentiæ genere*; imo et illud genus *grave et serium procedere*, *nec comptam et affectatam elocutionem captare*, *nec judicio*, *vel prudentia*, *vel pietate* deficere; non tamen, cæcus admirator, genus illud ullo prorsus defectu laborare contendo. In hoc omnes omnino Christiani Catholicique critici consentiunt, et illum oppositionibus verborum sæpius abuti fateantur; unde et ex his verborum oppositionibus scripta ejus possunt inter cætera distingui. Plures sane alii, ut sanctus Leo, et sanctus Fulgentius, his verborum oppositionibus nimium indulserunt; ex quo difficilior exurgit beati Augustini operum quasi divinatio. Peccaret certe contra critices et veritatis leges, qui ex hac solum nota sancti Doctoris fœtus vellet dignoscere; sed ab iis minime dissentiret, qui, proposito sermone, apud plures antiquos codices sancti Augustini nomine insignito, ex his verborum oppositionibus authenticitatis aliquam deduceret confirmationem. Lectori igitur parcere bene fecisset noster adversarius, lepidissime sane et jocose pulchram hanc scribens sententiam : « Non sufficit dicere » fronte alta, naso adunco, etc.; invenirentur enim cito » aliquibus eadem ipsa descriptio conveniret. » Ibi enim quid amplius mirer, comparationis ridiculam electionem, an infidam veritatis absentiam, non satis dicere prævaleo. Nunquam enim in hac verborum oppositione ineditorum sermonum authenticitatem statuimus, sed illa codicum auctoritate, et quidem antiquorum simul ac plurimorum, solidius stabilitam, oppositione verborum non inepto corroborare curavimus.

Una sit adhuc prævia annotatio, antequam ad singulare sermonum ineditorum examen deveniamus. Cum Episcopo Marochensi, latinus noster adversarius, tanquam blasphemum quid et impium nostram exagitat audaciam, qui in Benedictinorum congregationis Sancti Mauri excellentiorem doctrinam quædam objicere præsumpsimus. Hos infallibiles fuisse vere credideris; anathematizetur quisquis ad hanc Dei arcam manum porrexerit temerariam. Quidquid sit autem de hoc anathematis fulmine, hic clarius iterum meum et aliorum in antiquitatis cognitione magis versatorum judicium proferre non vereor. Benedictinis magnam in editione sancti Chrysostomi negligentiam objicio, sive quoad textus integritatem, sive quoad vix correctam veterem versionem, sive quoad notarum sæpius necessariarum defectum, ita ut hanc nimis laudatam lucubrationem inter imperfectiores doctæ hujus congregationis labores recenseam, totisque optem desideriis, docto cuidam ardentique viro sanctum incumbere propositum, non stampis iterum jam edita latineque versa beati Doctoris opera submittere, sed novam concinnare nova cum translatione editionem. Benedictinis objicio cautionem erga diutius propugnatos errores propensionem, qua fit, ut falsis accommodandas opinionibus sententias accuratius annotent, silentio transmissis quæ favent veritati. Benedictinis objicio sanctissimam erga Virginem hinc et inde emicantem repugnantiam, qua ad id impelluntur, ut opera omnia gloriam ejus dignitatemque exaltantia inter apocrypha amandare perpetuo allaborent, hoc uno innixi fundamento, quod primis Ecclesiæ sæculis hi vel illi tituli Beatæ Mariæ non tribuerentur; quasi potius, ex tot tantisque operibus, quæ veterum Patrum nomine insignita, honorem Dei Matris evehunt, non esset concludendum hos vel illos titulos primis e sæculis illi fuisse tributa. Benedictinis denique objicio, quod Ecclesiæ Romanæ non semper congruentem deferant honorem, et, ut unum afferam exemplum, affectent in ipsa sancti Augustini editione inter spurios rejicere quosdam sermones, qui in Breviario Romano tanquam Augustiniani leguntur, aut saltem cum malitiosa quadam lætitia annotare, hos ibi male adjudicari beato Augustino. Nec primus, nec solus ego sum, qui Benedictinos in quibusdam impugnandos crediderim, maxime in periculosissima Doctoris gratiæ operum editione, et ut sileam de justa reprehensione illis objecta a Patre Frangipane, qui eos exinde arguit, quod italianas bibliothecas vix transcurrendo inspicere dignati fuerint, audiant temerarii eorum admiratores, quid ea de re scripserit doctus simul et pius Fenelonius : « Benedictini Patres multum » peccaverunt, nec venialiter, in sua editione. Durissi» mas et intolerabiles notas fecerunt. Hæc verbi gratia, » quam excusant in præfatione, omni excusatione indigna » est : *Necessitas non pugnat cum arbitrio voluntatis* (13). Crederes audire Baium aut Jansenium redivi» vum. Multa alia sunt ejusdem farinæ. Præterea auc» tores illi non tantum in eo quod dixerunt sunt damnandi, » sed etiam in eo quod non dixerunt, et quod dicere de» buerant. Intolerabilis est in illis silentii affectatio per» petua de dogmate catholico statuendo in textu Augus» tini contra novatores, qui illo textu abutuntur ad suos » errores probandos. Ubicumque apparet gratiæ efficacis » vel umbra, notas multiplicant, ut gratiæ efficacissimæ » sono aures lectoris obdurescant. Contra vero in omni» bus locis ubi Augustinus gratiam sufficientem vel di-

(1) Enarr. in Psal. xxxix, n. 28. — (2) Serm. cxiv, n. 6. — (3) Enarr. in Psal. cii, n. 16 et alibi. — (4) Serm. xii, n. 12. — (5) Epist. viii, n. 2. — (6) Serm. ccclv, 6. — (7) Serm. xxvi, n. 31. — (8) Serm. ix, n. 8. — (9) Enarr. in Psal. xxxvi, n. 2. — (10) De Consens. Evangelist. lib. ii, n. 43. — (11) Epist. xxxii, n. 29. — (12) Serm. cxcii, n. 2. — (13) Nota PP. BB. in cap. xxvi lib. de Natur. et Grat.

» recte docet, vel ex suis principiis indirecte astruit, ab » omni nota sese cavillose abstinent. Insuper quoties-» cumque de gratia efficaci agitur, illam vocant simpli-» citer et absolute gratiam Christi; quasi in statu naturæ » lapsæ nulla esset vere gratia interior et proprie dicta, » præter eam quam clamitant gratiam per se efficacem. » His artibus lector sensim sese assuefacit ad hoc systema » quod vocant Augustinianum, ita ut nullam gratiam » Christi in Augustini libris inveniat, præter efficacem. » Hoc est venenum quod lector incautus propinat in le-» gendo textu cum illis notis... Licuit-ne Benedictinis » marginales notas Augustino attexere, ex quibus nihil » nisi hoc systema naturaliter insinuetur? Licuit-ne gra-» tiam efficacem, ut solam, veram et proprie dictam » gratiam Christi incessanter inculcare, et gratiam suffi-» cientem amandare, aut silentio supprimere, ut quid » putidum et indignum quod reperiatur in Augustino? » Hac via Pontificiæ Bullæ deridentur. Audias, si pla-» cet, quid respondeant Benedictini. Nemini, inquiunt, » obscurum esse debet, nos penitus abhorrere a quibusvis » partium studiis (1). Quasi vero *partium studiis* favissent » et partiales sese ostendissent, si non confudissent passim » quamcumque gratiam Christi proprie dictam cum ef-» ficaci, et si non suppressissent in notis qualecumque » sufficientis vestigium! quasi vero editores catholicos » non deceat ostendere se abhorrere a novitate Baiana et » Janseniana! Quasi vero zelus servandæ catholicæ ve-» ritatis sit aliquid a quo, ut a *partium studiis* Bene-» dictini abhorrere debeant! Quasi vero ipsamet Eccle-» sia, Jansenii erroribus infensissima, sit una e sectis a » *quarum studiis* editores abhorrere debeant! » Et deinde: « Hi sunt qui in marginali nota absque ullo tem-» peramento posuerunt: *Necessitas non pugnat cum » arbitrio voluntatis.* O terribile effatum! o indignum » et scandalosum axioma! Præterea quid magis redolet » Jansenianum errorem quam duplex hæc nota margina-» lis: *Gratia Dei ea proprie est, quæ bonos a malis » discernit* (2).. Augustinus eo loco duplicem gratiam » docet, alteram quæ *bonos discernit a malis,* alteram » quæ *communis est bonis et malis.* Editores declarant » efficacem quæ discernit, solam esse quæ *proprie* gratia » dicatur, ac proinde quamcumque communem et ineffi-» cacem, nomine gratiæ improprie tantum appellari. » Secunda nota sic habet in eadem pagina: *Posse ha-» bere fidem vel charitatem, naturæ est hominum; » habere autem, gratiæ fidelium.* Hinc sequerentur » hæc duo: 1° quod gratia quo fidem vel charitatem » habemus, sit sola gratia proprie dicta fidelium; 2° quod » posse naturæ sit, et præcepta eo sensu sint creden-» tibus possibilia, quod etiamsi destituantur auxilio » gratiæ *proprie* dictæ, scilicet victricis, habent tamen » illud posse remotum, quod naturæ est. Infinita sunt » alia ejusmodi (3). »

Hinc duo iterum deducenda videntur, 1° editores recentiores operum omnium sancti Augustini apud fratres Gaume in eo peccasse quod Benedictinam editionem integram repræsentaverint, cum pravis reverendissimorum Patrum notis, et sine prætermissis ab eisdem legitimis notis; 2° editores Collectionis selectæ prudenter egisse, cum pleraque Benedictinorum notas omiserint, imo nec prorsus a veris principiis defecisse, cum operæ pretium duxerint stampis iterum subjicere duos primos inter ineditos sermones, licet a Benedictinis jam in appendice editos, sed cum ponderosis variantibus, quas de industria dissimulat noster criticus, rescribendo tantum eas, quæ minoris esse momenti videntur. Cur non hanc citavit sententiam a nobis emendatam: « Appetita est venenosa » dulcedo *mortis*, et contempta est salubritas perpe-» tuæ vitæ, » in qua codex noster phrasim convenienter librat, addita voce *mortis*, quæ deest in editis? Cur non istam: « Homo, pomum rapiendo, epulatus est » mortem, » pro his editorum vocibus, « Homo pomum » rapiendo mulctatus est morte? » Cur non illam: « Arbor, » si mala non fuisset, homini mortem non propinasset, » pro his editorum verbis: « Adam non cecidisset? » Sed cum centum triginta et amplius differentiæ occurrant, ab illis hic commemorandis abstineo, quas videre potest lector in Collectionis selectæ vol. 130. Ut autem ad inceptum redeamus punctum, quid mirum si eadem de Benedictinorum præjudiciis sentientes ac supra allegatus Fenelonius, diximus principia in his sermonibus explicata Benedictinis non placuisse, cum ibi non incerte, sed clare asseratur, hominem invitum non peccare; peccare voluntate, non necessitate? Quid mirum, si talium virorum sententiam suspectam habuerimus, præsertim cum illum sermonem rejiciendi sola ratio fuerit, quod in codice Corbeiensi extet sine nomine, et nomen sufficienter astruatur auctoritate trium codicum, et quidem veterum, nobis ab Italicis bibliothecis suppeditatorum? Quid tandem mirum, si duos illos sermones, licet legantur in editione Benedictina, nostræ editioni inseruerimus, qui appendices nunquam in lucem emittimus, et his prætermissis, nostros subscriptores eorum penitus notitia frustrassemus? Sermo III ita impugnatur, ut intersectis sententiarum membris, absurdus omnino et ridiculus propaletur; quæ quidem industria ubique adhibetur. Legatur integer, et omnia grata, concatenata et pia apparebunt. Vox *dissimulare*, in eodem sensu accepta ac *tardare*, a sancto Augustino, in Scripturis peritissimo, legitime potuit exscribi, cum sæpius eodem sensu inveniatur in sacris Libris, ut Genes. XIX, 16, *Dissimulante illo, apprehenderunt manum ejus;* et 1 Reg. XXIII, 13, *Quamobrem dissimulavit exire.* Imo ipse dicit *dissimulare a fuga* in Serm. IX, n. 13. Vox *jubentem* quæ objicitur, in notis ut mendosa indicatur; si *existentem* ejus loco ponas, sensum habes planum, quem omnes, nisi cæcutiant, subito apprehendent. Vox *subripiat* legitime defendi potest, spectatque ad *crastinum*, quod potest nobis a morte subripi; proposita autem a critico correctio satis mihi placeret, et hujus verbi mutationem libenter, ponendo *subrepat*, admitterem. In hac sententia, *quotidie peccata transire videntur*, adversarius noster prorsus a sensu aberravit: nam scriptor, quem sanctum credimus Augustinum, non dicit *peccata quotidie transire* in-

(1) Præfat. gener. pag. 5 versus initium. — (2) Tom. x, p. 757. — (3) Fenelon. Epistol. ad *** de generali præfatione Patrum Benedictin. in novissim. S. Augustin. oper. editionem; Lebel, 1823, tom. XV, pag. 88 et seqq.

PUNITA, sed hanc exsurgere in mentibus infelicem cogitationem, ut quotidiana tantum peccata attendantur, transactoque die penitus a memoria evanescant. Quod et illi pariter accidit in hac phrasi : *Nonne homines subito moriuntur, quia tu attendis ut differas pœnitentiam?* ubi vellet scriptorem posuisse, *dum tu usque differs pœnitentiam*, qui non est auctoris sensus, cujus in hoc recidit concisior cogitatio, *non putas ergo quod homines moriantur subito, quia tu attendis ut differas.* Sequentia mentis meæ subtilitatem transcendunt. Nescio certe quomodo præsumptio et desperatio possint dici *mala*, non autem dici possint *vitia*. Multum est tempus ex quo verbum Dei ex cathedra evolvo, et vitii nomine semper hæc insignivi; non mihi videtur solummodo *malum*, sed *vitium*, quod ex voluntatis consensu fit peccatum. *Malum* sit, quod vitari non potest; quod vitari potest, et a virtute discedit, *vitium* nuncupetur. Quærit criticus utrum *vitium* sit sperare? Cui respondeo affirmative; sperare vitium est, si male speretur. Alii enim peccant nimium sperando, sicut et alii sperando minus. Irrideat aliunde quæ de corvo dicitur; hoc genus est omnino Augustinianum; nihil propius ad ejus stylum accedit, quam hæc sententia : *Caput album et cor nigrum*. Nihil minus ridiculum quam ea quæ dicuntur de corvo senescente, nec necesse est ut verba præcedentia ad corvum referantur, sed per rapidam collationem accommodari possunt ad eos quorum corvus est imago; corvus non est reversus; jam in suis aberrationibus senuit; sic et peccator, qui corvus est; caput jam albescit, cor nigrum est. Ponat criticus punctum admirationis, aut potius irrisionis; nulla mihi irrisionis adest vel admirationis occasio. Ponat etiam, si velit, *dimissus* pro *demissus;* correctioni non obsisto; emendatis enim sexcentis et amplius in codice erratis, quædam errata attentum potuerunt animum fefellisse; quanquam necessaria omnino non sit correctio, cum *demittere* sit idem ac *mittere de*, corvusque fuerit *de arca missus*.

Sermo IV ideo videtur critico abjiciendus quia *leni et tranquillo flumine decurrit*, et *explicationem unice moralem persequitur*. Ergo quotiescumque sermo *de mysteriis religionis* non disserit, nec *inexpectatæ cogitationis scintilla excidit*, pro nihilo habenda est vetustissimorum codicum auctoritas! Ergo nunquam plane et simpliciter, Scripturam evolvens, locutus est Augustinus! Ergo nunquam morales populo explanavit regulas! quot et quanta hic exempla afferri possint, si genus hoc critices negativum confutationis pondere indigeret.

Sermo V *ita scriptus* dicitur *ac si spectaculi sacri*, *quæ* Mysteriorum *nomine medio œvo agebantur, scenæ describendæ debuisset inservire.* Et quare? quia sunt barbara multa. Quæ vero? Angelus *flammigero volatu micans*; quid barbarius? *Mariæ domicilium*; quid minus latinum? *Virginitatis prætorium*; quid absurdius? *Cum animo conferre*; quid magis extraneum? *Prolixius cogitans æstuare;* quid alienum magis a Ciceronis lingua? *Ponderata examinatione auscultare*, *et mentis statera perpendere;* quid sancto Augustino indignius? *Quemadmodum* pro *quomodo*; quid magis regulis contrarium? *Thorum cubilis*, *incentivus amor*, *illæsa virginitatis integritas*, *veridica stipulatio*, *cubiculare secretum;* apage, barbaries! Sed adduntur alia non solum parum latina, sed etiam parum casta verba : *Dic mihi, quæso, Sancti sanctorum Mater, quæ materni floris odorem et niveum lilium convallium sine succo humanæ propaginis et sine imbre carnalis seminis in sinus Ecclesiæ seminasti; dic mihi, quæso, unica Mater, quibus manibus, vel quo divinitas artificio* (editio nostra per errorem typographicum male habet *articulo*) *in utero tuo formavit Filium*... Maria facta est genitrix *sine comparis pondere*. Quid inde? Nonne apud sanctum Augustinum multa similia legimus. Sic Sermone CXII : « Miramur Virginis partum, et novum ipsum nascendi modum incredulis persuadere conamur, quia in utero non seminato germen prolis exortum est, et a complexu carnis viscera immunia Filium hominis protulerunt, cujus patrem hominem non tulerunt. » Et Serm. CXCI : « Gaudentes celebrate (virginibus loquitur) solemniter in hodierna die Virginis partum. Ille quippe est natus de fœmina, qui non est a masculo satus in fœmina,... ut non uterum fœtibus, sed animam fœcundam habere possitis virtutibus. » Sed, inquis, quomodo excusari possunt hæc usque ad fines orbis abigenda? *Inflatos tumore superbiæ, apposito humilitatis emplastro, ut mitis medicus ipse curavit. Emplastro!!!* et deinde : *Non adhibens diversis pigmentis epithemam* (melius scriberetur in neutro *epithema*.) *Epithema !!!* Sed caveas, quæso; attende hæc verba sancti Augustini Sermone CLIV, n. 6; post verba sancti Pauli, *Ne magnitudine revelationum mearum extollar*, etc. addit : *Qualem tumorem timuit*, *qui mordacissimum* EPITHEMA *accepit?* Quod autem spectat ad vocem *emplastrum*, nota illam reperiri apud auctores non prorsus contemnendos, cumque ex græco assumpta sit, illam non minus bene potuisse a beato Doctore adhiberi, quam alias ejusdem generis voces, *epithema*, *entheca*, *malagma*, *manganæ*, *etc.*

Transeamus ad Sermonem VI, quem adversarius noster ideo rejicit, 1° Quod auctor dicat nativitatem Christi factam fuisse quingentis annis ante tempus quo vivebat, unde juxta criticum debuisset dicere : *Pene quingentos*. Sed puto illum non attendisse ad hoc verbum *circa quingentos*, qui in eumdem sensum prorsus recidit ac *pene*. 2° Quod loquatur, sicut jurisconsultus de *statu*, de *causæ præstatione;* ubi videas, quæso, quam difficilis sit noster adversarius, qui, si occurrant sententiæ et verba sancto Doctori consueta, hanc similitudinem habet infensam, utpote quæ meram demonstret Augustini simiam; si vero deprehendantur verba ab eo nondum usurpata, hoc discrimen inducit, quasi falsitatis notam. Ergo tantus Doctor nullas alias potuit egerere sententias, nulla alia verba usurpare, quam quæ in aliis locis adhibuit. 3° Quod adsit locus qui non solum Augustino repugnat, sed etiam rectæ rationi, ita ut inde appareat *Editores Collectionis selectæ non majorem adhibuisse diligentiam singulis intelligendis, quam totis sermonibus judicandis sagacitatem*. Attendat autem lector, et videbit hoc solum apparere, nempe criticum latinam sententiam minime fuisse assecutum,

imo et verbis sensum tribuisse fidei prorsus oppositum. Sit primum locus; ita se habet: «Veniant et audiant qui » græco turbine latinam nubilare nisi sunt puritatem, » Anthropotocon, Christotocon, Theotocon ut tollerent, » blasphemantes. » Circa quæ sic criticus argumentatur, omnia disturbando: «Quid hic sibi vult: *Qui græco » turbine latinam puritatem nubilare nisi sunt, ut » tollerent blasphemantes Anthropotocon*, etc.? Si id » agunt ut tollant græca vocabula vel dogmata de Anthro- » potocon etc., quomodo *nituntur nubilare latinam » puritatem turbine græco? imo* plane contrarium fit, » si *tolluntur* illa græca; tum latina puritas non *nubi- » latur*, sed splendidius enitescit. » Unde cum criticus hoc operis assumpserit, ut semper improbet, quod approbamus, et quod improbamus approbet, subito notam nostram damnat, qua rejecimus cod. Cassin. lectionem, ubi habetur *non sinunt* pro *nisi sunt*; hancque veram et legitimam adoptat, ita ut legendum declaret: *Veniant et audiant qui græco turbine latinam nubilare* NON SINUNT *puritatem*, etc. Ex quibus hoc unum constat, charissime dissertator, nempe te nullo modo intellexisse, quod tamen planissimum est. Sine modo indoctos Collectionis selectæ Editores, profundissimæ quam expandere gestis doctrinæ aliquam interpretationis latinæ lectionem edisserere. Cur verba ex proprio loco avulsa absque sensu disturbas? cur hæresim cum veritate permisces? An *Anthropotocon* et *Christotocon* errorem sapere nescis? an ignoras *Theotocon* esse catholicæ fidei typum? non advertisti ergo duo esse verba, quæ varia nomina græca diverso modo afficiunt? Intellige, quæso, quæ dicat scriptor; me interpretem pati velis: *Veniant et audiant qui græco turbine latinam nubilare nisi sunt puritatem*; et quomodo? nempe *blasphemantes Anthropotocon et Christotocon*, id est, asseverantes cum blasphemia Mariam esse *hominis matrem, Christi matrem*; quare? *ut tollant Theotocon*, id est, ut eam *Dei matrem* non esse contendant. Intellexisti-ne? Nonne clarus est sensus? nonne prave, et quidem pravissime poneretur *non sinunt*? Quare ea, quæ non capis, impugnas? quare viros in legendis ac interpretandis sanctis Patribus multis abhinc annis versatos, quasi ineptos et insanos arguis, cum ipse circa textus facillimos, quasi lumine captus, cæcutias? Nihil igitur est quod nos ab adjudicando hoc opere sancto Augustino deterreat, si interiores notas solummodo respicias. Sed ut veritati debitum reddamus honorem, post dissipatas adversarii vanas objectiones, unam esse graviorem objectionem, imo et insolubilem prorsus confiteamur, quæ nos ad id compellit, ut hunc sermonem sancto Doctori male tributum fuisse declaremus. Sapiens enim et *justus*, juxta Scripturam, *prior est accusator sui ipsius* (1). Quando sermones istos emittere in publicum statuimus, hoc unum nobis timorem attulit, ne videlicet stampis submitteremus homilias jam antea editas. Hinc maxima nobis cura dies integros sæpius impendendi in evolvendis non solum divi Augustini, sed et aliorum pene omnium Patrum operibus. Sed in tantis voluminibus, quis talem in seipso fiduciam habere possit, ut certus sit nullum inter tot tantaque scripta locum invisum innotatumque prætetiisse. Hoc ibi passi sumus, nec erubescimus publice confiteri sermonem hunc jam legi editum apud Combefis Tom. I, fol. 115, cum nomine sancti Petri Chrysologi, ad quem revera melius referri videtur. Tales si afferat probationes adversarius noster, non repugnabimus, quia unam hic usque secuti sumus, et semper sequemur veritatem.

Sermonis VII longius examen non in omnibus et pedetentim sequi est necessarium. Sufficiet hic ad analysim recurrere. 1° Objiciuntur quædam menda, quorum correctionem criticus exigere videtur; nec dissentio, si velit. Ponat *devotionis vestræ* pro *devotionis nostræ*, quanquam utraque lectio defendi possit; ponat *videamur* pro *videamus*, quod evidenter a sensu requiritur; ponat etiam *in audiendo* pro *in prædicando*, si magis placet, supposito scribentis errore. In his autem *innotuit se claritate, et implebit te*, quærit criticus *qua te?* et bene quærit; ibi enim certe deest aliquid, amanuensis incuria; addat vocem quam voluerit; hæc omnia sint concessa, quæ authenticitati minime nocent. 2° Opponuntur barbara verba, et quænam? *Apparentia*; sed quid barbarum, si auctor vocet *apparentiam* apparendi in publicum actionem? *Palpare torporem*; verba hæc dura esse fateor, sed evidentis evidentius est huc irrepsisse aliquod mendum, et forte legendum *sectari*, aut aliud verbum, pro *palpare*; notandum est enim nos unum tantummodo codicem ante oculos habuisse, et quis doctus nesciat quot et quanta menda in codicibus deprehendantur? *Jussio. Quænam?* Sic postulat criticus, qui prorsus sequentia non attendit: *Videte quid Dominus dicat: Qui te angariaverit*, etc., et deinde: *Cedo imperio; Dominicæ sententiæ succumbo; judicio colla submitto.* «Quantus cumulus!» exclamat criticus; et ego respondeo: apud sanctum Augustinum *quanti* similes *cumuli!* non egemus exemplis; ubicumque occurrunt. *In altitudine adductus* pro *in altitudinem*, cum sit motus; sed dictionarium ad usum Delphini asserit præpositionem *in* regere ablativum aut accusativum, sive motus adsit, sive non. Hinc Virgilius Æneid. lib. XII, vers. 145: *Cœlique lubens in parte locarim.* Hinc Cicero: *Venit in Senatu.* Hinc Varro: *Qua in Cœlio monte itur.* Et alibi Cicero dicit, quod multo magis stupendum videbitur: *Esse in amicitiam populi romani.* Si autem de ecclesiasticis scriptoribus fiat mentio, habes in Ascensionis canone ad precem *Communicantes: In dextera Majestatis collocavit*, et in prosa Paschatis antiquissima: *Præcedet suos in Galilæa.* Cur ego, quæ legitimam admittunt excusationem, corrigere præsumpsissem? Quomodo autem hæc verba: *Adjiciamus tamen aliquid de compunctionis exemplo in præjudicata fide*, critico visa fuerint ita intellectu difficilia, ut vix capi possint, prorsus nescio. Jam fides certa est; clamat pro ea incontrastabile præjudicium; sed tamen ad exempla recurramus, ut clarior fiat comparationibus. Quid clarius dici potest? Quid ridiculum, si corona Christi spinea conferatur cum illa corona, quam habebat ab æterno, *manu Patris ex pretiosis lapidibus*

(1) Prov. xviii, 17.

et artificio pietatis intexta? Quid mirum si dicatur *claritatem annuntiatam esse in excelsis*, licet alibi Augustinus *gloriam* legere soleat, cum utrumque verbum in Evangelio scribatur : *Claritas Domini circumfulsit illos... Gloria in altissimis Deo* (1)? Quæ absurditas in hac oppositione : *Non pro unius populi liberatione voluit mactari, sed pro cunctis debebut crucifigi?* Cur *apis* non vocaretur *musca?* cur filum araneæ serico filo non possei comparari? cur sanctus Doctor adhibere non potuisset vocem *taxare*, cum apud Plinium legatur, apud Tertullianum (2), imo et in argumentis Evangeliorum apud editionem Colonienbem? cur *putamen* nucis *testa* non vocaretur? 3° Exprobratur multas esse ineptias sancto Augustino indignas. Et quæ sunt istæ? Scilicet verba quæ blasphemo inferi : *Blasphema tibi claudentur ora, et veluti offus accipiens, oblatrandi amittes licentiam.* Sed quomodo inepta est hæc imago? Addit insuper, quæ de corvis dicuntur : *O interea corvos ubique devotos*, (qui nutriebant etiam!) *nigros in colore, sed candidos in timore; immundos in nomine, sed mundos in opere. Emundavit tamen culpam suam, et reversus est ad obedientiam; tunc enim exiens de arca non rediit; nunc pastus necessarios servo Dei opportunus obsonator exhibuit.* Si hoc scripsit Augustini simia, exemplo simillima facta est, quia nullus est qui in his verborum et cogitationum jocis typum non agnoscat.

Causa autem rejiciendi Sermonem VIII ita debilis est, ut, modo sit adducta, statim in auras penitus evanescat. Ideo enim Augustino abjudicandus videtur, quia nativitatem Christi nominat sacramentum. Hinc critici tota expanditur doctrina, definitiones afferentis Augustinianas de sacramento, quæ sunt *signa, in quibus aliud videtur, aliud intelligitur.* Sed oro te, charissime dissertator, imo te, lector, obtestor, nonne *in nativitate Christi aliud videtur, aliud intelligitur?* Videtur homo, intelligitur Deus; videtur filius hominis, intelligitur Filius Dei; videtur plorans parvulus, et intelligitur Rex mundi omnipotens. Resurrectionem Christi *sacramenti* nomine decoravit Augustinus, quia *est nova vita credentium;* nonne et ejus nativitas est nativitas credentium? nonne ideo sacramentum dici potuit? nonne et ipse auctor hujus verbi sensum evolvit, cum dicit : « Nunc vero, ut in sinu tem» porum, gentibus (3) universis perennis vitæ sacramenta » deferret, ipse de cœlestibus, de sinu Patris adveniens, » ita se homini, sibique hominem inseruit et univit, ut » incomprehensibili gloria unus idemque et homo esset » et Deus. » Certe magna disputandi cupiditate urgetur, qui tam infirma confidenter expromit argumenta. Nec magna perspicacia donatus est qui hæc verba explicare non potest : *Qua lingua enarrare poterit, quod usus investigare non prævalet.* Dicat autem, si ipsi placuerit, adversarius noster sermonem hunc *nihil habere quod captum concionatoris admodum vulgaris excedat;* ego, et alii mecum in eo reperient plura quæ cum fide apprime consentiunt, plura quæ honori inserviunt Beatæ Virginis Mariæ, plura etiam quæ satis acute dicta videbuntur, qualia sunt ista : « Quis hominum illud (mys» terium) æstimare conabitur, in quo solus sibi est Deus » et auctor et conscius? » Et iterum : « Nascitur Christus » non necessitate vivendi, sed voluntate salvandi. » Et denique : « Sic enim Potentissimus prodiit ex Maria, ut » et infirma carnis subiret, et Unigeniti non amitteret » majestatem, ac temperamento quodam admirandi mys» terii, et per hominem Deus cum hominibus loqueretur, » et homo per Deum de diabolo triumpharet. »

In Sermonis IX critica unum est verum, sed reliqua plane sunt falsa. Falsum est ex eo quod sermonis exordium breve sit, ipsum penitus esse abjiciendum, cum sermo possit sua carere integritate, et longioris tantum repræsentare fragmentum. Falsum est sententias allatas mamum ita *gravem, ponderosam*, et (quod utrum eruditionis altitudinem ostendat, an legentis existimationem captet, nescio) ut græce loquamur φορτικὸν arguere, ut penitus inde respuenda sit tota oratio. Falsum est et reliqui textus lectione tædium posse reformidari, cum Erasmus totum tractatum, unde assumptus est, esse *hominis eruditi* fetum censeat, imo et *arguti* et *facundi;* cum illum sine cunctatione adjudicent Augustino Lovanienses; cum idem faciat Bellarminus, necnon et antea fecerit venerabilis Beda, qui inde quædam citat in caput primum Epistolæ sancti Pauli ad Romanos. Has videsis auctoritates in ipsa adversarii editione Tom. VIII, fol. 1523–1524. Sed verum est hic iterum nostram defecisse vigilantiam, fragmentumque de quo agitur jam esse stampatum in tractatu *contra quinque hæreses*, n. 6 et 7. Utrum vero illum rejiciendo bene egerint Benedictini, ipse pronuntiet lector.

Sermo X defensione non indiget; cum tota adversarii critica in eo ponatur, quod non debeamus iterum *judicare quæ bene a Benedictinis judicata sunt.* Sed utrum *bene*, ibi versatur quæstio; quæ ab impugnante non solvitur. Argumenta vera esse declarat, si aliunde constet de authenticitate Sermonis; atqui de ea constat per codicis veteris auctoritatem; ergo nulla superest objectio, nisi forte unius phrasis, ut dicitur, barbaries, et inficeta cum superioribus conjunctio, quæ ad ultimum quædam intermedia deesse demonstrant, nihilque amplius, quod noceat, possunt inferre.

Sermonis XI critica in eo tota fere versatur quod noster adversarius deprehenderit typographica menda, quæ corrigere nescivit. Prius est verbum *genuisset*, quod positum est pro *generaret;* posterius vero, quod exclamationis puncto notatur, ut prorsus latinitati contrarium, est vox *incedebis;* barbarum prorsus verbum; indignabundus criticus in hoc verbum proruat (*sic*)! sed non sane animadvertit totum furorem in hoc recidere; quod mutanda sit littera *c* in *s*, et tunc habebit optimæ latinitatis verbum *insedebis*. Gratias ago adversantis malitiæ, quod mihi facilitatem tribuat catalogum mendorum typographicorum ad calcem voluminis hujus excudendi, ut videbitur infra in fine. Sed si menda quædam typographica nobis exciderunt, dum stampis submitteretur opus ineditum multumque propter codicum vetustatem et notariorum incuriam intricatum; caveat ne quis rursus annotare velit menda etiam gravissima, quæ in tam lau-

(1) Luc. II, 9, 14. — (2) Tert. de Res. carn., c. 36. — (3) Hic in edit. ante *gentibus* male duplicatur *ut*, quem tollas.

dabilem aliunde ipsius editionem, sed tamen ex impresso jam textu conflatam, irrepserunt. Quis nesciat tot imprimendi opera præcipitem ardorem, multorum, etiam invitis edentibus, errorum fontem existere? Præter autem duo illa menda, tertium reperitur, quod adversarium fefellit, ut me ipsum fefellerat adhuc in legendis codicibus nimis novitium, nempe vox *laxa* pro *lassa*, cum in manuscriptis sæpius duæ litteræ *ss* per unam *x* exprimantur. Hinc legendum est *lassa insedebis*, quod auctorem scripsisse aut dictasse certissimum esse fatendum est. Non loquor de verbo *fiet*, quia potest facillimam excusationem accipere; nec de vocibus *in Prophetis et Lege*, non autem *ex Lege*, quod claudicat. Hæc sola igitur objecta remanent, nempe quod usurpetur vox *sacramentum*, quam nihil efficere jam probatum est, et quod sanctus Doctor dixerit : *Cœli non habent accusatorem?* Quid hæc sibi velint, quærit adversarius. Nunquam ergo legit Apocalypsim, in qua hæc reperisset verba, quæ illius quæstioni clare prorsus respondissent (Apoc. XII, 10) : *Et audivi vocem magnam de cœlo dicentem : Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus, quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.* Adde quod si Maria dicat *se delegisse in templo servire*, non dicit se hoc ita delegisse, ut totam vitam suam consumeret in templo, sed ut primis ibi consumptis vitæ suæ annis, virum deinde non cognosceret. Si nulla major in toto Augustino se offerret difficultas, non tam vehemens aliquando surrexisset pugna inter doctos de sensu Augustiniano.

Legi sæpiusque perlegi Sermonem XII, nec illum agnovi *desultorie scriptum*, et *ab aliis ad alia dilabentem*, nisi dicatur hic sermo *dilabi ab aliis ad alia*, quæ verba Evangelii successive et sapienter evolvit. Nihil barbari præ se ferunt voces *meruimus* et *pereredítur*, quanquam dici possit in codice male scriptum fuisse *percreditur* pro simplici verbo *creditur* per inadvertentiam notarii qui replicavit syllabam *per*, quæ paulo ante legitur in verbo *permanet.* Nemo est in lectione codicum vel parum versatus, qui has reduplicationes non sexcentis vicibus repererit. Non video cur vir prudens non dixisset, *Intrat uterum* (Filius Dei), *ut utero te reformet*; venit enim ut nos reformaret ab utero exeuntes. Utrum denique abrumpatur sermo et mancus sit, an aliam et longiorem habuerit conclusionem, nihil interest, nec inde prorsus lædi potest ejus authenticitas. Hoc unum deduci potest, illum videlicet non esse integrum, ejusque tantum superesse fragmentum, quod ideo certe non abjiciendum videbitur, cum tot fragmenta ipsi collegerint Benedictini, et quidem multo breviora.

Evidentem esse prædicat adversarius Sermonis XIII criticam, nec ista talis forte omnibus videbitur. Ex eo quod quædam legantur in sermone apocrypho, in quo multæ leguntur sancti Augustini sententiæ, non ausi eramus illum prorsus rejicere, cum auctoritatem codicis antiqui haberet, sed dixeramus sententias sermonis spurii ex eo esse desumptas, sicut multas alias continet, quas ex aliis detractas agnoscunt omnes, quin ideo sermones isti sancto subripiantur Augustino. Sed probare nititur additiones istas insulsas esse et ridiculas. Sic post hanc phrasim quæ in utroque textu reperitur : « Fecit gravidam Virginem, » qui nasciturus erat ex Virgine; » codex noster addit : *Non tamen gravidam, quia lux non habet pondus.* Hinc si critico fides *oratorius numerus deletus, et inficetum corollarium adjectum est.* Hoc attendat et judicet lector; pulchra mihi videtur nec Augustino indigna cogitatio, quam alibi etiam apud sanctos Doctores reperies. Sententiis præcedentibus aliquid in nostro textu deesse videtur, aut aliquod irrepsisse mendum, quod facile explicari potest per replicationem pronominis *quem.* Libentissime crediderim primarie fuisse scriptum : « Et » quæ domus ejus, quam sibi ipse construxit, nisi homo » Christus Jesus, quem gloriosa Virgo suscepit, quem » Spiritus sanctus copulavit, etc. » Si autem sermonem editum ex uno codice velis repudiare propter verbum, quod aliquid affert difficultatis, nulla jam haberi poterit authenticitas, nisi purum habeas omnino textum, quod absurdum est. Perfidæ sunt sequentes quæstiones, sed solutu facillimæ. Dixisset-ne Augustinus *vilitatem Deum homines credere?* Ita certe, si sententiam referas integram; vilitatem suscepit naturæ humanæ, et hæc naturæ humanæ vilitas in Dei participationem admissa est, ita ut credamus Deum, quem vilem hominem videmus. — An Augustinus *talem incarnationis finem statuisset, ut incredulis cæcam noctem incuteret?* Ita certe, et optime, si totum argumentum adducatur. Primo enim orator dicit Christum venisse *libertatis arbitrum ... redditorem pacis ... recuperationis inventorem, ut lumen vultus sui credentibus demonstraret*; sed dein ipsum ad hoc se manifestasse, *ut cæcam incredulis noctem incuteret*; quod idem est ac Simeonis oraculum dicentis: *Positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israël* (1).—Nonne autem absurda est vox *lector*, cum agatur de sermone? Minime, si attendatur ad usum notariorum, qui sermones ex antiquis Patribus extrahebant, ut lectio fieret juxta solemnitates, sive inter prandendum, sive in Ecclesia, sive in cellulis, unde sæpius vocem *fratres* mutabant, substituta voce *lector.*—Sed nonne barbara est vox *imprægnari*, et præsertim *imprægnari auribus?* Quoad sententiam ipsam, qua dicitur Maria auribus concepisse, non excusatione indiget, cum alibi sæpius apud Patres reperiatur; sufficit igitur ut legitimam vindicemus vocem *imprægnari*, quæ sæpius ab ipso fuit usurpata Augustino. Sic in Psalmum xxxix (2) : « Imprægnata est anima, sperat se posse adipisci. » Et ibidem : « Imprægnari vis, hinc imprægnare. »— Sed *agnoscitur* ibidem *verborum lusus et sonorum quæsita melodia, vel rhythmus medio ævo tantopere adamatus.* Ergo inter opera medii ævi omnia fere scripta sancti Augustini amandare festines, cum totus sit *in rhythmis et sonorum quæsita melodia.* Nunne hoc est ejus dicendi modi distinctivus caracter, aut potius præcipuum ejus styli vitium. Aperio ejus sermonum librum et in tua editione, tom. V, fol. 1282 (3), de Natali Domini hæc reperio:

(1) Luc. II, 34. — (2) Enarr. in Psal. xxxix, n. 28. — (3) Serm. cxxxvi, n. 7.

« Concipiens virgo, pariens virgo, virgo gravid*a*, virgo » fœt*a*, virgo perpetu*a*. Quid miraris hæc, o *homo?* » Deum sic nasci oportuit, quando esse dignatus est » *homo*. Talem fecit illam, qui est factus ex illa. Ante» quam enim fieret, *erat;* et quia omnipotens er*at*, fieri » potuit manens quod *erat*. Fecit sibi ma*trem*, cum esset » apud Pa*trem;* et cum fieret ex ma*tre*, mansit in Pa*tre*. » Quomodo Deus esse desisteret, cum homo esse cœp*it*, » qui genitrici suæ præstitit, ne desisteret virgo esse cum » peper*it?* Proinde quod Verbum caro factum est, non » Verbum in carnem pereundo *cessit*, sed caro ad Verbum » ne ipsa periret, ac*cessit*: ut quemadmodum homo est » anima et caro, sic esset Christus Deus et homo. Idem » Deus, qui *homo*, et qui Deus, idem *homo*, non con» fusione natur*æ*, sed unitate person*æ*. Denique qui Fi» lius Dei generanti est coæternus semper ex Patre, idem » filius hominis cœpit esse ex virgine. Ac sic et divinitati » est addita humani*tas*, et tamen personarum non est » facta quaterni*tas*, sed permanet Trini*tas*. » Quid sentis de hoc dicendi genere? Est-ne Augustinianum, nec-ne? Sed forte multum laboravi ad hoc fragmentum reperiendum. Lege sermonis sequentis principia (1): « Laudem » Domini loquetur os meum: ejus Domini per quem facta » sunt *omnia*, et qui factus est inter *omnia*: qui est » Patris revela*tor*, matris crea*tor*: Filius Dei de Patre » sine ma*tre*, filius hominis de matre sine pa*tre:* magnus » dies Angelor*um*, parvus in die homin*um*;... cuncta sæ» cula ordinans de sinu Pa*tris*, hodiernum diem conse» crans de utero ma*tris:* ibi man*ens*, hinc proced*ens;*... » mundum impl*ens*, in præsepio jac*ens;* sidera reg*ens*, » ubera lamb*ens;* ita magnus in forma De*i*, brevis in » forma serv*i*, ut nec ista brevitate magnitudo illa mi» nuere*tur*, nec illa magnitudine ista brevitas premere» *tur*. » Dic, precor, quæ et quanta super nos sonarent anathemata, si talia non a Benedictinis, sed a nobis fuissent edita. Nedum igitur iste rhythmus authenticitati noceat, huic plurimum favet, cum ad stylum Augustinianum proximius accedat. Cur autem Christus non diceretur *fides vera credentium*, prorsus nescio; nec magis scio cur non posset *clausura discutientium* nuncupari, cum pacem et concordiam terris attulerit.

Si quis abjectis omnibus præjudiciis sermonem XIV legerit, nihil inficetum nec absurdum reperiet. Cur rejiceretur sermo propter hæc duo verba *letalem mortem* et *auris curvi anfractus*, cum posterius hoc corporis membrum non inepte exprimat, prius autem vel possit excusari ex solitis Scripturæ congestionibus *morte morieris*, vel tribui possit notariorum incuriæ, *letalem* forte ponentes pro *fatalem*, aut quid simile? cur repudiaretur propter dicendi modum perfecte latinum, quo asseruntur Abraham et Jacob *adeptos esse conjugium?* cur amandaretur inter spuria, propter gratissimam illam et familiarem Augustino collationem apes inter et virgines? Nonne latinæ, quin et eloquentes sunt istæ voces *sine conscientia maritali?* Tria tamen hic menda irrepsisse fateor, quæ corrigas, nempe *venit* pro *veni; ore osculis* pro *oris osculis;* et *matres cognoscunt* pro *concipiunt*. Menda nobis tribue, si excusare nolis, sermonem autem Augustino.

Sermo XV ita sapit Augustinum, ut *collectanea Augustiniana* ab adversario vocetur. Quid autem ad illum expungendum objicitur. *Rhythmus ludentis?* Sed ludentem in rhythmis Augustinum satis agnovimus. — Unum typographicum mendum, quo scriptum est *repellemus* pro *repellamus?* Quot Augustini sermones apud adversantis editionem, ubi graviora oculos et mentem lædunt menda. — Dicendi quædam forma, quæ minus rhetorica videtur, quaque scriptum est Christum non *indiguisse*, ut *dignaretur* nasci? Sed quid hic ridiculum; non certe indigebat Christus ut dignationem huc usque protenderet, nempe usque ad vilem inter homines nativitatem. — Verba hæc, quæ parum accurata videntur: « Teneamus » eum, ne, *peccatis facientibus*, a nobis repellamus » eum? » Sed hæc non absque sensu dicta sunt, quanquam hic notarium errasse mihi fuerit manifestum; credo scriptum fuisse, *ne peccata facientes*, sed corrigere non sum ausus, cum nullius codicis auctoritate correctio niteretur.

Sermonis XVI exordium est diversum ab eo quod apud Benedictinos legitur, et certe lectu non est indignum. Adversarius noster magna videtur laborare ridendi facilitate, cum in risum solvatur ex hoc dicto: « Cœlos » *hodie* intellige Angelorum choros, » in quo ne minima quidem apparet subridendi materies. Quid enim ridiculum si orator christianus auditores moneat *hodie*, id est, in nativitate Christi, ita interpretanda esse hæc verba Psalmistæ *Lætentur cœli*, ut per verbum *cœli* intelligatur non locus ubi degunt Angelorum chori, sed ipse chorus Angelorum? Cur autem italicis distinxerit hæc verba, *inclinavit se*, nempe Filius Dei, *ut nos erigeret*, prorsus non possum capere? Qui autem ad risum tam facile convertitur, non minus facile tædio afficitur; non enim sine tædio describit, quæ lector, non modo sine tædio percurret, sed etiam cum aliquo voluptatis sensu, ut videre est, sive apud nostram editionem, sive apud ipsum criticum. Hic autem ibi, sicut et alibi, nonnulla exprobravit, quia illorum sensum non est adeptus. Sic cum orator locutus fuerit de muliere quæ incurvata erat multis ab annis, eamque dixerit typum esse generis humani, addit: « In hac muliere hodie natus Dominus noster, etc. » non ut asserat Filium Dei natum esse ex incurvata illa muliere, sed ut indicet eum esse natum in genere humano, cujus illa mulier formam præferebat, quod ex contextu facillime concipitur. Si vero durior hic sensus videatur, tollatur vox *hac*, quæ amanuensium errore potuit irrepere, et tota evanescet difficultas.

Eadem ratio, quæ nos impulit ad acquiescendum sermonis IX repudiationi, nos iterum ad id impellit ut Sermonem XVII inter spurios rejiciamus. Legitur enim quoad dimidiam partem in Tractatu contra quinque hæreses, quanquam, cum Tractatus iste conflatus sit ex sententiis Augustinianis, imo et juxta plures vere sit Augustinianus, possit aliquatenus defendi. Si vero hoc veritati concedimus, critici minime possumus acumen mentis admirari, qui velut ridiculam profert hanc sententiam, justum

(1) Serm. CXXXVII, n. 1.

non habere *immixtionis aliquid* plumbi, quia nihil præcedit de *auro* vel *argento* dictum, et lepide satis adjicit se credere talem sermonem scriptum fuisse a *fabro*; ergo quotiescumque scriptor aliquis metaphoram assumet ex auro et plumbo, faber erit; quotiescumque ex navibus et mari, erit nauta; quotiescumque a terræ cultura, agricola dicetur, et sic de reliquis. O vere admirabilis critica! Nec magis in judicando acutus apparebit, cum *ineptiam* vocet sententiam, qua dicitur Maria *nullis fascibus peccatorum fuisse ponderata*, et maligne indigitat typographicum mendum, quo vox *facibus* posita est pro *fascibus*, non præmittendo in hac voce manifestum stampatoris excidisse errorem. De hac autem cogitatione Mariam bajulasse Christum, quin onus sentiret, jam animadversum est illam ad plures alios pertinere doctores, nec indignam esse quæ ab Augustino fuerit usurpata. Sit ergo recta conclusione definitum, ultimam hujus sermonis partem jam alibi fuisse editam, sive in Tractatu contra quinque hæreses, sive in nostro Sermone IX, sed priorem partem plura continere nondum edita, et quæ utiliter a doctis sunt perlegenda.

Sermonem XVIII, qui in editione sancti Leonis legitur, sicut in annotatione nostra explicatur, sed ad beatum Doctorem a Quesnello et fratribus Ballerini minime pertinere declaratur, ex duorum auctoritate codicum sancto Augustino restituimus, nec ex eo potest subverti tanta auctoritas, quod gratis asseritur dicendi genus alienum esse ab Augustiniano. *Sancti hujus Doctoris lectione imbutus* citatam periodum ab ejus genere non discrepare affirmo, gratis negans quod a critico gratis asseritur. Si autem quæras cur editum jam apud sancti Leonis appendicem hîc emiserimus, facile respondetur hoc factum esse propter tres gravissimas rationes; 1° ut legentes simul inveniant, quæ ad sanctum Augustinum possunt referri; 2° quia cum nullibi appendices edamus, iidem habeant hunc sermonem, quem aliter nullibi in Collectione selecta reperiretur; 3° quia multæ sunt variantes lectiones quæ ad inferiorem paginæ marginem indigitantur, et alicujus momenti viris antiquitatis amantibus videbuntur.

Sermo XIX non paraphrasis est sermonis dubii 375, sed tantum unam eamdemque cogitationem exponit, modo tamen diverso, quod sæpius occurrit in veris sancti Augustini sermonibus. Sententiæ ordinem narrationis sequuntur, nec proinde possunt tanquam incohærentes suggillari; nam, hoc admisso, omnes sanctorum doctorum sermones, qui varios Prophetarum aut Evangelii textus evolvunt, deberent quasi eodem incoherentiæ crimine laborantes traduci. Sectiones 3 et 4 non ex sermone ad Catechumenos conflatæ fuere, sed tantum de eodem argumento tractant, ita ut cogitationes aliquæ similes sint, verba autem differant. Nec æquum foret abjudicare nostro Doctori omnes sermones, in quibus *invectivæ in longum extractæ* reperiuntur, cum similia sæpius habeantur apud genuinos ejusdem sermones. Sic mihi librum fortuito aperienti subito occurrit hæc apostrophe ad Mariam Mariani martyris matrem, quam cum Maria Christi genitrice comparare gestit (1) : « O sancta et tu, Maria, » impar quidem merito, sed par voto! Felix et tu! Peperit illa martyrum Principem, peperisti tu Principis » martyrem; peperit illa testium Judicem, peperisti tu » Judicis testem. Felix partus, felicior affectus. Quando » peperisti gemuisti, quando amisisti exultasti. Quid est » hoc, quando peperisti gemuisti, quando amisisti exultasti? Non frustra, nisi quia non amisisti. Ubi dolor » non erat, fides erat. Carnalem dolorem de corde fides » spiritualis excluserat. Videbas te filium non amittere, » sed præmittere : totum quod gaudebas, sequi volebas. » Si tale fragmentum apud ineditos legeretur, quot et quanta pronuntiarentur anathemata? qui verborum lusus! quæ puerilia exprobrarentur vocum certamina! invectivæ longiores dicerentur ab Augustino prorsus alienæ; et tamen Augustinum habes, et totum Augustinum. Sed forte brevior est apostrophe; legas precor sequentia : « O beati » Martyres, unde vobis ista? Scio vobis corda humana; » unde vobis ista divina? Ego dico, A Deo; quis est qui » dicat, A vobis? quis est qui vos male laudando invi» deat vobis? Nescio quis dicit a vobis hæc esse? Res» pondete illi : *In Domino laudabitur anima mea.* » Nescio quis dicit a vobis hæc esse? Respondete illi, » si mites estis, respondete : *In Domino laudabi*» *tur anima mea.* Respondete et hoc in populo Dei : » *Audiant mites et jucundentur.* Nescio quis dicit a » vobis hæc esse? Respondete illi : *Non potest homo* » *accipere quidquam, nisi datum ei fuerit desu*» *per*, etc. » Plura quæ sequuntur, et eodem modo scripta sunt ex industria omitto. Sed apostrophe est hoc, non invectiva. Transi ad reliqua : « Quid, infidelis, su» perbis? Laudas Martyrum patientiam, quasi a se ipsis » possent esse patientes? Apostolum potius audi, gentium » doctorem, non infidelium deceptorem. Certe in Marty» ribus patientiam pro Christo laudas, et eam ipsis as» signas? Audi potius Apostolum Martyres alloquentem » et corda humana sedantem. Audi, inquam, dicentem, » *Quia vobis donatum est pro Christo.* Audi pietatem » exhortantem, non adulationem fallentem : *Vobis*, inquit, » *donatum est.* Donatum est, audi, etc. » Audi et tu qui nobis in omnibus adversaris, quod Augustinus ab invectivis non prorsus abhorruerit, præcipue cum illa rhetorices figura multum sæpius valeat in dicendo, nec *in spuriorum mare* sit in æternum submergenda.

Sermonem XX ita deprimit criticus noster, ut damnato sine misericordia initio, damnet severius et finem, exclamando : *Dignus misero sermone finis!* Illum autem legi et perlegi, nihilque inveni quod tam iniquo possit favere judicio. Pulcher admodum est ille sermo, et in cunctis Augustinianus. Si quæ insurrexere adversarii oculis difficultates, hoc inde accidit, quod cupiditate abreptus sæpius caliget, nec rerum sensum assequi prævaleat. Primam sententiam velut ratione destitutam exagitat, quæ ita plana est, ut vel puer in latino novitius hanc facillime intelligat. « Jejunia, inquit orator, ita Deo grata » sunt, ut exigat ista propitius, exigat et iratus. » Nescio quid loquitur de antropomorphismo adversarius; ejus doctrina obruor; ejus dicendi et cogitandi modus meam

(1) Serm. CCLXXXIV, n. 2.

intelligentiam nimium superat. Sed oratorem perfecte intelligo dicentem, Deum ita grata habere jejunia, ut illa exigat propitius, a justis videlicet, quos diligit; exigat et iratus, nempe a peccatoribus, quos aliter aversatur. Quid sibi vult in simplicissima phrasi affectatus græcismus, doctiorque *antropomorphismus.* — Sed *torridus febris ardor*, inquis, quæ barbaries? Adi Plinium, adi et Virgilium, videbisque utrum hæc sint barbare dicta. Quid significat vox *torridus?* qui *torret*, qui *urit.* Ergo non urit, non torret corpus febris? Ergo barbare loquebatur Virgilius, cum diceret *torridus amnis*, id est, *amnis qui torret et urit.* — Sed dicit se *primitus* de baptismo loqui, cum jam locutus fuerit de jejuniis. Mihi condonatum velis, oro, si, quæ audacter profers, audacter abnegem. Non magis locutus est de jejunio quam de misericordia et de baptismo; de tribus generatim disserit, oratorio more sermonis argumentum indigitantis, et deinde varias distinctasque ratiocinii partes aggrediens, a baptisma incipit, de quo primitus vult disserere; hinc ad jejunium transit; sola remanet misericordia, de qua nihil habetur, quia sermo non est integer, ut manifeste apparet ex eo quod conclusione careat. Hinc omnes objectiones ex eo nascuntur quod criticus vel non intelligit, vel non vult intelligere. Duo sunt insuper quæ nobis opponit, sed frustra, cum de iis explicatio detur in notis, quas sane non dignatus est legere adversarius.

Sequuntur quindecim sermones de Pascha, de quibus hoc sapientissime *a principio observat*, quod ibi non fiat semper de baptizatis commemoratio. Ergo omnis sermo de Pascha ubi non mentio fit de baptizatis, ad sanctum Augustinum non pertinet. Hanc conclusionem admittat qui voluerit; ego prorsus illi contradico, tum quia, cum sæpius verba faceret Augustinus in hebdomada Paschæ, aliquando potuit abstinere ab isto argumento, tum quia forte integri non semper pervenere ad nos beati Doctoris sermones, tum quia in sermonibus genuinis habitis in tempore Paschæ, plures sunt in quibus nulla fit mentio de baptizatis, ut videre est in viginti novem sermonibus, qui in his diebus fuerunt pronuntiati.

Nunc autem, ut ad singula capita deveniamus, Sermo XXI arguitur tanquam declamatoris, imo aperti hæretici opus. Exordium tamen non videbitur abjiciendum illi qui hoc attente voluerit perlegere. Gravior autem exprobratio adversarii, si italicis creditur, in eo consistit quod dixerit *altare Domini pretiosum;* sed nescio utrum Augustiniano ingenio repugnet vocare *pretiosum* hoc altare, in quo *pretiosum* corpus Christi offertur. Ita autem in minimis vult esse infensus, qui nos persequitur, ut exinde velit sermonem rejicere, quod una sit sententia quæ incipit a particula *at.* Crimen sane, quod nullo modo possit condonari! Si particula *at* sensui contraria videretur, alius non absque ratione diceret, scriptum esse *at* pro *et;* sed hoc minime necessarium est. Legitur *at*, et bene legitur; criticus autem, ibi velut et alibi, non intellexit oratoris cogitationem. Mortui, inquit, jucundati sunt, gavisi sunt et renati; *at* gaudii causa diversa est; illi lætantur de nova vita, isti de gratia recuperata. Quid magis clarum et evidens? — Sed legitur: « Nemo tristetur, » si hortatur (passive!) antequam perdet tempora quam » dignitatem; » unde addis, *Hoc plane barbarum et sententia contortissima.* Sed cur indigna perfidia utens tollis vocem necessariam? Non ergo post hæc verba vidisti hanc particulam (*sic*)? An ita parum versaris in veterum editionibus ut ejus sensum nescias? Nonne inde indigitatur codicem esse mancum et deficere? Vox *hortatur passive!* et unde scis eam esse passive assumptam, cum forte ne legenda quidem sit vox *hortatur?* Sincerus sis et non calumniosus; defectuosum locum argue, non barbarum. Hic vero atrocior calumnia; hæresis propagatores esse incusamur. Et quare? quia dicitur: « Vitam si velit non » mutare (hic virgulam posuisti qua sedulo cum codice abstinuimus, et ex qua sensum tuum vis astruere; cur textum falsum proponis?) « vitam si velit non mutare in » plenitudine millium annorum (scripsisti *anonrum*, et si vellem par pari referre, dicerem, Imo et *annorum;* sed vir doctus mendum scit excusare: cur autem virgulam post *annorum* positam perfide sustulisti?) « merebitur gaudere sine fine, etc. » Hinc exclamas: *Audisti-ne aliud? chiliasta loquitur.* In plenitudine millium an» norum! » Sed caveas, precor; contrarium asseritur; nam sensus est: Hic gaudebit sine fine qui non voluerit mutare vitam, nempe æternam, cum illa plenitudine millium annorum, quæ ab hæreticis fuit conficta. Verum est quod legendum videretur *plenitudinem* pro *plenitudine*, quod facillime corrigi posset, cum sæpius in hoc errent codices, quia, si nescis, tibi sciendum est litteram *m* non aliter indicari quam productione quadam in altum ultimæ vocalis; et ideo posuimus post hæc verba fatale (*sic*), quod te ferit, et falsas tuas diatribas prorsus dejicit. Nihil ergo in hujus sermonis critica deprehenditur, nisi error et perfidia (1).

Anathematizatur Sermo XXII; *miserrimus* est; Augustino repugnat. Et quare, quæso? quia legitur apostrophe et invectiva contra Judæos. Sed vidisti superius familiarissimam esse Augustino apostrophen, et absurdum esse hanc tam potentem figuram solis *spuriorum fabricatoribus* tribuere. — Quare iterum? quia dicitur Judæos cantare in Psalmo tertio laudes Dei, et in hoc Psalmo non videre unum Deum in Trinitate, id est, unum et trinum Deum. Sed quid hic absurdum sit prorsus non perspicio; certum est enim Judæos non claram habuisse sanctæ Trinitatis notitiam. — Quare rursus? quia barbare dicitur *signatura* et *in vano.* Cur autem vox *signatura* ut barbara repudiaretur, cum legatur apud Suetonium? cur non posset in stylo Augustiniano, id est, minus puro ac jam deficiente, scribi *in vano* pro *frustra?* Non ergo legisti in Psalmis, quos quotidie recitamus, hæc verba: *Qui non accepit in vano animam suam* (2)? — Quare denique? quia passive infanti tribuitur vox *imprægnari*, non matri. Duram esse hanc vocem fateor, sed mendum hic suspicari maluerim in scriptore, quam in oratore, cum aliunde in omnibus concordet sermo cum Augustini ingenio. Nec miraris, si sæpius menda scriptoribus attribuam, cum hic omnes qui codicum editioni studuerunt, easdem

(1) Videsis Var. ad calcem volum. — (2) Psal. xxiii, 4.

emiserint incusationes, et inter alios ipsi Benedictini, ut videri potest, verbi gratia, in operibus sancti Chrysostomi, Collectionis selectæ, tom. 73, fol. 477, ubi in nota scribitur : « Hic mihi tenebræ; nec aliud in mentem venit, quam ex scriptoris indiligentia id factum » esse, ut ad nos manca pervenerint eloquentissimi Patris verba. » Quid facilius viro scribenti quæ forte non intelligit, vocem *impregnabatur*, quam sæpius jam viderat, substituisse voci *incarnabatur*, aut alii simili.

Sermo XXIII hoc uno impugnatur, quod mendis scaturiat codex, quæ nec ipsi potuimus in quibusdam sanare. Sed iterum hic annotanda est critici perfidia, qui tollit in hoc rursus loco particulam (*sic*), quæ indicat codicis defectuosi errorem, ridiculamque exponit sententiam absque necessario hoc signo. Criticum modo admonitum volo, quando aliquis alios vult corrigere, correctiones proponendas esse, non, ut aiunt, *barbarismos*. Legebatur in codice *Christum manubria mortis egisse*, quæ emendare non fueramus ausi, quia ex his verbis quidam exsurgere poterat sensus, nempe Christum *egisse*, aut *propulisse manubria*, sive *arma* mortis. Proposuit adversarius *manubia*; sed vox *manubia* non est latina; legendum esset *manubias*, ex substantivo plurali *manubiæ, arum*; si vox autem sic reddatur latina, illam admittere non recusabo, et melius scribemus in nova editione, quando locus erit, *manubias mortis egit Christus*. Hoc unum addemus, quæ de beato Petro dicuntur optime cohærere, et optime potuisse dici *sicut audistis*, quia pronuntiata fuerat ante concionem lectio Evangelii, de qua hic datur explicatio. Percurrat criticus sancti Augustini sermones, et in similia sæpius incidet. Cur autem voces quædam italicis fuerint distinctæ non satis capere potui, unde fit ut de iis sileam.

Nulla circa Sermonem XXIV seria proponitur objectio. Adducitur solummodo aliqua paulum intricata sententia, quam intricatam magis, sublata virgula, criticus effecit, unde lepide admodum dicit : « Nostri lectores sibi videbuntor audivisse ancillam loquentem puerulo quæ manu » ducit. » Sed aliquando magnus orator ita simplex esse potest, ut iisdem verbis utatur ac ancilla puerulo loquens, juxta sancti Apostoli verbum : *Facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos*(1); et iterum declarat se locutum fuisse Corinthiis *tanquam parvulis in Christo*, dato lacte, non esca (2). Sed si attentius consideres, nihil puerile in oratoris sermone deprehendes. Scopus ejus est ostendendi Discipulos Christi corpus non potuisse surripere; unde sepulcri naturam exponit. « Sepulcrum erat in petra durissima ex» cisum; in petra durissima, quæ nullam habet molli» tiem, » qua facultas detur Discipulis cavernas fodendi; hinc « Scriptum est quoniam in isto sepulcro nullus ante » sit positus, sed novum sepulcrum erat. » Unde concludit « Manifestum esse secundum litteram, quod sepul» crum istud factum est, » nempe hominum manu, « et *propterea*, » ita sane *propterea*, ut soffodi non posset, « in petra excisum est. » Prosequitur autem cum parenthesi dicens : « (debemus enim primum secundum litteram di» cere,) » resumensque interrupta, sententiamque præcedentem, ut fortius affirmetur, replicans, « et in du» rissimo lapide fuerat excisum. » Quo dicto, cætera quæ surreptionem impossibilem reddebant superadjicit, grandem lapidem, custodiam militum etc., quod simplicius etiam explicabitur, si supponatur parenthesis non desinere nisi post verba *in novo sepulcro positus est*, ut legenti patebit. Est-ne autem una phrasis, quæ tam facile exponi potest, ratio quæ sufficiat ad repudiandum integrum sermonem, qui nomen Augustini in veteribus profert codicibus?

Sermo XXV non propter contextum rejicitur, sed solum ex inspectione argumenti. Ibi enim Mariæ Magdalene fides comparatur cum fide Petri, Ecclesiæ et Apostolorum, et tanquam nobili præmio, visione Christi gaudere meretur. Unde sine ullo examine concludit ejusmodi sermonis non desideranda esse excerpta. Cur porro? hoc explanare criticus non dignatur, nec videt comparationem Mariæ Magdalene cum Ecclesia maxime Augustini ingenio competere, qui in idem argumentum sæpius abundavit. Ergo nihil utile dici potest de Maria ita collata cum Apostolis, ut ostendatur mulierem viris cedentibus fidelem perstitisse, eamque esse fidei mercedem, ut ad Dei visionem perveniat. Quod autem attinet ad vocem *aliquanti*, fatendum est nihil grave posse objici, cum tam parva objiciantur. Cicero dixit *aliquommulti*, et Augustinus dicere non potuit *aliquanti*, cum *aliquantus* reperiatur apud Suetonium, et in cunctis dictionariis interpretetur eo sensu, ut indicet *parvum numerum*. Melius certe fecisset criticus si animadvertisset in secundi numeri fine errore typographico scriptum fuisse *comparare* pro *comparari*.

Non erravimus sermonem XXVI, velut pulcherrimum laudando; manum enim prudentis doctique viri indigitat, licet quædam scribentis menda potuerint irrepere, quæ satis corrigere non valuimus, cum unicus adesset codex. Miratur primum criticus oratorem per quinque sectiones loqui de unguentis, additque Augustinum *nunquam exhausisse orationis imaginem non ex re ipsa necessario fluentem*. Et hoc quidem libenter fateor; sed fateatur adversarius necesse est, se non attendisse concionatoris scopum. Recitata fuerat lectio Evangelii, qua dicuntur sanctæ mulieres venisse ad sepulcrum Christi cum unguentis; hinc ansam arripit exponendi quid ista significent unguenta. Non adest hic *orationis imago*, sed adest ipsum argumentum. Hinc doctrinam prosequitur *ex re ipsa necessario fluentem*, et hoc unum ex objectione concludi potest, adversarium nostrum errasse circa ipsum orationis, quam citius percurrit, fundamentum. Nullus autem in lingua latina versatus repudiabit velut barbara hæc verba *summu sollicitudinis cautio*. Exclamet deinde, quantum voluerit adversarius, ex eo quod verbum *inferre* ponatur cum præpositione *in* et *ablativo*; exclamatio ista hoc solummodo ex dictis indigitat illum parvam habere linguæ latinæ notitiam. — Si autem objiciat hanc sententiam : *Quid eis in Christi mortem, non vitam oleat?* Duo responsa possum afferre, primo quidem hoc irrepsisse mendum scrip-

(1) 1 Thess. ii, 7. — (2) 1 Cor. iii, 1, 2.

toris, quod facillimum est ex dictis circa *m* finalem, deinde vero hanc loquendi licentiam optime excusari ex hac jam laudata Ciceronis phrasi : *Esse in amicitiam populi Romani.* — Criticus autem semper infelix est in corrigendis mendis, aut in reprehendendis nostris correctionibus, ut videtur ex hac clausulo : « Quidquid (legendum » videtur *si quid*, non *adest* com Editoribus). » Graviter enim erravit tribuendo voci *quidquid* nostram correctionem, quæ tribui debet voci *adhuc* proxime sequenti ; hinc credidimus legendum esse *quidquid adest* pro *quidquid adhuc*, unde planus exit sensus, qui nullo modo planus est ponendo *si quid adhuc*. — Ciceronians loquela est ista *verborum iteratio*, et prava vituperatur. — Bene dicitur Christum per suam resurrectionem nostræ resurrectioni *locum præbuisse*. — *Media* autem *fide* vivere dicuntur, qui dimidiatam solummodo fidem habent, nec quidem male. — *Enumerandæ reliquæ species sunt magis quam suffragiis suis prosequendæ*, id est, quam prosequendæ ex iis dotibus quæ ipsis suffragantur. — Si vox *participium* ad jus attinet, non video cur ab Augustino non potuerit usurpari, qui foro sæpius interfuerat, eodem modo quo adhibet verba ad astronomiam, grammaticam et medicinam pertinentia. — Ultima objectio de inferis vana est et ridicula, cum tota difficultas in eo consistat quod verbum *inferi* apud Augustinum, sicut et in Scriptura, secundum duas significationes accipiatur, nempe prout indicant mortuorum etiam sanctorum domicilium, et prout indigitant locum damnatis ad supplicia præparatum. Ergo aut erraverunt Apostoli in symbolo, cum dixerunt de Christo, *descendit ad inferos*, ad visitanda videlicet filiorum animas, aut symbolo Apostolorum non credidit Augustinus! sed satis superque se explicat sanctus Doctor, cum dicit *tantæ beatitudinis sinum non esse quamdam partem et quasi membrum inferorum*, in quibus tormentis cruciabantur reprobi ; cui non contradicit Sermo noster, qui loquens de inferioribus partibus terræ, apud symbolum vocatis *inferis*, dicit animas piorum in inferioribus terræ partibus fuisse, sed non in loco malis damnatisque reservato.

Sermonem XXVII pulcherrimum esse, ut in argumento diximus, nemo est qui post ejus lectionem negare queat. Nec nocet, quod propter codicis defectum una adducatur phrasis, in qua aliquid deesse videtur. Sanare textum ausi non sumus, quia temeritatis notam timebamus incurrere. Si autem tali metu non laborassemus, sic legendam hanc proposuissemus sententiam : « Resurrexit ergo (et quidem bona est hæc consecutio cogitationem scribentis dicentisve intelligenti ; phrasis enim præcedens est explicativa vocis *illuxit*, et conclusio quæ fit per *ergo* cadit in primam sermonis sententiam, ut facillime lector intelliget) ; « resurrexit ergo Christus in carne eadem, » ut idem esse ipse qui fuerat crederetur ; nec, se alieno » corpore rursus induit, sed ut nos in carne resurgere ostenderet, in eadem resurrexit. » Optima quidem lectio, sed quæ a codice parumper discedit, sæpius aliunde corrupto. Corrigatur igitur textus, si placet ; si vero non placet, sententiam a scriptore corruptam esse asseratur, sed non inde totus rejiciatur sermo, quod iniquissimum foret. — *Particeps electorum*, duplici modo potest intelligi, et quidem legitime, id est, *particeps cum electis*, seu potius *particeps bonorum electorum* ; alecta enim quæque dabuntur electis. — Latinitati alienus sane videretur, qui non sciret comparativum sæpe adhiberi pro positivo, ut major vis detur dictioni. — Caro non inepte dicitur *materies et origo mortuorum;* cur enim moriuntur homines, nisi quia caro sunt ? — Quoad verbum *præ lateribus* nihil est quod criticæ ansam præstet ; dicit enim orator ex omnibus terris fictilibus, terram quæ fingitur in carnem, simulacrum esse perfectissimum divinitatis. Quid hic ineptum sit non video. Alia enim simulacra quæ fiunt per coctionem terræ, non possunt ita effingere Dei speciem, sicut caro humana. — Comparatio autem qua *alternantur* (et hæc vox latinissima est) *merita carnis et animæ*, quantum ad cogitandi et dicendi modum, digna est Augustini ingenio. Nec capere possum cur cum puncto exclamationis derideatur *carnis encomium !* diciturque *spiritualia tantopere occupasse sanctum Augustinum, ut otium non habuerit scribendi carnis encomia*, cum inter præcipua antiquitatis christianæ monumenta ponendum sit sublime quod cecinit Tertullianus *Carnis encomium*, in quo hæc pulcherrima legere dantur : « Quem » naturæ usum, quem mundi fructum, quem elementorum saporem, non per carnem anima depascitur? » Quidni ? Per quam omni instrumento sensuum fulta » est, visu, auditu, gustu, odoratu, contactu ; per » quam divina potestate respersa est, nihil non sermone » perficiens, vel tacite præmisso : et sermo enim de organo carnis est ; artes per carnem ; studia, ingenia per » carnem ; opera, negotia, officia per carnem ; atque » adeo totum vivere animæ carnis est... Et hæc quidem » velut de publica forma humanæ conditionis in suffragium carni procuraverim. Videamus nunc de propria » etiam christiani nominis forma, quanta huic substantiæ » frivolæ ac sordidæ, apud Deum prærogativa sit ; etsi » sufficeret illi, quod nulla omnino anima possit adipisci, » nisi dum est in carne crediderit : adeo caro salutis est » cardo. Denique cum anima Deo allegitur, ipsa est quæ » efficit ut anima allegi possit. Scilicet caro abluitur, ut » anima emaculetur ; caro ungitur, ut anima consecretur ; » caro signatur, ut et anima muniatur ; caro manûs impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur ; » caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima » de Deo saginetur ; non possunt ergo separari in mercede, » quos opera conjungit. Nam et sacrificia Deo grata, » conflictationes dico animæ, jejunia, et seras et aridas » escas, et appendices hujus officii sordes, caro de proprio suo incommodo instaurat. Virginitas quoque et » viduitas, et modesta in occulto matrimonii dissimulatio, et una notitia ejus, de bonis carnis Deo adolentur. » Age jam, quid de ea sentis, cum pro nominis fide in » medium extracta, et odio publico exposita decertat ? » cum in carceribus maceratur, teterrimo lucis exilio, » penuria mundi, squalore, pædore, contumelia victûs ; » ne somno quidem libera ; quippe ipsis quoque cubilibus vincta, ipsisque stramentis lancinata : cum jam et » in luce omni tormentorum machinatione lanistur, cum

» denique suppliciis erogatur, enisa reddere Christo vicem, moriendo pro ipso, et quidem per eamdem crucem sæpe, nedum per atrociora quæque ingenia pœnarum? Næ illa beatissima et gloriosissima, quæ potest apud Christum Dominum parere debito tanto, ut hoc solum debeat ei, quod ei debere desierit, hoc magis vincta quod absoluta. Igitur ut retexam, quam Deus manibus suis ad imaginem Dei struxit, quam de suo flatu ad similitudinem suæ vivacitatis animavit, quam incolatui, fructui, dominatui totius suæ operationis præposuit, quam sacramentis suis disciplinisque vestivit; cujus munditias amat, cujus castigationes probat, cujus passiones sibi appreciat: hæccine non resurget, toties Dei? Absit, absit, ut Deus manuum suarum operam, ingenii sui curam, afflatûs sui vaginam, molitionis suæ reginam, liberalitatis suæ hæredem, religionis suæ sacerdotem, testimonii sui militem, Christi sui sororem, in æternum destituat interitum (1).» Quam admirabile carnis encomium! Tertullianus certe non habebat otium carnis encomia scribendi; ad eum sublimes illæ non pertinent sententiæ. Plura sunt dura et intricata; barbara multa, quæ medii ævi ineptias sapiunt; Tertullianus, qui optimis vivebat latinitatis temporibus non usus fuisset verbis istis quæ apud Tullium aut Quintilianum non leguntur, *potestate respersa*, *allegitur*, *contumelia victûs*, *similitudo vivacitatis*, *passiones appreciat*, etc... Quis autem nescit meliori latinitatis tempore vixisse Tertullianum quam Augustinum? Sed de eo argumento satis.

Circa Sermonem XXVIII nihil respondendum, quia nihil serio objectum. Vox *fanaticus* duos sensus habet, et quidem legitimos; sanctus Augustinus adhiboit hanc vocem alicubi in unum sensum; ergo non potuit in alterum adhibere. Stupendum argumentum! — Dicitur Christus fixus fuisse *patibulo*; verbum *patibulo* nimis ignominiosum critico videtor, quasi Christus non omnem voluerit amplecti ignominiæ speciem. Non ita senserant Benedictini, qui sic dixerunt in versione sancti Chrysostomi: «Hodie Pascha nostrum immolatus est Christus. » Ubi, quæso, immolatus? in excelso *patibulo* (2)?»

Sermonem XXIX conflatum esse ex diversis sancti Augustini sententiis diximus, nec magno indiguit labore criticus, ut hoc inveniret, quod ipsi indicavimus. Non tamen cum sermonem prætermittere voluimus, quia in pluribus discrepat, ut legenti patebit. Si ergo discrepet in pluribus, non inutiliter profertur, nec *impudentissime* descriptus est. Placet autem adversario nostro modesta illa et exquisita dicendi urbanitas, cui non urbanitate simili respondebimus.

Sermo XXX philosopho scholastico a critico videtur tribuendus, quia circa præscripta juris loquitur; sed abunde hanc objectionem *dissolvimus*, annotando jam antea nihil obstare quin Augustinus in juventute jurisconsultus, plura de juris stylo fuerit mutuatus; *dissolvimus* autem dico, quia latinissima est dictio, quæ, nescio quare apud oratorem reprehenditur, quod et de verbo *solet* possum affirmare. Adversarius autem noster non acutum habet in interpretando ingenium, qui nullum perspicit sensum in his verbis: «Non parva quæstio apud hoc orantes.» Tollat dictionarium aliquod latinum, et inveniet, *orare*, instanter petere (*demander avec instance*); hinc magna est quæstio apud eos, qui hoc instanter petunt, quærunt, de hoc instanter interrogant. Intelligisne, quæ sine sensu credebas proferri? Unum est quod bene annotasti, et quod libenter corrigam, nempe verbum *potuit*, pro quo melius legeretur *potuerit*; quod a scribis erratum emendes, si volueris.

Sermo XXXI nihil commune habet cum Sermonibus XXVIII et XXX, nisi argumentum; et certe quando aliquis de uno mysterio disserit, non potest aliud argumentum assumere, nisi hoc ipsummet mysterium. Parco autem lectori, consuetas non referens barbariei incusationes, quibus nihil proficitur. Et certe verba *confirmant*, *disposite*, *credulitas*, *annualiter*, *novatio* Ciceroniana sunt. Vox *crevit*, pro qua positum est inter parenthesim verbum (*caruit*), sic a nobis in nota corrigenda indicatur, quod innuere criticus debuerat; tria tantum, perverse scripta, sunt emendanda, ita ut legatur *patri* pro *patris*, *frangerent* pro *frangerint*, et *mortuum* pro *mortuus*. Sed his correctis, quid objiciendum superest? *Hæresim*, dicis. *Hæresim!* Proh nefas! et quæ precor? Caro Christi dicitur *caro peccatrix*. Sed legas attentius. *Caro peccatrix* in duobus Adam mortua est, *caro* vere *peccatrix* in Adam primo, *caro* apparenter *peccatrix* in secundo Adam; quod non minus bene dici hic potuit ac in hoc sancti Pauli effato, *pro nobis Peccatum fecit* (3). Et illud admittas necesse est, cum subito ab oratore addatur: «Cujus vitæ meruit *caro sacra* suffigi.» Audisti-ne verba hæc peremptoria: *caro* quæ pro nobis fuit crucifixa, erat *caro sacra*, non *caro peccatrix*. Caro Adæ peccatrix a Christo fuit ad vitam revocata, confixa cruci hac *carne sacra*, quæ *peccatricis carnis* effigiem assumpserat. Ubi, quæso, imperitia? est-ne in scribente, an in interpretante, et quidem perperam intelligente?

Circa Sermonem XXXII, plura prave reprehenduntur, alia vero, licet aliquam rationis speciem præ se ferant, facillime explicantur. Prave reprehenduntur, particula *vel* quæ legitimum dat sensum, cum Paschæ festivitas sit festivitas fidei nostræ; verba *sanctæ Paschæ*, cum dicatur æque *Pascha*, *Paschæ*, fem., aut *Pascha*, *Paschatis*, neut.; vox *credendum*, quæ optime sonat; hæc phrasis *nihil pollutionis inquinamentum*, cum hoc codicis mendum sit correctum in inferiori paginæ margine cum hac notula: *nihil* pro *nullum*, etc. Magna autem, sed prorsus inanis objectio deducitur ex dicto *carnata majestas*, cum evidentia sit evidentius præpositionem *in* a scriptore fuisse prætermissam; item et ex voce *arculis* quæ legitur in codice, aut *calculis* quam corrigendo proposuimus; nam *arcula*, vox deducta ex arca, est Tulliana, et in omnibus dictionariis reperitur, licet illam criticus non invenerit apud ipsum Ducangium; vox autem *calculus* ab omnibus cognoscitur, ut indicat illos lapides, qui adhibebantur ad dandam sententiam, unde *calculi grammaticorum* idem sunt ac grammati-

(1) Tertull. de Resurrectione carnis, n. 8, 9. — (2) Homil. de Cruce et Lat. n. 1. — (3) 2 Cor. 5, 21.

eorum opiniones; alteratram ergo eligat adversarius, per me licet, quanquam serius attendendo me pœniteat adductæ correctioois, et magis mihi irridest codicis lectio. Non autem me verbi *posset*, quod corrigendo adhibui, pariter pœnitet, quia legitimum est, et non arguitur ab adversario velut a grammaticis reprobatum, nisi quia hic iterum, ut sæpius, sensum auctoris non perspexit. Si enim servaretur *possit*, dicendum esset *nullus est intellectus qui possit*, vel aliter legendum est, *Nullus intellectus posset*. Frustra autem objicitur in aliis sermonibus sanctum Augustinum non fuisse locutum contra Paganismi errores. Quid enim absurdius quam istud ratiocinium: Sanctus Augustinus non locutus est de hoc argumento in iis qui superaunt sermonibus; ergo nunquam de hoc locutus est argumento. Non sufficit asserere sanctum Augustinum alibi hoc argumentum non tractasse, sed oportet demonstrare eum de hoc argumento loqui nec debuisse, nec potuisse; quod certe nunquam astruet criticus. Falso insuper affirmatur expilari in sect. 3 sermonem IX ex Tractatu in quinque hæreses eductum, cum similis tantum cogitatio, et quidem sancto Augustino dignissima evolvatur, sed aliis verbis. Puerilitatis insimulatur comparatio deprompta ex arbore quæ radiis solis collustrata securi inciditur, quin solis radius violetur. Sed talis comparatio non modo non puerilis, sed pulcherrima, et sanctis Doctoribus minime extranea nobis aliisque videbitur. Vox *infulget* durior est, sed quot duriora verba apud Tertullianum ipsumque Augustinum, ut supra annotavimus?

Legi objectiones adversus Sermonem XXXIII excogitatas, ipsum autem sermonem postea perlegi; nihil mihi barbari, nihil inordinati obviam factum est; cumque nulla præcipua astruatur aggressio; sed citatis quibusdam, gratis solummodo asseratur vanam ibi adesse declamationem, quod gratis asseritur, gratis nego. Hoc tantum indigitavero verbum *inchoationis*, et *sub occasione*, quæ italicis distinguuntur, non ita repugnare Augustinianæ latinitati, ut inde respuendus sit sermo aliunde commendandus, cum præsertim nemo est qui nesciat sæpe inveniri apud Latinos scriptores verba *sub obtentu*, quæ huic prorsus dictioni *sub occasione* conveniunt. Mysticæ autem expositiones quæ subnectuntur ita Augustinum sapiunt, ut hinc ansa illas beato Doctori tribuendi, non abjudicandi, detur.

Ita infirma sunt argumenta quibus impugnatur Sermo XXXIV, ut eorum confutationem libenter prætermisissemus, nisi timuissemus ne ex hoc concluderetur nos objecta diluere nequivisse. Orator neophytis locuturus de sacramentis, dicit se magnum pondus assumere, sed tamen non posse deserere rudimenta *infantilis ignorantiæ*. Hoc repugnantia includere critico videtur; qui probabiliter nescit nihil gravius esse quam loqui de mysteriis, præcipue cum simpliciter explicanda sunt ignaris; magna enim requiritur scientia ad rudes catechizandos, ut ipse testis est Augustinus celebri illo volumine quod edidit de Catechizandis rudibus. *Vanas phrases* non propugnandas suscipio, cum sexcentæ possint deprehendi in veris sancti Augustini sermonibus, quibus affigi posset a critico hæc exclamatio gratuita: *Vanæ phrases!* Sed ex eo quod alibi sanctus Augustinus non distinxit inter *panem vivum* et *panem vitæ*, non possum adduci ut concludam sermonem sancto Doctori non esse adjudicandum. Licet enim aliquando easdem refricet sententias, aliquando tamen varias excogitat et evolvit explicationes. Advertat autem lector quam difficile critico satisfiat; si sententiæ in sermonibus nostris adductæ similes sunt Augustinianis cogitationibus, scriptor est impudens falsarius, qui susceptas beati Doctoris sententias amplificat; si non dissimiles, sed variæ occurrant, non sunt beato Doctori tribuendæ. Quis in his ratiociniis non videat præmeditatum omnia in malam partem assumendi consilium. *Displicet* et illi verbum *displicere*, nec magis illi *placere* videtur vox *placet*. Cur autem? non prorsus intelligo. Si autem ut ridiculum oratorem traducere voluit postposita cum puncto exclamationis voce *displicentia*, non feliciter illam ut ridiculam adduxit, utpote quæ latinissima sit et a Seneca usurpata. Non locutus esset sanctus Augustinus *de displicentia*, quando de mysteriis agitur. Ergo mysteria non *displicebant* Judæis, cum prænuntiato Eucharistiæ sacramento omnes Christum derelinquebant, qui Discipulis dicebat: *Numquid et vos vultis abire* (1)? *Displicentia* qua loquitur Augustinus non est sua, sed impiorum malorumve Christianorum, quam confutare bene facit, sicut et quotidie faciunt Christiani prædicatores. Nihil barbari sonant allata ultima verba, sed aliquid perfiditatis præ se ferunt ex parte objicientis, qui non annotavit citatam sententiam defectuosam esse in codice, et in nota emendatam. Cum denique grana vi ignis in panem conflentur, non condemnari potest vox *folles*, siquidem follibus ignis accenditur.

Brevior est Sermo XXXV, et ideo diximus illum videri extemporaneam allocutionem a notariis parum fideliter excerptam. Hinc procedit sane verbum *concupiscite*, quod positum pro *concupiscentis* annotavimus. Sed criticus mendum posuit, correctionem nequaquam, ut sane crederetur hoc mendum editorum esse, sicut et notarii. Cum nomen *neophyti* non sit ab Augustino alienum, male ex hoc concluderetur sermonem hunc illi esse abjudicandum; utroque enim alibi usus, potuit et ibi alterutro pariter uti. Non raro invenitur in ipso Augustino *tantum* pro *tanto*, quamvis modus sequatur comparativus. Irridet autem adversarius noster *lacteam infantiam lactatam per simplicitatem*; quæ quidem irrisio, utrum cum vero consentiat, ex ipsis oratoris verbis legenti patebit. Sic autem dicta concludit: « Dum ergo duo genera lactis sunt, » ut videtis, unum carnale, aliud rationale; carnale, illud » quo aluntur infantes pueri; rationale, quo aluntur in» fantes viri; vos utrumque estis, dilectissimi, et infantes » pariter et viri; infantes, per novam nativitatem; viri » per ætatem atque rationem. Tenete ergo lacteam semper » infantiam per simplicitatem, virilitatem per fidem; ut » quia munus sacrum atque doctrinam, lac rationale, nunc » sumitis, faciat vos esse semper et infantes innocens vita, » et viros ratio perfecta. » Inde lector poterit judicare,

(1) Joan. VI, 68.

quam facile sit, truncata afferendo verba, pulchras in ridiculum tenorem reducere sententias.

Quanto magis examinandis refutandisque critici argumentis incumbimus, tanto minus nos possumus cohibere, quin ejus vel perfidiam, vel cæcitatem admiremur. Expungendus est, ipsius judicio, sermo XXXVI, quia prorsus inutilis est, nec *dici potest quo fine fuerit pronuntiatus*. Et quare? quia nihil est quod *ad confirmandos* aut *corrigendos auditorum animos* conferre queat. De quo autem ibi agitur? ipse enarrat, argumentum rescribens velut inane. Quid autem illud exhibet argumentum? Jonam fuisse figuram Christi morientis, Christi sepulti, Christi resurgentis. Ergo inaniter loquitur orator, qui adimpletas Veteris Testamenti figuras in Christo ostendit. O stupendum ratiocinium, quo damnantur omnes simul religionis defensores, sive antiqui, sive recentes! o quam sæpe ego Christianus orator inaniter locutus sum quando ex cathedra evolvens figurarum veterum mysteria, fidelium *animos confirmare* mihi proponebam! Noli, Augustine, ut sæpius fecisti, Christum cum veteribus Patriarchis comparare, quia post tanta sæcula inanis dissertator audies. Si ita loqueris, ostendes *auditorum salutem* tibi nullo modo *curæ cordique fuisse*. Nun autem iterum critico perfidiam exprobrabo, vocem unam, nempe *qui*, italicis distinguendo, cum in notis correcta sit, quanquam et defendi facile possit; et argumentum deducendo ex duobus verbis, quæ et puncto exclamationis digna reputat, cum nihil aliud sint quam notarii menda, quæ facillime corrigi potuissent, si codicem sæpe deficientem ex integro servare noluerimus, aliqua sagacitati legentium dimittentes. Si autem corrigendi studio nimis indulgere voluissemus, potuissemus, et quidem merito, indigitare, notarium facili errore posuisse *tamen* pro *autem*, quæ sæpius in manuscriptis commutantur, et *multa* pro *antea*, quæ ita forma similia sunt, ut unum pro altero non raro assumantur. Sed ad fidem promerendam maxima debebatur codicibus veneratio, textusque integer, prout legebatur, exponendus erat, nisi corrigendi ineluctabilis urgeret necessitas. Licet autem vox *prædicta* minus exacta sit, tamen excusari potest in oratore extemporaneam habente concionem, præsertim cum actiones sint voces quædam, quibus cogitationes sensibus submittuntur; unde duplex distingui potest prædictionis genus, unum per oris, alterum per operis vocem.

Sermonem XXXVII cum solita perfidia impugnat adversarius, qui primo confiteri debuisset hunc sermonem non a nobis proferri nisi dubitando, cum sic dicamus in argumento: « Utrum parva styli duritas, et illa va» riorum exordiorum similitudo sufficit ad rejiciendam » codicis antiqui et authentici auctoritatem lector videat; » quanquam postea addere operæ pretium duximus: Ego » nec rejiciendum credo, nec audeo rejicere, cum stylus » divi Augustini aliquando durus evadat, et orator Chris» tianus sæpius atque ex abrupto loquens, idem exordium » bis aut etiam ter usurpare potuerit. » Quod autem durior sit aliquando divi Augustini stylus, non ego solum animadvertere præsumpsi, sed ita ante me scripsit, nemine reclamante, Feller in suo Dictionario: « On re» marque dans tous ses écrits (de saint Augustin) un » génie vaste, un esprit pénétrant, une mémoire heu» reuse, une force de raisonnement admirable, un style » énergique, malgré les mots *impropres et barbares* » dont il se sert quelquefois. *Les pointes et les jeux de* » *mots* dont il est semé, surtout *dans ses homélies*, ont » fait sentir *combien il était au-dessous des autres Pères* » *pour l'éloquence*. Il s'arrête sur des *détails de peu* » *de conséquence*, commente des nombres et des me» sures, etc... Il est admirable dans quelques morceaux » particuliers, mais il *fatigue par ses antithèses*, quand » on le lit *de suite*. » Nota, quæso, Feller divo Augustino omnia exprobrare, quæ tu exprobras novis ejus sermonibus; unde fit ut tuas ipsas exprobrationes in authenticitatis argumenta convertantur. — Sed promittit in principio sermonis probationes resurrectionis, quas postea non affert. Quid inde? ex hoc ad summum conclude integrum sermonem ad nos non pervenisse, et quod a nobis editum est nihil esse nisi fragmentum. — Sed in festis Paschalibus ad exprobrationem Judæorum convertitur. Et bene quidem; nam hic erat veterum mos in diebus Paschalibus de Passione a Judæis crudeliter et irreligiose patrata disserere. — Sed præpositio *in* bis contra regulas ponitur. Mortui resurgentes dicuntur apparuisse multis *in civitatem*. Velles ergo quod orator dixisset *in civitate*; non ergo motus erat in iis qui ex tumulis in civitatem pergebant? Christi autem divinitas descendisse *in inferno*; velles sane *in infernum*. At dicta superius revise, et tacere cogeris; quanquam et hic te rogare cupio, ut mihi dicas utrum opus *de Civitate Dei* sancto Augustino abjudicare contendas, quia sic ibi legitur: « Michæas propheta Christum *in figura* ponens » magni cujusdam montis, etc. (1). » — Sed *barbare* dicit *futura æterna monumenta*. Si intellexisses, non hanc emisisses incusationem. Tibi, data clave, sensum aperiam. Sic enim construenda est sententia: « Hæc an» niversaria vota celebramus, ut maneant monumenta » æterna, deinceps futura usque ad consummationem » sæculi. » — Sed *barbarius* dicit, quod tarditas pigra » lentescere (*active!*) posset, etc. » Et ego adhibito rursus admirationis puncto, in hanc exclamationem erumpo: Sic ergo latinum intelligis! sic ergo ab auctoris sensu continuo aberras! Non ita, charissime, non ita; verbum *lentescere* non active assumitur, sed neutraliter. Audi sensum, et errorem agnoscens, erubesce. *Quod* non est pronomen relativum, sed est conjunctio quæ cum accentu gravi *quòd* significat *quia*; non est accentus, quia nostra editio, sicut et tua, accentus nullos habet; in quo nos, sicut et tu, Benedictinorum cæterorumque veterum editorum morem secuti sumus. Sic ergo se habet sententia: « Quòd, id est *quia*, tarditas vestra posset esse len» tior seu quod idem est *lentescere*, ideo per totam ter» ram vestrum scelus nox de medio diei jussa est nun» tiare. — Sed in eadem phrasi alternantur voces *tu*, *vos*, *tui*, *vestri*, etc. Quid probat hæc diversitas, nisi

(1) Augustin. de Civ. Dei lib. XVIII, cap. XXX, n. 1.

ant errasse oratorem ex tempore loquentem, quod ex abrupto loquentibus quotidie accidit, aut scribendo male accepisse notarium? — Sed dicitur *barbarissime plateulis viator, algis halecibus* aut *habenibus*, etc. At media in pagina habes fatales litteras (*sic*), quæ indicant hîc deficere codicem, et absurditates, si quæ sint, scriptori esse ascribendas, non oratori.

Ad Sermonem XXXVIII eædem recurrunt rationes, quæ datæ sunt circa sermonem præcedentem. Quædam quadrant cum sermone appendicis Benedictini 157, cætera differunt. Quæ ad hunc sermonem accedunt, non magis peccant contra numerum phrasis, quam versio Benedictina. Contrarium posset defendi. Numerus enim melius reperitur in duobus adverbiis, quorum prius deest in editis: « Nec prædicare magnifice, nec memoriter enumerare prævaleo. » Diademata autem, zonas, calceamenta, *species* esse ornamentorum quis dubitet nescio, et cur impugnetur hæc dictio prorsus admiror. Cum autem criticus vocem *consistorium* italicis quasi ridiculam distinguat, illum certe nec ipsam Scripturam legisse crediderim, cum in libro Esther de Assuero dicatur: *Ille sedebat super solium suum in consistorio palatii* (1).

Si tam docto critico fides adhibeatur, Sermo XXXIX expungendus est, utpote qui ludicra et hæretica complectatur. Et primo integrum adducitur argumentum, non ut ostendatur vanas esse res quæ tractandæ indigitantur, sed ut concludatur sanctum Augustinum non potuisse tam brevem sermonem edere circa res tanti momenti. Morosus est iste, et cui difficillime satisfiat; si grave est argumentum, vel si leve, pariter illum murmurantem audies. Consilium inclamandi suscepit, et consilio fidelis usque in finem perseverat. Quæ autem sint ludicra videamus. Judæis crudelitas exprobratur; ludicrum est. Cohors Judæorum vocatur *cohors infamiæ*; ludicrum est. *Alapis pollutis* cæsa dicitur Salvatoris facies; ludicrum est; *alapæ pollutæ* quid sunt? Et apud Hieronymum quid est hoc quod dicitur contra Vigilantium de reliquiis Martyrum: « Favilla nescio quæ jacet linteamine » convoluta, ut polluta omnia polluat, etc. (2)? » *Favilla polluta* quid est? Manus et pedes ejus, infixione clavorum, ligno damnantur; ludicrum est. Nox in terram extenditur, Judæorum crimina involvens, dum inferi luce ingressa ad eos recreantur; ludicrum est. Omnia illi ludicra sunt, sive turpia, sive insana, sive crudelia, sive læta. Sed ad graviorem hæresis incusationem attendamus; sic apud oratorem legitur: « Postquam Deum (Judæi) » expulistis ex homine, scelus vestrum clamat in cruce, et » pœnas vestras caro cœpit agnoscere, postquam se Deus » jussit exire. » Ergo, dicit adversarius, divinitas exivit ex humanitate, ut caro tormenta sentiret. Sed revoces in memoriam, precor, quæ de interpretatione sanctorum Patrum traduntur regulæ. Quando verba legitimum possunt sensum assumere, et aliunde certo cognoscitur aliis ejusdem auctoris sermonibus eum recte de fide cogitasse, æquitas et ratio postulant, ut verba objecta in bonam partem convertantur. Porro certum est sanctum Augustinum ea de re bene sensisse, ut patet ex aliis ejus scriptis, nec minus certum est auctorem ipsius sermonis eosdem sensus habuisse. Idem enim, qui hunc sermonem emisit, edidit et sermonem XXXVII, ut legentibus utrumque facile patebit. Hic autem suam magis evolvens sententiam ita loquitur: « Non hic sensus humanus nec Christianus » fallitur animus; *non a Patre relinquitur Filius*; sed » ideo dictum est: *Deus meus, quare dereliquisti me?* » ut ostenderetur quia corporalibus pœnis non tangitur » Deus. » Restat igitur ut hoc unum demonstremus, nempe sententiam scriptoris posse ad legitimam reduci significationem. Nihil autem facilius, si velis intelligere *Deum expulsum fuisse*, quoad specialem assistentiam, et pariter quoad specialem assistentiam *exivisse*, non quoad actualem et realem præsentiam. Sic autem hæc verba interpretanda esse ex eo manifestum est, quod et pariter interpretanda sunt ipsa Scripturæ verba. Si enim Christus exclamat: *Deus meus, quare me dereliquisti?* dicit se derelictum non modo absoluto, sed solum quantum attinet ad specialem assistentiam. Forte autem et hoc ad rebellem convincendam mentem non sufficit. Audi ergo Ambrosium fortiora multo et duriora exponentem: « *Clamans*, inquit, (Christus) *voce magna ex-* » *piravit*. In quo vel professio gloriosa usque ad mortem » se pro nostris descendisse peccatis..., vel evidens mani- » festatio contestantis Dei *secessionem divinitatis et cor-* » *poris*. Sic enim habes: *Deus, Deus meus, quare me* » *dereliquisti?* Clamavit *homo divinitatis separatione* » *moriturus*. Nam cum divinitas mortis libera sit, utique » mors esse non poterat, nisi *vita discederet* (3). » Quid de iis censes verbis? Num abjudicabis sancto Ambrosio expositionem in sanctum Lucam, contra Benedictinorum auctoritatem? vel Ambrosium hæresi infectum declarabis? Una notula totam explanant difficultatem docti editores his verbis concepta: « Respondent P. Lombardus » et sanctus Thomas recessisse divinitatem, quod ad ef- » fectum, id est protectionem subtraxisse; etenim *si* » *non cohibuisset potentiam*, inquit ille, sed exercuisset, » non moreretur Christus. » Discat ergo criticus hæresis labem non tam facile veterum scriptis esse infligendam.

Sermonem XL impugnare prorsus non est ausus, licet illum prorsus admittere noluerit. Positiva requireret argumenta, quasi veteris codicis auctoritas non argumenti vim positivam haberet.

Sermonem XLI Cæsarium sine ulla probatione sapere dicitur; hinc nihil serio objicienti, nihil respondendum.

Idem et de XLII sermone dicendum, qui, licet duobus in codicibus antiquis sancto Augustino tributus, rejiciendus videtur, quia Augustinianæ sublimitati critico videtur multo inferior.

Sermo XLIII de die Pentecostes loquax dicitur et nugatorius, alleganturque in dicti probationem multæ sententiæ, quæ nihil nugatorii, nihil loquacitatis præ se ferunt. Criticum verbis citatis assertionem suam confutare voluisse crediderís. Quatuor voces italicis distinxit; cur autem fecerit, assequi minime potuimus.

Sermonem XLIV, qui nobis visus est supplementum

(1) Esth. v, 1. — (2) Hieron. Epist. XXXVII. — (3) S. Ambr. exposit. Evangel. sec. Luc. lib. x, n. 127.

quoddam sermonis 167 appendicis Maurinensis, ideo admisimus quod in codicibus Florentino et Cassinensi reperitur cum nomine sancti Augustini, et aliunde sermo 167 appendicis a Benedictinis expunctus est ex authenticorum catalogo, nulla solida allata ratione, sed quia habere quippiam auctoris ignobilis visus est; quod certe argumentum non potest avertere duorum antiquorum codicum testimonia. Augustinianæ methodo plurimum conveniunt quæ de partibus mundi dicuntur, cum ex dictis sæpius ludat circa numeros. Quæ autem, italicis adhibitis, irrisui traduntur, non tales sunt ampullæ, qualm apud Augustinum nunquam occurrant. Voces *quadriformis*, *rutilans ignea sanctitate*, *refrigerium sanctificationis*, *amœnatus rorante flumma caminus*, nihil ridiculi complectuntur, cum præcipue verbum *amœnare* sit familiaris sancto Cypriano, qui sicut et Augustinus, latinam africanæ linguam loquebatur.

Sermoni XLV in argumento præposuimus hæc verba: *Manifestus est sancti Augustini stylus*; nec immerito. Rhythmus, qui nobis exprobratur, est præcipua Augustinianus typus ex allatis superius D. Feller verbis, laudatisque exemplis.—Libidinem arieti comparare nullo modo repugnat.—Verbum *minorari* non nisi a nesciente Scripturas dici potest verbum medii ævi, cum quatuordecim vicibus legatur in Veteri aut Novo Testamento, cujus versio vel ante Augustinum existebat, vel a sancto Hieronymo fuit correcta, præsertimque apud sancti Pauli epistolam ad Hebræos, ubi tam nota illa reperiuntur: *Modico quam Angeli minoratus est*(1).— Juxta latinæ linguæ ingenium pariter scribi potest *servare fidem domino suo*, et *servare fidem domini sui*, sicut olim habebatur in Parisiana sancti Dionysii prosa, *hic constructo Christi templo*, quod in nova editione, utrum bene dubito, correctum est secundum adversarii beneplacitum, *hic constructo Christo templo*.—Si oppositio inter verba *in occulto* et *ex integro* non satisfacit critici sagacitati, satisfacit rhythmo, cui sæpius apud Augustinum plus indulgetur, quam foret necessarium.— Satis autem de ablativo post præpositionem *in* disseruimus, ut nihil ibi addendum supersit.—Verbum activum *amplectebat*, quod deponenti *amplectebatur* prætulit auctor propter rhythmum, est latinissimum, legiturque apud Plautum, qui probabiliter non erat medii ævi scriptor; habet autem regimen, quod cæcutiens sane propter vituperandi cupidinem non vidit criticus, nempe *puerum*, quod ab ambobus verbis *diligebat* et *amplectebat* gubernatur.—Posuit auctor *videretur*, non autem *videret*, tum propter rhythmum, tum quia revera dicendum erat *videretur*, ut legenti patebit.—Nulla exaggeratio in asserendo ita mortiferos esse in muliere odores, ut homo velferreus possit ab iis facile moveri; nimis hoc noverunt seductionem viri affectantes mulieres; nimis et ipsi viri seductionis laqueum incurrentes.— Restat ergo singularis assertio, qua Joseph Pharaoni regi servisse dicitur. Sed ad solvendam difficultatem sufficiebat nota a nobis posita ad inferiorem paginæ marginem, cujus hic est tenor: « Non Pharaoni regi, sed ejusdem spadoni, ut » dicit Augustinus quæst. in Genes. CXXXVI, servivit Jo» seph; unde credendum est aut sanctum Doctorem lo» quendo lapsu memoriæ, aut amanuensem scribendo » attentionis defectu errasse. » Quid autem frequentius apud Patres quam leves isti defectus? Sic, ut loquar solummodo de quibusdam, quos in nostra Collectione correximus, vide tom. 71, fol. 537, sanctum Chrysostomum Zachariam pro Aggæo laudantem; tom. 72, fol. 592, primam beatitudinem esse lacrymas dictitantem; tom. 88, fol. 987, Joseph centum annos natum fuisse asserentem, cum mortuus est, licet juxta Scripturam annos decem supra centum attigisset. Quid ad hæc Benedictini? Erravit notarius, aut humanum aliquem memoriæ lapsum passus est orator; nec ideo has Chrysostomo abjudicant homilias. Audi autem quid de eodem Joseph domino pronuntiet in Psalmo XLVIII, n. 9, tom. 79 nostræ Collectionis fol. 337: « Uxor Pentaphræ Ægyptia annon erat regina? » annon toti Ægypto præerat? annon maximam habebat » potestatem? » Quid iterum ad hæc Benedictini? Est trope, est inusitata figura, est exaggeratio oratoria; nec idcirco Chrysostomum ab hac oratione alienum declarant.

Sermo XLVI aliquas habet sententias, quæ ad tres sancti Augustini sermones accedunt, et inde ejus arguitur, nedum impugnetur authenticitas. Objectiones nullæ. — Bene proferuntur hæc verba, *cum Christus aspiceret, et cum videret*, nec ita sagacem animum a Deo sortitus sum, ut in quo hæc dicta claudicent, possim apprehendere. — Alia ista verba: *Sycomorus ficus fatuæ sunt*, juxta latinitatis regulas defendi possunt, cum *ficus fatuæ* plurali numero adducantur.—Nulla insulsa *epexegis* (quanta doctrina!), si orator auditoribus evolvat naturam arboris in regione ubi loquitur penitus ignotæ, et prudentius inde insinuabitur, ut fecimus nos, ex eo quod sermo habitus fuerit in Africa, clarius apparere Augustinum ejus esse auctorem.—Sed advertat lector continuam critici perfidiam. Codex deficiens negationem affert, quæ orationis sensum impedit; negationem hanc nec probare possumus, nec propter codicis reverentiam penitus tollere. Hanc ergo intra parenthesim ponimus; ut intelligat lector illam verum esse mendum, et pro nihilo computandam. Ipse autem scribere non veretur; (*sic editores*); ut credatur sane ab iis qui ad textum non possunt recurrere, editores in absurditatem incidisse. De quo quid judicet lector videbit.

Non paraphrasis est sermonis 273 et 275 Sermo XLVII, sed diversa est oratio, quæ ejusdem auctoris cogitata aliter expressa complectitur. Criticus qui valde obtusam videtur habere intelligentiam, cum latinorum verborum assequenda est significatio, exclamat post voces *inexplicabili affectu* (Sic sine verbo!), et non attendit bene verbum et clare exprimi, imo et duplex occurrere, nempe *amplecti et osculari vellemus membra* martyris, et quidem *inexplicabili affectu*. Nec capere potest quomodo sit *inexplicabilis affectus* erga Vincentium *in tantis virtutibus*; at certe tantæ illæ virtutes causæ sunt præcipuæ, cur tantus sit affectus ut explicari ne-

(1) Hebr. II, 9.

queat. — Non male dicitur, sed bene, sed optime martyri *naturæ arreptam esse figuram*, qoi jam bomiois figuram non babebat, et ussa ejus *esse extendendo separata* io equuleo, *exarando nudata* cum ferreis pectinibus. — Adverbium *perniciter* italicis distinctum displicoit sane critico, sed perperam, cum a Tito Livio, qui sane latinum callebat idioma, fuerit usurpatum. In fumum ergo evanescuot omoia contra hunc sermonem coogesta argumenta.

Sermo XLVIII ideo rejicitur ab adversario quia rhythmis abundat; sed qoia rhythmis abundat, ideo a nobis admittitur. Omnes enim genuini sermones de sancto Vincentio, de quo bic noster disserit Doctor, rhythmis pariter abundant. Sic incipit primus post unam iotrodoctivam phrasim: «Vicit in verb*is*, vicit in pœn*is*; vicit in coo- » fessi*one*, vicit in tribulati*one*; vicit exustus igni*bus*, » vicit submersus flucti*bus*; postremo vicit tort*us*, vicit » mortu*us* (1). » Secundus sic quasi ab initio se habet: « Erat videre invictam martyris animam contra insidias » antiqui host*is*; contra sævitiam impii judic*is*, contra » dolores mortalis carn*is*, acerrima conflictatione certan- » *tem*, et in adjutorio Domini cuncta superao*tem* (2). » Tertius ita exorditur: « Io Passione, quæ hodie nobis » recitata est, evidenter ostenditur judex ferox, tortor » cruent*us*, martyr invict*us*, in cujus corpore pœnis » variis exarato jam tormenta defecer*ant*, et adhuc mem- » bra durab*ant*. Tot convicta miraculis persistebat im- » piet*as*, tot vexata suppliciis, oon cedebat iofirmit*as*; » agooscatur ergo operata divioit*as*. Quando enim cor- » ruptibilis pulvis contra tam immania tormenta dura*ret*, » nisi io eo Dominus habita*ret* (2)? » Quartus vero hæc in principio exhibet: « Qualis decoris babebat Spirit*um*, » cujus fuit et cadaver invic*tum*? Domioum coofessus » est viv*us*; inimicum superavit et mortu*us*. Quid pu- » tamus, fratres, quod istum honorem providentia et » consilium omnipotentis Creatoris cum etiam defuncto » corpori detul*it*, martyri aliquid præstit*it*? Quid enim? » si noo sepelire*tur*, ignorabat illa unde suscitare*tur*? illi » et in victoria coro*na*, et in resurrectione servata est vita » æter*na* (3). » Post talia exempla repudiare sermonem de Vincentio ob hanc solam causam, quod rhythmis abundat, quid est nisi publice confiteri aut magnam in legeodo Augustinu incuriam, aut majorem in vituperando malitiam.

Nihil complectitur Sermo XLIX, quod illum sancto Augustino indignum possit ostendere. Si aliquid declamatorium exhibet, optime potest supponi hunc esse fœtum junioris Augustioi, cum certum sit beatum Doctorem ex rhetorices studio nuperrime exeuntem, oon statim perfectionem, amissis subito prioribus defectibus, attigisse. — Verbum *crapulari*, non modo Augustinianum est, sed et Biblicum, juxta illud: *Tunquam potens crapulatus a vino* (4). — Vox neutra *pejus*, quam criticus probabiliter supponit esse *adjectiva*, et minime qoadrare potest cum substantivo masculino *ventum*, *adverbium* est, ab ipso Tullio usurpatum; quod si minus placet, admittat criticus mendum esse scriptoris, et mutet *pejus* in *pejorem*; oon obsisto; sed mutatio non est necessaria. — Phrasis ista: *Da sufferentiam timori*, non barbarum sonat; rhythmusque solitus Augustino authenticitati plurimum favet. — Restat igitur ex omnibus directis contra nos telis, unum mendum typographicum, qoo scriptum est *certari* pro *certare*, quod corrigas.

Miserrimum esse Sermonem L prooontiat criticus, et annotare prorsus negligit illum tamen trium codicum auctoritate firmari, quod certe non erat sileotio prætermittendum. Exordium quod breve est, et conclusionem quæ est brevior citat, sed consuetæ insistens malitiæ, ipsum dimittit sermonem, imo et ultima verba referens, plura omittit, ex quorum absentia fit ut nullus supersit sensus. — Exclamationis punctum hoic affigit sententiæ: « Non valet, nec immerito! » ubi quæ sit exclamationis causa non deprehendo. — *Laudem* Pauli *laudare* evidens est scribentis erratum, sicut et *præcedentium patrum* pro *præsidentium*, et *vestigia imitantes* pro *vestigia sectantes*. Hæc sane corrigere debueram, sed tanta in hoc sermone codicum menda sustuli, ut quædam alibi occupatam mentem fefellisse non ita mirum videri debeat. Gratias autem critico, qui ad textum expurgandum in quibusdam lumen suppeditat.

Percurrat lector sermonem Benedictinum 279, et illum cum Sermone nostro LI conferat, et aperte videbit non unum esse alterius paraphrasim, sed utrumque esse ejusdem oratoris fœtum, easdem cogitationes, ut sæpius de eadem re disserenti accidit, alio modo refricaotem. — Vocem *tenuiter* impugnas; sed Tulliana est. — Impugnas et vocem *Evangelistas*, quia alibi dixit Augustinus *Evangelistas* et *Apostolos*, quasi *Apostoli* oon fuerint *Evangelistæ*, aut sanctus Augustinus necessitatem habuerit semper et ubique de alterutris loqui. — Utrum bene vel male scindatur sermo io uno codice, non autem io altero, nihil prorsus ad authenticitatem confert. — Subaudiendum putavimus verbum *prodesse*, quod facillime omitti potuit, sicut et multa alia apud probatissimos codices aliquando omittuntur. — Hæc verba: *Non ista dilatio mea sit inflatio*, criticus italicis distinxit, ut puto, quia illa oon intellexit; sed mihi significari videntur qood *ista* dicentis *dilatio* oon debet fieri *inflatio*, id est, iræ causa audientibus. — Quod *parodiam de theatro* vocat, nihil aliud est quam pulcherrimam eloquentiæ figuram, qua orator supponit se ab auscultantibus interrogari, et illis solutionem difficultatum evolvere. Si talis figura, quæ ita sæpe apud probatissimos sermocinatores reperitur, *parodia* est *de theatro*, quot *parodiæ* apud Christianos prædicatores, et quot suscitata ab initio io Ecclesia theatra. — Phrases quas duobus in columnis oppositis repræsentat, easdem cogitationes complectuntur, sed non iisdem verbis conceptas. Hinc non modo uoo nocent, sed potius favent authenticitati sermonis. — Exclamat et stupefactionis notam apponit voci *jamdudum*, quippe quod hic significet *jam antea*; et nescit sane hoc verbum ita acceptum, esse omnino Augustinianum, ut patet ex uno sermonum, quos hic non legendo forsan allegavit: » Et dixeram jamdudum, quia caput in cœlo est,

(1) Serm. CCLXXIV, n. 1. — (2) Serm. CCLXXV, n. 1. — (3) Serm. CCLXXVI, n. 1. — (4) Serm. CCLXXVII, n. 1. — (5) Psal. LXXVII, 65.

» pedes in terra (1). » — Similem affigit notam voci *forte*, quamvis vera sit et legitima, cum adducta comparatio sit accommodatitia, non litteralis. — Si in Sermone Benedictino voa *prorsus* verba Pauli bene afficit, non minos bene hic afficit verba auctoris, cojos talis est sensus, Esto foerit minimus, tamen fuit saluberrimus. Optime a Domino dicitur *ignorata mulier*, sed figurate, cum Christus quasi dubitando dixerit : *Quis me tetigit?* quanquam apprime sciret a qoa foerat tactus. Hinc licet *plus quam satis* de boc sermone dixisse sibi videatur criticus, non satis ad coovincendos omnes certissime dixit.

Nullibi magis apparet ejusdem malitia, quam in suo de Sermone LII jodicio. Primam enim phrasim allegans, statim addit : *Ne constructio quidem grammaticalis cernitur.* Et simul non refert hæc nostra verba : « Unicus » nobis occurrit codex, et quidem in multis deficiens, » atque ideo corrigendus in multis. » Non affert nostram ad hæc verba notam : « Sic codex; plura verba videntur » abundare; legendum esse crediderim : *Recte primum » nomen in eo persecutoris agnoscitur.* » Quo nomine talia vocetur perfidia, ipse pronuntiet lector. — Editores Collectionis selectæ in absorditatem delapsos, posito exclamationis puncto, supponit, qui verbum *faceret* addendum unæ sententiæ judicaverunt, et non attendit hoc aut simile verbum ita esse necessarium, ut eo detracto, nullus jam subsistat sensus. — Ultima autem verba critici integra sunt referenda, ut clarius pateat quæ sit eloquentiæ notitia io eo qui ubique exagitat *eloquentiam sæculi in decrepitam senectutem delapsi.* Auctor dixerat, et facunde quidem : « Video, beate Paule, quibus » corona debetur meritis tuis; sed respiciens, quod fuisti, » agnosce; Dei dona sunt ipsa merita tua. » Quibus hæc sapienter simul et urbane addit adversarius : « Tu-ne, » simia, in mentem revocas Paulo, quid debeat *agnos- » cere.* » Cui respondeo non memoratis eloquentiæ regulis, qua sæpe adhibetur ista figura, unde admoneri videtur quidam etiam sanctus, non de eo quod facturus est, at de eo quod fecit, ut virtus inde clarius elucescat, sed opposito ipsius sancti Augustini exemplo sic Paulo loquentis : « Accepisti ergo, Paule, quod tibi non » debebatur. Dic jam securus quid tibi debeatur, dic » jam... dic Domino tuo, dic securus, dic certus, dic » fiducia plenissimus : Ego eram antea in malitia mea, » usus sum indebita misericordia tua; corona ex debito » munera tua (2). » O Augustine, quam audax es! tu ergo revocas in mentem Paulo non solum quid debeat agnoscere, sed et quid debeat dicere!

Quæ de Sermone LIII dicit criticus injuria est, non ratio. Non placuit nobis Benedictinorum judicium, præsertim cum non inter manus haberent argumentum novum illis prorsus ignotum. Ad hoc nihil respondetur, nisi ista : « Argumentis suis refutare student Benedicti- » nos, qui, *quando tales adversarii litigant*, advocatis » non egent. » Suscipiat, quæso, criticus humillimas pro sua urbanitate gratias; videat autem lector, si talia ad confirmandam veritatem sufficiant. Unum additur petendo, an Augustiniana sint hæc verba : « Quid est » quod rugientis poli mugit arcanum; » cui respondemus nihil prorsus obstare quin hæc sint Augustiniana, cum nec contra grammaticam, nec contra fidem peccent.

Sermonem LIV eloquentiæ fervorem habere non negat criticus, imo et esse veteris alicujus Patris, sed ita infensus est ineditis sermonibus, ut illos paratus sit cuilibet Patri potius tribuere quam Augustino. Integram affert paginam, cui laudes tantummodo competunt. Quid igitur supersit quod annotetur non video, nisi ineptam hic etiam esse interrogationem, cum ita sciscitetur criticus : « Si penitus voluerimus effugere *maculam*; (quamnam?)» Cui respondemus : *Omnem.* Sic Latini loqui solent, ut quando substantivum indeterminatum ponitur, omnia in se complectatur. Dicitur ergo *si voluerimus effugere maculam*, sicut et quotidie dici potest : *Si voluerimus effugere peccatum?* cui dicto absurde subnecteretur hæc questio : *Quodnam?*

Sermo LV ea codice multum defectuoso extrahitur, cujus menda non nisi difficillime corrigere potuimus, imo nec potuimus semper. Hinc multa dura sunt, quæ plana forte essent, si vera adesset lectio. Hinc crederem non fuisse primitus scriptum *impetus*, sed *sonitus*, non *roseosque*, sed, *virgineosque*, non *colles*, sed *calles*; non *Herodias*, sed *Herodiadis filia*; non *transfudit*, sed *transfluxit*, nisi mavis *se transfudit*; non *in longum elongetur*, ubi manifestus deprehenditur scribentis error easdem litteras iterantis, sed *in nimium* aut *in infinitum.* Hæc, quæ emendare non ausi sumus, reformare si audeas, nihil jam inepti remanebit. Nam Davidis vox prophetica non male nominabitur *regulis fistula*; latinissima sunt verba *urget terram*; optime scribitur *distortam perfidiam corrigite*; Tullius dicere non dubitasset *torvo contempsit vultu...., impudicis rotata flexibus..., cupido per impuras lasciviæ epulas solvitur..., ne nostrum populo Dei otiosum videatur officium..., prænotata statim astringo.* Hæc certe non barbarum sonant, nec librariorum arguunt fraudem. Remanent verba *cujus causa proponitur*, quæ corrigendo, ut potuimus, ex inintelligibili sententia extraximus, et quæ aut accipere potest criticus, aut rejicere, quin ulla exurgat de authenticitate dubitatio, cum mendum patens adsit.

Sermo LVI ideo sapere medium ævum asseritur, quia, ut critici verbis utar, *cantillat*, id est, probabiliter ex allatis exemplis, quia rhythmum continuum prosequitur. Quæ objectio, quantum aut potius quam parum valeat ex antea dictis satis demonstratum est. Loca citata nihil exhibent quod Augustino non conveniat, nisi forte vox *præsidia*, quam mendosam puto, et pro qua mallem legere *præsidium*, aut potius aliud fœmininum substantivum, ut servetur rhythmus.

Sermo LVII ab ipso critico Augustinianum esse agnoscitur, de quo exinde nulla remanet difficultas; sed cum timere videtur, ne aliquem forte ex hoc superbiæ sensum percipiamus, multas et etiam graves intermittere curat incusationes. Nostram primo fidem in dubium revocat, quod nunquam diximus, ut P. Frangipane,

(1) August. Enarr. in Psal. xc, n. 8; — (2) August. Serm. ccxcix, n. 6.

codicem esse lacunis interceptum ; et certe non potuimus dicere, quod non erat ; sed innumeros ejusdem codicis errores corrigere aut indicare nunquam neglesimus. — Mendum aliquod suspicatur in hac sententia : « Sed » quem vides hominem, Joanne major est, et tamen » non est dignus solvere corrigiam calceamenti ejus. » Huic plane judicio assentior, et libenter legerem : « Sed » quem vides, homine Joannes major est, » quo posito, omnia optime quadrant. — Eadem attingere Augustinum, ac pluribus aliis in locis, agnoscit, sed simiam ibi non videre dignatur ; dicta tamen quædam omittit tanquam superflua, sed quæ leguntur in codice. — Citat hæc verba : « Rapina est usurpati, sicut » Adam ; rapina illi facta sunt ista ; » et addit : *In his verbis depravatio est.* Sed nulla adest depravatio ; defecit solummodo legentis intellectus. Sensus enim est, æquare se Deo esse rapinam usurpati, sicut fecit Adam, cui ista facta sunt rapina, quod æqualem esse Deo voluerit. — Huic sententiæ, quæ legitur ita in codice : « Ista » suggestio *homini Diabolus* fecit per suam superbiam » participem ; » istam correctionem afferre tentavimus : « Per istam suggestionem hominem Diabolus fecit super» biæ illius suæ participem. » Aliam proponit criticus dicens : « Ista suggestio *hominem Diabolo* fecit per suam » superbiam participem. » Quam certe correctionem minime rejicio, modo non affirmetur illam codicis vestigia satis presse secutam esse, cum in duobus verbis a codice dissentiat. Mihi tamen placet illa, eamque inter errata admittere, veritatis solius sectator, propono, cum dehinc mutationa necessaria verbi *tuo* in *suo*. Incusatur inferius vox *ergo*, quæ legitime additur, sicut et conclusio, quæ nihil aliud est quam resumptio propositionis et confirmatio argumenti. Quod in parenthesi concluditur utrum sit glossa alicujus lectoris, an scriptoris explicatio, videant doctiores ; ego dubius remaneo.

Percurrat lector Sermonem LVIII, et intelliget quam mutationem afferre possit malitia varias partes truncando, ut omnia irrisui exponat. Videbit enim *æquali fide* honorandos esse ambos Apostolos ; *perpetuitatem cœlestis gloriæ mundum universum bene confiteri*, dum in Apostolis *vitæ sæculorum*, id est, vitæ præsentis *finem recolit ;* optime et eleganter dici Petrum, ex piscatore irrationalium, piscatorem hominum factum *non posuisse retia, sed mutasse ;* eum deinde *fontes potius amasse quam maria*, nec *tam abstraxisse quos occideret, quam mersisse quos levaret*, aut *lavaret ;* nam utrumque dici potest, et utrumque lectoris judicio dimisimus, quanquam criticus mendaciter asserat nos maluisse *lavaret*, qui solummodo diximus : *Forte lavaret*, et quidem in nota, relicto in textu *levaret*. Quoad autem verba *rabiosam feritatem obsecundans*, nihil aliud offerunt quam correctionem vocibus inintelligibilibus et mendosis propositam, quæ vel admitti vel rejici potest, sine authenticitatis præjudicio ; non hoc indicare neglexisset recti judicis fides, quod dissimulavit judicis iniqui perfidia. Rebus autem attentius perpensis, adhibitam correctionem non sufficere fateor, et loco hujus incorrectæ sententiæ quæ in codice scribentis incuria legitur : *Etiam canes regiosa feritas obsecundans*, hanc versionem potius proponerem : *Istius canis rabiosam feritatem obtundens*, ex qua perfectus emicat sensus. Transeat vox *centupliciter*, quæ vel explicari potest, vel male scribenti notario facillime, ut videtur, attribui. Hinc licet in veteribus codicibus *bona mixta sint malis*, non admitto in his tam pretiosis libris, ex quibus omnia Doctorum opera sunt extracta, *mala* ampliore numero reperiri, nec inter *mala*, quæ aliquando offerunt, pulchrum hunc sermonem deputabo.

Sermoni LIX *de Piscatione Petri* plura objici videntur, quæ tam bene dicta sunt, ut italicarum rationem litterarum non perspiciam. Sic *in ejus navicula*, nempe Petri... ; *hoc est, quod in ipsa in qua erat navicula non vivificari soleant homines, sed trepidare vestigio...; cum in verbo Petrus laxat retia, in Christo utique laxat eloquia...; eum in dicto præceptoris lina explicat, in nomine Salvatoris verba dilatat...* ; quid in his vituperetur nusquam apparet. Tria igitur remanent, quæ evidentissime mendosa sunt, nempe *Evangelicum capitulum disseramus* pro *in Evangelicum capitulum disseramus, salvat et retentat pro servat et retentat*, et *animantia servare* pro *animantia salvare*, quæ prave leguntur in codice. Ultimus autem hic error eo magis ibi patescit, quod eidem phrasi alterum insit mendum, quod correximus ponendo *animantia* pro *amantia*. Imo eo magis excusandus est hic notarii error, quod de Petri Apostoli piscatione cogitans, salutis idæam in animo fixam tenebat, unde facillime potuit non attendere ad mutationem verbi *salvare*, sicut et nos eidem aliis corrigendis addicti non satis attendimus.

Sit Augustini Sermo LX, non obstantibus critici conatibus, qui rhythmos tantum exprobrat, in quibus argumentum potius pro nobis, quam objectio contra nos reperitur.

Sermo LXI nobis ex veteris nostri codicis auctoritate jure et merito restituendus videtur Augustino, sicut et sequens LXII, maxime cum stylus ad Augustinianum accedat, et aliunde festum Machabæorum non Romæ celebraretur Leonis tempore ; quod certum esse deprehendisset criticus, si Leonis editionem a fratribus Ballerini emissam adire solummodo voluisset, priusquam nostram damnare præsumeret sententiam. Sic enim habent docti editores, qui, ut videbitur, Ptolemæi Sylvii (sæculi IV) calendarium optime callebant : « Adde quod hic sermo solemnitatem » Machabæorum in ea urbe, in qua habitus fuit, cele» brem indicat. In Africa quidem celebris fuisse cognos» citur tum ex Carthaginensi veteri calendario, quod » Mabillonius in Analectis vulgavit, tum ex Augustini » sermone CCC et CCCI, de eodem festo editis, qui ejus » quoque sermonis eum auctorem confirmare queunt. At » Romæ Leonis ætate nullum de Machabæis festum ce» lebratum fuisse ex eo colligitur, quod nulla ejus festi » missa notetur Kal. Augusti, non solum in antiquissimo » Sacramentario Leoni attributo (quod secundo tomo re» cudetur), verumetiam in puriori Sacramentario Grego» riano, quod ex duobus MSS. Ludovicus Muratorius » typis impressit Liturgiæ Rom. vet. tom. II. Quod si in » vulgato Gelasiano istud festum astruitur, hoc non esse » purum Sacramentarium Gelasianum, et nonnulla pos-

» teriora additamenta recepisse certum est, inter quæ re» censendam esse Missam de Machabæis, ex ipso Missæ » hujus defectu in posteriori Sacramentario Gregoriana » quisque intelliget. Additio autem hæc induci potuit ab » aliqua Ecclesia, ubi Machabæorum festum peragebatur » in Gallia, unde eorum festum signatur in calendario » Ptolemæi Sylvii, quem Gallum scriptorem fuisse, et » scripsisse in Gallia probabimus in observationibus ad » sermonem LXXXIII, n. 4. Accedit inscriptio a pluribus » edita, et uovissime recusa a P. abb. Monsanato in opere » de Catenis sancti Petri, p. 48, in qua de templo sancti » Petri in vinculis, hæc inter cætera leguntur :

» Hoc Domini templum Petro fuit ante dicatum ;
» Tertius antistes Systus sacraverat olim :
» Civili bello destructum post fuit ipsum.
» Eudoxia quidem tatum renovavit ibidem :
» Pelagius rursus sacravit Papa beatus,
» Corpora sanctorum condens ibi Machabæorum. »

» Si hæc inscriptio esset antiqua, genuinamque referret » historiam, ita ut ante Gregorium Machabæorum cele» britas sub Pelagio Romæ cœpisset, adhuc sermo Leoni » tribui non posset. Tandem formula *charissimi*, quæ » initio capitis III inseritur, Augustino quidem familiaris, » a Leonis autem consuetudine alienissima est ; hocque » indicium sermonem Leoni suppositítium fuisse vehe» mentius confirmat. » Advertat ex hac citatione criticus indoctos Collectionis selectæ editores aliqua tamen adisse volumina, argumentaque aliqua expendisse, priusquam in publicum opus grande emitterent. Quod si ipsi minus placet nostra Sermonis LXI fini apposita annotatio, circa parvum additamentum huic orationi affixum, illud fit sane ex eo quod nostram, ut sæpius illi accidit, cogitationem non sit assecutus. Hoc autem dicere intendimus, virum hunc, nescio quem, cui mens fuit hoc additamentum annectere sermoni, putasse illum esse Augustinianum, cum illum voluerit, si ita loqui fas est, Augustiniane concludere ; quod quidem nihil absurdi ipsis præberet Benedictinis, si ex suis tumulis emergerent.

Sermo LXIII non a nobis tantum, sed a fratribus Ballerini Augustino tribuitur ex Vaticanis codicibus, et ipsi critico videtur *paulo magis ad Augustinianam consuetudinem accedere*, quod in ejus ore sufficit, ut vere Augustinianus declaretur. Non autem vult onerare suas paginas speciminibus quæ ex notis operibus peti possunt, unde sequitur necessitas habendi editionem sancti Leonis cum ejus editione, si quis vult totum legere Augustinum. Nos autem totum Augustinum legentibus tradere curiosi, hos sermones, licet in Italiana jam editione impressos, excudere rursus debuimus. Cur enim, si talis valeret ratio, excudit iterum opera Augustini, cum omnia ex Benedictina editione peti possent ?

Sermonis LXIV fragmentum expromit nihil particulatim objiciens, quia nihil sane objiciendum occurrebat. Judicium solummodo absque ratione profertur, quod recusamus quoadusque contraria enumerentur argumenta.

Sermo LXV *de Pœnitentia* pius est, et omnia italicis objecta non inficias eunt, quin Augustino tribui possit, cum vel similia apud ipsum reperiantur, vel aliunde possint excusari vel mendosæ queant scriptioni imputari. Sic repetitio *Evangelica lectio cum legeretur*, non semel apud Patres occurrit. — Vox *inquit* absolute accepta, apud Augustinum frequentior est. — Non male dicitur *Christum arbitrum omnium esse causarum*. — Verba *præveniamus Deo*, consentanea sunt his Scripturæ verbis : *Æthiopia præveniet manus ejus Deo* (1). — Latinissima est hæc dictio : *Ad periculum pertinet* ; sicut et *redimere causas negligentiæ*. — Conjunctio *ita et nos* non solum legitima est, sed necessaria. — Vocem *omnium* mutet in *omne* criticus si voluerit. Codex habet *omnium*, et vox ista admitti potest sine ulla codicis emendatione. — Dura hæc videntur *adhuc additur ut*, sed possunt defendi, præcipue si supponas potius esse legendum *sed ad hoc additur*. Græce ergo loquatur licet, ad scientiæ ostentationem criticus, non multa ex omnibus ejus objectis subsistent.

Risum, fateor, tenere non potui, cum perlectis Sermonis LXVI vituperationibus, hanc conclusionem, cujus nemo non pene insanam mirabitur exaggerationem : « Talia inscribuntur sancti Augustini nomine, per blas» phemiam majorem, quam *quales ab hostibus fidei » unquam in eum conjectæ sunt.* » Et quid est ergo quod omnes blasphemias præteritorum hæreticorum transcendit ? quia annotat auctor, quod novo miraculi genere jumenta cum hominibus jejunantia placandæ divinæ justitiæ inservierunt. Sed quid aliud facit ille, quam ipsa evolvere Scripturæ verba : *Homines et jumenta, et boves et pecora non gustent quidquam, nec pascantur, et aquam non bibant; et operiantur saccis homines, et jumenta, et clament ad Dominum in fortitudine* (2) ? Quam lepide postea a critico deridentur hæc verba : « Deus juste commotus hominum pecorumque » jejunio, commixtis vocibus placaretur, » quæ solam paraphrasim Scripturæ oraculorum complectuntur ? Quid mirum si solitis utens Augustinus oppositionibus, exclamat : « Novum miraculi genus ! quod homines solent » præstare pecoribus, pecora hominibus præstiterunt ; » id est, servare solent pecora homines, nunc ad servandos homines pecora aliquid de suo contulerunt. Blasphemiam quæro, quæsitam non invenio. — Sed non potuit jejunium appellare *salubrem sacerdotum institutionem* ? Quidni, si alibi idem ipse doceat ? Audi illum in Epistolis loquentem : « Sed quoniam contingit maxime » in Africa, ut una Ecclesia, vel unius regionis Ecclesiæ, » alios habeant sabbato prandentes, alios jejunantes, mos » eorum mihi sequendus videtur, *quibus eorum populo» rum congregatio regenda commissa est*. Quapropter » si consilio meo... libenter acquiescis, *episcopo tuo* in » hac re noli resistere, et quod facit, ipse sine ullo scru» pulo et disputatione sectare (3). » Nonne hic clare admittitur in jejunio *salubris institutio sacerdotum* ? — Vox *culta* mihi mendosa visa est, sed corrigere non sum ausus supponendo hanc vocem brevius scriptam esse pro *cumulata*, quam correctionem potes, si velis, admittere. — Philosophorum hic nullæ canuntur laudes ; eorum tan-

(1) Psal. LXVII, 32. — (2) Jon. III, 7, 8. — (3) August. Epist. XXXVI ad Casulan. n. 32.

tummodo adducitur exemplum, observando talia jejunia nullam parere animabus quas purgare voluit utilitatem, sed solam macerare carnem. Nescio autem quo sensu intellexerit *æthereos*, de quibus auctor loquitur, *animos*. Evidens mi sensus, cum *ætherei animi*, id est, animæ spirituales opponantur *corporibus terrenis*. Ergo credit doctus noster criticus philosophos habuisse *carnales* animas, non autem *æthereas*! ergo absurde loqueretur Augustinus, si sit hujus sermonis auctor, æthereas animas carnalibus opponens corporibus! certe, quando tam perverse verba latina assumuntur, ridendi subrepit cupido his auditis verbis: « Augustinusne in sacro suggestu tam » sublimia loqueretur *de æthereis animis philosopho-* » *rum*? » Quam sublime encomium canit, qui philosophum non irrationales bestias esse affirmat! — Errore typographico irrepsit vox *tam* ante hæc verba *fuit timoris astutia*, quam corrigas legendo *tanta*.

Sermo LXVII partim jam editus apud Benedictinos, ita ab emisso differt, ut propter allatas in nostro argumento rationes, unus sit admittendus, alter autem rejiciendus. Hinc rem minime habemus judicatam, sed judicio lectoris ipsa relinquitur.

Sermonem LXVIII adeat lector, et videbit ipsa sua experientia hunc, ut critici verbis, alibi adhibitis, utar, non eloquentiæ fervore destitui. Figuram rhetoricam, quæ vocatur *iteratio*, hic adhibet scriptor. Deinde quod annotare neglexit, nec immerito, vituperandi curiosus criticus, pluribus interjectis sententiis, eamdem iterationem repetit interrogantis quæstionibus respondens. Unde omnia verba, quæ iterantur, non ridicule adhibentur, ut in fragmento hic allato, sed duplicem exhibent sententiam, cujus prior quæstionem habet, posterior vero responsionem. — Nihil etiam ridiculum si asseratur *incauta simplicitas ipsa sua simplicitate decipi*; repetitio enim vocis *simplicitas*, recta est, et vituperationi nullam præbet ansam.—Nihil iterum quod reprehendatur in hac phrasi: « Falsus amicus molitur » negotium crudelitatis, sub imagine charitatis. »—*Intolerabilis miserrimi sermonis loquacitas*, nec mihi talis visa est, nec aliis sane talis videbitur. Hæc injuriæ sunt, non demonstrationes. — Nec quasi irridendo nobis exprobret, quod non hic, sed alibi diximus quosdam sermones Augustinum adhuc juniorem arguere, cum certum sit doctissimos quosque homines non subito culmen perfectionis attingere, ipsaque sancti Augustini lectione constet, quantum sit discrimen inter prima ejus opera, quæ aliquando vel a se ipso non intelligi fatetur (1), et posteriora, quæ fulmini similia, tam lucida fulgent, et tam fortia tactos hostes dejiciunt.

Transeant ultimæ critici aggressiones, quæ congestis coalescunt conviciis. Transeant omnes istæ tam suaviter sonantes loquelæ, *loquacitas*, *pueriles rhythmis*, *barbara verba*, *sensus inanes*, *vel sinistri*, *vel absurdi*, *blasphema*, *hæretica*, *quisquiliæ*, etc.... Satis alte ponuntur in suorum et extraneorum existimatione Collectionis selectæ editores, ut hoc luto non inficiantur. Ex hac et alia contra Rev. DD. Guillon edita dissertatione discat criticus *apographum sermonem ab amanuensibus Italis Parisios transmissum*, a non indoctis viris attentius fuisse examinatum antequam *typothetis traderetur*. Discat Italos, qui tot adhuc et tanti sunt, doctores non contemnere, utpote qui forte pluribus ex Gallia superbis juvenibus, in laborando senes facti, non æquales modo, sed multo superiores possint ambulare. Discat veteres non contemnere, sed revereri codices, cum præsertim in iis reperiantur veri et jam editi sancti Augustini fœtus non sine utilissimis variantibus, ut patebit ex tabula secundæ hujus voluminis parti affixa. Revolvat interea nostrum Episcopo Marochensi responsum, et videbit plura clare et feliciter emendata, quæ apud Benedictinos vitiosa erant et manca. *Exhorrescat* denique *novam sermonum centuriam cogitans*, qui hodie post hoc *prælibamentum* in lucem prodeunt. Prodeunt enim, ejus nec minas metuentes, nec fastidio *parcentes*; si enim fastidium corruptis sapiant palatibus, iis qui antiquitatis saporem non amiserunt, gratum quemdam et amœnum gustum afferent. Nec etiam docti a legendis apocryphis abstinebunt, in quibus multas inter paleas, plurimas invenient margaritas, præsertim in novi hujus voluminis appendice, ubi edere curavimus sermones quosdam male quidem sancto Augustino tributos, sed pluribus scintillis doctrinæ emicantes.

Claudatur tandem aliquando longior jam ista dissertatio, novis quibusdam recti in critico judicii adductis speciminibus. 1° Dionysii sermones pluris facit quam omnes sive a P. Frangipane, sive a nobis editos; et non attendit utrosque ex iisdem fontibus profluere. Hi enim codices, ex quibus fœtus Augustinianos deprompsimus, Dionysianos sermones habent, quas jam partim rescriptos deseruimus, utpote jam editos, et in omnibus codici nostro similes. 2° Modestiam exaltat Dionysii, qui suos sermones *piorum et eruditorum sacræ antiquitatis amatorum judicio commendat*, imo et in ipso titulo adjecit, *Admixtis quibusdam dubiis*, ut nos superbiæ et præsumptionis insimulet, nec advertit nos in nostris notis rem sæpius *lectoris judicio commendare*, quin et non solum *dubium* juxta quosdam admisisse, sed facto appendice plures ut omnino apocryphos et spurios rejecisse; si ergo laudanda est modestia, huic laudi jus speciale nobis competit. 3° Sermones a P. Frangipane multo acrius mordat quam illos quos emisit in lucem Dionysius, ne laboris Patris Frangipane approbatione, nostras lucubrationes vel indirecte approbare videatur, sed frustra ex dictis, cum pares sint similesque origines. Non nostri est propositi horum doctorum editorum prudentiam vindicare, quorum opera Christiani orbis præconio satis superque commendantur. Sufficit ut cum *eruditis antiquitatis sacræ amatoribus* gratias illis agamus pro vigiliis sudoribusque, quibus talia nobis munera præpararunt.

Restat ut ad te, Lector, critico valefacientes, convertamur, et novi tibi instituti propositum exponamus. Susceptas ex Italia, nempe vel ex Monte Cassino, vel ex Florentia, plusquam trecentas chartas, assiduo longoque labore per-

(1) August. Retract. lib. 1, cap. v, n. 2; vide et Prolog.

volvimus. Plura jam edita deprehendimus, sed ita ab editis diversa quoad principium et finem, ut doctiorum criticorum, ipsiusque Bandinii perspicaciam fefellerint. Centum et amplius monumenta sic inter opera sancti Augustini recognovimus et exclusimus, non neglectis tamen variantibus, quas multas et sæpe gravissimas in finem colligere curavimus : ingratum certe et fastidiosum nobis opus, sed puritatis Augustinianæ cupidis utilissimum, quod forte levium scriptorum laudes non suscitabit, sed eruditorum oculos sæpius ad se trahet, eorum maxime qui novam et castigatiorem auderent sancti Augustini tentare editionem. In duobus autem ejusdem voluminis partibus, (hoc enim volumen propter materiæ locupletioris abundantiam dividere coacti fuimus), reliquos sancti Augustini sermones, additis quibusdam ejusdem fragmentis, reperies, quibus sane perlegendis non præjudicia malevoli critici afferes. Hoc autem in procinctu confiteor, me uno metu agitari, ne videlicet, non obstantibus vigiliis, quas in pervolvendis beati Doctoris sermonibus aliisque scriptis consumpsi, quædam jam edita attentum animum prætermiserint; tales sunt enim nostri tam contempti codices, ut Augustinianas perpetuo paginas exhibeant, quas sæpius non nisi difficillime inter longiora ejus opera datur recognoscere. Non ergo timor mihi, ne non Augustiniana proferam, sed ne proferam Augustiniana quidem, sed jam alicubi edita. Quod si mihi forte acciderit, ne incuriæ velis imputare, sed ingenitæ humanæ mentis infirmitati. Annexum autem genuinis, ut nobis videtur, beati Doctoris sermonibus appendicem habes, quem ne despicias precor, quippe qui plura complectatur docti viri attentione non indigna, præsertimque collectionem quamdam orationum eadem manu rescriptarum, ubi utilissima consilia præceptaque reperies. Cur autem illas sancto Augustino abjudicaverimus, suo loco explicetur. Vale ergo, lector charissime, et si tibi longiori dissertatione fastidium attulimus, non nobis culpam ascribas, sed malitioso, quem confutare necessarium fuit, adversario.

N. B. Reperitur apud eumdem librarium, Paulum Mellier, platea Sancti Andreæ de Arcubus, n. 11, Responsionem gallicam Observationibus DD. Guillon Marochensis episcopi, a nobis concinnatam.

ERRATA

AUT CORRIGENDA IN I SERMONUM INEDITORUM TOMO.

Serm. III, n. 2. *Subripat.* .... leg.	*subrepat.*
Id., n. 5. *Corvus de arca demissus*...	*corvus de arca dimissus.*
Serm. V, n. 6. *Quo divinitus articulo.*	*quo divinitas artificio.*
Id., n. 7. *Pigmentis epithemum*.....	*pigmentis epithema.*
Serm. VII, n. 1. *Devotionis nostræ*...	*devotionis vestræ.*
Id. ibid. *Male cautum videamus*	*male cautum videamur.*
Id. ibid. *In prædicando*	f. *in audiendo.*
Id., n. 2. *Inanivit se*.............	*exinanivit se.*
Serm. VIII, n. 3. *Ut gentibus universis.*	*gentibus universis.*
Serm. XI, n. 2. *Pudore genuisset*.....	*pudore generaret.*
Id. ibid. *In prophetis ex lege.*.	*in prophetis et lege.*
Id. ibid. *Laxa incedebis.*	*lassa incedebis.*
Serm. XII, n. 1. *Germen perereditur*..	*germen eruditur.*
Serm. XIV, n. 1. *Virgo sunt*........	*virgo veni.*
Id., n. 2. *Ore amulis*..............	*oris oculis.*
Id., ibid. *Matres cognoscunt*........	f. *matres concipiunt.*
Serm. XV, n. 4. *A nobis repellemus*...	*a nobis repellamus.*
Id., ibid. *Peccatis facientibus*..	f. *peccata facientes.*
Serm. XVI, n. 2. *In hac muliere*.....	f. *in muliere.*
Serm. XVII, n. 2. *Fucibus peccatorum.*	*fucibus peccatorum.*
Serm. XXIII, n. 1. *Manabrm mortis*.	*manabias mortis.*
Serm. XXV, n. 2. *Ecclesiæ comparare.*	*ecclesiæ comparari.*
Serm. XXVII, n. 1. *Resurrexit ergo Christus in carne, idem autem ut diceret ipse, qui fuerat, crederetur, nec de nostro corpore rursus erui, sed ut nos in carne resurgere ostenderet, in eadem resurrexit.*	f. *Resurrexit ergo Christus in carne eadem, ut idem esse, qui fuerat, crederetur, nec ex alieno corpore rursus indui; sed ut nos in carne resurgere ostenderet, in eadem resurrexit.*
Serm. XXX, n. 2. *Non potuit*.......	*non potuerit.*
Serm. XXXI, n. 1. *Si patris filius*...	*in patre filius.*
Id., n. 3. *Quos crucifixerant, frangerunt*.................	*quos crucifixerunt, frangerent.*
Id., ibid. *Nihil erga mortuos est*.....	*nihil erga mortuum est.*
Serm. XXXII, n. 1. *Carnata majestas.*	f. *incarnata majestas.*
Serm. XXXII. n. 1. *Grammaticorum calculis.* leg.	Legendum potius ut in cod. *grammaticorum arculis,* sicut indicatur in nota.
Serm. XXXVI, n. 1. *Omnia tamen*...	f. *omnia autem.*
Id., ibid. *Fuerant multu*...........	f. *fuerant antea.*
Serm. XLIX, n. 2. *Pejus mittere suntum.*	f. *pejorem mittere ventum*
Serm. L, n. 1. *Præcedentium patrum*..	f. *prandentium patrum.*
Id., ibid. *Certare tacum*.......	*certare tecum.*
Id., n. 3. *Laudem... laudare*.......	f. *laudem... cantare.*
Id., ibid. *Vestigia imitantes*........	f. *vestigia sectantes.*
Serm. LV, n. 2. *Impetus fistula*......	f. *sonitus fistula.*
Id., ibid. *Pares roseosque*.....	f. *puros virgineosque.*
Id., ibid. *Anfractuosos colles*..	f. *anfractuosos colles.*
Id., n. 3. *Herodias*...............	*Herodiadis filia.*
Id., n. 4. *Transfudit*...............	*m transfudit,* vel *transfuxit.*
Id., ibid. *In longum elongatur*......	f. *in infinitum elongatur.*
Serm. LVI, n. 3. *Mentis præsidia*....	f. *mentis præsidium.*
Serm. LVII, n. 1. *Sed quem vides hominem, Joanne major est, et tamen non est dignus,* etc.	f. *sed quem vides, homine Joanne major est, et tamen non est dignus,* etc.
Id., n. 2. *Rapina est usurpati; sicut Adam, rapina,* etc.	f. *rapina est usurpati, sicut Adam : rapina,* etc.
Id., ibid. *Per istam suggestionem hominem diabolus fecit superbiæ illius suæ participem.*	Melius : *Ista suggestio hominem diabolo fecit per suam superbiam participem.*
Id., ibid. *Famule tuo Moysi*........	*famulo tuo Moysi.*
Serm. LVIII, n. 1. *Istius canis nebiosam feritatem obscundans.*	f. *istius canis rabiosam feritatem obtundens.*
Serm. LIX, n. 1. *Evangelicum capitulum.*	*in evangelicum capitulum.*
Id., ibid. *Salvat et reinstat*........	*servat et reinstat.*
Id., n. 2. *Animantia salvare*.......	*animantia servare.*
Serm. LXV, n. 3. *Sed adhuc additur*..	f. *sed ad hoc additur.*
Serm. LXVI, n. 1. *Viscera culta*....	f. *viscera cumulata.*
Id., n. 3. *Quibus tam fuit timoris*....	*quibus tanta fuit timoris.*

SANCTI AURELII
AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
SERMONES INEDITI.

SUPPLEMENTUM I.

ILLUSTRISSIMO

ET

REVERENDISSIMO

IN CHRISTO PATRI

DD. ALOYSIO BOVIO,

MELFITENSI ET RAPOLLENSI EPISCOPO,

OLIM

IN MONASTERIO CASSINENSI SEMINARII RECTORI,

LECTORI IBIDEM SACRÆ THEOLOGIÆ,

MONTIS - CASSINENSIS ITERUM ABBATI,

ABBATI MONASTERII CAVENSIS,

CONGREGATIONIS CASSINENSIS PRÆSIDI, ETC.

Sæpius attentiusque nobis perpendentibus, cui potissimum nostras de sancto Augustino lucubrationes dedicare deberemus, semper ante oculos obversabatur tanta illa tanti Doctoris imago, quæ similem sui virum non solum ordinis sublimitate, sed dotibus ingenii et virtutum splendore expostulare videbatur. Quem sollicitius exquirere studebamus, quem vix tandem aliquando putabamus reperiendum, tam faciliter quam feliciter, te invento, invenimus, reverendissime Præsul, cujus benevolentia sic nostris arridere dignata est laboribus, ut primum illud tentamentum benigno favore prosequi voluerit.

Tu enim sancti Benedicti non indigni nominis alumnus, illius, inquam, Benedicti, qui scienter nesciens et sapienter indoctus [1], *tot doctorum et sapientum, imo ipsius sapientiæ et doctrinæ quasi pater pluribus abhinc sæculis evasit. Tu* scriba doctus in regno cœlorum proferens de thesauro tuo nova et vetera [2], omni sapientia eruditus [3], *multo tempore* datus ad diligentiam legis et Prophetarum [4], *in studiosam*

[1] S. Gregor. Magnus in vita S. Benedicti — [2] Matth. XIII, 52 — [3] Act. VII, 22 — [4] Prolog. Eccli.

juventutem acceptum a Deo lumen refundere voluisti. Tu Augustinianæ virtutis et scientiæ sedulus æmulator, non honorum ambitu, sed meritorum gradibus summum sacerdotii apicem ascendisti. Tu, Doctoris nostri lector assiduus, novis illis beati Augustini supplementis exercitatam manum admovisti, sicut testantur decem Romæ jam in publicum dati sermones, quorum emissio veterum monumentorum curiosas mentes recreavit. Tu cum venerabilibus tuis collegis infirmitatis nostræ antecessor. Tu in ardua, quam ingredimur, via, tutus nobilisque antesignanus; tuis tuorumque vestigiis semper et ubique insistere, hoc nostrum desiderium, hæc gloria nostra, hoc nostrum attentum perpetuumque studium.

Forte inter tanta tua præsentis ministerii opera, inter illas episcopales vigilias, inter continuas non infimæ sedis sollicitudines, inter delusa aut contempta difficilium temporum pericula, non minima laus erit te, pauperum quorumdam sacerdotum, non minus scientiarum studio quam animarum saluti addictum, levia suscepisse munera, quæ ut grata habere volueris suppliciter deprecantur,

TUÆ AMPLITUDINIS

humillimi et devotissimi

servi

A. B. CAILLAU, canonicus honorarius cenomanensis et cadurcensis,

B. SAINT-YVES, Sancti-Ludovici Romæ canonicus.

PRÆFATIO.

SYNOPSIS.

I. *Monasteriorum encomium et utilitas.* II. *Bibliothecæ italianæ in pluribus intactæ.* III. *Montis-Cassini monasterium et archivium.* IV. *Monachorum S. Benedicti modestia et studium.* V. *Bibliotheca Laurentiana-Medicea, Florentiæ.* VI. *Bibliotheca principis Ghigi, et sessoriana, sive Sanctæ-Crucis in Jerosolymis, Romæ.* VII. *Extractorum ex his bibliothecis series.* VIII. *Edendorum catalogus.* IX. *Authenticitatis notæ.* X. *Prima nota : nominis inscriptio.* XI. *Secunda nota : discordantium absentia.* XII. *Tertia nota : concordantium præsentia.* XIII. *Editionis ordo.* XIV. *Codicum vetustas.* XV. *Codicum fides.* XVI. *Codicum correctio.* XVII. *Epilogus.*

I. Si quis illas tam multiplices, tam accuratas, tam doctas monachorum lucubrationes perpendere, et præsertim ingentes eorumdem labores raris istis et levibus recentium philosophorum opusculis conferre voluerit, non poterit animus temperare, quin altum justumque dolorem concipiat, cum veterum illorum venerabiliumque claustrorum nonnisi sparsas hinc et illinc ruinas, imo et sæpius ne ruinas quidem illarum pietatis et doctrinæ quasi academiarum, in toto christianissimo regno oculi quærentium perspexerint. Quod autem ingrata simul et demens procul ejecit Gallia, multæ adhuc sapientiores necnon et religiosiores servare gloriantur regiones, et imprimis sancta illa romana Ecclesia, quæ utpote unitatis centrum, et totius orbis mater, quidquid bonum est, quidquid salutare, quidquid venerandum, non retinet modo, sed et ardentius fovet ac longius propagare nititur. Hic adhuc Carmeli decus; hic divitem in sua paupertate Francisci progeniem; hic doctos Dominici alumnos; hic potentem scientia et virtute Ignatii familiam; hic tam celebrem in litterarum annalibus simplicis illius Benedicti prosapiam videre datur et admirari; hic adhuc claustri silentium non orationi solum et pœnitentiæ, sed et labori et doctrinæ favens; hic impensæ multo melius studio et lectioni longæ illæ horæ, quæ mundani sapientes sæpius in otio, et forte in cupiditatum insania inaniter et non sine crimine consumunt.

II. Hæc cogitantibus nobis gratissimum ad aures insonuit nuntium, et illud quidem ab ore illustrissimo emissum, plures Italiæ bibliothecas ne a Benedictinis quidem Maurinis interrogatas fuisse, cum illas tam commendandas aliunde editiones emitterent, ita ut multi, nec indigni, hinc et inde intacti remanerent thesauri, in lucem non sine magna Ecclesiæ utilitate iterum proferendi. Quæ fuerit talis in tot tantisque viris negligentiæ aut potius prætermissionis causa, non satis constare videtur, sive, ut nonnulli volunt, illi exhaustis majoribus bibliothecis, nihil in minoribus delitescere crediderint, sive, ut ab aliis probabilius traditur, nonnullæ belli aliorumve casuum difficultates, quæ talem impedirent laborem, intercesserint; quidquid sit, nihilominus certum evadit, in plurimis Italiæ bibliothecis antiquos reperiri pretiososque codices, ex quibus, quasi ex ditioribus metallis spirituale, ad ornamentum Ecclesiæ, argentum et aurum potest erui.

III. Prima inter illas et codicum numero, et monumentorum vetustate eminet bibliotheca illa Montis-Cassini, quæ post Vaticanam non infimum locum tenere haud immerito dixerim. Quis est inter pios, qui non audierit hujus venerandi Montis sanctitatem, ubi Benedictus post scriptam in Subiaco regulam, novum gratiæ et virtutis fontem reserare dignatus est; ubi ex illa turre, qua adhuc superstite beata terra gloriatur, et S. Scholasticæ sororis, et S. Germani episcopi animas ad cœlos evolare conspexit; ubi tanti magistri, jam a quindecim sæculis defuncti, vivit adhuc in discipulis indeficiens inexhaustusque spiritus? Quis agrorum ubertatis ac proinde populorum abundantiæ cupidus, aridos montes in virides campos hortosque fertiles conversos, asperas rigidasque sylvas amœnis fœcundisque pratis locum cedentes, valles incultas et paludosas ditissimis, felici mutatione, luxuriantes messibus, et tuguria, et villas et civitates oculis, quos primum horrida terrebat solitudo, lætum jucundumque offerentes aspectum, quis hæc omnia, indefessis monachorum laboribus ad effectum perducta, contemplando non exultet? Quis inter artium liberalium amatores non miretur illam ingentis monasterii molem, triplicia claustra, columnas columnis superpositas, marmora sculpturæ artificio illustrissimorum principum vultus spirantia, et imprimis templum illud in quo tanti lapides pretiosi admirationem rapiunt, ut solum supersit pro laude silentium; tantæ primorum artistarum tabellæ attonitis occurrunt oculis, ut defixi in obtutu indesinenter hæreant; tantæ divitiæ in ipso seminantur pavimento, ut vix pedes movere quisque stupefactus audeat? Quis denique in litteratura sive ecclesiastica, sive profana vel paululum exercitatus magna cum aviditate non amplectatur veteres illos pretiososque codices, in quibus hinc Ciceronis, Virgilii, Plinii, Senecæ, aliorumque illustrissimorum oratorum, aut poëtarum, aut philosophorum, non forte adhuc correcta satis[1] opera, illinc sanctiores Chrysostomi, Origenis, Augustini, Leonis, Gregorii, cæterorumque primi nominis christianorum doctorum lucubrationes, manu plus minusve fideli, sed antiqua ubique et ubique venerabili scriptæ et delineatæ continentur? Quis igitur justo sanoque judicio præditus venerandum illum monasticum ordinem, et cum eo alia pleraque religionis instituta de humano genere, licet ingrato, ita bene merita non suspiciat, quæ tot et tanta populis virtutum pietatisque exempla, tot tantasque agriculturæ regiones, tot et tantas gratissimis sculpturæ et picturæ artibus materias, tot demum et tantas ecclesiasticis profanisque litteris memorias suppeditare potuerunt?

IV. Huc non propria voluntate, sed divina certe, dum exules voluntarii ab exagitata nimis patria, longioris absentiæ moras studio fallere proponeremus, Providentia adducti, apud sanctum monasterium (et illud non encomii, sed veritatis et gratitudinis causa profiteor), non abjectas illas invidiosæ scientiæ, quæ absconditos thesauros in lucem emittere detrimentum reputat, suspiciones invenimus, sed nobilem illam generosamque veræ doctrinæ liberalitatem quæ repertas hinc et inde gemmas possidere non curat, nisi ad publicam utilitatem illas omnium oculis valeat ostentare. Hic nobis conversari datum cum docto illo Montis-Cassini archivista, ecclesiasticam doctrinam quærentibus non parum commendabili, cum Patre illo Frangipane, decem S. Augustini usque adhuc ignotorum sermonum editore[2], qui a quadraginta et amplius annis lectioni et meditationi vetustissimorum codicum addictus, quidquid a majoribus acceptum, quidquid a semetipso studio habuit comparatum, nobiscum communicare, excellentissimus magister, non dubitavit. Inde si quid bonum, si quid sapiens, si quid doctum, in hac nostra collectione, reperiatur totum illud non labori nostro, sed ejus consiliis potius referendum libenter declaramus.

V. Post celebre illud Montis-Cassini archivium, celebrem pariter pariterque divitem Laurentianam-Mediceam Florentiæ bibliothecam, annuente supremo civitatis et regni Duce, favente autem illustrissimo ejusdem bibliothecæ rectore DD. Delfuria, invisere et explorare nobis concessum est; cujus quidem laboris, jam ab annis quatuor incœpti, nondum penitus consummati, sed consummandi celeriter, quasi prælibamentum hodie proferimus.

VI. Non prætermittenda insuper Excellentissimi Principis Ghigi Romæ bibliotheca, necnon et archivium sanctæ Crucis in Jerosolymis[3], unde plures eruimus beati Petri Damiani sermones, quibuscum docti illius Cardinalis operum editio plenior et perfectior evadet.

VII. Hæc sunt autem opera sive fragmenta, quæ ex diversis illis doctrinæ fontibus hausta in publicum emittere statuimus. 1° Quidem multi sancti Augustini sermones huc usque inediti, quorum numerum asserere huc usque non possumus, cum copistarum labor non sit adhuc ad finem usque perductus. Sufficiat annotare jam in isto volumine sexaginta et amplius sermones beati Doctoris contineri, qui quidem omnes aut fere omnes ex bibliotheca Montis-Cassini prodeunt; quinquaginta alios, ex eadem bibliotheca depromptos et ad nos a Roma missos, nostri juris jam factos esse; pluresque a bibliotheca Florentina sperari, cum a tribus annis constanter rescribendo incumbant nonnulli amanuenses; 2° alii quidam sermones eidem S. Augustino non merito tributi, sed, utpote antiqui et inediti, non

[1] In archivio Montis-Cassini reperitur unus Virgilii codex, in quo quidam celebris illius poëtæ versus, alias incompleti, integri leguntur; sic Æneid. lib. II, v. 65;

. . . . Et crimine ab uno
Disce omnes, quam sint astutis verbisque dolosi.

et lib. II, v. 615;

Ferro accincta vocat, sævaque accendit ad iras.

et lib. II, v. 767;

Stant circum, et tacitis implent mugitibus auras.

Idem ille versus pariter legitur in codice antiquiori caract. Longob., cui titulus: *Miscellanea*, tom XXVI, sæcul X.

Et lib. II, v. 640;

Vos agitate fugam, et rebus servate secundis.

Hæc et forte alia possint doctis non negligenda videri.

[2] Habendum est illud S. Augustini supplementum ad complendam ejus editionem. Stampatum est Romæ an. 1819, edente Octavio Fraja-Frangipane. Addenda etiam Dionysii editio viginti-quatuor ejusdem Doctoris sermonum Viennæ typis mandatorum anno 1792. Hos sermones huic nostræ editioni adjungere curabimus.

[3] Bibliotheca Sessoriana, sive *Sanctæ-Crucis* in Jerosolymis multa possidet adhuc inedita, quæ reverendus hujus monasterii archivista, DD. Leander de Corrieri in publicum emittere jamdiu sibi proponebat, quando morte præventus est. Stampis jam supposuerat tres sancti Ambrosii sermones. Cæterorum promulgationem non possunt non vehementer exoptare docti omnes Ecclesiæ alumni, et utinam illa nobis etiam rescribere liceret!

omnino rejiciendi; 3° nonnulli S. Chrysostomi sermones, quorum sola versio latina nobis occurrit; 4° S. Leonis Papæ sermones duo; 5° epistola una, et quidem pretiosissima, S. Bernardi; 6° fragmenta quædam B. Petri Damiani, quibus adjunguntur ejusdem preces, sermones et epistolæ, ab Eminentissimo Cardinali Zurla, sanctæ romanæ Ecclesiæ olim Vicario, nobis communicatæ; 7° S. Hieronymi fragmenta; 8° S. Hilarii de Laudibus Pauli; 9° S. Maximi epistola; 10° Pauli diaconi fragmenta, et alia minoris momenti.

VIII. Primum quidem volebamus horum sermonum promulgationem differre, usquedum, completo penitus opere, omnes simul ad lucem dare in promptu emergeret. Sed nova recentius publico promissa S. Augustini editio nostram ejusdem Doctoris editionem anticipandi causam præbuit, imo et factis comprobandi, quanto pretiosior novis illis thesauris hæc nostra evaderet, unde in hoc volumen collegimus sexaginta et amplius sermones authenticos S. Augustini Hipponensis, necnon et plures sermones eidem falso tributos, quos in appendicem rejecimus, cæteris ejusdem Doctoris ineditis operibus ad aliud tempus, et quidem proximum, dilatis, servatisque aliorum Patrum sermonibus ad complendam uniuscujusque editionem, nisi prius brevem ineditorum illorum operum collectionem adunare jucundius arrideret.

IX. Notandum est interea, et illud ex prænotatis evidenter derivatur, omnia illa non parem inter se habere auctoritatem, ideoque necessarium fuisse severam hic critices manum, quanquam non severiorem[1], admovere. Hæc sunt autem regulæ, quas ad dijudicandam talem tantique momenti litem adhibere justum æquumque duximus. Tres scilicet conditiones ad demonstrandam alicujus fragmenti vel sermonis authenticitatem requiri et sufficere nobis visæ sunt; nempe 1° ut veteres codices nomen sancti cujuslibet doctoris aut explicite aut implicite præferrent; 2° ut nihil quod aut ingenio aut stylo scriptoris repugnaret deprehenderetur; 3° tandem ut etiam plura occurrerent, quæ cum notis ejusdem cogitationibus, et communi dicendi genere concordare viderentur. Cujus quidem triplicis conditionis veritas vel paululum attendenti paucis elucidata patebit.

X. Primo quidem requiritur ut veteres codices aut explicite aut saltem implicite sancti doctoris nomen præferant. Nam etsi aliquando fieri possit, ut fragmentum aliquod aut S. Augustino, aut alii cuilibet ex evidenti cogitationum et styli conformitate non sine probabilitate vindicetur, fatendum est tamen ex eo maxime crescere et firmari certitudinem, si veterum codicum testimonio genuinus talis talisve scriptoris partus asseratur. Illud autem testimonium dicitur explicitum, quando in principio sermonis aut fragmenti ipsissimis verbis legitur *Sermo S. Augustini episcopi*, aut *sermo S. Chrysostomi*, aut *sermo S. Leonis*, et sic de cæteris quibuscumque; implicitum vero nuncupatur, aut quando in titulo scriptum habetur: *Sermo unde supra*, et supra reperitur: *Sermo S. Augustini* vel aliorum; aut quando extrahitur sermo ex codice, qui nihil omnino aut pene nihil quod ad S. Doctorem non pertineat, complectitur. Ideo primæ huic regulæ insistentes nullum omnino sermonem variis scriptoribus tribuere præsumpsimus, qui firmo illo quasi sigillo impressus non fuerit et consecratus.

XI. Secundo, vult insuper certæ critices severitas, sermonem ipsum nihil continere quod aut tempori, aut ingenio, aut stylo scriptoris contrarium deprehendatur. Multos enim videre datur codices, qui ob temporum aut scriptorum ignorantiam uni tribuunt quod alteri fuisset ascribendum. Unde codicum auctoritas probabilitatem affert magnam, non absolutam certitudinem. Certior autem evadit sententia, si nihil repugnet ingenio scriptoris, si nihil illius doctrinæ contradicat, si nihil stylo ejusdem notissimo aut temporum circumstantiis adversetur. Hinc secundæ illius regulæ semper et ubique fideles, fragmenta varia, quæ S. Augustini nomine luxuriabantur, eidem nihilominus abjudicavimus, quia nonnulla hinc et inde scaturiebant, quæ a doctrina aut ingenio sancti Doctoris omnino aliena non immerito videbantur.

XII. Tertio, si non ita stricte exigendum, saltem anxie desiderandum doctis mentibus apparebit tertia, quam statuimus, conditio, nempe ut etiam plura inveniantur, quæ cum uniuscujusque doctoris cogitationibus et communi dicendi genere concordent. Quamvis enim regula illa non sit in omnibus omnino severius adhibenda, præsertim cum agitur de scriptoribus, quibus, ut S. Augustino diversum in diversis temporibus variisque longioris vitæ gestis stylum adhibere contigit, utpote qui modo laïci, modo sacerdotes, modo neophyti, modo pontifices, modo juniores, modo ætate provecti, modo humana adhuc doctrina imbuti, modo in divinis scientiis perfecti scripserint; vere tamen est confitendum in omnibus istis varietatibus originale semper aliquid et quasi personale deprehendi, quod talis aut talis auctoris vel stylum odoretur, vel prodat ingenium. Quod ut nostræ collectioni favere evidentius pateret, diversis notis collegimus non omnes quidem, sed aliquas ex aliis sancti Doctoris operibus depromptas similitudines, ut cogitationum stylique conformitate melius appareret veritas tituli in codicibus reperti, cum non modo non in dubium adducta scribendi varietate, sed in certitudine confirmata dicendi paritate videretur.

XIII. His ergo regulis innixi, novam hanc Augustinianorum sermonum promulgationem fiducialiter in lucem edere non dubitamus, doctumque lectorem advertere precamur, triplicem hic sermonum speciem ejus oculis supponi; primam quidem, quæ sermones beati Doctoris penitus ineditos complectitur; secundam, quæ exhibet tractatus novis lectionibus correctos, aut novis ditatos fragmentis; tertiam, qua sermones non solum incorrectos, sed codicum defectu perperam in appendicem a Maurinis rejectos, nostrorum auctoritate codicum beato Doctori non immerito vindicantur. In uniuscujusque sermonum principio breves notas præfiximus, quibus indicantur, 1° codices, unde sermo assumitur; 2° authenticitatis argumenta; 3° locus, quem tractatus tenere deberet in Maurinorum editione. Sequitur synopsis, qua, ad majus legentis commodum, prænuntiatur quidquid in variis capitulis sive numeris continetur. Ad calcem vero paginarum rejecimus variantes codicum lectiones, et sanctæ Scripturæ librorum et versuum indicationem.

[1] Dico non *severiorem*, quia (quod debita cum reverentia audacior forte profero) Maurini in quibusdam non ab omni suspicione alieni haberi possunt, utpote qui novis erroribus viciniores severiorem iis, quæ recentiori eorum cogitandi modo non plane favebant, manum adhibere videntur, quod quidem ex variis notis in hoc nostrum volumen, necnon et in præcedentia aut sequentia inserta, facillime patebit.

XIV. Unum autem nunc superest, scilicet ut pauca de codicum vetustate, fide et correctione prænotemus. Vetustatem plerorumque ad undecimum sæculum referendam putamus, quanquam plurimi antiquiores possint judicari, ut videre est ex tabula codicum infra stampata.

XV. Fides autem, ex antiquitate jam iis asserta, major adhuc ex eorumdem cum aliis multis variorum Europæ bibliothecarum conformitate evadit; sic pleraque sanctorum doctorum stampata huc usque opera, paucis, et sæpe non immerito, variantibus, in iis nostris occurrunt manuscriptis; sic in illis legitur, paucis mutatis, duodecim sermones, qui a Dyonisio ex Venetiana bibliotheca nuper edita fuerunt; sic plures in bibliotheca Laurentiana Florentiæ reperiuntur, et cum Montis-Cassini lectionibus lectiones Florentiæ non inutiliter aliquando contulimus.

XVI. Quoad vero eorumdem correctionem, nullus est doctus, qui nesciat quantis sæpius mendis veteres scaturiant codices, ita ut amanuenses modo similitudine litterarum decepti verbum unum in alterius locum posuerint; modo autem involuntaria negligentia, aut præmeditato errore laborantes, puncta ex uno loco in alterum non sine sensus præjudicio transtulerint; modo mentis distractione præoccupati non verba solum, sed et lineas, et integra sententiarum membra transtulerint; unde codices nunc rescribenti cuilibet non parvum opus incumbit, verum seu variorum collatione codicum, seu profunda contextus meditatione, in publicum emittere versionem. Quanta autem cura, quanta prudentia, quanta, ut ita dicam, religione, in tam sacro tamque difficili labore usi fuerimus ad lectorem judicium pertinebit; utque illam certius necnon et facilius ferre valeat sententiam, omnes omnino diversorum codicum lectiones, etiam ridiculas aliquando et absurdas, positis in paginarum fine notis, referre curavimus, ut quæ bene et certe correcta approbari, quæ dubie et probabiliter emendata ponderari, quæ vero male et audacius mutata, si quæ forte istius modi non ultro emissa nostram fidelitatem fefellerint, reprehendi possint et in melius restitui.

XVI. Habes igitur, lector amantissime, totius propositum normamque laboris, quem non injucundum pervolventi tibi evadere confidimus. Et quomodo filium non juvaret inventas nuper atavorum suorum, et quidem doctissimorum sanctissimorumque chartas perlegere? Quomodo non exultaret patrum discipulus deperditas diutius magistrorum suorum elucubrationes attentis percurrendo oculis, attentiorique mente meditando? Quot et quanta in illis repertis feliciter thesauris Ecclesiæ alumno non miranda modo, sed et debbanda evolvuntur? Hic S. Augustini doctrina modo Trinitatis mysterium, Incarnationis veritatem, realem Christi in Eucharistia præsentiam asserentis, modo neophytos simplicibus imbuentis lectionibus, et perfectos ad grandia virtutum exhortantis opera, modo sanctorum divina exempla laudibus exaltata omnium imitationi proponentis. Hic, brevis quidem et alieno idiomate deformata, sed nobilis adhuc et admiranda Chrysostomi facundia; hic gravis et concisa S. Leonis papæ locutio; hic dulcis et mellifluus, sed religiosæ disciplinæ semper addictissimus S. Bernardi dicendi modus; hic non contemnendi recentioris quidem, sed non minus scientia quam dignitate conspicui S. Petri Damiani cardinalia fœtus. Hic scientiæ splendor qui mentes illuminet; hic eloquentiæ fontes, qui ingenium fœcundent; hic charitatis ardor, qui corda succendat. Legas, precor, et judices.

TABULA

CODICUM MONTIS-CASSINI,

IN QUIBUS LEGUNTUR

VARIA SANCTI AUGUSTINI OPERA.

Hanc tabulam, adjuncto etiam fideli quorumdam scripturæ exemplari, hic ideo præfigendam duximus, ut, illa perspecta, melius pateat nostrorum horumce sermonum authenticitas, cum inde manifestum fiat, et codices ad venerabilem referri vetustatem, et iisdem contineri simul stampata jam prius opera, et opera nunc stampis supponenda.

Cod. xi, alias cviii, in-fol. membranaceus, folior. 276, characteribus omnino longobardis, sed qui sæculum xii indicant. Continet Homilias et Sermones sancti Augustini. Vide Montfauconium in Bibl. bibliothecarum sub eodem numero.

Cod. xii, alias l, in-fol. membranaceus, folior. 343, characteribus longobardis xi sæculi, post medium. Continet Sermones sancti Augustini. Vide Montfauconium sub eodem numero.

Cod. xiv, alias xliv, in-fol. membranaceus, folior. 225, characteribus longobardis xi sæculi. Continet decem priores libros de Civitate Dei. Sub eodem numero notatur a Montfauconio.

Cod. xv, alias ccxxix, in-fol. membranaceus, folior. 370, characteribus longobardis, qui finem sæculi xi astruunt. Continet libros sancti Augustini contra Faustum. Sub eodem numero notat illum Montfauconius.

Cod. xvi, alias cxciii, in-fol. membranaceus, folior. 350, characteribus longobardis ad finem xi sæculi conscriptis. Continet sancti Augustini Epistolas, et Solutiones quarumdam quæstionum.

Cod. xvii, alias cxc, in-fol. membranaceus, folior. 450, characteribus longobardis sæculi fortasse xii. Continet sermones sancti Augustini de Verbis Domini. De illo loquitur sub eodem numero Montfauconius.

Cod. xviii, et Cod. xix, alias iv, continent libros sancti Augustini de Trinitate. Cod. autem xix in-fol. membranaceus, folior. 270, characteribus saxonicis scribitur juxta specimen datum a Mabillonio de Re diplomatica libr. v, tabul. iv, p. 351, n. 2, licet paululum scriptura sit diversa.

Cod. xx, alias xcix, in-fol. membranaceus folior. 190, characteribus longobardis sæculi xi, post medium. Continet libros sancti Augustini de Consensu Evangelistarum.

Cod. xxi, alias lvi, in-fol. membranaceus, folior. 460, characteribus longobardis sæculi xi, post medium. Continet primam partem Commentariorum sancti Augustini in Joannem, videlicet tractatus xxxviii.

Cod. xxii, alias li, in-fol. membranaceus, folior. 433, characteribus longobardis, sæc. xi, post medium. Continet alteram partem Commentariorum in Joannem. Memoratur sicut et præcedens a Montfauconio.

Cod. xxiii, alias clxxiii, in-fol. parvo, membranaceus, folior. 190, characteribus longobardis xi sæculi. Continet sancti Augustini in Epistolam Joannis Commentaria.

Cod. xxiv, alias xliii, membranaceus, folior. 470, characteribus longobardis xi sæculi. Continet sancti Augustini Explanationes in Psalterium et in Epistolam Joannis primam.

Cod. xxv, alias cxci, in-fol. membranaceus, folior. 211, characteribus longobardis xi sæculi, initio. Continet libros xiii Confessionum sancti Augustini.

Cod. xxvi, alias xvii, in-fol. membranaceus, folior. 512, characteribus longobardis sæculi xi. Continet partem primam Expositionis sancti Augustini in Psalterium. Secunda pars continetur in Cod. xxvii.

Cod. xxviii, alias cxciv, in-fol. membranaceus, folior. 588, characteribus longobardis xi sæculi, tempore Theobaldi abbatis casinensis, cujus jussu in armarium librorum fuit positus anno 1023, ut patet ex fol. 585 ejusdem Codicis. Continet partem librorum de Civitate Dei.

Cod. xxxix, alias lxviii, in-fol. membranaceus, folior. 590, characteribus latinis iis similibus quos dat Mabillonius libr. v, de Re diplomatica, p. 360, tabul. xiii, n. 4. Continet Expositionem in Epistolas beati Pauli, quæ ex titulo antiquo sancto Augustino tribuitur, ex recentissimo autem apposito Bedæ presbytero.

Cod. lvii, alias xxxix, in-fol. maximo, membranaceus, folior. 587, characteribus longobardis xi sæculi. Continet Commentaria in Psalmos ex SS. Augustino et Hieronymo.

Cod. lxxx, alias lxiv, in-fol. membranaceus, folior. 168, characteribus longobardis xi sæculi. Continet Vitam vel Obitum sancti Augustini episcopi.

Cod. xciii, alias cl, in-fol. membranaceus, folior. 322, characteribus latinis xi sæculi, juxta specimen quod exhibet Mabillonius de Re diplomatica, p. 369, tabul. xiii, n. 2. Habet sermonem sancti Augustini, qui incipit : *Prolixa oratio*, etc.

Cod. xcvii, alias lxxxviii, in-fol. membranaceus, folior. 275, characteribus antiquioribus longobardis sæculi x, ante medium, qui accedunt etiam ad francicam, seu merovingianam scripturam. Habet initium tractatus sancti Augustini episcopi in eo : *Dixit Jesus Petro : Sequere me.*

Cod. xcviii, alias clx, in-fol. membranaceus, folior. 337, characteribus longobardis xi sæculi, post medietatem. Habet Sermones sancti Augustini.

Cod. c, alias ccxi, in-fol. membranaceus, folior. 190, characteribus longobardis xi sæculi principiantis. Continet sancti Augustini Sermones.

Cod. ci, alias cxcix, in-fol. membranaceus, folior. 259, characteribus longobardis sæculi xi. Continet Sermonem sancti Augustini.

Cod. cii, alias cxx, in-fol. membranaceus, folior. 397, charac-

teribus longobardis, sæculi XI ante medium. Continet Sermones sancti Augustini.

Cod. CIII, alias CLXXXIV, in-fol. membranaceus, folior. 267, sæculi XI ineuntis, vel X ad finem, longobardice exaratus. Continet ejusdem sancti Doctoris Sermones.

Cod. CIV, alias XVIII, in-fol. magno, membranaceus, folior. 181, characteribus longobardis sæculi XI, nisi etiam fortasse sæculi X, cum valde simillimi videantur iis qui sub Aligerno abbate, scripti fuere. Sedit autem Aligernus in Cassinensi Cathedra ab anno 945 ad annum 986. Continet sancti Augustini Sermones.

Cod. CV, alias XIX, in-fol. membranaceus, folior. 272, characteribus longobardis sæculi XI post medium. Continet Homiliarium de Tempore.

Cod. CVI, alias XCI, in-fol. membranaceus, folior. 309, characteribus longobardis sæculi XI, ac proprie anni 1010. Continet sancti Augustini Sermones.

Cod. CVII, alias CXXV, in-fol. membranaceus, folior. 192, characteribus longobardis sæculi XI. Continet Sermones sancti Augustini.

Cod. CVIII, alias XX, in-fol. magno, membranaceus, folior. 285, characteribus longobardis sæculi XI post medium. Continet sancti Augustini Sermones.

Cod. CIX, alias XXV, in-fol. magno, membranaceus, folior. 248, characteribus longobardis XI sæculi. Continet Sermones sancti Augustini.

Cod. CX, alias XXXVIII, in-fol. maximo, membranaceus, folior. 308, characteribus longobardis sæculi XI, ut confirmatur a Gattula in indice MMS. cassinensium, p. 3. Continet Sermones sancti Augustini.

Cod. CXI, alias XXXVII, in-fol. maximo, folior. 210, characteribus longobardis sæculi XI. Continet Homiliarium cum aliquibus homiliis non vulgatis.

Cod. CXII, alias XCIII, in-fol. membranaceus, folior. 179, characteribus longobardis sæculi X ineuntis, tempore Theobaldi abbatis, ut ex characteribus ipsis facile erui posse videtur. Continet sancti Augustini Sermones.

Cod. CXIII, alias LXX, in-fol. membranaceus, folior. 227, characteribus longobardis sæculi XI. Continet diversas de sancta Quadragesima Homilias.

Cod. CXIV, alias LXV, in-fol. membranaceus, folior. 119, characteribus longobardis XI sæculi ad initium. Continet sancti Augustini Sermones.

Cod. CXV, alias LXVI, in-fol. membranaceus, folior. 188, characteribus longobardis sæculi XI, cum litteris majusculis, seu initialibus sane pulcherrimis, sed quorum plures abruptæ sunt. Continet Sermones sancti Augustini.

Hi sunt Codices, antiquitate venerabiles, ex quibus assumpti fuerunt sermones qui nunc in publicum emittuntur. Ut autem clarius adhuc pateat sacra illorum vetustas, aliquorum hic delineatam imaginem annectimus.

ADDENDA

VITÆ SANCTI AUGUSTINI

A POSSIDIO EXARATÆ[1].

Fragmentum hoc e codice cass. CXLII, *fol.* 136, *extractum, finem vitæ sancti Augustini aliter ac in editis repræsentat. Quæ diversis ad ultimum excusa fuerunt characteribus, manu recentiori adjecta videntur. Vide editionis Maurinensis tom.* X, *fol.* 280.

(Post hæc verba capitis XXXI : *Sana fide in Ecclesia prædicavit;* hæc aliunde translata leguntur :)

Sed ne, ut supra tetigimus, Civitatis suæ ruinam videret, tertio obsidionis mense migravit ad Dominum, quinto kalendas septembris, cum vixisset annos septuaginta-sex, in clericatu autem vel episcopatu annos ferme quadraginta.

(Post hæc legitur caput XXVIII integrum hic transpositum. Deinde sequitur :)

Vir denique ipse debellator hæreticorum, defensor fidelium, et famosorum palma certaminum, in quibusdam libris nimia difficultate reconditus, in quibusdam sic est planissimus, ut etiam parvulis probetur acceptus. Cujus aperta suavia sunt, obscura vero magnis utilitatibus farcita pinguescunt. Hujus autem ingenii vivacitatem si quis nosse desiderat, libros ipsius Confessionum legat, ubi se refert omnes mathematicas disciplinas sine magistro comprehendisse, quas aliis sub doctis expositoribus (vix datur comprehendere[2]). Fertur itaque quod Marcus Terentius Varro apud Latinos innumerabiles scripsit libros; apud Græcos Calciodorus miris in scribendo attollitur laudibus. De nostris utique apud Græcos Origenes ad sex millia legitur libros scripsisse; horum denique studium Augustinus noster ingenio vel scientia sua vicit. Nam tanta privatim dictando tantaque in Ecclesia diversisque locis disputando conscripsit, ut vix quisquam studiosorum diebus et noctibus non solum scribere libros ejus, sed nec legendo nosse occurrit. De quo quidam catholicus Doctor quasi cum ipso loqueretur, testificans sic ait :

Mentitur qui te totum legisse fatetur

Iste vero in sancta Ecclesia inter nos post mortem vivens, nobiscum loquitur semper juxta cujusdam gentilis poëtæ gramma, quod suo scribere jussit sepulcro, hoc modo dicens :

Vivere post obitum vatem vis nosse viator?
Quod legis ecce loquor; vox tua nempe mea est.

Hic dum in Hipponensi sepultus est regione, propter immunditiam et crudelitatem gentilium, inde ablatus in Sardinia repositus est.

Decurrentibus itaque a die obitus ejus ferme ducentis octoginta annis usque ad tempora Liutprandi regis Longobardorum, audiens idem rex quod Saraceni, depopulata Sardinia, etiam loca fœdarent illa, ubi ossa sæpe dicti Patris ob vastationem barbarorum olim translata et honorifice condita fuerant, misit, et dato magno pretio accepit et transtulit ea Ticinum. Quæ utique ossa in basilica beati Petri apostoli, quæ a ticinensi populo Cœlum-Aureum nuncupatur, cum debito tanti Patris honore recondidit. Jure igitur in apostolica est collocatus ecclesia, qui pro apostolica dimicans fide, vivens verbis, et hactenus scriptis, diabolicas hæreticorum fraudes patefaciendo disperdidit; adjuvante Domino nostro Jesu Christo, fidei nostræ auctore, qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivens regnat per cuncta sæcula sæculorum. Amen.

[1] Vide tom. X, cap. XVIII, p. 270. Append. — [2] Hæc verba ansulis circumscripta desunt in Codice, sed sensu requiri videntur.

SANCTI AURELII

AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

SERMONES INEDITI.

CLASSIS I.

SERMONES DE SCRIPTURA.

SERMO I.

De ligno dignoscentiæ boni et mali.

Hic Sermo rejectus est in appendicem a Maurinis, sicut et sequens, ita ut ex duobus unus fiat in editis, et quidem perperam. Sola dubitandi ratio occurrit, quod in codice Corbeiensi extet sine nomine, et a quibusdam fuerit S. Ambrosio ascriptus, quibus ego rationibus me minime moveri libentissime fateor. In aliquibus enim veteribus libris contineri et ipsi inclamant Maurini; quin et tres nunc inventi, illis autem nondum cogniti, occurrunt codices, qui sancti Augustini fœtum hunc esse testantur. Legitur enim in duobus Codicibus Cassinensibus, nempe cod. CIII, *fol.* 206, *et cod.* CVI, *fol.* 350; *et quidem cum nomine beati Doctoris. Eidem pariter tribuitur in bibliotheca Laurentiana tom.* 1, *fol.* 80. *Quid si rejiciendi hujus sermonis causa fuisset sententia auctoris de bonitate Dei, in quibusdam non consentiens recentiorum hæreticorum opinionibus?* (*Vide n.* III.) *Unde duos illos sermones Augustino restituimus, et emendatos ad authenticos codices hic repræsentamus. Locus ejus post sermonem* I, *cum numero Serm.* II.

SYNOPSIS.

I. Exordium. II. Arbor a Deo prohibita. III. Mors in arbore facta non fuit. IV. Arbor non erat mala. V. Idem comparationibus comprobatur. VI. Peccatum soli Adæ imputandum, non arbori aut Deo. VII. Conclusio.

I. In Veteri Testamento, id est, in Genesi[1] legimus, Dominum dixisse ad Adam : « Ex omni ligno quod est in » medio paradisi edetis, ex ligno autem dignoscentiæ » boni et mali, quod est in medio paradisi non edetis; » qua die autem ederitis morte moriemini (*a*). » Multos[2] scimus, carissimi Fratres, de hac arbore quæstiones vanas movisse, qui dicunt[3] Adam non voluntate peccasse, quia in illa arbore fuit dignoscentia boni et mali, qui cum hominis culpam excusare nituntur, Deo conditori injuriam faciunt. Quibus ratio reddenda est, ne diutius quæstiones vanas moveant, neque lateant in errore talia mentiendo[4]. Sed si volunt nosse taceant et audiant, ne loquendo stulta[5] Deo convicium faciant.

II. Una arbor fuit in medio paradisi explorans hominis voluntatem; in ea vita pendebat per obedientiam[6], mors per transgressionem latebat. In ea apparuit hominis transgressio, in qua legis præceptio firmata fuit[7]. Dixit illis Deus : « Ex omni ligno quod est in medio paradisi ede-

(*a*) Gen. II, 16, 17.

[1] Edit. *Legimus in Genesi, dixisse Dominum.* — [2] Vox *multos* deest in nostro Codice. — [3] Edit. *male dicunt.* — [4] Edit. *aut usque adhuc taliter sentiendo lateant.* — [5] Edit. *stulta loquendo.* — [6] Hæc verba necessaria *per obedientiam* desunt in Edit. Eorum loco legitur *et in ea.* — [7] Edit. *in qua firmata fuerat legis præceptio.*

» tis, de illa autem[1] arbore, quæ est in medio paradisi, » non edetis; ne morte[2] moriamini (a). » In hoc verbo lex erat a Domino homini posita, in quo[3] fuit præmium vitæ constitutum cum interminatione sententiæ. Dixit Deus: « Morte moriemini[4], si gustaveritis (b); » et diabolus dixit: « Morte non moriemini[5]. » Stetit homo inter factorem Deum et diabolum deceptorem. Deus mortem[6] minatur, si tangatur arboris fructus; diabolus, si sumatur fructus, promittit deos esse futuros[7]. Sic arbor illa violata[8]; appetita est venenosa dulcedo mortis[9], et contempta est salubritas perpetuæ vitæ.

III. Sed dixit[10] aliquis calumniator: Vides quia in illa arbore fuit facta mors. Respondeamus vanæ quæstioni. Non fuit plane in illa arbore facta, sed inventa per hominem. Hæc fuit probatio hominis, non deceptio Salvatoris. Nam si Deus hominem non amasset, nec et fecisset nec ante[11] præmoneret, si mortificare voluisset. Quod si ante non præmoneret, non erat misericordia, sed impietas, nec justitia, sed injustitia, ut ipse fecisset misericorditer hominem et labi fecisset injuste. Hæc impietas nec in homine esse debet, quanto magis in Deo non fuisse credenda est, qui fons bonitatis et pietatis est. Quis hominum, Fratres mei, opus suum perire patiatur, aut[12] fabricam suam ruinæ tradat, aut filium quem genuit in foveam mortis impingat. Si in homine ista crudelitas non est, quomodo in Deo fuisse credenda est[13], qui fabricam suam, id est hominem, bene disposuit, et imminenti[14] ejus ruinæ destinatione præcepti[15] suffulsit, ne caderet? Sed stare non potuit;. quare? quia audire noluit. Quid ergo imputamus Deo, si Adam cecidit, qui ut caderet præceptum Dei contempsit?

IV. Dic mihi: Arbor ipsa bona fuit, an mala[16]? dicturus es utique mala, de qua homo pomum rapiendo epulatus est mortem[17]. Ergo arbor fuit mala, an transgressio mandati? plane arbor; nam si mala non fuisset, homini mortem non propinasset[18]. Hæc dicis non intendens virtutem Scripturarum; nam sicut scriptum est: in illa arbore fuit[19] « dignoscentia boni et mali (c), » item[20] scriptum est: « Et vidit Deus quæ fecit et erant[21] bona valde (d). » Illud credis, quod te in errorem inducat, et hoc quod te ad sanitatem[22] perducat non credis? vis nosse, qui calumniaris, quia arbor illa non fuit mala, sed bona; nec in ea facta est a Deo mors, sed homo sibi mortem creavit? Ferrum[23] bonum est, an malum? sine dubio dicturus es: Malum. Quare malum, et non bonum, cum omnia quæ fecit Deus bona sint[24] valde? quare[25] bonum dicis esse ferrum, unde homines perimuntur? audi ergo. Non ferrum malum est, sed homo[26] qui ad factum utitur ferro, ipse malus est. Nam vis nosse quia bonum est ferrum? Unus eo utitur ad putandam[27] vineam, et alius ad perpetrandum homicidium. Unus[28] se pascit ferro, et alius innocentiam[29] perimit gladio: unus agrum ferro colit, et alius in pace ferro sanguinem prodit: unus operatur ferro ut vitam sustentet suam, alius autem ferro vitam eripit alienam. Nam et judex gladium portat, ut in reum[30] animadvertat, et innocentem absolvat.

V. Adhuc audi, si vacat, Calumniator; vinum bonum dicis esse an malum? puto quod dicis esse bonum, non malum; et hoc ad judicium æquitatis, et non ad ebrietatis beneficium[31]. Ergo bonum est vinum, bonum valde. Bene quod in uno[32] confessus es bonam esse Dei creaturam; et ego confiteor bonam esse. Quare ergo unus accipit ad sobrietatem, et alius ad ebrietatem[33]? numquid quia unus inebriatur[34] et turpis videtur, ideo maledicenda est creatura Dei? Alius sobrie bibit, et benedicit Deum in ipsa sobrietate; nam qui inebriatur, in foveam cadit, et aliquoties, quod pejus est, mortem incurrit[35]. Cibi, quos nobis Deus largitus est ad edendum[36], non sunt mali, sed boni, et tamen, si amplius sumantur[37], perniciosi sunt et nocivi. Numquid ideo mala dicenda est Dei creatura, quia nocet, aut aliquibus perniciosa est? Sed qui eam in perniciem salutis suæ amplius præsumunt quam quod Deus generi humano largitus est, ipsis nociva est[38]. Nam hoc, quod dicturus sum, bene omnibus cognitum est[39]. Scimus aliquos multo vino et cibo præfocatos et morte præventos[40]. Numquid in vino aut cibo fuit mors? Absit, sed intemperantia ciborum fecit eos in mortem incidere[41]. Sicut ferrum non ideo malum dicendum est, quia de eo latro fecit[42] homicidium; sed ipse malus est, qui eo utitur ad perimendum hominem. Ita et illa arbor non fuit mala, sed bona; sed hoc fuit plane malum, quod homo Dei præceptum transgressus est. Nam quidquid Dominus ad usum hominis dare dignatus est, bonum est[43]. Ecce et[44] de Novo Testamento profero testimonium, bona esse[45] quæ Deus fecit. In Actibus Apostolorum obdormisse Petrum legitur[46], et visum vidisse: « Deponi de cœlo vas quoddam candidum, velut linteum, in quo erant volatilia, quadrupedia, et serpentia[47] posita. Et dixit ad eum vox: » Surge, macta[48] et manduca. Et dixit: Absit, Domine; » nunquam manducavi quidquam commune[49] aut immundum. Iterumque ad eum vox[50]: Quæ Deus, inquit, sanctificavit, tu commune ne dixeris (e). » Quid est, Calumniator? hæc non solum bona? sed sanctificata esse omnia ex[51] ore divino probavimus.

VI. Arbor igitur[52] hæc non fuit mala, sed bona, nec in ea aliquid reperiri potuit malum[53]; sed homo fuit a semetipso malus, qui male usus est bono, quod fecerat Deus. In hoc mala voluntas hominis agnoscitur[54], quod ei omnis paradisi plenitudo non abundavit. Et quia ad arborem interdictam manum extendit, animæ mox mortem incurrit[55]. Si unam arborem ei Divinitas esset largita[56], et omnis paradisus fuisset interdictus, sufficere debuit[57] quod ei largitus est Deus. Sed quia amplius voluit, quam quod ei largientis indulsit voluntas[58], et hoc quod habuit con-

(a) Gen. II, 16, 17. — (b) Id. III, 4. — (c) Id. II, 17. — (d) Id. I, 31. — (e) Act. X, 11, et seqq.

[1] Edit. *verp.* — [2] In Cod. male *moriemini*; deest vox *morte*. — [3] Edit. male. *Lex erat a Deo posita homini, in ea fuit præmium constitutum.* — [4] Edit. *Deus dixit: Si gustaveritis morte moriemini.* — [5] Edit. *non morte moriemini.* — [6] Cod. minus bene *morte.* — [7] Hæc et supius in Editis verba eadem leguntur, sed ordine paululum diverso; ab indicanda levi illa differentia abhinc abstinebimus, ubi mutatio sensum affecerit. — [8] Hæc phrasis deest in Editis. — [9] *Mortis* desideratur in Editis, et quidem male; male iterum Codex habet *appetitia.* — [10] Edit. *dicit.* — [11] Edit. *nec et antea.* — [12] Cod. male *ut.* — [13] Edit. *non in Deo credas fuisse.* — [14] Cod. male *imminentiæ.* — [15] Edit. male *destinam præcepti*; unde abjicienda docta quidem, sed inutilis nota, ad inferiorem paginæ marginem apposita. — [16] Cod. minus bene: *an non?* — [17] Maurini male: *Dicturus es: Mala, mala utique, de qua homo pomum rapiendo mulctatus est morte.* Prius Editi pejori modo: *Mutatus est in mortem.* Nostram lectionem veram esse patet. — [18] Edit. male. *Adam non cecidisset.* Cum nostris Codicibus concordat MS. Compendiensis. — [19] Edit. *fuisse dignoscentiam.* — [20] Edit. *ita.* — [21] Edit. *ecce.* — [22] Edit. *salutem.* — [23] Edit. habent: *Dic mihi, Calumniator: Ferrum,* etc. — [24] Cod. male *sunt.* — [25] Edit. *quale.* — [26] In Edit. deest *homo.* — [27] Edit. *putandum.* — [28] Edit. *alius.* — [29] Edit. *innocentem.* — [30] In Cod. deest *in.* — [31] Edit. *puto quod bonum esse dicas, et hoc æquitatis judicio, non ebrietatis beneficio.* — [32] Edit. male *in vino.* — [33] Edit. *Quare ergo unus accipit cum sobrietate, alius ad ebrietatem?* Cod. male *accepit.* — [34] Edit. male *unus de eo ebriatur.* — [35] Cod. male *alius inebriatur, et in foveam cadit, aliquoties, quod pejus est, mortem incurrit.* — [36] Edit. *Dominus largiri dignatus est ad utendum.* — [37] Edit. *præsumuntur.* — [38] Edit. male: *sed quia in perniciem salutis suæ amplius præsumunt, et quod Deus generi humano largitus est ipsis nocivum est.* — [39] Edit. *et quæ dicturus sum bene omnibus nota sunt.* — [40] Edit. non habent: *et morte præventos.* — [41] Edit. *cadere.* — [42] Edit. *sic et pro sicut, et facit pro fecit.* — [43] Edit. *nam bonum est quidquid Deus homini ad utendum tribuere dignatus est.* — [44] In Edit. deest *et.* — [45] Edit. *omnia.* — [46] Edit. *legimus.* — [47] Edit. *serpentia terræ.* — [48] Edit. *Surge, Petre, victima et manduca, et Petrus ait.* — [49] Edit. *quoniam nunquam comedi.* — [50] Edit. *cui dixit*; et post deest *inquit.* — [51] Edit. non habent *ex.* — [52] Apud eosdem desideratur vox *igitur.* — [53] Edit. *mali.* — [54] Edit. *cognoscitur.* — [55] Edit. *ut cui omnis paradisus subjacuit, ad arborem interdictam manum extendens mortem incurrit.* — [56] Edit. *largiretur.* — [57] Edit. *debuerat.* — [58] Cod. minus bene *potestas.*

fusus amisit, et in prævaricationis necem nihilominus irruit præceps[1]. Peccatum Adæ, cui imputandum est? Deo, qui monuit, aut ei qui noluit audire? Medico, qui vulnerato præceptum[2] dedit, aut vulnerato, qui, contra præceptum medici, noxia poma gustando, causam transgressionis incurrit? Medicorum ars est[3], quos viderint nimia ægritudine laborantes, ab his eos prohibere escis, quæ sunt perniciosa saluti, ut aut periculum possint cavere, aut mortem. Quod si ægroti contra medici præceptum per intemperantiam contraria sumpserint, et mortem incurrerint[4], quid pertinet medico, qui prævidens causam, observationem indixit? Ita nec Deo medico animarum imputandum est, quod Adam cecidit, qui eum ante monendo, in æternum vivere voluit.

VII. Multa supersunt de istis quæstionibus, quæ dicenda sunt; sed hora præteriit[5] singula dicere, ne longitudo sermonis fastidium faciat auditoribus; debitorem me dico; dilationem peto; sed vereor ne debitor occurrat, et creditor absentiam procuret.

SERMO II.

De ligno dignoscentiæ boni et mali II.

Idem de hoc Sermone dicendum ac de præcedenti. Notandum est tantum hic unum solummodo occurrere codicem, nempe Cod. VI, *fol.* 352. *Hic recurrit et fortior quidem dubitatio de causa propter quam Sermo iste rejectus est a Maurinis. Asseritur enim, nec incerte, sed clare, hominem invitum non peccare, peccare voluntate, non necessitate; Job vinci non potuisse, quia non voluit, etc. quæ quidem sententiæ non erant gratæ doctis editoribus. In dubium igitur potest revocari horumce virorum judicium, quos a recta via per conceptas prius opiniones abductos fuisse facillime credendum est. Ponatur hic Sermo post præcedentem cum numero Serm.* III.

SYNOPSIS.

I. Exordium. II. Cur Deus sciens Adam peccaturum, non eum revocavit a peccato. III. Mors ex divini mandati contemptu. IV. An debuit Deus permittere peccatum? V. Adam non ideo malus, quia genitor homicidæ. VI. Nec Deus, quia Adæ peccatoris creator. VII. Conclusio.

I. Debitum de quo supra[6] curo solvere sermonem; sed pristinos meos non invenio creditores; aliquos video, aliquos requiro. O creditor piger, cum veneris ut debitum exigas, quid absentiam[7] procuras? Debitor satisfacere debito[8] cupit, et creditor desidiosus absentiam facit[9]. Novam rem video; instat debitor creditori, ut debitum restituat[10], et ille, ut recipiat, venire excusat. Sed quid interest? si[11] creditor venire noluit, reddat debitor quod promisit.

II. Adhuc calumniator ille pristinus, tot probationibus convictus, non acquiescit, sed dicit: Sciebat Deus hominem posse peccare, annon[12]? Respondeamus ei, ne videatur sibi aliquid dixisse: Sciebat plane. Si ergo sciebat eum posse peccare, quare non eum revocavit a peccato? Quare? Quia invitum non decuit coronari[13]. Quis, inquam, Fratres mei, præmium non pugnanti dabit[14]? Aut quæ corona non dimicanti? Aut quæ sine conflictu victoria? Audi Apostolum divino ore loquentem: « Nemo coronatur, nisi qui legitime certaverit (*a*). » Adam nec pugnavit, nec certamen cum diabolo suscepit; sed ad unam suggestionem, præmium immortalitatis amisit. Victus est, quia non pugnavit; succubuit voluntati[15], non necessitati. Vis nosse[16], o Calumniator, qui signare te nescis, et Deo calumniaris[17], quia Adam voluntate peccavit[18]? Nempe Job homo fuit similis illi. Quanta perpessus est et toleravit! Pugnavit fortiter et vicit; a Deo in potestatem diaboli datus est, et sustinuit. Et utique quem sciebat Deus superari[19] non posse, in potestatem non debuit dare: sed ideo taliter eum probare voluit, ut nobis excusationis et calumniæ articulum amputaret[20]. Expoliatus divitiis et censu, vinci non potuit, quia nec voluit. Filios[21] amisit, et Dominum benedixit. Parum fuit[22] hoc; postea ulceribus[23] plenus, in stercore jacuit, et nihil mali adversus Deum loqui voluit[24]. Licet doloribus urgeretur loqui, verba tamen non fuerunt improperii. Cui etiam uxor sua non ad adjutorium, sed ad deceptionem fuerat reservata[25]; ad adjutorium quidem diaboli, sed ad deceptionem plane mariti. Subrogata[26] a diabolo, talia persuadebat dicens: « Quandiu hæc pateris? dic verbum » contra Dominum, ut indignetur tibi, et moriaris (*b*). » O affectus uxoris! o malagma conjugalis! non dixit: « Confitere Domino ut propitietur tibi et vivas, » sed « Blasphema, inquit, Deum, ut indignetur tibi et moriaris[27]. » O argumenta serpentis antiqui! Per uxorem putavit[28] decipere, cujus animam vulneribus[29] ad blasphemiam non valuit incitare[30]. Deo nec sic Job quidquam ingrate aut contrarium est locutus; neque per suggestionem uxoris, diabolo, sed potius Deo, tolerans obedivit. Adam vero quid tale pertulit? Quod cum diabolo certamen habuit? Nihil tale pertulit: quare diabolo potius quam Deo obedivit?

III. Sed adhuc, Calumniator, dicis[31]: Quare Deus dixit: « Morte moriemini, » nisi quia Deus ipsam mortem fecit, qui eam non avertit? Respondetur tibi, et in hoc, Calumniator ineptissime. Si tu, cum sis corruptibilis[32] homo, habens sub te famulos, quibus ut se, ne in periculum mortis corruant, vitæ committis præceptum; et in his omnibus contigerit uni eorum per incuriæ negligentiam, laqueum incurrere necis[33], numquid mors ejus tibi imputanda erit, et non potius ei, qui tuam admonitionem contemnendo mortem incurrit? Sic nec Deo mors Adæ ascribenda est, qui eum ante transgressum[34], in mortem ne incurreret, monuit. Certe[35] manifestum est Deum[36] noluisse hominem perire[37], neque mortem fecisse; juxta dicentis testimonium sapientissimi Salomonis: « Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum (*c*). »

(*a*) 2 Tim. II, 5. — (*b*) Job. XI, 9. — (*c*) Sap. I, 13.

[1] In Edit. desunt voces *confusus... prævaricationis... nihilominus... præceps.* — [2] Edit. *observandi præceptum.* — [3] In Cod. abundat hic particula *ut.* Edit. habent: *ut eis, quos viderint nimia ægritudine laborantes, ea prohibeant quæ perniciosa sunt, aut periculum procurant.* — [4] Edit. *quod si ægrotus contra medici præceptum per intemperantiam contraria sumens mortem inciderit.* — [5] Cod. minus bene *præterit.* — [6] Hæc verba *de quo supra* desunt in Edit. — [7] Edit. *tuam absentiam.* — [8] Edit. *creditori.* — [9] Edit. *absentem se facit.* — [10] Edit. *ut debitum recipiat, et ille excusat.* — [11] In Cod. deest *si.* — [12] Ibid. desideratur *annon.* — [13] Edit. *coronare.* — [14] Edit. *dat.* — [15] Cod. male *voluptati.* — [16] In Edit. desunt verba: *vis nosse.* — [17] Edit. *vis calumniari.* — [18] Edit. *Adam non voluntate peccavit.* — [19] Edit. *penitus superari.* — [20] In Cod. desunt male *et... articulum.* — [21] In Cod. deest vox *filios.* — [22] Edit. *est.* — [23] Cod. male *vulneribus.* — [24] Edit. male *potuit;* et post simplicem virgulam *licet doloribus urgebatur loqui; sed verba non fuerant improperii.* — [25] Edit. *cui jam uxor sua non adjutorium, sed deceptio fuit.* Phrasis sequens integra deest. — [26] Edit. *subornata.* — [27] In Cod. desunt hæc ex his verbis: *O affectus,* etc., quæ supplentur ex Editis. — [28] Edit. *putavit Job.* — [29] Edit. *animum vulneribus plenum.* — [30] Cod. *irritare;* et postea sine sensu legitur dimidiata phrasis: *et nec sic potuit, sed adjutorem Deo.* — [31] Codex male *dicit.* — [32] In Edit. deest *corruptibilis.* — [33] Edit. *habens filios, omnes admones, omnibus præceptum das, ut te sequantur, et imitentur in omnibus, et si unus eorum contemptor extiterit, et per malam conversationem mortem incurrerit.* — [34] Edit. *transgressionem,* et deinde *incideret.* — [35] Edit. *nam.* — [36] Edit. *monuisse Dominum atque noluisse.* — [37] Edit. *mori,* et post *nec ipsum fecisse mortem. Testificatur huic verbo sapientissimus Salomon dicens.*

Adam namque[1] præceptum Dei contempsit[2]. Non verberibus cæsus, neque gladio percussoris fuit multatus. Imperatoris nempe facta[3] nemo sine periculo sui sanguinis contemnit. Homines utique imperatoris suscipiunt cum tremore et veneratione vilissimam chartulam, atramento conscriptam[4], et velut divinos apices adorant. Sed Scripturæ divinæ leguntur, verba Dei tonant, ipse Dominus quodam modo præsentibus loquitur, nec veneratur[5], nec timetur, neque adoratur, nec auditur; sed, quod pejus est, velut fastidientes, discurrente per illicita visu, auditum avertentes, inanibus obnoxia cum detractione fabulis occupamur[6]. Imperator longe positus, de charta loquitur et tremitur[7], et quasi præsens in illa charta adoratur[8]; testimonium dominicum recitatur, et ab aliquibus contemnitur[9]. Ipsum Prophetæ clamant, Apostoli prædicant, Evangelia loquuntur; per se ipsum hominibus fabulatur, et non auditur. Audi præsentem Deum[10] et loquentem : « Ubi fuerint, inquit, duo vel tres congre- » gati in nomine meo, ibi sum in medio eorum (*a*). »

IV. Sed utique, inquiunt calumniosi[11], Deus non debuit hominem permittere ut peccaret. O stulti qui hoc dicunt, et[12] non considerant quia Deus non statuam fecit lapideam aut ligneam, sed hominem perfectum condidit, cui et liberi arbitrii potestatem dedit[13]! Debuit considerare quid boni appeteret, et quid mali contemneret; debuit timere quod minatus est Deus, et contemnere quod persuaserat diabolus; et proposito sibi immortalitatis præmio, ad hoc debuit aurem cordis parare[14], ut Creatoris sui servaret præceptum, non exterminatoris consilium[15]. Non melius hominem culpo quam Deum, qui hominem bonum fecit? cui procul dubio injuriam facio, dum contra eum defendo hominem[16]. O stulta et vana quæstio! Dicunt homines : Deus non debuit hominem permittere ut peccaret, et non dicunt quia homo male fecit, Dei præceptum transgrediendo, ut peccaret. Quia[17] utique ipse homo debuit mortem timere, et ad interdictam arborem non accedere.

V. Si quisquam hominum, nolo dicere imperatoris sæculi, vel certe[18] judicis præconem contempserit, non rapitur ad supplicium? Dei præcepta[19] contempsit Adam, et ab aliquibus defenditur. Quare culpas Deum cum tuo periculo[20], et non hominem sine tuo præjudicio[21]? Quare accusas[22] Artificem qui bene fabricavit, et defendis hominem qui ædificio suo adesse noluit? Qui divini præcepti immemor fuit, in vulnus[23] transgressionis incurrit. O qui Adam defendis et Deo injuriam facis, ad quod te interrogo responde mihi : Adam bonus fuit an malus? Dicturus es bonus, ut plena sit tua defensio. Si ergo bonus fuit, quare unum filium bonum, alium latronem fecit[24]? Debuit, utpote bonus[25], ambos bonos creare, aut si, ut tu[26] dicis, Deo faciente peccavit, ambos malos debuit generare. Quare unum innocentem, et alium effundentem innocentis sanguinem genuit? Unus dedicavit martyrium, et alius initiavit parricidium. Ergo Caïn quod germanum occidit, reus non est, quia genitor ejus suscepit reatum, qui filium creavit latronem[27]. Si Adam invitus peccavit[28], ergo Caïn invitus in jugulum fratris gladium fixit. Talem justitiam tenent, quia legi calumniantur[29] ut geniti sint rei, et eorum[30] genitores ipsorum[31] reatu teneantur obstricti. Ecce Adam qui genuit latronem, et ecce Caïn qui interfecit fratrem. Quis[32] ex his duobus est reus? Pater qui genuit, aut filius qui germanum morte[33] peremit? Cesset calumniator, taceat calumniator; quamvis nunquam aliquid verius dicit, qui veritati calumniam fecit[34]. Ubi es, Calumniator? Responde mihi pro suscepto tuo, qui de te eras securus. Defende quem usque modo defendebas. Quare recessisti? quid tacuisti? Ecce pro filii reatu reus tenetur Adam qui genuit parricidam. Quare non dicis : Non est reus?

VI. Exurrexit qui tacebat. Non taceo, inquit, respondeo plane et defendo; nec filius pro patre, nec pater pro filio reus est, quia scriptum est : « Anima patris mea est, » et anima filii mea est : anima quæ peccaverit, ipsa pu- » nietur (*b*). » Quasi experrectus[35] est calumniator ille, qui dormiebat; aperuit os[36], cœpit loqui, sed modo tacebat. Dic ergo : Nec filius pro patre, nec pater pro filio reus est. Responde pro suscepto tuo, et ego pro Deo meo. Defende Adæ causam, et ego Domini mei[37] injuriam. Tu dicis non esse justum ut reus sit Adam pro filio, et ego consentio; ergo si patrem non involvit filii reatus[38], quare imputas Deo Adæ peccatum[39]? Et sicut non est judicandus[40] pro Caïn, sic nec Deo quod Adam peccaverit[41] imputemus[42].

VII. Desine, stulte Calumniator, si tamen calumniator, et non potius blasphemator dicendus es, desine talia de Deo loqui, et talia delirare. Considera te primum qui sis, qualis vel a quo factus sis, et vide utrum debeas de Factore ita loqui, qui non audes loqui de conservo tuo.

SERMO III.

In istud : Ne tardes converti ad Dominum (*c*).

Sermo iste a Codice XII *Cassinensi eruitur, qui totus fere S. Augustini fœtus complectitur. Nomen et stylus perfectissime concordant; unde dubitandi locus minime relinquitur. Ponendus est in editione Maurinensi post Sermonem* XL, *ubi eadem verba explicantur.*

SYNOPSIS.

I. Bona opera cum fide necessaria sunt. II. Procrastinantes arguuntur. III. Contra desperationem et præsumptionem. IV. Procrastinatio iterum impugnatur. V. Conclusio.

I. Cum de bonis operibus frequentius admonemus aliquos ex nostris, ad justitiam, vel ad eleemosynam pigros, et ad luxuriam, vel avaritiam promptos esse cognoscimus. Pene est ut suspicemur eos, qui tales sunt, futurum judicium non timere. Et revera, Fratres, quando negligentes et tepidos Christianos nec peccata vitare, nec præmia sibi æterna videmus bonis operibus providere, quid superest,

(*a*) Matth. XVIII, 20 — (*b*) Ezech. XVIII, 4. — (*c*) Eccli. V, 8.

[1] In Edit. deest *namque*. — [2] Edit. *neglexit, et in mortem incidit*. Phrasis sequens in eadem integra desideratur. — [3] Edit. *revera, Fratres, imperatoris Sacram* (nempe epistolam) *sine periculo*, etc. — [4] Edit. *scriptam*. — [5] Vox passiva, id est, non recipit venerationem. — [6] Edit. *et non auditur, aut fastidiose homines audiunt, aut, quod pejus est, sedentes fabulis vacant*. — [7] Vox passive sumpta, quanquam non sic communiter. — [8] Cod. minus bene *adhortatur*. — [9] Edit. *testamentum Domini cum recitatur ab aliquibus hominibus et contemnitur*. — [10] Edit. *Dominum*. — [11] In Edit. additur vox *homines*. — [12] In Edit. deest *et*. — [13] Edit. *ut consideraret quid boni*, etc. — [14] Edit. *habere corparatum, et Creatoris sui servare*, etc. — [15] Edit. *audire consilium*. — [16] Edit. male : *non melius hominem culpo quam Deum? qui hominem fecit, injuriam faciat?* — [17] Cod. minus bene *qui*. — [18] Duæ istæ voces desunt in Edit. — [19] Edit. *præceptum*. — [20] Edit. *judicio*. — [21] Edit. *periculo*. — [22] Edit. *incusas*. — [23] Cod. male *vulnere*. Edit. male non ponunt punctum post *noluit*. — [24] Edit. *genuit*. — [25] Hæc verba *utpote bonus* non leguntur in Edit. — [26] Voces *ut tu* desunt in Cod. — [27] Vox *latronem* non est in Edit. — [28] Non reperitur in Edit. phrasis principium *Si Adam invitus peccavit*. — [29] Edit. *qui... calumniari nituntur*. — [30] Edit. *horum*. — [31] Vox *ipsorum* deest in Editis. — [32] Edit. male *qui*. — [33] Edit. *crudeli morte*. — [34] Edit. *cessit... tacuit... facit*. — [35] Cod. male *expertus*. — [36] Edit. *os suum*. — [37] Edit. *Dei mei*. — [38] Edit. *reatus ad peccatum*. — [39] Hæc desunt in Edit. — [40] Edit. *judicandum*. — [41] Edit. *peccavit*. — [42] Edit. adjiciunt, *sed sic agamus, ut ad indulgentiam Dei veniamus*. Reliqua desunt.

ut eos opinemur credere, quod nec bonis præmia, nec malis supplicia (sint) in Dei judicio repensanda. Et vere, Fratres, ipsum in veritate intelligimus Dei judicium timere, quem bonis operibus videmus insistere. Illi vero, qui nec bona opera conantur implere, et lectioni, et orationi vacare dissimulant, quid eis prodest, quod verbis asserant fidem, cum probentur[1] factis destruere veritatem, Jacobo apostolo dicente : « Quid proderit, fratres mei, si » fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? » Numquid fides poterit salvare eum? si autem frater » aut soror nudi sunt, et indigent victu quotidiano, » dicat autem aliquis de vobis illis : Ite in pace, cale» facimini et saturamini, (et) non dederitis eis quæ ne» cessaria sunt corpori, quid proderit? Sic et fides, si » non habeat opera, mortua est in semetipsa (a). » Ait enim talibus Deus, et omnem infidelitatem illorum redarguens dicit : O homines increduli, si non creditis quod promisi, considerate quod feci cœlum et terram, « Dixi et facta sunt (b). » Tu eni promitto, non eras, et factus es. Non existentem facio, et jubentem[2] decipio. Attendite ergo quæ dico, et excepturos vos credite quod promisi.

II. Sed infirmata et ægrota, infelix et ignara, dissoluta hæc paralytica cogitatio, et interior, incommoda, quæ mentis obstruit claustra, ut quotidie peccata transire putentur[3] : Transivit hodie, transit et cras, et aliud cras addes ad crastinum, et alterum crastinum, et converti dissimulas, et non metuis ne tibi mors repentina subripiat. Nonne homines subito moriuntur, quia tu attendis ut differas agere pœnitentiam, et divinam dissimulas quærere misericordiam? Dicis quidem : Converti bonum est; si bonum est, cito facias; si bonum est cito accipere, malum est nunc accipere? Quare, dic mihi, et bonum confiteris, et accipere non festinas? Forte dicis mihi : Securum me Deus facit. Unde securum facit? Quid scriptum est? « Peccator et iniquus in quacumque die conversus » fuerit, omnes iniquitates ejus obliviscar (c). » Ecce ubi me Deus securum facit. Habui hesterna die decem peccata, hodie quindecim, crastina forte viginti. Cum ergo verum sit quod Dominus dixit, quandocumque conversus fuero, omnia peccata præterita et omnes iniquitates meas obliviscetur. Quid me terres[4]? Deus mihi promittit indulgentiam, et tu mihi desperationem facis? Negare hoc non possum Deum promisisse. Quare ergo hodie non converteris? Quia etsi tardius conversus fuero, sic mihi promittit plura dimittere, quomodo hodie pauciora. O securitas vana! certe faciebas me securum. Video quidem per promissionem Dei indulgentiam tibi promitti, diem vero crastinum quis tibi promisit? et ideo convertat se unusquisque ad Deum, sicut dicit : « Convertite vos, quærite Deum, et cum inveneritis eum, de» relinquat impios viam suam (d). Convertite vos, » male sperantes[5]; duo sunt enim vitia generis humani, quibus pereunt, alii sperando pereunt, alii desperando. Non est mirum, magis miraculum[6] est perire hominem sperando.

III. Videamus itaque et breviter consideremus, qui pereant sperando, et qui desperando; utrisque quam medicinam offerat Deus. Desperando perit qui dicit : Ego scio facinora, et ego novi scelera mea. Quando fieri potest ut illa quæ feci dimittat mihi Deus? Desperando perit qui dicit : Quid prodest quod dicis? Jam faciam quidquid possum, hoc perdo quod non facio. Sic me damnaturus est Deus pro uno peccato, quomodo pro multis peccatis? et ideo si illam vitam non habiturus sum, vitam istam perdere nolo. Quare non faciam voluntates meas? quare non expleam libidines meas? Desperando perit. Alius timens præcipitia desperationis, incipit perire sperando. Quomodo sperando? Quandocumque, inquit, fuero conversus, totum mihi Deus promittit dimittere, spero in ipsius misericordia, quia totum mihi dimittet. Et differt de die in diem; et subito intrat illi dies extremus mortis, et perit dilatio, et restat damnatio[6]. Ad ambos itaque Scriptura loquitur. Desperando volebas perire, audi Dominum dicentem : « Nolo mortem impii, quantum ut re» vertatur et vivat (e) : » mori volebas, redi et vive; si te Deus perire velit, peccantem tolleret, quando tanta peccasti. Sed adhuc cum vivis[7], ad pœnitentiam invitaris. Et hæc tibi desperanti Deus dicit : « Nolo mortem im» pii. » Tu vis mortem tuam; ego nolo; non te fecisti, et desperando periisti. Deus autem, et cum non esses, fecit te, et postea perditum quæsivit te, et per sanguinem Filii sui invenit et redemit te, et ipse tibi clamat remedia. A præcipitio[8] desperationis redi : « Quia nolo mortem im» pii, quantum ut revertatur et vivat ».

IV. Cœpisti perire, rediisti a præcipitio desperationis, sed velut in medio sta, nolo te ire in contraria, nec de peccatis tuis desperatione diffidas, nec de vita longiore confidas. Convertere ergo. Sed dicis : Cras, inquit, me converto. Quare non hodie[9]? Et quid mali si cras? Imo quid mali si hodie? Ego scio quia longa erit vita mea. Hoc scio, quia Deus non promisit. Mathematicus-ne forte longam vitam tibi promisit, qui cum quo pereat quærit? Sed ad extremum dico : Longa erit vita tua, concedo; si longa erit, bona sit; si brevis, et ipsa sit bona. Nam quid te offendit vita tua, quam solo vis habere mala, et inter omnia bona tua sis malus? Sed dic mihi, Frater, numquid nosti quantum temporis victurus sis? aut ubi legis indulgentiam te accepturum, si te non correxeris? Legis aliquando longam vitam tibi esse promissam, aut forte cum morte pactum fecisti? Spero quia centum annis vivas; adde et decies centum; quid proderit? Nam et ipse Adam, si adhuc hodie viveret, paucos annos vixerat, quia omnes finierat.

V. Esto ergo correctus, esto paratus, et non timebis diem ultimum « Tanquam furem, qui dormienti effodiat » parietem (f). » Ergo audi, qui desperando volebas perire. Audi Scripturam, quomodo (dicit)[10] desperando eum perire velis : « Nolo mortem impii, quantum ut revertatur » et vivat. » Si rediisti a desperatione, sic audi ut redeas a perversitate, et constituaris in spe bona. Audi quid tibi dicit Dominus male speranti, et quotidie differenti : « Ne » tardes, inquit, converti ad Deum, et ne differas de » die in diem (g). » Verba Dei sunt, non mea[11]. Non a me hæc auditis, sed ego vobiscum audio : « Ne tardes, inquit, » converti ad Dominum. » Tu vero respondes, Cras. O vox corvina! Quomodo corvus de arca demissus non est reversus, jam senuit, et dicit : Cras, cras; vox corvina est[12]. Caput album et cor nigrum. Corvus de arca demissus non rediit; columba rediit. Pereat ergo strepitus corvinus, et adsit gemitus columbinus. Clamat tibi et consolat tibi[13] : « Ne tardes converti ad Dominum, et ne dif» feras de die in diem, subito enim venit ira ejus, et » tempore vindictæ disperdit te (h). » Hæc enim, Fratres charissimi, si cum grandi timore et sollicitudine cogitatis, ad pœnitentiæ remedia et eleemosynarum medicamenta animas vestras, Deo auxiliante, convertatis, ut ante tribu-

(a) Jac. II, 14-17. — (b) Gen. I, 3 et seqq. — (c) Ezech. XVIII, 21, 22. — (d) Isai. LV, 6, 7, et XVIII, 21, et XXXIII, 15. — (e) Ezech. XXXIII, 2. — (f) Matth. XXIV, 43. — (g) Eccli. V, 8. — (h) Ibid. 9.

[1] Codex habet *justos*, quod nullum affert sensum. Scribendo errasse amanuensem facile crediderim. — [2] *Forte exsistentem.* — [3] Vide Serm. LXXXII, n. 14. — [4] Vide Serm. XL, n. 4, 5. pro *promissa indulgentia* Codex male *terris*. — [5] Vide Serm. XX, n. 3, ubi S. Doctor eadem repetit. — [6] Vide Serm. XX, n. 4. — [7] Codex male *cuivis*. — [8] Id. *ad præcipitium desperationis redi*. — [9] Vide serm. XL, n. 5. — [10] Vox *dicit* deest in Cod. — [11] Vide Serm. XL, n. 5. — [12] Id. LXXXII, n. 14. Serm. CCXXIV, n. 4, et Enarrat. in Psal. CII, n. 16, ubi sæpius fit sermo de *voce corvina*. — [13] *Forte consonat.*

nali Christi non damnandi, sed coronandi feliciter veniatis. Amen.

SERMO IV.

In illud : Intrate per angustam portam (*a*).

Hic Sermo ex eodem Codice XII, *fol.* 113, *assumptus, iisdem notis authenticitatis insignitus ac præcedens, sancto Augustino referendus sine dubio videtur. Locus ejus in editione Maurinensi post Sermonem* LXI, *ubi agitur de verbis Evangelii S. Matthæi, Capite* VIII.

SYNOPSIS.

I. Duæ sunt viæ, alia mortis, alia vitæ. II. Quæ sit via lata. III. Quæ sit via angusta. IV. Conclusio.

I. Docet nos Salvator noster in sancto Evangelio, quod nunc lectum est : « Intrate per angustam portam, quia « lata porta et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, » et multi sunt, qui intrant per eam. Quam angusta porta » et arcta via quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui » inveniunt eam (*b*)! » Duas esse, ut videtis, Dominus vias docuit, unam angustam, et alteram latam; unam vitæ, et alteram mortis. Fugite ergo vos, Dilectissimi, viam mortis, ne in æternum pereatis; eligite viam vitæ, ut in æternitate vivatis. « Lata enim, inquit, et spatiosa via » quæ ducit ad perditionem. »

II. Quæ est hæc via lata? quæ, nisi sæcularium voluntatum atque vitiorum? Quare lata dicitur? Quia per eam plurimi ambulant. Sicut enim terrestris via, quæcumque lata est, multas ad ambulandum turbas hominum recipit, et invitat; sic et [1] horum via ideo lata dicitur, quia multos in vitiis ambulare delectat. Ergo, Dilectissimi, fugite viam latam, hoc est, fugite viam turpem atque vitiosam. Fugite viam ebrietatis, et ipsa enim lata est, quia omnes recipit ebriosos. Fugite viam impudicitiæ, et illa enim lata est, quia omnes recipit impudicos. Fugite viam cupiditatis, quia omnes, qui aliena rapiunt, per viam cupiditatis incedunt. Fugite illam viam, quam multi sequuntur, quam multi diligunt. « Multi enim, inquit Dominus, vocati, » pauci autem electi (*c*). » Non vos societas atque exempla delectent hominum plurimorum, quia plures sunt qui peccata amant, quam qui justitia delectentur. Sed melius est cum paucis ire ad regnum cœleste atque perpetuum, quam cum multis ad mortem et supplicium sempiternum. Melius est ut vos paucos sequamini bonos, quam multos malos. Quia melius est cum paucis ire ad vitam, quam cum multis in gehennam.

III. « Quam arcta ergo, inquit Dominus; et angusta » via quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt » eam. » De illa enim superius lata via dixit : « Multi sunt » qui ambulant per eam. » De hac autem angusta via: « Pauci sunt qui inveniunt eam. » Unde intelligere debemus, quod hæc angusta via, non solum laboriose ambulatur, sed etiam difficile inquiritur. Nam cum dicat : « Pauci sunt » qui inveniunt eam, » ostendit quod multi sunt qui eam quærere videntur, sed pauci sunt qui eam invenire mereantur. Quare pauci inveniunt, cum multi quærunt? Utique quia multi quærunt, sed non æqualiter quærunt. Alii enim quærunt diligenter, alii negligenter, sed non inveniunt nisi qui diligenter quærunt. Ecce nunc multi sunt in Ecclesia, et omnes autem per ipsum quod ad Ecclesiam veniunt, salutem quærere videntur. Sed numquid æqualiter quærunt? Non enim quærit viam salutis qui ebriosus est, etsi Ecclesiæ limen ingrediatur; non quærit viam salutis, qui avaritiam sequitur, licet in Ecclesia esse videatur; non enim quærit viam salutis, qui homicidio [2] polluitur; non quærit, qui impudicitia sordidatur. Omnia enim hæc vitia viæ mortis sunt. Et ideo qui in viam mortis ambulant, viam vitæ penitus non requirunt. Unde est quod Salvator dicit in Evangelio paucos esse qui inveniunt angustam viam. Si pauci autem sunt, ergo vix inveniuntur. Ergo quasi abscondita est ac latet. Et verum dicit. Latet quidem, sed non in una re, neque in uno loco, sed in rebus multis et in virtutibus multis. Latet enim primum in fide et in credulitate, quia invenire viam vitæ non valet, nisi qui fideliter credit, secundum illud : « Nisi cre» dideritis, non intelligetis (*d*). » Sicut ergo intelligere aliquis Deum non potest, nisi ante crediderit; sic pervenire ad vitam non potest, nisi, fide discente, penetraverit. Hac ergo ratione, Dilectissimi, latet via vitæ in fide. Latet autem in castitate : « Impudici enim, inquit Apostolus, « regnum Dei non possidebunt (*e*). » Ergo si impudici ad vitam non veniunt, nisi qui castus fuerit, vitam perpetuam minime videbit. Latet quoque hæc via vitæ et in eleemosynis et largitate: « Eleemosyna, inquit Scriptura, » a morte liberat homines (*f*); » ergo avaritia mittit in mortem.

V. Si ergo, Dilectissimi, unam vultis quærere et invenire bonam viam, hæc diligite, hæc tenete, quæ continent in se viam vitæ; quia qui per viam istius ambulaverit, in lumen intrabit in æternum, et vitam possidebit perpetuam. Amen[3].

(*a*) Matth. VII, 13. — (*b*) Ibid. 13, 14. — (*c*) Matth. XX, 16. — (*d*) Forte Hebr. XI, 3. — (*e*) I Cor. VI, 9, 10. — (*f*) Tob. XII, 9.

[1] Codex male *sicut*. — [2] Codex male *Homicidium polluitur*. — [3] Vide Sermonem III.

SANCTI AURELII

AUGUSTINI,

EPISCOPI HIPPONENSIS,

SERMONES INEDITI.

CLASSIS II.

SERMONES DE TEMPORE.

SERMO V.

De Annuntiatione.

Legitur in duobus Codicibus Montis-Cassini, nempe Cod. CX, *fol.* 27; *et* CI, *fol.* 178. *Codex* CX *terminatur ante numerum* V; *Codex* CI *prosequitur usque ad finem. Habetur insuper in bibliotheca Laurentiana, Florentiæ, Plut.* XIV, *Cod.* 1, *fol.* 89, *et quidem integer. Codex Laurentianus profert nomen sancti Leonis; duo autem Cassinenses nomen sancti Augustini repræsentant; et verius quidem, ut legenti patebit ex verborum oppositionibus S. Augustino, non autem S. Leoni familiaribus. In Editis præponendus fuisset Sermoni* CLXXXIV, *et primus locus inter sermones Classis* II *de Tempore illi debetur.*

SYNOPSIS.

I. Gabriel ad Mariam salutandam missus advenit. II. Mariæ hæsitatio et locutio cum Angelo. III. Maria virgo in partu mansura. IV. Mariæ assensus. V. Generatio Christi inenarrabilis. VI. Maria virginitate et humilitate Dei Mater facta. VII. Christi dona humilibus et mansuetis.

I. Adventum Domini et Salvatoris nostri, in quo hominum genus, humano indutus corpore[1], dignatus est visitare, per totum hodie sæculum universalis frequentat Ecclesia, et anniversario reditu[2] efficitur valde jucunda. Quod enim semel pro redemptione salutis propriæ factum credens mundus accepit, colendum in æternas progenies posteris consecravit, fecitque tunc ut ex veteri vita innovatæ mentis lætitia nasceretur. Nunc ergo transacti temporis miraculum ante oculos præsentatum[3], dum ea quæ dudum gesta sunt divinæ lectiones proferunt, solemniter annuis vicibus devotissime celebratur[4]. Ecce audivimus, cum sanctum Evangelium legeretur, missum a Domino de regalibus thronis Gabrielem archangelum, promittentem Mariæ virgini filium. Ingressus namque ad eam, quæ hominibus verecundiæ secreto latebat in abdito, sermonis auspicio taliter salutavit: « Ave, Maria, inquit, ave » gratia plena, Dominus tecum (*a*). » O annuntiatio mirifica! o salutatio peregrina, plenitudinis copiam portans, et virgineum pectus illustrans! Descendit igitur Angelus flammigero volatu micans, et Mariæ domicilium simul et mentem suæ claritatis fulgore collustrans. Præveniens itaque judicem præco tam præclarus et mitis, tam festinus et properans, ut in prætorio virginitatis, quæ secreto[5] manebat in terris, suscipi potuisset Dominus[6] majestatis. « Ave, in» quit, Maria, ave, gratia plena, Dominus tecum; » qui te creavit, jam te præelegit; quem paritura es, jam te replevit.

II. Turbata itaque illa in introitu ejus, erat cogitans, quod sic benedixit ei; quæ modestum apud se retinens propositi sancti silentium, et incognitum habens virile colloquium[7], turbatur Angelo salutante, stupetque sibi taliter benedicente[8]; non tamen ausa est prævenire loquentem. Mirans enim apud se, diutius cum animo conferebat[9], quod sic benediceretur. Quæ cum prolixius cogitans æstuaret[10], et Angeli præsentiam furtivis visibus notat[11]; simul enim[12] fulgorem præsentiæ cum benedictione per-

(*a*) Luc. I, 28.

[1] In Codice Laurent. deest *humano*. — [2] Id. male *reditum*. — [3] Cod. Laur. *præsentatur*. — [4] Cod. Laur. *celebrantur*. — [5] Cod. Laur. *secreta*. — [6] Cod. Laur. *Dominum*. — [7] Cod. Laur. *alloquium*. — [8] Cod. Laur. *benedicentem*. — [9] Cod. Laur. *cum amore animo conferebat*. — [10] Cod. Laur. *hæsitaret*. — [11] Cod. Laur. *fortius notat*. — [12] Cod. Laur. *etiam*.

tractans tacite hæsitavit; aspexit in eam[1] Gabriel, illustris Archangelus, Trinitatis sacro-sanctæ legatus, cœlestium[2] conscius secretorum, et ait: » Ne timeas, Maria, invenisti » enim gratiam apud Deum; ecce concipies in utero et » paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit » magnus et filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Do- » minus Deus sedem David patris ejus[3], et regnabit in » domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis (*a*). » Tunc Maria hæc angelica verba, ponderata examinatione, auscultans, et mentis statera prudentissima Virgo perpendens, ait: « Quomodo fiet istud quod dicis, quoniam » virum non cognosco (*b*)? » Habebo filium, quæ nescio virum? portabo fœtum, quæ fugio partum[4]? quemadmodum vacuo utero generabo, quod non concipio? Mamillis aridis unde præbebo labiis infantis sugere postulantis, quando torum mei cubilis[5] nec incentivus amor possederit juvenilis[6], nec amplexus aliquando concesserit maritalis?

III. Et Angelus: Non ita, Maria, non ita, noli expavescere; noli de tuæ sanctitatis integritate sollicitudinem gerere; intacta manebis, et de prole gaudebis[7]: inexperta conjugio, gaudebis de filio: sine conjunctione mortalis viri efficeris nurus Altissimi, quia filium generatura es Dei. Joseph vero ille vir castus, et justitiæ nomine decoratus, non maritus, sed custos tuus, non accedet ad te, sed » Spiritus sanctus superveniet in te; » nec ardens carnali libidine sponsus adhærebit tibi[8], sed « Virtus Altissimi » obumbrabit tibi; propterea et quod nascetur ex te » sanctum, vocabitur Filius Dei (*c*). » O domicilium Deo dignum! prius quam Angeli[9] luculentissima testificatione sibimet approbaret, quem[10] de palatii aula paterni delatum, qualem illum esse[11] propriis auribus susciperet, nullum verbum protulit ex ore pudico[12], responsionis assensum.

IV. At ubi Maria illæsæ virginitatis integritatem audivit veridica stipulatione firmatam[13], respondit continuo, in sacratissimo suo pectore[14] perornate componens affuturum cubiculare[15] secretum: « Ecce, inquit, ancilla Domini; » fiat[16] mihi secundum verbum tuum (*d*). » Tanquam diceret: « Paratum cor meum, Deus, (*e*) paratum cor meum[17], » quia intactus permanet uterus meus[18]. « Contingat mihi, Gabriel archangele, secundum verbum tuum (*f*); » veniat ad cubiculum[19] suum, » Qui in sole posuit tabernaculum » suum (*g*). Oriatur » mihi virgini permanenti « Sol jus- » titiæ (*h*), » in cujus pennis æterna permanet sanitas, cui perpetua castitate florescens mea perduret[20] integritas. » Egrediatur sicut splendor Justus (*i*) » et Salvator « quasi » facula (*j*) » accendatur. Solis facula totum illustrat, et quæ forsitan obstare videntur radiis suis specularia[21] interius penetrat, et nihil penitus dissipat. Procedat[22] jam ad oculos hominum « Speciosus forma præ filiis hominum (*k*), » procedat velut sponsus de thalamo suo (*l*), » quia secura facta sum de proposito meo.

V. Quis istam generationem, Fratres mei, poterit sermone narrare? Quis linguæ facundia valeat explicare? Intemerata servantur virginitatis jura (et) naturæ[23], et infans intrinsecus coalescit in virgine. Dum vero impletum est tempus ut pareret, expositus est partus sacer, cujus parientem nullus cognoverat pater[24]. Hæc est ineffabilis conjunctio nuptialis, Verbi et carnis, Dei et hominis. Ita namque factus est, inter Deum et hominem[25], « Mediator Dei et ho- » minum homo Christus Jesus (*m*). » Et ideo pretiosissimus conjugii thalamus electus est Virginis uterus, ut quia ex peccatis sordentibus[26] squalidus effectus fuerat mundus, veniens Creator mundi sine opere mundi, ex mundis visceribus effunderetur[27] in mundum, et novo miraculo natus in mundo, mundus[28] redimeret mundum. Venit namque filius hominis, sicut ait ipse Filius Dei et hominis, « Non ut » judicet mundum, sed ut salvum faciat mundum (*n*). »

VI. Dic mihi jam, quæso, Sancti sanctorum Mater, quæ materni floris odorem et niveum lilium[29] convallium sine succo[30] humanæ propaginis et sine imbre carnalis seminis in sinus Ecclesiæ seminasti[31]; dic mihi, quæso, unica Mater, quibus manibus, vel quo Divinitas[32] articulo in utero tuo formavit filium, cujus Deus solus est pater. Dic, obsecro te per Deum[33] qui talem fecit te, ut et ipse fieret in te; dic, inquam, mihi quid boni egisti[34]? Quantum præmium[35] obtulisti? per quas potestates ambiisti[36]? quos etiam patronos adhibuisti[37]? quæ suffragia præmisisti[38]? quo sensu vel qua cogitatione ad hoc, ut acciperes, pervenisti? Ut Virtus et Sapientia Patris, » Quæ attingit a fine usque ad » finem fortiter, et disponit omnia suaviter (*o*), » totus ubique manens, et sine ulla sui mutabilitate in utero tuo veniens, ita castum castellum tui ventris incoluerit, ut ingrediens non læderet, et exiens incolumem[39] custodiret. Dic ergo mihi, quomodo ad hæc pervenisti? Et ista[40]: « Quæris a me, quid[41] obtulerim muneris, ut mei mater efficerer Creatoris[42]? Oblatio mea virginitas est; promissio mea non a me mihi data[43], sed ab ipso mihi auctore omnis boni concessa: « Omne enim datum optimum et omne » donum perfectum desursum est descendens a Patre lu- » minum (*p*). » Ambitio mea est humilitas mea, et ideo: « Magnificat anima mea Dominum, et exultavit[44] spiritus » meus in Deo salutari meo (*q*); » quia respexit non in auro clavatam tunicam meam, non pomposo cultu radiantis auri adornamentum cervicis meæ[45], aut pretiosorum lapidum, margaritarum dependentium (splendorem) aspexit[46] in auribus meis, aut genarum ruborem attendit fuco mendaci coloratum, sed « Respexit humilitatem ancillæ suæ (*r*). »

VII. Venit enim ad humilem mansuetus, sicut fuerat vaticinio Prophetæ antea promissum, et ait: « Noli timere, » filia Sion. Ecce Rex tuus veniet tibi mansuetus et mitis, » sedens super nubem levem (*s*)[47]. » Super quam nubem levem? Super Mariam scilicet virginem, quam sibi ipse exhibuit sine comparis pondere[48] genitricem. Venit itaque mansuetus requiescens super maternum spiritum, humilem, et « Quietum et trementem verba sua (*t*). » Venit igitur mansuetus, implens cœlos, transiens per humiles[49] ad su-

(*a*) Luc. I, 30-33. — (*b*) Ibid. 34. — (*c*) Ibid. 35. — (*d*) Ibid. 38. — (*e*) Psal. LVI, 7. — (*f*) Luc. I, 38. — (*g*) Psal. XVIII, 6. — (*h*) Malach. IV, 2. — (*i*) Isai. LXII, 1. — (*j*) Eccli. XLVIII, 1. — (*k*) Psal. XLIV, 3. — (*l*) Id. XVIII, 6. — (*m*) I Tim. II, 5. — (*n*) Joan. XII, 47, et III, 17. — (*o*) Sap. VIII, 1. — (*p*) Jac. I, 17. — (*q*) Luc. I, 47. — (*r*) Ibid. 48. — (*s*) Isai. XIX, 1. Zach. IX, 9. Isai. XIX, 1. Matth. XXI, 5. — (*t*) Isai. LXVI, 2.

[1] Codices Cass. *aspexitque in ea*. — [2] Cod. Cass. *cœlestiumque*. — [3] Cod. Laur. *sui*. — [4] Cod. Laur. *portabo factum, quæ maternum non habeo succum? Mamillis aridis, etc.* — [5] Cod. Laur. *cubiculi*. — [6] Cod. Laur. *nec ingenitus amor juvenilis possederit*. — [7] Cod. Laur. *gaudebis de filio*. — [8] Cod. Laur. *nec ardebis carnis libidine, nec sponsus adhærebit, sed, etc.*... Cod. Cass. male *adhæret*. — [9] Cod. Laur. *Angelus*. — [10] Cod. Laur. *quod*. — [11] Cod. Laur. *quale illud est*. — [12] Cod. Laur. *protulit ore*. — [13] Cod. Laur. *audivit integritatem veridica stipulatione firmata*. — [14] In Cod. Laur. deest *suo*. — [15] Cod. Laur. *sibi cubilare*. — [16] Cod. Laur. *contingat*. — [17] Cod. Laur. dicto semel *paratum cor meum* prosequitur *quia, etc.* — [18] Cod. Laur. *meus uterus*. — [19] Cod. Laur. *habitaculum*. — [20] Cod. Cass. ex male *perduceret*. Cod. Laur. *perdurare decrevit*. — [21] Cod. Laur. *pecularia*. — [22] Cod. Laur. *procedat Sponsus de thalamo*. — [23] Cod. Laur. *intemeritas servatur virginitatis jure naturæ*. — [24] Cod. Laur. *cujus conceptionis modum homo non cognoverat*. — [25] Cod. Cass. cui male *inter Dominum, inter Deum et homines*. — [26] Id. *finlo ex se peccatis*. — [27] Cod. Cass. male *effusus est*. — [28] Cod. Laur. male *mundum*. — [29] Cod. Cass. male *liliorum*. — [30] Cod. Laur. *sulco*. — [31] Cod. Cass. *in sinu Ecclesiæ seminasti*. Cod. Laur. *in sinu Ecclesiæ germinasti*; uterque defectuosus. — [32] Uterque Codex habet *Divinitatis*, sed planius sensum exigere videtur *Divinitas*. — [33] Cod. Cass. *eum*. — [34] Cod. Laur. *gessisti*. — [35] Cod. Laur. *premii*. — [36] Cod. Laur. *abiisti*. — [37] Cod. Laur. *habuisti*. — [38] Cod. Laur. *promisisti*. — [39] Cod. Laur. male *incolomis*. — [40] In Cod. Laur. desunt duo illa verba. — [41] Cod. Laur. *quod*. — [42] Cod. Laur. *Salvatoris*. — [43] Cod. Laur. *docta*. — [44] Cod. Cass. *exultat*. — [45] Cod. Laur. *non auro clavatam tunicam, non pompas radiantis occulto auro adornamentum*, et post male *pretiosorum*. — [46] Verbum hoc non legitur in codicibus, sed evidenter desideratur. — [47] Cod. Laur. *sedens super nebulam, super Mariam scilicet*. — [48] Cod. Laur. *sine comparis sidere*. — [49] Cod. Cass. *humilem nimis bene*.

perbos, et cœlos non dereliquit, et inflatos tumore superbiæ, apposito humilitatis emplastro, ut mitis medicus ipse curavit. O profunda humilitas! « O excelsior altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam inscrutabilia[1] » sunt judicia ejus et investigabiles viæ ipsius (*a*). » Angelorum panis lactatur[2] uberibus matris; fons aquæ salientis in vitam æternam, Samaritanam[3], præformans Ecclesiam bibere postulat; convivare cum publicanis et peccatoribus non recusat[4], cui familiæ cœlestium Dignitatum cum tremore ministrant. Reguli filium Rex regum reddidit sanum, non adhibens diversis pigmentis epythemam[5], sed in lingua[6] bajulans medicinam. Extinctum febribus curat servum Centurionis, cujus laudabilis fides inventa est, quia ita Centurio de Domini virtute fieri credidit, quantum ipse suis militibus subditis imperans. Ita præsumpsit passiones paralysis[7], ut Dominus misericorditer visitando sanaret[8]. Mulieris longo tempore plagam[9] in qua hemoroysi morbi[10] sentina tabida fecerat membra, ipse Salvator tacitam sentiens fidem, et exeuntem de se virtutem, siccavit importunum[11] sanguinis fontem. Et quando cuncta percurram? narrandi deficit tempus quam[12] magnifica potestate et profunda benignitate cuncta perfecit. Qui magnus ad parvos, humilis ad superbos, plenus pietate descendit, nova fecit in sæculo, qui novus venit in sæculum[13]. In cujus mirabilem formam suas[14] Evangelistæ monstrant figuras; homo, leo, vitulus, aquila. Homo de Virgine natus est sine homine; ut leo fortis procubuit in mortem, et potestate propria est exaltatus in cruce; tanquam novellus vitulus pro peccatis populi voluntarie mactatus in passione, et sicut aquila vehemens, recepto corpore, de tumulo surgens, stricto secans aërem omnium lapsus[15] calcavit, et « Super Cherubim ascendit et volavit (*b*), qui ambulans[16] » super pennas ventorum (*c*) » ascendit in cœlum; cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO VI.

De Incarnatione.

Hic Sermo legitur apud Montem-Cassinum Cod. CXVII, *fol.* 49, *et in Bibliotheca Laurentiana Plut.* XIV, *Cod.* 1, §. XIX, *fol.* 21. *De ea fit mentio in catalogo pluries, et semel cum nomine Severiani. Sed codex Laurentianus, sicut et Cassinensis habet præfixum nomen sancti Augustini. Favent nostro judicio familiares Augustino verborum oppositiones. Quædam in fine deesse videntur Bandiniana sententia. Locus ejus post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Isaiæ vaticinium. II. Christus de stirpe David. III. Christi Nativitas immaculata. IV. Christus Dei Filius. V. Arguuntur hæretici Deum Christum negantes. VI. De eodem argumento.

I. Audiat in præsenti dilectio vestra, Fratres charissimi, quemadmodum Esaïas propheta de Domino nostro Jesu Christo annuntiavit dicens: « Ecce Virgo in » utero concipiet et pariet filium (*d*), et vocabis nomen » ejus[17] Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a » peccatis eorum (*e*). »

II. « Joseph, fili David (*f*). » Videtis, Fratres, in persona genus vocari; videtis in unum totam prosapiam nuncupari. Videtis in Joseph seriem Davidis stemmatis sanciri: « Joseph fili David; » vigesima octava generatione natus, quomodo filius David dicitur, nisi quia generis aperitur arcanum, fides promissionis impletur; superna conceptio cœlestis partus virginea nascitur in carne[18]. « Joseph, fili David; » tali voce ad David prolata fuerat promissio Dei Patris: « Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem meam (*g*)? » Quod factum David taliter gloriatur in Cantico: « Dixit Dominus Domino meo: Sede » a dextris meis (*h*). De fructu ventris tui[19]; » bene de fructu ventris; bene de utero; quia cœlestis hospes, et supernus habitator sic in uteri descendit hospitio, ut corporis claustra nesciret[20]; sic de habitaculo ventris exivit, ut virginalis janua non pateret; at impleretur illud quod scriptum est[21], quod cantatur in Canticis Canticorum: « Sponsa mea » hortus clausus, fons signatus (*i*). »

III. « Joseph, fili David, noli timere. » Sponsæ causa sponsus ne timeat admonetur, et vere pius animus dum compatitur plus pavescit. « Joseph, fili David, noli timere, » ne qui[22] de conscientia securus es, de sacramenti cogitatione succumbas. « Fili David, noli timere. » Quam vides, virtus est ista, non crimen; hic non humanus lapsus, sed divinus illapsus. Hoc præmium est, non reatus. Hic incrementum cœli est, non est corporis detrimentum. Hic non est perditio personæ, sed Judicis est secretum. Hic palma genitoris est[23], non est supplicii pœna. Hic hominis scortum non est[24], thesaurus est Christi. Hic non est mortis causa, sed vitæ; et ideo « Noli timere; » quia quæ[25] talem parturit, non meretur occidi. « Joseph, fili David, « noli timere accipere Mariam conjugem tuam. » Sponsam vocari[26] conjugem, legis est hoc divinæ. Sicut ergo manente virginitate[27], mater est; ita conjux pudore dicitur permanente.

IV. « Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam » conjugem tuam, quod enim in ea natum est de Spiritu » sancto est (*j*). » Veniant et audiant qui requirunt quis est quem Maria genuit: « Quod in ea natum est de Spiritu sancto » est. » Veniant et audiant, qui græco turbine latinam nubilare nisi sunt[28] puritatem, Anthropotocon[29], Christotocon, Theotocon ut tollerent blasphemantes. « Quod in ea » natum est, de Spiritu sancto est. » Et quod de Spiritu sancto natum est, spiritus est; quia « Deus spiritus est. » Quid ergo requiris, quid sit de Spiritu sancto natum[30]? Cum tibi quia Deus est, Deus ipse respondeat, cum tibi Joannes increpet: « In principio erat Verbum, et Ver» bum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; et Ver» bum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus » gloriam ejus (*k*). » Joannes vidit gloriam, respice, Infidelis, injuriam. « Quod in ea natum est de Spiritu sancto » est. Et vidimus gloriam ejus. » Cujus? Ejus qui « Na» tus est de Spiritu sancto; » ejus qui « Verbum caro fac-

(*a*) Rom. XI, 33. — (*b*) Psal. XVII, 11. — (*c*) Id. CIII, 3. — (*d*) Isai. VII, 14. — (*e*) Matth. I, 21. — (*f*) Ibid. 20. — (*g*) Psal. CXXXI, 11. — (*h*) Id. CX, 1. — (*i*) Cant. IV, 14. — (*j*) Matth. I, 20. — (*k*) Joan. I, 1, 14.

[1] Cod. Laur. *incomprehensibilia.* — [2] Cod. Laur. *lactabatur.* — [3] Cod. Laur. *Samaritanus.* — [4] Cod. Laur. *cum peccatoribus, cui familiæ;* cætera sensu truncato desunt. — [5] Cod. Laur. *epithimam.* — [6] Cod. Laur. *sed lingua.* — [7] Cod. Laur. *paralyticis.* — [8] Cod. Laur. *sanavit.* — [9] Cod. Cass. *plaga.* — [10] Cod. Laur. *humore morbi.* — [11] Cod. Laur. *importuni.* — [12] Cod. Cass. *qua.* — [13] Cod. Laur. *ad sæculum.* — [14] Cod. Cass. *suam.* — [15] Cod. Cass. *secans aëre;* Cod. Laur. *omnium lapsu.* — [16] Cod. Laur. *ambulat.* — [17] Manifestum est hic unam aut duas deesse lineas, ut compleantur verba Isaiæ: *Vocabis nomen ejus Emmanuël*, et incipiant verba Evangelistæ quæ his adaptantur: *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est: Pariet autem filium et vocabis nomen ejus Jesum... Ipse*, etc. Erravit autem amanuensis ob repetita verba: *Vocabis nomen ejus.* — [18] Cod. Laur. *Virginea jam sanguinatur in carne.* — [19] Hæc *quod factum*, etc. desunt in codice Cass. — [20] Cod. Laur. male *nescirent.* — [21] Cod. Laur. non habet hæc verba: *Illud quod scriptum est.* — [22] Ab his verbis: *Sponsæ causa* totum in Cod. Cass. desideratur. — [23] Cod. Laur. *cognitoris est.* — [24] Cod. Cass. *hominis ortus est;* non bene. — [25] Cod. Cass. male *qui.* — [26] Cod. Laur. *vocare.* — [27] Cod. Cass. *Divinitate.* — [28] Cod. Cass. prave *non sinunt.* — [29] Cod. Laur. male *antropocon.* — [30] Cod. Laur. *natus est.* Cætera usque ad *cum tibi Joannes* desunt in Cod. Cass.

» tum est, et habitavit in nobis. Quod in ea natum » est, de Spiritu sancto est. » Virgo concepit, sed de Spiritu sancto; Virgo parturit[1], sed eum quem prædixit Esaïas : « Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vo» cabitur nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur : » Nobiscum Deus (a). » Cum illis homo; et « Maledictus « homo qui spem suam ponit in homine (b). »

V. Audiant qui requirunt quis est qui natus est de Maria. « Pariet Filium, inquit Angelus, et vocabunt » nomen ejus Jesum (c). » Quare Jesum? Apostolus dicit[2] : « Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, « terrestrium, et infernorum (d). » Et tu quid sit Jesus, dolosus cognitor nunc requiris? « Omnis jam lingua con« fitetur; quia Dominus Jesus[3] in gloria est Dei Patris (e), » et tu adhuc modo quid sit Jesus nequiter perscruteris.

VI. Audi adhuc quid sit Jesus : » Pariet[4] Filium et » vocabitur nomen ejus Jesus. Ipse enim salvum faciet » populum suum a peccatis eorum; » non alterius, » salvum faciet populum suum. » Unde? « A peccatis » eorum[5]. » Esse Deum qui peccata donat, si Christianis non credis, crede, Infidelissime, vel Judæis dicentibus : » Cum sis homo, facis te ipsum[6] Deum (f). Ne« mo potest dimittere peccata nisi solus Deus (g). » Illi ergo negabant Deum, qui eum peccata dimittere non credebant; tu ab eo peccata dimitti credis, et Deum dubitas confiteri[7]. « Verbum caro factum est, » ut homo caro promoveretur in gloriam[8] Dei, non ut Deus in carnis verteretur injuriam, sicut dicit Apostolus : « Qui se jungit » Deo, unus spiritus est (h), » et (quomodo non)[9] quando se jungit Deus homini unus Deus est[10]. Humanæ leges[11] intra triginta annos litigiosas omnes[12] interimunt quæstiones; et Christus circa quingentos annos nativitatis suæ causas præstat. Ortus tui lites patitur; status tui continet quæstiones. Hæretice, desine judicare Judicem tuum; et adora in cœlis Deum tuum[13], quem Deum Magus adoravit in terris[14]... Cui honor est et gloria, laus et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO VII.

In Natali Domini I.

Legitur hic Sermo in Cod. XI *Montis-Cassini fol.* 262, *cum nomine S. Augustini, cui sine dubio videtur tribuendus. Reperiuntur duo circiter numeri in Appendicis Maur. sermone* CCXIV, *fol.* 402*; sed talis similitudo non inficit hujus nostri auctoritatem, cum e contra probabiliter ostendat illum esse verum Augustini fœtum, qui in Appendice non nisi depravatus habetur, cum nihil ex iis, quibus nititur Maurinorum sententia, hic occurrat. Adde quod in Sermone nostro laudetur liber* III *Esdræ, et Scripturæ nomine designetur, quod sententiæ Augustini apprime convenit, eumdem librum, ut Scripturam, citantis in opere* DE CIVITATE DEI, *libr.* XVIII, *cap.* XXXVI, *ubi refert factum aliquod depromptum ex capit.* III. *In editione Maurinorum post sermonem* CXCVII *collocandus est, et accipit numerum in Natali Domini* XIV.

SYNOPSIS.

I. Jussio indicit loquendi angariam. II. Angaria beata quæ ad unitatem Trinitatemque perducit. III. Divinitas una et trina. IV. Trinitas auri comparatione illustratur. V. Unus Deus, non tres Dii. VI. Christus, incarnatus ex Virgine, pastor, ovis, et aries. VII. Christi Nativitas annuntiata Pastoribus. VIII. Incarnatio dominica idoneis testibus est confirmata. IX. Deus nasci voluit, ut mori posset et morte nos ab inferis salvare. X. Deus conceptus et natus ex Virgine semper immaculata. XI. Uterus Virginis Deo non indignus. XII. Virgo concepit immaculata, et peperit per virtutem omnipotentis Dei. XIII. Deus uteri contactu fœdari non potuit, quia omnia munda mundis. XIV. Idem Eliæ et corvorum exemplo demonstratur. XV. Exemplo solis iterum confirmatur argumentum. XVI. Uterus Virginis in puritate factus. XVII. Locus ubi Deus Moysi apparuit sanctus fuit; quanto magis Mariæ uterus? XVIII. Filius Dei ut in fornacem ignis, ita in Mariæ uterum ingressus. XIX. Ex Virgine nasci potuit, qui sine semine germinare fecit virgam Aaron. XX. Virgæ germinantis factum narratur. XXI. Virgæ miraculum Virgini matri accommodatur. XXII. Immaculatæ Incarnationis modus evolvitur. XXIII. Virgo virga nucem peperit. XXIV. Adducuntur in confirmationem Isaiæ verba : « Exiet Virgo de radice Jesse, etc... » XXV. Ezechielis, necnon et rursus Isaiæ, et David testimonia. XXVI. Nasci potuit ex Virgine qui primoplasto costam sine passionis vestigio valuit subtrahere. XXVII. Christianis in miraculosa Nativitate lætandum.

I. Sanctus hic cum declinat dicendi laborem[15], imperitiæ nostræ imponit pudorem. Sed nos postponimus totum pudorem, ne in hoc tanto devotionis nostræ conventu, imo veritatis ac fidei proventu, quo exhibuistis festivitati dominicæ Nativitatis honorem, malecautum videamus palpare torporem. Jussio nobis indixit angariam; charitas elicit obsequium; dies exigit in prædicando frequentiam; sanctitas vestra provocat apparentiam.

II. Jussio, inquam, nobis indixit angariam, et videte quid Dominus dicat : « Qui te angariaverit mille passus, « vade cum eo alia duo (i). » Cedo imperio; dominicæ sententiæ succumbo; judicio colla submitto; hic me ducit ad unum milliarium, ego tria offero. Cursum meum in Trinitate perficio. Ille vocat ad unitatem; ego cum illo pergo usque ad Trinitatem. Una est ergo et angariati et angariantis intentio, quia necesse est ut mecum eat qui me angariat. « Qui te angariaverit, inquit, mille passus, » vade cum illo alia duo. » O angaria beata, quæ non facit injuriam, sed perducit ad gloriam! Unum et duo; tria in unum. Quadra via venitur ad patriam; quia per quatuor Evangelia Trinitatis capimus sacramenta. Ab uno ad tria pergimus, et cum per tria currimus, ad unum recurrimus. Sed in unitate quæ tria sunt non finimus. Ecce in hac via, qua pergimus, tres video manare fontes. En aures erexit hæreticus; quasi audivit quod vult; audiat ergo et quod non vult. Tres, inquam, video manare fontes, sed una vena est quæ in tribus exuberat; quia Trinitas in unitate redundat; ac sic, qui ex uno biberit, de omnibus bibit. Verumtamen nulla ratione se satiat, nisi ex omnibus bibat, ut eumdem saporis gustum in vena unitatis inveniat.

III. Dictum illud Domini evidentius est : « Ite, docete » omnes gentes, tingentes eas in nomine Patris et Filii « et Spiritus sancti (j). » Quod ergo est nomen Patris? Deus. Quod est nomen Filii? Deus. Quod est nomen Spiritus sancti? Deus. Deus unus, quia non dixit : « In nominibus, » sed « In nomine. » Unus Deus, Pater et Filius et Spiritus sanctus, Apostolo dicente, « Quia Dominus Deus » tuus, Deus unus est. Mediator autem unius non est, Deus » autem unus est (k). » Quod individuum est in nominis unitate, non discernitur in naturæ æqualitate. Ex Patre Filius; a Patre Spiritus; in Patre Filius et Spiritus; in Filio et Spiritus et Pater; totus Deus unus, Pater et Filius

(a) Isai. VII, 14. — (b) Jer. XVII, 15. — (c) Matth. I, 21. — (d) Philip. II, 10. — (e) Ibid. 11. — (f) Joan. X, 33. — (g) Luc. V. 21. — (h) I Cor. VI, 17. — (i) Matth. V, 41. — (j) Id. XXVIII, 19. — (k) Rom. III, 30, I Cor. VIII, 4; Galat. III, 20; I Tim. II, 5, etc.

[1] *Sed de Spiritu sancto, Virgo parturit.* Hæc non leguntur in Cod. Cass. — [2] Cod. Laur. *dicat.* — [3] Cod. Laur. *Dominus noster Jesus Christus.* — [4] Cod. Laur. *paries*, et deinde *vocabis.* — [5] Cod. Cass. *populum suum unum a peccatis eorum.* — [6] Cod. Laur. *te Deum.* — [7] Hic detractis pluribus verbis inextricabilis est Cod. Cass. sed ex Cod. Laur. corrigitur. In priori enim desunt hæc verba : *non credebant; tu ab eo peccata dimitti*; unde phrasis sine sensu remanet. — [8] Cod. Cass. *gloria.* — [9] Hæc verba videntur abundare. — [10] Sic Cod. Laur. Cod. Cass. habet solummodo : *Qui se jungit Deus homini unus Deus est.* — [11] Cod. Cass. male *legis.* — [12] Cod. Cass. male *hominis.* — [13] *Tuum* deest in Cod. Cass. — [14] Hic plurima desiderantur. — [15] Credo hic agi de S. Paulo, cujus, ut probabile est, lecta fuerant hæc verba ex Propheta citata : *Generationem ejus quis enarrabit?* Isai. LIII, 8. Act. VIII, 33.

et Spiritus sanctus. Nulla est in unitate divisio, nec admittitur in Trinitate discretio, nec est in alio (inferior)[1] et in altero potior, sed perfecta, et una, et integra in singulis plenitudo. Ecce pergimus tria milliaria; non est ultra quo pergat angaria.

IV. Adjicimus tamen aliquid de comparationis exemplo in præjudicata fide, ut divinis frivola comparemus. Si quis enim dubitat pluralem numerum in Deitate non cadere, aurum mihi declinet in numero, quod pluralitatem penitus non admittit in nomine, cum varias dividatur in species, quæ vocabula diversa significent; ut puta annulus, torques, brachiale, et cætera quæ una tantum formantur ex massa auri; tamen naturam non amittit in nomine, quia non mutatur in genere. Et annulus aurum est, et torques aurum est, et brachiale aurum est. Tres pone massas auri; omnes massæ aurum, hoc aurum, unum aurum, totum aurum; aut declina pluraliter, si potes. Aurum nihil habet in generis appellatione vocabulum; et quod non debetur in nomine, non separatur in genere, licet aliud audiatur in specie. Ita ergo et in Trinitate quodcumque dixeris Deus est. Patrem dixeris, Deus est; Filium dixeris, Deus est; Spiritum sanctum dixeris, Deus est. Deus autem unus est. Non admittit ergo Deitas numerum, quia nihil habet Trinitas in natura diversum. Et sicut non admittit numerum, ita non recipit incrementum.

V. Possunt ergo, inquis, dii dici, si tres sunt in substantiæ unitate personæ. Absit a te, Christiane, ut quando hac consideratione ducaris. Diabolus enim in origine mundi principaliter in hac causa damnatus est, quia deos, cum homines vellet decipere, subindixit dicens: « Et » eritis sicut dii (*a*), » cum dicere debuerit: » Sicut Deus. » Futuram enim viam sternebat idolis, qui repudio dejectus fuerat unitatis. Sive enim hoc de Patre et Filio et Spiritu sancto, sive de ipsis hominibus tanquam diis futuris dixit, utrobique mentitus est, origo mendacii. Et si deos dicimus, quid inter Christianum gentilemque interest, qui multos deos credit; et alios majores, alios minores esse confingit; et ab uno Deo vero erratica vanitate desciscit? Si hoc in Christiano deprehenditur, quid in gentili damnatur? duos autem vel tres deos ille asserat, ille defendat, qui contra canonis auctoritatem non admittit in Patre et Filio et Spiritu sancto unitatem: et in ipsa unitate inseparabilem dividit Trinitatem; et cum separat Trinitatem, interficere nititur veritatem; et dum dicit unum esse majorem, alium vero esse minorem, per falsitatis gradus inducit in ipsa Divinitate diversitatem; quæ si viget (*sic*) tempore et merito, non æqualis natura, sed impar est. Nobis autem, ut diximus, unus Deus, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Gradum non admittit æqualitas, nec diversitatem recipit unitas, nec degenerat in nomine et natura Divinitas.

VI. Verum quid ego in altitudine disputationis adductus, fastigia metuenda pertingo? Aliud est nobis pro festivitate diei dicendi propositum. Omittamus interim illa quæ in sacramentis arcana sunt. De his, quibus dominica est Incarnatio peracta tractemus. Hodierna enim die, Fratres mei, exultaverunt Angeli, fremuerunt cœli, resultaverunt elementa mundi, lætati sunt inferi, quorum ergastulis tenebantur, mortis compede et ditione captivi. Lætentur ergo hodie populi christiani, quia natus est in carne Dominus mundi, et deletum est elogium hominis primitivi. Natus est Dominus in carne vera, et victa est in hac Nativitate natura, quia Virgo concepit, et peperit illibata, et facta est mater vera, quæ permansit virgo perpetua. Natus est hodie Dominus; redemptus est mundus, et elisus est diabolus. Et videte rem miram. Natus est hodie agnus, et fugatus est lupus. Natus est hodie agnus, et annuntiatus est Pastoribus pastor bonus et agnus: pastor ad custodiam, agnus ad victimam. Et quia agnus dicitur, et aries et ovis esse perhibetur. Ipse est enim aries qui tenebatur in spinis cornibus, cum immolandus Isaac beatus fuisset oblatus[2]. Ille denique subtractus est neci, hic affixus est cruci. Ille ligatus vinculis super ligna jacuit; Christus affixus clavis in cruce pependit; et portavit coronam spineam, cum iret ad victimam, qui jam habuit coronam ex pretiosis lapidibus, pretiosam manu Patris, artificio pietatis intextam. Arietis quippe omnis virtus in fronte est; et nobis fortitudo omnis in cruce qua signamur in fronte. Ac perinde quod per figuram Judæa signabat in postibus, nos habemus in frontibus, pro quibus agnus innocens docetur occisus. Aries ergo secundum constantiam, agnus juxta innocentiam. Et quamvis diversi sexus sunt in animantibus istis, tamen est natura generis in unitatis æqualitate conformis.

VII. Natus est ergo hodie in carne Deus, et « Claritas » Deo annuntiata est in excelsis, et pax in terra hominibus bonæ voluntatis (*b*). » Claritas Deo præstituitur ad triumphum, et hominibus, qui dudum cum Deo habebant divortium, pacis redditum est sacramentum, et luctum accepit diabolus sempiternum. » Fuerunt autem, inquit, » Pastores in illa regione pernoctantes et custodientes » nocturnas vigilias super gregem suum. Angelus autem » Domini astitit illis, et claritas Dei circumfulsit illos; et » timuerunt Pastores timore magno nimis. Et dixit illis » Angelus: Ne timueritis; ecce enim annuntio vobis gau» dium magnum quod erit universæ terræ: quia natus est » vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in ci» vitate David. Et hoc vobis signum: Invenietis infan» tem pannis involutum, et positum in præsepio (*c*). » Ite, ite, Pastores, ad stabulum; currite celeres ad præsepium; ibi invenietis hodie agnum natum, gaudium nostrum, obtectum, ex peccatis nostris, sordidorum involucro pannorum; qui non pro unius populi liberatione voluit mactari, sed pro cunctis debebat gentibus crucifigi. Infans in præsepio, juvenis pependit in ligno.

VIII. Nativitatis dominicæ « Sacramentum, quod juxta » Apostolum, manifestatum est in carne, justificatum est » in Spiritu, visum est Angelis, prædicatum est gentibus, » creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria (*d*); » quod Patriarchæ susceperunt, Prophetæ ante testati sunt, Angeli fundaverunt, Apostoli firmaverunt, Martyres patiendo confessi sunt, factis veritas docuit, fides nostra probavit, virtus implevit, et ad nos usque per gratiam divini sacramenti transivit. Habemus hujus fidei testes idoneos, assertores probatos, et Apostolos magistros. Quod enim videri non poterat in Deitatis majestate, innotuit evidenter in carnis humilitate; et quod celabatur sapientibus in virtute cœlesti, revelatum est parvulis in infirmitate carnali; et ut erigeretur infirmitas, cœlestis est humiliata sublimitas. Sed ita est humiliata Divinitas, ut non amitteret quod habet in natura veritatis, et tamen virtutem sumeret infirmitas ex commercio Divinitatis.

IX. Factum est ut Evangelista testatus est; virtus in infirmitate emicuit. Deus carnem ita ex Virginis matris vulva suscepit, ut non præeunte seminatione carnali caro existeret, sed ex operatione cœlesti et conjunctione Verbi; et cum, nimio affectionis desiderio, vult hominem reparare, hominem reformavit in homine, et virginem carnem assumpsit ex Virgine. Amavit te Homo-Deus, et fecit se, propter te, hominem Deus. Suscepit te, et subjecit se, Apostolo dicente: « Se ipsum exinanivit, formam servi acci» piens, in similitudine hominis constitutus, et habitu in-

(*a*) Gen. III, 5. — (*b*) Luc. II, 14. — (*c*) Luc. II, 8-12. — (*d*) I Tim. III, 16

[1] Codex *dissertio*, cujus sensus non apparet, et error ex verbo præcedenti *discretio* facile intelligitur. — [2] Vide comparationem Isaaci cum Christo in lib. II. contra Maximinum Arianum, n. 9; et Enarrationem in Psal. LXX, n. 9

» ventus ot homo. Propter quod et Deus exaltavit eum et » donavit ei nomen quod est super omne nomen (*a*). » Inanivit se, et implevit te : inanivit se claritate, et implevit te. Inclinavit se, et erexit te. Inde denique per Spiritum sanctum Propheta psalmidicus cantavit : « Domine, in- » clina cœlos, et descende (*b*). » Descendit ad te, ut tu ascenderes ad eum; et tantum inclinavit se, ut qui mori non norat ex se, moreretur pro te, sed tamen ab se, quia nisi vellet mori, mors ei non poterat dominari; et nisi hodie vellet nasci, non posset teneri conditione carnali. Voluit ergo nasci, ut vellet et mori. Quia nisi primum carnem libens subiret, in secundo, nolli se passioni subjiceret; nec mors ad eum posset accedere, nisi vellet carnem, quæ habet conditionem moriendi, suscipere. Sed neque ipsa eam mori posset, nisi voluisset, ipso dicente : » Pono » animam meam a me, et nemo auferet eam a me; sed » ego pono eam a me. Potestatem habeo ponendi ani- » mam meam; et potestatem habeo iterum sumendi » eam (*c*).» Nobis autem non prodesset, nisi mori voluisset, quia nisi mori voluisset, homo ad æternitatem pristinam non rediisset. Mortous est ergo quia voluit; sed hominem, qui mortuus fuerat, ad immortalitatem ex sua morte transvexit. « Inclinavit ergo cœlos et descendit (*d*).» Captivavit inferos, et ascendit, Apostolo dicente : « Captivam » duxit captivitatem (*e*).» Interea non dixit, Captivatorem, sed « Captivitatem : » imo vero captivatorem, quia captivitatem. Et quam captivitatem? mortem. Occidit ipsam litteram, et perdidit magister sceleris scholam. Exarmavit armatum, eripuit illi gladium suum, et duxit captivatorem cum ipsa captivitate captivum. Hoc Scriptura testatur dicens : » Ibit mors et egredietur; et diabolus ante pedes ejus » stetit (*f*). » Qui ergo ante pedes victoris stetit victus, quomodo possit stare, nisi captivus? « Inclinavit cœlos » et descendit » ad mundum. Captivavit diabolum, et ascendit in cœlum; ut qui est per naturam regnator in cœlis, esset per carnem dominator in terris, et per mortem fieret triumphator in inferis, Apostolo dicente : « Ut » omne genu curvetur, cœlestium, terrestrium et infer- » norum (*g*). Et : Ad hoc Christus mortuus est et resurrexit, » ut et mortuorum, et vivorum dominetur (*h*). »

X. Natus est Deus ex utero Virginis, ex intemerato connubio, ex puro matrimonio; sine semine viri, sed ex semine Verbi; et in forma servi, qui ante sæcula, natus est ex Deo[1] in forma Dei. Et ut servus fieret dominus, Dominus ipse factus est servus. Sed totius hujus mysterii opus suscepit virgineus uterus; formavit Spiritus sanctus. Exivit homo Deo plenus, qui tamen et homo esset et Deus, ut ait Apostolus : « Utrumque unum (*i*), » caro scilicet et Verbum, discreta natura, sed per voluntatem Dei concreta substantia; ut quæ erant ante duo diversa, in unionem fierent nativitatis hujus fibula sociata. Uterus tamen Virginis officina hujus sacramenti fuit. Quæ ita partum, sicuti concepit, emisit, et quæ virum in conceptu non admisit, virum æque sine ullo detrimento pudoris emisit. Nec passa est masculum virum[2]; virum scilicet in virtute divina et humana fragilitate concretum; sed Deum in virtutibus et operatione perfectum, apostolo Petro dicente : » Jesum Nazarenum virum a Deo ostensum in vobis (*j*).» Hinc Esaïas propheta : « Ecce, inquit, Virgo concipiet et » pariet filium (*k*). » Virgo est igitur quæ concepit, Virgo quæ peperit. Conceptum sine præjudicio[3] partus incorruptibilis subsecutus est; quia sequens naturæ processus, ex priori sumpsit originem. Habuit enim Deus Filius nostræ similem partitudinis exitum, sed similem non potuit habere conceptum. Humanus enim partus ex corruptione concipitur; in partu vero Filii Dei, mater intacta servatur. Mater est enim facta cum peperit, et virgo intemerata concepit. Ex semine Verbi prægnata divinitus, partum sine detrimento pudoris emisit; quia virgo concepit et peperit. Sensit Virgo partus legem, sed genitalem conceptus non pertulit passionem; et insensibilis conceptionis ingressus sensibilem exitum habuit; sed corruptionis injuriam mater intemerata non sensit. Coëunt igitur in fœdera sanctitatis virginitas et Divinitas. Virgo obtulit mentem, Verbum exhibuit incorruptionem; illa animi et corporis sanctitatem, Verbum pudoris integritatem, et perennem virginitatem. Inde est quod Angelus dixit : « Benedicta tu » inter mulieres (*l*), » quia jam benedicta fuerat inter virgines. Hanc enim sibi vindicant beatæ matres, hanc sanctæ amplectuntur et virgines. Inter matres, virgo est; inter virgines, mater est; quia concepit et peperit, et virgo esse non desiit. « Benedicta tu inter mulieres; » quia cum esset futura mater, non erat sensura quod mulier.

XI. Sed indignus est, inquiunt hæretici, uterus Deo; et immortalem Deum non potuit generare mortalis; quia stultum est credere de parvis magna proferri, et de minimis ingentia procreari. Jam si tibi, quisquis es, Perfide, ex temporalibus rebus ostendero[4] plus esse quod nascitur, ab eo qui generat, et magnificentius esse quod profertur, ab eo ipso qui profert, blasphema tibi claudentur ora; et veluti offas accipiens, Impudens, oblatrandi amittes licentiam. Quæro ergo ex te quid tibi præstantius videatur, mel aut apis; musca an cera. Si comparationem facis, quæ conficit, vilis est; et plus est ipsa, quam conficit ore, confectio : et pretiosiora[5] sunt mella quam musca; et pulchrior est in opere, quæ deformis invenitur in corpore. Casta tamen mater producit examina liberorum, quæ nec concubitum pertulit nec maritum; et favum exhibet dulcedinis, quæ in corpore taxatur pretio vilitatis. Accipe adhuc aliud : aurum de terra nascitur, et plus est terra quod nascitur de terra; sericum texit aranea, et plus est sericum quam aranea; ostreæ expuunt margaritam, et plus est margarita quam ostrea; tinguntur lanæ conchiliis, et vilia sunt conchilia ipsa, cum sit purpura pretiosa. Ex visceribus montium pretiosi lapides excluduntur, in quorum comparatione totus ipse mons vilis est, quia unius gemmæ pretium meritum cujuslibet montis excedit. Ecce in visceribus petrarum gemmæ fulgor tenetur inclusus; inde idem prosatus, et non aliunde conceptus; et multo minus est qui gignit, ab illo qui gignitur. De inferioribus tamen superba nascuntur; de modicis magna; de sordidis pulchra; de vilissimis pretiosa procedunt. Quid ergo indignum judicas Domino Virginis uterum? aut non putas potuisse ex homine nasci Hominem-Deum, cum in rebus, quarum mentionem fecimus, plus esse videas nascentium privilegium meritorum. Quoties autem contigit ut ex plebeio imperator, ex laïco nasceretur episcopus, et ille fieret dominus patris sui, hic pater genitoris sui; ille dominus mundi, hic pater populi christiani? Quin imo hæc te maxime rei magnitudo sollicitet et invitet, quia virgo concepit, virgo peperit, virgo permansit, et virgo semper esse non desinit. Virgo ante conceptum, virgo post partum, et virgo permanet in æternum.

XII. Frustratum est in Nativitate Domini argumentum sæculi, et sapientia terrenæ disquisitionis evanuit. Quod enim est argumentum sæculi? Si peperit, inquiunt, cum viro concubuit; et quasi ratione non videtur abhorrere quod dicunt, siquidem et Apostolus dixerit : « Neque na- » tura ipsa docet vos (*m*)? » Sed vicit argumentum sæculi, exclusit naturæ legem naturæ Creator. In illo

(*a*) Philip. II, 7-9. — (*b*) Psal. CXLIII, 5. — (*c*) Joan. X, 17, 18. — (*d*) Psal. XVII, 10. — (*e*) Ephes. IV, 8. — (*f*) Habac. III, 5. — (*g*) Philip. II, 10. (*h*) Rom. XIV, 9. — (*i*) Ephes. II, 14. — (*j*) Act. II, 22. — (*k*) Isaï. VII, 14. — (*l*) Luc. I, 42. — (*m*) I Cor. XI, 14.

[1] Codex male *ex ea*. — [2] Hic deesse quædam videntur. — [3] Codex male *sine judicio*. — [5] Id. *castendero*. — 4 Id. *pretiosa*.

enim conjectura quæritur, in isto Omnipotentis virtus et magnitudo tractatur; et ubi virtus, nihil de exemplo præscribitur. Quare? quia Apostolus e diverso dixit : « Qui vocat ea, quæ non sunt, quasi sint (a). « Quod est argumentum Dei? Virgo peperit, et cum viro non concubuit; quia Verbum carnem factum mater perfecta generavit. Sed stultum, inquit sæculum, credere potuisse parere, quam cum viro negaveris concubuisse. Sed hoc est quod nos maxime in hac sacramenti admiratione confortat; ut in sacramento sum sapiens, ut sæculo stultus inveniar. Scriptum est enim : « Apprehendam sapientes in astutia eorum (b). » Et iterum : » Dominus novit cogitationes sapientium, » quoniam vanæ sunt (c). « Quibus concinens apostolus Paulus ait : » Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor » hujus sæculi? Nonne per stultitiam infatuavit Dominus » sapientiam hujus mundi? Etenim non cognovit mun- » dus per sapientiam Deum. Placuit enim Deo per stulti- » tiam prædicationis salvos facere credentes (d). Quod » ergo stultum sæculi est, hoc sapientia Dei est (e); ut per » sapientiam Dei reprobetur sapientia mundi (f). » Quæ cum sophismatum syllogismis in astutia vanitatis putat se posse proficere, non intelligit virtutem Dei per omnipotentiam, quæ vult posse perficere. Omnipotenti enim non potest de eo quod fecerit, ut diximus, in rebus naturisque præscribi; quia quod fecit, ante non fuit : sed nec de materia ulla protulit et sic fecit; sed « Dixit et facta » sunt, præcepit et creata sunt (g), » quæ ante non fuerant. Cui ergo subest facere quod non est, ex eo quod jam est [1], quod vult facere non potest? Ubi intercedit [2] conjunctio viri, generationis profectus ex semine est; licet hoc in sterilibus fœminis vacuetur, in quibus vacat affectus seminis, si non interveniat munus auctoris. Ubi autem opus virtutis auditur, nihil illic comparationis admittitur; quia quod divina virtus perficit, comparationem de mortalibus non admittit; quia si comparatur exemplo, non erit singulare, et caret miraculo, quod non habet novitatem.

XIII. Sed putas Deum, Incredule, ex contactu uteri potuisse fœdari? Non quidem consentio sacrilegio tuo, sed respondeo blasphemio tuo. Si enim hoc ex vase illo cordis tui inquinatissimo ructasti, non esse tibi incognita Apostoli illa sententia debuit, qua dictum est : « Quia omnia » munda mundis (h). » Et si mundis omnia munda quæ videntur in mundo, quanto magis Deo munda sunt omnia, qui mundus fecit omnia munda. Sic enim scriptum est : « Et vidit Deus omnia quæ fecit, et ecce valde » bona (i). » Et si bona omnia, consequenter et munda. Sed cum nos male utimur rebus mundis a Deo factis, quæ erant munda nobis facta sunt immunda vel turpia. Sic enim alibi de animantibus dictum est : « Immunda erunt » vobis (j). » Hoc est dicere : « Vobis erunt immunda, « non mihi, in personam statuens, non revocans ad naturam; et ascribens vitio utentis, non instituto imputans Creatoris. Nam et vinum natura bonum est, sed ebrioso malum est; et mel bonum et dulce est, sed causario contrarium atque inimicum est; et « Lex bona est (k), » ut dixit Apostolus, sed si quis ea jure utatur; quia qui ea jure non utitur, non utitur, sed abutitur. Non ergo ista omnia immunda fecit natura, sed causa, quia interdicta sunt. Interdicta sunt specialiter, non maledicta generaliter, nec absoluta fuit rerum illa damnatio, sed personæ mandata temporaliter prohibitio. Sed hoc probavimus testimoniis; doceamus exemplo, et munda esse quæ dicuntur immunda monstremus. Omnibus notum quibus evectus Elias venerabilis gerit in sæculo peregrinum, ut per gradus laurigeros triumphorum, singulari de mundo transcursu, ad paradisi tetenderit commeatum, sanctitate plenus, virtute perfectus, cœli conscius, æterni nemoris inquilinus : Elias, inquam, ille venerabilis currus ignei vector illæsus, et intrepidus quadrigæ flammigerantis auriga, qui in carne mortali per ignem transivit in ignem. In paradisum enim docetur esse transvectus, et quoniam paradisus, ejecto homine, verus est ignis ambitus, vehiculum accepit ignis, ut flammas ignei possit superare custodis. « Et ascendit, inquit, Elias in commotionem quasi in cœ- « lum (l), » sed quasi in cœlum, non in cœlum. « Nemo enim » ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius » hominis qui est in cœlo (m). » Sed non prætereamus hoc testimonium, ubi maxime intervenit dominicum sacramentum. « Nemo, inquit, ascendit in cœlum, nisi qui « de cœlo descendit, Filius hominis qui est in cœlo. « Ecce in terra est, et cœlo non deest; apud Patrem est, et in cœlo est; in utero totus est, et in cœlo totus est; et apud Patrem totus est [3]. In utero interior, in sæculo exterior, apud Patrem superior. O magnum Deum ubique diffusum! Implet uterum, continet mundum, possidet cœlum.

XIV. Sed ad propositum redeamus. Dixit Dominus ad Eliam : « Vade ad torrentem, in cymarro Charath, » qui est ad faciem Jordanis... Et corvi afferebant ei « panes mane et carnes meridie; et de cymarro bibebat [4] » aquam (n). » Est-ne hinc ulla contentio, et quod vocetur in dubium? Qui sanctum virum corvis ministrantibus pastum et officio immundi volucris adnutritum [5] inficietur impietas? At ego teneo illam Domini sententiam generalem qua cautum est : « Quia quidquid tetigerit immundus, » immundum est (o). » Ecce corvus panes attulit, corvus carnes advexit, et immundum non potuit esse quod tetigit [6]; nec immundus factus est qui accepit. Probavit Apostolus qui dixit, « Quia omnia munda mundis (p); » et utique adhuc illis temporibus, hæc vigebant quæ de animantibus cavebantur. Nolo interim de carnibus, quales fuerint disputare, quæ etsi esse poterant licitæ, tamen ex contactu immundi alitis fiebant, præscripto legis, immundæ : « Quia quidquid tetigerit, dictum est, immundus, « immundum erit (q). » Sed immundum sancto viro nihil esse potuit, in cujus persona præscriptum generale cessavit; ac proinde ostenditur personale esse quod cavebatur in animantibus singulis, quod per meritum utentis irritum perducitur in corvis; nisi quia audivit corvus quod non vult audire Judæos. Ille audiendo factus est mundus, Judæus non audiendo remansit immundus. Probavit Apostolus qui dixit « Quia omnia munda mundis. » Immundum ergo esse non potuit, quod immundus corvus tetigit; et uterum immundum esse potuit quem Christus implevit? O interea corvos ministros ubique devotos! nigros in colore, sed candidos in timore; immundos in nomine, sed mundos in opere. Emundavit tandem corvus culpam suam, et reversus est ad obedientiam; tunc enim exiens de arca, non rediit; nunc pastus necessarios servo Dei opportunus obsonator exhibuit.

XV. Sed putas immundum fuisse uterum Virginis, ut ad rem, de qua loquimur, redeamus; accipe ergo rationem de simili exemplo, qui dubitas, qui indignum Deo putas uterum, aut ex utero Deum ullum contagium contrahere potuisse. Sol mundum uniformi claritate collustrat; et diversus in singulis effectus invenitur. Ceram solvit, indurat lutum, stercora discoquit, cœnulenta desiccat; et ita radios suos per diversa jaculatur, ut ex his, quæ vi sui

(a) Rom. IV, 17. — (b) Job. V, 13; et 1 Cor. III, 19. — (c) Psal. XCIII, 11; et 1 Cor. III, 20. — (d) Id. I, 20, 21. — (e) Ibid. 25. — (f) Ibid. 19. — (g) Psal. CXLVIII, 5. — (h) Tit. I, 15. — (i) Gen. I, 31. — (j) Deut. XIV, 7. — (k) 1 Tim. I, 8. — (l) 4 Reg. II, 11. — (m) Joan. III, 13 — (n) 3 Reg. XVII, 3-6. — (o) Num. XIX, 22. — (p) Tit. I, 15. — (q) Num. XIX, 22.

[1] Codex male non est. — [2] Id. perperam inter. — [3] Vide Tract. in Joan XII, n. 8; et Serm. CCXCV, n. 9. — [4] Codex male bibat. — [5] Id. pasto, et postea aut natatum. — [6] Vide lib. XXXII contra Faustum, cap. I-IV

ardoris exsuccat, penitus nesciat inquinari. Deus ergo inquinari posset ex utero, cum sol non inquinetur ex cœno? aut Christus contaminaretur ex vulva, cum sol non inficiatur ex cloaca? Verumtamen etiam immundus ex origine sua possit credi ille uterus, sed ingresso Dei factus est mundus. Ubi enim totam Virginem virtus Altissimi obumbraverat, ubi Verbum se incorruptibiliter corporabat, ubi Spiritus sanctus membra plasmabat, immundum esse quid poterat, cum ex conversatione Verbi quidquid immundum credi potuit, sine dubio posset repente mundari? Et si immundam secundum legem in profluvio sanguinis mulierem tactu fimbriæ ipsius emundavit, eodem Deo uterum ingresso, etiamsi uterus naturaliter esset immundus, mundari non potuit?

XVI. Huc accedit quia uterus Virginis fuit sanctus, mundus, purus, illæsus, illibatus, sicut ab artifice Deo factus, ita artificis ipsius majestate repletus; in quo agnovit integrum opus suum Deus; de quo exivit Deus, quasi novus maritus de thalamo suo. Novus enim maritus carnis exivit de puro thalamo ventris, et parvæ sanctitatis putatur hic uterus, ut Deus[1] quem ferre non poterat totus mundus, in visceribus ejus teneretur inclusus?

XVII. Apparuit[2] Dominus sancto Moysi in monte Choreb, cum rubus igni arderet et non arderet; et flamma spinas lamberet et non cremaret. Væ vobis, Peccatores, qui hæc prætereuntes auditis! ardet flamma, et non comburitur spina. Arsura sunt corpora in gehenna et non finitur in ardente substantia, sicut non finitur et pœna. Et vox ad eum talis emissa est: « Moyses, Moyses, solve » calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, » terra sancta est(*a*). » Si ergo terra illa sanctificata est quia ibi Moysi majestas apparuit, quanto magis sanctificatus est uterus in quo ipsa majestas intravit? Ecce intrat in tenebris lucerna, et splendore suo lucere facit totam domum. Intravit lumen verum, id est Deus, in uterum, et fecit uterum sanctum. Sanctus ergo ille uterus fuit, in quem Sanctus intravit, sanctificavit, et sanctus sicut intravit, exivit, Angelo dicente: « Propter quod et qui » ex te nascetur Sanctus, vocabitur Filius Dei (*b*). »

XVIII. Absit ergo, absit ut dedignaretur intrare in uterum Virginis, qui non dedignatus est intrare in caminum ignis ardentis, teste Nabuchodonosor, qui ait: « Nonne » tres viros misimus ligatos in medio ignis ardentis? Et » quomodo video quatuor viros solutos et deambulantes » in medio ignis, et corruptio nulla in eis? et similitudo » quarti similis est Filio Dei (*c*). » Qui ergo intravit in fornacem ignis ardentis[3], ipse intravit in uterum Virginis permanentis. Quis est qui intravit in fornacem ignis? Filius Dei. Quis intravit in uterum Virginis? Filius Dei. Illinc excussit flammam, hinc exclusit naturam. Sicut ergo arsit in fornace ignis et non combussit, ita exivit ex vulva Virginis et nihil corrupit. In fornace ignis, pro tribus pueris eruendis intravit; pro toto mundo redimendo in uterum Virginis intrare non debuit?

XIX. Sed contra naturam, inquiunt Judæi, Virgo parere non potuit[4]. O impudentia singularis! semper cadit, et nunquam cedit. Et si ille non cedit qui semper cadit, multo magis veritas non cedit, quæ nunquam cadit, et semper vincit, Scriptura dicente: « Veritas vincit, et invalescit, et vivit, et obtinet in sæcula(*d*). » Contra naturam, inquit, parere Virgo non potuit. Putaverunt sane ex parte aliqua nobis rapuisse[5] victoriam. Ecce igitur provocamur ad pugnam; sed nihil metuam, nihil verebor; jam enim sauciatus est iste qui provocat. Contra naturam, inquiunt, parere Virgo non potuit; ergo contra naturam in tabernaculo Testimonii, sacerdotis Aaron virga floribus tunc absque naturali adjutorio germinavit. Non enim suggestus seminis inerat, non radicis, non altricis terræ genitales succi aderant. Quod etsi in natura virga habuit, abscissa stipitibus[6] retinere non potuit. Et tamen illic cum deessent universa jura naturæ, protulit virga quod nec succo, nec semine suggeri potuit, nec radice.

XX. Sed forsitan aliquibus facti hujus historia videtur ignota; breviter dicam. Cum Chore, Dathan et Abiron adversus sanctum Moysen et Aaron, sibi sacerdotium vindicarent, et contra dispositionem Dei vellent noviter in sacrilegum schisma prorumpere, hiatu terræ descendentis absorpti, viderunt sua funera perituri, et contra rerum opinionem, ante sunt sepulti quam mortui. Aperta fauce glutivit terra sacrilegos, et insatiabilis hiatus non recepit quos servaret, sed rapuit quos[7] puniret. Merserunt ad inferos viva corpora, et ita est in miseris pœna grassata, ut quæ solent morientium esse solamina, ipsa illis pœnalis fieret sepultura; nec mortuos aggestus terræ obruit, sed vivos pœna sepelivit. Illis ergo auctoribus absorptis, et gregalibus eorum divino incendio concrematis, ita enim scriptum est: « Aperta est terra, et deglutivit Dathan, et » cooperuit super synagogam Abiron, et exarsit ignis in » synagoga eorum (*e*); » jubet Dominus sancto Moysi de singulis tribubus virgas afferri. Allatæ duodecim virgæ, inter quas etiam una erat de tribu Levi, quæ Aaron fuerat sacerdotis, positæ sunt a sancto Moyse in tabernaculo Testimonii. Alia die invenitur virga Aaron produxisse flores et frondes, et peperisse nuces.

XXI. Libet igitur hoc tantisper exemplum cum perfidia comminisci, ubi maxime figura intervenit sacramenti. Virga ecce protulit quod virga non habuit[8]. Non radicata plantario, nec defossa sarculo, non animata succo, nec fœcundata seminario, non mersa exculto[9] arvo, et tamen germinavit in flore, fructificavit in fronde, et fructus dedit quos non habuit in radice. Et cum jam totum perdidisset quod habebat ex arbore, utpote quæ esset abscisa ad testimonium tamen præcipui sacerdotis, virga exhibuit quod naturalis origo non habuit: quia contra naturam nuces concepit et peperit. Virgo ergo non potuit contra naturam Dei Filium generare? Ecce ego dicam tibi quemadmodum Virgo concepit et peperit; tu mihi ostende qualiter virga omni suggestu naturæ vacua germinavit. Sed procul dubio nec conceptum poteris virgæ explicare, nec Virginis partum. Si ergo non poteris dicere quemadmodum virga peperit nuces, Virginem poteris dicere quemadmodum concepit et peperit veritatem? Accipe ergo dominicæ Incarnationis effectum, quia virgæ parentis non potes explicare mysterium.

XXII. Veni ad me, et dicam tibi quod intus audivi. Pudore hic, non ratione conturbor, et volo in sermone esse verecundiam, dummodo non sit in fide periculum. Da veniam, Christe, et parce ori meo, quia Incarnationis tuæ mysterium temerarius narrator attingo[10]; et tu quidem clausum dimisisti uterum tuum, sed nobis permisisti aperire incredulis Evangelium tuum. Dicam tandem quod in cubiculo naturæ conficitur. In vulva Virginis genitalis sanguis, et germinans humor[11] fuit. Huic sanguini vel humori Verbum se velut coagulum miscuit, et sanguinis vel humoris substantia congelata carnem fecit. Accessit Spiritus sanctus, et hæc quæ fuerant gelata, et Verbi quodam glutino commassata, formavit; formata distinxit; et formam

(*a*) Exod. III, 5. — (*b*) Luc. I, 35. — (*c*) Dan. III, 91, 92. — (*d*) 3 Esdr. IV, 38. — (*e*) Psal. CV, 17, 18.

[1] Cod. male *Deum*. — [2] Vide Serm. VI et VII. — [3] Vide Quæst. in Vetus Testamentum tom. III, Appendicis Maurinianis fol. 146, littera B. — [4] Vide Sermonem CLXV, tom. V Appendicis fol. 401, n. 3. — [5] Codex *parasse*; non est sensus; erravit sane amanuensis ponendo *parasse*, loco verbi *rapuisse*. — [6] Codex male *spiritibus*. — [7] Id. *quod*. — [8] Vide Serm. CCXLV, n. 3. — [9] Cod. *excultab*. — [10] Assolet sanctus Doctor in enucleandis quæ difficilia sunt, Deo se commendare, ut sæpius in scriptis authenticis videre est. — [11] Codex male *geminens*.

hominis, qua Deus inclusus in lineamentis suis tenebatur, explicuit. Ecce habes quemadmodum Virgo concepit. Si quæris qualiter et peperit, dicam tibi : ita peperit sicut ante concepit; quia qui uterum insensibiliter intravit, incorruptibiliter sicut intravit, exivit. Nam, ut agnoscas verum ordinem officii naturalis, Virgo peregit tempora pariendi, virga non habuit tempora germinandi. Illa enim, decursis novem mensibus, peperit : virga intra triduum, quod in natura non habuit, germinavit. Ecce ipse primus homo nec patrem docetur habuisse nec matrem : ex limo enim terræ factus est quæ non haberet originem. Quomodo ergo corpus factum est sine semine? quomodo caro extitit sine carne? Ex vulva tamen quodam modo exivit terræ, et nihil tamen consumptum est in matrice. Unde ne dubites quia si in rem præsentem te hujus comparationis induco, nulla tibi nascatur in hac assertione cunctatio. Solis radius specular penetrat, et soliditatem ejus insensibili subtilitate pertrajicit, et videtur intrinsecus qui extat extrinsecus[1]. Nec cum ingreditur dissipat, nec cum egreditur violat; quia et ingressu et egressu ejus specular integrum perseverat. Specular ergo non rumpit radius solis; integritatem Virginis ingressus aut egressus vitiare poterat veritatis?

XXIII. Sed quid ulterius moror? Audiat Christianus quod non vult audire Judæus, ut hic proficiat redemptus, ille deficiat induratus. Vere illa Aaron virga Virgo Maria fuit, quæ verum sacerdotem concepit et peperit, de quo dictum est : « Tu es sacerdos in æternum (*a*). » Superiori versu jam dixerat « Virgam potestatis suæ emittet Dominus ex » Sion(*b*); » nam quod et nucem peperit, imago dominici corporis fuit. Nux enim trinam habet in sua unione substantiam; corium, testam et nucleum. Per corium, caro, per testam ossa, per nucleum, interior anima. Sed hic in corio nucis carnem significat Salvatoris, quæ habuit in se asperitatem vel amaritudinem passionis; in nucleo, interiorem dulcedinem Deitatis, quæ tribuit pastum, et luminis subministrat officium; in testa, lignum medium interserens crucis, quod non discrevit id quod intus et foris fuit, sed magis quæ terrena et cœlestia fuerant, mediatoris ligni interpositione sociavit, Apostolo dicente : « Quia » pacificavit per sanguinem crucis suæ, sive quæ in cœlo » sunt, sive quæ in terra (*c*). » Eu, Judæe, virga tua Virgo est nostra.

XXIV. Si quidem ethymologiam hujus nominis retractemus, virgo quasi virga; a virga virgo[2]. Jamque intelligant ipsa sibi convenire vocabula, cum unius litteræ differentia, hoc videatur virgo sonare quod virga. Volunt autem nosse a virga Virginem designatam? Audiant quod Esaïas hic dicat : « Exiet, inquit, virga de radice Jesse (*d*). » Virga est de genere Jesse; Jesse pater David; ex genere David virga, quæ virga Maria fuit. Neque enim de homine Jesse lignum, id est virga, potuit germinare. Non ergo de Jesse exivit virga, sed Virgo Maria, quæ generi secundum carnem originique respondens, caro fuit quæ virga fuit, sed virgo fuit, quæ virgo concepit et peperit. Ac ne (non)[3] putent de David fuisse prædictum, ratione temporis excludantur. Quando enim hoc Propheta dixit, jam David mortuus erat. « Exiet, inquit, virga de radice Jesse, » in quo futurum tempus non præteritum designavit. « Exiet » enim inquit, non, « Exivit. » Denique quod sequitur auscultent : « Exiet virga de radice Jesse, et flos de radice » ejus ascendet (*e*). » Flos iste caro est Domini[4], quæ nata sine vitio humani seminis, florentem per omnia pulchritudinem retinet societatis. « Et flos, inquit, de » radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus » Domini (*f*). » Super quem? Scilicet super florem. « Spi» ritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et fortitu» dinis, Spiritus scientiæ et pietatis, et Spiritus timoris » Domini replevit eum. Non secundum gloriam judicabit, » neque secundum loquelam redarguet, sed judicabit » humili judicio, et redarguet gloriosos terræ. Et percu» tiet terram verbo oris sui, et spiritu per labia interficiet » impium; eritque justitia præcinctus lumbos suos, et » veritate involutus latera (*g*). » Et paulo post : « Et erit, » inquit, in illa die radix Jesse, et qui exurget princeps » esse gentium, et in nomine ejus omnes gentes spera» bunt (*h*). » O florem regem ! O florem judicem ! Sicut ergo virga illa, non virga, sed Virgo est, sic et flos ille, non flos virgæ, sed caro est. Quæ florem quidem peperit, et ex genere carnis carnem emisit : sed originem peccati illa generatio non habuit; quia non ex viri semine natus extitit, sed de Spiritu sancto conceptus exivit. Virga ergo ista, Virgo est designata. Virga ergo potuit, ut diximus, sine semine parere, Virgo non potuit sine viri semine, incorrupta generare? Sed illud, inquiunt, fecit divina potentia. Et istud similiter divina est operata prudentia : illa quæ in se contineret imaginem, hæc quæ perfectam exhiberet divini operis veritatem.

XXV. Audi aliud majus et fortius documentum quod de Ezechiele propheta monstrabo; quod præterita die dominica lectitatum est, et ideo exinde aliquid dicere prætermisi, ut huic diei sacramenti expositio servaretur. « Et converti me, inquit, secundum portam viæ » sanctorum exterioris quæ aspicit ad Orientem, et ipsa » erat clausa. Et ait ad me Dominus : Porta hæc clausa » erit et non aperietur, et nemo transit per eam[5], quia » Dominus Deus ipsius Israël ipse intrabit per eam, et » exiet, et erit clausa (*i*). » Redde mihi ergo rationem portæ hujus per quam intravit Dominus et exivit Deus, et non poterit nec introitus deprehendi, nec exitus. « Porta » enim, inquit, hæc erit clausa, et non aperietur, quia » Dominus Deus ipsius Israël ipse introibit, et exiet, et » erit clausa. » Sed porta hæc, quam allegorice posuit, forsitan simpliciter porta creditur. Porta ista, ventris est janua, pudoris est ostium. Hoc unde probamus? Dicat beatissimus Job : « Maledictus, inquit, sit dies ille in quo » natus sum, qui non clausit portam ventris matris meæ, » cum me pareret (*j*). » Porta, inquit, ventris, exitus est pudoris, id est, venter et pudor Virginis, per quam nemo alius nisi ipse qui intravit, et exivit. Intravit enim Deus, et exiit homo perfectus et non corruptus, nec clausam eam, cum intraret, aperuit, sed clausam, cum exiret, exhibuit; quia ipse est qui « Quod aperit nemo » claudit, et quod claudit, nemo aperit (*k*). » Exurge igitur, Esaïas, lætus exurge, et junge Ezechielo manus, et unito Spiritu in gloria dominicæ Nativitatis applaudite. Illico beatus David occurrat cum cithara illa, spirituali plectro dulcisona, et in sacramento Nativitatis Christi retinniens non fidibus, sed mysteriis harmonia. Audiamus ergo quod Esaïas propheta dicat[6] : « Rorate cœli desuper, » et nubes pluant Justum; aperiatur terra et germinet » Salvatorem (*l*). » Quæ est terra? caro nostra, quæ censebatur virgo, Maria quæ appellatur. « Et terra germi» net Salvatorem; » non eget interprete. Non utique carnali semine, sed cœlesti rore, et nubium non imbre, sed opere, quæ descendenti in carne Domino non adjutorium, sed officium præbuerunt. Quod alibi David evidentius dicit : « Descendit quasi stillicidia rorantia super terram (*m*). » Et

(*a*) Psal. cix, 4. — (*b*) Ibid. 2. — (*c*) Coloss. i, 20. — (*d*) Isai. xi, 1. — (*e*) Ibid. — (*f*) Isai. xi, 2. — (*g*) Ibid. 2-5. — (*h*) Ibid. 10. — (*i*) Ezech. xliv, 1, 2. (*j*) Job. iii, 3, 10. — (*k*) Apoc. iii, 7. — (*l*) Isai. xlv, 8. — (*m*) Psal. lxxi, 6.

[1] Vide Serm. ccxxv Appendicis Maurinensis, n. 3, 4 et 5. — [2] Codex male *virginem*. — [3] *Non* hic videtur abundare. — [4] Vide Sermonem iii de Symbolo ad Catechumenos n. 4. — [5] Vide Sermonem cxc de Annuntiatione Domini iii, tom. v, fol. 324 in Appendice Maurinensi. — [6] Vide Operis imperfecti contra Julianum lib. i, n. 140.

iterum de hoc ipso : « Terra dabit fructum suum (*a*), » quod specialiter Virginis refertur ad uterum. Et vere dedit « Fructum suum, » quia semen nescivit alienum.

XXVI. Qui hoc dubitas, exemplis fidem tuam credulitatemque conforta. Ecce enim in ipso primordio ex perfecto masculi corpore costa divellitur, et locus avulsi membri nulla in parte corporis invenitur; minus fit unum, plenum sed totum est. Nullum in corpore indicium cernitur cicatricis, nec vestigium avulsionis apparet. Exit costa de latere, et corpus non caret plenitudine. Perfectum est quod exit, integrum quod amisit. Et ut amplius præsumam, absque passionis injuria, virile corpus costa ex sese quodam modo generavit; extititque corpus lucrum, quod matri suæ non intulit detrimentum. Potuit ergo e latere hominis costam divina virtus educere, et nulla corpus vexari corruptione : ex Virginis utero procedens Deus, integritatem non potuit custodire? Et utique ipsum Dei Filium hoc operatum in primoplasto, nullus tamen stultus, nisi Judæus, impudenter abjurat. Quale ergo est ut quod fecit in origine, cum formaret mulierem, non potuerit operari cum nasceretur ex Virgine? Aut quod in corpore hominis non permisit agnosci, quomodo [1] pateretur in matris suæ pudore deprehendi? sed « Replevit, inquis, in locum ejus carnem (*b*) », et non prodidit passionem. Sic ex utero procedens Verbum habuit exitum, sed non diripuit pudorem, nec signum ibi reliquit corruptionis, ubi opus intererat incomparandæ virtutis. Ostende denique mihi quemadmodum in locum costæ repleverit carnem, et ego tibi exhibebo quemadmodum exierit de utero, et non reliquerit passionem. Sed profecto illud monstrare non poteris; quia quod virtute perfectum est, investigare non sineris : ita ergo et corruptelam Virginis affirmare non poteris, quia clausum Deus esse voluit quod inquiris.

XXVII. Exurge ergo in laudes Domini, Christiane, lætus exurge. Ecclesiam Dei, templum Christi, domum Spiritus sancti sonoris imple præconiis. Intra in stabulum Creatoris, frequenta præsepium Salvatoris, et æterni pastoris deosculare pannos : cunas amplectere. Veni, compone mecum laudes ad fœtam nostram, Virginem sanctam, matrem veram, non ex partu marcidam, sed de pudoris integritate formosam. Lauda cum cœlis, lauda cum Angelis, lauda cum Virtutibus universis, lauda cum terrenis et inferis elementis; et ne desinas, ne quiescas dicere gloriam Salvatoris : « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax » hominibus bonæ voluntatis (*c*). »

SERMO VIII.

In Natali Domini II.

Hic sermo ex Codice Cass. XII, *n.* 2, *depromptus in quo totum aut fere totum S. Augustino tribuitur, omnes notas authenticitatis colligit. Locus ejus in editione Benedictinorum post præcedentem cum numero in Natali Domini* XV.

SYNOPSIS.

I. Investigabilis Nativitas Christi. II. Exagitatur Judæi dubitantis impietas. III. Ipse Filius Dei in fine temporum venit legislator.

I. Fratres charissimi, quantum magnitudo salutaris mysterii, et dominicæ Nativitatis expetit sacramentum, nulla humanitatis obsequia, præconia nulla sufficiunt. Quæ enim tanto muneri, tantæque gratiæ devotionis nostræ infirmitas respondebit, ubi Unigenitus altissimi Patris cum Patre æternitate perpetuus, cœlo, terris, infernisque terribilis, pro salute hominis humani corporis voluit subire consortium? aut quæ lingua enarrare poterit, quod usus investigare non prævalet? Quis vero hominum illud æstimare conabitur, in quo solus sibi est Deus et auctor et conscius? « Nemo enim novit Filium nisi Pater (*d*). » Quomodo potest ad secretum virgineæ Nativitatis corrupta peccatis hominum fragilitas pervenire? Nascitur itaque, nascitur Christus non necessitate vivendi, sed voluntate salvandi. Nascitur inter mortuos, qui vitam donat mortuis. Nec dubitemus effectum, quod futurum Prophetarum maximus Isaïas in diebus antiquis sancti Spiritus auctoritate prædicit : « Ecce, inquit, Virgo in utero accipiet et pariet » filium (*e*). » Quod fœmina parturit, veræ Incarnationis est fides; quod virgo parit, æterna nascentis est gloria. Nascitur ab intacta fœmina Christus, quia fas non erat, ut virtus per voluptatem, castitas per luxuriam, per corruptionem incorruptio nasceretur. Nec poterat novo ordine adventare de cœlo, qui vetustum mortis destruere veniebat imperium; neque vero poterat universitatis Dominus formam servi suscipere, qua nos redimere disponebat, nisi eum peperisset ancilla. Aut quomodo pro nobis sputamenta, palmas, et crucem Dei Filius sustineret, nisi se filium hominis præbuisset?

II. Vere infelix Judæa, quæ per adulterii calumniam, tenebrosis suspicionibus tantum sibi lumen obscurat, quæ, dum non credit Virginem concepisse, dignationem Dei sui humanum vocat in crimen, et invidiæ suæ hebetata caligine culpam clamat esse, quod virtus est. Sed crede, miserande Homo, cui sola salutis tuæ fuit causa nascendi. Perpendite, Fratres, quæ, et quanta sit cæcitas perfidorum, quæ Christum negat nasci potuisse de Virgine, et in Nativitate cœlesti, consuetudinem requirit humanam, ac Deum creaturarum legibus discutit creatura. Nihil itaque de Nativitate ejus humana retractet impietas, quem nasci pro homine pietas invitavit. Quod hominis et Dei Filius humiliavit se in carne, quod Virgo concipit, Virgo parturit, et quod permanet virgo post partum, cœlestis mysterii virtus est, non mortalis ordo naturæ.

III. Quis vero Omnipotentis esse dubitet sacramentum, ubi audit cœlorum Regem prodire de fœmina, et natum fœminæ Cœlestibus imperare? Quæ autem quantaque, Fratres, ob salutem gentium beneficiorum Dei augmenta succrescant. Olim namque post transitum Maris Rubri, ut Hebræorum populo divini cultus disponeret præcepta, Moysen famulum suum vocavit in montem, quatenus per unum servulum genti exiguæ dispositionum suarum proderet voluntatem. Nunc vero ut in fine temporum, ut gentibus universis perennis vitæ sacramenta deferret, ipse de cœlestibus, de sinu Patris adveniens, ita se homini, sibique hominem inseruit, et univit, ut incomprehensibili gloria, unus idemque, et homo esset, et Deus. Sic enim potentissimus prodiit ex Maria, ut et infirma carnis subiret et Unigeniti non amitteret majestatem, ac temperamento quodam admirandi mysterii, et per hominem Deus cum hominibus loqueretur, et homo per Deum de diabolo triumpharet.

(*a*) Id. xxx, 7. — (*b*) Gen. ii, 21. — (*c*) Luc. ii, 14. — (*d*) Matth. xi, 27. — (*e*) Isai. vii, 14.

[1] Codex male *quando*.

SERMO IX.

In Natali Domini III.

Eædem rationes militant in hujus Sermonis gratiam, quæ authenticitatem stabiliunt præcedentis. Ex eodem enim Codice Cass. XII, *n.* 6, *imo et ex altero Codice Laurentiano eruitur, ut videre est apud Bibliothecam Bandini tom.* I, *fol.* 430, *Cod.* XXXIII, *cum nomine sancti Augustini. Nihil aliunde apparet quod obstare possit quin admittatur. Ponatur post præcedentem cum numero de Natali Domini* XVI.

SYNOPSIS.

I. Concordantia Prophetarum et Apostolorum de Nativitate Christi. II. Mariæ intemerata in pariendo virginitas.

I. Fratres dilectissimi, non parva de Filio Dei secundum Divinitatem locuti sumus, et resistentibus in quantum potuimus adversariis non pepercimus. Nunc volo ad ejus Incarnationem accedere, quia Filium Dei non volunt dici etiam hominis filium. « Rorate cœli desuper, et nubes » pluant Justum; aperiatur terra et germinet Salvatorem, » et justitia oriatur simul; ego Dominus creavi eum (*a*). » Item dicit : « Ecce parvulus natus est nobis, et factus » est principatus super humeros ejus, et vocabitur no- » men ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pa- » ter futuri seculi, Princeps pacis (*b*). » Item in alio loco : « Ecce Virgo concipiet in utero, et pariet filium, et vo- » cabitur nomen ejus Emmanuël (*c*). » Ordo iste itaque servandus est, ut loquens de Evangelio, non sileam de Prophetis. Et quid agis de Paulo apostolo, qui in exordio Epistolæ suæ ad Romanos scripsit? « Paulus, inquit, servus » Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evan- » gelio Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in » Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex se- » mine David secundum carnem (*d*). » Audistis, quia Evangelium non exhiberetur, nisi per Prophetas ante promitteretur. Audistis quia Filius Dei secundum Divinitatem factus est filius hominis « Ex semine David secun- » dum carnem (*e*). » Quid est enim in quo Prophetæ contrarii sunt Evangelio? Dicit Propheta : « Rorate cœli » desuper et nubes pluant Justum (*f*) » Veniat Angelus, prædicet Verbum; aperiatur terra, audiat Maria; et germinet Salvatorem, pariat Jesum. Propheta dicit : « Ecce » Virgo concipiet in utero, et pariet filium, et vocabi- » tur nomen ejus Emmanuël (*g*). » Hoc etiam Evangelista cum diceret, secutus est, et exposuit dicens : « Nobis- » cum Deus (*h*). » Ecce Apostolus dicit : « De Filio suo, » qui factus est ei ex semine David secundum carnem (*i*). » Quod Prophetæ præviderunt, et prædixerunt, hoc Apostoli viderunt, et prædicaverunt. Factus est qui erat; qui factus est, Verbum erat, caro factus est; Filius Dei erat, filius hominis factus est.

II. Deus erat, homo factus est; suscepit humanitatem, non amisit Divinitatem; factus est humilis, mansit sublimis. Natus est homo, non destitit esse Deus. Natus est parvus, latens magnus. Qui libenter amplectitur Deum natum, non horreat Virginis partum. Dicit tibi Deus, creator hominis, filius hominis : Quid est[1] quod te permovet in mea Nativitate? non sum libidinis conceptus cupiditate. Ego matrem, ex qua nascerer, feci, ego viam meo itineri præparavi atque mundavi. Hanc quam despicitis, mater est mea, sed manu fabricata est mea. Si potui inquinari, cum eam facerem, potui inquinari cum ex ea nascerer. Sicuti transitu meo illius non est corrupta virginitas, sic mea ibi non est majestas polluta. Si solis radius cloacarum sordes siccare novit, inquinari non novit, quanto magis splendor lucis æternæ, in quo nihil inquinamenti occurrit, quocumque radiaverit, mundare potest, ipse pollui non potest. Stulte, unde sordes in Virgine matre, ubi non est concubitus cum homine patre? Unde sordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo est passa dolorem? unde sordes in domo, ad quam nullus hospes accessit, solus ad eam Fabricator et Dominus venit, vestem quam non habebat, induxit; eamque sicut invenit clausam reliquit. Sicut ille natus solus est inter mortuos liber; sic istius ex qua natus est matris pudor solus est integer. Eva inobediens meruit pœnam; Maria obediendo consecuta est gloriam. Illa, gustando prohibitum, est maledicta; hæc, credendo Angelo, est benedicta.

SERMO X.

In Natali Domini IV.

Multa de hoc Sermone dicenda. Ex eodem Codice extractus, eamdem auctoritatem sibi vindicare videtur. Objicitur autem 1° *similitudo in quibusdam cum sermone* CXXI. *Appendicis Maurinensis, n.* 4, *et* CXCIV, *prout a Lovaniensibus fuerat editus, tom.* V *Maurinorum, p.* 895. *Sed notandum est illam similitudinem non esse opponendam, cum potius faveat, quam noceat Sermonis hujus authenticitati; sermo enim Appendicis evidenter complectitur multas hinc et inde detractas ex S. Augustino et forte aliis quibusdam sententias. Quid mirum si recurrant in Sermone authentico sententiæ quæ inde fuerunt depromptæ?* 2° *Dicitur iterum quasdam voces sancti Ambrosii in eo inveniri. Sed quædam tantum verba, et illa quidem incompleta reperiuntur ex uno sermone citato a Cassiano; cum autem hic sermo sit deperditus, cum Cassianus circa nomen errare potuerit, et aliunde voces non omnino concordent, ita ut facile supponi possit eamdem dicendi formam a duobus pariter scriptoribus fuisse adhibitam, non remanet sufficiens probatio ad rejiciendum sermonem qui sancti Augustini præfert nomen, et nihil continet sancto Doctore indignum. Ponatur post præcedentem cum numero in Natali Domini* XVII.

SYNOPSIS.

I. Christi Nativitas; Mariæ virginitas. II. Angeli annuntiatio. III. Stella de cœlo fulgens. IV. Magorum mystica munera.

I. Diei hujus adventum si pleno possimus ore narrare, integra salutis nostræ mysteria nosceremus. At vero cum hoc in unum[1], tam admiranda conveniant, quæ sunt explicata sermonibus, quæ vox, quæ lingua cuncta complectitur, cum singula quæque miranda (videantur)[2]? Natalis est hodie Salvatoris, sed oportet ortum Christi natalem sæculi nos vocare. Natalis est Salvatoris : hoc est unde mundus vitam accepit, et lux, quæ perierat, mortalibus reparatur. Nascitur, quem Regem gentium Prophetæ testati sunt. Nascitur ex Virgine, sicut Propheta testatur dicens : « Ecce concipiet Virgo, et pariet filium, et vocabunt nomen

(*a*) Isai. XLV, 8. — (*b*) Id. IX, 6. — (*c*) Id. VII, 14. — (*d*) Rom. I, 1. — (*e*) Ibid. 3. — (*f*) Isai. XLV, 8. — (*g*) Id. VII, 14. — (*h*) Matth. I, 23. (*i*) Rom. I, 3

[1] Cod. male *ait*. — [2] Cod. male *complectitur... mirantur*, sine voce *quæ*.

» ejus Emmanuel, quod interpretatur Nobiscum Deus (a). » Probat ergo virtutum Dominum ordo nascendi[1]; concepit Virgo, virilis ignara consortii; impletur uterus nullo libatus amplexu, et quod Spiritu sancto[2] castus venter excepit, pura membra servarunt, innocens corpus gessit. Videte miraculum Matris Domini; virgo concepit, virgo parturit, virgo gravida, virgo post partum. Gloriosa virginitas, et præclara fecunditas; virtus mundi nascitur et nullus est gemitus parturientis[3]. Vacuatur uterus, infans excipitur, nec tamen virginitas violatur. Necesse erat[4], ut Deo nascente meritum cresceret castitatis, nec per ejus adventum violarentur integra, qui venerat sanare corrupta[5]. Natus puer ponitur in præsepe, et hæc sunt Dei prima cunabula, nec Regnator cœli has indignatur angustias, cui fuit virgineus venter idoneum habitaculum. Stat exonerata felici onere Maria, et matrem se lætam cognoscit, quæ se nescit uxorem. Sed infantis genus fœta miratur, et de Spiritu sancto[6] protulisse se gaudet; nec quia peperit innupta terretur, sed quia genuerit Deum confessa lætatur.

II. Cum enim debitus Salvatoris sæculo properaret adventus, et mundum suum meliori Dei lege construeret, et propheticus sermo declaratus fide per ora gentium volitaret, ad Mariam virginem Spiritus sanctus venit, sicut ab Angelo fuerat ante prædictum : » Spiritus sanctus veniet super » te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Propterea quod » nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Altissimi (b). » Ergo merito magno credimus, quia magna virtute generatur, et rite in ejus adventu cœlestia veneramur, quem de cœlo venisse cognoscimus, quem genitum Dei Patris et Spiritus sancti virtute comperimus, ut firmaretur Trinitas, in utero sanctitas. Nascitur Salvator, et solis cursus augetur. Necesse est ut ex hac die crescat splendor, qui cum magno lumine egreditur.

III. Sed videamus quis esse nuntius potest, qui de Nativitate Salvatoris testis existeret. Utique stella de cœlo; necesse est ut inde testimonium veniat, unde origo descendit. Natum enim Deum stellæ cursus ostendit; ortum Domini elementa demonstrant; et inter solis radios, stellæ cursus clarius enitescit.

IV. Videamus igitur quid sibi voluerunt Magorum mystica munera inter abjecta præsepia, nisi ut intelligamus in Christum differentiam Divinitatis et carnis. Cernitur ut homo, adoratur ut Deus; jacet in pannis, fulget in stellis. Cunæ nascentem indicant, stellæ dominantem annuntiant. Caro est quæ involvitur, Divinitas quæ adoratur; Pastores exultant in terra, Angeli lætantur in cœlis. Nunc etiam videamus quæ sunt munera, quæ non ignarus Regi Magus obtulerit. Afferunt aurum, id est, potestatem Domini confitentur. Thus subjciunt; Deo sacrificium repromittunt. Myrrha præstatur, ut passuro corpori condimenta non desint. Rex auro monstratur, Deus thure cognoscitur, sepeliendum myrrha designat. Unum Deum Prophetæ annuntiant, et Apostoli dixerunt; Magi crediderunt, et thus, aurum, myrrham ad Christi cunabula detulerunt. Ergo nos, Fratres charissimi, unum Deum timeamus, ut ipse nobis, quæ bona sunt præstare dignetur, per Jesum Christum Dominum nostrum, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XI.

In Natali Domini V.

Nihil obstat quin admittatur Sermo iste. Auctoritas Codicis, et styli concordantia pariter conveniunt. Legitur enim in Codice Cass. xii, *fol.* 10. *Locus ejus post præcedentem cum numero in Natali Domini* xviii.

SYNOPSIS.

I. Nativitas Christi mundo lætitiæ causa. II. Angeli ad Mariam salutatio. III. Beatæ Virginis præconium.

I. Fratres charissimi, Nativitas Salvatoris redemptio est peccatoris. Non enim posset liberari peccator, nisi venisset in forma servi Salvator[7]. Hodie ergo Natalis est Domini, gaudete, servi; Natalis est Redemptoris, exultate, redempti; Natalis est medici, lætentur ægroti; Natalis est indulgentiæ, lætamini peccatores; Natalis est Christi, omnes plaudite Christiani. Voluit Deus in tempore habere Natalem, qui ipsorum temporum plantavit ætatem. Sic enim Apostolus dicit : » Semetipsum exinanivit, formam » servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et ha» bitu inventus ut homo (c). » Auditis exinanitum, sed formam Dei nonquam amisit, quam naturaliter secum semper habuit. Homo factus est[8], sed Deus esse non desivit. Homo accessit, sed Deitas non recessit. Factus est homo, forma suscepta humana, non amissa divina. Vestem carnis accepit, sed intrinsecus Deitas mansit. Denique utpote Deus, patrator operum, « Per quem facta sunt omnia, et sine quo fac» tum est nihil (d), » templum sibi, in quo nasceretur, ipse construxit. Fecit matrem, æternus manens cum Patre. Suscepit hominem, natus ex matre, quam ipse formavit, regnans cum Patre. Sicut Propheta dicit : » Mater Sion » dicet homo, et homo factus est in ea, et ipse fundavit » eam Altissimus (e). » Jucundentur cœli et exultet terra; jucundentur cœli, quia non habent accusatorem; exultet terra, quia germinavit Dominum salvatorem. Et quis tanti muneris possit invenire secretum? unde Apostolus dicit : « Quod fuit a sæculis absconditum (f). »

II. Nam ipsa Mater Domini virginitatis suæ conscia, quemadmodum fieret, ut salvo pudore genuisset, ab Angelo requisivit : » Quomodo, inquit, fiet istud, quia virum non » cognovi (g). » Parituram Virginem in Prophetis ex lege audivi, sed quemadmodum fiet, penitus nunquam scivi. Rogo ergo te, beatissime Gabriel, Angele Dei, secretum tanti mysterii pudicæ Virgini expone sacramentum. Exhibuisti mihi novam salutationem, redde Virgini consolationem; virginitatem meam Deo dicavi; in templo ejus servire delegi. Narra ergo mihi. » Quomodo fiet istud, quo» niam virum non cognosco, » quandiu vivo. Et Angelus ad eam : Non cognosces virum, agnosces mysterium : » Spiritus » sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit » tibi, ideoque quod nascetur ex te Sanctum vocabitur » Filius Dei (h). » Et illa : Dic ergo, inquit, mihi, Nuntie Dei, non est leve quod dicis : « Quomodo fiet istud, quo» niam virum non cognosco, » quandiu vivo? Vide Angelum scientem, et illam quærentem. O Maria, audi : « Quo» modo fiet istud; » salva erit virginitas tua; non peribit pudicitia tua; tu autem crede veritatem; salva virgini-

(a) Isai. vii, 14 — (b) Luc. i, 35 — (c) Philip. ii, 7 — (d) Joan. i, 3. — (e) Psal. lxxxvi, 5. — (f) Coloss. i, 26. — (g) Luc. i, 34. — (h) Ibid. 35.

[1] Edit. *nativitatis*. — [2] Cod. male et *Spiritum sanctum*. Lovanienses melius. — [3] Lovan. *nullus gemitus parturientis sentitur*. — [4] Lovan. *dignum enim erat*. — [5] Lovan. adjiciunt : *Nec per eum pudicitia corporalis læderetur, per quem donatur castitas spiritalis*. Vide Serm. cxxi Appendicis Maur. ubi aliqua variant. — [6] Cod. male *Spiritum sanctum*. — [7] Vide Serm. clxxxiv, n. 2, sub finem. — [8] *Est* desideratur in Codice.

tate, accipe securitatem; quoniam integra est fides tua, intacta erit et virginitas tua. Audi « Quomodo fiet istud: » Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi » obumbrabit tibi; » quia spe concipis credendo, in utero habebis non concumbendo, « Ideoque et quod nascetur » ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. » Et quomodo non sentis ingressum ejus, sic non senties egressum ejus; neque utero tumescente laxa incedebis; non senties pondus, quia nunquam gravis est Deus. Et Maria ait . Si sic est, ut dicis, angelicis dictis læta fide accommodo sensum. Si enim non credidero, ei, qui te misit, injuriam facio, et ipsa muta remanebo, et Zachariæ similis ero. Et Angelus: O Virgo, noli esse incredula, sed fidelis: « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit » tibi; » non patieris æstua libidinis, quia nullum est opus mortalitatis, sed præsens est conceptio sanctitatis. Et illa[1]: Si ita mihi Altissimus donat fœcunditatem, ut non auferat virginitatem, « Ecce ancilla Domini, fiat » mihi secundum verbum tuum (*a*). » O beata, quæ credidit, et quæ mundus capere non potuit, sinu gestavit; aure concepit, corpore edidit; redemptionem credentibus Virginitas germinavit.

III. O beata Maria, quid est hoc quod taliter Dominum meruisti? unde hoc accepisti, ut veniat ad te, qui creavit te? unde, inquam, tibi tantum bonum? Virgo es, sancta es, votum vovisti, et quod vovisti, ab illo accepisti, sed tamen magnus est quem genuisti. Lætare, Virginitas, lætare angelico nuntio confirmata. Ecce tibi integra permanent claustra pudoris, et jam mater diceris Salvatoris. Ad partum tuum angelicus veniet exercitus, et omnis cœlestis militia. Natum Christum, Angelo indicante, vigilantes Pastores primo meruerunt audire: « Beati servi illi, quos, » cum advenerit Dominus, invenerit vigilantes (*b*). » Propterea Christus venit, ut famelicos satiet, captivos liberet, cæcos illuminet, mortuos suscitet; ex filiis iræ faciat vasa misericordiæ: ut omnes credentes in eum, habeant vitam æternam, et laudent Nativitatem Salvatoris cum Angelis novam.

SERMO XII.

In Natali Domini VI.

Eædem rationes hujus admissionem Sermonis expostulant ac præcedentis. Nulla disconvenientia styli vel doctrinæ; Codicis autem adest auctoritas; eruitur enim ex Codice Cass. XII, *fol.* 14. *Collocetur post præcedentem; numerus ejus erit in Natali Domini* XIX.

SYNOPSIS.

I. Joseph et Mariæ professio. II. Christi Nativitas.

I. Cum virgineus partus et nascentis Christi diu mysterium perscrutamur, tandem meruimus ad sacra ortus ejus pervenire cunabula, quæ nobis hodie in evangelico demonstrantur eloquio: « Factum est, inquit, in diebus illis: » exiit edictum a Cæsare Augusto, ut profiteretur univer» sus orbis terræ. Hæc professio prima facta est (*c*) etc. » Christo nascente, universus profitetur orbis, quia census Cæsari, professio debetur Auctori. In nummo est imago Cæsaris, in homine est imago Dei. Profitetur itaque orbis, ut similitudo Regis formetur in nummo, et imago Dei reformetur in homine; ac sic reddatur nummus Cæsari, ut homo Deo; et impleatur illud, quod a Domino dictum est[2]: « Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ » sunt Dei Deo (*d*). Hæc professio, inquit, prima facta » est; » prima mysterio, non tempore; merito, non ordine; non descriptione, sed fide. Nam cum longe ante orbis terræ romanis censibus subjaceret, quomodo nunc primum profiteri orbis dicitur universus, nisi quia mystice divina prænuntiantur humanis. « Ascendit itaque et Jo» seph, ut profiteretur cum Maria uxore sibi desponsata (*e*). » Bene ascendit; quia semper ad divina sublimis habetur ascensus. Ascendit ut profiteretur se sponsum esse, non conjugem; custodem, non maritum; datum ad obsequium germinis, non ad copulam genitricis; divinam esse in utero sobolem, non humanam. Ascendit et Maria, ut profiteretur se plus famulam quam parentem; habere se conceptus indicia, conscientiam tamen non habere; portare divinum munus, non pondus humanum; quia quando genitricis virginitas permanet, germen percreditur et probatur Auctoris.

II. « Et cum esset ibi, impleti sunt dies ut pareret (*f*); » hoc est, impleti sunt dies magis sæcularium temporum, quam dierum. Audi Apostolum: « Postquam venit ple» nitudo temporum, misit Deus Filium suum (*g*), » ut infantiam mundi caperet. Hinc est, quod primus homo mandati pondere gravatus occumbit. Hinc est quod Noë posteritas, dum cœli alta petit, corruit, et fragmentis est contrita linguarum. Hinc est quod judaïcus populus, dum legis sarcinam ferre non sufficit, pronum se dedit ad terram, et maluit « Jumentis insipientibus com» parari (*h*), » quam cum legis inscitia coæquari. Merito ergo Auctor temporum mundi tempus expectat, et erudiri sæculum longa ætate permittit, ut maturior mundus Restauratorem suum vel sero reciperet, qui ante rudis suum capere non valuit Creatorem. « Impleti sunt dies ut » pareret, et peperit filium, et pannis eum involvit, et posuit » in præsepio (*i*). » Qui claudit orbem, utero clauditur[3]; naturæ Auctor nascitur; fit hominum primogenitus, hominum Creator et temporum; Thesaurus cœli tegitur paupertate pannorum; Vibrator fulminum infantiæ dat vagitum; jacet in præsepio, cui omnis subjacet creatura. Homo-ne sentis quis te persequitur, ut te revocet Christus? intrat uterum, ut utero te reformet; nascitur, ut ad immortalitatem faciat te renasci; fit primogenitus, ut te divini generis præstet esse consortem. Hinc est quod Christus in præsepio ponitur, et ante ipsa ora exponitur jumentorum, ut Creatorem suum, velut odorem sentirent. In præsepio denique ponitur, ut quod Propheta dixit, confirmaretur: « Agnovit bos possessorem suum, et asi» nus præsepe domini sui (*j*). » Et idem Psalmigraphus: « Homines, et jumenta salvos facies, Domine (*k*). » Vocantur enim homines jumenta, quibus dicit Christus[4]: « Tollite » jugum meum super vos, quia suave est, et onus meum, » quia leve est (*l*). »

SERMO XIII.

In Natali Domini VII.

Hic Sermo ex eodem Codice XII, *fol.* 19, *extractus in multis cum sermone* CXXI *Appendicis concordat; nec mirum videri debet, cum sermo iste multis sententiis*

(*a*) Luc. I, 38. — (*b*) Luc. XII, 37. — (*c*) Luc. II, 1, 2. — (*d*) Matth. XXII, 21. — (*e*) Luc. II, 4. — (*f*) Ibid. 6. — (*g*) Gal. IV, 4. — (*h*) Psal. XLVIII, 13. — (*i*) Luc. II, 6, 7. — (*j*) Isai. I, 3. — (*k*) Psal. XXXV, 7. — (*l*) Matth. XI, 28, 29.

[1] Vide Serm. CXCIV, Appendicis Maur. ubi reperitur persimilis conceptus verborum. — [2] Vide epist. CXXVII, n. 6. Tract. in Joan. XL, n. 9. In Psal. XCIV, n. 3, et alibi. — [3] Vide Serm. CLXXXIV, n. 3. — [4] Id. CLXXXII, n. 4; et CXC, n. 3.

Augustini et aliorum sit concinnatus. Unde spurius vere Maurinorum, hic autem verus sancti Augustini fœtus habendus est. Ponatur post præcedentem cum numero in Natali Domini xx.

SYNOPSIS.

I. Cum Christo bonis operibus nasci debemus. II. Multiplex Christi apparitio. III. Christi Nativitas ex Virgine. IV. Christi nascentis humilitas et gloria. V. Conclusio.

I. Si Nativitatem Christi Domini consideremus, quæ per carnem virginem hodie mundo illuxit, quid aliud quam mox finem nostris piaculis damus, et abnegantes malorum actuum consuetudines pravas, novæ nos vitæ jungentes, cum Christo nascente renascimur. Et sicut hodie Christus ex utero processit Mariæ, salvaturus mundum, sic genus humanum ex utero Mariæ, id est Ecclesiæ secretis, creatum mysticis et spiritualibus sacramentis, novum ad lucem cum Christo hodie procedit salvaturum animam suam. Hoc ideo dixi, Fratres, quia in commune cuncti festivitatem Nativitatis Domini celebramus. Cum tamen paucissimi reperiantur, qui ipsam Nativitatem cur vel a quo facta sit considerent vel cognoscant, (quem si animo considerarent, penitus nunquam peccarent,) et tamen omnes dicunt: Natalis Domini est; bonis operibus plaudamus, sanctis actibus læti in Domino simus, et malitiam nostram veniente Christo mutantes, boni in omnibus appareamus. Nihil enim aliud quam carni et sanguini cibum et potum indulgentes, nefandis actibus sua gaudia sociant: et contrario animæ suæ, pro qua quidquid potest boni agendum est, nullam spiritalem escam contribuunt, foventes carnem, cui pro sua anima aliquantulum subtrahere debuerunt. Qui dum taliter Natalem sui Domini celebrare inveniuntur, non est mirum si irrationabilibus animalibus comparentur, qui ventre saturo libidini indulgentes, semper gaudere consueverunt. Cæterum si quique fideles et Christiani sumus, animo revolvamus, quis et quantus hodie nasci dignatus est, mox mutabimus vitam nostram, quia Dominum Christum in hac Nativitate cognovimus, qui est vera et perpetua vita nostra. Et abnegantes nosmetipsos nobis, illi vivere incipiamus, qui pro nobis non solum nasci, sed etiam mori dignatus est. Cujus considerantes celsitudinem, apprehendite mansuetudinem, ut ejus mereamini apprehendere magnitudinem. Paruit igitur pro nobis hodie libertatis arbiter, æquitatis auctor, justitiæ demonstrator, exclusor superbiæ, humilitatis auctor, fugator discordiæ, redditor pacis, perditionis victor, recuperationis inventor.

II. Sed apparitio ejus multifaria est monstrata virtute. Et hodie quidem ab Angelis Pastoribus ostensus in terris, secundo ab stella Magis est monstratus in cœlis; tertio a sancto Spiritu in aquis ostensus; quarto ipse se manifestavit in vino. Sed idcirco virtutum indiciis manifestatur, ut vilitatem, quam susceperat, hominem induendo, Deum simul homines crederent, tanta mirabilia videndo; et incredulis, qui solum hominem credebant Christum, cæcam noctem incuteret, et lumen vultus sui solis credentibus demonstraret. Sic cum[1] et filii Israël, dum crederent per aquam salvari, lumine sunt cœlestis columnæ lustrati, quæ nubiferum sui signum per diem populis exhibebat, et igneo ad vincendam noctis caliginem fulgebat aspectu; tantum vero lumen credentibus dabat, quantum Ægyptiis non credentibus denegabat. Ipse ergo, qui semper paruit, ut credentibus subveniret, ipse se hodie humano generi nascendo monstravit, ne omnino in æternum periret. Ipse qui Abel puero sacrificanti, et Noë arcam apparuit fabricanti; qui Abraham credenti, Isaac benedicenti, et Jacob visus est fugienti; qui Moseo pascenti oves apparuit; qui Jesum Nave fecit terram repromissionis intrare, ut de terra lacte et melle fluente escam copiosius manducaret; qui regnum David bene constituit; qui tribuit Salomoni sapientiam, sacerdotibus honorificentiam condonavit; ipse hodie dignatus est formam servi suscipere, ut omnes servos suos, qui eum diligunt, ingenuos faceret, et Patri suo omnipotenti eos omnes filios adoptaret. Natus ante tempora ex Patre sine matre[2], fecit mundum: natus ex tempore de matre sine homine patre, purificavit mundum immundum. Natus ex ore Patris, fecit quæ non erant; natus ex matre Virgine, quæ facta semel perierant, reparavit.

III. Nec otiosum transire sollicitus debes, o Lector, cum audieris ex Virgine natum, qui perditum sæculum reparaet. Ex virgine enim terra factus es, quia vita sæculum præcipitavit in mortem. Et idcirco necesse fuit, ut partu virgineo editus, de mortis præcipitio sæculum revocaret ad vitam, et mortis principem, qui factum hominem ex terra virgine vicerat, natus homo ex Virgine superaret. Homo enim victus est, et perdidit hominibus vitam; homo vicit, et hominibus vitam perditam revocavit. Factus est Adam primus caput omnium morientium: et factus est Adam novissimus caput omnium qui transeunt de morte ad vitam. Peperit Virgo filium, qui Deo filios faceret, qui ignominiam mortis tolleret, et morituro sæculo vitam perpetuam condonaret. Generat filium in forma servi Virgo mater in terris, et Deus Pater suscepit imperatorem in cœlis. Generat mater filium a filio nutrienda, et mortali utero Deum hospitem portat, cui totum parum est cœlum. Denique in eximio partu coruscabant magis viscera, quam dolebant; cœlestis propago germinabat in ventre, et in humanis gressibus vectura deifica portabatur. Portabat in cubiculo pudoris inclusum, quem cœli non capiunt, et parit eum, non qui nascendo pollueret parientem, sed qui a pollutione omne sæculum nascendo lavaret. Sancta credidit, sancta concepit, sed sanctior est effecta post partum. Extitit enim Virginis ipse filius, qui erat sponsus, ipse genitus, qui erat genitor. Illic fuit paranympha credulitas; paranymphus Archangelus[3]. Facta mater et virgo sponsa, et, ipsum quem peperit, Christus sponsus. Siquidem ipse est Sermo ore Patris prolatus, et ita est a Virgine immaculata susceptus, et ipse sibi in ejus utero hominem, in quo digne permaneret, aptavit, dicente sancto Spiritu per Sapientiam Salomonis: Quia ipsa « sibi Sapientia ædificaverit do» mum (*a*). » Quæ enim Sapientia, nisi Filius Dei ante tempora ex Patre genitus? Et quæ domus ejus, nisi homo Christus Jesus, quem sibi ipse construxit, quem gloriosa Virgo suscepit, quem Spiritus sanctus copulavit, quem Gabriel archangelus nuntiavit, quem Angelorum chorus decantavit, et stella fulgida demonstravit? Fecit gravidam Virginem ipse, qui erat ex Virgine nasciturus; non tamen gravidam, quia lux non habet pondus. Erat itaque Virgo gravida, et exultabat, quia quod portabat, non ignorabat. Peperit filium mater, cui carnalis non erat pater. O felix Virgo, quæ meruit in utero suo Deum portare post cœlum! Sanctus Spiritus per Angelum loquebatur, et Virgo auribus impregnabatur.

IV. Spelunca suscepit regem, cui totus mundus denegavit hospitium. Exhibuit ei pro lecto præsepium, pro plumis cilicium. Cœlum parturit, et Virgo parit; stellæ in cœlo fulgescunt, et reges in terra contremiscunt. Angeli jucundantur, Pastores ovium admirantur; Magi Jerosolymis alloquuntur; et Judæorum principes confunduntur. Prophetæ gratulantur, cum in Christo, quæ prædixerunt, complebantur. « Abraham vidit istum diem vidit

(*a*) Prov. ix, 1.

[1] Probabiliter pro *sicut*. — [2] Vide Serm. CLXXXIV, n. 3. — [3] Vide Serm. CXXI Appendicis Maurinensis, n. 3.

» et gavisus est (*a*). » Hodie enim in ejus semine omnes gentes ad hæreditatem æternæ promissionis accedunt. Implesti, Domine, quod promisisti in præteritis, ut justa ratione, credaris omnia, quæ facturum te promisisti, implere. Fidelis enim es, Domine, in verbis tuis, et sicut omnia quæ tunc pollicitus es Abrahæ, in Domini nostri Jesu Christi Nativitate complesti; ita quidquid nunc promittis Ecclesiæ tuæ in secundo ejus adventu restitues. Veniet enim remunerator bonorum cum sanctis suis regnaturus in cœlis, qui hodie apparuit seculi liberator in terris. Ipse enim hodie manifestatus est Archangelorum magister, Angelorum instructor, arbiter seculorum, liberator omnium ad se confugientium, decus integritatis, corona virginitatis, auxilium castitatis, portus credulitatis, nutritor innocentiæ, vitiorum interfector, superstes seculorum, amicus fidelium, remunerator piorum, amator convertentium, ablator sordium, salvator vulnerum, ostensor vitæ, adjutor in bono opere laborantium, dux sanctorum, Prophetarum vox, cantilena psalterii, modulatio puritatis, intellectus vaticinantium, virtus perseverantium, itineris boni ostensor: tranquillitas fluctuantium, refrigerium æstuantium; indultor peccatorum, præceptor Apostolorum, institutor seculi, diaboli persecutor[1]. Ipsum loquitur omnis sapientia Prophetarum, ipsum voces prædicant universæ sanctorum; ipsi se Apostolorum turba prosternit, ipsi omnis sanctitas psallit; ipse est fides vera credentium, clausura discutientium; ipse est reserator paradisi, et vitæ perpetuæ condonator.

V. Audiat omnis ætas, omnisque conditio: Virgo in partu suo nupsit; sanctitatem, dum edit, augmentavit; integritatem, dum pareret, duplicavit; virginitatem coronavit. Viduis auxilium natus exhibuit, orphanis præsidium attulit, egentibus subsidium præbuit, cæcis visum restituit, claudis reddidit gressum, esurientibus pocula ministravit. Puer inter homines, juvenis inter fortes, pulcher inter Angelos. Margarita cœlestis, coruscus pacis, oliva Ecclesiæ, vitis martyrum, refectio omnium seculorum. Ipse nobis est hodie manifestatus in carne, qui cum Patre et Spiritu sancto regnat in secula seculorum. Amen.

SERMO XIV.

In Natali Domini VIII.

Idem Codex fol. 22; *eædem admittendi sermonem hunc ac præcedentem rationes. Post præcedentem ponatur cum numero in Natali Domini* xx.

SYNOPSIS.

I. Angelus missus ad Mariam. II. Christi Nativitas ex Virgine.

I. Magnus nobis hodie dies illuxit quo omnipotens Deus de cœlo descendit, et inter homines sacra Nativitas luculentius rutilavit. Descendit princeps Angelorum; audivit gemitus miserorum, et venit eripere hominem suum de obscuritatibus peccatorum. Totus jam in inferno mundus jacebat; putrefactus fuit infirmitatibus suis, nisi Christus velociter descendisset in terris. Contulit nobis Maria Virgo præcipuum grandeque remedium, ut homines, qui jacebant in profundum, ascendere meruerint in cœlum. Licet mulier rudi adhuc mundo letalem propinaverat mortem, tamen Maria nostra, dum Christum genuit, egregiam meruit libertatem. Mittitur itaque nuntius sanctus Gabriel Angelus. Salutat cœlum in terra: « Ave, inquit, » Maria, gratia plena; Dominus tecum (*b*). » Sic enim condecet, ut ego Domini mei Matrem salutem. Ego sum electus missus ad te, non ad Abraham, non ad Isaac, non ad Jacob. Non enim poterant me videre, qui adepti sunt conjugium. Virgo venit ad Virginem, Angelus ad dominicam Genitricem. Aperi aurium tuarum curvos anfractus, ut intrare dignetur Spiritus sanctus: « Benedicta tu inter » mulieres (*c*), » quia expavescunt omnes nationes, et ipsæ angelicæ Potestates. Dum audierint gentiles, quia Virgo concepit, et, dum parit, virgo permansit, convertentur ad fidem, quia nunquam penitus[2] audierit partum, et natum vidit inter homines Deum. Judæi livoris insania invidebant, sed nobis Dominum Christum auferre non valebunt, ipsi increduli ut volunt perderent (*sic*)[3]... Nobis plurimum mirabilibus suis munera divina resplendent.

II. In iis virtutum indiciis, quibus virgineo partu, ut coruscus cœlestis effusus est Christus, Verbum Dei per aurem Virginis intus ingressum viscera integritatis implevit. Et qui hominem ex terra virgine in paradiso fecerat, in utero Virginis iterum hominem fecit, id est sicut primus Adam, qui in animam viventem extiterat, bona multa sæculum perdere fecerat, ita novissimus Adam in Spiritu vivificante omnia redderet, quæ perierant, et in meliorem statum homini repararet[4]. Quid, Incredule, dubitas Virginem concipere potuisse vel parere, cum etiam apes videas semper virgines matres, quæ sine conscientia maritali, ore osculis concipiunt florum, et sic rure cœli generant, sicuti et ipsæ nascuntur[5]; exeunt ut filiæ virgines, et tamen, cum virgines redeant, virgines et matres cognoscunt. Sic et sancta Maria virum nescit, et peperit; maritum non accepit de terris, et filium de cœlis accepit. Majori præconio omnipotentia panditur, quando partu virgineo iste qui nascitur, Dei esse Filius declaratur. Canentibus Angelis, Pastoribus admirantibus, Magis nuntiantibus, stella fulgente, Herode persequente, Simeone cognoscente, Joanne ostendente, cœlis est patentibus declaratus, voce Patris Filius unicus appellatus. Sanctus Spiritus illum in columbæ specie de cœlo veniens demonstravit, et claritas divina splendore cœlesti exeruit[6], ut Deum inter homines cœli ostenderent, et salutem humani generis Dei Filium edocerent, qui regnat cum Patre et Spiritu sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XV.

In Natali Domini IX.

Ex eodem Codice Cass. xii *eruitur, fol.* 17; *unde idem dicendum de isto ac de præcedentibus. Notandum est autem hunc multum concordare cum sermone* cxcii, *qui Lovaniensibus dubius visus est, et Verlino spurius, Verdingo autem et Maurinis legitimus. Illud autem minime obstat quin hic noster admittatur, cum facile credi possit B. Doctorem de eodem argumento sæpius loquentem aliquando ad easdem rediisse sententias. Ponatur post præcedentem cum numero in Natali Domini* xxii.

(*a*) Joan. viii, 56 — (*b*) Luc. i, 28 — (*c*) Ibid.

[1] Vide Serm. cxci Appendicis Maurinensis, n. 4. — [2] Erronea videtur vox *penitus*. Crederem ultimam syllabam fuisse *talem*, duas autem priores *mundus* id est *quia nunquam mundus talem vidit partum*. Non difficilis fuit error indocto forsitan amanuensi. — [3] Hæc phrasis trunca videtur et incompleta. — [4] Desideratur evidenter conjunctio *ut* ante *sicut primus*, quam amanuensis supplevit duobus aliis verbis *id est*; in fine autem phrasis legendum videtur *hominem*, loco *homini*. — [5] Vide lib. iii, de Trinit. n. 13. — [6] Cod. male *exercuit*.

SYNOPSIS.

I. Christi Nativitas a Prophetis prænuntiata. II. Christo nascenti gratiæ agendæ. III. Christi venientis in terram misericordia. IV. Christo nascenti adhærendum. V. Exhortatio ad sanctam vitam. VI. In Christi Nativitate omnes exultent.

I. Hodie, Fratres charissimi[1], Natalem Christi Domini celebramus; hodie, Fratres, » Veritas de terra orta est, » et justitia de cœlo prospexit (*a*); » hodie Christus Dominus ex carne nasci dignatus est; hodie, lux mundi, redempturus pereuntem mundum, exortus est; hodie sempiterna lux, imo omni luce clarior justitiæ Sol, de virgineo processit utero. Hodie nostra redemptio, hodie nostra salus, hodie » Via, veritas, et vita (*b*); » hodie hæreditas nostra, hodie regnum, hodie paradisus de terra, id est, de beata Maria, Deus Christus editus est. Hodie invisibilis Deitas per carnis susceptionem hominibus se visibilem præbuit; hodie Deus, hominem vestitus, homo apparuit. » Omnes gentes, » plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis (*c*), » quoniam, « Puer natus est nobis, et Filius datus est nobis, » cujus potestas super humeros ejus, et vocabitur nomen » ejus magni consilii Angelus, Deus fortis, Princeps » pacis, Pater futuri sæculi (*d*). » Hodie, Fratres, Esaiæ prophetæ completa est Scriptura, dicens : « Ecce Virgo » in utero concipiet et pariet filium, et vocabunt nomen » ejus Emmanuël, quod est interpretatum : Nobiscum » Deus (*e*). » Hodie Habacuc sanctissimi oracula olim prædicta completa sunt, qui ante Christi adventum prophetans dicebat : » Domine, audivi auditionem tuam et » timui, consideravi opera tua, et expavi (*f*). » Et quasi aliquis eum exquireret, quam Domini operam pertractans expavesceret, adjungens, cum sequentia ait : » In medio » duorum animalium innotesceris (*g*), » id est, in præsepio, ubi bos et asinus vescunt fœnum et paleam, Herodem fugiens occultaberis.

II. Ecce, Fratres, ad quam lætitiam nos hodierni diei festivitas perduxit; ecce ad quale gaudium nos Christi misericordia provocavit, ut qui prius » Sedebamus[2] in » tenebris peccatorum et in umbra mortis (*h*), » lumen Christi hodie oriretur nobis, ut merito ex hoc » filii » Dei nuncupemur, et simus (*i*). » Ecce quod nobis præstitit « In principio Verbum, » et quod » Verbum erat » apud Deum, et Deus erat Verbum, » ut ille » Per » quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil (*j*), » hodie se nascendo humiliaret, et nos perditos exaltaret; hodie se in terris manifestaret, et nobis cœlestem viam demonstraret. O quanta exultatio præsentis diei? quanta humano ore narrari non possit; et quoniam ineffabile est, quod nobis hodie gratuita sua Nativitate præstitit Christus, etsi ad plenum tanto muneri laudando Deum vicissitudinem reddere non valemus, tamen in quantum possumus, in quantum vires nostræ suppetunt infirmitatis, gratiam in commune Christo Domino referamus, « Præoccupando faciem ejus in confessione, et in psalmis » jubilando (*k*); » et[3] dicat ei cor nostrum, dicant et labia nostra; prorsus ab hac laude nullus sileat, nullus tacendo ingratus existat : Gratias tibi, Christe, Salvator noster, Redemptor et adjutor noster, mundi gubernator et rector, qui cum esses cum Patre et sancto Spiritu, omnibus in cœlis Imperator, pro nobis formam servi suscepisti.

III. Unde, Fratres, quantum nobis beneficium hodie sit præstitum, ipso Christo juvante, vestræ charitati, brevi licet sermone, ostendimus, pro quibus donis sempiternum jam regnum ab hodie cogitate; æterna dona spe firmissima concupiscite; Angelorum consortium, Sanctorumque societatem, Christo veniente, requirite. Propter nos enim temporalis effectus est temporum Effector; propter nos apparuit in carne mundi Conditor; propter nos creatus est omnium Creator et Factor. Numquid, Fratres, indiguit Christus, ut hodie nasci per Virginem dignaretur? nostra potius hoc indiguit infelix miseria. Nisi enim se hodie pro nostra miseria humiliaret, non nos ab ipsa miseria liberaret. Vidit enim quod omnis homo cum « Sit cinis et pulvis (*l*), » palea et stipula, sanguis et flegma, per miseriam interiret, et superbienti diabolo obediret, et Dei mandata negligens præteriret, et regnum cœlorum penitus non introiret. Descendit in carne Verbum, et efficitur homo, ut nos exemplo suo efficeret deos. Didicit enim a nobis ipsam quodam modo Nativitatem suam, et invitat nos ad suam humilitatem : « Venite ad me omnes, » qui laboratis et onerati estis, » quorum cervices grave premit diaboli jugum, id est, superbia, malitia, iniquitas et peccata. Grave est quod habetis, sed » Venite ad me, » hoc est, humiliamini, ut me videtis, » Et ego reficiam » vos (*m*), » quia nisi prius humiles fueritis, sublimes esse non potestis[4]. Projicite ex vestris cervicibus peccatorum sarcinam, quam vobis nunc usque diabolus per suum imponebat imperium, et « Tollite meum suave jugum, et » sarcinam levem (*n*), » ut meam in omnibus humilitatem sectemini, quam ne tu, cum sis homo et meum figmentum, suscipere dedignareris, prius eam ego carnem induendo suscepi, qui sum Deus, et factor tui figmenti, et per omnia pro vestra salute Patris compleo voluntatem. » Sufficiat jam discipulo, ut sit sicut magister ejus, et » servo sicut dominus ejus (*o*). » Si magister sum vester, ubi est honor meus? Si dominus sum vester, ubi est timor meus? Si magistrum amatis, opera charitatis ostendite; si dominum timetis, facta timoris monstrate. » Ut » quid enim mihi dicitis: Domine, Domine, et non facitis quod dico (*p*)? »

IV. Itaque, Fratres, omnes ex hoc unanimes atque concordes natum hodie Christum de Maria Virgine amplectamur; timeamus, laudemus, honoremus, » Diligamus eum, quoniam prior dilexit nos (*q*). » Si enim gratis nos non dilexisset, hodie ex carne natus non fuisset, et tantam nobis lætitiam suo Natali non exhibuisset. Suscipientes jam Dominum nostrum mente pura, charitate firma, fide immobili, castitate sancta, teneamus eum, ne, peccatis facientibus, a nobis repellemus eum, et ille derelinquat nos, et inopes ac pupilli, discedente Domino, remaneamus; habeat castum cubile nostrum; mundum simus habitaculum; corpus non simus delectabile; templum ejus sumus, quoniam de nobis scriptum est, id est de Christianis fidelibus : « Vos estis templum Dei, et Spi» ritus Dei habitat in vobis (*r*). » Si Spiritus habitaverit in nobis, necesse est, ut et Pater simul habitet cum suo Spiritu, quia Spiritus sanctus Patris et Filii consubstantialis est, et ubi Pater et Spiritus sanctus habitaverit, simul cum eis Filium necesse est habitare, quia nec Filius sine Patre aliquando fuit, nec Pater sine Filio fuit, nec Spiritus sanctus sine Patre et Filio aliquando fuit, quoniam Trinitas hæc omnimodo inseparabiliter sibi cohæret, et hæc Trinitas unus Deus est. In nullo jam prorsus Christiano inveniantur actus diaboli.

V. Fratres mei, Filii mei, mutavimus patrem; justum est ut mutemus hæreditatem. Pater noster usque nunc diabolus fuit; jam modo Christus Deus sit, et liberati a

(*a*) Psal. LXXXIV, 12. — (*b*) Joan. XIV, 6. — (*c*) Psal. XLVI, 2. — (*d*) Isai. IX, 6. — (*e*) Id. VII, 14. — (*f*) Habac. III, 2. — (*g*) Ibid. juxta LXX. — (*h*) Isai. IX, 2. — (*i*) I Joan. III, 1. — (*j*) Id. I, 1-3. — (*k*) Psal. XCIV, 2. — (*l*) Gen. XVIII, 27. — (*m*) Matth. XI, 28. — (*n*) Ibid. 29. — (*o*) Id. X, 24, 25. — (*q*) Luc. VI, 46. — (*q*) Joan. IV, 19. — (*r*) I Cor. III, 16.

1 Vide Serm. CXCII, n. 1. — 2 Cod. male *sedebamus*. — 3 Forte et melius *hæc*. — 4 Vide Serm. CXXIV, n. 4, et seqq., XXX, n. 8, 9; XLI, n. 6; CXVII, n. 17; CXLII, n. 7, et seqq.

peccato, serviamus Deo. Quid adhuc rebus mortalibus oblectamur? Quia fugitivam vitam, si fieri possit, tenere conamur. Spes clarior refulsit in terris, id est, Christus Dominus nasci dignatus est in fine mundi, ut terrenis vita promitteretur in cœlis; cujus inflammati charitate, quidquid in præsenti habere videmur, omnia propter Christum « Velut stercora computemus (a), » et pereunte mundo, ea omnia simul perire cognoscamus. Ne aliquid nobiscum exinde portare certissime sciamus, nisi solummodo opera; quæ hic modo sive mala, sive bona gerimus, nobiscum comitantia in die judicii ante Christi tribunal adportabimus. Unde prompto consilio de rebus transeuntibus atque prætereuntibus æterna nobis præmia comparemus: « Faciamusque nobis amicos de mammona (b), » id est, de pecunia, quam possidemus, « Qui nos reficiant in » æterna tabernacula (c); » hoc est, pauperes, et inopes, debiles, claudos, cæcos, atque omni paupertate circumdatos, nobis amicos faciemus, ut ipsorum adjuti orationibus in regno Christi cum ipsis intromitti mereamur, per Christum, cujus hodie Natalem celebramus, qui sic mirabiliter de Virgine nasci voluit, ut in utero non seminato germen prolis exoriretur, et a complexu carnis viscera immonia Filium hominis proferrent. Quod et in Virgine esset integritas, et in conceptu clausa, et in partu incorrupta Virgo permaneret[1], mira est ista potentia, sed plus est miranda misericordia, quod ille qui sic nasci potuit, nasci voluit. Erat enim unicus Patri, qui unicus hodie natus est matri, et ipse natus est per matrem, qui ante fecit ipsam matrem. Sempiternus ex Patre, hodiernus ex matre, sine quo Pater nunquam fuit, sine quo mater nunquam fuisset.

VI. Exultate, Virgines Christi; consors vestra est Mater Christi. Christum parere non potuistis, sed propter Christum parere noluistis. Qui non ex nobis natus est, vobis natus est. Tamen si verbis ejus meministis, sicut meminisse debetis, estis etiam vos matres ejus, quæ voluntatem Patris ejus facitis. Ipse enim dixit: « Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipse mihi frater, » soror, et mater est (d). » Exultate, et Viduæ Christi, quia qui fœcundam fecit virginitatem, illi vovistis continentiæ castitatem[2]. Exultet etiam castitas nuptialis, omnes fideliter viventes cum conjugibus vestris, et quod amisistis in corpore, in corde servate. Ubi non potest esse a concubitu caro integra, sit in corde virgo conscientia. Proinde quia charitas et pax et justitia Christus est, hunc fide concipite, operibus edite, ut quod egit uterus Mariæ in fide Christi, agat cor vestrum in lege Christi, ut mereamini percipere promissa Christi, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XVI.

In Natali Domini X.

Sequens Sermo extractus ex Codice Cass. XII, *fol.* 13, *ab initio usque ad verba*: Si ergo Verbum Deus, et homo caro, *differt ab illo edito a Monachis sancti Mauri, tom.* V, *part.* 1, *fol.* 884, *Serm.* CLXXXVI; *cætera vero respondent usque ad finem, exceptis verbis*: Ille natus est, ut nos redimeret, id est, Jesus Christus, cui gloria cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen. *Quæ tamen subjici debent in editione post verba*: Congruebat temporalis. *Hic ergo hæc sola exemplata sunt, quæ variant in editione.*

SYNOPSIS.

I. Nativitas Christi omnibus affert lætitiam. II. Christus ad erigendum genus humanum venit.

I. Ecce Dominus noster hodie natus est[3], et omnis creatura ad gaudium invitatur, dicente Propheta: « Lætentur cœli et exultet terra; moveatur mare, et plenitudo ejus (e). » Cœlos hodie Angelorum choros intellige, qui cœlestium obtinent sedes, qui hodierna die, Pastoribus audientibus, hymnum clamant, dicentes: « Gloria in excel» sis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (f). » Terram naturam humanam esse cognosce; mare vero omnem mundum, et quæ in eo sunt in commune, Scriptura significat, quibus hodierna die Nativitas Christi immensam lætitiam generavit. Natus est Christus ex Virgine, ut nos nasceremur ex Spiritu sancto. Qui ante omnia sæcula est generatus ex Patre, hodierna die natus est ex Virgine matre. Factus enim ex Matre, permansit in Patre. Nam qui semper est, factus est quod non erat, nec desiit esse quod erat. Factus est namque homo quod non erat, ut ait Apostolus: « Factus ex muliere, factus sub » lege, ut eos qui sub lege erant redimeret (g); » permansit autem Deus esse quod fuerat. Nativitas siquidem, quæ secundum carnem est, et nobis profuit, et illi non obfuit, quia nobis adoptionem filiorum contulit, et ipse in Deitate propria cum Patre permansit.

II. Inclinavit enim se, cum sublimis esset, ut nos, qui incurvati eramus, erigeret. Incurvata siquidem erat humana natura ante adventum Domini, peccatorum onere depressa. Et quidem se in peccati vitium spontanea voluntate curvaverat, sed sponte se erigere non valebat. Denique incurvationis hujus miserias, quas homo tolerando gemebat, sanctus Propheta deflens exclamat in Psalmis, et dicit: « Miser » factus sum, et curvatus usque in finem, tota die contris» tatus ingrediebar (h). Tota die, » totum tempus ante adventum Christi significat[4], quo humanum genus quasi incurvatum ambulans contristabatur, quia non inveniebatur qui curvum erigeret, qui lapso[5] in peccati foveam manum porrigeret. Propterea Dominus noster advenit, et mulierem illam incurvatam inveniens, quam « Annis decem et octo » Satanas alligaverat, ita ut se non posset erigere (i), » potestate Divinitatis absolvit. Hæc autem mulier formam incurvationis totius humani generis præferebat. In hac muliere hodie natus Dominus noster, vinculis Satanæ alligatos absolvit, et licentiam nobis tribuit ad superna conspicere, ut qui olim constituti in miseriis tristes ambulabamus, hodie venientem ad nos medicum suscipientes, nimium gaudeamus.

III. Si ergo Verbum Deus et homo caro, etc.. (ut in sermone laudato n. 2. circa medium).

SERMO XVII.

In Natali Domini XI.

Hunc ex duobus Montis-Cassini Codicibus extraximus, nempe ex Cod. XI, *fol.* 239, *et ex Cod.* CVI, *fol.* 5. *Uterque habet nomen sancti Augustini; unus inscribitur in Nativitate Domini, alter autem de Assumptione sanctæ Mariæ; nec inde dubitandi locus; inscriptio enim amanuensi, non auctori tribuenda. Sermo est de Natali, quem legendum in*

(a) Philip. III, 8. — (b) Luc. XVI, 9. — (c) Ibid. 9. — (d) Matth. XII, 50. — (e) Psal. XCVI, 7. — (f) Luc. II, 14. — (g) Galat. IV, 4, 5. — (h) Psal. XXXVII, 7. — (i) Luc. XIII, 11, 16.

[1] Quæ sequuntur usque ad finem paucis discrepantibus editum est in Serm. CXCVI. — [2] Edit. melius *sanctitatem*. — [3] Vide Serm. CXCIII, n. 1. — [4] Vide Serm. CCCXCII, et Enarrat. in Psal. XXXVII, n. 10. — [5] Codex male *lapsum*.

Assumptione quidam monachi rescripserunt. Ponatur post præcedentem cum numero in Natali Domini XXIII.

SYNOPSIS.

I. Christus ad salvandum nos de cœlo venit. II. Maria mater et virgo. III. Probatur contra Manichæos Mariæ virginitas.

I. SANCTA atque gloriosa solemnitas[1] hodie clara refulsit, et omni generi humano per suum adventum salutem[2] præsentavit. Vidit Dominus omne sæculum multis peccatis oppressum, et inimici pallentis astutia nimis demersum, et dignatus est ei succurrere per Dominum nostrum Jesum Christum. Non fecit quemadmodum antea faciebat, mittendo Prophetas hominibus prædicare, ut caverent diaboli artes. Vidit Paterfamilias, quia contemnitur per servorum nuntium[3]; dixit: « Quid faciam, nisi ut unicum ad » eos mittam Filium meum charissimum; forsitan vel eum » reverebuntur (*a*). » Omnis enim homo, etsi sit justus, habet in se immixtionis[4] aliquid plumbi, id est, peccati, quibus solet genus humanum implicari, et ideo nemo nobis potuit misereri, « Quia omnes quæ sua sunt quæ» runt, non quæ Jesu Christi (*b*). » Mittitur primus Prophetarum Moyses, deinde Aaron, Esaïas, Hieremias, Elias, et omnes omnino Prophetæ, et nemo ex eis nobis infirmis conferre potuit sanitatem, nisi videremus Dominum redemptorem. Hic[5] doluit, ipse ad nos descendit, non habens in se dolum, non peccatum, non plumbi quid commixtum[6]; sed totus justus, totus innocens, totus sanctus, totus fulgens, ut « Argentum igne probatum ter» ræ, purgatum septuplum (*c*); » qui[7] nullum in se habebat peccatum, sed per suum adventum damnavit eum, qui « Fecit peccatum (*d*) et habebat mortis imperium (*e*). »

II. Tunc impletum est quod dictum est, et jampridem annuntiaverat Esaïas propheta dicens: » Ecce Dominus » venit in nubem levem (*f*); » et quam dicimus esse nubem levem, nisi sanctam Mariam, quæ nullis est facibus peccatorum gravantium ponderata? Ipsa potuit Dominum ferre post cœlum, quæ virgo meruit inveniri post partum. Inclusit se in suo figmento Dominus Angelorum, et veluti gemma emicuit et speciosa apparuit inter filios hominum. Qualis et quanta fuit virgo[8] sancta Maria, quæ potuit portare Dominum, quem non potuit portare terra nec cœlum; bajulavit Dominum in suo corpore[9], et non sensit omnino onus. Quare non sensit omnino onus? quia lux non habet pondus. Gestabat sancta virgo Maria, quia ita in ea sedit[10] Dominus, « Sicut descendit pluvia in vel» lus (*g*). » Purgat pretiosam margaritam, et ejus virginitas non sensit aliquam jacturam.

III. Et sunt multi hæretici, multo magis Manichæi, qui dicunt Dominum non potuisse per fœminam nasci. Et Manichæus dicit: Nec Moysen accipio, nec Prophetam. Et quid agis[11], Manichæe, de Paulo apostolo, qui in exordio Epistolæ quam ad Romanos scripsit: « Paulus, inquit[12], » servus Jesu Christi vocatus Apostolus, segregatus in » Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas » suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei » ex semine David secundum carnem (*h*). » Frustra, Manichæe, conaris adversus Prophetam; ecce Apostolus dicit: « De Filio ejus qui factus est ei ex semine David secun» dum carnem. » Quod Prophetæ præviderunt et dixerunt, hoc Apostoli viderunt et prædicaverunt. Quid erat, et quid factum est[13]? Verbum erat, et caro factum est; Filius Dei, filius hominis factus est. Deus erat, homo factus est: suscepit humanitatem, non amisit Divinitatem: factus est humilis, sed mansit sublimis: factus est homo, non destitit esse Deus. Dicit tibi Deus, Creator hominum, Filius hominis: Quid est quod te movet in mea[14] Nativitate? Non sum libidinis conceptus cupiditate; ego matrem de qua nascerer feci: ego viam meo itineri præparavi atque mundavi. Hanc, quam despicis, Manichæe, mater est mea; manu fabricata est mea. Si potui inquinari, cum eam facerem, potui inquinari cum ex ea nascerer. Sicut in transitu meo illius non est corrupta virginitas, sic mea ibi non est maculata majestas. Solis radius cloacarum sordes siccare solet, inquinari non novit; quanto magis splendor lucis æternæ, in quo nihil inquinamenti occurrit, quocumque radiaverit, mundare potest, ipse pollui non potest[15]. Stulte, unde sordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo passa est dolorem? unde sordes in Virgine matre, ubi non est concubitus cum homine patre? unde sordes in domicilio ad quod nullus habitator accessit? Solus ad eam Dominus venit; vestem quam non habebat induit[16]; quam sicut invenit clausam, ita et reliquit. Sicut ille natus est solus « Inter mortuos liber (*i*), » sic istius ex qua natus est matris pudor, solus est integer; quia Virgo virginem genuit, et sic virgo permansit. virgo ante partum, virgo post partum. Concepit, et virgo est; mater generat, et virgo perseverat. Eva inobediens meruit pœnam; Maria obediens consecuta est gratiam, quia genuit omnium credentium Salvatorem; qui vivit cum Patre et Spiritu sancto in secula sæculorum. Amen.

SERMO XVIII.

In Natali Domini XII.

Extrahitur ex Cod. Cass. CX, *fol.* 64, *cum nomine sancti Augustini; et ex Biblioth. Laurent. Cod.* I, *Plut.* XIV, *fol:* 23. (*Vid. Bandini, pag.* 71, § 22), *ubi pariter beato Doctori tribuitur. Excepto exordio, quod in duplici Codice concordat, sed quod in Editis non legitur, similis est fere in omnibus sermoni* II *Appendicis sancti Leonis in Editione fratrum Ballerini, jam antea apud Quesnellum pariter in Appendice stampato ex Codice sancti Petri Corbeiensis, ubi sancto Leoni tribuitur. His verbis incipit in Editis:* Salvator noster, Dilectissimi, *etc.. Ex annotatione vero doctorum horumce criticorum ad Leonem minime pertinet. Pertinet autem ex auctoritate nostrorum Codicum ad sanctum Augustinum, cujus nomen in utroque præfigitur. Ejus locus post præcedentem cum numero in Natali Domini* XXIV.

SYNOPSIS.

I. In Nativitate Christi gaudendum. II. Christus Deus et homo natus ex Virgine. III. Christus in Nativitate parus, servata Dei forma, servi formam accepit. IV. Se Deum et hominem operibus demonstravit.

I. GRATIAS ago Domino Deo nostro, Fratres dilectissimi[17], quod quæ[18] sit diei hujus festivitas docere vos non[19] necesse

(*a*) Matth. XXI, 37. — (*b*) Philip. II, 21. — (*c*) Psal. XI, 7. — (*d*) I Joan. III, 8. — (*e*) Hebr. II, 14. — (*f*) Isai. XIX, 1. — (*g*) Psal. LXXI, 6. — (*h*) Rom. I, 1-3. — (*i*) Psal. LXXXVII, 6.

[1] Cod. CVI, *nativitas*. — [2] In eodem deest *salutem*. — [3] Id. *nuntios*. — [4] Id. *immixtionem*. — [5] Id. male *hoc*. — [6] Male idem *plumbicatur*. — [7] Id. *quia*. — [8] In Cod. XI abest *virgo*. — [9] Cod. CVI male *suum corpus*. — [10] Id. *insedit*. — [11] Id. *dices*. — [12] In Cod. XI desideratur vox *inquit*. Reliqua jam superius leguntur Serm. IX. — [13] Ambo Codices male *quod*. Cod. XI habet solummodo *quid ergo factum est?* — [14] Cod. CVI *ea*. — [15] Ultima verba desunt in Cod. XI. — [16] Cod. CVI male *induxit*. — [17] Hæc verba desunt in Cod. Laurent. — [18] Cod. Cass. male *quodque*. — [19] Desunt *vos non* in Cod. Cass. male; in Cod. Laurent. *docere*

est, qui prævenistis devotione doctrinam. Accesserunt huc hodie etiam propheticæ atque evangelicæ lectiones eamdem rem docentes quam fides vestra docuit vos[1]. Donet ergo Dominus Deus noster, ut concordantibus, sicut hodie, ita omni tempore cum lectione divina actibus vestris, quidquid habuerit sacra auctoritas in præceptis, hoc vos habeatis in moribus. Salvator ergo noster, Dilectissimi, hodie nascitur[2], gaudeamus : neque enim locum oportet esse tristitiæ, ubi natalis est gaudiorum. Ad omnes itaque gaudium istud pertinet, quia Christus omnibus venit. Nullus ergo se lætitiæ dici hujus arbitretur alienum. Si sanctus est quis, gaudeat, quia accipiet remunerationem; si peccator est, gaudeat, quia invitatur ad veniam; si gentilis est, gaudeat, quia admittitur ad salutem. Carnem humani generis pro nobis Deus assumpsit. Si ipsi nos alienos a Christo non faciamus, jam in Christo sumus. Agnoscamus ergo redemptionem nostram; agnoscamus salutem nostram. Ipse se alienum a consortio Christi efficit, qui se esse in corpore Christi denegaverit. Sed illud, Dilectissimi, quod secundum Scripturas, quæ lectæ sunt, hodie Dominum natum esse cognoscimus, videamus; quomodo in fine sæculi natus sit, qui creator est sæculorum : « Ipse enim dixit, et » facta sunt; ipse mandavit et creata sunt (a). »

II. Christus ergo salvator noster, Dilectissimi, homo et Deus creditur; Deus ex patre, homo de matre; Deus ex Deitate, corporeus ex carne; et ideo Deus ante sæcula, homo post sæcula; Deus ante initia, homo inter extrema. Qui in principio creavit per majestatem, hodie venit salvare per carnem. Creatio hominum, prima potentia fuit; salvatio, secunda pietas. Benignitatis motus affectu Dominus, voluit ut nobis redderet misericordia quidquid abstulerat offensa. Descendit ergo iste, ut nos ascenderemus; cœlestia summisit, ut terrestria sublevaret; fecit se hominis participem, ut hominem faceret Dei esse consortem; « Factus, sicut per Apostolum audistis, ex muliere, factus sub » lege (b). » Sed nemo, cum mulierem audit Matrem Domini, de nominis offensione moveatur. Virgo concepit ex Spiritu sancto, sed mulier nominatur ex sexu. Et ideo Evangelista, qui lectus est, virginem, Apostolus autem mulierem nuncupavit, ut omnes in partu virginis omnipotentiam agnoscerent Divinitatis; in appellatione autem mulieris, nomen conditionis audirent.

III. Natus est ergo Dominus noster ex carne quidem, sed non ex corruptione carnali : natus ut homo, sed non genitus ut homo. Ita suscepit carnem, ut servaret majestatis honorem. Et sic segregando puritatem Nativitatis suæ a concretione colluvionis humanæ, peregit quidem in ortu suo plenam hominis dispensationem, sed Dei tamen non deseruit dignitatem. Ideoque in mundo isto talis qualis nativitate, puritatem ortus sui etiam in vitæ sinceritate servavit. Solus enim ille est « In cujus ore, sicut scriptum » est, dolus non fuit (c) : » utique ut qui colluvionem humanam in creatione nescierat, etiam in conversatione nesciret. « Cum enim, inquit Apostolus, in forma Dei esset, formam » servi accepit (d) etc. ». Omnes homines, Dilectissimi, servi peccatorum fuerant, et ideo bene ait Apostolus formam tantummodo servi assumpsisse; quia homo quidem verus, sed humanis vitiis non coinquinatus, formam tantum habuit servi, non conscientiam; quia licet habuerit speciem hominis, non tamen habuerat conscientiam peccatoris; quia sicut Apostolus dicit : « Cum in forma Dei esset, » formam servi accepit, et habitu inventus est ut homo. » Habitu homo, sed potentia Deus; quasi servus in forma, sed Dominus in natura : foris ostendens matris infirmitatem, intus possidens Patris majestatem; foris humilis corpore, intus pollens Divinitate.

IV. Denique et ipsa inter homines conversatio simul utrumque monstravit, in passionibus hominem, in virtutibus Deum. Esurivit enim, sed esurientes multiplicatis per benedictionem panibus pavit. Quod esuriit, carnis fuit; quod pavit, Dei[3]. Flevit, et flentibus opem tribuit[4]. Ex homine fuit quod lacrymavit; ex Divinitate quod præstitit. Oravit, et ipse præstitit quod oravit[5]. Hominem indicavit, quod precem fudit; majestatem quod in precibus ipse sibi respondit[6]. Omnibus ergo rebus duplicem in se naturam monstravit; et ideo substantiæ utriusque mediator est : quia dum summisit cœlestia, exaltavit humana : fecit summam ex diversitate concordiam, ut in eo una utraque fieret, qui in se utrumque retinet Dominus noster Jesus Christus, qui hodierna die ex Virgine natus, æternaliter[7] vivit et regnat cum Deo Patre et sancto Spiritu in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XIX.

De Epiphania Domini.

Tribuitur S. Augustino tum a duobus Codicibus Montis-Cassini, nempe Cod. xcix, *fol.* 170, *et Cod.* cvi; *tum a Codice* i, *Plut.* xiv, *p.* 65 *Bibliothecæ Laurentianæ, ex quibus extractus est; hinc tribus, et quidem antiquissimis testimoniis ejus authenticitas obfirmatur. Ponatur post Sermonem* ccv, *cum numero de Epiphania* vii.

SYNOPSIS.

I. Christus Judæis et Gentibus revelatus. II. Utrisque bona ferens. III. Magi adorantes; Herodes occidens. IV. Innocentium trucidatio. V. Conclusio.

I. Celebravimus ante hos dies[8], sicut meminit sanctitas vestra, diem quo natus est Dies. Celebremus hodie quo clarus effulsit, et primitias Gentium suo illustravit[9] aspectu ipse qui tunc natus est Dies. Hodie namque, sicut evangelica pandit historia, Magi ab Oriente venerunt, Regem Judæorum, qui natus fuerat, inquirentes, atque dicentes : « Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et ve» nimus adorare eum (e). » Ad annuntiandum Judæis Pastoribus Christum, Angelos legimus descendisse de cœlo; ad perducendos ex Orientis finibus Magos, cum luce stellam[10] radiasse de cœlo. Sive ergo[11] Judæis per nuntios Angelos, sive Gentibus per fulgidum sidus[12], « Cœli enar» raverunt gloriam Dei (f); » ex quibus principiis credentium in Christi Nativitate populorum « Lapis ille noster » angularis (g) » apparuit. Crediderunt enim, et mox Christum prædicaverunt. Admoniti Angelorum vocibus Pastores crediderunt, Magi adoraverunt, et ipsi per tot terrarum spatia venientes : Christus autem, qui venerat « Annuntiare pacem his, qui longe erant, et his qui » prope (h), » utrosque populos in pace suscepit; « Ipse » enim est pax nostra qui fecit utraque unum (i) » ex ipsis populis, postquam est in cœlum, Apostolis mirantibus, elevatus, quorum primitias acceperat natus.

II. Hunc nimirum præviderat Esaïas[13], quando dicebat : « Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe do-

(a) Psal. cxlviii, 6. — (b) Galat. iv, 4. — (c) 1 Petr. ii, 26. — (d) Philip. ii, 6. — (e) Matth. ii, 2. — (f) Psal. xviii, 2. — (g) Ephes. ii, 20. — (h) Ibid. 17. — (i) Ibid. 14.

[1] Hæc verba desunt in Cod. Cas. — [2] Edit. et Cod. Laur. *natus est.* — [3] Edit. *caro... Deus.* — [4] Hæc phrasis deest in Edit. — [5] Hæc iterum in Edit. desiderantur. Cod. cvi *oravit et exauditus est.* — [6] Ultima pars sententiæ non habetur in Edit. — [7] Hæc rursus in Edit. non extant. — [8] Vide Serm. cxcix, n. 1. — [9] Cod. Laur. *illuminavit.* — [10] Idem male *stella.* — [11] Vide Serm. cci, n. 1. — [12] Vide Serm. cclxxv, n. 1. — [13] Vide eumdem Serm. ibid.

» mini sui (a); » per bovem significans Israelitas jugo legis astrictos; per asinum vero Gentes significans, quod animal dicitur immundum, ab Israelitis [1] unum Deum colentibus immunditia idololatriæ separatas [2], sed tamen ad præsepe venturas, ubi mundatis per fidem Christi communis est cibus corporis Christi. Sic et Dominus ex populo utroque alloquebatur Ecclesiam collectam, quando dicebat: « Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati » estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super » vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde, » et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim » meum suave est et onus meum leve (b). » Tanquam bovi diceret: « Jugum meum suave est; a asino autem: « Onus meum leve; » Judæis scilicet a jugo duro legis [3] diceret, quia « Jugum meum suave est; » Gentibus autem luxuriantibus naturaliter, et onus præceptorum salubre renuentibus [4] dicens: Quid adhuc insueti estis? sarcinæ dorsa subtrahitis? « Onus meum leve est. »

III. Magis ergo venientibus et sciscitantibus ubi Christus nasceretur, Judæi ostenderunt, et ipsi qui ostenderunt remanserunt. Sicut modo, Charissimi, ab ipsis Judæis Christus, et ejus Ecclesia ab omnibus Prophetarum voluminibus recitatur, nec tamen ab ipsis, sed a Gentibus adoratur. Herodes autem rex [5] impius, audito hoc a Magis, quoniam natus est Rex Judæorum, expavit continuo successorem, et putans adversus [6] « Magni consilii Ange» lum (c) » humano se prævalere consilio, duobus ad eum modis instituit pervenire; prius mentiendo, postea sæviendo. Prius enim mentitus est Magis, dicens eis: « Euntes inquirite diligenter de puero, et cum inveneritis, » renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum (d); » fingens se adorare velle, quem cupiebat occidere. Quod quia non potuit, per totam Judæam interfici jussit infantes in ejus (ætatis) confinio constitutos, quam non excederet [7] Nativitas Christi. Sed etiam hic affectus nefariam crudelitatem admisit, quia innocentem [8] frustra sanguinem fudit.

IV. Ecce, charissimi Fratres, Dominus noster adhuc manibus [9] portatur, et res jam mirabiles operatur. Parvus superat magnum, et inermis vincit armatum; pannis involutus despicit purpuratum; in præsepe jacens, tribunal regis eludens; tacens habet prædicatores, latens invenit testes [10]. Sævis quidem, o Herodes, et inter persecutores Christi habes et tu locum tuum. Sed qui « Potestatem ha» bet ponendi animam suam (e) » non timet iram tuam. Potes quidem stimulis formidinis agitari, vel facibus furoris accendi; sed Christus adhuc non [11] disponit occidi. Verumtamen ne usquequaque sit tua cruenta crudelitas, fac martyres Christi. Rape ab amplexu nutricum, quos non eripies ab amplexibus Angelorum. Dimittant ubera, ut calcent sidera; relinquant lacrymas matrum, ut sumant gloriam Martyrum; portantium deserant ulnas, ut perveniant ad coronas; sint [12] testes qui non possunt loqui; dicant testimonium, qui non habent verbum; et qui non possunt per suam ætatem fateri Christum, jam incipiant per ejus gratiam confiteri. Nescis, Herodes, divini consilii ordinem, et inde turbaris. Non ad auferendum tibi regnum, sed ad contumelias perferendas Christus venit in mundum: non ut populorum sacrificiis honoratus spice regio [13] sublimetur, sed ut Judæorum vocibus condemnatus in cruce levetur [14]: non ut hic fulgido diadematis decoretur ornatu, sed ut spinis coronetur illusus.

V. Nos itaque, Dilectissimi, propter quos omnia facta sunt, propter quos excelsus se humiliavit [15], propter quos Deus factus est homo, propter quos Creator noster creatus est, propter quos esurire dignatus est panis noster [16], et, ut prætermissis [17] omnibus unum illud et maximum dicamus, propter quos mortem vitæ nostra perpessa est, sic vivamus, ut vel ex parte aliqua tantæ gratiæ congruamus, et tenentes humilitatis Christi pignora temporalia, præmia ab eo accipiamus æterna [18].

SERMO XX.

Ante Pascha, de jejunio, misericordis, et baptismate.

Ex codice XII, *fol.* 97. *Nomen et omnia ita concordant, ut nihil discrepare videatur. Locus ejus post Sermonem* CCXI *Maurinorum.*

SYNOPSIS.

I. Tria exiguntur sub Pascha, jejunium, misericordia et baptisma. II. Contra eos, qui baptisma differunt. III. Contra eos, qui jejunare negligunt. IV. Conclusio.

I. Tria sunt quæ sub Pascha, vel maxime Dominus de populo exigit, jejunia, misericordiæ opus, et sancti baptismatis fidem. Non sunt dura quæ dico, sed ita Domino grata sunt, ut exigat ista propitius, exigat et iratus. Dicit enim sacerdotibus Deus: « Sanctificate jejunia, prædicate » orationem, congregate majores natu, et omnes habi» tantes in terra in domum Domini Dei vestri, et excla» mate ad Dominum et exaudiet vos (f). » Misericordiam vero Dominum præcipere Evangelista sic probat: » Date et dabitur vobis (g). » Similiter et de fide baptismatis dixit: » In novissimo magno die festi, stabat Jesus » et clamabat voce magna dicens: Qui sitit veniat et bi» bat (h). » Et iterum: « Qui biberit aquam meam, non sitiet » in æternum (i). » Sed video, præter paucos, baptismum nemo sitit, nisi, magnis febribus æstuans, torridum patiatur ardorem. Merito exigit Deus per totum annum jejunia, misericordiam, et simul fidem, de his qui modo non credunt. Merito dat vel ægris, qui tamen digni sunt, baptismum, quod læti, salvi ac vegeti per Pascha sumere noluerunt, apostolo Paulo dicente: « Inde est quod multi » infirmi et ægri sunt inter vos, et dormiunt plurimi. » Quod si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicare» mur; dum autem judicamur a Domino corripimur, ne » cum hoc mundo damnemur (j). » Nihil est ægritudine gravius, nihil morbo crudelius, nihil dulcius sanitate, nihil autem est jejuniis utilius ad salutem. Dura sunt cum præcipiuntur; nam medicus cum ægritudini contraria jusserit, salutaria judicantur. O perdura mortalitas! quia vel sic probas saluti prodesse jejunia. Redde Deo jejunia quæ indicit per episcopos, ne per medicos exigantur, Salomone dicente: « Noli esse sapiens apud te; » time autem Deum, et declina ab omni malo. Tunc » sanitas erit corpori tuo, et cura ossibus tuis (k). » Jejuna, inquit, Deo, quia sanus es, qui non vis febribus jejunare.

(a) Isai. I, 3. — (b) Matth. XI, 28-30. — (c) Isai. IX, 6. — (d) Matth. II, 8. — (e) Joan. X, 18. — (f) Joel. I, 14. — (g) Luc. VI, 38. — (h) Joan. VII, 37. — (i) Id. IV, 13. — (j) I Cor. XI, 30-32. — (k) Prov. III, 7, 8.

[1] Cod. Cass. *Israeliticis*. — [2] Iidem *separantes*. — [3] In Cod. Cass. deest *jugo*, quod legitur in Cod. Laur. Iste rursus male habet *scilicet* pro *diceret*; in utroque videtur iterum deesse *liberatis*, nempe *Judæis scilicet a jugo duro legis liberatis diceret*. — [4] Cod. Laur. *recusantibus*. — [5] Deest *rex* in Cod. Cass. — [6] Vide Serm. CXCIV, n. 3, ubi sic citatur hic textus, qui non sic in Vulgata legitur. — [7] Cod. Laur. *excederit*. In tribus Cod. deest vox *ætatis*. — [8] Id. *innocentum*. — [9] Cod. Cass. male *manibus nostris*. — [10] Vide Serm. CCCLXXIII, n. 3. — [11] Deest *non* in Cod. Cass., vox quidem ad sensum necessaria. — [12] Cod. Cass. male *sunt*. — [13] Id. *Auro regio*. — [14] Vide Serm. CCXVIII, Appendicis Maur. n. 3. — [15] Id. CCCLXXIII, n. 5. — [16] Cod. Cass. male *panem nostrum*. — [17] Cod. Laur. male *prætermisit*. — [18] Cod. Cass. *mansuetudinis præmia ab eo capiamus æterna*.

II. De baptismo[1] primitus disputemus. « Clamat, inquit, Jesus voce magna dicens; Qui sitit veniat et bibat (*a*). » Clamat Filius Dei, contemnitur, fastiditur : ultro[2] populos petit ad gratiam, et spernitur. Emendat singulos, ut petatur. Parat nunc purissimum fontem, ipsamque sacri baptismatis fidem sacramento suæ passionis adjungit. Vocat cunctos ad fidem, sed amore peccati refugiunt miseri gratiam quæ illis offertur. Cum ergo cœperint corrigi, cœperint emendari, tunc velle coguntur accipere qnod antea renuerunt. Ipsi jam clamoribus petunt, quod Christo clamante sumere neglexeruut. Tunc proximi vel propinqui nniuscnjusque languentis ad nos cum hac voce discurrunt : Servi Dei, currite, subvenite; morituri liberentur. Turbamur omnes, excurrimus; major nobis quam illis est metus; qui non accipit ut viveret[3], accipit ne moriatur. Apostolus Paulus ista dicit : « Quid faciunt ii qui baptizantur pro mortuis suis, » si mortui non resurgunt? ut quid ergo et baptizantur » ex eis? Ut quid nos periclitamur omni hora quotidie » morientes? ita gloria vestra fruar quam habeo in Do» mino. Si secundum homines ad bestias pugnavi Ephesi, » quid mihi prodest si mortui non resurgunt? manducemus et bibamus, cras enim moriemur. Nolite seduci : » Corrumpunt mores bonos colloquia mala (*b*). »

III. Esaïas autem vehementer hoc dixit, deridens atque increpans homines qui negligunt jejunare : « Dicitis, in» quit : Manducemus et bibamus, cras enim moriemnr. » Non remittetnr vobis peccatum hoc, quoadusque mo» riamini (*c*). » Si victurum te desperas, servi Deo dum vivis, crastino moriturus. Arctaris temporis fine, et quo magis in fide Dei constringeris, eo magis quotidie contra fidem in vita recrudescis. Si immortalis esses, Homo, quid faceres, qui Dei præcepta contemnis cum mortem timeas imminentem? exple omnibus cibis, dapibus onera corpus et dormi, et crapulam exhala; insulta Deo muneribus suis, quibus te pascit ac vestit. Qui, populo jejunante, nunc prandis, prandente populo, jejunabis. Est Propheta[4] hæc dicens : » Unus esurit, alius ebrius est (*d*). » Damnat stomachi vestri causas, querelas et vitia cruditatibus[5] facta, quibus sani quotidie laboratis; ita inexcusabiles facit, nt qui vesci carnibus assolet pro Deo vel stomacho, debeat vel oleribus pasci[6]. » Qui infirmus est, » inquit, olera manducet (*e*); » et iterum : » Esca nos » non commendat Deo (*f*). »

IV. Exigit, exigit quidquid sacerdos indicit. Exigit profecto jejunis morbis arguentibus, ant negotiis. Reddet ea tempore incongruo, qui tempore competenti non facit. Exigit misericordiæ partem pauperibus denegatam. Exigit impia lucra per damna, dum eripit aliquis improbus, quod pauper debilis non accepit. Exigit quotidie baptizandos[7] tanquam numerum debitum annorum; et quod una die non redditur, toto anno reddetur. Frustra igitur vos indevoti abducitis; de vobis Deo toto anno reddetur. Necessitas exigit, quod voluntas insipiens denegavit.

SERMO XXI.

De Pascha I.

Eruitur ex Cod. cxv, *fol.* 27. *In Cod. Cassin. nomen non habet; nomine autem sancti Augustini insignitus legitur in Bibliotheca Laurent., tom.* 1, *p.* 402. *Unde sancto Doctori adjudicandum non minime dubium est. Ponendus est in editione Maurinorum post Serm.* ccxxviii, *cum numero de Pascha* vi.

SYNOPSIS.

I. Lætandum in die Paschæ, ubi omnia nova. II. Gratia Christi morientis, resurgentis, et ascendentis. III. Dies lætitiæ et gratiarum actionis. IV. Epilogus.

I. Lux hodie clara refulsit, quia Latro paradisum, dulcis cum Rege comes, intravit. Mortuorum turba surrexit, et vivorum conscientia triumphavit. Si attendas Ecclesiam, vide turbam cœlorum, legiones Angelorum, exercitus baptizatorum circumdantes altare Domini pretiosum. Turbæ lætantur, quia resurrexit Dominus Angelorum. De gehenna producti sunt mortui; facti sunt vivi, ut de fonte ascenderent mundati homines, novi jam facti, Deique pietas mortuos suscitandos, et veteres homines reparandos curaret, sicut scriptum est : » Vetera transierunt, et ecce facta » sunt nova (*g*); » propterea omnes dicamus : » Hic est dies » quem fecit Dominus, exultemus et lætemur in eo (*h*). » Quomodo jucundati sunt mortui, dum sepulcra desererent? Quomodo gavisi sunt renati, dum ripam fontis ascenderent? At illi dixerunt nova cantica de nova vita, et isti cantaverunt Alleluia, percipientes gratiam pretiosam. Dicamus omnes : Iste dies est lucis, dies est panis, ut et fame et tenebris careamus, et pane gratiæ suaviter satiemur, et non satiemur obscuritate gentium barbararum, quia nobiscum hodie gaudet exercitus Angelorum. Nemo esuriat cibos panis, quia hodie surrexit « Vivus panis, qui de cœlo » descendit (*i*). » Hodie catenæ ruptæ sunt inferorum; rumpantur et vincula omnium delictorum.

II. Unde omnibus filiis mater Ecclesia reparetur plenitudine gaudiorum. Veni, Domine, dic nobis : » Pax » vobis; nolite timere (*j*), » et magnam habebimus securitatem, ut celebrantes legem, possideamus in omnibus perpetuam claritatem, et dicamus : » Si ambulavero in medio » umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum » es, Domine (*k*). » Esto ergo nobiscum, Domine, ut umbras non timeamus mortis, ut gaudeamus semper in nomine patientis, resurgentis et ascendentis Domini Salvatoris. Per ipsum ascendamus, et ad Dominum convertamnr. Natus est Dominus, et renatus est mundus; passus est, et homo salvatus est; resurrexit, et gemuit infernus; ascendit, et paternus lætatus est thronus. Cum pateretur, mortui resurgebant, et vivi gaudebant : quando resurrexit, captivi solvebantur, et Angeli lætabantur : quando ascendit ad cœlos, lætati sunt Angeli, tristati Apostoli, sed » Tristitia in gaudium versa (*l*) » mutavit noctem erroris. Sic nobis post noctem laboris, successit lætitiæ lucia de splendore Domini Salvatoris, sicut scriptum est : « Con» vertisti planctum meum in gaudium mihi (*m*). »

III. Passio Domini velum templi dividebat, corda dura scindebat, umbræ tegumentum tollebat, et nostras facies revelabat, ut « Revelata facie gloriam Domini specule» mnr (*n*). » Quod legis antiquæ mystico nobis velamine velabat, velum abscidit. « Nox præcessit, dies appropinqua» vit (*o*); » quia iste est « Dies quem fecit Dominus, exul» temus et lætemur in eo (*p*). » Omnes dies fecit imperio suo, sed istum diem fecit sanguine suo. Lætitia fuit mortuis suscitatis, sic et nobis gaudio præsentis gloriæ decoratis. Illi ibant in sanctam civitatem, nos ibimus ad sanctam

(*a*) Joan. VII, 37 — (*b*) I Cor. XV, 19-33. — (*c*) Isai. XXII, 13, 14 — (*d*) I Cor. XI, 21. — (*e*) Rom XIV, 2 — (*f*) I Cor. VIII, 8. — (*g*) II Cor. V, 17. — (*h*) Psal. CXVII, 24. — (*i*) Joan. VI, 51. — (*j*) Luc. IV, 36. — (*k*) Psal. XXII, 4. — (*l*) Joan. XVI, 20 — (*m*) Psal. XXIX, 12. — (*n*) II Cor. III, 18. — (*o*) Rom. XIII, 12. — (*p*) Psal. CXVIII, 24.

[1] Vide Serm. CCX. — [2] Codex male punctum habet post *ultro*. — [3] Cod. evidenter male *biberet*. — [4] Cod. habet *est Propheta*, vel *os Prophetæ*, dubium legitur. Prophetam Apostolum nominat. — [5] Cod. *crudelitatibus* male. — [6] Sententia paulisper intricata, sed cujus sensus potest apprehendi; id est quod, qui *vescitur solum pro Deo et stomacho*, debet, judice Apostolo, oleribus esse contentus. — [7] *Baptizandos* pro *a baptizandis*.

Ecclesiam; illi in convivio sanctorum, nos in mensa secretorum Dei. Nobiscum lætitiæ societate convivatur exercitus Angelorum. Tollamus munera nostra; afferamus corda nostra, et instantes cantemus cum cithara: « Introibo ad » altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam(a). » Dimissa iniquitate nostra, soluta catena nostra, quia ipse est qui lætificat animam nostram, iterum dicamus: « Iste » est dies, quem fecit Dominus, exultemus et lætemur » in eo (b). »

IV. Nemo tristetur, si hortatur, antequam perdet temporâ quam dignitatem (*sic*): et si parva forte utitur veste, lucidam exhibeat mentem, et majori lucebit honore, dum exultat non in vestitu suo, sed in die sancto suo; quia non dixit: Exultemus in vestimento nostro, sed dixit: « Jucundemur in eo. » Dies iste tenebras nescit, quia ipse primus tenebras effugavit: nescit caliginem, quia delevit omnem obscuritatem: nescit noxiam dependentem calumniam, quia in cruce dirupit omnia merita [1] nostra: paravit pro nobis lectum innocens Redemptor; fugit calumniator, et linguam perdidit fœnerator. Dies indulgentiæ, dies remissionis, et dies liberationis. Apud vivos est gaudium; ad defunctos pervenit refrigerium. Dies iste lætus et latus, liber et lucidus, « Tanquam mille anni in conspectu Dei (c), » quia vere iste est « Dies quem fecit Dominus. » Vitam si velit non mutare in plenitudine millium annorum (*sic*), merebitur gaudere sine fine in illo die, in quo vera voce cantabunt sancti in jucunditate, exultantes in claritate, in cubilibus suis lætantes cum Salvatore, dicentes atque respondentes: « Iste est » dies, quem fecit Dominus, exultemus et lætemur in eo. »

SERMO XXII.

De Pascha II.

In Manuscripto Cass. habetur, nempe in Cod. cxxxiv, *alias* cccv, *fol.* 198, *cum nomine sancti Augustini. Collocetur post præcedentem cum numero de Pascha* vii.

SYNOPSIS.

I. Impletis tristitia Discipulis, et Judæis frustra custodientibus, Christus resurgit. II. E sepulcro signato exit, sicut ex Virgine signata natus est. III. Mulieribus Angelum videntibus et cunctis fit gaudium, exceptis Judæis. IV. Gentes illuminantur, victis dæmonibus et Judæis. V. Nos cum Christo victores efficimur.

I. In ista die sancta, Fratres charissimi, in ista die inclyta atque egregia, in ista die de qua sacratissimus personat Psalmus: « Hic est dies, quem fecit Dominus(d); » in hac die ablata est tristitia de cordibus Discipulorum, et data est confusio in oculis Judæorum. Ista die Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi impleti tristitia Discipuli; ibat unusquisque ubi poterat, et non erat qui eos congregaret, quia jam impletum erat, quod scriptum erat: « Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis(e). » Sepulcrum tamen signatum erat signo Judæorum, custodia militum confirmatum; intus lumen erat, quod omnino ligare non poterant. Quidquid signamus, totum ligare possumus; lumen ligare non possumus. Ideoque æterna lux, quæ in principio mundum illuminavit, et coæternus fuit, et est eritque semper cum Patre in unitate Spiritus sancti; unus in Trinitate, et Trinitas in unitate; ipse quidem Deus et homo per mirabilem lucem dignatus est clave[2] veritatis suæ corda tangere, ut quod erat obscurum illuminaret, et quod erat clausum aperiret; ille Deus qui ab Angelo impregnabatur verbo, ipse ab Angelo hodie resuscitabatur de sepulcro, quasi possit ei aliquid obesse signatura, cui nulla fuit impostura. Dantur custodes, qui custodiebant. Nonne jam sciebant illum miracula facere, dæmones ejicere, leprosos mundare, mortuos suscitare? An qui poterat aliorum corpora suscitare, se ipsum non poterat de tumulo exhibere?

II. Sed jam corda cæca, Judæorum turba, qui legem habebant et non intelligebant, Psalmum tertium cantabant, sed unum in Trinitate Deum non agnoscebant. Psalmus enim tertius habet[3]: « Ego dormivi et somnum » cepi, et resurrexi, quoniam Deus suscepit me(f). » Dum sunt intenti, parati ad confusionem Discipulorum, meruerunt invenire confusionem animarum suarum. Dicunt enim Pilato: « Signemus sepulcrum, quia seductor ille » dixit eo quod tertia die resurgeret. Ponantur, inquiunt, » milites, ne veniant Discipuli ejus et furentur eum (g). » Si clausus erat tumulus Discipulis, numquid claudi potuit sanctis Angelis? An forte non poterat de signato sepulcro resurgere, qui potuit de Virgine signata procedere? Signata fuit Virgo vestra, signata est et sepultura vestra. Generavit sine viro Virgo vestra, et in vano facta est in sepulcro signatura vestra. Dum enim adsunt isti custodes, non jam custodes, sed testes. Illi poterant custodire, sed Deus misorat Angelum, Filium suum resuscitare. Angelus enim Domini descenderat de cœlo; videntes custodes territique expavescunt, non potuerunt videre illum sublimem (manibus[4]) Angelorum, quia pleni erant falsitate Judæorum.

III. Permittuntur videre mulieres Angelum quia venerant flentes ad monumentum, quibus dixit gaudium magnum. « Scio quod Jesum quæritis crucifixum, non est hic, » sed surrexit, sicut dixit; venite et videte locum, ubi » positus erat Dominus(h). » O gaudium non solum illis mulieribus, sed omnium fidelium atque credentium renatorum. Surrexit, inquit, sed, ut breviter dicam quod olim fuerat prophetatum, David ille rex plenus Spiritu sancto veraciter cecinit in Psalmo: « Surrexit tanquam dormiens » Dominus(i). » Quid plurimum dicam per longum? sufficiat jam fides, quod explicare non prævalet sermo. Quis noctis præteritæ gratum laborem, quis diei hujus comprehendere potest splendorem? Dies iste omnibus Christianis immensa gaudia propinavit, dum eum nobis Christus cæteris diebus meliorem facit. « Exultemus ergo, Charissimi, et lætemur in eo, quia hic est dies, quem fecit Dominus (j). » Puto enim, Fratres, quod iste dies solus magnus dicendus est dies. Iste enim dies lucet in tenebris, et « Tenebræ » cum non comprehenderunt(k). » Tenebras dico Judæos, qui dum diem Christum negaverunt, dum (enim)[5] clamant: « Crucifige, crucifige (l), » facti sunt tenebræ medio die. Ergo quia Judæi Christum per noctem comprehendere voluerunt, inde in tenebris remanserunt.

IV. Gentes autem et incolæ nationes, quia de tenebris idolorum discesserunt, dies effici meruerunt, dicente Apostolo: « Qui eruit nos de potestate tenebrarum, et transtulit » in regnum majestatis suæ (m). » Unde et in alio loco dicit: « Filii lucis, inquit, sumus, et filii diei, non sumus noctis, » nec tenebrarum (n); sicut in die honeste ambulemus (o). » Exultemus » ergo, Charissimi, omnes cum omnibus, quia « Hic est dies quem fecit Dominus. » Quid profuit, inquit, tibi, Serpens, iniquitas tua? aut quid valuit de crudelitate tua persecutio tua? Ecce surrexit de sepulcro

(a) Psal. xlii, 4. — (b) Id. cxvii, 24. — (c) Id. lxxxix, 4. — (d) Psal. cxvii, 24. — (e) Matth. xxvi, 31. — (f) Psal. iii, 6. — (g) Matth. xxvii, 63, 64. — (h) Id. xxviii, 5, 6. — (i) Psal. lxxvii, 65. — (j) Id. cxvii, 24. — (k) Joan. i, 5. — (l) Id. xix, 6. — (m) Coloss. i, 13. — (n) Thess. v, 5. — (o) Rom. xiii, 13.

[1] *Merita*, id est, maledictionem meritis peccatorum debitam. — [2] Cod. mala *dare*. — [3] Vide Sermonem cccv, n. 3, Tract. xxvii, in Joan. et præsertim de Civitate Dei, lib. xvii, cap. 18. — [4] Deest in Cod. vox *manibus*. — [5] Vox *enim* videtur abundare. — [6] Vide Serm. cxxxv, ubi de die, et [illegible].

quem vos, Judæi, confixistis in ligno. Hodie visus est vivus, qoi putabatur occisus. Muni diligenter, Judæe crudelis, sepulcrum; adjice custodias militum, ad vigilias nocturnorum secretorum, ut probes mortuum, quem noluisti cognoscere vivum. Dedisti Judæ discipulo argenti pretium, ut occisum Christum poneret in sepulcrum; da tantumdem custodibus argentum, ut falsum audias a Discipulis furatum. Erogate, erogate, Judæi, argentum in facinus vestrum; in vanum duntaxat vigilatis ad sepulcrum nostrum. Jam surrexit, jam cœlos ascendit, jam glorificatus propter nos, qui se humiliaverat propter nos. Quid estis acturi, facti ex amicis acerrimi inimici? Quem enim zelo fixistis in ligno, ipse sedet ad dexteram Patris in cœlo; ipse est qui « Venit in nomine Domini (*a*). »

V. « Deus Dominus et illuxit nobis (*b*); » nobis illuxit, et vos « Sub pedibus nostris subjecit (*c*). » Plus enim nobis complevit, quam suo Filio promisit. Quid enim nobis complevit, et quid Filio promisit? Psalmus dicit[1]: « Dixit, » inquit, Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, do» nec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum (*d*). » Ecce enim Christus ad dexteram Patris sedet in cœlis, et hos Judæos nostris pedibus subjecit in terris. Cur, Judæe ferox, quem occideres comparasti? Si servares tibi, quod emeras, non perderes quod habebas. Ecce argentum perdidisti, et quem comparasti, non possedisti.

SERMO XXIII.

De Pascha III.

Legitur in Cod. Cass. XII, *fol.* 179, *sine nomine; sed præcedentes S. Augustini nomen præferunt; sequens autem titulum habet S. Augustini de Alleluia Paschæ. S. Doctori igitur recte ascribitur, cum totus Codex* XII *ex S. Augustini operibus sit conflatus. Mutilus est et in multis defectuosus, sed non ideo abjiciendus, præsertim cum pateat, ex Serm.* CCLIII, *S. Augustinum abnegationem Petri in festis paschalibus evolvisse. Ponatur post præcedentem cum numero de Pascha* VIII.

SYNOPSIS.

I. Christus carnaliter in sepulcrum, spiritualiter ad inferos descendit. II. Christi Resurrectio. III. Petri confessio ad renuntiationem reparandam facta.

I. « Deus rex noster ante sæcula operatus est salutem » in medio terræ (*e*). » Homo igitur extendebatur, Divinitas operabatur[2]. Homo enim pati potuit dolorem vulneris; nam quis potest lædere potentiam Deitatis? Caro fuit, sanguis beati anima vita corporis crucifixi (*sic*)[3]; et quia anima mori non potuit, sola carne jacuit in sepulcro. Ipsa autem prædas agebat, et eum Deo inferos expoliabat[4]. Neque enim Deus occidi potuit, quando nec ipsa anima valuit quam suscepit. Nullus quippe eam delicti nævus infecit, et quamvis passam, tamen Dominus gloriæ crucifixus, sed in homine tendicula, in Divinitate captiva (*sic*). Ecce Dominus Christus in carne mortuus, nunquam in Divinitate correptus, manubria mortis egit, et cœlum tropæis victoriæ pharetratus ascendit. De hoc cœlestium Virtutum officio mortis principes prævio sermone compellunt dicentes[5]: « Tollite portas, Principes, » vestras, et elevamini, Portæ æternales, et introibit Rex » gloriæ (*f*). » Dominus Jesus sedentibus in tenebris et umbra mortis lumen veritatis ostendit, qua ad eorum carceres relaxandos advenit. Cumque deprædatorem suum, claro splendoris radio refulgentem, mortis auctores respicerent adventantem, pavido sermone requirunt : « Quis » est iste Rex gloriæ? » Et audiunt : « Dominus fortis et » potens, Dominus potens in bello (*g*). » O bellum tandem aliquando finitum! Bellum in sæculo, bellum in inferno! Sed et sæculum vicit innocens, et mortem debellavit occisus.

II. « Ecce vicit leo de tribu Juda (*h*), » et eripuit potentes; quos diabolus captivaverat, atque rediens ab inferis secum prædam quam ceperat de morte ferebat. Hic est ille, qui « Non habens speciem neque decorem (*i*) » ostendit in Resurrectione non solum pulchritudinem, sed fortitudinem[6]; infirmus in laqueo, fortis in spolio; fœdus in corpusculo, potens in prælio; vilissimus in morte, pulcher in Resurrectione; candidus ex Virgine, rubicundus in cruce; fuscus in opprobrio, clarus in cœlo. Glorificemus ergo, Fratres, Dominum, « Qui sic dilexit » mundum (*j*), » ut pro eo funderet sanguinem mundum. Resurrexit; eamdem resurrectionem quotidie sancti Evangelistæ, suis testificationibus, nostris auribus insonant. Resurrexit de cavea sepulcri, et « Ecce nobiscum » est omnibus diebus usque in consummatione sæculi (*k*). »

III. Ipse, sicut nunc audistis, beatissimo Petro suas oviculas, ut eas pasceret, commendavit: Pasce eas cum disciplina. Tertio interrogatur de amore, qui tertio negaverat a timore. Ut ergo solveret culpam, jam profuderat lacrymam, quando eum Dominus in sua passione respexit, et « Flevit amare (*l*). » Sed ut restauraret confessionem, edidit lingua dilectionem, quam perdiderat præ timore[7]. Ecce, Fratres charissimi, beatissimus Petrus confessus est in aperto, quem ancillæ interroganti timuit confiteri[8], et passus pro Christo in cruce percepit coronam, qui ante mulierem, propriam negaverat vitam. Communicet igitur Petro, qui vult partem habere cum Christo, qui nos benedicat.

SERMO XXIV.

De Pascha IV.

Legitur in Cod. Cass XI, *fol.* 273, *cum nomine S. Augustini. Stylus et sententiæ concordant. Ponatur post præcedentem cum numero de Pascha* IX.

SYNOPSIS.

I. Christus ex Virgine natus est, eodem modo quo intravit januis clausis. II. Christum vere resurrexisse curis ipsorummet hostium probatur. III. Probatur iterum Resurrectio testimonio Angeli. IV. Mariæ Magdalenæ Jesus se videndum præbet.

I. « Verbum caro factum est et habitavit in nobis (*m*). » Verbum caro factum est, » et quomodo factum est?

(*a*) Matth. XXI, 9. — (*b*) Psal. CXVII, 27. — (*c*) Ibid. 7. — (*d*) Id. CIX, 1. — (*e*) Psal. LXXIII, 12. — (*f*) Psal. XXIII, 6. — (*g*) Ibid. 8. — (*h*) Apoc. V, 5. — (*i*) Isai. LIII, 2. — (*j*) Joan. III, 16. — (*k*) Matth. XXVIII, 20. — (*l*) Luc. XXII, 62. — (*m*) Joan. I, 14.

[1] Vide Explan. in Psal. CIX, n. 7. — [2] Codex male *comparabatur*. — [3] Textus evidenter mendosus, quem corrigere non sum ausus, quanquam credi possit amanuensem posuisse verbum *beati* in locum vocis *et*, id est *caro fuit, sanguis et anima vita corporis crucifixi*. — [4] Vide Serm. CCXIII, n. 3, et CCXIV, n. 7. — [5] Sensus arduus et difficilis; forte adest mendosum aliquid; interpretationem inveniat qui poterit. — [6] Deest in Codice *sed fortitudinem*, quod sensus evidenter requirit. — [7] Vide Serm. CCXCV, n. 3; Serm. CCXLII, n. 1; Serm. CCXCII, n. 5, necnon et Enarrat. in Psal. XXXVII, n. 17. — [8] Cod. male *quem ancillæ interrogant, et timuit confiteri*.

ignoramus. A Deo rationem habeo, scientiam non habeo. Scio quis » Verbum caro factum est, » et quomodo factum sit nescio. Miraris quia ego nesciam? Omnia creatura ignorat. « Mysterium enim, quod absconditum fuit in omnibus sæculis, in nostro sæculo revelatum est (*a*). » Dicat aliquis : Si revelatum est, quomodo te nescire dicis? Revelatum est quod factum est, cæterum celatur quomodo factum sit. Denique dicit Esaïas ; « Generationem ejus » quis enarrabit (*b*)? » Et quomodo ipse dixerat : » Ecce » Virgo in utero concipiet, et pariet (*c*) ; » dicit quod factum sit ; quando autem dicit : » Generationem ejus quis » enarrabit? » hoc nobis ostendit quoniam natus quidem sit, sed quomodo natus sit ignoramus. Sancta Maria, beata Maria mater et virgo; virgo ante partum, virgo post partum. Ego hoc miror quomodo de virgine virgo natus sit; et post sationem [1] virginis, mater virgo sit. Vultis scire quomodo de Virgine natus sit, et post nativitatem mater ipsa sit virgo? Clausa erant ostia, et ingressus est Jesus. Nulli dubium est quin clausa sint ostia; qui intravit per ostia clausa non erat phantasma, non erat spiritus, vere corpus erat; quid enim dicit? » Respicite et » videte quia spiritus carnem et ossa non habet, quæ me » habentem videtis (*d*). » Habebat carnes, habebat ossa, et clausa erant ostia [2]. Quomodo, clausis ostiis, intraverunt ossa et caro? Clausa sunt ostia et intrat; quem intrantem videmus, unde intravit? Omnia clausa sunt; locus non est per quem intret, et tamen intus est qui intravit, et non paret. Quomodo intravit nescis, et quomodo factum sit, et das hoc potentiæ Dei. Da potentiæ Dei quia de Virgine natus sit, et tamen ipsa Virgo fuerit virgo post partum. Legimus in Ezechiel, in templi ædificatione : « Porta, inquit, hæc orientalis, quæ respicit ad » Orientem, semper clausa erit ; et nemo intrat per » ipsam (*e*), » nisi solus pontifex. Clausa est porta, et nemo intrat per ipsam portam nisi solus pontifex.

II. Sepulcrum Salvatoris in petra durissima fuerat excisum; in petra durissima, quæ nullam habebat mollitiem; et scriptum est quoniam in isto ipso sepulcro nullus ante sit positus, sed novum sepulcrum erat. Manifestum est quidem secundum litteram, quod factum est, et propterea in petra excisum est ; (debemus enim primum secundum litteram dicere ;) et in durissimo lapide fuerat excisum; et in novo sepulcro positus est ; et grandis lapis positus est ad ostium, et custodia ponitur militum in circuitu, ut quantum fortius servatur, ne furari possit, tanto magis virtus Dei appareat cum resurrexit. Si enim sepulcrum fuisset, dicere poterant : Suffoderunt terram et furati sunt eum. Si fuisset lapis parvulus positus, dicere poterant : Parvulus lapis fuit, et dormientibus nobis, tulerunt eum. Denique in Evangelio quid scriptum est [3]? » Venerunt, inquit, alia die Scribæ et » Pharisæi et Sacerdotes ad Pilatum, et dixerunt ei : Do» mine, magus ille dicebat quoniam resurrecturus est; » ne ergo veniant Discipuli ejus et furentur eum, et di» cant : Resurrexit, et pejor error fiat quam factus est, » da nobis qui eum custodiant, ne eum furentur. Et » dixit Pilatus : Habetis custodiam; ite, facite quomodo » vultis (*f*). » Diligentia Scribarum et hostium prodest fidei nostræ. Servate, Pharisæi, servate ; Deus includi non potest ; Deus in sepulcro teneri non potest, qui fecit cœlum et terram, cujus in pugillo terra est et cœlum, qui appendet mundum in tribus digitis : qui ergo appendet mundum, uno sepulcro non potest contineri.

III. Denique mulieres, Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Joseph mater, pia quidem voluntate, sed errantes, Dominum quærebant in sepulcro. Recepit quidem voluntatem, sed errorem arguit. Angelus ille, qui revolvebat lapidem, sedebat super lapidem. Et quid ostendebat? Lapis iste, cui ego supersedeo, non potest includere Dominum meum, cum prematur a servo suo ; lapis ergo ille non potuit includere Jesum. Et dicit ad mulieres quæ venerant ad quærendum eum : « Jesum » quæritis, non est hic (*g*). » Ubi est? In cœlo? Ultra cœlos est. In terra? Ultra terram est. Ubicumque volueris, est; ubicumque es, totus est ; ubicumque es et ubicumque fueris, tu ipse qui illum quæris, in ipso es quem quæris. Audi ergo quid dicit Angelus ad mulieres : » Quid » quæritis viventem cum mortuis? Quid quæritis Domi» num in sepulcro (*h*)? » Jesum quæritis, Dominum quæritis, quia si tantum Jesum quæritis, certum sciretis illum esse viventem ; audiretis : « Medius inter vos est quem ignoratis (*i*). Regnum Dei intra vos est (*j*). » Angelus (est) [4], qui dicit mulieribus ; Jesum quæritis in sepulcro, credite eum resurrexisse, et putetis in vobis quem quæritis.

IV. Maria Magdalene cum vidisset Dominum, putabat illum quod esset hortulanus [5]; errabat quidem in visu, sed ipse error habebat typum suum. Vere enim hortulanus erat Jesus paradisi sui, arborum paradisi. « Putabat, » inquit, quod hortulanus esset (*k*), » et voluit inquirere pedes ejus. Et quid ei dixit Dominus? » Noli me tangere; » nondum enim ascendi ad Patrem meum (*l*). Noli me » tangere, » non mereris me tangere, quem in sepulcro quæris. « Noli me tangere, » quem tantum hominem [6] putas et non credis resurrexisse. » Noli me tangere, tibi » enim necdum ascendi ad Patrem meum; » cum tibi ascendero ad Patrem, tunc mereberis me tangere [7].

SERMO XXV.

De Pascha V.

S. Augustino hic Sermo tribuendus est ob similitudinem sententiarum et styli, imo et ob titulum qui ejus nomen præfert. Eruitur e Codice XII, *fol.* 189. *Locus ejus post præcedentem cum numero de Pascha* X.

SYNOPSIS.

I. Mariæ Magdalene fides cum Petri fide confertur. II. Maria Magdalene Ecclesiæ comparata. III. Mariæ Magdalene fides iterum comparatur fidei Apostolorum. IV. Mariæ Magdalene fides visione Christi gaudere meretur.

I. » Una sabbati, ait Evangelista, venit Maria Mag» dalene, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum, » et vidit lapidem sublatum a monumento, et cucurrit; » et venit ad Simonem Petrum et ad alium Discipulum » quem diligebat Jesus (*m*). » Videte, Fratres, videte ardorem mulieris ad sepulcrum Domini festinantis. Non horam attendit, non tempus inquirit [8], sed temporum Conditorem videre concupiscit. Cucurrit prius et prævenit mulier viros [9]. O beate Petre apostole, ubi est quod Domino promittebas dicens : « Etsi oportuerit me mori » tecum, tamen non te negabo (*n*). » Certe si mori non poteras pro Domino, tamen quia de te multum præsumpseras, ad sepulcrum ejus primus festinare debebas ; id quod promiseras implere non potuisti ; ibi te ut negares

(*a*) Coloss. I, 19. — (*b*) Isai. LIII, 8. — (*c*) Id. VII, 14. — (*d*) Luc. XXIV, 39. — (*e*) Ezech. XLIV, 2, 3. — (*f*) Matth. XXVII, 62-65. — (*g*) Id. XXVIII, 6. — (*h*) Luc. XXIV, 5. — (*i*) Joan. I, 26. — (*j*) Luc. XVII, 21. — (*k*) Id. XX, 15. — (*l*) Ibid. 17. — (*m*) Joan. XX, 1, 2. — (*n*) Matth. XXVI, 35.

[1] Codex male *nationem*. — [2] Vide Serm. LXIX, n. 2. — [3] Vide Serm. XXIV, n. 7. — [4] *Est* in Cod. non legitur. — [5] Cod. male : *et putasset quod hortulanus sit, putabat illum quod esset hortulanus*. — [6] In Cod. desideratur vox *hominem*. — [7] Vide Serm. CXXVI, et alios Sermones, præsertim Serm. CCXLIV, n. 3, circa finem. — [8] Codex male *acquirit*. — [9] Vide Serm. CXLVII.

una ancilla turbavit; modo te ad sepulcrum Domini Maria Magdalene prævenit. Da mihi veniam, beate Petre, si aliquid serius dixero. Dum fide plena crederes, super aquas ambulasti, sed postquam dubitare cœpisti, paulatim in profundum demergebaris. Surge vel nunc, quia jam te ad sepulcrum Domini mulier antecessit.

II. Quæ autem sit mulier ista Maria Magdalene, Fratres, omnes nostis, qui intento corde sacras lectiones audistis; sed quia possunt et aliquanti nescire, hæc mulier ipsa est Magdalene, de qua ipse Dominus septem dæmones expulit, et quia plus ei donaverit, ideo plus diligebat. Currat ergo Ecclesia, jam currat ad Petram: « Petra autem erat » Christus (*a*). » Audi plane Mariam Ecclesiæ comparare[1], quæ ab immundis spiritibus liberata, prima debet ad sepulcrum Domini festinare.

III. « Nuntiavit ergo Petro et alio Discipulo quem diligebat Jesus et dicit eis: Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum. Cucurrerunt » Apostoli, et ingressi monumentum, linteamina relicta » viderunt (*b*); » et Angelos videre non potuerunt[2], quia adhuc timor caliginosus Judæorum lumen in eis fidei comprimebat. Inspexerunt et reversi sunt; mulier vero non recedebat, sed foris stans ad monumentum plorabat, et quia nunquam quærentibus aliquid denegat Deus: « Inclinavit se, dum fleret, ad monumentum, et vidit duos » Angelos in albis sedentes, unus ad caput et alius ad » pedes, ubi corpus Jesu positum erat. Dicunt ei Angeli, » Mulier, quid ploras? aut quem quæris (*c*)? » et illa dixit: Dominum meum quæro, Salvatorem meum; multum mihi donavit, qui me a septem spiritibus immundis liberavit. Captiva ducebar quo nolebam, et ipso adveniente, disruptis catenis delictorum meorum, sequi merui quem non merebar. « Nunc tulerunt Dominum meum, et nescio » ubi posuerunt eum (*d*). » O mulier, Apostoli Angelos videre non potuerunt, quia dubitaverunt; tu autem vidisti, quia credidisti. Sed tu iterum modo dubitare cœpisti. Quis enim Dominum tollere poterat, nisi ipse vellet, sicut promiserat, tertio die resurgere.

IV. « Conversa vidit Dominum stantem (*e*). » Ecce, Fratres, quantum amor Dei et fides exigat; illum lacrymæ aut humilitas superant[3]. Nisi flens inclinaretur, Angelos non videret; et nisi converteretur, Christum Dominum videre non meruisset. « Dicit ei Jesus: Maria, quid ploras? quem quæris (*f*)? » Et illa, apertis oculis, cum cognovisset, exclamavit: « Domine, tu es ipse rex meus et » Deus meus. Noli me tangere, dicit ei Jesus, necdum » enim ascendi ad Patrem. Et illa inquit: Deus meus et » Dominus meus (*g*). » Ostendis te[4] mihi, jam sufficit mihi.

SERMO XXVI.

De Pascha VI.

Hic Sermo admiratione dignissimus, ob oppositiones verborum S. Augustino negari non potest, maxime cum ejus nomen præferat in Cod. XII, *fol.* 17, *unde assumitur. Ponatur post præcedentem cum numero de Pascha* XI.

SYNOPSIS.

I. Fides unguento fraganti comparatur. II. Christus verum unguentum ab Ecclesia susceptum. III. Unguentum hoc nihil habet quod displiceat, utpote unguentum pietatis. IV. Est etiam unguentum charitatis. V. Unguentum est etiam virtutis, obedientiæ et spei. VI. Novus Adam crimen Adami prioris reparavit. VII. Christus inferorum triumphator. VIII. Christus redemptor et medicus animarum. IX. Deleto mortis chirographo, Christo nobis fideliter serviendum. X. Cum Christo resurgente, resurgendum.

I. Resurrectionis dominicæ die resurgere quodammodo et renovari fidelium gaudia oportet, ut per festivitatem diei mentium alacritate renovata, regnum Dei, ad quod cum Christo et per Christum excitamur, jam intra nosmetipsos fulci collocemus affectu. Hæc enim sunt gaudia quæ non exolescunt usu, sed quibus usu virtus accedit. Quanto enim magis de Christo exultamus! Merito ergo comparandam unguentis suave fragrantibus fidem judico. Hoc enim unguentum est, quo Propheta perfusus, exultat et dicit: « Impinguasti in oleo caput meum (*h*). » Hoc est illud de quo fidelibus piis dicitur: « Ungite capita ves» tra (*i*). » Hoc est illud quod sapientes Virgines secum ad vegetandas lampades ferunt. Hoc est illud de quo scriptum est: « Unguentum a capite quod descendit in » barbam (*j*), » quæ perfectam viri signat ætatem; quo splendor ac deliberatio fidei in perfectionem transire videtur[5]. Comparemus, ut dixi, unguentis suave fragrantibus fidem. Moris est quippe unguenta quæque pretiosa summa sollicitudinis cautione servare. Jacet ergo et quasi consopitur per quietem custodiæ pretiosa fragrantia. At cum ad jucunditatem diei aut convivii decorem proferendum est, motu recepit quod statu perdidit; et pretium, quod quies occultaverat, prodit agitatio. Ita ergo est et in unoquoque fidelium unguentum fidei, firmis pectorum vasculis plena credulitate susceptum, sed perditurum[6] perdit pretium, nisi disputationis succedat agitatio.

II. Hæc nostri causa sermonis. Video in vestris mentibus, tanquam in pretiosissimis receptaculis illatum, in hac Dei aula munus[7] unguenti. Nimia in me agitandi desidia est, nisi totum suavis fragrantia impleverit; et quidquid[8] adhuc in his quæ media fide vivunt, dubitatione mentium fœtet. Quid est ergo hoc ungoentum? « Christus mortuus est et resurrexit (*k*), » et hoc mundi totius pretium ac redemptio est. Explora nunc, si libet, unguenti odorem, cujus tantum pretium, cujus tam nobile nomen audisti. Hoc est illud quod de cœlo Deus detulit. Quis illud accepit? Videamus, ne forte illa cujus figuram prætulit mulier quæ unguentum in sepulturam Christi, ut ipse ait, supra caput ejus effudit. Ecclesia, Dilectissimi, Ecclesia sacramenti istius suscepit unguentum[10], quæ quidquid a Christo trahit, in Christum refundit. Verumtamen unguentum hoc non omnes capit, nec omnes æqualiter afficit. Dicit enim Apostolus de ipsa Christi cruce: « Quod » sit quibusdam quidem odor vitæ ad vitam, aliis vero » odor mortis ad mortem (*l*); » id est, « Pereuntibus » quidem scandalum, his autem qui salvi fiunt, virtus » Dei (*m*). »

III. Attamen quibusdam hic odor displicet; dicant velim, quid eis in mortem Christi non vitam oleat? quid non resurrectionem spiret, cui locum præbuit Christus? « Mortuus est et resurrexit. » Hoc ergo illis displicet. Est ullus qui non aviditate summa in tam ambroseos odores

(*a*) 1 Cor. x, 4. — (*b*) Joan. xx, 2-6. — (*c*) Ibid. 11-13. — (*d*) Joan. xx, 13. — (*e*) Ibid. 14. — (*f*) Ibid. 15. — (*g*) Ibid. — (*h*) Psal. xxii, 5. — (*i*) Matth. vi, 17. — (*j*) Psal. cxxxii, 2. — (*k*) Rom. xiv, 9. — (*l*) 2 Cor. ii, 16. — (*m*) Ibid. 15.

[1] Pro Ecclesia præfigurata in persona Mariæ Magdalenæ, Augustinus in Sermone v, n. 7, loquens de his verbis: *Noli me tangere*, ait: *Illa mulier Ecclesia erat.* Et alio Sermone ccxliv, n. 4: *Noli ergo*, inquit, *modo tangere, quia nondum vides qui sum. Ecclesia ergo, cujus figuram Maria gerebat*, etc. Vide insuper Serm. ccxlvi. — [2] Id. ccxcvi. — [3] Codex sine sensu. *Vel lacrymæ aut humilitas superius.* — [4] Id. male *ostendisti*. — [5] Vide Enarrat. in Psal. cxxxii, n. 7 et 11. — [6] Hoc mendosum evidenter apparet, forte *custoditum*, aut aliud hujusmodi verbum. — [7] Codex male *manus*. — [8] Sic habet Codex; vix aliquis sensus potest deprehendi forte, *adest*. — [9] Vide Enarrat. in Psal. xxi, n. 2. — [10] Vide tract. l, in Joan. cap. xii, n. 7, Serm. ccxxxviii.

irruat? Quærat hic sophista sæculi, unguentorum talium diligens explorator, quæ ei species in hujus unguenti confectione displiceat; videamus ipsas species quibus nardum inspiratum est. Et quod tandem pretium? habet quidem quod conferre pietati venditor aut possit, aut debeat. An sit in Christi morte pietas, vel quanta æstimanda sit, Apostolus dicat : « Et manifeste, inquit, magnum est pietatis » sacramentum, quod manifestatum est in carne, » videlicet quam Christus assumpsit; « Justificatum est in Spi» ritu, » dum peccatum carnis in carne superatur; « Apparuit Angelis, (a) » vel tunc cum multitudo exercitus cœlestis exultavit, et dixit : « Gloria in excelsis Deo, et » in terra pax hominibus bonæ voluntatis (b), » vel cum nos ipsi mysterii hujus profundum contemplantes et evangelizantes, Angelorum officia sortimur; » Prædicatum » est gentibus, » ut in orbe toto christiani nominis una gens fieret; » Creditum est in mundo, assumptum est in » gloria (c). » Quid aliud creditum est in mundo quam ab incorporeo corpus acceptum, quod postmodum in gloria resurrectionis assumptum est? Sciens ergo illud pietatis pretium Apostolus, ipsam præcipue, præcipuo voluit commendatam esse Discipulo. Charissimum enim Timotheum filium suum admonens : » Exerce, inquit, te ipsum » ad pietatem; pietas enim, inquit, ad omnia utilis est, » promissionem habens vitæ quæ nunc est et futuræ (d). » Refert ergo pretiosissimum hunc odorem pietatis, sacramentum carnis assumptæ; magni pretii species est.

IV. Videamus alia; adjungitur huic charitas; magna siquidem in cruce Salvatoris Dei dilectio erga humanum genus fragrat : » Sic enim, inquit, dilexit Deus hunc mun» dum, ut Filium suum unigenitum mitteret (e), » pro hujus mundi vita. Et quid charitas ista proficit? Ut scilicet charitatem quam exhibuerat commendaret. Quid tandem pretii charitas habet[1]? » Plenitudo legis, inquit Apos» tolus, charitas est (f). » Et iterum : » Finis præcepti, » charitas est (g). » Magnum ergo et præcipuum bonum charitas est; quod in se omnia mandata consummat. Etiam hæc autem species in morte et resurrectione Domini continetur.

V. Longum est singulas unguenti istius species tam prolixa verborum iteratione proferre. Nominatim nobis enumerandæ reliquæ species sunt, magis quam suffragiis suis prosequendæ. Est ergo etiam in hac confectione virtus, cum admixta sit fortitudo patientiæ. Est etiam obedientia . « Factus est enim Christus obediens Patri us» que ad mortem, mortem autem crucis (h). » Est autem etiam spei non parva fragrantia, quæ ultra mortem vires suas porrigit; et resurrectionem non solum spiritus, sed etiam corporis per resurrectionem carnis dominicæ usurpat. Hæc omnia mihi redolent in hoc uno quod dixi : » Christus mortuus est et resurrexit. » Idoneæ species sunt ex quibus odor vitæ fragret ad vitam; nimis fœtidi sunt quibus de tanta fragrantia est odor mortis ad mortem. Nos autem dicamus : « Unguentum effusum nomen » tuum, Domine (i); » et illud : » Post te in odorem un» guentorum tuorum curremus (j), » optantes perfundi ipso odore quem sequimur, ut illum pietatis, charitatis, patientiæ, obedientiæ, spei odorem afferamus, qui nobis in Christi morte fragravit.

VI. Ponamus itaque, Dilectissimi, ante oculos nostros, tantam, si possumus, utilitatem dominicæ crucis, et gaudia resurrectionis; et intueamur quid Christus in terris susceptæ mortis mysterio utilitatis attulerit : subjecta omnia regno suo, quæ mors per peccati licentiam detinebat; addictum legibus suis hominem, quem ab illa primi parentis transgressione possidebat : « Regnabat » enim mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos » qui peccato abstinebant in similitudine prævaricationis » Adæ (k), » et humanum genus salutis desperatio in errorum tenebras passim sine fidei luce mergebat. Quod Adam primus vinxerat, opus erat ut Adam secundus absolveret. Opus erat ut nativitas secunda repararet quod sub pœna offendentis Adam procreatio prima generaverat. Non mundaverat agni immolatio, paschæ veteris lege celebrata; offerendus erat Agnus ille, qui tolleret peccatum mundi. In dubium gentibus venerat, an esset anima victura post mortem; ecce post crucem, in carne Christi resurrecturum probatur et corpus; quo inobedientia Adæ mortem attulerat, necessarium erat ut obedientia Christi vitam referret. » Sicut enim, inquit, in Adam omnes » moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur (l). » Suscepit ergo Salvator noster interitum, qui vitam omnium pararet; velut si hominibus diceret magna miseratione permotus : Non recuso mortis vestræ consortium, ut vobis offeram resurrectionis meæ participium. Mortem quidem ea, quæ in me est, Divinitatis natura non recipit; suscipiam tamen, nascendo ex vobis, quod offeram moriendo pro vobis. Suscipiam omne quod vestrum est, daturus omne quod meum est. Olim siquidem per Prophetam morte hac sua, morti nostræ mortem minabatur : » Ero, inquit, per Oseam prophetam, ero mors tua, o « Mors, ero morsus tuus, Inferne (m). » Subibo mortis jura, sed destruam : ingrediar quandoque illum carcerem tuum, non ut ipse claudar, sed ut tua claustra confringam. Confiteatur ergo Domino misericordia ejus, quia » Contrivit portas æreas et vectes ferreos confregit (n), » ita mortis claustra reserans, ut patefaceret[2] simul etiam portas paradisi, quæ post Christi crucem, Latronem a supplicio iniquitatis, ad illam justis debitam sedem, merito brevissimæ confessionis, admisit; cum ante crucem Christi, etiamnum[3] Abraham, licet diversa ab impiis sede distinctum, inferni claustra retinerent.

VII. « Exivit ergo Christus, ut scriptum est, in salu» tem populi sui, ad liberandos electos suos (o); » tantum descensurus pietate[4], quantum humanum genus prævaricatione cecidisset : velut si quis rex, tyranni arce destructa, libertatem ubique restituat, nec contentus jubere solvi quos pravæ dominationis iniquitas illigarat, ipse illum quo sui tenentur, carcerem petat, et libertatem simul cum conspectu suo afferat; parumque habeat educere in lucem vinctos suos, nisi ipsum locum obscuritatis quo tenentur accedat, suisque ipse manibus, ea quibus tenentur vincla deducat. Quid pro his omnibus restitui tam pio Domino potest? Quid nisi ut ipsi serviat per ipsum restaurata libertas? » Vulneratus ergo est, sicut scriptum » est, propter peccata nostra, et infirmatus est propter » iniquitates nostras; livore ejus nos sanati sumus (p). » Majorem hac dilectione nemo habet quam ut animam » suam ponat quis pro amicis suis (q). » Et iterum : « Pas» tor, inquit, bonus animam suam ponit pro ovibus » suis (r). Nisi granum, inquit, tritici cadens in terram » mortuum fuerit, solum manet (s). » In terræ-motu crucis » Petræ scissæ sunt, et monumenta patefacta sunt, » et multa corpora sanctorum dormientium resurrexe» runt; et exeuntes de monumentis post Resurrectionem » ejus venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt » multis (t). » Ecce unum granum in morte cadens qua multa statim grana secum reportavit ad vitam.

VIII. Cogitemus itaque, Dilectissimi, grande illud salutis nostræ pretium. Vita nostra Christi morte reparata

(a) I Tim. III, 16. — (b) Luc. II, 14. — (c) I Tim. III, 16. — (d) Id. IV, 7, 8. — (e) Joan. III, 16. — (f) Rom. XIII, 10. — (g) I Tim. I, 5. — (h) Philip. II, 8. — (i) Cant. I, 3. — (j) Ibid. 4. — (k) Rom. V, 14. — (l) I Cor. XV, 22. — (m) Osee. XIII, 14. — (n) Isai. XLV, 2. — (o) Habac. III, 13. — (p) Isai. LIII, 5. — (q) Joan. XV, 13. — (r) Id. III, 14. — (s) Id. XII, 24. — (t) Matth. XXVII, 51-53.

[1] Vide Serm. CCLV, n. 10; Tract. in Epist. Joan. II, 4 et 5; et Serm. CCL, n. 1. — [2] Codex male *patefieret*. — [3] Id. *etiam cum*. — [4] Id. *pietatem*.

est. Satis pretiosus servus est, cui se Dominus impendit. Nemo se ab hoc debito redemptionis excipiat. Redemit ille omnes, etiam hi qui captivitatem suam amantes, redire in libertatem, quam pius mercator obtulit, noluerunt. Nec quæras quæ pro pecuniæ summa numerata sint. Nihil profudit de sacculo suo; effudit sanguinem suum. Quæ unquam digne huic pietati talenta pensentur? Nihil suum pro te, sed se ipsum obtulit. Neque enim aliquid tuum, sed te ipsum requirebat. Momentaneam pro te mortem subiit, ut te eriperet æternæ; suscepit vitam tuam, ut te ad suam intromitteret. Inferna ingressus est, ut tu egredi possis. Suis vulneribus vulnera nostra sanavit; suis plagis, damnationis nostræ plagam removit. Dico autem, Fratres, pius est medicus qui ægrum suo servitio, suis curat impendiis; qui cruorem ac saniem alienorum ulcerum, non amore pecuniæ, sed salutis, rejecto potest ferre fastidio[1]. Verum enim vero omnibus majus est, excipere quempiam vulnera, ut in te possit conferre medicinam; sua in remedium tuum præbere latera; se secandum dare, ut tuorum ulcerum virus, quod saluti tuæ obstat, effundat. Hoc facit Christus, hoc noster nobis Salvator impendit: piissimus et communis omnium medicus, non eorum quos curabat, sed suo, in salute omnium, cruore respersus est. Redempti sumus tanto magis, quanto minus captivitatem nostram videbamus: curati tanto magis, quanto minus ægritudinem nostram sentiebamus.

IX. Hæc itaque dominicæ crucis causa est. Quodam modo enim per Adam, humanum genus transgressione præcepti, pacti genus cum morte conscripserat; sed donavit nobis omnia delicta, « Delens quod adversus nos » erat chyrographum decreti quod erat contrarium nobis. Et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, spolians Principatus et Potestates, traduxit palam, triumphans illos in semetipso (a). » Deleto ergo per crucem mortis chyrographo, vita reparata est. Mors enim in Christo quid aliud quam resurrectioni locum præbuit? Resurrectio autem in Christo, omnem hominem de propria resurrectione confirmat. Superest ut secum unusquisque decernat, ut sicut morti publicæ finis impositus est, ita, in vita sua, finis ponatur et crimini. Excutienda est mentis somnolentia, morte discussa, ne quis cum « Vetera transierunt, et facta sunt omnia nova (b), » ipse in conversatione vetustatis permaneat. Fiat ergo id quod Apostolus ait, propterea mortuum esse Jesum Christum, « Ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis » mortuus est et resurrexit (c). »

X. « Hic est igitur dies quem fecit Dominus (d), » quem sanctorum gloriæ reparavit; in quo, dum primogenitus ex mortuis Jesus Christus exurgit, sperare Ecclesiam sui corporis jubet, quod in capite suo confitetur impletum. Audi Apostolum, qui in se Christum loqui dicit: « In momento, inquit, in ictu oculi, in novissima tuba, canet » enim tuba[2], et mortui resurgent incorrupti; et nos immutabimur (e). » Verumtamen totam diei illius magnificentiam, diei hujus crepuscula, resurgente Christo illustrata, pepererunt. In illo nostræ resurrectionis actus, in isto causa consistit. Hic semina istorum fructuum continentur. De hujus diei matutina gloria sub persona Christi Propheta cantavit: » Ego dormivi et somnum cepi, et » exurrexi, quia Dominus suscepit me (f). Ego dormivi, » inquit, ut dispositionem propriæ, non vim alienæ voluntatis ostendisse videatur. Hoc est quod in Evangelio verbis ipsius Domini continetur: « Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam (g). » De hujus quoque matutina lætitia, alibi scriptum est. « Lux orta est justis, et rectis corde » lætitia (h). Lætamini, Justi, in Domino (i). » Et iterum: « Exaltabo mane mirabilia tua, quia tu, Deus, » susceptor meus es (j). » Et alibi: « Vivificabis post biduum, in die tertio (k); » et alibi, vespertinam lucem et matutinam Resurrectionis lætitiam uno versiculo comprehendens: » Ad vesperum, inquit, demorabitur fletus, » et ad matutinum lætitia (l). » Itaque, sicut Apostolus ait: « Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis (m), » quibus adversarium salutis nostræ, qui jam a Christo destructus est, destruamus. Si tantum est gaudium in spe, quodnam putamus in re ipsa erit? Si tantum exultant membra de capite, quantum exultabunt membra cum capite, illic ubi jam qui meruerit inter speciosi corporis membra numerari, nunquam deinceps timebit abscidi? Superest ut qui desiderat Christo et conresurgere et conregnare, concrufigi ipsi et commori, mortificatis voluntatibus non moretur, per Jesum Christum Dominum nostrum, etc.

SERMO XXVII.

De Pascha VII.

Sermo pulcher et S. Augustino dignus; notandum est solum dici mulieres cognitas fuisse ab Angelis, a quo non dissentit S. Doctor, ut videre est de Civitate Dei lib. XV., *cap.* XXIII. *S. Augustino tribuitur, ut cæteri, in Cod.* XII, *fol.* 177. *Locus ejus post præcedentem cum numero de Pascha* XII.

SYNOPSIS.

I. Christus resurgens nos illuminat. II. Et nos certe resurrecturi sumus. III. Quid contra carnem et pro carne militet? IV. Carnis encomium. V. Caro resurget cum anima.

I. Dies, quem memorat[3], Christus est, qui et natus est et occidit, et post mortis occasum renovatus illuxit. Sed ne hoc meis verbis affirmem, ipse Dominus Christus professus est dicens: « Quandiu sum in sæculo, lux sum » sæculi (n). » Resurrexit ergo Christus in carne, idem autem ut dies esse ipse, qui fuerat, crederetur; nec de nostro corpore rursus eruit; sed ut nos in carne resurgere ostenderet, in eadem resurrexit; alias[4] enim caro resurgere non posse crederetur.

II. Sed quid agis, homo? pars mundi, electorum omnium particeps, consors universæ naturæ; quid te damnas tuo judicio? Quid te bestiis ac pecudibus comparas, quorum animas simul et corpora carnifex natura consumit? Illæ pariter pereunt; tu substantia divina servaris. In divina anima vivis[5], et cum caro ab anima tua recesserit, divideris, non finiris; separaris in partes, in solidum rediturus. Nam cum anima vivas et corpore moriaris, novationem utique carnis expectat anima, quæ corpori servivit. Clamat apostolus Paulus dicens: « Si mortui » non resurgunt, neque Christus surrexit; quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, et adhuc estis » in peccatis vestris. Ergo et qui dormierunt in Christo, » perierunt. Si in hac vita tantum in Christo speramus,

(a) Coloss. II, 14, 15. — (b) 2 Cor. V, 17. — (c) Ibid. 15. — (d) Psal. CXVII, 24. — (e) 1 Cor. XV, 52. — (f) Psal. III, 6. — (g) Joan. X, 18. — (h) Psal. XCVI, 11. — (i) Id. XXXI, 11. — (j) Id. LVIII, 17. — (k) Osee VI, 3. — (l) Psal. XXIX, 6. — (m) Rom. XIII, 12. — (n) Joan. IX, 5.

[1] Vide Serm. LXXXVII, n. 13, et LXXX, n. 4. — [2] In Codice desideratur vox *tuba*. — [3] *Quem memorat*; nempe Psalmista cujus verba fuerant lecta *Hæc dies quam fecit Dominus*, etc. — [4] Codex male *ast*. — [5] Id. corruptus habet. *Tu divinas animal vivas*.

» miserabiliores sumus omnibus hominibus. Si autem » Christus resurrexit a mortuis, primitiæ sunt dormien» tium. Nam quia per hominem mors, et per hominem » resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes » moriuntur, ita et in Christo omnes vivificantur (*a*). » An meritum animæ præferendum carnis fragilitati diffidis[1]? Rectum quidem habes justumque judicium. Nam ideo caro sola resolvitur quæ integra poterat ut animam reservaret; ut quia impar est meritum, impares sint[2] etiam exitus mortuorum. Denique cum hominem faceret Deus, de Spiritu suo ei animam contulit; carnem vero solubilem de limo terræ collegit. Si enim carnem consideres, quid est caro, nisi limus terræ deformior, concreto sanguine coloratus? Quid est caro? vitiorum natura, materies et origo mortuorum. Si vero meritum carnis advertas, quid est caro? vas animæ; quid est caro? vagina Spiritus Dei[3]? quid est caro? præ lateribus omnibus species de qua merito fieret divinæ substantiæ simulacrum. Scriptum est enim: « Fecit Deus hominem ad imaginem » et similitudinem suam (*b*). » Et iterum: « Fecit Deus » Adam de limo terræ, et sibilavit in faciem ejus spiritum » vitæ. Et factus est homo in animam viventem (*c*). Vi» ventem » dixit, victuram et post obitum, non ut animam pecudum, cum corpore perituram. Pecudes autem, ut viles sunt, ita eas non fecit, sed jussit de terrâ viliter nasci; sicut scriptum est: « Et dixit Deus: Producat terra » animalia, et factum est sic (*d*). » Adverte igitur homo, cujus sis meriti. Te Dominus Deus manu sua de terra perfectum, flatu sui Spiritus animavit; terra[4] autem feras et bestias halitu suo animatas effodit.

III. Alternare nunc placet carnis et animæ merita vel naturam. Sancta creditur anima, et caro peccatrix. Pro certo anima sancta est, sed nisi ejus vitio, caro non peccat. Nam si bene te nosti, si te, Homo, bene consideres, sine sensibus animæ caro nihil sentit; ut mortua, nec movetur. Est ergo et particeps boni, ut et ministra est delictorum, et ut sanctam animam polluit, ita meritis animæ et sanctitate purgatur. Nam ut merita ejus et crimina ab origine repetamus, si in Adam mori præcepta est, resurrexit in Christo: si in Evam mulierem damnata est, in Maria virgine consecrata. Probo hoc sermonibus Prophetarum: « Dixit iterum Deus. Non manebit Spiritus meus in ho» minibus istis, quia caro sunt (*e*). » Et iterum pro carne dixit: « Effundam de Spiritu meo super omnem car» nem (*f*). » Contra carnem dixit Esaias: « Omnis caro » fœnum (*g*). » Iterum pro carne sic dicit: « Videbit » omnis caro Salutare Dei (*h*). » Dicit Paulus apostolus contra carnem: « Voluntatem carnis ne feceritis. » Iterum pro ea sic dicit: « Stigmata Christi in carne mea » porto (*i*). » Dominus etiam Christus hoc incredulis dicens: « Spiritus est qui vivificat carnem (*j*). » Vos autem dicitis: « Caro nihil prodest (*k*). » Quæ cum ita sint, Fratres, si caro suis criminibus premitur, cur non magis, quod verum est, Filii Dei quem germinavit[5] divinis meritis honoratur?

IV. Ergo vituperas carnem, quam Deus induit, et depositam repetens, cœlis invexit? Ergo-ne vituperas carnem quam flamma in tribus pueris timuit, in Danielo quam etiam leonum fames expavit? Ergo-ne tu vituperas carnem, quæ fortitudinem sanctarum animarum adjuvans, innumeros Martyres fecit[6]? Vituperas perditos, vituperas luxuriosos, quorum animæ desideriis primo corruptæ, in vitiis vel libidinibus[7] corpora corrumpenda traxerunt. Vituperas et Angelos qui filias hominum adamantes, cœlestium corporum majestatem terrena proluvie polluerunt[8]. Sive igitur laudes in Martyribus carnem, sive in luxuriosis accuses, utrumque necesse est animabus ascribi. Quidquid enim anima voluit, servitus carnis implevit. Resurget igitur, caro, sive sancta, sive rea, causas vitæ præteritæ cum anima redditura. Non aliter quam si ancilla cum domina in causa castitatis audiatur; et si lenocinium famula præbuit, rea tamen est domina quæ voluit aut consensit.

V. Resurget igitur caro, sive sancta, sive rea; mortalesque iterum miseri vivere cogentur inviti. O necessitas rerum! dum purgare carnem contendimus, animas cœpimus accusare. Accusamus profecto munera Dei, quæ ut scintillæ de flamma salientes, non vivere in fomite, sed in stipulis extingui meruerunt; accusamus cœlestia terrenis oppressa. Dei tamen expectamus judicium, qui et carnis officia et merita ponderat animarum. Nec anima igitur sine carne, nec caro sine anima innocentiam patitur aut reatum. Igitur quia vita communis, quæstione communi discurritur. Homo interior exteriori, id est, caro animæ revocatur; cum anima namque purgabitur, aut anima cum carne punietur.

SERMO XXVIII.

De Pascha VIII.

Cum extrahatur hic Sermo ex Cod. XII, *fol.* 166, *cum ista nota* Unde supra, *et supra habeatur*: Sermo sancti Augustini, *nullus relinquitur ambigendi locus. Collocandus est post præcedentem; numerus erit de Pascha* XIII.

SYNOPSIS.

I. Objectiones impiorum contra immolationem Filii Dei. II. Christus a Christianis non occisus, sed ab eis post occisionem adoratus. III. Dei bonitas in Incarnationis mysterio. IV. Christus resurgens hostes deludit.

I. Dicit nobis sanctus apostolus Paulus. « Pascha nos» trum immolatus est Christus (*l*). » Quæritur cui, vel quare sit immolatus? Reclamant enim fanatici blasphemantes his verbis: Certe sancta, certe pia, certe misericordia plena sunt sacra crudelia Christianorum. Certe nos sumus sacrilegi qui numinum simulacris aves et pecudes cædimus. Ecce magis Christianos esse sacrilegos constat, quorum parricidalibus sacris Patris Filius immolatur. Cum dixero: Pius Deus, quem colimus, dicent e contra: Cur ergo Deus, qui Abraham occidere filium vetuit, suum permisit occidi[9]? Cum dixero: Pro populis universis Christus occisus est; dicent contra: Certe pius est Deus quem colitis, qui[10] sanguine Filii placatus est, ne peteret[11] sanguinem populorum. Dicuntque postremo: Ergo vester impius Deus est, qui cum nos diis immolare hominem vetet, Filium voluit aut permisit occidi.

II. O quam rebus angustis nostra religio coarctatur! O quam tenui semita (ad) molem maximam fidei ducimur[12], cum amplam viam repleverit confusio perditorum! O quam perardua et prærupta! Laboriosam vix trahimus veritatem; verisimilibus argumentis pene convincimur, nisi pium esse, quem[13] colimus, doceamus. Paulus

(*a*) 1 Cor. XV, 19-22. — (*b*) Gen. I, 26, 27. — (*c*) Id. II, 7. — (*d*) Id. I, 24. — (*e*) Id. VI, 3. — (*f*) Joel II, 28. — (*g*) Isai. XL, 6. — (*h*) Luc. III, 6. — (*i*) Gal. V, 16. — (*j*) Id. VI, 17. — (*k*) Joan. VI, 64. — (*l*) 1 Cor. V, 7.

[1] Codex evidenter corruptus. *An meritum animam præferenda carnis fragilitate diffidis?* videat lector corrigendi rationem, et judicet. — [2] Id. male *sed*. — [3] Vide Serm. XLV, n. 10, et CXXXVII, n. 2. — [4] Codex male *terram*. — [5] Id. *quam geminavit*. — [6] Codex male *quæ fortitudines Sanctorum animas adjuvans, in numeros martyrum fecit?* — [7] Id. *perpetuo libidinis*. — [8] Vide de Civit. Dei, lib. XV, cap. 23. — [9] Vide Homil. veteris Origenis, tom. II, fol. 83. — [10] Cod. male *quæ*. — [11] Id. *peterent*. — [12] Codex *tenuis... ducimus*; deest vox *ad* quam sensus exposcit. — [13] Cod. male *quod*.

ergo apostolus dicit : « Pascha nostrum est immolatus » Christus (a). » Dicimus quare sit immolatus, dicimus et a quibus, ut Paschæ sanctum innocensque mysterium parricidii calumnia liberetur. Non nos Christiani occidimus, sed occisum colimus Christum. Cur occisum colimus quæritur : quia et (ante) Filium Dei colimus, prius quam esset occisus. Cur occisus sit quæritis : dicant Judæi sacrilege religiosi, qui cum agnum pro Pascha Deo mactare præcepti sunt, Christum immolantes, pro agno Patri Filium mactaverunt. Hoc incusat et Paulus apostolus dicens de facinore Judæorum : « Pascha nostrum immolatus est Christus ; » hoc est a gente, cui[1] Joannes Baptista sic ostentaverat Christum : « Ecce agnus Dei, ecce qui tollit » peccata mundi (b). » Cur sibi Christus non affuit quæritis; quia sanguis ejus mundi pretio debebatur. Quid enim commiserat mundus, quod sanguine liberaretur? Legis incurrerat maledictum, et ne Deus esset inconstans, dedit Filii[2] corpus, cujus sanguis in pœna sine fine morientis, et crimine funderetur[3]. Hoc magis pium judicium Dei, et salvo pietatis affectu, sententiam suam convertit in Filium; qui eum pro populis voluit ut morte momentaria fungeretur.

III. O magnum mysterium pietatis! Mundus peccat, et Christus occiditur, ut Deus justus et pius nec sententiam suam legis infringeret, (nec mundus, nec Filius[4]), nec innocentiam extingueret, sed reatum. Ipse Dominus Christus hæc cecinit, prius quam pro mundi proluvie patibulo figeretur : « Ita Deus dilexit mundum, ut » Filium suum unicum daret pro eo : ut omnis qui credit » in illum non pereat, sed habeat vitam æternam (c). » Declamat hinc apostolus Paulus, et dicit : « Christus nos » redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictus, quia scriptum est : Maledictus omnis qui pependit » in ligno (d). » Et iterum : « Si Deus pro nobis, quis » contra nos (e)? Si Deus Filio suo[5] non pepercit, sed pro » nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum » illo omnia nobis condonavit (f). » Cur Deus Filio non pepercit, quæritis; quia Deus in Filio revicturo non timuit orbitatem. Majestas enim perpetua nec occiditur, nec finitur. Sed quia Filius Dei neque senescere, neque mori naturaliter possit[6], occisus est, ut mortali corpore solveretur; ludificata crudelitas facinus perdidit; nam revixit occisus.

IV. Videte nunc Filium Dei ab inferis resurgentem; gerit vulnera triduana, quibus possit agnosci; nam si velit, mortis aboleret notitiam; qui resurgere potuit, potuit et curari. Salutat Apostolos, salutatur, convescitur, gaudet se populum redemisse, quos venerat redempturus[7]. Redempti igitur, Fratres, nobiscum petite bona, quæ cupitis; cuncta nobis prospera tribuet suo sanguine liberatis.

SERMO XXIX.

De Pascha IX.

Hic Sermo conflatur ex plurimis sententiis quæ reperiuntur tum in Tract. x *in Joan., tum in Libro de diversis Quæstionibus, n.* 56, *et ex Lib. de Trinitate* iv, *cap.* v, *n.* 9. *Sed differt in pluribus ; unde cum legatur in codice authentico, nempe Cod.* xii, *fol.* 167, *non prætermittendus videtur, et quidem eo rationabilius exemplatur quod, cum eædem sententiæ repræsentantur duobus in locis a sancta Doctore, nihil obstat quin in tribus locis eas repræsentaverit. Nemo enim nescit oratorem in loquendo sæpius redire ad ea quæ sæpius in conscribendo retractavit. Ponatur post præcedentem cum numero de Pascha* xiv.

SYNOPSIS.

I. Templum corpus Christi. II. Templum suscitatum a Patre sicut a Filio. III. Numerus quadraginta-sex annorum quatuor partes terræ indicat. IV. Numerus iste mysticus in Adam reperitur. V. Reperitur etiam in secundi Adam nativitate. VI. Conclusio.

I. In sancto Evangelio secundum Joannem scriptum legimus[8], et omnes novimus, quod in mirabilibus multis, quæ a Domino nostro Jesu Christo fiebant, invidentes Judæi dixerunt ad eum : « Quod signum ostendis nobis, » quia hæc facis (g)? » Respondit eis Dominus dicens : » Solvite templum hoc, et in tribus diebus suscitabo » illud. Et illi dixerunt : Quadraginta et sex annis » ædificatum est templum, et tu in tribus diebus suscitabis illud (h)? » Advertat charitas vestra, Fratres; Judæi carnales erant, carnaliter sapiebant. Ille loquebatur spiritualiter, illi carnaliter viventes, sapiebant carnaliter. Quis autem possit intelligere de quo templo dicebat? Numquid illi possent, qui in corde suo adversus eum iniqua consilia cogitabant? Sed non multum quærimus de hoc, quia Evangelista nobis aperuit de quo templo diceret? Nam cum eis Dominus dixisset : « Solvite templum hoc, et in tribus » diebus suscitabo illud; et illi responderunt : Quadraginta » et sex annis ædificatum est templum, et in tribus diebus » suscitabis illud (i)? » Secutus Evangelista exponit dicens: « Ille autem dicebat de templo corporis sui (j). » Ecce enim, jam quid Dominus dixerat manifestum est. Occisum Dominum a Judæis, post triduum resuscitatum, hoc omnibus nobis notum est. Et si Judæi ignorare se dicunt, quoniam foris sunt, nobis tamen apertum est, quia novimus in quem credimus. Ipsius enim templi destructionem, et reædificationem anniversaria solemnitate celebramus, quam nunc agimus. Sed forte hoc exigitur a nobis utrum habeat aliquod sacramentum, in quo ait : « Quadraginta et » sex annis ædificatum est templum. » Sunt quidem multa, quæ hinc dici possunt, sed quod breviter dici potest, et facile intelligi, hoc interim dicimus.

II. Novimus omnes, charissimi Fratres, Adam unum, et primum hominum fuisse, et ipsum esse in totum genus humanum, qui cum præceptum Dei transgrederetur, fractus est, et sparsus colligitur in nobis, et quasi conflatur in unum societate atque concordia spirituali, sed gemit pro nobis in quibus colligitur, quia per Christum Christianis innovatur. De ipso itaque Adam Christus venit, sed peccatum de Adam Christus non habuit. Venit Christus sine peccato, ut peccatum Adæ solveret in corpore suo, et ut redintegraret eum Christus ad imaginem et similitudinem suam, sicut eum ante formaverat. Ergo caro Christi de Adam, templum quod destruxerunt Judæi, et Dominus in triduo suscitavit illud. Resuscitavit enim Christus carnem suam, ut fortis, ut potens, ut Deus, ut Patri æqualis. Quomodo ergo dicit Apostolus : « Qui eum suscitavit » a mortuis (k). » De quo dicit? de Patre. Sic enim dicit Apostolus de Christo : « Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod, et Deus excitavit eum a mortuis, et dedit ei nomen, quod est super omne nomen (l). » Ergo resuscitabo eum; resuscitabit quis? Pater, cui dicit ipse Christus in Psalmo : « Resuscita me, et reddam illis (m). » Ergo Pater eum

(a) I Cor. v, 7. — (b) Joan. I, 29. — (c) Id. III, 16. — (d) Gal. III, 13. — (e) Rom. VIII, 31. — (f) Ibid. 32. — (g) Joan. II, 18. — (h) Ibid. 19. — (i) Ibid. 20. — (j) Ibid. II, 21. — (k) Rom. IV, 24; I Cor. VI, 14 et seqq. — (l) Philip. II, 8, 9. — (m) Psal. XL, 11.

[1] Codex, amanuensis evidenti errore, habet : *Edenti de quo.* — [2] Codex male : *Filium.* — [3] Id est : Funderetur ad satisfaciendum hominis sine fine morientis debita, et nihilominus ejusdem crimine funderetur, ut homo fuerit et deicida, et redemptus. — [4] Hæc videntur abundare. — [5] Codex male *Filium suum.* — [6] Ita Codex, qui melius habuisset *potest.* — [7] Vide Serm. LXXXVIII, n. 2, et CCXLII. n. 1. — [8] Vide Tract. x in Joan. et Lib. de diversis Quæstionibus, n. 58.

resuscitavit, non ipse se. Non infirmetur in hoc intellectus fidelium, Fratres. Quid autem facit Pater sine Verbo, vel quid facit sine Unico suo? « Omnia per ipsum facta sunt, » et sine ipso factum est nihil (*a*). » Audi quia et ipse Deus erat, de quo dicit Apostolus : « Deus suscitavit eum a mortuis. » Audi quia, et ipse se ipsum resuscitavit. Audi. Dicat ipse Judæus, dicat quod superius dictum est : « Solvite templum istud, et in tribus diebus » Pater resuscitat illud. Sed quomodo eum suscitat Pater, et Filius suscitat, sic cum Filius suscitat, et Pater suscitat. Quia sic dixit ipse Filius : « Ego et Pater unum sumus (*b*); » et iterum : « Quæcumque enim facit Pater, hæc eadem et Filius facit similiter (*c*). »

III. Quid sibi vult numerus ille XL et VI annorum, de quo Judæi dixerunt, » Quadraginta et sex annis ædificatum est templum. » Iterum ipse Adam quia per totum orbem terrarum est, cum jam diceremus, audistis; et ut plenius, et planius agnoscatis, audite. In quatuor litteris græcis quatuor verborum græcorum, Adam esse in toto mundo cognoscite; cum enim ista verba quatuor, quæ dicturus sum, scripseris, id est, nomina quatuor cardinum mundi, Orientis, Occidentis, Aquilonis et Meridiani, in quibus positus est tòtus orbis; de quibus dicit Dominus : « A quatuor ventis coeli colligam electos meos (*d*); » et de quibus David ante cecinerat dicens : « Dicant qui redempti sunt » a Domino, quos redemit de manu inimici, ab Oriente et » Occasu, et Aquilone et Austro (*e*). » Si (quis) ergo ista faciat quatuor nomina in linguam græcam, dicit : Anathole, quod est Oriens; Dytis, quod est Occidens; Arctos, quod est Aquilo; Mesembria, quod est Meridies. Audi ergo quomodo faciant Adam : Anathole *A*; Dytis *D*; Arctos *A*; Mesembria *M*. Capita ego istorum verborum attende; Adam invenies; et quoniam de carne ipsius Adam Christus carnem suscepit, quam in cruce confixit, hoc est templum de quo dixit : « In triduo suscitabo illud; et Judæi dixerunt : » XL et VI annis ædificatum est templum, et in triduo » suscitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis » sui. »

IV. Jam ergo inveniamus, et numerum istum XL et VI annorum, quomodo ipsi Adam faciant. Iste enim numerus in magno sacramento est positus, quia non tantum ipsius primi hominis nomen, quod est Adam, significat, verumetiam secundi hominis Christi, quomodo sit conceptus in utero Virginis, usque ad tempòra partus manifestat. Ergo primi hominis nomen Adam; in hoc numerum quæramus. Græci secundum suam doctrinam ad litteras numerum computant, et ponunt dicentes: Alpha Α, quod est unum; cum autem in numeris scribunt Beta Β, hoc dicunt duo; ubi scribunt Γ vocatur in numeris ipsorum tria; et cum scribunt Δ, in numeris dicunt quatuor. Et sic per omnes litteras numeros habent. Ubi vero dicunt Μ quadraginta significat; dicunt Μ tessaraconta. Jam videte has litteras quem numerum habeant, et ibi invenietis Adam. Habet enim Adam A (alpha) quod est unum; ecce unum; habet et Δ (delta), quod sunt quatuor; super unum quatuor faciunt quinque; habet iterum A (alpha) quod est unum, ecce sex. Habet et Μ (mo) quod est quadraginta; ecce Adam in numero, quadraginta et VI annorum, in quo ædificatum est templum.

V. Et quoniam Dominus noster Jesus Christus de Adam corpus accepit, non de Adam peccatum traxit, templum corporis inde sumpsit, non iniquitatem quæ in illo fuit. Ipsa autem caro[1], quam traxit de Adam, Maria fuit, et Domini caro de Maria processit. Ipsam carnem Judæi crucifixerunt, et eam Dominus post triduum suscitavit. Hoc ergo est, quod illi « Solverunt templum (quod) XL et VI » annis ædificatum est, et ille in triduo suscitavit illud. » Nam et corporalem ipsum confectum, qui in materno utero plasmatur, ita se habere medicinalis auctoritas docet; in XL et VI diebus impletis, formatum esse corpus in utero matris, id est VII, VIII et XII, et XVIII. Ita ut septem diebus quasi lactis habeat similitudinem; sequentibus novem diebus convertatur in sanguinem; deinde duodecim diebus solidetur; reliquis vero decem et octo formetur omne corpus per diversa lineamenta membrorum; et hinc jam reliquo tempore usque ad tempora partus magnitudine corpus[2] augetur. Hi vero quadraginta dies qui significati sunt, dum fuerint multiplicati per senarium numerum propter sex ætates hominum, id est, infantiam, pueritiam, adolescentiam, juventutem, ætatem mediam, et senectutem decrepitam[3]; (sexies ergo quadragies sexies fiunt omnes dies ducenti septuaginta et sex; hoc est novem menses et dies sex, qui computantur sic ex die octavo Kalendas aprilium, qua die conceptus est Dominus, in qua et passus est, usque ad octavum Kalendarum januariarum, in quo die natus est,) memorata summa dierum ducentorum septuaginta sex completur. Non ergo incongrue XL et VI annis dicitur fabricatum esse templum, quod ejus corpus significabat, ut quot anni fuerunt in ædificatione templi, tot dies fuerint in plasmatione corporis Domini nostri Jesu Christi.

VI. Ecce unde dictum est : » Solvite templum hoc, et » in triduo suscitabo illud. Et illi dixerunt XL et VI » annis ædificatum est templum, et tu in triduo suscitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis sui. » Benedicimus Dominum Deum nostrum, qui sacramenta abscondita revelare dignatur servis suis. Sit ergo gaudium nostrum semper in humilitate cordis, ut mercedem ab ipso accipere mereamur regni cœlestis.

SERMO XXX.

De Pascha X.

Legitur in Cod. Cass. XII, *fol.* 175, *sine nomine quidem, sed in hoc manuscripto quod totum fere S. Augustinum repræsentat; unde sancto Doctori minime videtur abnegandus. Ponatur post præcedentem cum numero de Pascha* XV.

SYNOPSIS.

I. Paschæ significatio. II. Christus pro peccato mortuus ad satisfaciendum suæ justitiæ. III. Pascha, transitus Christi ad cœlum a nobis imitandus: dandi filii ei qui Filium dedit.

I. Pascha, Fratres dilecti, quidam græcum putant esse sermonem, id est, a passione[4]; non ita est. Pascha, sive Phase, quod neque alio nomine hoc ipsum Pascha Scriptura commemorat, uterque hic brevis sermo in latino transitus sonat. Idcirco autem transitus, quod hac nocte præterita, Dominus per Ægyptum transierit, quando Ægyptiorum primogenita universa percussit[5]; commemorante eodem Domino, atque dicente : » Et transibo » per terram Ægypti, percutiamque omnem primogenitum in terra Ægypti (*f*). » Nos tamen illud interius Pascha, hoc est, illum magis transitum colimus, quod Do-

(*a*) Joan. I, 3. — (*b*) Id. X, 30. — (*c*) Id. V, 19. — (*d*) Matth. XXIV, 31. — (*e*) Psal. CVI, 2, 3. — (*f*) Gen. XII, 12.

[1] Codex male : *Ipsam autem carnem.* — [2] Id. *magnitudinem*; manifesti deest in Editis de diversis Quæstionibus, Quæst. LVI, habet *magnitudine* sine verbo *corpus.* — [3] Codex male : *Juventus, ætas media, et senectus decrepita.* — [4] Vide Enarrat. sive Serm. I in Psal. LXVIII, n. 2. Serm. vel Enarrat. in Psal. CXI, n. 6. — [5] Vide Tract. LV in Joan. n. 1.

minus et Salvator noster nocte hac post passionem de morte ad vitam, de infernis ad superna transiit, dum resurgit[1]. Et vere transitus hic magnus atque mirandus est, quia[2] Salvator noster mortem, quam voluntate susceperat Divinitate calcavit; quod quidem ante prædixerat, dicens. « Potestatem habeo ponendi animam meam, et » potestatem habeo iterum sumendi eam (*a*). » Ita enim placuit imperspicabili providentiæ et misericordiæ Dei, ut per mortem indebitam corporis Christi nos a morte peccatis debita solveremur.

II. Solent esse quidam infidelium qui proponunt : Quid necesse fuit, ut Dominus pro homine pateretur? quasi liberare hominem præcepto pro sua potestate non potuit. Non parva quæstio, Fratres charissimi, apud hæc orantes; sed attendite, obsecro, dum paucis, Domino donante, ista dissolvimus. In principio peccaverat homo Dei præcepta transgressus; traditus fuerat post peccatum morti lege peccati, nec injuste; sciens utique adversario consenserat, voluntarie jussis[3] inimici manus dederat. Hunc hominem diabolus jure velut captivum tenebat, ex quo prævaricatus fuerat; per damnationem mortis eum non immerito possidebat. « Regnabat enim, sicut scriptum » est, mors ab Adam (*b*). » Deus autem noster, qui sicut potens, ita et in omnibus verax est, qui nec contra diabolum quidem sine justitia judicandum putavit, cum hominem ab eo vellet auferre, non virtute cum eo agere voluit, sed veritate, nec inique ab eo hunc quem reposcebat rapere, et quasi per vim extorquere. Obtinuerat enim hominem, et possidebat; dandum erat pretium pro captivo. Cætero indigna res, Fratres, si quem diabolus juste occupaverat, hic a Deo auferri videretur injuste. Numquid non potuit jubendo hominem liberare? Sed illum ita liberasse potentiæ ejus erat, justitiæ non erat. Ille vero judex justus non considerat quid per imperium possit efficere, sed quid pro æquitate debeat judicare. Liberandus homo a diabolo erat, sed salva justitia liberandus. Factum est ergo ut justitiæ Dei fuit congruum; salvavit hominem non jubendo, sed redimendo. Assumpserat enim tam ineffabili æquitatis, quam pietatis mysterio, verum hominem et veram carnem Dominus Deus noster[4], ut recte homo hominem redimeret, dum caro pro carne pateretur. Et idcirco venerat in similitudine carnis peccati, ut per crucem solvendo, quod peccaverat, jure peccatum carnis aboleret. Actor[5] sæculi istius, qui plus petierit, quam debetur, omnem repetitionis causam perdere dicitur; nam, ut verbis ipsius loquar, dicitur plus petendi periculum incurrisse. Non immerito secundum hoc aliquid et de diabolo dici potest. Homo eidem debebatur; Deum petiit, causa cecidit; dum plus petit, periculum diabolus incurrit. Juste itaque, Fratres, reum amisit[6], qui invaserat innocentem; juste quem quæsivit innoxium, perdidit criminosum. Amisit ergo quod jure retinebat, dum appetit, quod non licebat : rediit nequitia in auctorem suum. Sæviendo in eum quem obtinere non poterat, quod tenebat perdidit, nec quod quærebat invenit; invaserat servum, manus quoque intendebat in Dominum : recte dum utrumque quærit, in utroque nihil profecit. Evasit enim servus, dum redimitur; vicit Dominus, dum resurgit.

III. Transitus est quod hodie celebramus, quia hodie Christus Jesus cum mortem profugaret, vivus apparuit; et nitamur et nos cum eo resurgente consurgere. Ideo enim descendit ad nos, ut nos cum eo ascenderemus. Ille assumptum hominem potentia sua evexit ad cœlum, ut nos a sæculi actibus fide ac spe ad superna rapiamur. Idcirco ille inferna penetravit, ut redimeremur; idcirco ad superna transiit, ut sequeremur. Scriptum est : « Caput » viri Christus est (*c*). » Deus ergo ille caput nostrum est; nos corpus ejus sumus; non divellamur a nostro patre; qua nos secum trahit, qua in cœlum jam processimus capite, sequamur et corpore. Quapropter gloriatur homo, cum interdum filios vel filias Deo offerimus, cum pro nobis Filium suum Dominus noster Deus obtulerit? Nos aliquoties vix dare illi contenti sumus e multis unum, ille pro nobis dedit Unicum : nos Deo filios commendare cunctamur, et ille pro nobis Unigenito non pepercit. « Quid » dignum retribuemus Domino pro omnibus quæ retri- » buit nobis (*d*)? Quid[7] dignum retribuemus, » etiamsi filios offeramus? Ille pro nobis Filium obtulit, ut moreretur; nos vero Deo offerimus ut vivant. Salvator noster, Dei Patris imperio, Dei Patris paruit voluntati.

SERMO XXXI.

De Pascha XI.

Eruitur ex Cod. Cass. XII, *fol.* 165, *cum sancti Doctoris nomine. Nihil in contextu occurrit, quod ab hoc titulo possit nos deterrere. Ponatur post Sermonem præcedentem cum numero de Pascha* XVI.

SYNOPSIS.

I. De Paschæ nomine et ratione. II. Christus agnus Dei pro salute nostra occisus. III. Crura Christi non fracta; Christus pro Adam mortuus.

I. Parricidale hoc sacrificium est, si patris filius immolatur; parricidale revera, nisi ideo Christus occisus est, ut esset tertia die victurus. Dum ergo immortalis occisus est, quid hic Patri detractum est, qui Filio non crevit occiso[8]? Humanum corpus exposuit, resurrexit ut Deus. Novatio ista, non pœna est, cum talis Christus ab inferis remeat, qui jam non possit occidi. Audi hoc et disce quid feceris, Gens incredula Judæorum : in Filio Dei, qui vivus est, homicidium perdidisti[9]. Vos autem, fidelissimi Christiani, quos Pascha non decet quærere, sed timere, audite mysterium paschalisque nominis rationem. Hebraïce Pascha dicitur transitus, græco vero nomine passio interpretatur. Judæi Pascha solum transitum colunt, quo majores eorum ex Ægypto liberati mare sub pedibus corporatum siccis in fluctibus transierunt : nos vero et transitum colimus, et Domini Christi passionem. Sicut enim transitus populi pedibus factus[10] captivorum redemptio fuit, ita passio Christi est redemptio peccatorum. Hanc ergo diem Dominus fecit esse solemnem, quo in ejus honorem, ac votis Judæis agnus innocens mactaretur.

II. Proh nefas! jam in pectore meditata solemnitas jugulandi! dum hæc annualiter renovant, Filium Dei perpetuo religiosi carnifices occidunt, recteque hic se fecisse confirmant. Quoniam per Prophetas Christus agnus est appellatus. Joannes namque cum Dominum Christum vidisset in terris, hoc eum nomine nuncupavit[11] : « Ecce » Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi (*e*); » hoc est aperte dicere : Hic est agnus ille paschalis. Isaïas de illo sic prophetaverat sæculis, prius quam carnaliter nasceretur : « Sicut agnus coram tondente obmutescet, sic non ape-

(*a*) Joan. x, 18. — (*b*) Rom. v, 14. — (*c*) 1 Cor. xi, 3. — (*d*) Psal. cxv, 12. — (*e*) Joan. i, 29.

[1] Vide Epist. lv, ad Januarium n. 12. — [2] Codex male *quam*. — [3] Id. *jus se*. — [4] Codex male *non*, puto pro *noster*. — [5] Cod. *aptus*. — [6] Cod. male *admisit*. — [7] Vide Enarrat. in Psal. cxxxix, n. 2, et Serm. cxxxvii, n. 2. — [8] Codex male *qui Filio non crevit occisum*. Forte *non caruit*. — [9] Vide Serm. sive Enarrat. in Psal. lxviii, n. 2; in Psal. cxx, n. 6. Tract. in Joan. lv, et alibi. — [10] Codex *transitum*, ... *tractum*. — [11] Vide Tract. lv, in Joan. n. 4.

» ruit os suum (*a*). » Revera in passione sic tacuit, cum a populis in cruce laniaretur. Dixerat de solemnitate paschali, sed dixerat per figuram; omoe namque mysterium sic populis panditur, ut habeant et secretum. Dixerat, inquam : « Ovis sine macula, masculus, annicu» lus [1] erit vobis; de agnis et hædis accipietis eum, et » erit vobis observatus usque in quadragesima die men» sis hujus, et occidet cum omnis populus synagogæ filio» rum ad vesperam, et accipient de sanguine ejus (*b*). » Nos ipsum Christi sanguinem accipimus, quo se ipsi carnifices cum sententia [2] perfuderunt, hoc se verbo damnantes : « Saoguis hujus super nos et soper filios nostros (*c*). »

III. Dixerat iterum Deus : « Ossa ejus non confringen» tur (*d*). » Servavit Deus credulitatis fidem; nam cum pedes latronum, quos crucifixerant, frangerint, crura Christi minime confregerunt. Non hic error, aut casus est, aot eventus; disposite peccat, qui servat in scelere disciplinam. Agendom nobis dicendo utique, unde victima dictus est Christus. Primus bomo Adam, id est primitiæ nostri peccati [3], sub Dei vindicis maledicto apud inferos fuit Christi sanguine redimendus, ut caro carnem, crux arborem, verus etiam Virginis Filius mulieris complicem redimeret [4]. Inde est Filius Dei pro reo innócens, pro homine Christus occisus, qui posset pro altero sine suæ vitæ periculo occidi. Nihil igitur mortuus est in ambobus, nisi caro peccatrix, cujus vitæ scilicet meruit caro sacra suffigi. Cum igitur, hominis pro reatu, Christi corpus reparabile occisum est, non tam Christus occisus, sed erectus [5].

SERMO XXXII.

De Pascha XII.

Extrahitur ex Codice Cass. xu *in Redditione Symboli, cum nomine S. Augustini, cui recte tribuendus. Locus ejus post præcedentem cum numero de Pascha* xvii.

SYNOPSIS.

I. Credendum in Patrem et Filium, utpote unum Deum. II. Christi Nativitas de Virgine potius creditur quam paganorum commenta. III. Christi Nativitas ex nativitate illæsa. IV. Pilati et Judæorum perversitas. V. Christus in Resurrectione mortis et diaboli victor.

I. Est fidei nostræ, vel hujus sanctæ et venerabilis Paschæ læta festivitas, quam fecit ex Virgine in homine assumpto Christi carnata majestas. Hæc, Fratres, de Christo fides est nostra, qua peregit cuncta mysteria, « Si» cut fortis gigas ad currendam viam (*e*) [6]. » Nam de Deo Patre omnipotente « Creatore universorum, Rege » omnium sæculorom, immortali et invisibili Deo (*f*) [7], » non sensu, non sermone, non aliquibus grammaticorum calculis posset [8] aliquando humanus intellectus aliquid explicare, de quo in cœlis credimus Filium ineffabiliter generatum, et in novissima mundi pro salute generis humani de Spiritu sancto ex virgine Maria in terris singulariter natum. Tu vero, Christiane, crede primo omnipotentem Patrem; crede sine initio, sine fine; crede quia Filium in cœlis generavit, ut voluit, talem qualem se, omnipotentem, sine initio, sine fine; crede utpote [9] qui omnium teneat potentatum [10] in cœlo et in terra, quia cum Patre ipse fecit cœlum et terram, sicut ipse per Salomonem dicit : « Cum pararet cœlum eram cum illo (*g*); » et crede etiam [11] Patrem et Filium esse unum Deum; sicut ipse in Evangelio dicit : « Ego, et Pater unum sumus (*h*). » Sic discutientes credamus et in Jesum Christum Dominum nostrum natum de Spiritu sancto ex virgine Maria.

II. Qualis ergo sit Christus a Patre generatus non dicitur; qualis sit autem generatus in terra de Matre, quantum ipse dederit, loquimur. Natus est, inquam, de Spiritu sancto ex utero Virginis; sed huic nativitati contradicunt increduli, infideles obsistunt plerumque pagani, qui ridere nos solent, cum audiunt partum Virginis a nobis manifestissime prædicari. Sed si sua, quæ colunt, vana discutiant, nunquam nostra, quæ vera sunt, et integra ridere audebunt. Illi enim Minervam suam de cerebro Jovis asseruere natam [12]; Venerem etiam, quam Aphroditem vocant, de spuma maris dicunt esse progenitam. Et utique facilius est credendum, quod fœmina adolescentula virgo divinum germen Spiritus sancti obumbratione concepit, quam illud, quod pagani asserunt, Venerem, quia de spuma maris corpus accepit, et Minervam dicunt quia de cerebro suo Jovis [13] generavit. O pagani insensati, et miserrimi, si illis vanis assertionibus vestris creditis, cur de nostris fidelibus et sanctis prædicationibus dubitatis? Quod ergo de monstruosis, et portentis vestris ita creditis, quare non virtute Dei vivi quærentes facilius invenitis? Ecce nos virtute Dei nostri ostendimus Virginem concipere posse, et generare. Unde accipite pauca, quæ omnibus nota sunt et manifesta [14]. Apes novimus fœtum edere, et conjugia non habere. Si ergo apem credis esse matrem et virginem, cur non credis Mariam sanctam fœtum sine corruptione proferre? Ergo nemo dubitet natum Christum de Spiritu sancto et virgine Maria, quod ab Angelis nuntiatum credidit universa humana natura.

III. Sed jam cum aliquando convicti pagani erubescunt, addunt et dicunt : Possibile quidem fuit Deo, ut Virgo conciperet, et pareret, sed indignum videtur audire, quod tanta illa majestas per genitales fœminæ transitus pollutionis itinera pertransire voluerit [15], ubi quamvis nulla fuerit carnalis naturæ commixtio, fuit tamen Deo per illam transeunte carnalis pollutio. Audi, insipiens Homo, qui talia audes loqui de Deo; tu hæc de Creatore dicis ore temerario, nos formam creaturæ damus in mensuram [16], ut possit in te vanitatis tuæ conticescere sermo. Sol certe creatura est Salvatoris, de quo tu loqueris, qui transit per obscœna et sordida loca, in qua radium suæ lucis infulget et ipse nihil [17] ex his pollutionis inquinamentum assumit. Si ergo sol transiens per sordida loca, nullam sentit vel patitur contumeliam, quomodo tu Deo transeunti per Virginem castam, factam dicis esse injuriam? Accipite itaque de ipse solo adhuc aliam formam. Potest fieri ut aliquando aliqua arbor, habens in se splendorem solis, possit incidi. Cum ergo inciditur, non vides, quia ictum ferientis ferri primus splendor solis excipit, prius quam ad lignum pervenerit, et cum splendor ibi sit, splendor ipse nec potest incidi, nec aliquando poterit violari. Illud tamen lignum subjectum est incisioni, quod in præsenti videtur incidi. Ita et Christus et ligari potuit, et teneri potuit, et crucifigi potuit, et occidi; tamen in Christo divinitas Deitatis nullatenus potuit vitiari.

IV. Testis est Pilatus, qui sedit pro tribunali, et lotis

(*a*) Isai. liii, 7. — (*b*) Exod. xii, 5, 6. — (*c*) Matth. xxvii, 25. — (*d*) Exod. xii, 46. — (*e*) Psal. xviii, 6. — (*f*) I Tim. i, 17. — (*g*) Prov. viii, 27. — (*h*) Joan. x, 30.

[1] Codex male : *Masculum agniculum*. — [2] Id. *quod... cum sententiam*. — [3] Id. *nostris peccatis*. — [4] Cod. *redemisset temporis errore*. — [5] Cod. male *rectus*. — [6] Vide Serm. ccxv, n. 2. — [7] Codex male *immortalem et invincibilem Deum*. — [8] Ibid. *arculis possit*. — [9] Forte *filium*. — [10] Codex male *potentum*. — [11] Id. *credentes*. — [12] Vide lib. xx contra Faustum cap. 9, Epist. xvii, ad Maximum Madaurensem, et de Civitate Dei, lib. iv, cap. 10, et lib. xviii, cap. 8. — [13] *Jovis* nominativo pro *Jupiter*. Vide de Civitate Dei, lib. xx, cap. 12. — [14] Vide lib. iii, de Trinitate, n. 13. — [15] Deest in Cod. *voluerit*, quod requirit sensus. — [16] Cod. sine sensu *immensio*. — [17] *Nihil* pro *nullum*.

manibus ait : « Mundus sum ego a sanguine hujus, vos » videritis (a) ; » tamen Judæis clamantibus : « Crucifi- » gatur (b), » flagellis cæsum tradidit crucifigendum. O judicium perversum ! Sedet reus, et stat Deus, jubet Pilatus, et crucifigitur Christus. O populus Judæorum ! O qui te dicis esse hæreditas Dei ! « O vinea Domini Sa- » baoth, quæ non uvas, sed spinas et tribulos protu- » listi (c). » Imo ipsam uvam a Pilato suscepisti, et in prælo crucis tuis manibus expressiati. Hæc est illa uva, quæ expressa sanguinem fudit, et totum mundum suo cruore perfudit. Sed Christi sanguis in remissionem fusus est peccatorum, ut damnaretur contumelia Judæorum. Veni ergo, Judæe, veni ad Ecclesiam Christi; bibe sanguinem, quem fudisti, et dele facinus, quod fecisti. Nolite timere, quia cruci affixistis Dominum Christum : ad hoc ille venit, ut sanguine suo redimat totum mundum. Cui si credideritis, potestis, et vos, Judæi, indulgentiam accipere peccatorum. Nam cum ipso ligno, id est cruce Christi non solum unius pomi arbor replantata est, quæ primo homini ingesserat mortem, sed totus denuo innovatus est Paradisus, quando introivit Latro ille, qui cum eo semel fuerat crucifixus.

V. O Mors, o Diabole, quid dicis? Quasi de victoria tua lætaris, quia Christum immortalem conspicis esse mortalem. Christum quem vides descendisse ad infernum, festinato pergit solvere vincula captivorum, et vacuum reddere in inferno dominium tuum, ut ipse, ut fortissimus gigas, qui te superavit in mundum, velox ad currendam viam penetraret et in infernum, ut et de manu tua eripiat, quos tenebas, et te ab eodem perpetuum damnari videas. Ecce jam tertia die resurrexit a mortuis, ut veram fidem, quam promiserat, redderet suis Discipulis, et omnibus in se credentibus manifestam tribuat gloriam regni cœlestis.

SERMO XXXIII.

De Pascha XIII ad Neophytos.

Hunc habemus ex Cod. Cass. XII, *fol.* 190. *Nomen, et doctrina et modus scribendi sanctum Augustinum denotant. Collocetur post præcedentem cum numero de Pascha* XVIII.

SYNOPSIS.

I. Cunctæ creaturæ, speciatimque Christiani invitantur ad celebrandam lætanter festivitatem Paschæ. II. Neophyti particulatim excitantur ad gratulandum Domino. III. Iidem ad perseverandum animantur. IV. Pie et honeste celebrandum Pascha; mysticæ interpretationes. V. Conclusio.

I. Dies ecce quem expectabamus illuxit nobis; beata festivitas, quam expectabamus advenit; sanctum Pascha, quod desiderabamus, Domino donante, suscepimus. Quid ergo nunc est, Charissimi, nisi ut tantæ solemnitatis lætitiam, tantumque divinæ dignationis beneficium summa puritate et gratulatione animorum, et optima conversatione morum, sanctissime ac devotissime celebremus? Lætantur plane hodie cœli simul ac terra; congaudent hominibus sancti Angeli, et omnis pene creatura rationalis[1] « Alle- » luya, » id est, Laudate Dominum, resonat. Nos quoque dicamus concorditer ac sapienter : « Magnus Dominus, et » laudabilis nimis (d). Magnus vere Dominus, et magna » virtus ejus et sapientiæ ejus non est numerus (e). » Quis enim facile vel enumerare, vel digne poterit explicare diei istius sacramenta? Quem devicto Dominus diabolo, mortisque dominatu compresso, per Resurrectionis suæ gloriam mirabiliter illustravit, cumque nobis in solemnitate salutis perpetuæ dedicavit. Quid itaque, Charissimi, hac festivitate potest esse jucundius? Quid hoc die felicius[2]? Quid hoc mysterio sacratius? Quid hoc sacramento mirabilius? « Hic est nimirum dies quem fecit Dominus; exultemus » et lætemur in eo (f). » Hic dies est inchoationis nostræ, diesque reparationis nostræ, dies vivificationis nostræ, dies redemptionis nostræ, dies sanctificationis nostræ[3], dies postremo illuminationis nostræ. « Eramus enim ali- » quando tenebræ, nunc autem lux in Domino (g). » Eramus quondam captivi diaboli, sed nunc confitemur et dicimus Domino : « Quia redempti sumus de manu ini- » mici, ac de regionibus congregati (h). »

II. Vobis etiam et in vobis, o novi Homines, sententia ista vel maxime congruit, qui et veste et mente præ cæteris nunc in Ecclesia candidi apparetis. Vos estis « Neo- » phyti, » id est, novella plantatio[4], quos cœlestis Pater dono sancti Spiritus per Jesum Christum Salvatorem nostrum abluere, ac sanctificare, et novæ vitæ informatione, in terræ[5] salutis plantario collocare dignatus est. Videant nunc vos fideles Dei et Christi, spirituales » Pauperes, ac » lætentur (i), et exultent quoque filiæ Judæ (j), » id est, confitentes Deo animæ, quia « Fecit nobis magna qui po- » tens est (k). » Hæc sunt plane, hæc sunt « Magna in nos » opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus (l). » Vos estis nunc omnium contemplantium, gratia Dei, purissimum speculum. Quisquis prudenter consideraverit, aut de similitudine conservati in se muneris gratulabitur, aut de accepti tanti pignoris damno salubriter compunctus admonebitur. Illi quoque, qui necdum singulare istud ac præcipuum salutis donum consecuti sunt, exemplo vestro incitabuntur ad inquirendum, atque adipiscendum. « Con- » firmet ergo Dominus hoc quod operatus est in vobis (m), » et cæteris omnibus, largam misericordiam suam tribuens, prout cuique novit esse necessarium.

III. Vos tamen, Charissimi, quos tota nunc omnium nostrum gratulatio concelebrat et miratur, de quibus etiam rectissime dictum creditur : « Hic dies quem fecit Do- » minus[6]; vocavit enim Deus lucem diem (n); » vos, inquam, o Dilectissimi, tenete fortiter quod accepistis. Sacramenta christianæ religionis in vobis plenissime consummata sunt. Æterno et cœlesti Regi jam militare cœpistis. State nunc viriliter contra omnes insidias inimici, quia ille profecto « Coronabitur qui legitime decertave- » rit (o). » In commune vero universi monentem Apostolum audiamus : « Omnes, inquit, vos filii lucis estis et filii » diei, non sumus noctis neque tenebrarum (p). » Igitur in tam solemni luce[7], tamque claro sanctificationis tempore « Non dormiamus » somno peccati, sed « Vigilemus » ad omne opus bonum; « Simusque sobrii » et mente et corpore. Ambulemus sicut filii lucis. « Fructus autem lucis est in » omni bonitate, et justitia et veritate (q). Epulemur sanc- » tum Pascha non in fermento veteri malitiæ et nequitiæ, » sed in azymis sinceritatis et veritatis (r). » Festivitas enim hæc magna spiritualis in nobis est Verbi Dei, et Salvatoris nostri, qui « In principio apud Patrem Deus Verbum » erat, et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, » et ecce vidimus et credimus gloriam ejus (s), » qui cum sit Unigenitus Patris, dignatus est tamen habere consortes.

(a) Matth. XXVII, 24. — (b) Ibid. 23. — (c) Isai. V, 4. — (d) Psal. XLVII, 1. — (e) Id. CXLVI, 5. — (f) Id. CXVII, 24. — (g) Ephes. V, 8. — (h) Psal. CVI, 2. — (i) Id. LXVIII, 33. — (j) Id. XLVII, 12. — (k) Luc. I, 49. — (l) Psal. CX, 2. — (m) Id. LXVII, 29. — (n) Gen. I, 5. — (o) 2 Tim. II, 5. — (p) 1 Thessal. V, 5. — (q) Ibid. 9. — (r) 1 Cor. V, 8. — (s) Joan. I, 1-14.

[1] Vide Serm. CLV, n. 3. — [2] Cod. variat semper circa genus substantivi *dies* dicens modo *hic*, modo *hæc*; omnia ad unitatem reduximus. — [3] Vide Serm. CCXXV, n. 4. — [4] Id. CCXXXVI, n. 3. — [5] Codex male *internæ*. — [6] Vide Serm. CCXXVI. — [7] Id. CCXXII, et CCXXIII.

O mira et ineffabilis pietas! Qui dudum eramus servi inutiles, Domini nostri fratres, et cohæredes ipsius vocari jam et esse meruimus.

IV. Nihil ergo carnale, nihil indignum in tanta divinæ gratiæ lætitia perpetremus. Indecorum quippe ac perniciosum est sub occasione festivitatis ita indulgere refectioni corpusculi, ut notanda aliqua ac turpis subrepat animæ negligentia. Sint itaque feriæ nostræ honestæ; sint Deo placitæ, et juxta Apostolum: « Omnia nostra honeste » ac secundum ordinem fiant (*a*); et sive manducamus, » sive bibimus, sive aliud quid facimus, omnia in nomine » Domini nostri Jesu Christi faciamus (*b*); » per quem nobis hodiernus dies exordio vel cursu temporum primus est institutus, et in solemnitatibus præcipue electus, et mysteriis multipliciter consecratus[1]. Hæc namque dies est, et prima inter septem, et extra septem, hoc est, prima et octava; unde et quidam Psalmi mystice « Pro octava » in titulo superscripti sunt. Sub hujus numeri figura octo animæ servantur in arca Noë, quæ typum gerebat Ecclesiæ. Dominus quoque in Evangelio octo designat beatitudines, quibus eorum perfectio gloriosa describitur, qui superatis sæculi istius tentationibus, tanquam diluvii fluctibus, ad terram immortalitatis pervenient[2]. In hujus diei sacramenti numero Ecclesia nascitur, et Synagoga finitur. Judæi enim sabbatum, id est, septimum observare sibi videntur, legitimum diem nescientes miseri, neque credentes quod finis legis Christus sit, qui solus et legem implere potuit, et condidit omnem diem, et omnibus sanctis festivitatibus præfuit; hunc diem, quem etiam Dominicum merito appellamus, quia in eo Dominus ac Salvator noster ab inferis rediens, verum plane lumen, huic mundo resplenduit. Quem etsi Gentiles solis diem ignoranter vocant, nos tamen scientes intelligimus hunc esse solis illius diem, de quo scriptum est: « Ecce orietur vo» bis Sol justitiæ, in cujus pennis est sanitas (*c*). » Iste utique sol visibilis pennas habere non creditur, sed ille verus Sol, qui hujus etiam quem cernimus creator est, solus habet pennas illas divinæ virtutis et protectionis, de quibus dicitur: « Sicut aquila protegens nidum suum, » expandens alas suas, suscepit eos (*d*). » Et in Evangelio: « Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare » filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos » sub alis suis (*e*)? » Cui opportune ac salutifere fidelis quisque proclamat: « In umbra alarum tuarum sperabo, » donec transeat iniquitas (*f*). »

V. Proinde, Charissimi, quia impletum est illud quod in Psalmo prædictum est « Hosanna (*g*) », id est, o Domine, salvum me fac; et porta jam nobis salutis aperta est, de qua dicitur: « Hæc porta Domini, justi intrabunt per » eam (*h*); » intremus portam Ecclesiæ in omni sinceritate et veritate, ut per hanc confessionis et laudationis celeberrimam portam, intremus etiam in Paradisi regna, quæ est cœlorum porta, ubi perpetua Dei nostri laude fruentes « Non confundemur cum loquemur in porta (*i*) Christo Jesu Domino nostro, qui dicit: « Ego sum ostium, » per me si quis intraverit, salvabitur (*j*). » Per hunc omnes sancti ingressi sunt et intrant quotidie ad Patrem vitæ æternæ, cui cum ipso et sancto Spiritu honor et gloria est per cuncta secula sæculorum[3]. Amen.

SERMO XXXIV.

De Pascha XIV ad Neophytos.

Sermo hic magni momenti, et nulla ratione sancto Augustino abnegandus. Eruitur e Cod. Cass. xii, *fol.* 152. *Ejus locus post præcedentem cum numera de Pascha* xix.

SYNOPSIS.

I. Disputationem de Sacramentis jamdudum promissam B. Augustinus neophytorum gratia incipit. II. Sacrificium novæ legis in locum hostiarum antiquarum venit. III. De sacramento Corporis et Sanguinis Christi dicturus, docet animum attractione divina indigere. IV. Christus est panis vivus, et panis vitæ. V. Christo proponenti Corpus suum in cibum, et Sanguinem in potum ad procurandam animæ vitam æternam credendum est. VI. Pluribus satisfit quæstionibus, et primo ad monstrandum hujus materiæ opportunitatem, Baptismi materia in comparationem adducitur et fusius explicatur. VII. Panis et vinum in signum unionis inter fideles, ad sacramentum a Christo adoptata sunt. VIII. Christus in sacramento dat vere Corpus et Sanguinem suum, sub specie tamen panis et vini, ne fastidium aut repugnantiam excitet. IX. Christo gratiæ agendæ pro dono Corporis sui, fidesque simul adhibenda, cum tam potens sit vinum in Sanguinem suum, quam aquam in vinum convertere. X. Nullus ergo peccator ad sacramentum accedat, quin fuerit prius Deo reconciliatus.

I. Neophytis debita informatione constringimur ne amplius disputationem[4], quam de sacramentis spopondimus, differamus. Equidem, Dilectissimi, magnum disputationis istius pondus declinare mediocritati nostræ tutissimum putaremus, nisi e contrario periculum gravius instaret, si per desidiam ac neglectum sacerdotalis officii, rudimenta infantilis adhuc ignorantiæ deserantur. Itaque prout Dominus humilitatis nostræ sensibus dignatus fuerit infundere de sacramentorum ac sacrificiorum inenarrabili bono disputare conabimur. Offerant pro me preces vota credentium; offerant agnoscendæ veritatis desiderium corda dubitantium.

II. Audistis, Dilectissimi, prophetæ Malachiæ oraculo, veteris illius populi sacrificia voce Dei reprobata[5], cum dicit: « Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, et » sacrificium non accipiam de manu vestra (*k*). » Et quomodo homo consecrabitur Deo, si sacrificia tollantur, cum utique, ubi sacra desunt, sacrilegia succedant? Audi quid idem Propheta sub Dei voce subjungat: « Quoniam » a solis, inquit, ortu, usque ad occasum clarificabitur » nomen meum inter gentes, et in omni loco sacrificabi» tur et offeretur nomini meo oblatio munda (*l*). » Non ergo tolluntur sacrificia, sed sacrificia cruenta tolluntur. Unius siquidem populi reprobatur hostia, et a solis ortu usque ad occasum oblatio inter gentes munda suscipitur. Longum est nunc ostendere illam legis victimam in agno illo immaculati velleris et anniculæ perfectionis, Christi imaginem prætulisse, multaque alia, quibus nihil aliud quam sacramenta dominicæ passionis continentur.

III. Transeundum est ad Evangelia, et id agendum, ut qui recenti baptismo ex aqua et Spiritu, æternæ vitæ principia sumpserunt, Corpore et Sanguine Domini Salvatoris vitam se possidere non dubitent. Audite ergo, Dilectissimi, auribus obedientibus, nec speretis quemquam a me ad Christum trahi posse, quem Christus ad Patrem,

(*a*) 1 Cor. xiv, 40. — (*b*) Id. x, 31. — (*c*) Malach. iv, 2. — (*d*) Deut. xxxii, 2. — (*e*) Matth. xxiii, 37. — (*f*) Psal. lvi, 2. — (*g*) Id. cxvii, 25. — (*h*) Id. cxvii, 20. — (*i*) Id. cxxvi, 5. — (*j*) Joan. x, 9. (*k*) Malach. i, 10, 11. — (*l*) Ibid.

1 De feriis Paschalibus, seu de diebus Ferialis vide annotationem Editionis Maur. ad Serm. cclix, tom. v, p. 1063. — 2 Vide Serm. clxx in Append. Maur. — 3 Vide Hieron. in Expositione super Matth. cap. xxi. — 4 De disputatione sacramentorum vide Sermonem cccxxvii. — 5 Vide Enarrat. in Psal. cvi, n. 13.

aut quem ad Christum Pater[1] non attraxerit, qui dixit. « Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, » traxerit eum (*a*): » traxerit, inquit, non invitum ac potestate, sed amantem, desiderio et charitate. Trahit enim, Dilectissimi, non minus interdum voluptas aliqua vel necessitas[2]. Habet anima delectamentum suum quo trahitur; habet Christi dilectio vinculum, quo qui illigantur criminibus, absolvuntur, et innocentiæ merito usque ad Patrem pertrahuntur. Ergo quem diligis sequeris, et ab eo, quem avide sequeris, quodam modo traheris. Sic ergo ad Christum Pater, sic ad Patrem Christus dilectores suos pertrahit. Tantum est ut ei, quem diligis, illum prophetiam dicas: « Ego autem non laboravi sequens post » te (*b*); » id est, in eis, quæ ad vitam pertinent, non laboravi curiositate inquirendi, sed requievi sequens securitate credendi.

IV. Tunc audies libens et[3] gaudens salutem tuam et vitam tuam, dicente Christo[4]. « Ego sum panis vitæ (*c*). » Est enim vere panis vitæ, sed eis qui fide vivunt, sicut scriptum est: « Justus autem ex fide vivit (*d*). » Audi ergo et crede dicenti: « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descen» di (*e*). » Inde ergo panis est, et ideo panis vivus est, quia de cœlo descendit, ut quia per peccatum mors regnabat in terris, per panem vivum vita vivat et viveret e cœlis[5]. Magna siquidem subtilitas discretionis est inter panem vivum et panem vitæ; et talis quantum puto, ut panis vivus vitam habeat, panis autem vitæ vitam sumentibus afferre videatur. Denique hoc ipse subjungit. Nam cum dixisset: « Ego sum panis vivus qui de cœlo des» cendi, » addidit: « Si quis manducaverit de hoc pane, » vivet in æternum (*f*), » ut æternam vitam, quam in se habebat, his qui se sumpturi essent, attulisse videatur.

V. Hic jam subjungitur illud, de quo Judæis litigandi inter se invicem causa consurgit, quod ait: « Panis, quem » ego dabo, caro mea est pro hujus mundi vita (*g*). » Hinc enim ille laboriosus atque difficilis dormitantium et oscitantium in fide tepor[6] nascatur, eorum videlicet, qui prius volunt intelligere quam credere; cum eis se opponat justo judicio manus divinæ majestatis, quæ scriptis suæ legis inseruit: « Nisi credideritis, non intelligetis (*h*). » Credendum est enim, ut possit intelligi, quidquid Salvator noster docoit aut tradidit; qoia credentem præmium intelligendi, non credentem error ignorantiæ consequitur. » Panis, inquit, » quem ego dabo, caro mea est pro mondi vita. » Non est hinc litigandum, quod Judæi, audita inter se hac voce, fecerunt; sed credendum, quia Discipuli hunc cibum vitæ credendo meruerunt. Nemo dicat id quod Judæos dixisse Evangelista commemorat: « Quomodo potest » hic Carnem suam dare nobis ad manducandum (*i*). » Audiat potius, et cum tremore audiat: » Nisi manduca» veritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sangui» nem, non habebitis vitam in vobis (*j*). » Ergo sicut creditis Evangelium. « Nisi quis renatus fuerit ex aqua » et Spiritu (*k*), » et renasci, credendo, meruistis; in eodem Evangelio creditis: » Nisi manducaveritis Carnem » Filii hominis et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis » vitam in vobis. » Sed ne forte crederemus, Dilectissimi, hæc ad præsentem vitam esse referenda, et putaremus Christi Corpore absoluto a conditione communis istius mortis[7], qua anima a carne dirimitur, significanter addit, et dicit: « Et ego resuscitabo eum in novissimo die (*l*): » ut sacramenta Corporis et Sanguinis Domini ad æternam vitam intelligeremus esse referenda. Ergo sicut vita corporis anima est, ita animæ vita Deus est. Panis ergo animæ Christus est, sed nonnisi illius animæ quam fides pascit. Cum scandalizaret plurimos, non solum ex Judæis, verumetiam ex Discipulis, aliquos post verba sacramentorum recessisse ab eo Evangelista commemorat; adeo ut ipse post hæc Apostolis diceret: « Numquid et vos » vultis abire (*m*)? » Et respondeamus nos cum Petro apostolo: » Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ » habes; et nos credimus et cognovimus, quia tu es Chris» tus, Filius Dei (n). » Ergo quisquis agnovit Christum esse Filium Dei, plena fide æternæ vitæ verba suscipiat. « Audi, inquit Propheta, audi, Israël, et tace (*o*). » Et alibi: » Audite et auribus percipite, et nolite vos extol» lere, quia Dominus locutus est (*p*); » quid aliud admonens, quam ne quis extollatur opinionibus, cum se potius disputationibus debeat applicare divinis? sic ordinavit Creator tuus; sic voluit Redemptor tuus. « Num» quid dicit figmentum ei qui se finxit. Quid me finxisti » sic (*q*)? »

VI. Sed tamen permittamus ut aliquem quærendi locum habeat terrena sapientia. Quid est, in quo displicere in mysteriis suis possit Christus, qui est æterna Sapientia? Panis vitæ est fidelibus suis. Numquid displicet quod vult ex seipso pascere quos per se redemit? ad ipsam primitus originem fidelium revertamur. Ex aqua et Spiritu renascimur. Jam hoc ipsum, quod renascimur, quam investigabile, quam incomprehensibile est, nisi fide comprehendatur! Ex aqua et Spiritu renasci oportuit qui renascebantur in Spiritu, ut a sancto Spiritu originem traheret procreatio spiritualis. Sed forte aliquis quærit: Quare ex aqua? Hoc ipsum fortasse quæreres, si baptismatis mysterium alia quacumque materia constare voluisset. Sed si discutere dispositionem divinam licet, quid tam purum aut simplex ad reparationem nostram Spiritui sancto quam aqua potuit adjungi? de qua in principio statim scriptum est. « Spiritus Dei ferebatur super » aquas (*r*). » Revexit ergo libens ad salutem nostram Spiritus suam sedem. Quam multas autem in hac regeneratione species aqua continet! Primum quod mortificare et quasi abscondere a sæculo videtur, tegere et consepelire per baptismum quoscumque submergit. Deinde, post modum emergendo, quasi nascitur, qui mersus sub Trinitatis confessione concipitur, et quasi utero fontis absconditur ab aqua; in lucem[8] prodit, ut purificationem quam in corpora aquæ exercet elementum, etiam in animas, cooperante Spiritu, merito confessionis usurpet; et succedit unctio magnæ ac propheticæ dignitatis, quæ[9] cum suavi fragrantia, consecrata a Christo, infantium innocentium capita perfundit; omnes sub Christo capite, in regeneratione consecrat, ac Prophetas et reges facit[10] quoscumque perfundit. (Reges quidem[11],) quia se ipsos regere, et vitiis incipiunt imperare; Prophetas autem, quia et in præterito quæ gesta sunt fide conspiciunt, et in futurum. æternitatis beatitudinem quam credunt annuntiant. Ergo si placuit materia qua nascimur, multo magis oportet ut placeat illa qua vivimus. Prius quod sacramentum Corporis sui panem esse voluit, quod dignius vita. Deinde quod quos in membra sua (numeravit)[12] vivere cibo sui Corporis voluit, ne quod membrum alia forsitan membra despiceret, cum extra corpus esset, nisi cum membris omnibus conveniret.

(*a*) Joan. vi, 44. — (*b*) Jer. xvii, 16. — (*c*) Joan. v, 35. — (*d*) Rom. i, 17. — (*e*) Joan. vi, 51. — (*f*) Joan. vi, 51-58. — (*g*) Ibid. 51. — (*h*) Isai. vii, 9. — (*i*) Joan. vi, 52. — (*j*) Ibid. 53. — (*k*) Id. iii, 5. — (*l*) Id. vi, 54. — (*m*) Ibid. 67. — (*n*) Ibid. 68, 69. — (*o*) Eccli. xxxiii, 9. — (*p*) Jer. xiii, 15. — (*q*) Rom. ix, 20. — (*r*) Gen. i, 2.

[1] Codex male *Christum ad Patrem... ad Christum Patrem.* Vide Tract. in Joan. xxvi, n. 4 et seqq. et Serm. cxxxi, n. 2. — [2] Id. *voluptatem aliquam vel necessitatem.* Necessitatem intellige non absolutam, sed fortem aliquam et quæ difficile vinci possit attractionem. — [3] Codex *Audiens et libens gaudens*, evidenter male. — [4] Vide Serm. sive Tract. in Joan. xxvi, n. 11. — [5] Sic Codex. Incte *vita vivat, et veniat e cœlis.* — [6] Cod. habet *typor.* — [7] Sic Cod. forte *corpus absolutum.* Vide Tract. in Joan. xxvi, n. 12. — [8] Codex per errorem manifestum *hæc rem.* — [9] Id. *male quæ.* — [10] Id. *faciat.* — [11] Desiderantur evidenter addenda verba *reges quidem.* — [12] In Cod. deest vox *numeravit.*

VII. Ipsa tamen attendamus elementa, quæ in Corpus ac Sanguinem suum voluit consecrari. Panis et vinum sunt[1]. Considerate, Dilectissimi[2], ex quam multis granis panis conficitur, ex quam multis acinis vinum fluit, et videte si non ille apostolicus sermo completur qui dicit : « Multi » unum corpus sumus (a). » Sic ergo et nos oportet sub torculari et mola ecclesiasticæ disciplinæ in unum corporari atque confluere, ut secerni, fide consociante, non liceat. Videte, Dilectissimi, utrum vere corpus sit quod in Christi Corpus solemni invocatione conficitur, cum in uno corpore nullam differentiam sciat Dominus a servo, humilis a regno, pauper a divite; ubi personarum discrimen fidei fervor excludit; ubi infirma grana cum maximis, inflatione, follibus fidei conflabuntur. Merito ergo Dominus hoc genus oblationis elegit, quod Corporis et Sanguinis sui dignitate donaret, consecrans nobis sacrificium, quo nihil aliud quam pax et unitas commendatur. Quæ enim tanta, quanta in farina tritici granis, aut in vino uvarum acinis potest esse concordia idonea? Hæc plane materia est, quam Christus, qui pacis auctor est, in suum corpus assumpsit[3]. Voluit autem nos hoc sacrificium continere, ut dum has hostias pacis offerimus, assiduo[4] ac plane jungi ad cultum suum redemptionis nostræ commemoratione censeamur, nec jam amplius in superstitiones varias defluamus, qui sub uno capite unius corporis membra censemur.

VIII. Non in his sanctis ac dignis Deo sacris nitorem hostiarum fœda ventris ingluvies (et) indigesta cruditas, aut crapula turpis exaltat. Gustu imbuimur, mente satiamur. In exiguo sui Corporis frusto totus a singulis Christus excipitur. In parvo haustu Sanguinis sacri vita æterna potatur. Nemo dicat : Panem video, corpus audio; vinum sumo[5], sanguinem dicunt. Dominus nobis Corpus et Sanguinem suum in simplicibus apparatibus dedit; ne fastidium aut horror scandalizaret, indulsit; sed tamen vere Corpus suum præstitit. Audi enim quid ipse dicat : « Sciens, inquit, quia murmurarent de hoc Discipuli ejus, » dixit eis : Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium » hominis ascendentem ubi erat prius (b). » Ergo antequam ascenderet[6], facilius scandalizari humana potuit infirmitas; nunc autem, cum ascenderit ubi erat prius, non est quisquam qui dubitare de verbis illius possit, cui videt cœli regna patuisse.

IX. Referamus gratias debitas Deo, qui dedit nobis quotidiana Agni illius, qui peccatum mundi tollit, id est, Domini nostri Jesu Christi immolatione gaudere; qui dedit fidelibus suis habere in terris Corpus ipsius per invocationem, quod jam ipse in cœli gloria collocavit. « Offertur ergo nunc in omni loco oblatio munda (c). » Vita de altari sumitur, si vita credatur. Ipsa virtus potest in Sanguinem suum vitæ poculum convertere, quæ deficiente vini poculo, aquas in vinum convertit. Sumite itaque hæc, et constanter sumite Corpus pacis et vitæ. Nam quem pax obtinet, hunc suum Christus, qui est simul et pax et vita, cognoscit.

X. Ergo si quis ad hoc sacramentum peccato deficit, pace reparetur. Sacramentum est, ut dicit, pacis et vitæ. Peccatum morti obsecundat, vitæ adversatur. Sed si, ut[7] se infirmitas humana habet, in vita nostra fortassis incurrat, nulla alia re magis quam pace expugnatur. Ergo etsi sunt delicta, quia fragiles sumus, non sint mortifica, quia Christi, qui vita est, Corpus accipimus. Illud autem specialiter quod in Oratione dominica, antequam ad altare[8] accedamus, dicimus, toto corde oportet attendi : « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus de» bita debitoribus nostris (d). » Dimittitur tibi, securus accede, sed vide si dimittis; nam, si non dimittis, audies : « Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quia rogasti » me; nonne ergo oportuit et te quoque misereri con» servo tuo (e). » Dicit tibi etiam Apostolus : « Quoniam » qui manducat et bibit indigne, judicium sibi mandu» cat et bibit, non judicans Corpus (f). » Si enim corpus judicasset, nunquam membrum otiose parasset[9]. Quoties ergo ad altare Domini convenimus, pax offeratur, et securi animus quod vita sumatur, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

SERMO XXXV.

De Pascha XV, ad Neophytos.

Hic Sermo educitur sicut præcedentes ex Cod. Cass. XII, *fol.* 195. *Dubius quibusdam doctis videbatur ob frequentem repetitionem verbi, Dilectissimi. Sed credi potest hanc allocutionem extemporaneam a notariis fuisse exceptam, et inde istam procedere repetitionem. Cum Codex* XII *pro aliis sit authenticus, nollem absque gravissimis rationibus sermonem ex hoc fonte depromptum reprobare. Ponatur post præcedentem cum numero de Pascha* XX.

SYNOPSIS.

I. Evolvuntur hæc verba : *Quasimodo geniti Infantes*, etc. (g).

I. Quamvis proficere ex verbis meis omnem Ecclesiam cupiam, Dilectissimi, ad vos tamen nunc præcipue, o Neophyti, mihi sermo est, quos quasi in novam vitam ortus novitatis ac æquitatis emisit. Tantum enim mihi erga vos plus est sollicitudinis, quantum in vobis per novam gratiam plus nitoris. Et ideo admoneo, Dilectissimi, ut sicut præsens Apostoli lectio docuit : « Quasimodo ge» niti infantes rationabiles et sine dolo lac concupiscite[10], » ut in eo crescatis in salutem. » Infantes utique, Dilectissimi, sicut etiam Scriptura divina dicit, inter prima teneræ ætatis exordia nihil aliud nisi lac concupiscunt. Et vos, Dilectissimi, « Modo geniti infantes » estis; superest ut solo innocentiæ vivatis lacte. Sed quid tamen illud est, quod Apostolus ait : « Rationabiles et sine dolo lac con» cupiscite? » Doctrina est utique, Dilectissimi, doctrina sancta, quæ rationem habet, et dolum non habet, ut sit lactatus[11] per innocentiam, et rationalis per sapientiam. Dum ergo, Dilectissimi, duo genera lactis sunt, ut videtis, unum carnale, aliud rationale; carnale, illud quo aluntur infantes parvuli; rationale, quo aluntur infantes viri; vos utrumque estis, Dilectissimi, et infantes pariter, et viri; infantes, per novam nativitatem; viri, per ætatem atque rationem. Tenete ergo, Dilectissimi, lacteam semper infantiam per simplicitatem, virilitatem per fidem; ut quia munus sacrum, atque doctrinam, lac rationale, nunc sumitis, faciat vos esse semper et infantes innocens vita, et viros ratio perfecta.

(a) Rom. XII, 6. — (b) Joan. VI, 62, 63. — (c) Malach. I, 11. — (d) Matth. VI, 12. — (e) Id. XVIII, 32. — (f) I Cor. XI, 29. — (g) I Petr. II, 2.

[1] Codex male est. — [2] Vide Tract. XXVI in Joan. n. 17, Serm. CCLXXII, n. 7, et CCLXVII. — [3] Codex perperam assumeret. — [4] Codex assidua pro adverbio assidue. — [5] Id. minus bene sumunt. — [6] Vide Serm. CCLXX, n. 2. — [7] Codex male sicut. — [8] Codex per anagramma vitiosum latere. — [9] Parasset, videtur subaudiendum se sola parasset, ita ut sensus sit : Si corpus judicasset, nunquam membrum otiose se parasset. Facilis fuit error amanuensis ob terminationem verbi præcedentis otiose. — [10] Necessarium fuisset dicere : Concupiscatis. — [11] Codex male lacte actus.

SERMO XXXVI.

De Pascha et Jona. In diebus Paschalibus I.

Stylus paulisper durus; sed sancti Augustini in Cod. Cass. XII, [illegible] 157, *hic Sermo nomen habet, et sententiis ejus concordat. Unde minime rejiciendus est, præsertim cum declaret Augustinus se idem argumentum in pluribus sermonibus tractasse. Ponendus est in editione Maurinensi post sermonem* CCLVIII, *cum numero in diebus Paschalibus* XXX.

SYNOPSIS.

I. Jonas Deo rebellis. II. Jonas in mare demersus, et a ceto absorptus. III. Jonas in littus evomitus. IV. Jonas Christi morientis figura. V. Ejusdem figura sepulti. VI. Demum et resurgentis figura.

I. Dominus et Salvator noster, dilector humani generis, (qui)[1] « Semetipsum tradidit pro nobis (*a*), et animam » suam posuit pro ovibus suis (*b*). » Omnia tamen quæ pertulit a Judæis, jam prædicta fuerant multa a Patriarchis sanctis, de quibus unum in medio proferamus, ut ei historiam passionis dominicæ comparemus[2]. Legimus Jonam prophetam missum esse a Deo in civitatem Ninive, ut ejus esset interitus prædicator. Qui Jonas sciens misericordissimum Deum, et paratum ad indulgentiam, ne prædicatio ejus inanis et vacua videretur, declinavit ad fugam. Hæc igitur civitas post mundi faciem, quæ a fluentis diluviique[3] inundatione dignoscebatur esse consumpta, prima Ninive civitas a Nino, cujus est nomen sortita, constituta dignoscitur[4]: cujus cum populi delicta Salvatori nostro intolerabilia viderentur, Jonæ imperat, ut ejus perditioni (prænuntiandæ)[5] abiret, quod ne faceret, a facie Domini fugiens, navi se fluctibusque commisit, fugiens in Tharsis a facie Domini Dei. Mira res! demutatur locus, quasi in Tharsis non erat Deus. Deus, cui soli nihil absconsum est, inflatum tempestatibus gurgitem in ejus periculum concitavit. Cum violentior fieret maris a Deo jussa commotio, erigitur ratis in cœlum, et subductis undis ad arenas usque descendit: in discrimine constituti tam pelagi ima quam cœli sidera didicerunt. Et dum concursantium inter se nautarum nihil profecisset industria, omnesque ac singuli formidarent, gubernantis etiam ducatu[6] carina non obtemperaret imperio, Perimus, clamant, Obruimur, sonant. Hæc navis cœlum ferit, inferos pulsat; hinc cognoscite, Fratres, qualiter Deo obedientia fuerint æquora, ut unum fugitivum Dei tota quærerent elementa.

II. Solum Jonam secura somnii possidebat oblivio, cujus quietem nautarum saltem rupit invidia. Et: Oh! inquiunt, tu dormis? quid est quod homo es, et cum hominibus in tantis periculis minime commoveris? Tunc sortis consultatione, cujus hæc causa paterentur est requisitum. Et Jonas sorte præventus jubet se vere in profundum mare projici, asserens mortis suæ præventu vitam cæteris ac navis liberationem posse præstari. Festinant igitur universi Jonæ implere responsum, qui in scelere constituunt salutis suæ omne præsidium. Novum in periculo[7] acquirendæ vitæ subsidium! Solet benefactorum commemoratione misericordia promereri: nunc vero peccatum admissum crudelitatis auctores de periculo liberavit. Nam missus est Jonas in mare, et omnis tempestatis sævitia conquievit. O! in omnibus adversitatibus eventus incerti! Quis non crederet Jonam in fluctibus mersum? quis non speraret ejus exanime corpus ventorum diversitate ubique volvendum, et scopulorum asperitatibus laniandum? Missus in mare ad aquam pervenire non potuit, sed soli cibo exceptus, pejori discrimine talem casum incurrit, cum eum bestiæ vorago simul absorbuit. Nam hunc cetus excepit avidis faucibus vivum, et quem comedendum sumpsit, nec ore, nec dentibus attrectavit. Morsus prædam non discerpsit; immanitas gutturis, et latitudo voraginis escam non attritam per se transisse nec sensit. Expavescunt viscera cibum, quem nec calore naturali coquere, nec per pudendas corporis partes egerere potuerunt. Habitavit potius in utero ceti Jonas, et domicilii quodam modo interioris, factus est incola ventris, ut ibi per triduum non solum vivens duraret, sed etiam supplicatione consueta Dei misericordiam acquireret.

III. Ibat (igitur)[8] gravis per diversa marini littoris bestia, quod comederat novo gerendi genere superis reddituro. Cum vero inter spumas undæ fluctuantis Jonas sine periculo portaretur, prædonis ventre servatus, subito divina Providentia littori bestia proximatur, et quem triduo in alveo ventris servavit illæsum, hunc a vulnifico dente in littora rejecit intactum. Hic sibi[9] calamitas profuit, et de suo interitu redivivo salutem aliis contulit.

IV. Hic jam, Fratres charissimi, post hujus historiæ disputationem, quam Jonæ prophetæ decursa locutio demonstravit, qualem in se habeat figuram, Domino adjuvante et donante, demonstrare conemur. Neque enim omnia quæ in præteritis facta sunt, hæc sola humanis sensibus sufficere credantur[10], sed figuræ fuerunt futurorum, ut subsequenti tempore in Christo mirabiliter implerentur, sicut Apostolus dicit: « Omnia autem hæc in » figura contingebant illis (*c*). » Nam Ninive civitas illa magna, ad quam Jonas, prædicator ejus subversionis, mittebatur, figuram totius mundi gestabat, qui idololatriis et facinoribus multis ardebat: Jonam vero personam Domini Christi designare manifestum est. Navis vero in qua Jonas fugiens dormiebat, synagoga Judæorum intelligitur. Per mare vero intempestivis fluctibus excitatum, Judæorum populum insanientem, et turbulentis[11] vocibus sævientem cognoscimus. Bestia vero marina, hoc est cetus, infernus intelligitur. Hæc autem omnia, quæ de Jona prædicta sunt, in Christo manifeste impleta videntur. Quod autem in capsa navis Jonam dictum est dormientem, Christum in medio eorum significavit humiliter tacentem. Cui dictum est sicut et ad Jonam: « Exurge, quare ob- » dormis, Domine, exurge, et ne repellas nos usque in » finem (*d*). » Dormiens enim dicitur Dominus, dum tacere videtur super iniquitatem hominum, expectans compunctionem pœnitentium: sed dum exurgit, ut potest, inimicos suos simul interficit. Quod autem sortes miserunt, cujus causa navis periclitaretur, et cecidit sors super Jonam, et miserunt eum in mare, et sedata est tempestas, numquid alius quam Christus erat, cujus morte mundus omnis tempestatibus diaboli liberaretur, in quo paterna definitio jam a principio mundi; quasi sorte missa, fuerat terminata, non aliter posse sæculum liberari, nisi unigeniti Filii passione permisisset impleri. Quem Dominum Christum quasi Jonam projicientem[12] in mare, a principibus Judæorum populi sævientibus traditum, susceperunt Romani[13] crucifigendum, in quo dum profi-

(*a*) Ephes. v, 2 — (*b*) Joan. x, 11. — (*c*) I Cor x, 11. — (*d*) Psal. XLIII, 23.

[1] *Qui* videtur abundare. — [2] Hæc comparatio reperitur inter opera S. Augustini in Sermone ad Catechumenos, n. 6. — [3] Codex male *diluvii quæ*. — [4] Vide de Civit. Dei lib. XVI, cap. 3, n. 1. — [5] Vox illa *prænuntiandæ* abest a Codice, sed sensu requiritur. — [6] Forte *ducta*. — [7] Codex *periculum*, deest punctum post *subsidium*. — [8] Codex habet litteras sine sensu *cat et*. — [9] Cod. *cibi*. — [10] Id. male *credebantur*. — [11] Codex *tribulentis*. — [12] Forte *projectum*. — [13] Id. sine sensu *cum*, forte pro *Rom*.

cerent, sedata est et quievit tempestas sævitiæ Judæorum.

V. Jamvero peracta universa mysteria passionis; sepulturam veri hominis Christi, peragentes cognoscamus. Nam cetus ille, qui Jonam suscipiens triduo vivum in alveo sui ventris servavit illæsum, significavit Dominum Christum descendentem vivum in infernum. Sic enim ipse Dominus in Evangelio dicit: « Sicut fuit Jonas in ventre » ceti tribus diebus, et tribus noctibus[1], ita oportet esse » Filium hominis in corde terræ (a); » cum hoc sacramentum numero dierum in passione Domini completum manifestum est. Inde multorum minus intelligentium sensus conturbatur, eo quod in sepultura Domini numerus ipse dierum quasi minime impleatur; non attento corde audientes, quod ipse Dominus dixerit, in quo ait: « Sicut Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus, et tribus » noctibus, ita oportet esse Filium hominis in corde terræ. » In corde enim terrenorum hominum, et terrenis cogitationibus studentium, quos sævitia sui cordis in perniciem occisionis Christi succenderat, apud illos Christus jam quasi occisus et sepultus erat[2]. Hinc ergo a die illa, qua est traditus, et alia die crucifixus, et tertia die in sepulcro quietus, tribus diebus cum suis noctibus, numerus dierum, qui in Jona fuerat præfiguratus, in Christo adimpletus esse cognoscitur. Quod nulli videatur incertum, quia ipse locutus est Dominus dicens: « Ita oportet » esse Filium hominis in corde terræ; » sed qui de hoc dubitat ostendat cor terræ, quod aliter quam dictum est esse non potest.

VI. Sed vomuit cetus Jonam, et exemptis tribus diebus, ad lucem de novo egressus est vivus. Ita Dominus Christus, peractis mysteriis secretorum, novo lumine decoratus apparuit, resurgens cum testibus, qui cum eo surrexerunt, et in ejus obsequium excubantes, ab inferis remeantem demonstraverunt; qui etiam « Ingressi civita- » tem multis apparuerunt (b). » Divina enim sacramenta in mysteriis antiquis abscondita, in Christo Domino Salvatore nostro videntur mirabiliter revelata, quæ salvandis hominibus ita sunt demonstrata, ut omnibus credentibus salutarem conferant medicinam.

SERMO XXXVII.

In diebus Paschalibus II.

Stylus aliquantisper durus; phrasis non integra reperitur in Sermone sequenti XXXIX, *et ideo videtur ejusdem esse auctoris, id est, D. Augustini ad quem manifeste est referendus. Extrahitur ex Codice Cass.* XII, *fol.* 160, *qui S. Augustini fœtus repræsentat. Concordat exordium cum exordio Sermonis* CLVII *Appendicis Maur. et cum exordio Sermonis sequentis; cætera autem differunt. Utrum parva styli duritas, et illa variorum exordiorum similitudo sufficiat ad rejiciendum Codicis antiqui et authentici auctoritatem Lector videat; ego nec rejiciendum credo, nec audeo rejicere, cum stylus D. Augustini aliquando durus evadat, et orator christianus sæpius atque ex abrupto loquens idem exordium bis aut etiam ter usurpare potuerit. Ponatur post præcedentem cum numera in diebus Paschalibus* XXXI.

SYNOPSIS.

I. Oracula vetera a Christo impleta. II. Sol Christo moriente obtenebratus. III. Christus Patrem invocans. IV. Increpatio Judæorum, et antiquorum beneficiorum commemoratio. V. Commemoratio recentiorum beneficiorum. VI. Mors Christi, descensus ad inferos et Resurrectio.

I. Multa sunt et magna[3], charissimi fratres, hujus S. Paschæ veneranda mysteria, quæ, divinis libris consecrata, in antiquis ædibus et vetustissimis Judæorum archivis fuerant condita; quæ universa a Patriarchis et Prophetis de Christi Domini Passione prædicta, necesse erat ut adimplerentur omnia. Et quoniam uno tempore semel peractis omnibus, Christus « Exultavit sicut gigas ad » currendam viam (c), » tamen solemni circulo hæc anniversaria vota celebramus, ut deinceps futura æterna usque ad consummationem sæculi maneant monumenta. Nec taceri possunt Judæorum scelera, quousque veniat ipse qui pertulit omnia, ut « Videant et cognoscant in quem » transfixerunt (d) » jacula.

II. Hic jam de eorum sævitia, quam in Domini Passione exercuerunt, aliquanta dicamus: unde postmodum ejus Resurrectionem constantissime demonstremus. Neque enim mundus ipse scelera Judæorum, quæ Christo ingerebant, libere conspicere potuit, qui cum elemento suo[4] fugiens lucem quam habuit, cum Domino de mortali conversatione simul ad inferos demigravit. Nihil incongruum[5], nihil incertum est; inferi Deum sine luce videre non possunt, sicut scriptum est: « Quoniam » Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ (e). » Quoniam ergo lux de mundo migravit, sic scriptum est in Passione Domini: « Ab hora, inquit, sexta tenebræ » factæ sunt in totam terram, usque in horam nonam (f). » Quid agitis, Judæi, inficiandum[6] sacrilegium vestrum? Quod tarditas pigra lentescere posset, per totam terram vestrum scelus nox de medio diei jussa est nuntiare. Currunt per totum mundum nigrescentes umbræ, impii facinoris præcones, et, irruente chaos, novum nefas loquentes tenebræ nuntiarunt. Sic pro nobis Passio Domini oportuit nuntiari, ut totus mundus sub obscuro miraretur abscondi. » Ab hora, inquit, sexta tenebræ » factæ sunt in totam terram, usque in horam nonam. » Confusa sunt elementa; imperiali verbo dirupta sunt fœdera. Dies horas perdidit, dum dominico corpori sol exequias præbuit[7], removit sol cursus suos, et abscondit luminis globum ne videret in Christo fieri homicidium.

III. Digne, Fratres mei, luget hic mundus, cujus negatus est Deus. Exclamavit igitur Jesus: « Heli, Heli, lama » sabacthani, hoc est: Deus meus, Deus meus, quare » me dereliquisti (g)? » Damnat vos miseros Judæos querela cœlestis, et quod assiduis clamoribus frangitur cœlum, digni reatus in vos adducitur piaculum. Rogo, quale est facinus, quod adversus homines Deum Patrem contestatus est Filius? « Deus meus, inquit, quare me dere- » liquisti? » Non hic sensus humanus, nec christianus fallitur animus; non a Patre relinquitur Filius, sed ideo dictum est: « Deus meus, quare me dereliquisti? » ut ostenderetur, quia corporalibus pœnis non tangitur Deus. Tunc quidam de astantibus dicebant: « Eliam vocat iste (h). » Ipsa est consueta interpretatio judaïcæ mentis; sic adversus Deum prava semper et falsidica pronuntiare norunt

(a) Matth. XII, 40. — (b) Matth. XXVII, 53. — (c) Psal. XVIII, 6. — (d) Joan. XIX, 37. — (e) I Joan. I, 5. — (f) Matth. XXVII, 45. — (g) Ibid. 46. — (h) Matth. XXVII, 47.

[1] Eusebius ejusdem sententiæ patronus est in Homilia feriæ IV post dominicam Quadragesimæ, Bibl. Patrum tom. VI, fol. 718, lit. D. — [2] Vide discrimen horum dierum in lib. III de Doctrina Christiana D. Augustini n. 50; Serm. ad Catechumenos de Symbolo, n. 6; lib. IV de Trinitate n. 10, et præsertim in Epistola seu libro ad Deogratias ubi agens de tribus diebus hæc ait: *Longum est disserere, et in aliis Sermonibus jam sæpissime dictum est.* — [3] Mira forte videbitur de Passione commemoratio in Pascha. Sed videsis S. Joan. Chrysostomum Homil. LXXXVIII, in Matth. cap. XXVII, n. 27, et Combefis tom. III, fol. 557. — [4] *Elemento suo*, nempe sole. Forte aliquid desideratur. — [5] Vide eadem verba infra Serm. XXXIX, n. 5. — [6] Cod. *insinuandum.* — [7] Vide D. Ambrosium Exposit. in Lucam lib. X, tom. II, n. 127, Edit. Bened.

loquela, dum dicunt : « Eliam vocat iste. » Nunquam ut discipulum magister rogaret, aut servum Dominus invocet[1], aut in auxilium suum Deus hominem postulet, sed Patrem contestatur in cœlis Filius, qui fugabatur a terris.

IV. « Tunc acceperunt spongiam plenam aceto, et ponentes arundini potabant eum (*a*). » Quid agitis, Homines ex limo terræ plasmati? Numquid in principio fabricæ vestræ, dum adhuc molle opus corporis vestri, inter initia, conspersi pulveris necdum durata materie, quando in novam formam ipse Deus Christus tuam hominis corporavit infantiam, hoc ab eo didicisti, qui acetum pro tua fabrica propinasti (*sic*). Cum vero adhuc rudis nutriri foverique quærebas, et paradisi limen tener hospes, et delicatus possessor intrares, hæc erga[2] tuum Creatorem operari ante didiceras. Dic et tu, Judaïca gens, quando inter medios Rubri maris contremiscens fluctus, et inter diversas undas platealis viator incederes, siccique pulveris mollitiem algis[3] halecibus sicca planta calcares, hoc tantæ[4] impietatis crudele opus didiceras, quod in tuum Dominum exercebas; vel etiam cum in eremo quadraginta annorum per spatia, miraculis perspicuis pastus, te[5] cœlesti pane sine labore cibares, et corporali salute sine infirmitate gauderes; neque vestimentorum aut calceamentorum trituram, vel sordidatum aliquid defœdari videres; vel etiam cum petra illa virgæ ictu percussa, duræ silicis cute dirupta, beatus Moyses nova fluenta sitientibus propinaret; aut cum amaras salsasque aquas ligno medicante dulcasset, et hoc poculo deficiens turba satiaretur; tunc in his miraculis tantorum beneficiorum didicisti caput erigere contra Dominum, ut ejus caput circuires spinis peccatorum tuorum, sicut scriptum est : « Populus iste spinis peccatorum suorum circumdedit » me (*b*). »

V. Sed nec de veteribus jam aliquid nunc necesse est quærere, cum de sua corporali præsentia tanta perfecit miracula, quanta, si requirantur, explicari non possunt. Tu, judaïcæ gentis populus, acetum felli commixtum Domino dedisti, qui sanctis galilæicis nuptiis vinum de aqua factum miræ suavitatis cum eo convivasti[6]. Quod vero cæcorum oculos ad lucem perfectam artifex pius induxit; quod surdarum aurium conclusiones aperuit; quod balbutienti linguæ nodum absolvit; quod leprosorum cutem corruptam[7] humorum varietate in pristinum sanitatis colorem revocavit; quod paralyticorum soluta membra construxit, et pristinæ saluti restituit; quod claudis exilire jussit, quibus plus cura, quam natura præstitit; quod contra furorem vestrum, quatriduanum et fœtentem Lazarum vitæ pristinæ revocavit. Pro his ergo tantis, ac talibus bonis, qualia[8] vobis Judæis præstitit, talia in ejus morte exercere debuistis, ut eum, quem colere debueratis, turpissima morte impie cruciaretis? quem etsi morti jam destinatum decreveratis, vel simplici ac rationabili occisione consumeretis.

VI. Noverint ergo crucifixores ejus in quem impio grassatæ sunt manus, non esse[9] leve commissum, in quo et terra movetur, et cœlum. « Velum templi, inquit, » scissum est (*c*); » contestatio facinoris luctus est templi; nimirum domus ornari non debuit, cujus habitator abscessit. « A summo, inquit, usque deorsum (*d*), » hoc est quod uno corpore Christi, et hominem expulistis et Deum. Quid amplius dicam? sepulturæ jam traditur, ut infernus visitaretur, in quo divina ejus majestas descendens cunctos, quos ipse absolvendos et liberandos censuerat, eripuit et absolvit, et sibi in obsequio Resurrectionis suæ comites junxit, qui « Multis in civitatem apparuerunt (*e*) » notissimis viris, qui testimonium perhiberent dominicæ Resurrectionis, in qua Resurrectione nos spirituali gaudio solemniter exultantes, hunc diem honeste et sobrie celebremus, ut cum ipso Domino et Salvatore nostro in æternam vitam vivere mereamur; qui vivit, etc.

SERMO XXXVIII.

In diebus Paschalibus III.

Eædem hic recurrunt annotationes quæ Sermoni superiori præfiguntur; has revisat Lector, attentiusque perpendat. Legitur in Cod. Cass. XII, *fol.* 163. *Locus ejus post præcedentem cum numero in diebus Paschalibus* XXXII.

SYNOPSIS.

I. Mysteria legis novæ in lege veteri prælibata. II. Christus, lux nostra, veniet regnaturus. III. Christi regis ornamenta. IV. Christi descensus ad inferos, victoria et Resurrectio.

I. Multa, et magna sunt, Fratres charissimi, hujus S. Paschæ veneranda mysteria, quæ divinis libris consecrata, in antiquis ædibus et vetustissimis Judæorum archivis fuerant condita, quorum admirabilis ratio, vera fides, pura et sincera religio, veluti quodam tecta velamine sæculorum, sanctitatem suam in abditis occultabant[10]; non poterant, nec audebant contegere[11] pulchram, et venerabilem imaginem veritatis. Hanc artifex Christus non diversis, nec terrenis coloribus, sed cœlestibus atque distinctis virtutibus in nostris mentibus clypeo devotionis, auro coruscante, depinxit; animo etiam tenaciter defigens in ipso templo humani corporis dedicavit; amorem ejus in corde conclusit, integris et acerrimis sensibus officia distribuit. Et cum ille clarus et illustris Angelus, rector astrorum, poli gubernator, dux diei, et luminis imperator, interjector germinis, veris temperator, autumnique temperies, ad salutares vitalesque usus annuum cursum et quadripartita tamporum spatia composuit[12], diei hujus solemnitatem Deus nos celebrare præcepit.

II. Quanta nobis bona dominica Passio[13] vel contulerit nova, vel amissa restituerit, mortali et humana voce nec prædicare magnifice, nec memoriter enumerare prævaleo. Sicut ipse Dominus Salvator noster in Evangelio ait : « Nemo ponit lucernam sub modio, sed super candelabrum, ut omnibus luceat qui in domo sunt (*f*)[14]; » lucerna candelabro crucis superposita est primo adventu quo venit et passus est; secundo adventu veniet clarificatus, ut regnet[15] lucerna, inquit, candelabro crucis superposita. Christus lucet tam Gentibus quam Judæis, ut ex Gentibus et Judæis colligat ad Ecclesiam venientes. Lux nostra Christus est, qui licet expectetur ut veniat, tamen jam venisse credendus est. Venit in humilitata, veniet in regno; venit in bonitate, veniet ad judicium; venit in passione, veniet in ditione; venit medicus curationum, vitiorum veniet amputator. Nemo sic speret esse venturum,

(*a*) Matth. XXVII, 48. — (*b*) In Scripturis hunc Textum non reperi. — (*c*) Matth. XXVII, 51. — (*d*) Ibid. — (*e*) Ibid. 53. — (*f*) Matth. V, 15

[1] Tempora verborum erronea sunt, et correctionem expostulare videntur. — [2] Codex *quæ*. — [3] Id. *algis habentibus*. Sensus esse videtur pulverem mollem evadere propter *algas* et *haleces*. In Cod. littera b dubia est, et ad formam l accedit. — [4] Id. *tua te*. — [5] Id. *ut*. — [6] Forte *combibisti*. — [7] Cod. male *cutis corruptorum*. — [8] Cod. *quibus*. — [9] Id. *est*. — [10] Stampatus habet *occulebant*, post addit *Et prisci antistites adumbrata cernebant et sacrificia cruenta muneribus offerebant*. Vide Serm. Append. Maur. CXVII, n. 1. — [11] Codex *contegi*. — [12] Editus *compleverit*. Variat in aliis quibusdam. — [13] Cod. *dominicæ Passionis*. — [14] De hoc primo et secundo adventu loquitur Augustinus Tract. IV in Joan. cap. 1, n. 1, et Tract. XXVIII, n. 6. — [15] De lucerna in candelabro, vide Serm. CCXXVII, n. 4.

quo velit negare quia evenerit; pavetur tunc judicem, nisi modo crediderit salvatorem. Et ipse quidem, sicut credimus et novimus, judicaturus adveniet; sed ipse qui venit medicus ut salvaret, nunc veniet rex regum, perpetuus imperator, ut regnet.

III. Habet diadema, zonam, calceamenta pretiosis lapidibus coruscantia; sed has species Patriarchas intelligamus, Prophetas, et Apostolos, Patriarchas in capite, quod est diadema, non ut ornent, sed ut ornentur a Christo, de quibus Paulus apostolus tractat: « Quorum » patres ex quibus Christus, qui est Deus benedictus in » sæcula (*a*); » medio veluti zonam Prophetas intelligimus, qui insinuaverunt arctissimam fibulam disciplinæ; calceamenta Apostolos, quos in pedibus, id est, in fine sæculi missos esse cognoscimus, de quibus Scriptura divina non tacuit: « Quam speciosi pedes evangelizantium bo» na (*b*). » Fulgent in ipso regno Ceraunius Martyres, Smaragdi Confessores, Hyacinthi Fideles, Margaritæ Virgines. Habet itaque Christus, perpetuus rex, regiam fulgentissimam purpuram passionis, sceptrum regni, sedem judicii, consistorium venerandum. Passus est pro credentibus, regnaturus est sanctis, judicaturus est contumaces. Non rebellet medico, qui sanus esse desiderat; amicus futurus regi, si reus esse noluerit, credat.

IV. Descendit de cœlis, cujus origo cœlestis est, et descendit ad inferos, ut hominem liberaret, ut quem passio crucis humiliaverat in morte, cœlestis sublimitas resurgentem victor susciperet cum triumpho. Incredibile est, sed factum est, et salubriter creditur, quod fideliter prædicatur; in passione enim Domini sol se abstulit, duplicatæ sunt tenebræ, dies fugit, nox importuna successit, invasit vices alienas, lucis splendorem[1] confudit, mundi faciem obscuravit; crudele parricidium astra fleverunt, luna percussa cum fratre colloquitur, expectantes plebis Judaïcæ crudelitatem. Sic Dominus Jesus Christus hostem robustum et immanem diabolum, debilis[2] fortem, inermis armatum, monomachu prælio[3] solus solum, alter ut[4] David contra Goliam, devicit[5]; depositis vestimentis, nodato in cruce corpore, tricenario juvenis noster anno, non gladio diabolum, sed crucis radio triumphavit. Descendit ad inferna, oppressit inferos, liberavit quos ipse voluit suos, qui post Resurrectionem suam docuit Discipulos suos. Ergo cum docet, ratio est; cum judicat, lex est; cum liberat, gratia est; cum patitur, ovis est; cum sepelitur, homo est; cum resurgit, Deus est. Qui etiam nobis post Resurrectionem, quam ipse nobis promisit, munus impertiet. Dat terrenis cœlestia, mortalibus immortalitatem, cadaveribus animas respirantes, caducis resurrectionem, vitam mortuis, salutem denuo reparatis. Ergo et nos, Fratres, hanc fidem teneamus; ut cum ipso Domino et Salvatore nostro in æterna vita vivere mereamur.

SERMO XXXIX.

In Dominica II Paschæ.

Est certe sancti Augustini. Legitur in Cod. Cass. XII, *fol.* 153. *Ponatur in editione Maurinorum post Sermonem* CCLIX.

SYNOPSIS.

I. Brevis Passionis narratio. II. Christus a Judæis apprehensus. III. Christus spinis coronatus et ut rex illusus. IV. Christus sputis pollutus, cæsus et crucifixus. V. Christus ad inferos. VI. Christus resurgens.

I. In hac sacratissima die, Fratres charissimi, delector vobiscum, dominicam Passionem et Resurrectionem spirituali discutere atque explanare tractatu[6]. Cuncta enim per ordinem, quæ acta sunt, breviter dicimus. Amat enim se, cur sit veritas, explicari. Dicamus ergo quod gestum est, quod omnibus notum est, quia est venditus Deus, quia est emptum scelus, quod post ferales nundinas ad sacrilegos revertitur pretii facinus, quod traditoris Judæ corpus inter cœlum terramque libratur suspensum; quod stat ante præsidem Christus, quod mulier docta per somnium mandat Pilato propter Justum excusandum[7] esse peccatum, quod ab innocentis sanguine Pilatus lavare asseritur manus, quod insignis Barabbas dimittitur reus, et ad crucem flagellis cæsus ducitur Christus. O humanum genus, quid agis? tamen ad hanc magis partem decurrit animus, in qua omnis Judæus audax efficitur reus.

II. Cum vero ad apprehendendum Dominum concurreret in nocte violentissima turba malorum cum gladiis et fustibus, egreditur ipse Dominus ad quærentes, quia jam prævideral venientes[8]. Stante ergo Domino, sicut Joannes evangelista demonstrat, dicunt: « Jesum quærimus. » Lucem ergo in tenebris noctis quærebant, sed lucem in tenebris tenebræ non videbant. Sed audiamus, Charissimi, lucem lucis, quid dicit tenebris, « Ambulantibus in umbra » mortis (*c*): Quem quæritis? » responderunt tenebræ luci: « Jesum Nazarenum (*d*). » Respondit ille: « Ego sum, » quem quæritis. Cum vero audissent vocem ejus, ceci» derunt retro (*e*). » Ceciderunt omnes in tenebris, et facti sunt simul massa cæcitatis. Sed quia lux lucet in tenebris, erexit eos, ut ostenderet eis patientiam suæ humilitatis. Iterum dicit eis: « Quem quæritis? et dixerunt: Jesum Na» zarenum, et ait illis: Ego sum, quem quæritis (*f*). » O Judæi cæci, vocem audistis, et cecidistis; levati estis, et illum non cognovistis. Quis est iste, quem quæritis, ante cujus faciem cecidistis? Nempe ipse est Jesus Nazarenus, quem crucifigendum capere festinatis. Quid vos terruit, ut caderetis? Qua vos comminatione concussit? Quid eum audistis comminantem? quid terroris habentem? Ad solam ejus cecidistis simplicem vocem: quid facietis cum judicare venerit in virtute? Ubi sunt gladii et fustes vestri, cum quibus venistis[8]? Nonne cum ipsis in terram cecidistis, et nisi ipse vellet ut surgeretis, prostrati adhuc forsitan jaceretis? Ostendit autem vobis quantum virtus majestatis ipsius possit, qui postea voluntarie semetipsum vobis tradidit.

III. O limus, o terra, o cinis, Fabricatori tuo hoccine reddis? Pro hoc tanti operis, quod factus es, Creatori tuo has gratias agis? O profana gens Judæorum, dominicum corpus flagellis cædis, nec illæsum ad crucem venire permittis. Collegistis, crudeles Judæi, totam vestræ insaniæ cohortem, concurristis ad funestum spectaculum crucis, et totus Judaïcus populus congregatur, ut nemo sit a sacrilegii consensu privatus. Hoc voti vestri est semper, ut scelus suum, qui fecit, expectet. Illudebatis tanquam[10], Judæorum regem optantes, et infibulabatur ad derisum ejus coccinea clamis. Sed in illo fuco coloris sanguis relucebat dominicæ Passionis. Huic intexitur[11] corona

(*a*) Rom. IX, 5. — (*b*) Id. X, 15. — (*c*) Isai. IX, 2. — (*d*) Joan. XVIII, 4, 5. — (*e*) Ibid. 5, 6. — (*f*) Ibid. 7, 8.

[1] Codex male *pudore*. — [2] Codex *per virum*. — [3] Vide Serm. XXXIII, n. 3, ubi de Monomachia. — [4] Codex *alterum pro alter ut*. — [5] Id. *videret*. — [6] De Sermone crucis in Pascha, vide annotationem superius ad Serm. XXXVII, n. 1. — [7] Videtur hic deesse una linea, forte scriptum erat. *Excusandum; quod populus exclamat hoc suum esse peccatum quod*, etc. — [8] Vide Serm. Append. Maur. CL, n. 2. — [9] Vide Tract. CXII, in Joan. n. 3. — [10] Codex male *et tanquam.* . *infibulabatur*. — [11] Id. *qua regnante*; forte *caput regium*.

spinis pungentibus ac circumcurrentibus septa, ut probaretur quod dicit Scriptura divina: « Sustinui ut » faceret uvas, fecit autem spinas (a). » Arundo illi pro insultatione regali in manu ponitur, tanquam trabea consularis. Sed scriptum namque est: « Arundinem quassatam » non confringet, et linum fumigantem, » hoc est, ipsorum sævitiam « non extinguet, donec perficiat victoriam » ad judicium, et in nomine ejus gentes sperabunt (b). »

IV. Alapis pollutis faciem dominicam cædebant: sacer vultus nefandis sputibus madefactus est, quia et hoc ipse ante dixerat: « Maxillas meas præbui ad palmas, faciem » meam non averti a fœditate sputorum (c). » Imponitur humero crux, ut manifestaretur quod scriptum est: « Ipse » infirmitates nostras portavit, et valetudines nostras ipse » sustinuit (d). » Post vero talem ac tantam illusionem, levatur tandem in cruce; more manus pedesque clavorum infixione ligno damnantur, quia et hoc dictum fuerat in Prophetia: « Confige clavis a timore tuo carnes meas (e)[1]. » Aceto felle permixto, spongia ministrante, potatur, quia et hoc fuerat prophetatum: « Dederunt, inquit, in escam meam » fel, et in siti mea potaverunt me aceto (f). » Vociferatur magno clamore Deum in homine omnia ista non pertulisse, dicens: « Eli, Eli, lama sabacthani; quod est: Deus » meus, Deus meus, quare me dereliquisti (g)? » Audite, judaïcæ superstitionis Principes, et impios animos ad divina verba convertite. Postquam Deum expulistis ex homine, scelus vestrum clamat in cruce, et pœnas vestras caro cœpit agnoscere, postquam se Deus jussit exire. Sed postquam Spiritum tradendum cœlo refunderet, statim « Ab » hora sexta tenebræ factæ sunt in totam terram, usque » in horam nonam (h). » Pavescunt in hac causa elementa omnia, nigrescit aër, sol subducto lumine offuscatur, ne Judæorum facinus aspicere cogeretur. Sed dum Judæorum reatum non aspicit, manifestum reatum ipsorum prodidit.

V. Quid multa? Peracta tandem sæculi causa, jam ad infernum majestas dirigit gressus; præcedit in obsequio sui Creatoris clarissima lux. Mutat cursus sui leges; patitur mundus in die noctem, dum inferiorem æternæ noctis exhibet Divinitas claritatem; lux cum Domino de mortali conversatione ad inferos demigravit. Nihil incongruum, nihil incertum est infera Deum sine luce valere non posse, sicut scriptum est: « Deus lux est, et tene» bræ in eo sunt nullæ (i). » Ecce jam in inferno meliora apparent merita. Remanserunt apud cæcos Judæos noxiæ tenebræ, et mortui indulgentiam promerentur simul et lucem. Intuemini, infelices Judæi, futura vobis imminere condigna supplicia. Quales post mortem tenebras habebitis, qui adhuc viventes viventium lucem prodidistis? Interea Christum hospitem, dum Judæi expellunt, suscipiunt inferi, ubi impii custodes et janitores antiqui adventu novo turbati in ipso lucis ingressu. Qui præibant ante Dominum repentino terrore concussi; nullus eorum custodiam, quam tenebat, agnovit. Sic enim majestas Domini Christi circumamicta luce ingredi voluit, ut tenebrosi custodes de suis obscurissimis antris aspicientes, qualiter venientem fugerent, inquirerent[2]. Sed dum terribilem claritatem aliqua ex parte evadere non possent, retro post terga remeantes, interiora potius inferni penetrabant fugaces; ut, altero alterum compellente[3], densarentur in antris, et qui miserorum animas angustis locis[4] coarctabant detrusas, ipsos de imis interioribus expellentes, se potius in eorum voragine occultandos premebant. Hoc enim mirabilius potentiæ Christi ascribendum est, ut potestas male dominantium captivitati daretur, et dinturno antiquitatis fletu cæcatos ad lucem suæ liberatricis gratiæ relaxaret liberos. Ipso jam Domino Christo præsente, omnis illa officina cruciamenti cessavit: indulgentiam cum liberatione, quibus ipse voluit, condonavit, et ad testimonium suæ Resurrectionis, quia de inferis regressus est, multorum corpora dormientium resuscitans palam publice demonstravit.

VI. Resurrexit igitur Christus hodie cum triumpho victoriæ, qui antiquum serpentem, humani generis deceptorem, et in sæculo[5] superavit, et inferis captivavit. Propterea et nos, Fratres charissimi, in hac sacratissima solemnitate Resurrectionis Domini et Salvatoris nostri, spirituali gaudio exultemus, ut cum ipso in æterna vita vivere mereamur.

SERMO XL.

De Ascensione Domini I.

Eruitur ex Cod. Cass. xii *fol.* 202, *cum nomine sancti Doctoris; stylus paulisper durus, sed non prorsus a dicendi modo D. Augustini alienus. Locus ejus in editione Maurinorum post Sermonem* cclxix *cum numero de Ascensione Domini* v.

SYNOPSIS.

I. Dies Ascensionis diei Natalis Domini comparatur. II. Ascensionis mysterium fidem confirmat. III. Christus ascendens in cœlum non deserit homines; præsenti omnibus caute serviendum.

I. Miror interdum, Fratres dilectissimi, unde istud fiat, ut hic magnæ celebritatis dies non magna apud quosdam frequentia celebretur, et quomodo non præcellat occursus ad Ecclesiam concurrentium, cum præcellat privilegium gaudiorum. Unde enim minor dies hic habendus est festivitatis atque conventus, quam ille illustris dominici Natalis dies[6]? Ille siquidem dies Dominum ac Salvatorem nostrum terris dedit; hic cœlo reddidit. In illo, Dominus vere homo esse dignatus est; in hoc, vere Deum confessus est. In illo gratiam dignatissimæ humilitatis; in hoc, fidem in divinitate majestatis asseruit. In illo virginalia uteri; in hoc cœlestis throni claustra reseravit. In illo die descendit redempturus nos; in hoc pro nobis interpellaturus ascendit[7]. In illo a Patre missus est, in hoc receptus; licet a Patre nec tunc abfuerit, cum nobis affuit, et ita visitaverit terram ut cœlum non deseruerit[8]. Insigni ergo, ut supra diximus, ac præcipua festivitate prosequendus est, Fratres dilectissimi, dies iste, qui ante nobis (dies)[9] Jesum redemptorem nostrum, quem profitemur Deum, approbavit, qui cum ascendit in cœlum etiam hoc declaravit, se descendisse de cœlo: « Nemo ascendit in cœlum[10] nisi qui de cœlo descendit, » Filius hominis (j); » et de quo futurum multo ante Propheta prædixerat dicens: « A summo cœlo egressio » ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus (k). » Et idcirco quia occultus fuerat descensus ejus in terra, voluit ut manifestus esset et ascensus: et quia oculis hominum non patuerat, cum de cœlo veniret, consuluit fidei nostræ ut manifestus esset cum in cœlum rediret. Misericors enim et miserator Dominus, dum redemptioni

(a) Isaï. v, 4. — (b) Id. xlii, 3, 4. — (c) Id. l, 6. — (d) Id. liii, 4. — (e) Psal. cxviii, 120. — (f) Id. lxviii, 22. — (g) Matth. xxvii, 46. — (h) Ibid. 45. — (i) I Joan. i, 5. — (j) Joan. iii, 13. — (k) Psal. xviii, 7.

[1] Vide pro isto textu Serm. xxv in Psal. cxviii, n. 6. — [2] Cod. male *Inquirebant* pro *inquirerent*. — [3] Id. *alter alterum compellendo*. — [4] Id. *carcis*. — [5] Id. *in sæculum*. — [6] De Natalis et Ascensionis comparatione vide Homil. sancti Hilarii Arelatensis apud Combefisium tom. iv, fol. 425. — [7] De hujusmodi sententia vide Homil. Eusebii Episc. Gallicani in Bibliotheca Patrum tom. vi, fol. 647. — [8] Codex male *deservuit*. — [9] *Dies* videtur abundare; sensus enim videtur quod *ille dies nobis ante approbavit tanquam Deum Jesum redemptorem nostrum, quem talem profitemur*, id est, ejus Divinitatem demonstravit. — [10] Vide Homil. de Ascensione apud Combefis. tom. iv, fol. 413.

nostræ ac saluti prospicit, dum se ad salvandum humanum genus offert, homo apparuerat, opprobria, supplicia, crucem, sepulturam et omnia humana infirmitatis indicia pertulerat, et patuerat hic incredulitatis locus. Dum fidelium saluti Redemptor pius consulit, recte prospexit ut quia propter nos hominibus apparuerat ejus infirmitas, in hoc die ejus fieret manifesta Divinitas, ut quem verum fuisse hominem cum hominibus vidimus, verum esse et Deum cognoscamus[1].

II. Hic itaque Dominus et Deus noster hominibus, ut Scriptura ait, « Præbuit se ipsum vivum post passionem » suam in multis argumentis per dies quadraginta appa» rens eis et loquens de regno Dei (*a*). » Et post crucem et mortem, antequam in cœlum ascenderet, hominibus in terris visus apparuit per hos dies quadraginta, quos a Paschæ exordio usque in hunc diem remissioni nostræ dedimus, quia tempus fuit lætitiæ, non mœroris : dixerat sane et ipse : « Numqnid possunt filii sponsi jejunare quandiu » cum illis est sponsus (*b*)? » Hos dies cum implesset[2], tunc palam, « Videntibus hominibus, in cœlum elevatus » est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum (*c*). » Audiat hoc Judæus, audiat confundaturque Gentilis. Si irrident ascensum in crucem, audiant ascensum in cœlum. Si objiciunt humilitatem illam, diei hujus audiant claritatem. Et post hæc : « Ecce, inquit, viri duo astiterunt in ves» tibus albis, qui et dixerunt : Viri Galilæi, quid statis » aspicientes in cœlum? Hic Jesus, qui assumptus est a » vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum » euntem in cœlum (*d*). » Ergo cum universa complesset, propter quæ in terra descenderat, reversusque esset in cœlum, astiterunt subito qui confirmarent videntes, ne forte phantasma putaretur, ut non solum per eos contestaretur ascensus ejus, verumetiam et adventus promitteretur. Idem etiam et Evangelii lectio decursa testatur dicens : « Et factum est, dum benediceret illis, recessit » ab eis, et ferebatur in cœlum, et ipsi adorantes regressi » sunt in Jerusalem cum gaudio magno (*e*) ; » quod Salvator noster humiliatus est propter nos, hodie et pro nobis clarificatus est[3]. Carnem enim nostram, quam in terra est dignatus assumere, hodie etiam in cœlum revexit ; nec salvasse hominem contentus est[4], etiam glorificare voluit. Ostendit deinceps posse homini cœlum patere, cum in illa sublimi sede primus imposuit ; honoravit pius Dominus limum nostrum, et terram nostram in cœlum suum vocavit. Quadraginta igitur dies primitus jejunavimus, quadraginta sunt insequentes, quos refectioni nuper indulsimus.

III. Sed sicut sequitur in illorum fine Paschæ festivitas, ita sequitur et in horum consummatione ista solemnitas, magna plane, ac præcipua, qua Dominus et Salvator noster ita nobiscum esse desiit, ut tamen nobiscum esse non desinat. Nam sicut tunc, cum apud nos in corpore esse dignatus est, non defuit Patri, ita nunc, cum ad Patrem reversus est, non deest nobis. Non ergo abjecte nos tanquam alienos deseruit, sed nobiscum est et conversatur nobiscum ; ipse enim dixit : « Non turbetur cor » vestrum, neque formidet (*f*). » Et paulo post : « Vado » et venio ad vos (*g*). » In medio nostri est. Ipse nunc mœrentibus[5] consolator, laborantibus auditor, periclitantibus auxiliator adest. Ipse nunc miseris levamen, ipse afflictis opem suggerit. Nobiscum, inquam, nobiscum est ; nec solum laboribus nostris, sed et sermonibus et cogitationibus interest. Rimatur atque introspicit cor nostrum. Videt quid manus nostra, quid lingua, quid sensus parturiat. Quo magis nobis sollicite, pie, casteque vivendum est, cum agamus utique sub oculis ejus? Dico enim, Fratres, quod vobis quoque bene notum est. Servi enim negligentiores, cum ante oculos carnalium dominorum sunt, verentur, pavent, et contremiscunt. Nihil admittere audent delicti, nisi forte cum jam remotos latere se posse arbitrantur. Tu effugere oculos Domini tui non potes. Quocumque abieris, tecum conscientiam trahis. Et ille quidem servus, si hæc possit esse conditio, ut in conspectu temporalis domini dies noctesque ageret, non facile delictis vacaret. Tu, cujus Dominus absentiam non habet, quia omni loco adest, quam in timore ac tremore debes servire castam servitudinem ! Illi, inquam, Domino, qui sicut abesse non potest, cum miseretur, custodiæ tuæ, ita deesse non potest, cum irascitur[6], culpæ tuæ ; illi, inquam, Domino, ita pio ut justo, et ita terribili ut misericordi, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XLI.

De Ascensione II.

Legitur in Cod. Cass. XII, *fol.* 204, *cum nomine S. Augustini, cui rite ascribendus. Ponatur post præcedentem cum numero de Ascensione* VI.

SYNOPSIS.

I. Exordium. II. Quadraginta dies a Resurrectione ad Ascensionem sunt quasi retributio abstinentiæ quadragesimalis. III. Ascensionis veritas certa fuit testimonio Discipulorum. IV. Angeli quoque in testimonium fidei venerunt ; unde comparatio diei Nativitatis et Ascensionis Domini. V. Christus ascendit rediturus.

I. Etsi ad demonstrandam Dei Ascensionem Apostolorum Actuum (lectio) satis sufficiat[7], quæ ordinem ipsius Ascensionis ostendit, tamen etiam nos, Dilectissimi, tacendum nobis non arbitramur, quia æquum est ut omnis Ecclesia hodie exultet in terris, quam hodie Dominus levavit in cœlis. Ergo quia in divinis Scripturis nihil est[8] supervacuum[9], quantum divino munere possumus, divinorum verborum rationem videamus.

II. Jampridem enim hoc quod quadraginta potissimum diebus conversantem Scriptura Dominum cum Apostolis dicit, non otiose positum existimo, ita ut mihi quasi retributio quædam in hoc quadragesimæ abstinentiæ facta esse videatur[10]; ut[11], quicumque quadraginta dierum laborem Dei honore tolerassent, quadraginta nunc diebus quasi Domino hic posito et præsente gauderent, et quos timor Dei humiliasset, Dei nunc solatia sublevarent. Magna enim et ineffabilis merces, ubi eis qui tale aliquid agunt pro affectu suo, se ipsum Dominus tribuit in præmio. Unde æstimare ex præsentibus futura possumus, quod in quantum quis pro honore sui fecerit, in tantum præsentiæ[12] ipsius consortio non carebit.

III. Deinde illud quale est, quod ascendisset in cœlos Dominus, præsentibus multis videntibusque, cognoscimus; utique, ut illorum visio, nostra fides esset. Illi enim viderunt, ut nos crederemus; illi aspexerunt oculis corporalibus, ut nos animarum oculis cerneremus. Et hoc, non pauci aut viles homines, sed et multi, et probatissimi; ut hæc corroboraret eorum pluralitas testimonia, et confirmaret sanctitas veritatem. Etenim si in quibusdam causis, duo-

(*a*) Act. I, 3. — (*b*) Matth. IX, 15. — (*c*) Act. I, 9. — (*d*) Ibid. II. — (*e*) Luc. XXIV, 5, 52. — (*f*) Joan. XIV, I. — (*g*) Ibid. 28.

[1] Codex male *videamus... cognoscimus*. — [2] Vide Serm. CCLXV, n. I. — [3] Ibid. n. 8. — [4] Codex male *contemptus est* ; non legitur *voluit* ; sed hoc aut aliud simile verbum sensus requirit. — [5] Codex cum errore evidenti *majestatis*. — [6] Codex male *irascere*. — [7] Id. *sufficit*. Non reperitur verbum *lectio*, necessario addendum. — [8] Codex *in ea ut* ; quæ verba abundare videntur. — [9] Codex *ipsa in quantum* ; quæ iterum abundant. — [10] Vide Serm. CCLXIII, n. 4 ; et Quæst. LVII, n. 2. De quadragenario numero ubi sacramentum laboriosæ hujus vitæ, vide de Consensu Evangelist. lib. II, n. 9. — [11] Codex *utique*, male, ut videtur. — [12] Codex male *præsentiam*.

bus aut tribus testibus creditur, quanto magis indubitabilis esse veritas debet, ubi quod populo dicitur, populi testimonio comprobatur, et quidem populi fidelis ac sancti; neque enim ambigimus quod boni ac fideles fuerunt, qui ascendentem Dominum videre meruerunt. Quod illi viderunt, quasi cum illis nos videre credamus. Neque enim dubitare debet populus fidelium, cui testimonium dicit turba sanctorum.

IV. Huc accedit quod etiam duos Angelos astitisse plebi legimus præsenti ad prædicationem. Bene utique astitisse Angelos populo tunc Scriptura memoravit, ut agnosceremus quod ascendenti in cœlum Angelorum officium[1] occurrisset ad terras. In quo mihi etiam illud non prætereundum videtur, quod consimilis admodum honori dominicæ Nativitatis, est honor dominicæ Ascensionis. Nascituro enim Gabriel angelus mittitur; et nunc Angeli, Domino ascendente, mittuntur. Tunc stella indicat natum, nunc nubes suscipit revertentem. Tunc psallebant Angeli in terris, nunc testantur in terris. Tunc pastores audiunt, nunc populus intuetur. Tunc muneribus Magi honorant, nunc visu Apostoli prosequuntur. Sicut ergo tunc, nascenti[2] Domino, honoris sacri testimonia non defuerunt, ita ascendente non desunt, ad confirmandam utique fidem generis humani; ut quem acceperant homines in carne assistentem, eumdem viderent in majestate ascendentem.

V. Rediit ergo ad cœlum, Dilectissimi, unde descendit. Rediit quidem, sed tamen et ad nos jamjam rediturus est. Quid enim præsens lectio docuit? « Viri Galilæi, quid » statis (*a*), » et reliqua. Si rediturum ergo Dominum nostrum credimus, Dilectissimi, nos expectare debemus, ne sic nos comprehendat adventus illius non suspicantes, sicut comprehendit nunc castigatio delinquentes[3]; cohærentia[4] ergo præsentium, futurorum imaginem in se habet.

VI. Cavendum est ergo, Dilectissimi, ne si præsenti verbere non corrigimur[5], futura severitate damnemur. Sic enim Apostolus dicit : » Dominus sicut fur in nocte, » ita veniet (*b*), » et reliqua. Videtis, Dilectissimi, qui securitatem rei exitus et quæ supplicia consequantur. Quæcumque ergo perferre nolumus, quasi perferenda timeamus. Sic enim erit ut unusquisque non patiatur, dum timet esse passurum; et videns correctionem nostram pius ac misericors Dominus noster, et præsentia indulgeat et futura concedat; sitque indulgentia præsentium spes futurorum per vitæ nostræ emendationem, ut dum veniam de præsentibus capimus, etiam de futuris sperare possimus.

SERMO XLII.

Dominica infra octavam (forte Ascensionis.) De Beatitudinibus.

Duo Codices Cass. concordant in tribuendo hunc Sermonem sancto Augustino, nempe Cod. XVIII, *fol.* 307, *et Cod.* C, *fol.* 2. *Ad utriusque fidem emendatus habetur. Locus ejus post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Beatitudines a Christo in terram allatæ. II. Promissæ virtuti, non vitio. III. In finem perseverandum. IV. Per solam perseverantiam habetur corona.

I. Dominus noster Jesus Christus virtute[6] Patris « Extendit cœlum sicut pellem (*c*); » fondavit terram super aquas, hominem propriis manibus plasmavit ad suam similitudinem, qui postmodum de vita[7], inimici suasionibus, devolutus est in mortem, et per innumerabilia sæcula regnante morte, ipse post modum ad terras venire dignatus est, ut nobis terrenis hominibus cœlestia seminaret; et nobis, calcato diabolo, ut[8] præcepta cœlestia fideliter exercentes in terra, in cœlis ab ipso recipiamus sempiterna, promisit pœnitentibus uno sermone regna cœlorum. Beatos dixit, non divites, sed qui propter regna cœlorum voluntarie fuerint pauperes. Itaque et mansuetis terram paradisi repromisit; lugentibus peccata, beatam consolationem; esurientibus et sitientibus justitiam, æternam saturitatem; misericordibus, beatam misericordiam; et mundis corde, suam visionem cum beatitudine præbendam[9]; pacificos vero non tantum labiis, sed corde puro, beatos et filios Dei repromisit; propter nomen vero suum patientibus persecutionem, non solum beatitudinem, sed et largiter repromisit regna cœlorum.

II. Unde, Dilectissimi, nobis tantas beatitudines repromissas, » Qui potest capere, capiat (*d*); » si tamen terrena infidelitate non deprimitur, convertat[10] omne desiderium ad cœlestia; quia » Regnum cœlorum vim patitur » et qui vi potiuntur, ipsi diripiunt illud (*e*), » non qui temporalia, sed qui futura desiderant. Et si quis est deditus avaritiæ in terris, convertat in bonum[11] avaritiam suam, et sit avarus in cœlo. Sed dicet aliquis : Quomodo amplius erogem, » Ut ibi centoplum recipiam (*f*), quia qui » parum seminat, parum et metet (*g*). » Amator qui erat luxuriæ, sit modo amator castitatis; qui ebrietate erat deditus, nunc sit sobrietatis amicus; qui superbiæ et malitiæ erat servus, nunc humilitatis et pietatis sit filius. Hoc est quod ait Dominus : « Regnum Dei intra vos est (*h*), » et inimici hominis domestici ejus (*i*). » Quomodo? audi Apostolum dicentem : » Si enim secundum carnem » vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mor» tificaveritis, vivetis (*j*); » quia » Arbor bona bonos » fructus facit; ex fructu enim arbor cognoscitur (*k*). » Si ergo sumus arbores bonæ, id est homines justi, pii et fideles, ac misericordes, faciamus fructus justitiæ et sanctitatis; quia si fuerimus arbores malæ, id est, homines impii et dolosi, cupidi et peccatores, excidimur; id est in diem[12] judicii, divino gladio bis acuto, et in ignem æternum mittimur.

III. Ibi erit[13] discretio boni et mali, sicut audistis in præsenti lectione : » Omnis qui audit verba mea, et facit » ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum » suam super petram; descendit pluvia, et venerunt flu» mina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, » et non cecidit; fundata enim erat supra petram (*l*). » Dominus enim noster, qui nos usque immobiles, et in æternum, non per otium, sed per laborem salvos esse desiderat, post omnes beatitudines vel innumerabilia præcepta, novissime hanc conclusit parabolam, ut hic » Sal» vus sit, qui perseveraverit usque in finem (*m*). » Domum enim quam significat ædificatam supra petram, quæ nullis adversis potestatibus potuit commoveri, fidem nos-

(*a*) Act. I, 11. — (*b*) I Thessal. V, 2. — (*c*) Psal. CIII, 2. — (*d*) Matth. XIX, 12. — (*e*) Id. XI, 12. — (*f*) Id. XIX, 29. — (*g*) 2 Cor. IX, 6. — (*h*) Luc. XVII, 21. — (*i*) Matth. X, 36. — (*j*) Rom. VIII, 13. — (*k*) Matth. VII, 19, 20. — (*l*) Ibid. 24, 25. — (*m*) Id. X, 22.

[1] Codex male *officio*. — [2] Codex per errorem *ascendente*. — [3] Vide Serm. CCXXVII, n. 17, et Serm. CCLXV, n. 2. — [4] Codex male *cohæretico*. — [5] Id. *corrigere*. — [6] Cod. C male *virtutem*. — [7] Id. male *debita*. — [8] Id. male *ut nobis calcato diabolo præcepta*. — [9] Id. male *prebentur*. — [10] Id. male *convertatur*. — [11] Cod. XVIII minus bene *in bona*. — [12] Cod. C *die*. — [13] Id. *ibi enim*.

tram in Christo firmam ostendere voluit, quæ nullis diaboli tentationibus commovetur, sed armis spiritualibus repugnando, triumphato hoste, coronam accipere meretur. Ergo domus est sancta Ecclesia, vel fides nostra, quæ est supra Christi nomen fundata, sicut ipse Dominus ait ad beatum Petrum apostolum: « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam (*a*). » Flumina sunt regna Gentilium, quæ fluctibus, id est, duris persecutionibus, vel pluviis, quæ sunt[1] populi gentium, vel etiam ventis, qui sunt diaboli spiritus, (hanc) evertere voluerunt, sed non potuerunt, quia fundata erat supra petram. Potius vero ipsa tempestas, illidendo confracta est, quam domus concussa.

IV. Ergo, Dilectissimi, nobis dum tempus est ædificandi, fundemus in Christo fidem nostram, et intrinsecus sanctis repleamur operibus, ut cum venerit tempestas, qui est hostis occultus, confringatur potius quam evertat. Et nunc hostis vobiscum est; intus in pectore latet, sicut Apostolus ait: « Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret (*b*). » Nunc blandimentis seducit, ut decipiat fidem nostram; nunc adversis tentat propositum nostrum, si potest evertere; nunc cogitationibus malis insistit, si potest movere cursum nostrum. Unde, Dilectissimi, ex nobis[2] qui in prosperis sapienter et firmiter ædificaverit, in adversis non tantum fortior, sed et laudabilior invenitur, quia « Cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se (*c*). » Nam super arenam quæ est domus ædificata, hi sunt, qui aut dubia fide sunt, aut etiam sunt hæretici, aut falsi christiani, aut non custodientes propositum continentiæ vel castitatis, et aliud sunt in occulto, aliud coram hominibus. Et quia semper fuerunt mobiles, sicut arena, cum venerit tempestas, funditus evertentur, quia stare non potuerunt, et « Fiet ruina animæ eorum magna (*d*)[3]. » Unde, Dilectissimi, vigilando satis agendum et laborandum est, dummodo per Christum adversa superemus, et æterna prospera consequamur: qui vivit et regnat cum Patre Deus, in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XLIII.

In Die Pentecostes I.

Legitur in Cod. Cass. CVI, *fol.* 222, *cum nomine sancti Doctoris; nihil occurrit quod dubium afferre videatur. Ponatur post Sermonem* CCLXXI, *cum numero in die Pentecostes* VI.

SYNOPSIS.

I. Exordium de gratia festi. II. Discipuli, sancti Spiritus gratia ebrii. III. Apostoli tribus Pueris in fornace comparati.

I. Felix est dies hodierna, Fratres charissimi; amabilis est et grata[4], in qua a Domino Discipulis sunt impleta promissa. Rogo ergo vos in unum, dilectissimi Fratres, ut mihi orando impendatis adjutorium ad divina explicanda, quæ intendo, et veniam peto, si alicubi offendo.

II. Solemnitas enim Paschæ pervenit usque ad finem, non perdens jucunditatem, sed præparans dignitatem: ut enim fuit initium gratiæ, sic hodie finita est laus canticorum. In una enim domo collecti erant Apostoli nostri, expectantes adventum Spiritus sancti, et ecce subito fit cœlorum sonus, et a Discipulis Judæorum tollitur onus. Cum multis, inquit, verbis locuti essent Discipuli, credebantur ebrii, qui videbantur mane jejuni. Nec immerito talis de cœlo lapsus est gustus, quia vitis dictus est Christus. Sic enim ait: « Ego sum vitis, et Pater meus agricola (*e*). » O vinum ebrietate sobrium, quod crapulam fidei eructabat! O vinum ex vite solemni calcatum, sed de botryone divino confectum! Digna similitudo! quemadmodum botryo ille portabatur a stipite, ita Christus pendebat in cruce. Erant enim Discipuli, sancti Spiritus pleni; Spiritus enim sanctus, qui ipsam Virginem Mariam gravidaverat, sed non violaverat, ignis super Apostolos descenderat, sed nec capillos eorum incenderat.

III. Quod aliquando in tribus Pueris fecerat, nunc hodie Christus amplius in duodecim fecit Apostolis. Illi enim tres Pueri in caminum ignis mitti potuerunt; ligati caminum introierunt, sed in flamma soluti deambulaverunt. Regem ferocissimum ad fidem converterunt: propter istorum autem miraculum Apostolorum, tria millia hominum crediderunt. Sed illud, Fratres, quomodo animo occurrit meo, pro solemnitate et gaudio nullatenus vobis reticere debeo. Certe sicut majores tradiderunt, in ista fornace flamma ab ostio ejusdem fornacis quadraginta novem cubitis fundebatur, quod erat numerus quadragesimus in septem hebdomadarum mysterio dedicandus[5]. Septies enim septem quadraginta novem faciunt. Ubi est ergo dies unus? Ipsum quæramus, ut compleatur numerus quinquagesimus. Intus erat, erat dies iste in camino ignis cum tribus psallentibus Pueris, et refrigerium donans roris, et flammam extinguens ardoris. Videntes autem ministri fornacis rem insolitam, dicunt regi: O rex, veni et vide. Caminus sulfure et bitumine inceditur; flamma exaltatur; corpus non ustulatur; ad hoc et numerus multiplicatur. Audiens autem rex venit cum summa alacritate, et antequam intenderet in fornace, lux ei ante radiabat in corde, dixitque amicis suis: « Nonne tres viros ligatos misimus in fornacem? « Et dixerunt regi: Vere est (*f*). » Et rex plenus fide ait illis: Sed ecce ego video quod vos non videtis. Ardor est nescio quis, qui est lux intus in anima mea. Amici mei esse potestis, sed in cor meum[6] introire non potestis. Video ego, inquit, quod vos non videtis; video rem admirandam et miram. Caminus enim, qui consueverat homines igne cremare, didicit Angelos generare. Jam finiatur amicitia vestra, quia fides est amica in anima mea. Nolo, inquit, sitis amici mei; non habeo fidem sermonibus vestris; Deum video oculis meis; visione magnifica repleti sunt oculi mei, quia visus istius quarti similis est Filio Dei. Certe, o amici mei, vos scitis mecum, quia tres missi sunt in caminum; quomodo ergo quatuor ambulant in incendio[7]? Quid est hoc? ignis in me divinus ingreditur; amicitia vestra a me expoliatur, et fides amica subsequitur. Hanc fidem, Fratres, cordibus teneamus, ut sanctum Spiritum cum Apostolis teneamus.

SERMO XLIV.

In die Pentecostes II, sive de adventu Spiritus sancti.

Hic Sermo est Sermonis CLXVII *Appendicis supplementum, qui S. Augustino abjudicatur a Maurinis, sed, ut videtur meæ mediocritati, perperam. Nam* 1° *Codex noster et Florentinus habent sancti Doctoris nomen;* 2° *fragmentum a Maurinis citatum, cum*

(*a*) Id. XVI, 16. — (*b*) I Petr. V, 8. — (*c*) Jac. I, 12. — (*d*) Matth. VII, 27. — (*e*) Joan. XV, 1. — (*f*) Dan. III, 19.

[1] Cod. e pessime *populis, quæ est.* — [2] In duobus Codicibus non legitur *er*, quod videtur necessario supplendum. — [3] Duo male habent *magna*. — [4] Vide Serm. CCLXXI, n. 1, et CCCLXXVIII, n. 1. — [5] Vide Serm. CCLXVIII, n. 1. — [6] Cod. male *in corde meo.* — [7] Cod. male *in incendium.*

eorum pace dixerim, nihil habet auctoris cujusdam ignobilis, imo plurimum sapit Augustinum; 3° supplementum hoc nostrum totum Augustinum repræsentat, ut patet ex notis. Eruitur ex Cod. Cass. xii, *fol.* 207. *Locus ejus in Editis pòst præcedentem cum numero in die Pentecostes* vii.

SYNOPSIS.

I. Comparatio Apostolorum et Puerorum in fornace. II. Apostoli linguis loquuntur; eorumdem gloria. III. Montis Sina et Cœnaculi collatio. IV. Epilogus.

I. Fratres dilectissimi, quadragesimum nuper diem solemniter celebravimus, in quo quadriformis totus lætus est mundus. Sed quasi denario[1] a quatuor cardinibus sacramento perfecto, vicini facti sumus cœlo et Spiritui sancto, ut propter sanctificationem orientis, occidentis, aquilonis, et austri[2] sanctus Spiritus quinquagesimo descenderet die, linguarum cœlestium rutilans ignea sanctitate; sed ipse ignis purgavit potius quam cremavit[3], et super linguas refrigerio sanctificationis insedit, quia ipse flammas in camino restinxit. Novit Spiritus sanctus ignem facere amœnum, qui reddidit amœnatum rorante flamma caminum. Delectat attendere labia Apostolorum, delectat attendere etiam ora stillantia Puerorum; igneas utrobique fecit linguas, et super Apostolos, et super Pueros. Ipse est enim qui sanctificavit patres, et nobis linguas fecit loqui cœlestia piscatorum[4]. Quis non stupuit ad ora Puerorum deambulantium in plateis flammarum, cum dicerent: « Benedictus » es, Domine Deus patrum nostrorum (*a*). » Stupuerunt attonita mirantium labia Chaldæorum et organa innocentium insolito modo cantantium. Persica pontus contremuit illos inter ignis[5] lucentes et ludentes spatium, atque barbaricis conspectibus facientes Persas attendere, et novos hymnos audire; sicut modo delectabat convenientes ex omni sæculo nationes Apostolorum linguas attendere, omnes sua labia recognoscentes, quia Spiritus sanctus de diversis novit facere unitatem[6]. Attendebat unusquisque linguas proprias cognoscentes, et Apostolos toto sæculo concordantes.

II. Oportebat enim eos[7], qui totis fuerant prædicaturi gentibus regnum, omnium linguas gaudere facere nationum. Una lingua loquebatur, et ab omnibus intelligebatur, et erat velut manna de cœlo, quod in una erat specie, et desiderantibus exhibebat diversum variumque saporem. Ipse enim erat, qui hoc agebat, qui suam donat omnium in unitate notitiam. Sicut enim ipse Spiritus sanctus unus est Deus, et dona multa dignatur refundere sine donorum distinctione, ita una lingua erat et omnis qui aderant cognoscebant. Delectatur visus, delectatur et sonus, quia rixare talis non novit intellectus; quasi regalia[8] diademata super frontes labiaque pinxerat piscatorum. Rex enim est qui de cœlo descendit; ideo sedit super labia eorum tanquam super thronum suum, quia in illis collocabat, id est, proprium dominatum. Istud bene novit Spiritus sanctus, qui semper est Deus in filiis et in patribus, in prophetis et in piscatoribus; in alto semper diligit requiescere.

III. In superioribus Cœnaculi invenit Apostolos, et scripsit Legem in mentibus eorum, qui in alto monte Legem in tabulis scripserat: in tabulis lapideis propter duritiam cordis Judæorum; at nunc in mentibus Apostolorum: quia ibi terror, et hic amor. Ibi scripsit Legem cum fulgore præmicante; hic instruxit Apostolicas linguas in igne refrigerante. De monte illo fugiebant populi, ne vocem Dei terribiliter loquentis audirent; hic omnes de toto sæculo nationes non fugiunt, sed conveniunt audire loquentem in organis suis Spiritum sanctum.

IV. Audistis nominatos Parthos, Medos, Indos et Persas, Cretes et Arabes, ac cæteros quos lectio Actuum Apostolorum nominavit; totus mundus ibi erat; quadragesima dies Ascensionis Domini eos congregaverat: quia decem præceptorum numerus totam auctoritatem Scripturarum complectitur in orbe terrarum. Ideo quatuor deni faciunt quadraginta, superest alius denarius, qui est vitæ æternæ denarius, ut mercedem de pignore sancti Spiritus acciperent Piscatores. Inventum est, impletum est quod promissum est. Data est denarii pretiosi decima sacramenti arrha; superest quinquaginta dierum gratia promissa, et perfecta lætitia. Conclusum est Pascha, tacet Alleluia; sed non cum mœstitia; quia pignus sancti Spiritus accepimus pretiosum: ut quotidie habeamus ipso habitante solatium, ut cum Christo vivamus, et per ipsum ad Pascha venturi temporis incolumes iterum veniamus.

(*a*) Daniel. iii, 26.

[1] Vide Serm. cclxx, n. 6. — [2] Id. cclxvi, n 6. — [3] Id. cclxix, n. 1. — [4] Codex male *piscatores.* — [5] Id. *persica pon* (sic) *contremuit. Illos inter igne lucentes et ludentes spatium, quæ.* — [6] De unitate vide omnes Sermones in Pentecoste. — [7] Codex male *ut qui.* — [8] Codex male *regula.*

SANCTI AURELII

AUGUSTINI,

EPISCOPI HIPPONENSIS,

SERMONES INEDITI.

CLASSIS III.

SERMONES DE SANCTIS.

SERMO XLV.

De Castitate Joseph Patriarchæ.

Extrahitur ex Cod. Cass. XII, *fol.* 103. *Manifestus est sancti Augustini stylus; nomen ejusdem in Codice præfigitur. Ponatur inter Editos ad principium Classis* III *de Sanctis ante Sermonem* CCLXXIII.

SYNOPSIS.

I. Introductio ad Josephi historiam. II. Joseph venundatur in Ægyptum serviturus. III. Joseph tentatur. IV. Joseph tentationem victor repellit. V. Joseph calumnia probatur, et præparatur ad futuram exaltationem.

I. Condecet[1], Fratres, agonem hujus certaminis enarrare, in quo Joseph meruit arietem libidinis superare. Condecet occulta declarare certamina, quia custodia martyrum magnam fecit victoriam. Non debet celari quomodo potuit inimici subtilitas superari, quia dum fuerit declaratum, tunc castitatis amatores incipiunt confortari. Ista enim certamina præliantibus magnam præstant audaciam, unde necesse est ut castis reddatur, et pudicis exponatur, ut dum Joseph pro castitate coronatur, et victa Ægyptia superatur[2], diabolus semper in omnibus confundatur.

II. Igitur beatus iste Joseph erat nobili genere ortus, juvenis in ætate, pulcher corpore, et pulchrior castitate. Hic invidia fratrum Ismaëlitis puerulus venundatur, cujus fratres vel divitias nescientes vendiderunt[3], et vile mancipium in Ægyptum[4] perducunt venale. Iterum ponitur, semel nascitur[5], et secundo distrahitur, venditur, comparatur, non servituti damnandus, sed ad magnam gloriam destinandus. Non enim Joseph hominis imperio subjugatur, in quo sic castitas gloriatur, quia etsi denuo venundatur, sed libertas in eo nunquam penitus minoratur. Servus venditur, et dominus collocatur. Latet pariter et potestas; humilis erat puer, crescebat, dominis fideliter serviebat, et dignitas in moribus refulgebat; portabat in animo puritatem, occultabat in genere dignitatem, et ostendebat in moribus libertatem. O vilis distractio et magna comparatio! Servus et liber; servus pro invidia, liber pro justitia; servus ne dissipet charitatem, liber ut vindicet castitatem. Servit fideliter et pugnat audaciter. Exercuit fidem, et meruit ad majorem gloriam pervenire. Et ideo dominatur dominus, quia dum eum infelix mulier in occulto tentavit, domini sui fidem ex integro conservavit[6].

III. Venundatur igitur Joseph castissimus, in ægyptia domo traditur, Pharaoni regi[7] fideliter serviturus. Diligitur a domino, et amatur a domina. Sed domini sincera dilectio, quia ille pro fide puerum diligebat; nam illa causa libidinis amplectebat. Dominus in fide probata lætabatur, et domina in decore corporis angebatur. Crescente autem tempore, crescebat et juvenis pulchritudo. Et quantum ille crescebat in corpore, tantum Ægyptiam pro crimine amor urgebat ad libidinem; quæ cum diutius jam ferre non posset igneum caloris ardorem, splendentis juvenis inflammata decore, cogitat, diabolo immittente, quomodo posset innocentem solitarium capere in silentio. Cœpit ergo primitus meretrix semetipsam aptare, putans

[1] Cod. male *non decet*. — [2] Abundat particula *et*, quam delevimus. — [3] Verba *vile mancipium* reperiuntur in S. Ambrosio, de Josepho Patriarcha, Expos. in Psal. CXVIII, n. 31, fol. 835. — [4] Codex male *in Ægypto* — [5] Sic Codex evidenter mendose, forte *in cisternam injicitur*. — [6] Vide Sermones CCLXX, n. 3, et CCCXLIII, n. 6, 7, 8. — [7] Non Pharaoni regi, sed ejusdem Spadoni, ut dicit Augustinus Quæst. in Genes. Quæst. CXXXVI. servivit Joseph. Unde credendum est aut sanctum Doctorem loquendo lapsu memoriæ, aut amanuensem scribendo attentionis defectu errasse.

juvenis animum facile inclinare; aromatibus pretiosis vestem fumigat; unguento mortifero corpus inundat; ita ut, antequam oculis videretur, si homo ferreus esset, odoribus facile moveretur. Sed ipsius athletæ luctamen, Fratres, primitus declaremus, quomodo pugnavit, vel qualiter adversa tentamenta fortissimus superavit. Primitus eum juventus propria provocabat; secundo libido intrinsecus titillabat; foris vero mulier expugnabat, omniumque bonorum copiam promittebat, quando adversus eum aditum inquirebat, quia desiderio suo satisfacere cupiebat. Cumque se impudens fœmina tantis illecebris circumdata, minime cerneret juvenem capere posse, ipsa etiam per se ipsam in cubiculum ingressa, dum intrantem intrinsecus cernit, conclusit juvenem, solitarium comprehendit; stetit in fauce libido; fit longa certatio, in qua Angelorum et dæmonum præsto est expectatio. Expectant utrique exercitus, utrique certatim[1] libidinem et castitatem pugnantes sustinent, quis de duobus vincere potuisset. Joseph desursum Angeli confortabant, Ægyptiam deorsum dæmones provocabant; illi juvenem protegebant, illam dæmones compellebant. Et quantum in illa ardorem corporis dæmones suscitabant, tantum Christus suo militi duplicata arma desuper ministrabat. Nec poterant pestifera blandimenta casta concutere fundamenta; quia ut non moverentur occulta secreta, Joseph fundatus fuerat super petram. Alloquitur itaque impudens fœmina conclusum in cubiculo juvenem, primitus verbis[2] minacibus terrens, et sic postea blandimenta ostendens: Domina sum, inquit, tua, et maxima pecunia te mihi in famulum comparavi; qui nisi consensum dederis, vincula te manebunt, et carceres, atque exitus implacabiles; si vero consenseris, in honore maximo eris, et omnia in tuo dominio obtinebis. Sed forsitan domesticos times, aut virum meum metuis; non timeas, non verearis; nullus videt, nullus inquiret. Ignorat vir meus quid cogitavit animus meus. Cognosce eum latere; tantum festina quæ postularis implere. Nullus scire potest secretum, nullus negotium, cum fuerit adimpletum. Accommoda jam animum, et meo desiderio præbe solatium. Omne tibi tradam imperium, si meum modo impleveris desiderium.

IV. Et Joseph: O mulier, inquit, pestifera, serpens et vipera, quid blandimentis laqueum præparas, et mei animi devotionem exagitas? Quid dicis? quid quæris? ad quid hortaris? Per quid in tantis illecebris fatigaris? Regina vocaris, et cum servo te commiscere delectaris? Si servum comparasti, exerce dominatum; si præ dilectione amplecteris, æstima tanquam ex tuo utero procreatum, aut computandum[3], aut dilige comparatum, et vivente marito, noli irruere in peccatum[4]. Servus equidem ego nunquam fui, sed sum nobili genere ortus, nepos Abrahæ et Isaac, qui cum Deo familiari fiducia loquebantur. Pater mihi Jacob, qui cum Angelo colluctatus est. Nam quod venundatus sum tibi, fratrum fecit invidia: fraternitas mihi contulit omnia, sed animæ libertas non tenetur obnoxia; quia etsi in nomine servitus comprobatur, sed occulta libertas intus in pectore conservatur. Venundatus sum tibi, et ego fateor, dico, non denego qui sum[5]; quæ jusseris obedio et observo; ad istud vero non acquiesco. Impone quæcumque volueris gravia, et faciam. Exerce dominium, habeo mecum divinum auxilium. Ostende potestatem, injice feritatem, nam meam non pollues castitatem. Sine causa tu pugnas mecum, non dormio tecum, quia est Deus vigilans mecum[6]; desine, Mulier, desine; quid dicis maritum absentem, de tuo crimine nescientem[7], et non vides Deum ubique præsentem? Clausa est janua, sed cognosce, Domina, quia Deo nota sunt omnia. In omni loco oculi ejus speculantur bonos et malos. Omnia cernit, omnes discernit; omnium prospicit desiderium, sub cujus stamus imperium; et præsente ipso habeo committere adulterium? Sile jam, Mulier, sile; recordare virum tuum, et timo Dominum tuum. Habeto præ oculis cunctorum præsentiam, et noli provocare ad facinus innocentiam. Time judicium Dei; præsentes sunt Angeli Dei. Jam non potes maculare decorem corporis mei. Quiesce, quiesce, et in tali opere obmutesce, aut absentes homines erubesce, aut præsentes Angelos contremisce. Sed ecce jam talis sum, et consentio tibi; quomodo jam domina eris, aut quale dominium adultera obtinebis? Quibus oculis maritum tuum post factum aspicies, cui insidias præparas? quibus amplexibus solito more constringes, quem interficere cogitas? quibus sermonibus alloqueris, cujus cubile infelix violare conaris? Imitare, Mulier, imitare turturem, castam, pudicam, veram, quomodo fidem servat integram. Illa enim uni viro conjuncta, alterum non requirit; etsi morte præventus fuerit, ad alium non accedit. Aves fidem diligenter possunt servare, et mortuo primo marito, non patiuntur ad alterum declinare; et tu, Mulier infelix, torum regalem festinas ab extraneo violari? Attende ad avem pudicam, et serva fidem marito. Imitare, Impudica, turturis castitatem, et immuta ab scelere voluntatem; nam meam non poteris seducere tuis blandimentis ætatem. Ista Joseph dicebat, et plus in Ægyptia ardor libidinis exurgebat; cumque jam fixum juvenem cerneret, et nullum affectum suis seductionibus carperet, amplius quam cœperat sævit. Et dum verbis perseverando concludit[8], conclusum sibi stans manibus apprehendit. Tunc athleta Christi[9] detentus, dum non inveniret qualiter posset mulierem impudicam evadere, vestem, qua opertus erat, in manibus ejus fugiendo dimisit, nudusque ab scelere foras exivit, et mulierem inanem intrinsecus dereliquit.

V. Remansit Ægyptia rea, vestem in manibus ferens, et eam pro falso testimonio tenens; stetit plena confusione, reatui obnoxia, inanis et vacua. Evadit Joseph, vestimento relicto. Exultant Angeli, lætantur Archangeli, tripudiant cœlestes amici, et torquentur de victoria dæmones inimici. Angeli in cœlis exultant cum lætitia, et dæmones in terris remanent cum tristitia. Cumque se illa videret in omnibus superatam, conversa ad virum suum, quod vincere non potuit, aliud simulavit, et castum juvenem marito mentiens accusavit. Vertit crimen in alium, quod habebat. Dicit de illo quod ipsa facere cupiebat; et inauditum condemnat, quia non potuit perficere quod quærebat. Audivit maritus falsam uxorem, et facile vertitur in furorem. Minatur, furiatur, ad magnam iracundiam excitatur, et jubet ut in carcere includatur. Intrat ligatus in vinculia prœliator, somniorum mirificus declarator. Intrat hilaris, lætus, mundus et purus, de castitate semper securus. Fit tamen tarditas, dum probatur; sed ut jam oblivio repellatur, Pharaoni regi somnus datur, ut Joseph de carcere velociter reducatur. Creditur ut somnium disserat. Dicit futura, pronuntiat et ventura; omnia declaravit, et Pharao principem per omnem terram Joseph in famia tempore collocavit. Per castitatem Joseph liberatur, per castitatem humilis exaltatur, per castitatem innocens coronatur; per ipsam imperat, per ipsam exultat[10], per ipsam justus efficitur in terris, quia per ipsam[11] nunc tripudiat coronatus in cœlis.

[1] Codex male *utrosque certatio*. — [2] Deest in Codice vox *verbis*. — [3] Phrasis hæc omnino vitiosa; scriptum fuisse primitus ultro crederem: *Aut cum pudore dilige comparatum*. — [4] Vide Serm. [illegible], n. 3. — [5] Codex male *quæ*. — [6] Augustinus in Sermone [illegible], n. 5, eadem verba repetit: *Sæpe enim absens est maritus, semper est præsens Deus*. — [7] Codex male *marito absente... nesciente*. — [8] Codex male *condit*. — [9] Non immerito dicitur *athleta Christi* venturi. — [10] Codex male *exaltat*. — [11] Id *per ipsa*.

SERMO XLVI.

De Zachæo.

Eruitur ex Codice Cass. XCVIII, *fol.* 311, *ubi reperitur cum nomine sancti Augustini, cui certo tribuendus. Locus ejus in Editis post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Zachæus exactor, vocatur ad Christum suscipiendum. II. Zachæus reddit aliena, et sua donat. III. Zachæus factus filius Abrahæ. IV. Exhortatio ad ejus imitationem accendens.

I. « INGRESSUS Jesus perambulabat Jericho; et ecce vir » nomine Zachæus, etc. (*a*). » Audivimus modo Evangelii capitulum, Zachæi gestum, ut ex ipso ejus merito, et Christi Domini liberale proferamus exemplum[1]. Ascendit in arborem Zachæus, ut Christum Dominum ex alto conspiceret quem humilis in brevi statura, videre non poterat; cupit nosse aspectu, quem noverat sensu; videre facie, quem viderat mente. In arbore stabat, sed impensurum Christum in arbore crucis, oculis fidei prævidebat. Transeuntem Dominum vidit, sed plus eum Dominus vidit; denique quod ipse petere non audebat, Dominus offerebat. Cum in arbore divina majestas[2] aspiceret, et eum videret, dixit: « Zachæe, festinans descende, quia hodie » in domo tua oportet me manere (*b*). » Promittit se Christus ad ejus domum venturum, cujus desiderantis jam possederat animum. Venit ad Zachæum Dominus, spirituales epulas præparantem, ut cujus fidem jam (non) solus noverat, ejus meritum cunctis præsidentibus demonstraret. Suscepit Deum gaudens; intravit Dominus in domum ejus, qui jam intraverat in cor ejus.

II. O felicitas sancti Zachæi[3]! quem de arbore cupiebat, præsentem hospitem in domo gaudebat. Denique advenienti munus gratissimum offert: « Ecce, inquit, dimi» dium rerum mearum do pauperibus; si cui aliquid de» fraudavi quadruplum reddo (*c*). » Totum quod habuit Zachæus obtulit. O miranda Zachæi devotio! Substantiam suam in duas divisit partes; pars proficit in misericordia, pars redditur pro rapina[4]. Non vult enim apud se quidpiam rapinarum retinere, ut possit Christi judicio plus placere, qui ex fraudibus veniam, et ex misericordia protulit gloriam. Unde Dominus Christus ejus prosequitur laudem, probat fidem, honorat ejus in munere devotionem: « Amen, inquit, dico vobis, quoniam salus hodie » huic domui a Deo facta est, quoniam et hic vere filius est » Abrahæ (*d*). » Accepit domus salutem per fidem, quam perdiderat aliquando per fraudem.

III. Lauda et exulta, Zachæe, quia hoc tibi præstitit sycomorus; sycomorus genus est pomorum non ita in Africa notum[5]. Sycomorus enim ficus fatuæ sunt. Quare ergo vidit Zachæus Christum? Quia non horruit crucis opprobrium: hoc enim tanquam stultum et fatuum ab hominibus videtur, Deus suspensus, Deus crucifixus; sed Zachæus non expavescit, quia « Quod stultum est Dei, sapientius » est hominibus (*e*). » Fuit Zachæus Abrahæ filius fide, non genere; merito, non sobole; devotione, non stirpe. Primo Zachæus, ut videret Dominum concupiscit; ut concupivit, ita et vidit. Sic et « Abraham pater vester concu» pivit videre diem meum, vidit, et gavisus est (*f*). » Zachæus Dominum suscepit, ut excepit Abraham; sed Abraham suscepit eum Angelis, Zachæus eum Apostolis: ille pergentem ad Sodomam, hic transeuntem per Judæam: sed Abrahæ benedictio[6] meruit filium; Zachæum vero in filiorum transtulit numerum: Abraham Domino filium obtulit; Zachæus substantiam obtulit: ille hæredem, hic hæreditatem: ille quod habuit pignus immolavit; hic patrimonii sui substantiam exhibuit. Ante rerum suarum eum Christo partitus est patrimonium, et sic eum Dominus Abrahæ fecit filium. Si ergo iste merito laudatur, qui antequam acciperet beneficium cum Domino Christo partitus est patrimonium, quantum debet justificatus et redemptus sanguine Christi.

IV. Ecce prædixi: tu vero, quicumque es, hoc imitare; si vis pertinere ad patrem, fac quod Zachæus fecit, et mereberis quæ ipse meruit. Similitudo enim officiorum similitudinem exhibet meritorum. Non potest esse filius, quem diversi separant actus; non potest censeri nomine, qui fuerit diversus in opere. Primo unde tibi nomen imponis, quem nec actus, nec natura commendat? unde tibi filii nomen imponis, quem nec fides nec genus probat, nec prosapies indicat? Munere enim Dei et dono in te est, ut possis, quia in te est, ut velis, quia Zachæus ideirco Deo donante potuit, quia ipso jubente voluit. Ergo nos, Fratres charissimi, de sua quisque substantia non habentibus largiatur, nec excuset se aliquis dicens: « Aurum, argen» tumque non habeo (*g*). » Deponite istam excusabilem rationem; misericordia parva est, sed corona sublimior, quam, si quis vel modicum panis esurienti et calicem aquæ sitienti porrexerit, tantum in nomine Domini, merebitur quod Zachæus meruit.

SERMO XLVII.

In Natali martyris Vincentii I.

Habetur in Cod. Cass. XII, *fol.* 317; *nomen sancti Augustini præfigitur, cui minime videtur abnegandus. Ponatur inter Editos post Serm.* CCLXXVII, *cum numero in Natali Martyris Vincentii* V.

SYNOPSIS.

I. Vincentii fortitudo. II. Fortitudo Martyris a Deo. III. A Domino petenda. IV. Passiones transeunt, minime transit gloria.

I. VINCENTII, martyris sancti, fortissimam et gloriosissimam passionem celebrare Christus solemniter jubet, et segniter prædicare videmur. Animo et cogitatione conspeximus quanta pertulerit, quæ audierit, quæ responderit, et quodam modo ante oculos nostros mirandum spectaculum constitutum est[7]. Judex iniquus, tortor cruentus, martyr invictus, crudelitatis pietatisque certamen, et hinc insania, inde victoria. Lectione personante in auribus nostris, exarsit charitas in cordibus nostris; amplecti et osculari, si fieri potest, dilaniata membra vellemus, quæ tantis pœnis sufficere mirabamur, et inexplicabili affectu, qui cruciari nolebamus. Quis enim velit sævientem videre carnificem, et hominem in corpus humanum, humanitate amissa, furentem? quem cernere deceat[8] divaricatos artus machinatione tormenti, naturæ figuram arreptam, ossa extendendo separata, exarando nudata? quis non adversetur? quis non exhorreat? et tamen hæc omnia et horrenda justitia Martyris pulchra faciebat; et ipsa pro fide, pro pietate, pro spe futuri sæculi, pro charitate Christi tam

(*a*) Luc. XIX, 1 et seqq. — (*b*) Ibid. 5. — (*c*) Luc. XIX, 8. — (*d*) Ibid. 9. — (*e*) 1 Cor. I, 25. — (*f*) Joan. VIII, 56. — (*g*) Act. III, 6.

[1] Vide Serm. CXXXIV, n. 3, 4, 5; et Serm. CXIII, n. 3. — [2] Codex male *divina majestatis*. — [3] Vide Serm. XXV, n. 8. — [4] Id. XIV, n. 2, et Serm. XXXIX, n. 6. — [5] Id. CLXXIV, n. 3. Nota sermonem hunc in Africa habitum. — [6] Cod. male *benedictionem... Filius*; et post *Zachæus*. — [7] Vide Serm. CCLXXV, n. 1. — [8] Codex *debeat*.

mirabilis fortitudo tetram et funestam tormentorum et vulnerum faciem decore gloriæ perfundebat.

II. Denique in eodem ipso uno spectaculo studia cum persecutore divisimus. Illum delectabat Martyris pœna, nos causa; illum quia patiebatur, nos quare patiebatur; illum cruciatus, nos virtus; illum vulnera, nos corona; illum quod in doloribus diotissime tanebatur, nos quod minime frangebatur doloribus; illum quia[1] vexabatur in carne, nos quia permanebat in fide. Itaque illum, ubi sua pascebat immanitas, ibi torquebat Martyris veritas; nos autem horrenda quidem jubentem vix ferebamus, sed deficiente vincebamus Vincentio. Nec noster tamen ipse loctator in se ipso aut per semetipsum extitit victor, sed in illo et per illum qui pro omnibus exaltatus præbet auxilium, qui pro omnibus passus reliquit exemplum. Ille exhortatur ad prælium, qui ad præmium vocat, et ita expectat certantem[2], ut laborantem adjuvet. Athletæ suo ita præcipit quid faciat, et proponit quid accipiat, ut etiam, ne deficiat, subveniat[3]. Oret ergo simpliciter qui simpliciter vult certare, superare perniciter, regnare feliciter.

III. Audivimus loquentem conservum et persecutoris linguam constantibus et veracibus responsionibus convincentem; sed prius audivimus Dominum dicentem[4]: « Non » enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, » qui loquitur in vobis (*a*). » Ac per hoc iste ideo superavit adversarios suos, quia sermones suos in Domino laudavit. Noverat dicere : « In Domino laudabo verbum, in » Domino laudabo sermonem; in Deo sperabo, non timebo » quid faciat mihi homo (*b*). » Vidimus Martyrem immania tormenta patientissime tolerantem; sed Deo subjiciebat animam suam[5]. « Ab ipso enim patientia » ejus (*c*) »; et ne humana fragilitas, per impatientiam deficiens Christum negaret, et in gaudium veniret inimici, sciebat cui diceret[6] : » Deus meus, erue me de manu » peccatoris, de manu legem prætereuntis et iniqui, quo» niam tu es patientia mea (*d*). » Sic enim significavit, qui cantavit ista, quomodo Christiaous petere debeat ab inimicorum erui potestate, non utique nihil patiendo, sed ea quæ patitur sustinendo patientissime : » Erue me de » manu peccatoris, de manu legem prætereuntis et iniqui. » Si autem quæris quomodo se velit erui, intende quod sequitur : « Quoniam tu es patientia mea. » Ibi est gloriosa passio, ubi pia est ista confessio, » Ut qui gloriatur, in Do» mino glorietur (*e*). » Nemo itaque præsumat de corde suo, cum profert sermonem; nemo de viribus cum tentationem suffert, quia et ut bona loquamur, ab illo est nostra sapientia, et ut[7] mala aufferamus, ab illo est patientia nostra. Nostrum est ergo velle; sed vocati exigimur, ut velimus. Nostrum est petere; sed[8] quod nescimus, quid petimus? Nostrum est accipere; sed quid accipiemus, si non habemus? Nostrum est habere; sed quid habemus, si non accipimus? proinde « Qui gloriatur, in Domino glo» rietur. »

IV. Dignus itaque martyr Vincentius a Domino coronari, in quo elegit et per sapientiam et per patientiam gloriari. Dignus solemni celebritate, dignus felicitate æterna, pro qua adipiscenda leve quidquid minacissimus judex terruit, quidquid carnifex cruentus infixit; transactum est quippe quod pertulit, non transiturum est quod accepit. Certe enim sic vexata sunt membra, sic viscera cruciata, tam crebro et tam crudeliter repetita tormenta, sic, sic quemadmodum facta sunt ista; et si fierent multo graviora, » Non sunt coodignæ passiones hujus temporis » ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis (*f*). »

SERMO XLVIII.

In Natali martyris Vincentii II.

Eruitur ex eodem Cod. Cass. XII, *fol.* 318, *cum eodem nomine. Ponatur post præcedentem cum numero in Natali Martyris Vincentii* VI.

SYNOPSIS.

I. Vincentii coram Daciano fortitudo. II. Vincentius Daciani, vivens et moriturus, victor.

I. Magnum spectaculum, Fratres mei[9]. Certabant duo, sæviens et patiens, servus Christi Vincentius, et filius diaboli Dacianus. Perfidus in Martyris corpore sæviebat, sed nec sanctus Vincentius metuebat, quia Christum pro se pugnantem videbat. Vicit dum judicabatur, quia ab eo quem confitebatur, non relinquebatur. Interrogatus non dubitavit respondere, quod quærebatur, et auxit unde quæsitor[10] potius irasceretur. Inflammavit odium juventutis[11], ut gloria cresceret confitentis. Quid enim timeret Vincentius leonem in fremitu irascentem et rugientem, quia jam « leoni de tribu Juda (*g*) » hærebat, fortitudinem sibi virium ministranti. Jam itaque sumptis armis Christi invictus, sicut leo, fidebat Vincentius et clamabat : Mecum decertet pugna, si prævalet confidentia; videbit me plus posse dum torqueor, quam ipse dum torquet. Sanctus Vincentius in exilium mittitur, et iter ad paradisum meditator. Morte afficitur, et de vita meliore lætatur; eqouleo[12] extenditur, et fit clarior, dum a persecutore ponitur. Existit[13] ante hominem judicem; ante hominem stabat, sed in corde Deum judicem rogabat dicens : O antique hostis, humani generis inimice, quid in mea passione non facias, qui et Deum meum tentare voluisti, sed vincere non prævaluisti; prostrata enim sicut bestia jacuisti. Non timeo, inquit, supplicia, quæcumque iratus impegeris[14]; hoc magis mihi fortitudinis est, quod te fingis velle misereri. Insurge, Diabole; percurrant omnes pœnæ fidem et fortitudinem ex anima christiana.

II. In furore et in ira sua, impius Dacianus ait : Vincere me non potest iste; dum vivet, tormentis acerbissimis applicetur. O insuperabilis virtus! o invicta animi fortitudo! sanctus Vincentius torquetur, tunditur, flagellatur, exuritur, extentis membris crescit ad pœnam, cujus spiritus jam migraverat ad coronam. At ille qui quotidie victum se erubescebat audiri, ait : Prævaluisti Martyris corpori; ecce jam territus ipse fatearis te in omnibus esse convictum, qui nec cadaver superare potuisti defunctum. Ecce perversa sævitia tua, sicut ipse dixisti, dum acrius persequeris, gloriosiorem facis. Quid et de corpore patientis convictus dicturus es? Audite, Fratres, quid dicat : Mergatur, inquit pelago; et tanquam diceretur ei : Quare? et ille : Ne erubescamus, inquit, sine causa pugnare. O insania furore cæca! hoc[15] impius, perfidus et insatiatus Dacianus non intellexit; qui potest ab inferis animam revocare, non potest a mari Martyrem suum liberare? Victoriam[16] ejus, inquit, vel maria celabunt. Quomodo celabunt eum, quem cum honore suscipiunt. Audi Prophetam clamantem et convincentem : « Ipsius » est mare, et ipse fecit illud, et aridam terram manus » ejus fundaverunt (*h*). » Sequere, sævissime Diabole;

(*a*) Matth. x, 20. — (*b*) Psal. lv, 11. — (*c*) Id. lxi, 6. — (*d*) Id. lxx, 4, 5. — (*e*) 1 Cor. i, 31. — (*f*) Rom. viii, 18. — (*g*) Apoc. v, 5. — (*h*) Psal. xciv, 5.

1 In Cod. deest *quia*. — 2 Ibid. abundat vox *et*. — 3 Codex male *subvenit*. — 4 Vide Serm. cclxxv, n. 1. — 5 Cod. male *ejus*. — 6 Vide Serm. cclxxiii, n. 2. — 7 Codex bis male *ut*. — 8 In Cod. deest *sed*. Puncta confusa ordinare tentavimus. — 9 Vide Serm. cclxxiv, n. 1; cclxxv, n. 4, et cclxxvi, n. 3. — 10 Codex *quæsitur*. — 11 Ita Codex pro *sævientis*, ut mihi videtur. — 12 Codex male *exsudio*. — 13 Forte *stetit*, vel *extitit*. — 14 Cod. *impingeres*. — 15 Codex male *o*. — 16 Id. *victoria*.

fac Martyrem nostrum et in alio elemento esse gloriosum, et te in omnibus esse confusum ac superatum. Ecce mare obaudivit, et tu surdus es; ecce ventus cessat, et tu sufflas; ecce undæ eum tremore surripiunt, quem nautæ tuo præcepto projiciunt; ecce fluctus cum summo honore, velociori Dei gubernante manu, tuos remiges ad portum præveniunt, et Martyris corpus ad honorificentiam sepulturæ jam reddunt. Ecce in mari tanta tranquillitas, et te, Nefandissime, magna possidet iniquitas. Quid agis, humana jam rabies, ubi unda revocat mortuum? quid agis, scelerata feritas sæva, ubi aquæ revocant sepulturam? Perdidit misera crudelitas, quod tenebat; lugeat nunc Daciani sæva perfidia, quæ dominicam non potuit recordari potentiam[1]. Magnum se gaudebat reperisse consilium, cui nec aqua voluit præbere consensum; male commendavit miser desideria sua; vel mare eum docere debuit, qui contra Creatorem suum celare non potuit corpora[2]. O spectaculum suavissimum, videre certantem Martyrem contra imperium cogentis[3], in nulla pœna fide succumbentem, quia et vivus inimicum prostravit, et mortuus maria natavit[4]. O beata passionis memorabilis gloria, in qua dignatus est Christus talia exercere mirabilia! O gloriosa beati Vincentii constantia! in morte victoria magnam illi[5] exhibuit coronam. Sine dubio, Fratres, ipsum fuisse credimus eum beato Vincentio in fluctibus, ne absorberetur, qui fuerat cum Petro in mari, ne mergeretur. Jamvero quod restat, Charissimi, ipsum beatum Vincentium pariter deprecemur, ut nobis patronus apud Deum esse dignetur, et ejus meritis Ecclesia Christi quotidie sublimetur, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XLIX.

De Conversione sancti Pauli I.

Sermo iste ex duobus manuscriptis Cassinensibus extractus, nempe CXLVI, *fol.* 227, *et* CIX, *fol.* 38, *sancto Augustino certe tribuendus est, sed ut videtur juniori. Legitur in codicibus*: Sermo unde supra; *supra habetur* Sermo sancti Augustini. *Ponatur inter Editos post Sermonem* CCLXXIX, *cum numero de Conversione sancti Pauli* III.

SYNOPSIS.

I. Ananias ad Saulum velut ovis ad lupum exhibetur. II. Jubetur adire Saulum, et recusare videtur. III. Saulus ab Anania baptizatur, nomine mutato in Paulum.

I. VIDETIS, Fratres charissimi, omnipotentis Dei[6] divinum mysterium, et in utrisque personis nomen attendite. Apud hebraïcam videlicet linguam Ananias ovis dicitur, et Saulus lupus describitur[7]. O divina præscientia et justi judicis[8] moderata sententia, ut ovis, quæ a lupo desiderabatur manducari, subito meruisset ab ipsa curari! En, Saule, tenebris excæcatus es; jam ovi quid facturus es, Lupe, quando sedes in tenebris sine luce? Ecce ante te est ovis, quam quærebas[9]; ubi est quod fremebas? quare nunc tremis? Ovem quam tu sperabas morsibus laniare, ipsa te venit baptizare. Tu dum, Improbe, hujus ovis dissipare pellem[10] cogitabas, ad ipsam venisti curvus accipere legem.

II. Et Ananias ad Deum[11] suum: « Domine, inquit, audivi » de hoc viro quanta mala sanctis tuis in Jerusalem fe» cerit, et hic ideo venit ut alliget omnes, qui invocant no» men tuum (*a*). » Quasi diceret : Bona quidem servo tu suggeris, sed ut tu mihi Dominus, et ego tibi servus; aliud, dico, si vis[12], erit. Audivi in quodam Psalmo David dicentem : « Benefac, Domine, bonis et rectis corde (*b*). » Ego benefaciam bonis; (tu) tamen, dic, dic, quid disponis? Domine, quare sic mihi proponis? Ille lupus, ego ovis; ut quid consentitis vobis, et non convenit nobis? « Tu » habes claves David; tu aperis, tu claudis (*c*), » et nunquam includis; ignoro tamen modo, quare lupum cum ove includas[13]? Omnia potes ut Dominus, et nihil tibi impossibile est[14]. « Tu vitæ et mortis habes potestatem (*d*). » Tibi omnes apertæ sunt portæ. « Probasti cor meum et » visitasti nocte (*e*). » Unde causæ istæ mihi videntur exortæ? Ego sudo[15] fugiens mortem, et tu dicis : Include mihi lupum in corte. Vides civitatem totam, tanquam navem, mortis pendere sub vento[16], et tu vis in mare turbidum pejus mittere ventum? Non oportet ut condemnes, sed tu nosti qualiter ab austro valido frangatur antenna. Nam cum vis in peccatis neminem mori, da sufferentiam timori. Quare a lupo ovis incipit mori? Tu autem, Domine, licentiam dedisti, qui certari tecum[17] Moysen permisisti. Moyses timuit Hebræum tribulatorem; ego non habeo timere Saulum, Christianorum persecutorem? O Domine meus, o Domine! Tu causas prohibere visus es homicidii, quare modo ovem a lupo dicis occidi[18]? Et Dominus : Inquietum equum, quid times cæcum? Consurge, ambula mecum, quia ego sum tecum. Vade, visita eum in domo. Honorare te volo et tecum ambulare dispono. Nam perfidiam versutiæ[19] ejus velis, nolis, ego mihi domo, licet iste lupus consueverat de meis gregibus crapulari[20]. Sed ego illi monstrabo qualiter a vulpibus incipiat vapulare.

III. Itaque, ex præcepto Domini ingreditur ad Saulum, ovis ad lupum. Et licet jam ille lupus tenebris fuerat oppilatus[21], tamen tanta erat in ove vis terroris, ut cum lupo ex nomine inciperet loqui pastoris. « Saule, inquit, » Frater, Dominus misit me ad te; » et ille; Quis? « Qui » visus est tibi. » Ubi? « In via qua veniebas (*f*). » Sed noli timere, quia ideo veni ut possis videre. O Ananias, magnum gaudium exhibes nobis, qui cum cultum gestas ovis cœpisti subito lupum clamare, a facie cujus cogitabas secreta montium peragrare. Ibi ostendit Dominus servum suum bene servientem sibi se multum amare, quando lupum fratrem cœpit clamare[22]. Stat interim ovis ante lupum, et sudat; stat lupus sub ove, et nutat. Mirantur se stare contra se. Stat lupus, et malitiam fallit; stat ovis supra lupum, et clamat. Ibi didicit ovis[23] trahere lupum ad baptismi flumen, et lupus[24], contra naturam, ab ove poscere lumen. Et tunc remanserunt[25] lupi opera vacua, quando lupum ovis tinxit in aqua. Facta est ibi contra se jam mutatio inaudita naturæ, ut Christum cognosceret mundus Dominum esse totius creaturæ, dum lupus ab ove cervicibus, legis accepit jugum, et ovis a lupo salvationis[26] percepit lucrum. Dedit interim Ananias Saulo, ovis lupo, quod exigebat baptismi culmen, et non solum jam perditum suscepit[27] lumen, sed immutationis invenit nomen. Saulus in aquam[28] descendit, Paulus ex fonte ascendit. Lupus in aquas eum

(*a*) Act. IX, 13. — (*b*) Psal. CXXIV, 4. — (*c*) Apoc. I, 18. — (*d*) Sap. XVI, 13. — (*e*) Psal. XVI, 3. — (*f*) Act. IX, 17.

[1] Id. *dominica... potentia*. — [2] Codex male *corpore*. — [3] Id *cogentem*. — [4] Vide Serm. CCLXXVI, n. 4. — [5] Codex *magnalibus*. — [6] Vox *Dei* desideratur in Cod. CXLVI. — [7] Vide Serm. CCLXXIX, n. 2. — [8] Cod. CXLVI *judicii*. — [9] Desiderantur in Cod. CXLVI hæc verba : *Ubi est quod fremebas?* — [10] Cod. CXLVI male *pellis*. — [11] Id. *Dominum*. — [12] Cod. CIX, *si jusseris*. — [13] Cod. CXLVI male *cum ovis includis*. — [14] Hic in Cod. CIX abundat verbum *divitiæ*. — [15] Cod. CXLVI male *modo*. — [16] Codices male, ut videtur, *ventum*; Cod. CXLVI perperam *turbido prius*, et post *condemnat*. — [17] Codex CXLVI male *cum*, pro *tecum* — [18] Deest ultimum membrum in Cod. CXLVI. — [19] Codices male *veritatis*. — [20] Cod. CXLVI male *copulare*. — [21] Cod. CXLVI male *opitulatus*, et post *hujus*, pro *vis*. — [22] Desideratur hic tractus in Cod CXLVI ab his verbis : *Cœpisti subito*. Phrasis sequens abest a Cod. CIX. — [23] Codex CXLVI perperam *ubi dicit ovem*. — [24] Id. male *lupum*. — [25] Duo Codices *remanserit*. — [26] Cod CIX male *salutationis*. — [27] Cod. CXLVI, *accepit*. — [28] Id. male *in aqua*. Cod. CIX male *in quam*; corrigitur *in aquam*.

peccatorum gravedine naufragavit, et agnus sicut oleum super aquas natavit; et « Cum[1] imposuisset illi manus; con- » festim ceciderunt ab oculis ejus velut squamæ (a). » Ananias manus accommodavit, sed Dominus illuminavit. Quid autem squamæ in allegoris esse videntur, nisi aut vestium sordimentum (*sic*), aut piscium indumentum? Manus impositio detulit cæcitatem, et cum baptizaretur, accepto cibo, confortatus est; et post remissionem peccatorum, manducavit panem Angelorum, et prædicator factus est regni cœlorum.

SERMO L.

De Conversione sancti Pauli II.

Trium Codicum hic concordat auctoritas. Nam legitur in Cod. Cass. CXVII, *fol.* 140; *in Cod. Cass.* CIX, *fol.* 41; *et apud Bibliothecam Laurentianam Plut.* XIV, *Cod.* I, *fol.* 100. *Locus ejus erit in Editis post præcedentem cum numero de Conversione sancti Pauli* IV.

SYNOPSIS.

I. Gratiæ Christi potentia. II. Conversionis Sauli historia. III. Conclusio.

I. SANCTA Scriptura[2] semper docet nos et admonet[3]; et ubi quis Christianus sensum suum accommodare voluerit, et integro affectu suscipere, etsi multiplici vinculo[4] peccatorum fuerit colligatus, poterit salvari, eo quod talis est Christi[5] gratia, ut si lupum invenerit, ovem faciat et in profundum peccatorum demersum eripiat[6]. Unde ergo quantum Dominus[7] dederit precibus præcedentium patrum et vestræ charitatis, dicimus vobis de gratia Christi, quomodo oves fecit de lupis, et quomodo in profundum peccatorum demersos eripuit.

II. Legimus in Actibus Apostolorum, ubi Saulus qui et Paulus accessit ad Principes sacerdotum[8], et postulabat ab eis Epistolas in Damascum, ut omnes Christianos vinctos catenis perduceret in Jerusalem. Sed quid factum sit in istum virum, qui adversus Christum contendit, audiamus. Factum est, inquit, eunte Saulo[9] ad comprehendendum Christianos, « Subito illum lumen circumful- » sit de cœlo[10], et vox facta est ad eum desuper[11] dicens: » Saule, Saule, quid me persequeris? Qui ait: Quis es, » Domine? Et vox iterum ad eum: Ego sum Jesus Naza- » renus quem tu persequeris. Qui dixit: Domine, quid me » vis[12] facere? et vox ad eum iterum dicens[13]: Surge et » ingredere civitatem, et illic require virum nomine Ana- » niam; et ipse orabit pro te, ut videas et salvus fias[14]. » Viri autem qui comitabantur cum eo apprehendentes » manum ejus, perduxerunt in civitatem. Dixit autem » in visu Dominus Ananiæ[15]: Surge, et vade in vicum qui » vocatur rectus, et illic invenies Saulum nomine Thar- » sensem (b). » O inenarrabilem potentiam Domini[16]! invenit perversum[17], et rectum efficit; invenit persecutorem sanctorum, et fecit eum pietatis confessorem; invenit vas lutulentum, et exhibuit eum vas pretiosum; invenit ministrum iniquissimorum[18] Sacerdotum Judæorum, et fecit eum comparem sanctorum suorum; invenit eum superbum, et humilem fecit[19]; invenit eum blasphemum, et Apostolum constituit. Olim[20] iniquissimorum Sacerdotum[21] epistolas portabat ad destructionem multorum; nunc autem per universum orbem terrarum, ejus salutiferæ Epistolæ leguntur, et universæ Ecclesiæ Christo quotidie adduntur. O sancte Paule, vere conversus es, quia digne es glorificatus. Vere conversus es, quia cum Apostolis es connumeratus. Vere conversus es, quia et doctor Ecclesiarum effectus es. Vere conversus es qui et meruisti audire: Frater Paule, bone consiliator. Vere conversus es, qui et meruisti cum undecim Apostolis connumerari. Vere conversus es, qui et meruisti thronum duodecimum possidere, Christo dicente[22]: « Amen, Amen dico » vobis: in regeneratione, cum sederit Filius hominis in » sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duo- » decim, judicantes duodecim tribus Israël (c). »

III. Hujus ergo sancti Pauli laudem, nec immerito, non valet humana lingua condigne laudare, quem Christus[23] Dominus noster « Vas electionis » nuncupavit, et vere[24] electissimum et purissimum vas, ubi Christus Dominus noster habitare dignatus est[25]. Idcirco, dilectissimi Fratres[26], ita nos exhibeamus ut sanctorum vestigia imitantes, a Christo Domino mereamur habitationem invenire, quia apud Dominum omnia possibilia sunt, ipso adjuvante qui vivit et regnat in sæcula sæculorum[27]. Amen.

SERMO LI.

De Conversione sancti Pauli III.

Hic duo iterum habentur Codices, nempe Cod. Cass. CXVII, *fol.* 140 *verso, et Cod.* CIX, *fol.* 41 *verso, et fol.* 44. *Præfigitur utrisque nomen sancti Doctoris. Locus ejus in Editis post præcedentem cum numero de Conversione sancti Pauli* V.

SYNOPSIS.

I. Paulus, primo Saulus, Christi persecutor. II. Saulus mane rapiens, vespere dividens escam. III. Saulus, jam Paulus, quanta pro Christo passus. IV. Paulus multa sustinuit, sed sola Dei gratia

(a) Act. IX, 18. — (b) Act. IX, 4-11. — (c) Matth. XIX, 28.

[1] Desunt hæc in Cod. CXVII ab his verbis: *Agnus sicut.* — [2] Cod. Cass. CIX male *sanctæ Scripturæ.* — [3] Ibid. CXVII male *immonet*; et post ut pro *et.* Cod. Laurent. habet etiam *ut*; et prius *monet* — [4] Cod. Cass. CXVII pessime *in sintillitudine vincula.* Cod. Laur. *susceperit, et si in multitudine in vincula peccatorum.* — [5] Nomen *Christi* deest in Cod. Cass. CXVII. — [6] Cod. Cass. CXVII, et Cod. Laur. male *facit... eripit.* et post *inde.* — [7] Duo iidem Codices *Deus*, post Cod. Cass. CXVII male *præsentium... ut... charitati...* deest *vobis.* Cod. CIX *ovem.* — [8] In Cod. Cass. CXVII deest *sacerdotum.* Cod. Laur. *postulavit.* — [9] Id. minus bene *Paulo*; idem apud Cod. Laur. — [10] Id. et Cod. Laur. *illi lumen refulsit.* — [11] Deest in Cod. Cass. CXVII *desuper.* Cod. Laur. habet: *Vox facta est de cœlo dicens.* — [12] Id. et Cod. Laur. *quid me vis ut faciam.* — [13] Ibid. deest *iterum dicens.* — [14] Id. et Cod. Laur. *salvus sis.* — [15] Id. *Dominus Ananiæ in visum.* Cod. Laur. *in visu.* — [16] Cod. Cass. CXVII, et Cod. Laur. minus bene: *O inenarrabilis potentia Domini.* — [17] Id. minus bene *servum... efficit.* Cod. Laur. *efficit conversum.* — [18] Sic Cod. Cass. CXVII, et Cod. Laur. Cod. Cass. CIX minus bene *iniquissimum.* — [19] Cod. Laur. *perfecit.* — [20] Cod. Cass. CXVII, et Cod. Laur. perperam: *O qui aliquando.* — [21] Cod. Laur. *sacerdotum eorum*, male. — [22] Hic Cod. Cass. CXVII, et Cod. Laur. continuo errant. Sic enim: *O sanctus Paulus vere conversus est, et digne est, etc... meruit,* et sic semper in tertia persona. Deest etiam in Cod. Cass. CXVII, sed non in Cod. Laur. membrum istud integrum: *Doctor Ecclesiarum effectus es; vere conversus es, qui et meruisti.* Erravit amanuensis ob repetitionem verbi *meruisti.* Cod. Cass. CXVII, *Domino dicente.* Cod. Laur. *Domino Christo dicente.* — [23] Desunt in Cod. Cass. CXVII, verba *ergo... nec immerito... Christus.* Deest in Cod. Laur. vox *Pauli.* Post autem: *Non valet humana lingua narrare quam,* etc. — [24] Cod. Cass. CIX minus bene *verum.* Duo alii Codices melius *vere.* Id. Cod. CIX *dilectissimum.* — [25] Cod. Laur. *Christi vas*; et post *inhabitare.* — [26] In Cod. Cass. CIX desideratur vox *dilectissimi.* — [27] Variant hic tres Codices: Cod. Cass. CXVII habet: *A Christo omnium auctore cum ipsis mereamur participatione perfrui, quia apud Dominum omnia possibilia sunt in Christo Jesu Domino nostro qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.* Cod. autem Laur. *a Christo omnium auctore suum vas ipsi mereamur habitationem invenire, quia apud Deum omnia possibilia sunt.*

adjutus. V. Saulus nomen superbiæ, Paulus humilitatis. VI. Paulus Ecclesiæ Gentium Apostolus. VII. Conclusio.

I. Apostolus autem Paulus, Fratres charissimi, primo Saulus, etiam inimicus Christi fuit[1]. Christianos acerrime persecutus est, quando primus martyr, Stephanus sanctus, passus est. Ibi erat, quando lapidabatur; lapidantium[2] vestimenta servabat. Parum enim illi videbatur, si suis[3] tantum manibus lapidaret. In omnium manibus erat, quorum indumenta servabat. Post hæc, occiso beatissimo[4] Stephano, et primo coronato, quia et[5] nomen ejus græco vocabulo coronam indicat[6], iste inimicus acerrimus litteras accepit a Principibus sacerdotum, ut in quocumque[7] loco inveniret istam viam sectantes, vinctos ad supplicia duceret. Ibat[8] ergo furens Damascum[9], anhelans cædes[10], sanguinem sitiens; sed « Qui habitat in » cœlis, secundum Psalmum[11], irridebat eum, et Domi» nus subsannabat eum (a). » Quid anhelas sævus, quod eris cito ipse passurus[12]? Quam minimum fuit Domino Christo salvum facere inimicum, ut una desuper voce prosterneret persecutorem et erigeret prædicatorem! « Saule, inquit, Saule, adhuc Saule, quid me perseque» ris (b)? » Quantam dignationem, Fratres mei, in voce Domini agnoscimus! Quis Christum jam persequi possit ad dexteram Patris jam in cœlo sedentem? Sed ibi caput regnabat, hic adhuc membra laborabant. Ipse nos Doctor Gentium, beatus apostolus Paulus, docuit ad Christum quid simus[13]: « Vos, inquit, estis corpus Christi et membra (c). » Totus ergo Christus, caput et membra. Videte; in nostro corpore rei accipite similitudinem[14]. Si forte alligaris in turba, et aliquis tenuiter pedem[15] calcet, caput pro pede clamat. Et quid est quod clamat? Calcas me. « Saule, » Saule, quid me persequeris? » Quando enim Saulus persequebatur[16] Evangelistas, per quos Dominus toto orbe ferebatur, pedes Christi ab eo[17] calcabantur. In illis enim Christus ibat ad Gentes; in illis enim Christus usquequaque currebat. Pes futurus,[18] pedes Christi calcabat. Evangelium Domini per orbem terrarum portaturus hominibus, calcabat quod futurus ipse erat. « Quam speciosi » pedes, » Propheta dicit, ut[19] ipse Doctor commemorat, « eorum qui annuntiant pacem[20], qui annuntiant bona (d)! » Hoc etiam in Psalmo cantavimus: « In omnem terram » exivit sonus eorum » Vis videre quomodo Christus per istos pedes venerit? « Et in fines orbis terræ verba » eorum (e)? »

II. Denique Ananiæ Dominus loquens, quando illum mittit ad Saulum baptizandum, audivit ab ipso Anania: « Domine, audivi de isto homine, quod ubique perse» quitur servos tuos (f). » Tanquam diceret: Quid ovem mittis ad lupum? Ananias autem verbum hebræum est, quod latine ovis interpretatur[21]. De Saulo autem, futuro Paulo, de persecutore, futuro prædicatore, prophetia promiserat: « Benjamin lupus rapax (g). » Unde Benjamin? ipsum audi Paulum apostolum: « Nam et ego Israëlita » sum, ex genere Abraham, de[22] tribu Benjamin (h). » Lupus rapax, mane rapiet prædam, et ad vesperum » dividet escas (i). » Prius consumet, et postea pascet[23]. Dividebat enim escas jam ille prædicator; noverat quid cui daret; quod alimentum subministraret[24] ægroto et infirmo; quo cibo pasceret fortem; dividens enim escas, non passim projiciens[25]; dividens enim escas, dicebat: « Et ego, Fratres, non potui loqui vobis[26] quasi spiri» tualibus, sed quasi carnalibus, tanquam parvulis in » Christo. Lac vobis potum dedi, non escam[27]; nondum » enim poteratis, sed nec adhuc potestis (j). » Divido; non passim projicio[28].

III. Hujus ergo lupi nomen audierat Ananias ovis, et inter manus pastoris tremebat. Si a lupo terretur[29], a pastore autem confortatur[30], consolatur, confirmatur, conservatur. De ipso lupo audit res incredibiles, sed, Veritate loquente, veras, et fideles[31]. Quid enim respondit Dominus Ananiæ trementi famam Pauli? quid respondit: « Sine; nunc vas electionis est mihi homo iste, ut por» tet nomen meum coram Gentibus et regibus. Ego illi » ostendam quæ illum oporteat pro nomine meo pati (k). » Ego illi ostendam[32]. » Vox est minantis, sed coronam parantis. Denique ille factus ex persecutore prædicator, quæ sustinuit? « Periculis in mari, periculis in flumini» bus, periculis in civitate, periculis in deserto, peri» culis in falsis fratribus; in labore et ærumna, in vigi» liis multis, in fame et siti, in jejuniis multis[33], in » frigore et nuditate, in mortibus sæpe; præter illa quæ » extrinsecus sunt, incursus in me quotidianus, sollici» tudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, et ego non » infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror (l)? » Ecce ille est persecutor; patere, sustine. Plus enim patieris quam fecisti. Sed noli irasci; usuras accepisti. Sed quid attendebat, quando talia sustinebat? Audite alio loco: « Etenim, inquit, quod est leve tribulationis nos» træ, » jam totum hoc leve, quare? « Incredibili modo » æternum gloriæ operatur nobis pondus; non respi» cientibus quæ videntur, sed quæ non videntur[34]. Nam » quæ videntur, temporalia sunt, quæ autem non vi» dentur, æterna sunt (m). » Æternorum amore flagrabat, quando fortiter mala, etsi acerba et pessima, tamen temporalia, sustinebat. Leve est omne cum fine supplicium, ubi sine fine promittitur præmium[35].

IV. Liceat[36] audenter dicere, Fratres charissimi, de Paulo apostolo, quando sustinebat, quia fidelibus volebat[37], non ipse sustinebat, quia virtus Christi in illo habitabat. Christus regnabat, Christus vires subministrabat, Christus non deserebat, Christus in currente currebat, Christus ad palmam perducebat. Non ergo facio injuriam quando dico: Non ipse sustinebat. Dico prorsus, dico cum fiducia, et verba mea ipso teste confirmo. Apostolum sanctum succensere mihi non sino, quando verba ejus illi recito. Dic Paule; dic Sancte; dic Apostole; audiant te fratres mei, quia nullam tibi injuriam feci. Quid ergo ipse dicit[38]? Comparans se coapostolis suis in laboribus, non timuit dicere: « Plus omnibus illis labo-

(a) Psal. II, 4. — (b) Act. IX, 4. — (c) 1 Cor. XVIII, 5. — (d) Rom. X, 15. — (e) Psal. XII, 27. — (f) Act. IX, 13. — (g) Gen. XLIX, 27. — (h) Rom. XI, 1. — (i) Gen. XLIX, 27. — (j) 1 Cor. III, 1, 2. — (k) Act. IX, 15, 16. — (l) 2 Cor. XI, 26-29. — (m) Id. IV, 17, 18.

[1] Cod. CIX male jungit duas phrases cum particula *quia*. — [2] Id. bene *lapidantium*; Cod. autem CXVII male *omnium*. — [3] Cod. CXVII male *tuis*. — [4] Deest in eodem vox *beatissimo*. — [5] Id. male *et quin*. — [6] Vide Serm. CCCIV, n. 2, CCCXVII, n. 1, et Enarr. in Psal. LVIII, n. 5, Serm. 1. — [7] Cod. CIX male *quoscumque*. — [8] Cod. CXVII minus bene *ivit*. — [9] Cod. CIX *Damascum furens*. — [10] Uterque Cod. *cedens*; error manifestus deprehenditur. — [11] Cod. CIX male *qui habitabat in cœlis, et secundum*. — [12] Cod. CIX *quid anhelat sævus quod erat*. — [13] Cod. CXVII, *sumus*. — [14] Id. pessime *in nostram res accipite*; Cod. CIX *in nostro corpore accipite*; e duobus fit contextus ut legitur. — [15] Cod. CIX male *te ceu pede*. — [16] Cod. CXVII minus bene *persequebatur Paulus*. — [17] Voces *ab eo* desunt in Cod. CXVII. — [18] Vox *Christi* in Cod. CIX desideratur. — [19] In Cod. CIX deest particula *ut*. — [20] Desunt in Cod. CXVII verba *qui annuntiant pacem*. — [21] Vide Serm. CLXXV, n. 8, et CCLXXIX, n. 2. — [22] In Cod. CXVII deest vox *de*. — [23] Id. CIX *prius consumens, et postea pascens*. — [24] Cod. CXVII pessime *subministrare*. — [25] Id. non habet *non passim projiciens*. — [26] Deest *vobis* in Cod. CIX. — [27] Cod CIX *escas*. — [28] Id. minus recte *non possum projicere*. — [29] Cod. CXVII *sed a lupo*. — [30] In Cod. CIX non est *confortatur*. — [31] Cod CXVII *verax et fide plenas*. — [32] Media pars hujus textus in Cod. CIX non legitur. — [33] In eodem Cod. desiderantur hæc verba *in jejuniis multis*. — [34] Hæc ultima verba desunt in Cod. CIX. — [35] Hic dividitur Sermo in Cod. CIX. Quod sequitur alterum inchoat, in eodem Cod. CIX, fol. 44. — [36] Cod. CIX *licet*. — [37] Cod. CIX habet *qui non deficiebat*, loco præcedentium; melior lectio prior subaudiendo *volebat prodesse*, juxta Apostoli verbum: *Omnia sustineo propter electos*. — [38] Cod. CIX male *quid ergo? ipse didici*. Vide Serm. CCCXXXIII, n. 5.

« ravi (*a*). » Jam hic mihi respondetur : Certe non[1] ipse? Dic ergo quod sequitur, ne ista dilatio mea sit inflatio: « Plus omnibus illis laboravi. » Jam mihi irasci cœperatis[2], sed intercedit pro me; et quodam modo alloquitur : Vos nolite irasci. « Non ego autem, sed gratia Dei » mecum (*b*). » Sic ergo et de passione sua imminente, cujus dies hodiernus solemnissimus agitur, quid dixit[3]? « Ego enim jam immolor, et tempus resolutionis meæ » instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, » fidem servavi. De cætero superest mihi corona justitiæ, » quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex (*c*). » Est enim cui reddat. « Bonum certamen certavi, cursum » consummavi, fidem servavi[4]. » Debetur quod redditur; sed non esset cui daberetur, nisi ei prærogaretur, quod non debebatur[5]. Certe audis modo de Dei debito præsumentem; audis modo Christum reddentem; audi per ipsum Paulum indebita prærogantem. « Non sum, in» quit, idoneus vocari Apostolus, quoniam[6] persecutus » sum Ecclesiam Dei (*d*). » Modo attende quid debebatur, cui vides jam parari coronam. Prius illum attende et vide nisi[7] factis dignam invenit pœnam; persecutus est Ecclesiam Dei, qua cruce non dignus est? quæ illi puniendo tormenta sufficiant[8]? « Non sum dignus, in» quit, vocari Apostolatus. « Ego scio quid mihi debebatur; Apostolatus mihi « qui persecutus sum Ecclesiam » Dei! » Vide ergo Apostolum[9]? « Sed gratia Dei sum » id quod sum (*e*). » O gratia Dei, gratis data[10], non merces reddita[11]! Invenit quod puniret, fecit quod coronaret.

V. Videte quod sequitur : « Gratia Dei sum id, in» quit[12], quod sum, nam et ego Apostolus non sum ido» neus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei. » Supplicia expectabam, præmia invenio[13]. Unde ergo hoc mihi? quia « Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me » vacua non fuit; sed plus omnibus illis laboravi[14]. « Iterum te erigere cœpisti? « Non autem ego, sed gratia « Dei mecum (*f*). » Bene, optime, non jam Saule, sed Paule, non jam superbe, sed parve. Saulus ideo superbiæ nomen fuit, quia ille rex procerus, et tanto invidentior[15] quanto clarior, Saül vocabatur, qui sanctum David persequebatur[16], inde iste[17] nomen accepit, a Saüle Saulus congruum nomen persecutoris. Quid postea Paulus[18]? Quid est Paulus? Modicus, minimus. Recolite[19] verbum qui litteras nostis; recolite etiam consuetudinem, qui liberales qui vocantur[20] libros non nostis. Paulus modicus est; post paululum te videbo; paululum post te videbo[21]. Paulo post, modicum post[22]. Ergo Paulum videte[23], jamdudum Saulum, sanguinem sitientem, et cædes anhelantem, modo autem Paulum[24]. « Ego autem » sum minimus[25] Apostolorum (*g*). » Prorsus minimus, sed saluberrimus.

VI. Forte in veste Domini minimus iste, fimbria fuit[26]; hanc mulier illa tetigit, et a fluxu sanguinis liberata est, in qua erat Ecclesiæ Gentium figura. Ad Gentes enim missus est Paulus, modicus cum salute. Denique hoc sciatis; ipsa mulier quæ tetigit fimbriam Domini, ignorata est a Domino, sed ignoratio[27] Domini figurata est. Quid enim ille nesciebat? Et tamen quia illa mulier Ecclesiam Gentium significabat, ubi Dominus præsentia corporali non erat[28], sed per Discipulos ibi erat, ubi fimbria vestimenti ejus tangeretur, ait. « Quis me tetigit? » Et Apostoli : « Turbæ te comprimunt, et affligunt[29], et dicis : » Quis me tetigit? Et ille : Tetigit me aliquis (*h*). » Turbæ premunt, fides tangit. Fratres, estote de tangentibus, non de prementibus[30]. « Quis me tetigit? et « tetigit me aliquis. » Ignoranti similis Christus significans; non mentiens, sed significans. Quid significans? « Populus quem non cognovi servivit mihi (*i*). »

VII. Dic ergo, Apostole[31], imminente passione, laboris impensor, coronæ jam exactor, dic : « Ego enim jam de« libor[32], et tempus resolutionis meæ instat; bonum certa» men certavi, cursum consummavi (*j*)[33] » Quid prodesset certamen, nisi victoria sequeretur? Dicis quia certasti, dic unde vicisti; alio loco interroga. « Gratias Deo qui dedit[34] « nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Chris» tum (*k*). Cursum consummavi; » tu cursum consummasti? Recognosce illud : « Non volentis, neque currentis, » sed miserentis est Dei (*l*). » Dic aliud : « Fidem serva» vi. » Fidem servasti[35], custodisti? Sed « Nisi Dominus » custodierit civitatem, in vanum vigilant qui custodiunt » eam (*m*). » Ut ergo fidem servares, ille adjuvit[36]; ille in te servavit, qui ei Apostolo tuo, cum quo unum[37] passionis habes diem, dixit, quod in Evangelio legisti : « Ego » rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua (*n*). » Exige ergo; paratum est præmium; dic; « Bonum certamen cer» tavi, » verum est; « Cursum consummavi, » verum est; « Fidem servavi, » verum est[38]; « De cætero superest mihi » corona justitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die, » justus judex (*o*). » Exige quod debetur. Parata est prorsus corona tua, sed memento quia Dei dona sunt merita tua.

SERMO LII.

De Conversione sancti Pauli IV.

Eruitur ex Cod, CXLVI, *fol.* 226, *et tribuitur, nec immerito, sancto Augustino. Unicus nobis occurrit Codex et quidem in multis deficiens, atque ideo corrigendus in multis. Locus ejus in Editis post præcedentem cum numero de Conversione sancti Pauli* VI.

SYNOPSIS.

I. De duobus nominibus beati Pauli et ejus Conversione. II. De mirabili effectu gratiæ Dei in illo Conversione. III. De gratia et meritis in beato Paulo. IV. Conclusio.

I. PROCEDAT nobis, Fratres charissimi, et beatus Paulus, ut paululum aliquid de Paulo dicamus. Etenim propterea Paulum si volueris nominare; nam prius Saulus, postea Paulus, quia prius superbus, postea humilis, recte primum nomen, et in eo persecutoris agnoscitur nomen[39]. Saulus a Saüle cognominatus est[40]. Saül inde appellatus

(*a*) I Cor. XV, 10. — (*b*) Ibid. — (*c*) 2 Tim. IV, 7, 8. — (*d*) I Cor. XV, 9. — (*e*) Ibid. 10. — (*f*) Ibid. — (*g*) I Cor. XV, 9. — (*h*) Luc. VIII, 45, 47. — (*i*) Psal. XVII, 4. — (*j*) 2 Tim. IV, 7. — (*k*) I Cor. XV, 57. — (*l*) Rom. IX, 16. — (*m*) Psal. CXXVI, 1. — (*n*) Luc. XXII, 32. — (*o*) 2 Tim. IV, 7, 8.

[1] In Cod. CXVII abest *non*. — [2] Id. male *cœperus*. — [3] Tota phrasis in Cod. CXVII desideratur. — [4] Deest media pars textus in eodem Cod. CXVII. — [5] In eodem Cod. male ponitur punctum post verbum *prærogaretur*; et post, non minus male scribitur interrogative *quid non deberetur?* — [6] Cod. CIX *quia*. — [7] Id. *nisi quod*. — [8] Id. male *quia.. sufficeret*: male item Cod. CXVII *puniendo*. — [9] Id. male *apostolus*. — [10] Vide Serm. XXVI, n. 14. — [11] Tres ultimæ voces desiderantur in Cod. CIX. — [12] *Inquit* deest in Cod. CXVII. — [13] Cod. CIX *inveni*. — [14] Vide Serm. CXXVIII, n. 7. — [15] Cod. CIX *elatior*. — [16] Vide Serm. CXXXV, n. 5, Serm. CCXCV, n. 7, et Serm. CXXXV, n. 8. — [17] Cod. CXVII per errorem *est*. — [18] Cod. CIX sine interrogatione *qui postea Paulus*. — [19] Vide Serm. CI, n. 1. — [20] *Qui vocantur* desunt in Cod. CIX. — [21] Cod. CXVII male *videro*. — [22] Vide Serm. CXXVIII, n. 7. — [23] Cod. CIX male *paulo post modico; post ergo paululum. Videte jamdudum Saulum*. — [24] Vide Serm. CCLXXIX, n. 6, et Serm. sequentem n. 2. — [25] Cod. CIX *novissimus*. — [26] Cod. CXVI male *fimbrium... hoc*. — [27] Cod. CIX *ignorantia*. — [28] Vide Serm. CXLIII, n. 2. — [29] *Et affligunt*: hæc duo verba in Cod. CIX non leguntur. — [30] Id. Cod. male *præsumentibus*. — [31] Vide Serm. CCXCVIII, n. 3. — [32] Cod. CIX *ego jam immolor*. — [33] Id. non habet *cursum consummavi*. — [34] Id. *dat*. — [35] Vide Serm. CCXCVII, n. 7; et Serm. CCXXXIII, n. 5. — [36] Cod. CIX *adhibuit*. Non legitur *in te*. — [37] Id. *unus*. — [38] Hæc verba *fidem servavi, verum est* desunt in Cod. CXVII. — [39] Sic Codex; plura verba videntur abundare, legendum esse crediderim : *recte primum nomen in eo persecutoris agnoscitur*. — [40] Vide Serm. CCXV, n. 7.

est, quia persecutus sanctum David[1], in quo sanctus David figura erat Christi venturi ex semine David, per virginem Mariam secundum carnem[2]. Implevit partem Saulis Saulus quando persecutus est Christianos; acerrimus fuerat persecutor, quia quando beatus Stephanus lapidatus est, ipse lapidantium vestimenta servavit, ut omnibus manibus lapidaret. Post passionem vero beatissimi Stephani, dispersi sunt fratres qui erant Jerosolymis; et quia lumina erant, Spiritu Dei ardebant. Tunc videns Paulus Evangelium Christi crescere, impletus est zelo amarissimo. Accepit litteras a principibus Sacerdotum, et perrexit ad Doctores, legatus ad puniendos[3] quoscumque invenisset confiteri nomen Christi, et ibat anhelans cædes[4], sitiens sanguinem.

II. Sic sic cum iret, cum sanguinem sitiret, cum quos adduceret et (faceret) occidi quæreret, sic præ suis[5] quomodo erat persecutor, audivit vocem de cœlo. Fratres mei, quid meruerat boni? et tamen de cœlo una voce percussus est persecutor, erectus est prædicator: ecce Paulus post Saulum; ecce jam prædicat; ecce jam nobis quid fuisset et quid esset indicat: « Ego, inquit, sum » minimus Apostolorum (*a*). » Merito Paulus; recolite latinum verbum; paulum, modicum dicitur; sic certe loquitur post Paulus. Videte ergo; Paulus minimus se confitetur tanquam in veste Domini fimbriam, quam tetigit languida mulier. Quippe illa, quæ fluxu sanguinis patiebatur, Ecclesiam Gentium significabat; ad quas Gentes emissus est Paulus et minimus et novissimus; quoniam fimbria vestimenti et minima pars est et novissima. Utrumque de se confessus est Paulus, et minimum se dixit et novissimum[6]: » Ego sum novissimus Apostolorum (*b*), et » minimus Apostolorum (*c*). » Ipse dixit[7], et si quid aliud dixit, ipse dicat, ne nos facere videamus injuriam, quanquam non est ullo modo Pauli injuria, ubi commendatur Christi gratia: tamen, Fratres, ipsum audiamus: « Ego » sum, inquit, minimus Apostolorum, qui non sum di- » gnus vocari Apostolus (*d*); » ecce quod erat; » Non sum » dignus vocari Apostolus, » quare? « Quia persecutus » sum Ecclesiam Dei. » Et unde est Apostolus? « Sed gra- » tia Dei sum id quod sum; et gratia ejus in me vacua » non fuit; sed plus omnibus illis laboravi (*e*). »

III. Rogo te, sancte Paule; non intelligentes homines putant adhuc Saulum loqui. « Plus omnibus illis la- » boravi; » quasi benedictus[8] videtur, tamen vere dictum est. Quid autem sequitur? at ubi vidit se dixisse quod in celsitudinem quamdam eum posset afferre, » Plus illis, » inquit, omnibus illis laboravi, » et continuo: « Non » ego autem, sed gratia Dei mecum (*f*). » Cognovit, sed humilitas; tremuit infirmitas; confessa est donum Dei perfecta charitas; dic ergo, jam tanquam plenus gratia; tanquam plenus gratia, tanquam vas electionis, tanquam factus quod non eras dignus, dic; scribe ad Timotheum et denuntia diem justum. « Ego, inquit, jam immolor (*g*). » Modo lectum est de Epistola Pauli; hic lectum est quomodo dico: « Ego enim, inquit, jam immolor. » Imminet mihi immolatio; occisio enim Sanctorum Deo fecerat sacrificium; « Ego enim jam immolor, et tempus resolutio- » nis meæ instat; bonum certamen certavi, cursum con- » summavi, fidem servavi; de cætero reposita est mihi » corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die » justus Judex (*h*). » Reddet meritum qui fecit merita, et factus est Apostolus qui non erat dignus, et non coronabitur nisi dignus. Ibi enim quando accepit gratiam ut non debitam, « Non sum, inquit, dignus[9] vocari Apostolus, sed » gratia Dei sum id quod sum (*i*); » modo autem debitum exigit[10]: » Bonum certamen certavi, cursum consummavi, » fidem servavi, de cætero reposita est mihi corona jus- » titiæ (*j*). » Debitum mihi; ut scias quod debitum: « Quam reddet mihi Dominus; » non dixit, Dat mihi, aut, Donat mihi, sed » Reddet mihi Dominus in illa die » justus Judex (*k*). » Misericors donavit mihi, justus reddet mihi.

IV. Video, beate Paule, quibus corona debetur meritis tuis[11]; sed respiciens quod fuisti, agnosce; Dei dona sunt ipsa merita tua. Dixisti: « Gratias Deo qui dat nobis » victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum (*l*). » Bonum certamen certavi (*m*); sed miserentis est Dei (*n*). » Dixisti; « Fidem servavi (*o*), » sed tu ipse dixisti: « Mise- » ricordiam consecutus sum, ut fidelis essem (*p*). » Videmus ergo Dei dona esse merita tua, et ideo gaudemus de corona tua.

SERMO LIII.

De Conversione sancti Pauli V.

Sermo, qui sequitur, jam cum quibusdam discriminibus stampatus est in Appendice Maur. cum numero CCIV. *Maurinorum judicio sancto Doctori abjudicatur* 1° *quia in uno veteri Codice sancto Leoni tribuitur;* 2° *quia horum Doctorum eruditione et gravitate indignus est;* 3° *quia nonnulla habet Sermonis alicujus subsequentis. Rationes illæ infirmæ videntur et invalidæ:* 1° *quidem unus Codex namen habet sancti Leonis, sed præter alios, quas legerant Maurini, cum titula sancti Augustini, titulum hunc expresse reperire est in nostra Codice, nempe* CXLVI, *fol.* 225. *Quid faciet unus contra multos?* 2°. *Nihil in Sermone Maurinorum abjectum et sancto Doctore indignum occurrit præter exordium; exordium autem, quod non legitur in Codice nostro evidentissime adventitium est, et male ab ignaro amanuensi superadditum; reliqua autem magnam eloquentiam sapiunt, ut patebit omni legenti;* 3° *Sermo sequens in Editis ex plurimis diversorum Sermanum fragmentis coalescit, unde non mirum est in eo plures hujus veri Sermonis sententias reperiri. Non remanet igitur dubitandi locus quin Serma iste ad sanctum Augustinum pertineat; unde hunc emendatum hic repræsentamus. Ponatur post præcedentem cum numero de Conversione sancti Pauli* VII.

SYNOPSIS.

I. Mirabilis Dei gratia in conversione sancti Pauli. II. Mirabiles in sancto Paulo conversionis effectus. III. Conclusio.

I. Sicut in lectione Actuum Apostolorum, cum recitaretur, audivimus, beatissimus Paulus cœlesti voce pros-

(*a*) 1 Cor. XV, 9. — (*b*) Ib., XV, 9, et XV, 8. — (*c*) Id., XV, 9. — (*d*) Ibid. — (*e*) Ibid., 10. — (*f*) Ibid. — (*g*) 2 Tim. IV, 6. — (*h*) Ibid. 6, 7, 8. — (*i*) 1 Cor. XV, 10. — (*j*) 2 Tim. IV, 7, 8. — (*k*) Ibid. — (*l*) 1 Cor. XV, 57. — (*m*) 2 Tim. IV, 7. — (*n*) Rom. IX, 16. — (*o*) 2 Tim. IV, 7. — (*p*) 1 Tim. I, 13, 16.

[1] Cod. male punctum habet post *nomen Saulus*. Male item *Saulem*, et post *sanctus David*, ut patet ex sensu. — [2] Male ponuntur puncta in Codice: *Christi venturi. Ex semine David secundum carnem implevit partem Saulis. Saulus*, etc... Error est manifestus. — [3] Codex evidenter male *legatos, puniendos*. — [4] Cod. male *cerdens, sitiens sanguine*. — [5] Cod. male *pro suis*. Desideratur etiam vox *faceret*. — [6] Cod. male *minimus*. *novissimus*. — [7] Vide Serm. CLXXIX, n. 5. — [8] Sensum esse crederem: *videtur quasi benedicens, id est, laudans seipsum, tamen vere dictum est*. Alludit sanctus Doctor ad verba *benedictus, et vere dictum est*. — [9] In Cod. non legitur *dignus*. — [10] Vide Serm. CCXCIX, n. 6. — [11] Cod. male *corona debetur merita fera*.

tratus est[1]. Dum furit Paulus[2] in lupina rabie exortus[3], dum quærit discerpere, aut vexare gregem, audivit altisonam vocem : « Saule, Saule, quid me persequeris (a)? » Quid frustra insanisti contra nomen meum, et occidisti Martyrem meum? Olim quidem debui perdere te, sed Stephanus meus oravit pro te. Et ille : « Quis es, Domine? » Et Dominus ad illum : « Ego sum[4] Jesus Nazarenus quem tu persequeris (b). » Caput de cœlo pro membro[5] clamat. Inquietatur corpus, et de cœlo intonat Christus. « Saule, inquit, Saule, quid me persequeris? » Quid est quod rugientis poli[6] mugit arcanum, et contra sævitiam Pauli militia conqueritur cœli, nisi (ut) qui non crediderat resurrectioni, saltem crederet in cœlo sedenti? nam dicitur Ananiæ : Accede ad eum, et signa eum caractere meo[7]. Et ille : « Domine, audivi de viro hoc, multa mala fecisse Sanctis tuis (c). » Ait illi Dominus : « Vade, quoniam vas electionis est mihi (d). » O beate Anania, merito in timore te dares[8], si forte non esset cui militares[9]. Ideo prosternitur superbia, ut erigatur[10] sanctitas. Venit ergo Ananias, baptizavit Saulum, et fecit Paulum; baptizavit lupum, et fecit agnum, et cœpimus habere prædicatorem, quem habuimus persecutorem[11].

II. Denique cœpit prædicare Christum, cui antea resistebat; paratus pati pro eo contra quem ante[12] pugnabat : pati[13] Paulus, quod fecerat Saulus. Saulus lapidavit, Paulus lapidatus est; Saulus Christianos[14] virgis affecit, Paulus pro Christo « quinquies quadragenas una minus accepit (e); » Saulus persecutus est Ecclesiam Dei, Paulus sporta submissus est[15]; Saulus vinxit, Paulus vinctus est; et dum Saulus[16] quærit minuere numerum Christianorum, et jam[17] ipse accessit[18] ad numerum confessorum; et dum infert aliis necem, suscepit ipse pro Christo[19] mortem; dum intrat lupus rapax in stabula pecudis, et ipse factus est ovis.

III. Itaque quis jam desperet de magnitudine criminis, aut de humilitate generis? Nam beatissimum Petrum piscatorem modo genibus provolutus adorat excellentia imperatorum; immanem credentium persecutorem Paulum veneratur Gentium multitudo credentium; per Dominum nostrum Jesum Christum qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen[20].

SERMO LIV.

De sancto Paulo apostolo.

Sermo hic perfectissimus eruitur ex Cod. CI, *fol.* 92. *Memoratur etiam in Bibl. Laurent. tom.* 1, *fol.* 49, *Cod.* IX. *Nomen sancti Augustini præfert, ideoque illi non videtur denegandus, quamvis non occurrant sententiæ adversantes, sicut beato Doctori solemne est. Ponatur post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. De sancto Paulo agendum, utpote exemplo zeli animarum. II. Pauli encomium. III. Paulus omnibus prædicans. IV. Paulus non vivens nisi fratribus et Christo.

I. Si penitus effugere maculam, Fratres dilectissimi, voluerimus, Petri fortasse vel Pauli sequenda sit doctrina, qui cum verbi et sapientiæ et gubernationis gratiam percipere a Christo meruissent, « Omnibus tamen omnia facti sunt, ut omnes lucrifacerent (f) : » nobis vero satis est, si vel gubernari nos recte patiamur, et regi ab his quibus regendi gratia gubernandique concessa est. Verum quoniam Pauli et cæterorum similium ejus fecimus mentionem, omittentes, si videtur, cæteros omnes qui vel per legislationem, vel per prophetiam, vel per militiæ magisterium, vel per aliquam hujuscemodi procurationem populis profuerunt : (sic Moyses, vel Aaron, vel Jesus, aut Elias, vel Elisæus, omnesque Judices, Samuel quoque et David, et multitudo cætera Prophetarum;) Joannem etiam Baptistam, sed et duodecim Discipulos Domini, atque eos qui vel cum ipsis vel per ipsos cum labore multo et sudore populis profuerunt temporibus suis singuli, omnes hos interim nunc omittentes, Paulum solum adhibemos ad attestationem verbi nostri, et in ipso ac per ipsum considerabimus quid et quantum sit cura ac diligentia animarum; vel si parum operis et prudentiæ requirit, aut parum consilii laborisque deposcit.

II. Videamus ergo quid Paulus dicit de Paulo, ut ex ipso quid istud sit negotii, de quo agitur, addiscamus. Mitto enumerare « Labores et vigilias in siti et fame, miserias toleratas in frigore et nuditate. » Omitto illos extrinsecus insidiantes et intrinsecus resistentes. Omitto persecutiones, Judaïca consilia, carceres, vincula, accusatores, judicia, quotidianas et momentaneas mortes, « quod in sporta per murum dimissus est, quod lapidatus est, quod virgis cæsus est. » Omitto circuitus orbis terræ, « pericula in mari, pericula in terris, diei ac noctis, profundum naufragium, pericula fluminum, pericula latronum, pericula ex genere, pericula in falsis fratribus (g); » manuum labore victum quæsitum (h); quod[21] sine sumptu Evangelium prædicabat (i), quod « theatrum factum est et hominibus[22] et Angelis (j) » is qui medius Dei et hominum consistebat, pro omnibus quidem agones et certamina sustinens, Deo substantia populum comparans et acquirens. Præter hæc ergo omnia, quis digne exponere valeat quotidianam per singula providentiam, et sollicitudinem omnium Ecclesiarum (k). Ergo omnes misericors, erga omnes fraterno distentus affectu. Offendiculum quis patiebatur, et Paulus infirmabatur; scandalizabatur alius, et Paulus urebatur (l).

III. Sed docendi enumerem studium ac laborem, figurarum varietatem? sed lenitatem dicam et iterum austeritatem, aut ex utroque temperamentum, ut neque multa asperitate exulceraret, neque nimis benignitate resolveret? Leges dat servis et dominis (m), principibus et subjec-

(a) Act. IX, 4. — (b) Ibid., 5. — (c) Ibid. 13. — (d) Ibid., 15. — (e) 2 Cor. XI, 24. — (f) 1 Cor. IX, 22. — (g) 2 Cor. XI, 26, 28. — (h) 2 Cor. IV, 12. — (i) Id. XI, 18. — (j) Id. IV, 9. — (k) 2 Cor. XI, 28. — (l) Ibid., 29. — (m) Ephes. VI, 5, 9.

[1] In Sermone CCXXIX, n. 1. *voce de cælo prostratus est.* Et in alio Sermone de Apostolo Paulo in conversione cujusdam Fausti Pagani, tom. V, Maur. part. 2, p. 1518. *Et ipsi enim quædam necessitas impacta est : cælesti voce prostratus est : ut lumen haberet, lumen perdidit.* Et Serm. CCXCIX, n. 6. *Prosternitur persecutor, erigitur prædicator.* — [2] Cod. male *fuerat.* Edit. habet *dum furit ad caulas.* — [3] Edit. *dum exosum sibi nomen innocentis agni persequitur.* — [4] Edit. *inquit.* — [5] Cod. male *membrum.* Edit. *clamat pro membris.* — [6] Sic Edit. Cod. male *Quid est quod regente populo mugit arcanum, contra, etc.*; et postea, *qui non crediderat resurgentem, crederet in cælo sedentem.* — [7] Edit. *Multa enim patitur pro nomine meo.* — [8] Edit. *in timore trepidares.* — [9] Edit. *si fortis manu non esset.* — [10] Cod. male *eligatur.* — [11] *Quem habuimus persecutorem*; hæc verba desunt in Cod. — [12] Edit. *antea.* — [13] Edit. *patitur.* — [14] Cod. male *christianus.* — [15] Edit. *submissus est in sporta.* — [16] Edit. *sæviens.* — [17] Edit. *etiam.* — [18] Cod. male *accessit.* — [19] Cod. male *pro eo.* — [20] Finis in Codice multum truncatus reperitur. — [21] *Quod* in Cod. desideratur. — [22] Cod. male *hominum.*

tis (*a*), viris et mulieribus (*b*), parentibus et liberis (*c*), nuptis et innuptis (*d*), continentibus et luxuriosis (*e*), sapientibus et insipientibus (*f*), circumcisioni et præputio (*g*), Ecclesiæ et sæculo (*h*), viduis et virginibus (*i*), spiritui et carni (*j*). Pro aliis quidem lætatur et gratias agit (*k*); alios vero castigat et corripit (*l*); alios « Gaudium et coronam » nominat (*m*); alios vero stultitiæ notat (*n*); cum aliis quidem « bene currentibus » currit (*o*), alios autem male currentes refrenat et revocat (*p*); nunc separat de Ecclesia, nunc recipit, et confirmat charitatem (*q*); nunc luget aliquos, nunc lætificatur ex aliis (*r*); nunc lacte potat, nunc mysteria revelat (*s*); nunc se dejicit et exæquat humilibus, nunc secum erigit humiles et exaltat (*t*); nunc apponit spiritum mansuetudinis, nunc superbis et arrogantibus apostolicæ potestatis virgam minatur (*u*); nunc erigitur adversum erectos, nunc efficitur discipulis tanquam « Si nutrix foveat parvulos suos (*v*). » Nunc « Apostolorum est omnium minimus, » nunc « documentum sui » pollicetur « per eum qui in se loquitur » Christus (*x*); » nunc « resolvi desiderat, et esse cum » Christo, » nunc « permanere in carne propter eos » qui indigent, necessarium probat (*y*). « Non » enim « quærit » quæ sua sunt, sed quærit quæ » filiorum sunt eorum quos in Christo « per Evangelium genuit (*z*). » Quod utique singulariter observandum est iis qui spiritualibus populis præsunt, ut in omnibus quæ sua sunt negligant et contemnant pro utilitate cæterorum.

IV. « Gloriatur » ergo Paulus[1], sed « in infirmitati» bus (*aa*), » ac tribulationibus suis, et velut quodam monili mortificatione Christi adornatur. Excelsior est super omne quod carnale est; exultat in spiritualibus et gloriatur, et cum non sit « imperitus in scientia (*bb*), » tamen « per speculum et in ænigmate videre (*cc*) » se dicit. Confidit Spiritui, et tamen corpus affligit (*dd*), velut clandestinum adversarium destruens; quid nos edocens per hæc, et quid erudiens? nisi nihil ex iis quæ deorsum sunt præsumere, neque inflari per scientiam, neque carnem adversus spiritum erigere. Pugnat ergo ille pro omnibus; orat pro omnibus; zelatur omnes; Dei zelo accenditur pro omnibus; et inflammatur pro iis qui extra legem sunt, pro iis qui in lege sunt. Magister Gentilium, Judæorum advocatus, pro quibus etiam audet aliquid ultra quam fas est (*ee*), pro fratribus scilicet secundum carnem; ut et ego audeam simile aliquid dicere, ultra mandatum Dei nititur: nam proximos suos non sicut se, sed plus quam se diligit. Denique se etiam abjecto, illos pro se introduci orat ad Christum (*ff*). O singularem mentis magnificentiam! o cœlestem Spiritus calorem! Imitatur et in hoc Christum, qui « Factus est pro nobis maledictum (*gg*), » qui « Infirmitates nostras tulit, et langoores nostros por» tavit (*hh*): » et elegit, ut ita dicam, extra pietatem fieri pro pietate, dum « Anathema esse a Christo (*ii*) » petitur, tantum ut illi salvi fiant. Et quid dicam per singula? « Vi» vit non sibi, sed Christo (*jj*), » et prædicationi verbi. « Mundum sibi crucifixum et se mundo (*kk*), » omnia parva dicit et exigua pro desiderio Christi: etiamsi ab Jerusalem in circuitu usque ad « Illyricum repleat » Evangelium (*ll*); » etiamsi usque ad tertium cœlum raptus ascendat; etiamsi in paradisum deducatur, et ibi « Audiat verba quæ non licet hominibus loqui (*mm*); » in his omnibus « non gloriatur nisi in infirmitatibus suis (*nn*). » Sed hæc Pauloa, et si qui forte sunt in spiritu similes ei.

SERMO LV.

In Natali Joannis Baptistæ I.

Legitur in Cod. Cass. XII, *fol.* 226. *Vox* metatoris *videretur illum assignare sancto Chrysologo, aut sancto Chrysostomo; cum autem nomen beati Doctoris habeat, illi hunc fœtum abnegare non audemus. Ponatur post Sermonem* CCXCII, *cum numero in Natali Joannis Baptistæ* VIII.

SYNOPSIS.

I. Christus non obstante mundi principe in mundum venit. II. Venienti Christo Joannes præcursor. III. Joannes fœminæ impudicæ venumdatur. IV. Nativitatis S. Joannis Baptistæ miraculum. V. In ejus Nativitate gaudendum.

I. Rex noster de Virgine nasciturus fortissimum ante se præmiserat exercitum Prophetarum, ut mundus dudum principis sui edictis adversus, tandem Deo colla submitteret, et adventum imminentis judicis formidaret. Sed desperatio sumpsit audaciam, et contra Deum mortalitas rebelles animos extulit, quasi sine judice pugnaret[2], et auctori suo nec reconciliari caperet, nec jussa obsequia redimeret; sed per secretas cœli vias et occultas arcani consilii regiones Christus ad patriam sæculi repente venturus, spretis optimatibus tantis (descendit)[3].

II. Joannem hodie jussit præcedere metatorem[4], ut tanto regi universæ nationes ac populi animarum hospitia præpararent. Audi cœlestem vocem, terribilemque regis magni præconem, quemadmodum tuba canat, aut quales et quantos impetus fistula regalia effundat: « Ego sum, inquit, vox » clamantis in eremo: Parate viam Domino, rectas facite » semitas Dei nostri. Omnis vallis implebitur et omnis » mons et collis humiliabitur, et erunt quæ prava in di» recta et quæ aspera in vias planas, et apparebit honor » Domini, et videbit omnis caro salutare Domini Dei nos» tri (*oo*). » Jam hodie Christus erat in utero, sed latebat; jam nunc beata Maria inter puros roseosque viscerum sinus[5] membra invisa tanti regis[6] paritura fovebat. Sed Vox primo nascitur, ut Verbum continuo subsequatur[7]. Convenit ergo Joannes sæculo, instat, clamat, urget terram: « Parate, inquit, viam Domino, rectas facite semitas Dei » nostri. » Auferte, inquit, de cordibus pravitatem, distortam perfidiam corrigite, anfractuosos colles nequitiæ erroresque vagos, simplicitatis ac fidei operibus complanate. Adest Deus, imminet Christus; suscipite præsentem, quem contempsistis absentem. Ultro Deus venit offensus, cum desiderat esse placatus.

III. Sed humanum genus crudelibus animis ac torvo contempsit voltu Præconem usque adeo, ut sanguinem justi Joannis Herodias, impudicis rotata flexibus[8], mercaretur, et de innocentia piissimi Præcursoris libido secum

(*a*) Tit. III, 1. 2 Tim. XVI, 16. — (*b*) Ephes. V, 22, 33. — (*c*) Id. VI, 1, 4. — (*d*) 1 Cor. VII, 25, 35. — (*e*) Gal. V, 19. — (*f*) Rom. I, 14, etc. — (*g*) Ibid. a cap. II ad cap. V. — (*h*) Epist. ad Tim., ad Tit., ad Cor., ad Hebr. — (*i*) 1 Tim. V, 5, 16. — (*j*) Rom. VIII. — (*k*) Ephes. I, 16. Philip. I, 3, etc. — (*l*) 1 Cor. V. — (*m*) Philip. IV. 1. — (*n*) Gal. III, 3. — (*o*) Id. V, 5. — (*p*) 1 Cor. IX, 24. — (*q*) Id. V, 5; 2 Cor. II, 7. — (*r*) 1 Cor. XII, 21; Philip. II, 17. — (*s*) 1 Cor. III, 2; XV, 51. — (*t*) Id. XV, 9; 2 Cor. XI et XII. — (*u*) In utraque ad Cor. — (*v*) 1 Thess. II, 7. — (*x*) 1 Cor. XV, 9; 2 Cor. XIII, 7. — (*y*) Philip. I, 23, 24. — (*z*) 2 Cor. XII, 14; 1 Cor. IV, 15. — (*aa*) 2 Cor. XII, 9. — (*bb*) Id. XI, 6. — (*cc*) 1 Cor. XIII, 12. — (*dd*) Id. IX, 27. — (*ee*) 2 Cor. XI, 21. (*ff*) Rom. IX, 3. — (*gg*) Gal. III, 13. — (*hh*) Isai. LIII, 4. — (*ii*) Gal. III, 13 (*jj*) Id. II, 20. — (*kk*) Id. VI, 14. — (*ll*) Rom. XV, 19. — (*mm*) 2 Cor. XII, 2, 4. — (*nn*) Ibid. 5. — (*oo*) Luc. III, 4, 6.

[1] Cod. male *populus*. — [2] Cod. male *pugnatur*. — [3] Desideratur in Cod. vox *descendit*, aut alia similis necessario supplenda. — [4] De hujusmodi verbo *metatoris* usus est S. Chrysologus in Serm. CXXVII; videsis Bibl. Patrum tom. VII, fol. 948. Vide etiam notas appositas Serm. ejusdem, fol. 139. Quin et in operibus sancti Chrysostomi ex variis in Matthæum Homil. XV, Joannes vocatur *metator Christi*. Vide Serm. CCLXXXVIII nostri Augustini. — [5] Cod. male *pueros* .. *viscera sinus*. — [6] Cod. male, ut videtur, *invitatis regis*: pro mediocritate nostra correximus. — [7] Vide Serm. CCLXXXVIII, n. II. — [8] Cod. male *flexibilis*.

furórque certarent[1], ut saltantis puellæ gressibus delicatis segis inflammata copido[2] dum per impuras lasciviæ epulas solvitur, cruorem innocuum captivus Herodes non armato militi, sed impudicæ fœminæ venumdaret.

IV. Sed video, Fratres, quod cum de Nativitate beati Joannis loqui debueram, in ejus passione sermo transfudit. Ne partem tamen propositæ rei relinquam intactam, ac ne in longum elongetur disputationis oratio, prænotata potius statim[3] astringo. Congruit enim cursim breviterque rem propositam sine fastidio definire. Suffecerat quidem evangelicæ lectionis prolixitas animos fidelium satiare, sed ne nostrum populo Dei otiosum videatur officium, pro statu summatimque, Domino dante, peragemus mysterium, cujus causa proponitur[4]. Cum igitur sacerdos pater divinis altaribus tremebundus astaret, sponte Gabriel angelus, æthere reserato, auras sparsit inanes, seque[5] retro videndum obtulit titubanti. Moxque jussu regis æterni pavido pectori secretis[6] affatibus infert : « Ne » timeas, inquit, Zacharia, ecce exaudita est oratio tua, » et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium et vocabis no» men ejus Joannem; hic erit magnus et multi in nativi» tate ejus gaudebunt (*a*). » Erat autem Zacharias senectute marcidus, genitalibus forte privatus, deficientibus ab ævo[7] membris invalidus, ac tota pene compage corporis dissolutus[8]; ita erat neglecta conjux, infœcunda sterilisquo; convenire impotentes, joventutis flore siccato, infirmis actibus, exhausto naturali vigore cessaverant[9]. Igitur proh mira potentia majestatis! excursis[10] vitæ curriculis ad metas mortis senes accedunt; repente prolem in limine mortis generant, quam requirunt. Sed incredulus Zacharias, pondere videlicet judaicæ senectutis oppressus, Angelo non credidit, quod audivit. Moxque legatus cœli Gabriel synagogæ incredulæ[11] sacerdotem justa increpatione corripuit, et vocem illi, quam infidelitas denegabat, abscidit.

V. Implet tamen Divinitas promissa sua, et Joannem promissum infœcundis visceribus propagavit, qui etiam genitus adventum reverendi judicis suæ vocis præconio demonstravit. Ecce nunc tempus generationis adest. Nascitur hodie Joannes, sicut promiserat Deus, et patris linguam solvit filius generatus, ut et majestas quod decreverat perficeret, et pater in filii nativitate gauderet. Propterea et in nobis, Fratres, gaudia ista concurrant, ut qui patulis cordibus suscepimus Christum judicem, læti veneremur natum hodie metatorem. Frequentemus itaque hunc diem non obscœno[12] gentilis more erroris, sed simplici ac digno cultu, christianæ præcipue castitatis. Ne ullum in delubris sertum pendeat, aut insanientibus turbis[13]... petulantes rotæ concurrant, sed in Sancta sanctorum omnis fidelium numerus devoto conventu florescat.

SERMO LVI.

In Natali Joannis Baptistæ II.

Legitur in Cod. Cass. cxv, *fol.* 146, *cum nomine S. Augustini. Consimile exordium reperitur in Bibl. Medic., tom.* I, *fol.* 607, *inter Sermones sancti Ambrosii; reliqua differunt. Sapit Augustinum, cui tribuitur in nostro Codice. Locus ejus inter Editos post præcedentem cum numero in Natali Joannis Baptistæ* IX.

SYNOPSIS.

I. Pretiosa sancti Joannis Baptistæ Nativitas; Elisabeth fides, Zachariæ dubitatio. II. Elisabeth, per miraculum, in senectute gravida. III. Joannes ex ventre matris propheta. IV. Joannes ostendit quem Prophetæ prædicaverant.

I. Sancti Joannis Baptistæ ac Præcursoris christianæ religionis et fidei, Natalis festivitas hodie ubique celebratur, cujus hinc vota persolvimus, dum, nostro studio, ejus memoriam recensemus. Hoc enim prophetica dignitate promeruit, ne laudes ejus sileret ingrata posteritas, cujus Deo dicatur ipsa Nativitas. Nam cum Sanctorum gloriam colimus, non eis aliquod beneficium præstamus, sed nobis maximum lucrum conquirimus. Hic enim, ut dixi, Joannes, Angelo nuntiante, concipitur, et divino præcepto in matris utero fœtus signatur, et in Jordanis sacramento Baptista dominicus sublimatur, quoniam Dominus per Angelum deputat filio Præcursorem, et Zacharias se confirmat incredulitatis auctorem. Modo, inquam, Elisabeth velut lampada accendatur, et Zacharias sacerdos corripiatur. Elisabeth lumen accipiebat, et Zacharias obmutescebat; illa accendebatur, et Zachariæ silentium imponebatur; Elisabeth fide concipiebat, et Zacharias sine fide obmutescebat, quod tale verbum emiserit : « Unde » hoc sciam? inquit; ego sum senex, et uxor mea progre» ditur in diebus suis (*b*). » O mysterium in sacerdote! Ipse pro aliis incensum offerebat, et Deum præsentem non agnoscebat. Sentit virtutem, et non accommodat fidem; merito tacet, quia non credit.

II. Repleta igitur Elisabeth pudore, egredi nolebat, quia quod habuit magna mirabilia, in se concipiebat. Concepit enim et miratur, sed quasi confundebatur. Jam enim in diebus suis processerat, hoc est, ætatis vires transierat. Hoc est quod mirabatur, quia senectus ejus gravida videbatur, et munus juventutis tempus protulit senectutis. Non peperit tempore quo volebat, et genuit tempore quando nolebat. Lactavit infantem in senectute quæ fuit sterilis in joventute; gestavit in manibus puerum mulier annorum nonaginta, et eo amplius, sed hoc perfecit Pater et Filius et Spiritus sanctus. Sed hoc non est juventutis affectio, sed in senectute[14] divinæ majestatis promissio. Quando Zacharias voluit, tunc Elisabeth non potuit; et ideo non potuit, quia non placuit. Deus enim nasci volebat, quem Prophetam mittere disponebat.

III. Nascitur ergo Joannes non sine patris invidia, quem præparavit suæ mentis præsidia; non credidit pater divino præcepto, et vinctus est linguæ impedimento. Zacharias enim in ordine vicis suæ solita aris sacrificiorum offerens munera, cœpit mente, solito more, ubertatem precum diffundere; sed lingua constrictus, nervorum vincula non poterat motitare[15]. Infans vero prope jam nasciturus, in alvo matris exultavit et de ejus ventre prophetavit. Cum enim venisset Mater Domini ad Elisabeth matrem Joannis, quid Elisabeth dixit : « Ecce ut facta est » vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit præ gau» dio infans in utero meo (*c*). » Et quid infans in utero prophetica voce exultavit? « Unde hoc, inquit, mihi, ut » veniat Mater Domini mei ad me (*d*)? » O magna humilitas! Mater Salvatoris venit ad matrem Præcursoris. Salutavit Christum Joannes, et ambo non videbantur in carne. Christus enim in utero Mariæ hospitabatur, et

(*a*) Luc. I, 13, 14. — (*b*) Luc. I, 18. — (*c*) Luc. I, 44 — (*d*) Ibid. 43.

[1] Cod. *atque innocentem pessima Præcursoris libido secum furorque senturent.* Videat lector, utrum valeat correctio; meliorem, si possit, inveniat. — [2] Vide Serm. cxvii, n. 1. — [3] Codex *prænotatum potestatis astringo.* — [4] Cod. sine sensu *Prostrata summatimque, Deo dant; peragere mereamur causa propositum.* — [5] Cod male *seroque.* — [6] Cod. male *pavido pectore secreto.* — [7] Cod. *a tuo* — [8] Cod. male *dissolvuntur.* — [9] Hanc phrasis in Codice prorsus inintelligibilis : *Convenerant in possessio juventutis flore siccato in curvis actibus exhausto naturali vigore lassaverat.* Lector videat correctionem et judicet. — [10] Cod male *pro mira potentia majestatis, exceptus, etc* — [11] Cod. male *incredulis.* — [12] Cod. sine sensu *obstoeno.* — [13] Hic legitur prorsus inintelligibiliter : *Plantarum quat sentum.* Non nobis possibile evasit hæc verba explicare. — [14] Cod. male *sed senectutis divinæ majestatis promissio.* — [15] Cod. *mutilare*; forte ut diximus motitare.

Joannes in ventre Elisabeth morabatur. Merito voce divina dici potuit : « Antequam esses in utero matris tuæ » novi te, et in vulva sanctificavi te (a) ; » quia necdum Elisabeth cœperat paritura, et jam cœperat prophetare. Locutæ sunt noctes, salutaverunt dies. Unde scriptum est : « Dies diei eructat Verbum et nox nocti profert (b) » Christum.

IV. Prophetia impletur, et quod obscurum fuerat revelatur; id est Joannes hodie nascitur, Joannis nomen scribitur, et patris lingua resolvitur. Ergo, Fratres charissimi, beati sunt tales pignorum susceptores; beatæ quæ et istorum sunt genitrices : et vere quia beatæ erunt, quæ talium matres dici meruerunt. Fit hodie gaudium magnum, quia sterilis peperit filium, et pater qui erat mutus locutus est verbum. Præmittitur lucerna ante solem, servus ante dominum, amicus ante sponsum, præco ante judicem, Vox ante Verbum. Et ideo de se dicit : « Ego » sum vox clamantis in deserto (c). » Alii quidem Prophetarum adventum regis ante multa tempora prophetaverunt; alii cito venturum esse prædicarunt; ille vero cum venturum prædixit, venisse monstravit, et prophetia sua ipsum, quem annuntiavit, præsentem ostendit; cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LVII.

De Joanne Baptista.

Admirabilem hunc Sermonem, amplioris fragmentum tantum esse crediderim; extrahitur ex Cod. Cass. XII, *fol.* 230. *Totum repræsentat sublimitate Augustinum, cui tribuitur in Codice. Ponatur post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Christus longe major Joanne Baptista, simul inferior et æqualis Patri. II. Christus vere Patri æqualis. III. Christus quatenus homo, fit Patri inferior, major autem cunctis hominibus.

I. « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud » Deum, et Deus erat Verbum (d). » Numquid dedit alicui eorum, ut[1] diceretur de illo[2] : « Omnia per illum » facta sunt (e)? » Divinitatem apud se tenuit, gratiam donavit nobis. Hominem agnoscamus propter nos, Deum agnoscamus super nos; ipsum hominem, ipsum Deum. Sed ambos homines vides, et Joannem et Christum; sed quem vides hominem, Joanne major est, et tamen « Non » est dignus solvere corrigiam calceamenti ejus (f). » Hunc ergo intellige majorem; et tanto majorem, ut Joannes minor illo sit, quamvis major sit omnibus justis. Iste autem major terra et cœlo; major Angelis; major omnibus Virtutibus; major omnibus Sedibus, Potestatibus, Dominationibus. Unde major? « Quia omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (g). » Per hoc æqualis Patri, per hominem minor Patre. Ipse enim dixit[3] : « Ego et Pater unum sumus (h), » qui dixit : « Pater major me est (i). » Ambæ sententiæ quasi contrariæ, et ambæ veræ. Cor tuum non litiget, et verba Domini non litigant. « Ego et Pater unum sumus, » æqualitatem ostendit; « Pater major me est, » imparilitatem ostendit.

II. Ubi « Ego et Pater unum sumus, » audi Apostolum sententiarum ambarum interpretem in uno loco : « Qui » cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est » esse se æqualem Deo (j), » quia hoc erat natus. Rapina est usurpati : sicut Adam, rapina illi facta sunt ista. Et ideo quia voluit rapere quod non erat, perdidit quod habebat. Quomodo rapinam voluit? Ait illi serpens, unde et ipse ceciderat : « Ponam sedem meam ad Aquilonem, » et ero similis Altissimo (k). » Ista cogitatio diabolum dejecit. (Per) istam suggestionem hominem diabolus fecit superbiæ illius suæ participem[4]. Invidit enim stantem, qui jam ceciderat; inde dejecit, unde ipse cecidit. Ecce quibus erat rapina. Illi autem non erat, quia natus æqualis, et ab æternitate in æternitatem manens, æqualia nunquam non fuit, nunquam non erit. Nec dicendum Fuit, Est et Erit, sed Est. Quod ergo dicitur Fuit, jam non est; quod autem dicitur Erit, nondum est. Ideo ipse ibi, quando mandavit famulo tuo Moysi, cum diceret illi Moyses : « Quid vocaris? et dixit : Quid dictu» rus sum filiis Israël? respondit : Ego sum qui sum; » dices itaque filiis Israël : Qui est misit me ad vos (l). » Ubi dicitur Est, germanum est, sincerum est, mutari nonquam et nusquam potest[5]. Hoc Deus, hoc Filius Dei, hoc Spiritus sanctus. Itaque, Fratres, hoc supra omnia; et ideo æqualis Filius Patri; unde Apostolus : « Non rapi» nam arbitratus est esse se æqualem Deo (m). »

III. Unde est : » Pater major me est, sed semetipsum » exinanivit (n)? » Videte, distinguite verba : « Formam » servi accipiens (o). » Infigite hoc auribus, et discernite quomodo formam servi cum diceret, « Accipiens » dixit; de forma autem Dei non dixit « Accipiens, » sed dixit : » Qui » cum in forma Dei esset, formam servi accipiens, in » similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut » homo; humiliavit se, factus obediens usque ad mor» tem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus eum » exaltavit, et donavit illi nomen quod est super omne » nomen (p). » Secundum quod homo factus est, exaltatus est. Secundum hoc exaltatus, secundum quod humilis; nam secundum quod æqualis Patri, non exaltatus, quia nunquam humilis : secundum quod mortuus, resurrexit : » Donavit illi nomen quod est super omne nomen. » Ecce Christus veniens, et tamen ibi erat; resurrexit et ascendit in cœlum, et tamen inde non recesserat. Hominem putas, noli putare. Ecce homo « Quo nemo surrexit » major in natis mulierum (q). » Audi illum de se ipso homine : « Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti » ejus (r). » Duos ergo homines intellige; sed unum hominem Deum, alterum hominem bonum propter Deum; (homo Deus, Christus, homo bonus propter Deum, Joannes); unum hominem Veritatem, alterum hominem ex Veritate veracem.

SERMO LVIII.

In Natali Apostolorum Petri et Pauli.

Sermo iste, qui cum nomine sancti Augustini legitur in Cod. Cass. XII, *fol.* 232, *sine nomine indicatur in Bibl. Laurent. tom.* IV, *fol.* 293; *et in Supplemento ejusdem tom.* I, *fol.* 434. *Locus ejus post Sermonem* CCXCIX, *cum numero in Natali Apostolorum* VI.

(a) Jerem. I, 5. — (b) Psal. XVIII, 5. — (c) Matth. III, 33. — (d) Joan. I, 1. — (e) Ibid. 3. — (f) Ibid. 27. — (g) Ibid. 3. — (h) Id. X, 30. — (i) Id. XIV, 28. — (j) Philip. II, 6. — (k) Isai. XIV, 13, 14. — (l) Exod. III, 13, 14. — (m) Philip. II, 6. — (n) Ibid. 7. — (o) Ibid. — (p) Ibid. 7, 9. — (q) Matth. XI, 11. — (r) Joan. I, 27.

[1] Cod. male *ut quis eorum diceretur*. — [2] Vide Serm. CCXCIII, n. 5; et Serm. CCLXXXI, n. 5. — [3] Vide Serm. CCCXLI, n. 6. — [4] Cod. male *ista suggestio homini Diabolus fecit per superbiam suam participem*. — [5] Vide Serm. VI, n. 4.

SYNOPSIS.

I. Beati Petrus et Paulus in vocatione sua simul conferuntur. II. Beatorum Apostolorum martyrium mystice laudatur.

I. Natalem, juvante hodie Domino, Apostolorum celebramus, quorum memoriam universus mundus amplectitur, et æquali fide, dum finem in his sæculorum vitæ recolit, perpetuitatem cœlestis gloriæ confitetur. Pauli hodie natalis est. Et quis ista taceat? Petri festivitas vertitur. Quemadmodum ille verba non suggerat, qui adversus Simonem disputans, istius canis rabiosam[1] feritatem obsecundans, et loqui didicit et placare? Pretiosam plane in conspectu Domini mortem sanctorum felici suo exitu comprobarunt[2]. Paulus, inquam, vas electionis, Petrus clavicularius Dominicæ mansionis; unus piscator, alius persecutor. Paulus cæcatus est ut videret, Petrus negavit ut crederet. Paulus post resurrectionem Ecclesiæ ad fidem Christi Domini se convertens, tanto discipulus[3] factus est fortior veritatis, quanto pertinacior fuerat cultor erroris. Petrus piscator non posuit retia, sed mutavit, quia primus honore sacerdotii muneratus, fontes potius cœpit amare quam maria, ut non tam abstraheret quos occideret, sed mergeret quos levaret[4]. Beati plane in administratione doctrinæ positi[5], beatiores in mortis desiderio constituti. Ibi enim gloria nutritur, hic traditur[6]. In sæculo exercitium tribulationis est, in morte assumptio majestatis. Ecce per omnes transiit sonus eorum. Ubique laus utrisque colligitur; ubique linguis fidelium triumphorum materia explanatur.

II. Quis hos audeat mortuos appellare, quorum fide universus ad vitam mundus erigitur? Atqui (ad) illam superni luminis invisibilem mansionem talibus doctoribus, secura ambitione festinare[7] nemo dubitet, nemo assequi sibi impossibile suspicetur. Ibi enim Paulus est qui auxilium præstet conanti; ibi Petrus est qui cœlum aperiat venienti. Libet etiam ipsa illustrium personarum victricia pensare tormenta. Paulus, inquam[8], decollatus est; Petrus retro versis pedibus crucifixus. Habet perfectum mysterium nobilium status[9] pœnarum. Decebat enim ut Paulus capite plecteretur, quia Gentibus caput fidei esse probatur; Petrus autem quia noverat caput viri Christum esse, Christo jam in cœlestibus constituto, caput suum præmisit, pedibus sequebatur, ut novo genere passionis, ligatis pedibus, manibus resolutis, et iter cœleste faceret, et oraret. Non sum, inquit[10], dignus sic crucifigi quemadmodum Dominus meus. Non his vocibus martyrium recusavit, sed triumphum Domini timuit usurpare, paratus ad pœnam, verecundus ad meritum. Melius ergo centuplíciter, melius profecto, beate Petre; suspenderis, quam Magus[11] volat. Ille alta petit ut profundius cadat; tu terræ caput applicas ut cœlum possideas interemptus; præsta, Domine[12], qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LIX.

De Piscatione Petri.

Eruitur ex Cod. Cass. CIV, *fol.* 120, *ubi legitur absque titulo. Sed Biblioth. Laurent. illum sancto Doctori tribuit, nec immerito. Locus ejus in Editis post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Cymba Petri Ecclesia Christi. II. Petrus animas capiens.

I. Tempus admonet, Fratres, ut evangelicum capitulum, quod nuper lectum est, disseramus, in quo ait ad Petrum Dominus adhuc in ejus navicula constitutus: « Noli timere, » ex hoc jam eris homines vivificans (*a*). » Ex ista enim clausula possumus totius lectionis intelligere sacramentum. Quid enim erat causæ, cum in captura piscium refertas naviculas Discipuli mirarentur, quod Salvator Petro non id permitteret quod poscebat, sed responderet, quod penitus ignorabat? Hoc est quod in ipsa, in qua erat, navicula non vivificari homines soleant, sed trepidare vestigio? Vide ergo ne ista navicula non sit navicula, quæ Petro regenda tribuitur, sed sit Ecclesia quæ Apostolo gubernanda committitur. Ipsa enim navis est, quæ de mundanis turbinibus, velut de fluctibus elevatos non necare, sed vivificare consuevit. Nam sicut cymba subtilis sublevatos pisciculos de gurgite salvat et retentat, ita et navis Ecclesiæ liberatos de turbine homines animat, cum capescit: animat intra se, inquam, Ecclesia, et velut mortuos vivificat. Nam vivificare verbum hoc significat; nihil enim vivificatur, nisi quod paulo ante fuerit in vita. Velut sancios ergo mundi turbinibus et præfocatos sæculi fluctibus homines vivificaturus dicitur Petrus; et quia mirabatur refertam naviculam palpitantium piscium numerositate, viventium onustam Ecclesiam hominum multitudine plus miretur.

II. Tota igitur series lectionis mysticum continet intellectum; nam et in superiori loco ubi sedens in navicula Dominus dicit Petro: « Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam(*b*); » utique non tam eum docet piscationis in profundum instrumenta jacere, quam prædicationis in altum verba laxare. Quod etiam Paulus oris sui jaculo penetravit dicens: « O altitudo divitiarum sapientiæ » et scientiæ Dei (*c*)! » et reliqua. Non, inquam, eum docet lino pisciculos concludere, sed fide homines congregare. Hoc enim operatur fides in terris, quod rete operatur in fluctibus. Nam sicut rete, quos continet, vagari non patitur, ita et fides errare, quos colligit, non permittit: et sicut ibi captos sinu quodam perducit ad navim, ita et hic congregatos gremio quodam deducit ad requiem. Ut autem intelligas, quia de spirituali piscatione Dominus loquebatur, ait Petrus: « Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, sed in verbo tuo laxabo » retia (*d*); » velut si diceret: Quia per totam noctem frustra vigilantibus nobis non proficit nostra piscatio, piscabor non jam instrumento, sed gratia, non artis industria, sed devotionis instantia. « In tuo, inquit, verbo laxabo retia. » Legimus Verbum esse Dominum Salvatorem, sicut ait Evangelista: « In principio erat Verbum (*e*), » et reliqua. Ergo cum in verbo Petrus laxat retia, in Christo utique laxat eloquia, et cum illa contexta et composita in dicto Præceptoris lina explicat, magis distincta et convenientia in nomine Salvatoris verba dilatat, quibus possit non animantia[13] salvare, sed animas. « Per totam, inquit, noctem » laborantes, nihil cepimus (*f*). » Per noctem vere laboraverat Petrus, qui prius obscuritatem patiens sine Christo non poterat videre, quos caperet. At ubi lux Salvatoris illuxit, discussis tenebris, cœpit etiam in alto fidei cernere, quos oculis non videbat. Noctem plane passus est Petrus, donec dies ei qui Christus est non astiterat. Unde

(*a*) Luc. v, 10. — (*b*) Ibid. — (*c*) Rom. XI, 33. — (*d*) Luc. v, 5. — (*e*) Joan. I, 1. — (*f*) Luc. v, 5.

[1] Codex male *etiam canes regiora feritas obsecundans*. — [2] De comparatione Petri et Pauli vide Serm. CCXCIX, n. 2 et CCCXXXII, n. 1. — [3] Cod. sine sensu *humilis*. — [4] Forte *lavaret*. — [5] Id. male *positi*. — [6] Vide Serm. CCXCVIII. — [7] Cod. *festina*. — [8] Cod. male *inquit*. — [9] Cod. *iste*. Lector de correctione judicet. — [10] Cod. male *itaque*. — [11] Simonem intellige quem cœlo volare præsumentem precibus dejecisse creditur. — [12] Forte *præstante Domino, qui vivit et regnat*. — [13] Cod. male *amantia*.

ait Apostolus : « Nox præcessit, dies autem appropinqua- » vit (a). »

SERMO LX.

De Lapsu Petri.

Eruitur ex Cod. Cass. DXXXIV, *fol.* 199, *cum nomine beati Augustini, cui recte tribuendus est. Locus ejus inter Editos post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Petri præsumptio. II. Casu de propria infirmitate eruditur.

I. AUDISTIS apostoli Petri, Domino interrogante, confessionem, cujus audieratis, ancilla terrente, negationem. Dictum enim erat præsumenti : « Negabis me (b); » dictum est diligenti : « Amas me (c)? » ut enim titubaret apostolus Petrus, præsumpsit de viribus animi sui. Jam vero olim reprehenderat Psalmus : « Qui confidunt in virtute » sua (d). » Factus ergo erat Petrus tanquam ille de quo cantatur in Psalmo : « Ego dixi in mea abundantia : Non » movebor in æternum (e). « In abundantia sua dixerat Christo : » Tecum sum usque ad mortem (f); » in abundantia sua dixerat : « Non movebor in æternum[1]. » Dominus tamen tanquam medicus et artifex, quid infirmo ageretur melius noverat, quam ipse infirmus. Faciunt hoc medici in valetudinibus corporum, quod Dominus potest etiam in valetudinibus animarum. Nam quid tibi videtur erogare, ut expectet æger audire a medico, quid in illo agatur[2]? Ipse enim dolores, quos patitur, potest nosse; utrum autem periculosi sint, et quas causas habeant, utrum possit, an non possit evadere, medicus venas inspicit, et quid in ægro agatur ipse ægroto renuntiat. Quando ergo Dominus beato Petro : « Ter me negabis (g), » dicebat, venam cordis ejus tangebat[3]. Ecce factum[4] est, quod prædixit medicus, et falsum inventum est, quod præsumpsit ægrotus.

II. Ibi enim in eodem Psalmo sequitur Spiritus et dicit. Cum dixisset : « In abundantia mea non movebor in » æternum, » quasi præsumens de viribus animi sui, continuo subjecit : « Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem; avertisti autem faciem tuam, » et factus sum conturbatus (h). » Quid dixit? Quod habebam, abs te habebam, et a me esse credebam : « Avertisti autem faciem tuam; » tulisti quod dedisti, et « Factus sum conturbatus; » inveni quis eram[5], quia tu recesseras. Dominus ergo Petrum, ut salubriter humilem faceret, ad tempus deseruit[6]. Quando illum respexit, tunc flevit, sic enim habes in Evangelio, postquam negavit : impletum est quod prædixerat Dominus. Quid scriptum est? « Respexit eum Dominus; et recordatus est Pe» trus (i). « Si non respexisset, totum Petrus oblitus fuisset. » Respexit eum Dominus, et recordatus est Pe» trus, quia dixerat ei Jesus : Antequam gallus cantet, » ter me negabis; et egressus foras, flevit amare (j). » Opus erat ergo Petro ad abluendum negationis peccatum baptismum lacrymarum. Sed unde hoc habere potuisset, nisi ei hoc ipsum Dominus dedisset?

SERMO LXI.

In Solemnitate sanctorum Machabæorum I.

Hic Sermo, qui eruitur e Cod. Cass. XII, *fol.* 239, *jam stampatus est inter opera S. Leonis tom* 1, *fol* 244, *editionis Cacciari Rom.* 1753. *Sed sancto Augustino, cujus nomen præfert in Cod. Cassinensi, jure et merito restituendus est. Unde illum correctum et emendatum lectori benevolo repræsentamus. Locus ejus post Serm.* CCCII, *cum numero in Solemnitate sanctorum Machabæorum* III.

SYNOPSIS.

I. Martyres Machabæi exemplum sunt omni sexui et ætati. II. Machabæorum mater in filiorum educatione laudanda. III. De martyrio primi fratris. IV. De aliorum quinque fratrum martyrio. V. Martyrium junioris fratrum præ cæteris extollitur.

I. AUDITA a vobis hodie, Dilectissimi, Machabæorum fratrum gloriosissima passione[7], rectissime, ut puto[8], apud Apostolicum hoc quod hodie lectum est a nobis, dicitur : « Hæc autem, Fratres, ad nostram correctionem scripta « sunt, in quos finis[9] sæculorum devenit (k). » Et vere omnia quæ in divinis paginis scripta sunt, ad eruditionem nostram scripta sunt ac salutem, ut exempla aliorum nostri profectus sint; et dum magnorum virorum illustria facta legimus, ipsi fidei incitamenta capiamus. Et ideo lecto nobis hodie et beatæ fraternitatis, et beatæ matris triumpho, uterque Ecclesiæ populus[10] de sexu suo sumat exemplum; id est, ut et viri imitentur eximiam fratrum devotionem, et fœminæ piæ matris affectum, sicque et doceant filios quæ[11] docent, et sic obediant qui docentur. Discant ergo omnes, qui amant filios sic amare.

II. Beata Martyrum mater ab incunabulis filios suos bene instituens, et sancta docens, dum minora docuit, sublimiora concedit; ac sic et matre bene instituente, et filiis bene obediendo[12] obsecundantibus, sanctam fraternitatem, quam fides docuit, obedientia consecravit. Beata mater, cui super humana possibilitate[13] provehere sobolem suam datum est[14]! quæ dum docet filios suos religionem[15], duxit ad cœlum. Unde, licet ad ædificationem Ecclesiæ jam ista sufficiant, dicendum mihi tamen breviter etiam de singulorum passionibus puto; maxime quia in his[16] non laus tantum, et admiratio, sed et doctrina Ecclesiæ atque ædificatio continetur.

III. Videamus ergo quæ fuerit primi fratris vox in persecutione, vel passione[17] : « Quid quæris? inquit, ut » audistis, juvenis ad tyrannum, quid vis discere a no» bis[18]? Parati sumus mori, magis quam patrias leges præ» varicari (l). Parati ergo, inquit, sumus mori, » unus loquebatur, et pro omnibus respondebat. Intelligamus utique in unius anima mentes fuisse cunctorum. Accensus ergo ac furens tyrannus abscindi[19] linguam loquentis jubet. O sævissimum incredulitatis artificem! Linguam tollere jubet[20], ut confessionem possit[21] auferre; nesciens devotionem et fidem non tam linguarum esse quam sensuum. Itaque beatissimus Martyr, etiamsi damnum ser-

(a) Rom. XIII, 12. — (b) Matth. XXVI, 75. — (c) Joan. XXI, 17. — (d) Psal. XLVIII, 7. — (e) Id. XXIX, 7. — (f) Luc. XXII, 33. — (g) Matth. XXVI, 73. — (h) Psal. XXIX, 8. — (i) Luc. XXII, 61. — (j) Ibid. 62. — (k) 1 Cor. X, 11. — (l) 2 Mach. VII, 2.

[1] Vide Serm. CCLXXXIV, n. 6, et Libr. de Corrept. et Grat. n. 24. — [2] Vide Serm. CCLXXXV, n. 3. — [3] Vide Enarrat. in Psal. CXXXVIII, n. 21. — [4] Cod. male *factus est*. — [5] Id. *qui erant*. — [6] Vide Serm. CCLVII, n. 3, et CCLXXXV, n. 3. Deseruit, non gratiam prorsus negando, sed tribuendo minorem. — [7] Cod. Male *auditam .. passionem*. — [8] In Cod. male deest *puto*. — [9] Edit. *fines .. devenerunt*. — [10] Vide Serm. CCCI, n. 6. — [11] Edit. male *quos*. — [12] Vox *obediendo* deest in Edit. — [13] Edit. *supra humanam possibilitatem*. — [14] Verba *datum est* desunt in Edit. — [15] Edit. *religione sua*. — [16] Cod. habet solum *his*. — [17] Edit. *vel vox in persecutione vel passio*. — [18] Edit. male *discere nobis*. — [19] Cod. *abscidi*. Unum et alterum indistincte pertinent ad parum latine loquendi modum. — [20] Edit. *linguam voluit tollere*. — [21] Cod. minus bene *posset*.

monis pertulit, fidei tamen damna non sensit. Ore enim postea tacuit, sed mentis constantiam tenuit[1].

IV. Sed properemus ad cæteros. Interrogatus, inquit Scriptura, secundus, ut audistis, a persecutoribus « Si » manducaret carnes porcinas, respondit: Non faciam. » Propter quod ipse[2], inquit, sequenti loco, primi tor- » menta suscepit(*a*). » Bene cum secundo actum est æqualitate supplicii, ut quem majori fratri æquabat fides, æquaret et passio, ac sic[3], licet secundus esset nascendi ordine, et ipse tamen primus pœnarum fieret dignitate. « Post hunc, inquit Scriptura, tertius illudebatur(*b*). » Pulchre sermo divinus insidias dæmonis, verbo ludificationis expressit, quia semper artifex, quos non potuerit violentia vincere, quærit saltem illusione superare. Quartus autem cum torqueretur, truncatis jam pene omnibus membris, inter damna corporis, fidei tamen[4] damna non sentiens: « E cœlo[5], inquit, ista possideo(*c*). » O præclaram Martyris fidem[6], qui quod amittebat in terra, possidere se testabatur in cœlo! Merito ergo detrimentis membrorum non angebatur[7], cui quasi in lucrum damnum cedebat[8]; cum utique, quidquid temporaliter perderet, totum[9] æternaliter possideret. Non minus quoque[10] quinti fratris tam vox laudanda, quam virtus, qui inter supplicia acerbissima constitutus, fidem mentis etiam conscientia prædicationis ostendit, dicens tyranno: « Potestatem inter homines habes, cum sis corruptibilis; » noli autem putare genus nostrum a Deo esse derelic- » tum; patienter sustine, et videbis magnam potestatem » illius, qualiter et te et semen tuum torquebit(*d*). » O perfectæ fidei admirandam securitatem[11], quæ persecutoribus non submittitur, quæ[12] torquentibus comminatur! Ita beatissimus Martyr, etiam cum membris non subsisteret, animo[13] tamen tortoribus suis fortior fuit. Inferior conditione, altior fide; minas non deposuit, cum supplicia sustineret. Ita, quantum in ipso fuit, dum cruciatur, cruciat; dum occiditur, vindicatur; ac sic, inter tormenta ipsa sublimior Martyr fide, quam tyrannus potestate, dum persecutionem patitur, ipsum judicat persequentem. Sextus autem, cum triumphalibus pœnis cœlum ascenderet, in ipso admodum jam beato exitu constitutus, sic ad tyrannum ait: « Noli frustra errare: nos enim propter » nos ipsos patimur, quia peccavimus in Dominum nos- » trum, et digna admiratione facta sunt in nobis(*e*). » Non fides tantum in sanctis Martyribus est admiranda, vel virtus, sed magis admodum religiosa mentium mansuetudo, et inter excellentes triumphos, humilitas magis eminens.

V. Nunc ad illam septimi fratris laudandam omnibus, venerandamque constantiam veniamus; qui ultimo inter fratres loco passus, obtinere hoc admirabili fide potuit, ut novam faceret post tot victorum fratrum bella victoriam; nec immerito, quia cum fuerit inferior certo nascendi ordine, factus est pœnæ admirabilior passione; et minor ætate[14], major exemplo; quia hoc in pœna passio[15] plus admirationis exhibuit, quo minus fortitudinis pueritia promisit; et tanto plus visus est, puto, ipse vincere[16], quanto minus putatus est posse pugnare. Accessit autem ad meritorum vincentium cumulum etiam crudelissimi tyranni fallax atque insidiosa tentatio, blandimentis magis periculosa quam pœnis; quia ætas puerilis ac tenerior, etiamsi possit par esse tormento, est tamen infirma consilio. Invenit enim tyrannus sævius[17] persequendi genus, ut indulgentia[18] plus noceret, advocans ad persuadendum filium fidelissimam ac piissimam matrem. Sciebat enim infirmissimam in tormentis esse pietatem, et quod etiam quæ sustinere in se quis potest, perferre[19] non possit mater in filio; quia infirmiores sunt animi diligentium quam membra tolerantium. Tentans ergo crudelissimus tyrannus filii animum in matris affectu[20], id egit, ut in matre[21] filius, et mater vinceretur in filio; callidissima utique crudelitate, qua si unum tentaret, et duos vinceret, hostis[22] nescis cujus magis[23], utrum illius quem a choro gloriosissimorum fratrum voluit[24] separare, an illius quam ita decipere conatus est, ut dum unius pignoris vitæ consulit[25], perderet quidquid in cunctis ante meruisset[26].

SERMO LXII.

In Solemnitate sanctorum Machabæorum II.

Hic Sermo, qui, sicut præcedens, legitur jam stampatus in sancto Leone ex editione Cacciari Serm. LXXXVI, *fol.* 246, *legitur etiam in nostro Cod.* XII, *fol.* 244, *cum nomine sancti Augustini, cui certe videtur tribuendus. Sancto Leoni convenire non potest, cum Romæ non celebraretur festum sanctorum Machabæorum, quod celebratum fuisse apud Hipponem testantur alii plures sancti Augustini de illa solemnitate sermones. Accedit ad nostri Codicis auctoritatem sententiarum et styli cum Augustiniano genere conformitas. Ponatur correctus ad nostri Codicis variantes lectiones post præcedentem, cum numero in Solemnitate sanctorum Machabæorum* IV.

SYNOPSIS.

I. Post exordium laudatur mater Machabæorum, quod septem filios una die genuerit ad vitam æternam. II. Matris Machabæorum felicitas superextollitur. III. Fortiter contemplatur mater sex priorum tormenta. IV. Antiochus juniori blanditur, et matri jubet ut suadeat filio. V. Mater, Abraham mirabilior, ultimum filium hortatur ad martyrium. VI. Junior morte traditur, et post filium mater. VII. Ergo et nobismet ipsis cuncta pro Christo perferenda.

I. Si velimus, Fratres dilectissimi, de singulis istis sanctis, ac beatissimis septem fratribus, qui die una, cum sua gloriosa matre, passi sunt, laudes dicere, nec nos duramus loquendo, nec vos toleratis audiendo. Postremo, Fratres, etsi vestra in audiendo persistat aviditas, nostra tamen dicendo fatigatur infirmitas. Quis enim, Dilectissimi, sufficiat digne laudare, digne prædicare, etsi non die una natos, tamen per confessionem die[27] una coronatos? Hoc eis sancta fecit confessio, quod non potest facere humana parturitio. Hoc, inquam, fecit divina gratia, quod non potest humana natura. Non enim potest quæcumque mulier die una generare septem fratres, quomodo hæc beata et gloriosa Machabæa genuit Christo per fidem, una die, septem martyres confessores. Gaudeamus, Fratres charissimi, quia fides facit quod naturalis progenies nunquam fecit. Gaudeamus ad Dei mirabilia, lætemur ad Dei magnalia, quia quidquid[28] non potuit simul edere uterus carnis, simul coronavit hodie Dominus majestatis.

(*a*) 2 Mach. VII, 8. — (*b*) Ibid. 10. — (*c*) Ibid. 11. — (*d*) Ibid. 16, 17. — (*e*) Ibid. 18.

[1] Edit. *semper tamen mente clamavit.* — [2] Edit. *et iste.* — [3] *Sic* deest in Edit. — [4] Vox *tamen* in Edit. desideratur. — [5] Edit. male *in cœlo.* — [6] Edit. *O præclara Martyris fides.* — [7] Edit. et Cod. *agebatur;* corrigitur ex sensu. — [8] Cod. *cedebatur.* — [9] Edit. *totum id.* — [10] Edit. *non minus quoque est.* — [11] Edit. *admiranda securitas.* — [12] Edit. *qua.* — [13] Edit. *anima.* — [14] Edit. *ævo.* — [15] Vox *passio* deest in Edit. — [16] Edit. *potuisse vincere.* — [17] Cod. *sævus*, minus bene. — [18] Edit. *indulgendo.* — [19] Cod. male *perferri.* — [20] Edit. *affectum.* — [21] Edit. *ut et in matre.* — [22] Edit. male *hostes.* — [23] Edit. *licitum... illiusque Machabæorum gloriosissimorum...* — [24] Codex male *voluisti.* — [25] Edit. *consuleret.* — [26] Sermo finem habere non videtur; unde in quibusdam Codicibus quibus usus fuerat Cacciari hic astruitur finis, et quidem finis ex sancto Augustino depromptus, nempe ex Homilia II in Machabæis, Serm. CCCII, quod quidem militat in gratiam authenticitatis hujus fragmenti. — [27] Cod. male *per confessionem Dei una coronatos.* — [28] Cod. minus bene *qui quod.*

II. O felix Mater quæ genuit tales, hoc est, carne et charitate, mundo et Deo, sæculo et Christo, terræ et cœlo! Sed quos primo cum tristitia et gemitu carne genuerat, nunc sicut Abraham tanquam holocaustum Deo in ara fidei cum lætitia singulos ad victimam offerebat. O felix Mater, quæ nullum filiorum suorum Deum negantem planxit, nullum titubantem aspexit, nullum dæmoniis sacrificantem congemuit! In singulis enim et ipsa patiebatur, sed in omnibus vincentibus, pro se et pro illis magnifice lætabatur. O mulier bona, quæ facta est arbor bona! Sic enim Dominus dixit[1]: « Arbor bona bonos » fructus facit (*a*). » Folia et fructus istius arboris, Fratres, verba sancta et[2] bona facta sunt. De tali sancta arbore dicit Propheta: « Filii tui[3] sicut novellæ olivarum » in circuitu mensæ tuæ (*b*). » Item, intenti estote, Fratres; arbor olivæ in hyemo invenitur fructuosa, in æstate opaca; in hyeme agricolam pascit, in æstate ei refrigerium facit; oleo impinguat caput ejus, umbraculo defendit corpus ejus[4]. Sic denique dicit Propheta: « Impinguasti » in oleo caput meum (*c*). » Et iterum orat et dicit: » Ego autem sicut oliva fructifera in domo Domini (*d*). » Hunc olivæ surculum columba invenit, et ad arcam, tempore diluvii, cum fructu revocavit. Isti ergo septem filii septem fructuosi sunt rami, qui tempore persecutionis inclinari potuerunt, frangi non potuerunt[5].

III. Cum ergo videret filios suos pro fide torqueri, frigi, incendi, et singillatim eorum membra abscindi[6], trucidari, et in ventos[7] disseminari, non timuit, non expavit, non saltem palluit; intrepide enim stabat, quam Deus pro sua lege pugnantem fortiter corroborabat. O quæ Deus huic beatæ mulieri concessit, Fratres, ut quæ nata est in ordine temporis prior filiis, simul cum eis juncta fuisset Angelis! et quæ fuerat mater, facta est soror in agone certaminis; et quæ prior nata viderat solem, una die cum filiis[8] passa, modo conspicit Salvatorem.

IV. Ideoque cum unus junior ex septem fratribus[9] remansisset, vocavit eum item perditus rex, et ei cœpit oblactando, multa etiam promittendo, ut a via recta eum traduceret, et a suis sanctis fratribus subdole separaret[10]. Promisit primum divitias, honores, dignitates; promisit aurum, argentum, regnum, imperium. Iste autem omnia irrisit, omnia conculcavit, quia Deum toto corde dilexit. Præparatæ[11] sunt minæ et cuncta genera tormentorum; nec sic timuit, nec ad munera declinare potuit, nec minas crudelissimi regis expavit. Cumque vidisset Antiochus rex ubique se victum, et ab omnibus superatum, vocavit matrem pueri, ut persuaderet filio suo, ne et ipse, sicut fratres ejus, ad majora tormenta perveniret. Dixit mulier se persuasuram filio suo[12]. Sed quid habuit persuadere illi qui remanserat, nisi quod persuaserat illis quos jam ad Dominum præmiserat? Jam enim[13] primo dixerat filiis suis: « Filii, nescio quomodo in ventrem meum » apparuistis[14], nec ego spiritum et animam dedi vobis; » non vultus et membra plasmavi; sed Deus qui fecit » cœlum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt, et » omnium inquirit actuum[15] originem, ipse spiritum et animam vobis[16] donavit; ipse vultus et membra plasmavit, » et quia modo propter sanctas leges ejus traditis corpora » vestra, sed ipse iterum vos restituet in sua misericor» dia (*e*). » Mater enim erat[17]; hoc noverat præstare filiis suis, quæ toto corde diligebat Deum.

V. Si miramur, Fratres, Abraham sanctum, quia Deo intrepidus obtulit filium, quanto magis hæc mirabilior exstitit, quæ una die septem filios Martyres ad Deum cum tota devotione præmisit[18]? Igitur et isti novissimo filio[19] qui remanserat, dicebat: Tu, fili, superes mihi; tu summa votorum meorum, tu postremus clausisti partus meos; rogo et obsecro, comple gaudium meum[20]. Miserere mei, inquit, mi fili[21], quæ te in utero meo[22] tot mensium spatia portavi. Ne uno momento confundas senectutem meam; ne decolores tot fratrum tuorum trophæa; ne[23] sacrum eorum comitatum relinquas, nec consortium deseras. » Aspice, » inquit, Fili, in cœlum (*f*), » unde spiritum et animam accepisti; » aspice in terram[24], » quæ tibi alimenta salutis subministravit; aspice fratres, qui collegam expectant; aspice matrem[25], « quæ tibi lac per trienne tempus de» dit (*g*). » Redde mercedem pii sanguinis; noli a fratribus separari, et[26] quæ te parturivit, matre divelli[27]. Rogo, Fili, temporales tibi divitias promittit Antiochus rex, et[28] temporales honores; sed omnia vide et proba quia vana sunt, temporalia et inania; æterna[29] non sunt. Solus Deus æterna promittit, qui neminem decipit, neminem fallit. Fili, recordare verba Domini Dei tui; recordare, inquam, quod legisti vel[30] audisti; quid Deus dicat per Prophetam: « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas (*h*). » O Fili, noli timere Antiochum regem, qui tuum corpus ad tempus[31] occidit, sed time Deum tuum, qui corpus et animam cum tuis fratribus resuscitabit[32]. Vos itaque mihi septem dierum lumina Deus dedit. Jam sextum diem conclusi, quia sex tuos fratres ad Dominum præmisi, et omnium opera valde bona vidi. Debes et[33] tu sequi fratres tuos[34], Fili, ut quæ in illis sex laboravi, in te septimum requiescam, quia et Dominus Deus ad quem curritis[35] et pergitis, septimo die requievit ab omnibus operibus suis, et ego requiescam in te ab omnibus lacrymis meis.

VI. Tali ergo[36] et isto materno hortamento admonitus[37], repletus Spiritu sancto ait: « Quem speratis? quem sustine» tis? Non consentio neque obedio imperio falsi regis, sed » obedio Deo (*i*); » et cætera quæ audistis. Igitur et ipse[38], mundus et purus, spiritum tradidit. Post omnes mortua est et mater; mortua in mundo, sed vivit in Deo. Non enim mori potuit, quæ filios suos pro amore Dei martyrium perpeti fecit. Omnes enim vivunt sub ara cœlorum, « quia » non est Deus mortuorum, sed vivorum (*j*). »

VII. Ergo, Fratres, si[39] antiqui justi pro illis divinis sacramentis multa passi sunt: si tres pueros et Danielem laudamus et prædicamus, quia de mensa regis contaminari noluerunt; si istos sanctos Machabæos, de quibus tanta locuti sumus, et cum ingenti admirationis[40] fama proferimus, qui cibum vel escam, quibus nunc Christiani licite utuntur, ipsi accipere noluerunt; nos, pro Christo, pro baptismo Christi, pro Eucharistia Christi, et pro signo Christi, quæ pati, aut quæ[41] tolerare debemus, cum illæ fuerunt promissiones rerum complendarum, hæc sunt indicia completarum? Tunc enim erat fides occulta, modo manifesta. Nam eadem credebant, eademque sperabant omnes sancti et justi. Sustineamus ergo et nos, Fratres, quæ illi pro Deo sustinuerunt; contemnamus quæ illi[42]

(*a*) Matth. VII, 18. — (*b*) Psal. CXXVII, 3. — (*c*) Id. XXII, 5. — (*d*) Id. LI, 10. — (*e*) 2 Mach. VII, 22, 23. — (*f*) Ibid. 28. — (*g*) Ibid. 27. — (*h*) Eccle. I, 2. — (*i*) 2 Mach. VII, 30 et seqq. — (*j*) Luc. XX, 38.

[1] Edit. *dicit.* — [2] Edit. *ac.* — [3] Edit. *et rami tui.* — [4] Vide Enarr. in Psal. CXXVII, n. 13, et Tract. VI in Joan. n. 19. — [5] Cod. minus bene *inclinari non potuerunt.* Reliqua desunt. — [6] Cod. *abscidi.* — [7] Id. *in vento.* — [8] Edit. *cum filiis suis.* — [9] Cod. *septem fratres.* — [10] Edit. *a via recta volens eum traducere et a sanctis suis fratribus subdole separare.* — [11] Edit. *præsentæ.* — [12] Cod. male *dixit mulieri ut persuaderet filio suo.* — [13] Edit. *tunc enim.* — [14] Edit. *paruistis.* — [15] Cod. evidenti errore *inquit tactuum.* — [16] *Vobis* deest in Cod., sed legitur in Edit. — [17] Edit. *mater enim erat, non noverca.* Deinde verbum hoc desideratur. — [18] Edit. *remisit.* — [19] Cod. minus bene *et in isto minimo filio.* — [20] Edit. *gaudia mea.* — [21] Edit. *miserere, inquit, mei filii.* — [22] In Edit. deest vox *meo.* — [23] Edit. *nec.* — [24] Edit. *in terra.* — [25] Vide Serm. cor., n. 7. — [26] Cod. male *ætate.* — [27] Id. male *debelli.* — [28] *Et* deest in Cod. — [29] Cod. *et æterna.* — [30] Edit. *et.* — [31] Desunt in Edit. verba *ad tempus.* — [32] Edit. *sed Deum, qui tamen corpus et animam cum tuis fratribus resuscitabit.* — [33] Deest verbum *et* in Edit. — [34] Tria hæc verba in Cod. non leguntur. — [35] Edit. *itis.* — [36] Edit. *igitur.* — [37] Edit. *armatus.* — [38] Edit. *ista.* — [39] *Si* deest in Cod. — [40] Cod. male *admiratione.* — [41] Vox *quæ* deest in Edit. — [42] Verbum *illi* in Cod. non legitur.

contempserunt, ut cum ipsis accipiamus vitam æternam, quam speramus.

SERMO LXIII.

In Solemnitate sanctorum Machabæorum III.

Eruitur ex vetustissimo lectionario manuscripto Vaticano 3836, *ubi legitur:* Incipit Sermo S. Augustini de SS. Machabæorum Kal. August. *Prius jam legebatur stampatus inter Leoninos Serm.* LXXXII; *sed immerito. Unde fratres Ballerini in sua editione sancti Leonis illum in appendicem rejecerunt, quia, ut aiunt, non Leonis, sed Augustini est. Hic igitur vero suo auctori vindicatur. Locus ejus post præcedentem cum numero in solemnitate sanctorum Machabæorum* V.

SYNOPSIS.

I. Festivitas dedicationis Ecclesiæ et Martyrum. II. Conflictus Christianorum. III. Martyrum solemnitas sanctitate celebranda. IV. Conclusio.

I. GRATIAS, Dilectissimi, Domino Deo nostro[1], quod quanta sit hujus diei solemnitas, etiamsi ego taceam, conventus noster ostendit; cum conspiranti enim studio et devoto animo convenistis, ut festivitatis[2] magnificentiam, etsi sermo non indicet, congregatio tamen ipsa testetur. Et recte: duplex enim causa lætitiæ est, in qua et natalem Ecclesiæ colimus, et Martyrum passione gaudemus; nec immerito digne Ecclesia horum exultat martyrio, quorum ornatur exemplo. Causam ergo solemnitatis hodiernæ, Dilectissimi, plenissime sacræ historiæ lectione didicistis, nec latere vos potuit, quem in tanto rerum gestarum ordine exceperitis auditum, cum gloriosam septem Martyrum matrem exultanti et non tacito honoraretis affectu, in singulis quidem filiis passam, sed in omnibus coronatam. Subsecuta est enim felici exitu, quos invicto præmisit hortatu[3]. Beata genitrix, beata progenies, memorabilis præcedentium fortitudo. Nam cum in illo ordine mortium[4], et in illa dispositione pœnarum, id sævissimi regis excogitasset impietas, ut victoriam sibi et de primis promitteret, quos sine tolerantiæ cruciaret exemplo, et de postremis, quos in supplicio torqueret alieno: multiplicatæ sunt Martyrum palmæ, et dum singuli in omnibus vincunt, præter coronas proprias, omnes acquisivere septenas.

II. Sed hæc ad fructuosam[5] recolenda sunt aurium voluptatem. Inflat scientia, nisi ædificet obedientia: gravant audita, nisi suscipiantur imitanda. Nec enim quia cessavit persecutor et tortor, quia omnes[6] jam Deo militant potestates, desunt Christianis, quas superent passiones. « Fili, inquit, accedens ad servitutem Dei sta in jus» titia et timore, et præpara animam tuam ad tentatio» nem (*a*). » Et Apostolus dicit: « Quicumque in Christo » pie volunt vivere, persecutionem patiuntur propter jus» titiam (*b*). » Qui ergo putas quievisse persecutionem, et nullum cum hostibus esse conflictum, intimum cordis tui scrutare secretum, et omnes recessus[7] animæ tuæ diligens explorator ingredere: et vide si nulla te impugnat adversitas, si nullus tyrannus vult in mentis tuæ arce dominari; noli cum avaritia pacem firmare, et iniquorum quæstuum incrementa contemne. Superbiæ concordiam nega, et magis time in gloriam suscipi quam in humilitate calcari. Dissociare ab ira[8], nec dolorem inflammet invidiæ cupido vindictæ; renuntia voluptati, avertere ab immunditia, pelle luxuriam, fuge iniquitatem, abstine a falsitate[9]: et cum videris te multiplicem habere pugnam, tu quoque imitator Martyrum, numerosam quære victoriam. Toties enim peccatis moriemur, quoties in nobis peccata moriuntur: « Et pretiosa in conspectu Domini » etiam ista mors Sanctorum ejus (*c*), » ubi homo occiditur mundo, non interitu sensuum[10], sed fine vitiorum.

III. Si ergo, Charissimi, non « Ducitis cum infidelibus » jugum (*d*), » si peccatores esse desistitis, et nullis carnalium cupiditatum tentationibus ceditis[11], solemnem hanc diem legitime[12] celebratis: et non solum Martyres ac Martyrum matrem, sed etiam illius[13] memoriam, justo honore, veneramini, qui hoc die antiquam festivitatem hujus loci consecratione geminavit: magnificus quidem structor parietum, sed magnificentior ædificator animarum, ultra ævi sui terminos opera pietatis extendens, ut utilitatibus[14] institutionum ejus etiam in ipso frueretur devota posteritas, et habitando quod condidit, et faciendo quod docuit.

IV. Omnia ergo, Dilectissimi, quæ oculis cernitis, mente meministis, ad profectum[15] vestræ ædificationis assumite, et ita unusquisque vestrum præparato a majoribus utatur habitaculo, ut in se ipso meminerit templum Dei esse fundatum. Nihil structuræ suæ pravum, nihil supponat[16] infirmum; sed vivis et electis lapidibus congruendo[17], per indissolubilem connexionem crescat in Dominici corporis unitatem: auxiliante ipso angulari lapide Deo[18] et Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXIV.

In Natali Martyrum.

Sermo sancto Augustino merito ascribendus, utpote qui eruatur ex Cod. Cass. XII, *fol.* 258, *cum nomine beati Doctoris. Ponatur inter Editos post sermonem* CCCXXXV, *cum numero in Natali Martyrum* XI.

SYNOPSIS.

I. Pretiosa mors sanctorum Martyrum, eo quod præsertim supplicio, ut Christus, affecti fuerint. II. Nil timendum pro Christo ob futurorum expectationem. III. Conclusio.

I. CANTAVIMUS et cum summa dilectione cantabimus spiritualis Psalmi dulcissimam cantilenam; et Sanctorum mortem consona voce præconabimus[19]; et cum Prophetæ psalterio, Spiritus sancti canore, multifidum officium nostræ vocis adjungemus[20] dicentes: « Pretiosa » in conspectu Domini mors sanctorum ejus (*e*). »

(*a*) Eccle. II, 1. — (*b*) 2 Tim. III, 12. — (*c*) Psal. CXV, 15. — (*d*) 2 Cor. VI, 14. — (*e*) Psal. CXV, 15.

[1] Edit. priores male *agamus*. — [2] Cod. Barb. *solemnitatis*. — [3] Cod. Casanat. *quos quantos præmisit ornatu*. Id. habet Cod. Barb. — [4] Cod. Casanat. *morientium*. — [5] Cod. Casanat. et Barb. *ad infructuosam*. — [6] Verbum *omnes* deest in aliquibus manuscriptis. — [7] Edit. priores *recursus*, perperam. — [8] Cod. Barb. *dissocia te ab ira*. — [9] Edit. priores *omitte falsitatem*. — [10] Ibid. *non terminatione sensuum*. — [11] Alias *creditis*. — [12] Additur ex probatis Codicibus. — [13] In opinione Quesnelli et aliorum qui hunc sermonem sancto Leoni tribuunt, agebatur hic de Sixto III; cum autem certum sit Sermonem hunc non sancto Leoni, sed beato Augustino esse tribuendum, evanescit prorsus illa sententia, et credendum manet hic oratorem tractare de quodam suo prædecessore, ecclesiæ sanctorum Machabæorum fundatore. — [14] Cod. Barb. *utilitate*. — [15] Quesnellus male *et ad profectum*, conjunctio *et* abundare videtur, et plurimis rejicitur manuscriptis. — [16] Cod. Vat. *superponat*. — [17] Cod. Barb. *congruendo*. — [18] *Ipso angulari lapide Deo et*; hæ voces adjectæ fuerunt ex Cod. Vaticano. — [19] Vide Serm. CCCXXVIII, n. 1, et CCCXIX, n. 1 et 2. — [20] Cod. male *adjungamus*.

Exerat licet diabolus per complices suos in sanctos Dei ingeniosa crudelitate supplicia, fustibus quatiat, plumbis elidat, in equuleos extendat, ungulis effodiat, et excarnificata corpora facibus impietatis exurat, ut post exusta corporum atrocitatibus membra[1], deformem ad mortem ignibus videatur exhibere frixuram. Cruces statuat, stipites figat, bestias admoveat, præcipitiaque componat; in vanum laborat; quia qui desiderio regnorum cœlestium capiuntur, qui promissa futuri temporis concupiscunt, præsentia cuncta despiciunt; nec possunt temporalem vitam quærere, quos amor vitæ æternæ cœperit possidere. Qui enim tulerit crucem suam, et sequitur Christum, amare non potest mundum, quia vorago est omnium vitiorum. Hoc denique Dominus in Evangelio ait : « Si quis voluerit post me venire, abneget » se sibi, et tollat crucem suam, et sequatur me(*a*). Tol» lat, inquit, crucem suam, » hoc est dicere : Tollat crucem meam[2]; quia qui tulerit meam, faciet eam crucem suam. Commune ergo habet cum Christo præmium virtutis, qui crucem tulerit Salvatoris. Gloriosis enim mentibus mors ista compendium est.

II. Jam vero si accesserint afflictamenta pœnarum, plena sumitur palma virtutum, quæ patientem perducat ad conspectum Domini coronatum. « Si quis vult, inquit, post » me venire, abneget se sibi. » O zelantem Dominum vere! quia sicut scriptum est : Deus zelans, ita te vult se amare, ut te incipias odisse : ama, inquit, me, noli te; abnega te tibi, et serva te mihi; esto meus, noli tuus; vita tua pendeat ex cruce mea, quia crux mea servat vitam tuam. Nolo te ames; me ama; quia si me amaveris, te amabis; nam si te sine me amaveris, odisse te incipis. Amas hanc vitam? Ama magis eum qui tibi dedit ipsam vitam[3]. Amas corpus tuum? ama magis Creatorem tuum, qui creavit corpus tuum. Quid amas quod periturum est? ama quod semper est. Amor præsentium caducus est; amor futurorum æternus est; quia præsentium amor tempore incipiente finitur; imo per ipsam mortem, ad immortalitatis præmium pervenitur. Sic Prophetæ sancti amantes Dominum, oderunt mundum. Sic tres illi invicti Pueri despexerunt vitam suam, et vicerunt fornacis flammam. Sic Daniel feras regno sanctitatis edomavit, quia voluptates mundi cum vita ista damnavit. Sic Eleazarus senex, maturiore[4] consilio, virtutes obtinuit, quia mundum et in juventute calcavit. Sic Machabæa beata cum filiis, imo in filiis torta, et affectum sprevit et sexum, ac sacrificavit naturæ ipsius pietatem[5] ex mortibus filiorum. Sic venerandi Apostoli docuerunt, et quæ docuerunt impleverunt, quia pro Christo mori quam sæculo vivere maluerunt, et ad patiendi felicitatem credentium animos armaverunt. Sic sancti Martyres gloriosi pro Christo suas animas posuerunt, et abnegaverunt se sibi, ut totos se proprio traderent Creatori. Sprevere supplicia, contempsere tormenta, cruces, ignes, patibula, bestias, nec potuit in eorum sensibus exercere ullum supplicium dominatum, in quorum mentibus amor dominicus obtinuit principatum.

III. Ergo cum despiciant Sancti mundi istius incolatum, et pro Domino velint se addicere cruciatibus tormentorum, merito eorum « Mors in conspectu Dei dicitur » pretiosa (*b*); » quibus nihil charius in hoc mundo in comparatione rerum omnium perducetur. In cruce pendeant, bestiis subjaceant, qualiscumque mors pro Dei confessione initur, pretiosa est; quia « Etsi coram homi» nibus, inquit Salomon, tormenta passi sunt, spes illo» rum immortalitate plena est; et in paucis vexati, in » multis bene disponentur (*c*). » Unde et Apostolus his concinens : « Quia nos, inquit, secernit a charitate Christi[6]? » tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nu» ditas, an periculum, an gladius, sicut scriptum est, » quoniam propter te morte damnamur, omni die æsti» mati sumus ut oves occisionis. Sed in his omnibus evin» cimus propter diligentem nos. Certus sum enim quia » neque mors, neque vita, neque Angeli, neque virtutes, » neque superbia, neque altitudo, neque præsentia, neque » futura, sed nec creatura alia poterit nos separare a di» lectione Dei, quæ[7] est in Christo Jesu, Domino nos» tro (*d*)[8]. »

(*a*) Matth. XVI, 24. — (*b*) Psal. CXV, 15. — (*c*) Sap. III, 4, 5. — (*d*) Rom. VIII, 35-39.

[1] Cod. *ut post exurat a corporum atrocitatibus membra*; textus mutilus; judicet Lector an legitime restituatur. — [2] Vide Serm. CCXXXII, n. 2. — [3] Vide Serm. CCLXVIII. — [4] Cod. *maturisso*; evidens patet error. — [5] Cod. *pietatis*. — [6] Vide Serm. CCXXXV, n. 1. — [7] Cod. *quod*. — [8] Hæc versio specialis est, non reperitur in versionibus antiquis apud Sabathier in Epist. ad Romanos VIII, 35, 36, 37, etc.

SANCTI AURELII

AUGUSTINI,

HIPPONENSIS EPISCOPI,

SERMONES INEDITI.

CLASSIS IV.

SERMONES DE DIVERSIS.

SERMO LXV.

De Pœnitentia.

Eruitur ex Cod. Cass. XII, *fol.* 198. *Nihil obstare videtur quin S. Augustino tribuatur. Verum est quidem auctorem asserere Niniven post triduum esse destruendam; sed huic sententiæ B. Doctor non repugnat, ut videre est de Civit. Dei, lib.* XVIII, *cap.* XLIV. *De hac sententia videri etiam potest S. Hieronymus in Jonam. Idem sermo in Bibl. Laurent. tom.* I, *fol.* 403, *laudatur, sed sine nomine. Locus ejus post sermonem* CCCLII, *cum numero de Pœnitentia* III.

SYNOPSIS.

I. Pœnitentia cunctis necessaria est. II. Pœnitentiæ necessitas probatur ex statu conscientiæ et exemplo Ninivitarum. III. Pœnitentia ab ipsismet innocentibus adoptanda. IV. Nemo se potest excusando dicere innocentem, quin imo eo quod se talem dicat fit culpabilis. V. Conclusio.

I. Evangelica lectio, Fratres charissimi, cum legeretur, audivimus[1] : « Pœnitentiam, inquit, agite, appropinqua- » vit enim regnum cœlorum (*a*). » Regnum cœlorum Christus est, qui est cognitor bonorum ac malorum, et arbitrum[2] omnium constat esse causarum. Præveniamus itaque Deo, in confessione peccati, et ante judicium omnes animæ castigemus errores. Ad periculum autem pertinet, si nescias qua libet curatione emendare peccatum ; præsertim cum nos causas negligentiæ intelligamus redemptores, pœnitentiam agere debemus. Agnoscite, Dilectissimi, quanta sit circa nos Domini Dei nostri pietas, ut admissi criminis culpam ante judicium velit satisfactione componi. Nam ideo semper justus judex admonitionem præmittit, ne quando quidem jus severitatis exerceat. Non abs re est ideo[3], quod a nobis Deus noster fontes exigat lacrymarum, ut quod negligentia perdidit, pœnitentia[4] reparet. Scit enim Dominus noster non semper hominis[5] integrum stare consilium ; frequenter peccare corpore, aut vacillare sermone ; ideo pœnitentiam docuit, per quam possit et destructa corrigere et lapsa reparare. Securus itaque de venia homo, debet semper suspirare de culpa. Quamvis autem multis vulneribus conditio humana laboret, tamen nemo desperet, quia Dominus satis largus est circa omnes languentes misericordiæ suæ bona libenter impendere.

II. Sed forte dicit aliquis non se habere quod plangat. Recurrat unusquisque ad conscientiam suam, et inveniet in pectore suo interpellare peccatum. Unus cordis plaga, alter corporis laborat injuria ; uni dominatur superbia, alterum inflammat cupiditas ; unum arguit falsitas, alterum, per avaritiam, maculat aliena paupertas ; unus per effusionem sanguinis humani polluitur, alter vilissimæ mulieris amore sordidatur. Ad has tantas ac tam præcipuas sive mentis sive corporis plagas quomodo non est qui ingemiscat ? vel qui non supplices lacrymas fundat ? Neminem ergo pudeat Deo offerre vulnera sua. Nunquam ad remedium pervenit, qui curari erubescit. Omnes ægritu-

(*a*) Matth. IV, 17.

[1] In Indiculo Possidii numeratur Tractatus ex Evangelio, *Agite pœnitentiam*, tom. x, fol. 293, Maurinorum. — [2] Cod. male *ut arbitror*. — [3] Id. male *Deo*. — [4] Id. *negligentia*. — [5] Id. *hominem*.

dines, aliæ faciliores sunt, aliæ difficiles. Nullum gravius infirmantium genus est, quam aliquem morbos suos nolle sanare. Docent hoc Litteræ sacræ. Nullus qui quæsivit remedium, periit; nullus qui contempsit, evasit. Peritura post triduum Ninivitarum civitas erat, nisi ad pœnitentiam confugisset. Quid enim Propheta dixit? « Adhuc triduum » et Ninive subvertetur. Et verbum pervenit ad regem » Ninive, et surrexit de sede sua, et posuit vestimenta sua » a se et operuit se cilicio, et sedit super cinerem (*a*). » Magna satisfactio, Dilectissimi; deposuit vestimenta regalia, et operuit se cilicio. Maluit enim in cilicio evadere, quam in purpuris deperire. Ubi erat tunc illa regni sublimitas? ut evaderet pœnam superbiæ, confugit ad auxilium humilitatis; ut intelligamus Deo plus esse humilitatem quam potestatem. Omnium enim Ninivitarum[1] regnum tunc interiisset nisi illud[2] pœnitentia patrona servasset.

III. Sed adhuc additur in illa Ninivitarum satisfactione, ut et infantes simul et animalia jejunassent. Sed cur parvuli jejunarunt, qui nihil mali fecerant? Jejunabant utique innocentes, ut evaderent peccatores. Clamabat parvulus, ut senior non periret. Si etiam infantum jejunium fuerat necessarium, cur etiam et pecudum et jumentorum? Utique ut pœnitentiam hominum etiam fames probaret animalium, et rugientes ad Deum in gravitate, quod ab aliquibus patratum[3] fuerat, ab omnibus solveretur. Ita et nos, Fratres charissimi, consentientibus animis et conspiranti fide clamemus ad Dominum Deum nostrum. Illi clamabant, etiam post reatum; nos clamemus ne rei simus. Beatus ille, Dilectissimi, cui timor Dei[4] est pro flagello; quem non pœna corrigit, sed[5] disciplina. Nunquam tormenta patitur, qui timet ne aliquando patiatur.

IV. Sed dicit forte aliquis in populo : Cur timeam, qui nihil mali facio[6]? Audi Joannem apostolum prædicantem : « Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos se» ducimus, et veritas in nobis non est (*b*). » Nemo ergo seducat vos, Dilectissimi; pessimum genus peccati est non intelligere peccata. Omnes quidem agnoscentes crimina sua, reconciliari Domino per pœnitentiam possunt. Nullus magis de peccatoribus plangi dignus est, quam qui putat se non habere quod plangat. Multa enim delictorum genera, Dilectissimi, et hæc periculosiora quædam, quæ levia esse creduntur; illa sunt magis noxia, quia quibusdam æstimantur non esse peccata. Nullum enim malum facilius decipit, quam cum non intelligimus malum esse. Itaque ego nunc non dico de homicidiis, non de adulteriis, non de malis persuasionibus; absit enim ut Christianorum hæc aliquis admittat, aut si forte commiserit, cecidisse et corruisse non statim plangat. Sed de illis utique loquor, quæ minora multo ac leviora creduntur. Quis autem vestrum est, Dilectissimi, quem vel ebrietas non polluerit, vel ambitio non rapuerit, vel invidia non exusserit[7], vel cupiditas non incenderit, vel avaritia non vulneraverit? Unde admoneo, Dilectissimi, ut juxta quod scriptum est, humilietis vos sub illa potentissima manu Dei; et quia nullus est sine peccato, nullus sit sine satisfactione; quia hoc ipso[8] quis nocens est, si se innocentem esse præsumat. Potest quis culpæ minoris esse, sed non[9] inculpabilis; « Nemo » est immunis a reatu (*c*). »

V. Et ideo, Dilectissimi, qui gravius offenderunt, fidelius veniam petant. Qui autem a malis acerbioribus impolluti sunt, orent ne polluantur; præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXVI.

De Jejunio I.

Erutus hic Sermo e Cod. Cass. xii, *fol.* 95, *propter nonnullam styli duritiem quibusdam abjudicandus sancto Augustino visus est; propter autem manuscripti auctoritatem illi tribuendus nobis videtur. Locus ejus post Sermonem* ccxlvii.

SYNOPSIS.

I. Jejunii utilitas et necessitas probatur medicorum auctoritate. II. Auctoritate philosophorum et sancti Pauli. III. Exemplis Sanctorum et Christi. IV. Conclusio.

I. Quotiescumque, Fratres dilectissimi, devotionis vestræ jejunia prænuntiantes indicimus, toties ut observetis et faciatis hortantes commonemus. Multi enim non tam delicati quam pigri, non vitiosi corporibus, sed potius mentibus indevoti, animorum suorum vitia mentientes excusant ægritudine aliqua viscerum, aut imbecillitate membrorum, et quanquam, ut dixi, confingant, tamen etsi habent aliquod vitium, eo magis currere debent[10] ad jejunium. Sicut enim deliciæ generant morbos, ita jejunii est posita medicina, morborum causa. Dominus autem hoc providens sic prædicit ut devota jejunia et vitiosis indicat. Tale denique nomen jejuniis imposuit, ut ea non audeant nec debiles recusare. Sacerdotes proinde suos his verbis instruxit per Joël prophetam dicentem : « Sanctificate jejunium, curationem prædicate (*d*). » Curatio igitur quid est nisi corporum medicina? Si medici ægris jejunia impertiunt, ut curentur corpora, eademque languentibus pro medela succedunt, humanaque omnis infirmitas ægra est suorum calore vitiorum; cur non ipsa infirmitas corporum jejuniis legitimis recuratur, quæ contra omnia vitia mentium simul et corporum præcipit salubris institutio sacerdotum? Nam ut eadem plenius repetamus, hæc dicit : « Sanctificate, inquit, je» junium, et prædicate curationem : colligite majores » natu, et habitantes terram in domo Domini Dei vestri, » et exclamate ad Dominum Deum vestrum instanter » et exaudiet vos (*e*). » Quid ad hæc respondetis, ventris cultores? Qui jejunare non vultis, exaudiri quomodo (non)[11] vultis? cur stomachos vestros epulis oneratis? cur dapibus multis et vino viscera culta distenditis? cur cruditates et crapulas jejunantibus populis exhalatis? Ægritudo est ista, non digestio. Jejunate igitur Deo dum jubet, ne, quod absit, medicis jejunetis. Inter nos namque et medicos convenit, quia humores et sanguinis impetus jejunio temperantur.

II. Philosophi quoque æthereos animos in jejuniis purgant a contaminationibus pessimis corporum terrenorum, carnemque hic puniunt, ut in ea macerentur. Apud nos vero jejunia corporum quasi lima sunt animarum. Exculpunt culpas conscientiæ, peccata contrahunt, ut splendescere faciant animas, quas rubigo colore maculaverat sordescentium delictorum. Cum igitur omne sapientiæ jejunium judicet corporum medicina, quid vos æstimem nescio, qui populo jejunante prandetis? Notat vos tamen apostolus Paulus et dicit : « Esca ventri et venter es» cis (*f*) : » Et iterum : « Unus jejunat et alter ebrius » est; » et rursum : « Laudo vos, in hoc non laudo, quod » non in melius, sed in deterius convenitis (*g*). » David autem vehementer vos accusat his verbis : » Domine, inquit,

(*a*) Jon. iii, 4, 6. — (*b*) I Joan. I, 8. — (*c*) Job. xiv, 4. — (*d*) Joël. I, 14, et II, 15, juxta versionem Vulgatam antiquam. — (*e*) Ibid. — (*f*) I Cor. vi, 13. — (*g*) Id. xi, 17, 20.

[1] Cod. *Ninivitici*; forte *principis Ninivitici*. — [2] Cod. *eum*. — [3] Cod. habet solummodo *quod aliquibus fuerat*. Videat correctionem Lector, et judicet; quanquam phrasis etiamnum remaneat incompleta ob verbum *rugientes*, forte pro *rugientibus illis*. — [4] Cod. male *tunc*. — [5] Cod. *corrigisset*; evidenter pro *corrigit, sed*. — [6] Vide Epist. de Perfectione justitiæ hominis, n. xlv. — [7] Cod. male *exurit*. — [8] Id. *qui hoc ipse*. — [9] Ibid. deest *non*. — [10] Codex male *currerint*. — [11] Particula *non* in Codice videtur abundare et sensum vitiare.

» de absconditis adimpletus est venter eorum ; saturati » sunt porcina, et reliquerunt quæ superfuerunt parvulis » suis. Ego satiabor jejunio, ut manifestetur mihi gloria » tua (*a*)[1]. »

III. Jejuniorum denique sic probata merita monstrantur. Moyses primum ut legem a Domino acciperet, jejunavit, meruitque de Domino, ut loqueretur cum Domino[2]. Elias tempore siccitatis suo pluviam[3] jejunio de mitigato Domino extorsit. Daniel impastis leonibus famem suo jejunio mitigavit[4]. Tres pueri in[5] camini flammantis incendio, suo jejunio alienos deos negaverunt. David quotiescumque fecit Deo jejunia, toties de hostibus reportabat victoriam. Ninivitæ suo jejunio iracundiam Dei in indulgentiam converterunt ; quibus tam fuit timoris astutia, ut pecora sua secum facerent jejunare, tantumque illis hoc profuit, ut Deus juste commotus hominum pecorumque jejunio, commixtis vocibus placaretur. Novum miraculi genus, Fratres mei ! quod[6] homines solent præstare pecoribus, pecora hominibus præstiterunt. Dominus omnium Christus, ut diabolum vinceret, jejunavit. Apostoli jejunando Paracletum Spiritum sanctum accipere de cœlo meruerunt. Sed quid in viris hæc laudo, cum sit jejunii virtus etiam fœminarum[7]. Judith, armata jejunio, caput tyranni Holofernis abscidit. Susanna a falsis testibus jejunio suo absoluta est. Esther regina jejunio suo, ne persecutoris tyranni nequitia prævaleret, pacem populis impetravit. Sunt quidem hujusmodi legis exempla diversis ornata meritis personarum : sunt e diverso contraria, quæ demonstrant quot mala[8] præstiterunt non custodita jejunia. Jonathan filius regis Saül, cum pater suum indixisset jejunium, ignorans sceptro suo mel attigit et gustavit ; tantumque hæc culpa gravavit exercitum, ut cum ipse solus peccasset, omnis militia gravaretur, et nisi vindicta procederet, non esset facinus expiatum. Cum igitur reus esset Jonathan filius regis, quia jejunium nescius violavit, multo magis rei sunt illi qui indicta sibi jejunia non facienda contemnunt.

IV. Jejunate igitur, Fratres charissimi, ne dissimulatio vestra, quod absit, sacrilega judicetur a Domino nostro Jesu Christo qui regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXVII.

De Jejunio II.

Hic Sermo, qui legitur in Cod. Cass. XII, *fol.* 96, *cum nomine sancti Augustini, jam quoad majorem partem stampatus habetur in Editis apud Appendicem Serm.* CLXXV ; *sed adjunctum habet exordium, quod omnino suppositum crediderim, utpote quod fere totum coalescat ex uno Isaiæ textu longissimo, qui postea totus repræsentatur iterum in sermone, ita ut sermo iste brevissimus nihil aliud quam textum hunc bis repræsentatum recitare videatur. Adde quod phrasis, qua sermo noster incipit, principium sermonis omnino sapiat, et numerus primus Edit. quasi pannus male assutus appareat. Unde fit ut Sermo, qui, sicut legitur in Maurinis, prorsus abjiciendus videretur, qualis apud nostrum legitur codicem prorsus videatur admittendus. Ponatur in Editis post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Jejunandum non solum corpore, sed mente. II. Jejunio jungenda sunt opera misericordiæ. III. Quæ Deo accepta jejunia ?

I. Legimus Spiritum sanctum per Isaïam prophetam taliter imperfectos[9] increpantem : « Jejunia vestra[10] et » diem magnum non sustineo, dicit Dominus (*b*). » Jejunium est quod probat Altissimus, non solum intermissa corporis refectio, verumetiam a malis actibus facta discessio. Itaque cura, ne mens tua gravetur oppressa peccatis, neque animus tuus vitiorum illecebris delectetur, et digna Deo exolvisti jejunia. Cæterum si corpus tuum inedia longa consumpsit[11], atque illi subtraxeris cibum cui non detraxeris vitia[12], in malis perseverans, magis horreris[13], quam placeas Deo. Tunc erunt Domino accepta jejunia, si operibus sanctis fuerit expiata conscientia[14]. Cur enim corpus fame discrucias, cui turpiter peccando blandiris ? Principaliter ergo animus jejunet a malis, et sic corpus subeat exercenda jejunia. Nam cum sit jejunium animæ humiliatio, quale est humiliari cibo et augeri peccato ? Qui igitur corpori suo jejunia devotus indicit, principaliter renuntiet vitiis, cupiditatum fomites comprimat, frangat impetus mentis, libidinis vincat faces, avaritiæ ardentes flammas extinguat[15], latiusque facti sui dilectionem[16] extendat, atque in alimenta pauperum abrupti apparatus impendia largiatur. Omnia ergo corporis nefanda peccata animi virtute calcentur, ut et anima sanctitate corporis adjuvetur. Tunc enim et impetrari[17] poterit quod optatur, si corpus castum animusque devotus[18] ad officia sanctitatis implenda per curam observationis incedat[19]. Hæc sunt quæ divinam commovent pietatem, quæ ad impetrandam precibus sanctitatem[20] semper aditum faciunt.

II. Cæterum si caput[21] substernas, atque cinerem desuper spargas, si denique collum tuum velut circulum torqueas, atque ad exorandam clementiam Dei largos fletus effundas, nihil proficies. Commovere enim divinam non poteris pietatem, quia circa proximos tuos neglexisti debitam charitatem ; scriptum est enim : « Non tale jejunium ego elegi, dicit Dominus, nec si flectas ut circulum cervicem tuam, cilicium[22] substernas, nec sic vocabo, inquit, jejunium acceptum, sed solve omnem » nodum iniquitatis et obstinationem malorum ; dimitte » quassatos in requiem et omnem iniquam contentionem[23] » dissipa. Frange esurienti panem tuum, et egenos » sine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum, » vesti, et domesticos seminis tui ne despicias. Tunc » enim[24] erumpet temporaneum lumen tuum, et vestimenta tua cito orientur, et præibit ante te justitia[25], et » claritas Dei circumdabit te. Tunc exclamabis et Dominus exaudiet te ; dum adhuc loqueris dicet[26] : Ecce adsum (*c*). » Hæc sunt enim quibus homo et refectus cibo frequenter impetrat quod exoptat, et jejunans majora præmia consequitur sanctitatis.

III. Tale jejunium desiderat Christus ; tali denique delectatur omnipotens Deus, quem ad jejunandum non immanium delictorum frequens reatus impellit, non denique adipiscendæ gloriæ temporalis, vel cumulandi patrimonii cupiditas inanis incendit, sed urget semper religionis effectus, et devota sinceritas ; quam cum fuerint comitata

(*a*) Psal. XVI, 14, 15. — (*b*) Isai. I, 13. — (*c*) Id. LVIII, 58, 59.

[1] De hac versione non est S. Augustinus in Enarratione circa Psalmum XVI, n. 14, et Epist. CXLIX ad Paulinum, n. 3 et 4. — [2] Hæc exempla etiam reperiuntur in Homilia XX Chrysostomi in Matthæum, et in Homilia Origenis, quamvis sit potius alterius, ut notatur in Bibliotheca Concionatoria Combefisii, tom. II, fol. 5. — [3] Codex male *placavit*, et postea *extorsisset*. — [4] Item male *in postu... fame .. geminavit*. — [5] Ibid. deest vox necessaria *in*. — [6] Codex male *cum*. — [7] De jejunio fœminarum, vide S. Augustinum de Moribus Ecclesiæ catholicæ lib. I, n. 70. — [8] Cod. *quotiens*, credo pro *quot mala*. Postea desideratur particula *non*, sed perperam. — [9] Cod. male *perfectos*. — [10] Edit. *neomenias vestras et sabbatum et diem magnum*, etc. — [11] Cod. male *consumeris*. Edit. *jejunia longa consumpserint*. — [12] Edit. *cum detrahis vitia*. — [13] Edit. *horres*. — [14] Cod. male *sententia*. — [15] Edit. *libidines vincat, faces avaritiæ ardentes extinguat*. — [16] Edit. *factis vim dilectionis extendat*. — [17] Cod. male *impetrare*. — [18] Id. *animumque devotum*. — [19] Id. *incidat*. — [20] Id. *sanctitatis*. — [21] Id. *capite*. — [22] Edit. *cilicium autem et cinerem*. — [23] Edit. *conventionem*. — [24] *Enim* deest in Edit. — [25] Edit. *justitia tua*. — [26] Cod. minus bene *dicet*.

plenæ pietatis officia[1], quantum ille proficiet? Merebitur statim præsentem Dominum propitium quærere[2]. Imple ergo miserationis officia, et sanctificasti jejunia. Sagina pauperum viscera, et anima tua muneribus sanctitatis pinguescit. Vesti nudum, et tua peccata contecta sunt. Peregrinum hospitio contende suscipere, ut et te Deus in cœlorum regna suscipiat[3] per Jesum Christum Dominum nostrum, cui est honor et gloria in sæculorum sæcula. Amen.

SERMO LXVIII.

De falso amico.

Eruitur ex Cod. Cass. XII, *fol* 123; *nihil repugnat sententiis et dictioni Augustinianæ. Unde admittendus, et post sermonem* CCLX *inter sermones de diversis ponendus.*

SYNOPSIS.

I. Falsus amicus pejor aperto inimico. II. Falsi amici exprobratio. III. Judæ falsi amici proditio. IV. Judæ et Petri comparatio, et conclusio.

I. Protector omnium et nutritor Spiritus sanctus, qui cupit servare quod creavit, cautum facit a periculis innocentem, ne simplicitate sua decipiatur incauta simplicitas. Sic enim per Salomonem exhortatur Dominus, et monet dicens: « Non credas inimico tuo in æternum (*a*). » Sed dicit aliquis: Adversus inimicum me facio cautum; quid facio de ficto amico[4]? dicam et ego, quod David propheta dixit: « Non timeam. » Quia nec ille timuit, non timeamus, sed pariter cum illo dicamus: « Dominus mihi adjutor est, non timebo quid faciat mihi homo (*b*). » Sed dicis: Inimici malitia in aperto est; nam falsi amici sævitia in occulto est: in inimico quod caveam video; numquid possum videre cor falsi amici quem diligo? nam certior est inimici publicata malitia, quam istius fictitia[5] amicitia. Nam in inimico quod caveam video; in amico falso quod observem non video. Nam in inimico, quod video fugio: in falso amico quomodo possum videre quid observem? Nam istius amicitia dolosa me illudet, ut et credam. Adversus ejusmodi David dicit: « Eripe me, Domine, ab homine malo, a viro iniquo libera me (*c*). » Inimicus enim, cum se ostenderit, faciet te cautum in omnibus; nam falsus amicus in occulto tibi molitur negotium crudelitatis sub imagine charitatis. Non pertimescas inimici nequitiam, cujus malitiam vides; sed cave te a falso amico. Falsus vero amicus tunc vehementius nocet, quando amicitiæ blandimenta molitur. Nam inimicus in verbis agnoscitur; falsus vero amicus quando in verbis benignitatem demonstrat, intus crudelitatem occultat. Nam solus Dominus hoc bene novit, qui discutit omnium corda; nam homo, quod videre credit, sæpe non videt[6], Deus autem, et quæ non videntur « a longe cognoscit (*d*). » Sed homo, ut noceat, corde aliud cogitat, aliud profert verbis.

II. Noli, Amice, noli, Frater, cum fictionibus[7] verba adulatoria loqui cum proximo ad faciem, et cum dorsum ab eo verteris, vitam ejus lacerare ore vipereo. Terreat te Psalmi sententia, ubi dictum est: « Labia dolosa in corde, et corde locuti sunt mala (*e*). » Sic enim implet voluntatem diaboli, quia falsus amicus in verbis benignitatem demonstrat, et in corde venenum habet inclusum. Verba pacis sonat os, et cor ejus dolum occultat[8]. De talibus autem dicit Propheta in Psalmo: « Qui loquitur pacem cum proximo suo, mala autem sunt in cordibus eorum (*f*). » Dum pacem loquitur, percutit; et dum blanditur, interficit, quia in corde tenet malitiam. Nubem vultus tui timeo, quia quod intus cogitas, non cognosco: blandiris, et sævis[9]; obsequeris, et occidis; dulces habes sermones, sed veneno conditos. Timeo obsequium tuum, false Amice, timeo colloquium tuum, quia ore famularis, et corde insidiaris. Mihi quidem bene loqueris, auribus meis audio; malum autem quod intus cogitas Deus novit, qui est « Scrutator renum, et cordium (*g*); » quia « Homo videt in facie, et Deus intuetur corda (*h*). »

III. Nam et Judas, mercator sacri vulneris, Dominum Jesum dum salutat vendidit, dum osculatur tradidit. Malus enim traditor hujusmodi dederat signum; dixit enim: « Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum (*i*), » et hinc licet immortalis vincet, et victor a mortuis resurrexit, tamen malitia[10] traditoris malum, quod conceperat, peperit, quia conceptum verbum evanescentium[11] gladium latere non poterat. Ad tantam enim sceleris persecutionem nullum impedimentum habuit, quia patrem suum diabolum habuit adjutorem. Ecce inter cibos, et potus propinavit Magistro latrocinium, et ferrum pro pane ruminavit, et buccella verborum panem intinctum accepit, et Domini traditionem propinavit. Christus bonus bonum dedit, sed Judas malus bonum male accepit; judicium sibi acquisivit, quia in traditionem Domini et Magistri properavit[12] magister crudelitatis, et domesticus latro. Solus hoc Dominus agnovit quem tradidit; ad quem sic ait Dominus Christus: « Ad quid venisti, Amice (*j*)? » Istud est quod gravavit plus Judam traditorem. In illa amicitia tantum mali operatus est, ut Dominum, et Magistrum traderet. Quid enim nefandius[13] aliquis cogitare possit? Considerate si quantum dulce nomen amici, tam gravitas et acerbitas homicidii penetrare potuit. De talibus enim dicit Salomon: « Amicus qui convertitur ad inimicitiam (*k*). » Judas conviva crudelis buccellam glutivit, et gladium evomuit, sicut in Psalmo: « Etenim homo pacis, in quo speravi, qui edebat panes meos, ampliavit adversum me supplantationem (*l*). » Cum cæteris Discipulis erat, et solus de traditione Domini cogitabat, ipso Domino dicente: « Intinctum panem cui dedero, ipse me tradet (*m*). » Accepit conviva insidias; discubuit; jucunditatem homo insidians in bella convertit[14]. O discipulum qui falsum osculum propinavit Magistro! sicut scriptum est: « Meliora sunt vulnera inimici, quam falsa oscula amici (*n*). » Qui osculatur, huic[15] dicitur: « Ad quid venisti, Amice? »

IV. Petrus vulneratus emendatus est, cui dictum est: « Vade[16] post me, Satana (*o*). » Judas osculo condemnatur, et Petrus vulneratus, sanatus est. Judæ oscula proditionis veneno funduntur, et Petri lacrymis culpa lavatur. Judas dum osculatur tradidit Dominum suum, et non gustavit pretium; reddidit Judæis argentum, et festinavit ad gladium; digne laqueo se suspendit, quia pretium sancti sanguinis concupivit. Fuge, fuge, Amice, quantocius; habes exemplum, quem timeas. Si tanto Magistro, et Domino non pepercit malus discipulus, quomodo aliquando parcere poterit falsus amicus. Quantum enim cavenda est falsa amicitia, cujus lingua pacem sonat, et cor ejus dolum occultat! Ad hujusmodi hominem ipsum Dominum habeamus in omnibus protectorem: qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Eccle. XII, 10. — (*b*) Psal. LV, 11. — (*c*) Id. CXXXIX, 2. — (*d*) Id. CXXXVII, 6. — (*e*) Id. XI, 3. — (*f*) Id. XXVII, 3. — (*g*) Jerem. XVII, 10. — (*h*) 1 Reg. XVI, 7. — (*i*) Matth. XXVI, 48. — (*j*) Id. XXVI, 50. — (*k*) Eccli. VI, 8. — (*l*) Psal. XL, 10. — (*m*) Joan. XIII, 26. — (*n*) Prov. XXVII, 6. — (*o*) Matth. IV, 10.

[1] Id. male *quæ cum fuerint comita plena pietatis officia*; et statim Edit. *quantum ille valebit, quantum ille proficiet? Taliter agendo merebitur, etc...* — [2] Edit. *sentire.* — [3] Cod. minus bene *et Deus te suscipiat.* Reliqua desunt in Edit. — [4] De falso amico vide de Civitate Dei lib. XIX, cap. 15. — [5] Cod. male *factiosa.* Inferius, perperam, duplicatur vox *falso.* — [6] In Cod. desiderantur hæc verba, *sæpe non videt*, quæ sensus evidenter requirit. — [7] Cod. male *confractionibus.* — [8] Cod. male *sonantem... occultantem.* — [9] Vide Serm. XLIX, n. 4. — [10] Cod. male *mortalis.* — [11] Sic Codex. Forte *evomentis*, ut infra: *Bucellam glutivit, et gladium evomuit.* — [12] Cod. male jungit *in* cum *properavit, improperavit.* — [13] Cod. male *miratur.* — [14] Cod. *jucundatur homo insidia in bella convertit.* — [15] Cod. male *cui.* — [16] Cod. male *redi.*

APPENDIX

SERMONUM INEDITORUM

SANCTI AURELII

AUGUSTINI,

HIPPONENSIS EPISCOPI.

SERMO I.

In Sexagesima I.

Hic Sermo extrahitur ex Cod. Cass. CVI. *Sancto Augustino, licet ejus nomen præferat, ideo non videtur ascribendus, quod de Sexagesima loquatur, de qua nulla fit apud beatum Doctorem mentio; utpote quæ non nisi longo post tempore in usum fuerit recepta. Vide Joan. Grancolas Comment. Histor. in Brev. Roman. Locus ejus in Appendice post Sermonem* CXXXIX *cum numero in Sexagesima* I.

SYNOPSIS.

I. Jejunium præveniendum. II. Jejunium nemini negligendum. III. Ad Ecclesiam confugiendum, sicut ad arcam Noë.

I. PRÆMONITOS vos esse credo, Fratres charissimi, cur a superiore dominica Quadragesimam procuremus, et cum hac die sit ejus exordium, quod festivitatem ejus ante unam hebdomadam celebrare cœperimus, reprehendi non potest observantia ista. Per opera devotionis judicium est prius legem exequi, quam legis statuta cognoscas, et ante obedire præceptis, quam [1] obedientiæ præcepta compellant: illud enim amoris est, hoc timoris: hoc imperative exigitur, illud religiose defertur: hic debitum solvitur, ibi donum muneris exhibetur. Unde et nos religiosum munus exhibuimus Deo, dum amplius jejunavimus. Reprehendi enim non potest festivata festivitas; semper enim in gaudiis solemnitatis vota præveniunt, et futuram lætitiam devotio, dum exoptat, anticipat. Semper enim in rebus ambiguis oportet addere amplius aliquid ad cautelam, quia quod est amplius recidi potest, quod minus est non potest prolongari, sicut in hac observatione factum est. Nec quod propter Quadragesimam plus jejunamus, non minuimus Quadragesimam; integra enim nobis manet: quod si minus jejunassemus, a numero redintegrare non poteramus ad numerum.

II. Sed fortasse cum illud jejunium, quod jejunavimus, non proficiat nobis ad Quadragesimam, non [2] proficit ad salutem; si non proficit ad Quadragesimam, proficit ad meritum. Cui enim unquam non profuit orare, legere, jejunare? Cui non profuit castitas? nisi quod illos magis reprehendi puto, qui posteaquam parati fuerint jejunare, posteaquam audierint solemnitates, ambiguum neglexerunt jejunare. Demonstrabunt itaque non volentes religiose vivere, sed coacti; veriti, credo, ne quinque dierum jejuniis prolongatis, caro eorum [3] corpusque deficerit, et exiles hactenus Quadragesimæ dies tolerare non possint. Audiant igitur refecti pariter ac robusti, tenues atque pallentes, quia hodie est Quadragesima. Audiant illi, inquam, ut jejunare incipiant, ut illi abstinere non desinant, et communiter in arcam Christi intrare festinent. Imo festinent amplius, qui tardius abstinere cœperunt, ut castigatiores rigidioresque introeant, quia arca Dei in periculis jejunum sustentare prævalet, temulentum sustinere non novit.

III. Monemus ergo nos, sicut antea jam diximus, nostri temporis homines, ut in his mundi turbinibus, ad domum Dei certatim unusquisque confugiat, sicut et sui temporis homines Noë justus admonuit. Admonuit enim illos, sed futurum diluvium prædicare non destitit, et licet vox prædicationis non sit audita, tamen et si [4] tacebat lingua, opere loquebatur, et si silebat voce, arca personabat [5]. Cum enim ædificabat tam grande opus arcæ illius, causam cur fieret, ipsa opera testabantur; testabantur enim ipso apparatu nova tabernacula, novis periculis profutura. Sapiens enim quisque intelligere poterat naufragii nescio quid timere [6], cum domus talis fuerit quæ non traheretur [7] in terra, sed nataret in gurgite, cum hujusmodi pararetur quod nec pavimenti solo deficeret, nec fluctibus unda submergeret. Quis, inquam, sapiens non intelligeret adesse diluvium, cum videret tale domicilium fieri quod susceptos intra se non tam clauderet quam portaret, quod non tam pluviarum imbres repelleret, quam naufragii procellas arceret? Quis, inquam, ex hospitio non animadverteret periculum homini, in quo hospitio non habitandum esset, sed [8] potius enatandum, in qualibet parte mundi futurum esset cum ipsis habitaculis peregrinandum [9]? Ipse ergo hoc opere populis prædicabat, et dicebat illud evangelicum Domini dictum: « Si mihi non creditis, vel operibus credite (a). »

(a) Joan. x, 38

[1] Cod. male *quoniam*. — [2] In Cod. deest *non*. — [3] Id. *ejus*. — [4] Id. *et non*. — [5] Vide Serm. Append. Maur. CLLV, n. 3. — [6] Cod. male *emere* — [7] Id. *haberetur*. — [8] In Cod. legitur *non*, sed abundat. — [9] Cod. male *peregrinum*

SERMO II.

In Sexagesima II.

Contra Cupiditatem.

Non est sancti Augustini. Laudatur enim S. Gregorius qui floruit multo post Augustinum, imo et ipsemet Augustinus. Sunt autem hinc et inde sæpius sparsæ B. Augustini sententiæ, a Beda forsitan, vel a quovis alio delibatæ. Eruitur ex Cod. Cass. CLXIX, fol. 79. Locus ejus in Appendice post præcedentem cum numero in Sexagesima II.

SYNOPSIS.

I. Ager Ecclesia; tribuli fructus cupiditatis. II. Ex cupiditate superbia, et ex superbia cupiditas prodit. III. Quomodo cupiditas sit idolorum servitus. IV. Cupiditas insatiabilis est. V. Primum virgultum cupiditatis invidia. VI. Ex cupiditate oriuntur homicidia et læsiones proximi cum perjuriis. VII. De oppressione pauperum per injustitiam. VIII. Oppressores pauperum a Deo puniuntur. IX. Contra illos qui justitiam vendunt. X. Præmium illius qui justitiam sine præmio reddit. XI. Vanæ solvuntur excusationes. XII. Continuatio solutionum. XIII. Vanitas divitiarum ostenditur, quia breves sunt. XIV. Divitiarum vanitas quia deducunt ad infernum. XV. Divitiarum vanitas quia nos auferuntur a mundo. XVI. Divites vocantur ad meditationem mortis. XVII. Vocantur iidem ad meditationem inferni. XVIII. Cogitatio judicii. XIX. Æternitatis meditatio. XX. Per arctam viam ambulandum. XXI. Eleemosinarum efficacia. XXII. Eleemosina ex propriis substantiis facienda. XXIII. Cœli meditatio ad justitiam impellit. XXIV. Conclusio.

I. SANCTAM Ecclesiam, Fratres charissimi, esse Dei agrum quis dubitet? cum Apostolus clamet: « Dei agricultura estis (a); » ut Dominus in Evangelio de jacto semine testatur: « Aliud cecidit in » terram bonam et ortum fecit fructum centuplum (b). » Si ergo ager est, ut Apostolus docet, cultura indiget; cultura autem non indigeret, nisi spinas vitiorum germinaret. Et quidem apta comparatio de agro ad corda hominum trahitur, quia sicut illa corporales, ita hæc spirituales spinas et tribulos gignunt. Unde et in prima maledictione figuraliter expressum est: « Spinas et tribulos germi» nabit tibi (c). » Sed hoc habuit inter se dissimilitudinis, quod in ruribus terræ ex multis radicibus plures germinantur spinarum aculei; « terrenorum vero cordibus hominum, vitiorum punctiones ex una produnt radice cupiditatis. Cum enim aliud sit vitium gastrimargiæ, aliud fornicationis, aliud invidiæ, aliud tristitiæ, aliud cenodoxiæ, aliud superbiæ, multaque ex ipsis atque innumera proferantur genimina, ex una tamen, ut dictum est, pullulant cupiditatis radice, Apostolo attestante, qui ait: « Radix omnium malorum » cupiditas (d); » quam videlicet sanctæ Ecclesiæ prædicatores, sive in Veteri, sive in Novo Testamento tanquam fortes agricolæ, modo increpationibus, modo persuasionibus, modo terroribus, modo blanditiis, quasi quibusdam aratris, fossoriis, rastris, surculis, conati sunt a terrenorum cordibus funditus evellere; sed non potuerunt, etiam cum multum in hoc opere desudarent. Inextricabile enim, atque, ut ita dixerim, ineradicabile malum, cujus ramos quo magis amputare quæsieris, eo amplius multipliciora gignit virgulta quæ amputes. Quamobrem quæ funditus eradicari non potest, semper ramorum ejus copia succidenda est. Et quia nostris modo temporibus jam pene totum occupasse cernitur, libet pro viribus semper acceptis nos quoque in ejus extirpatione, quo valuerimus, ingenio desudare.

II. Sed occurrit nobis interim quæstio, quomodo, ut de cæteris taceam, ex cupiditate superbia prodire credatur, cum alia Scriptura aperta testetur: « Initium omnis peccati superbia (e). » Si enim initium omnis peccati superbia, quomodo radix omnium malorum cupiditas, nisi quia unum sunt et utraque a se invicem prodeunt, cum et cupiditas superbiam, et superbia cupiditatem gignit. Quod in primo parente evenisse cognoscimus, in quo scilicet nisi cupiditas illa præcessisset, nequaquam talia appetere præsumpsisset. Quæ duo principalia vitia ita conjungit, ita describit Joannes apostolus, ut postpositis aliis, quasi hæc sola in mundo esse fateatur, ex quibus illa omnia originem ducere probantur[1]; ait enim: « Omne quod » in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculo» rum et superbia vitæ (f). » Quanquam autem ubi concupiscentia sonet, ibi consequenter et superbia intelligatur[2], nobis tamen nunc de una disputandum, contra unam cupiditatem discernendum; quæ nimirum cujus mentem plene possederit, eam protinus idolorum cultricem efficit. Occidendus talia docens, lapidandus talia promens, nisi hæc eadem et Apostolus Gentium testetur; ipse enim ait: « Et » avaritia, quæ est idolorum servitus (g). » Quis autem, rogo, Christianorum qui libenter audiat, si cum aliquis infidelem et simulacris deditum vocet? et tamen cupit esse, quod, quia est, non vult audire.

III. Dicet fortasse quilibet ex ipsis: Quomodo idolis serviat, qui terrenis æstuat? Audi, quisquis ille es, rationem breviter. Deus fide colendus est; fides autem in cognitione Dei consistit; cognitio vero Dei in obedientia præceptorum intelligitur, quia et Paulus de quibusdam dicit: « Confitentur se nosse Deum, factis autem negant (h). » Et Joannes in Epistola sua hæc eadem attestatur: « Qui dicit se » nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est (i). » Deus itaque jubet abstinentiam, antiquus hostis persuadet voracitatem: ille imperat sobrietatem, iste ebrietatem: ille castitatem, iste fornicationem: ille humilitatem, iste superbiam: ille concordiam, iste discordiam: ille pacem, iste litem: ille mansuetudinem, iste iracundiam: ille dilectionem, iste odium: ille largitatem, iste tenacitatem: ille eleemosinam, iste rapinam: ille veritatem, iste mendacium: ille non jurandum, iste perjuriis insistendum: ille a fraude abstinendum, iste falsis testimoniis inhærendum: ille mandat de ligno scientiæ boni et mali ne comedat, iste contra: « In quocumque die co» mederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut Dii, scien» tes bonum et malum (j): » ille jubet: « Non concupisces uxorem » proximi tui, non domum, non agrum, non servum, non ancillam, » non bovem, non asinum, et universa quæ illius sunt (k); » iste vero suadet: « Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me (l). »

IV. Age nunc, videamus cui cultor homo existat, et cui verbo mentitur, an cujus imperium perficere videtur? et quis non videat quia ipse hominis famulatus cultorem cum faciat, cui deservit? Ex quibus nimirum verbis, patet, innuitur eos, qui cupiditati student, dæmonum cultores existere, etiamsi hoc beatus Paulus non affirmaret. Hujus cupiditatis malum, quod cuncta præcellit atque exuperat, et a quo omnia mala pullulant, alibi alia Scriptura ita detestando prodit, dicens: « Avaro nihil est scelestius (m); » rursumque: » Nihil iniquius quam amare pecuniam (n). » Quid mirum si eamdem cupiditatem culturam Apostolus vocet? quod videlicet cupiditatis multimodum malum nequius divitum corda quam pauperum devastat; quia etsi multa in hoc sæculo pauperes habere concupiscunt, non tamen multa assequi possunt, ac per hoc illis effectus concupiscentiæ minor redditur, nocendi quoque malitia temperatur: divites vero quia plura adipisci desiderant, ut plura inveniant, multipliciora peccandi argumenta inquirunt. Quasi enim quidam ignis est cupiditas, quæ etsi in aliis magis, in aliis minus ardet, ubi tamen ardere cœperit, « Nunquam dicit: Sufficit (o); » exemplo ignis temporalis qui tanto vehementius flammas multiplicat, quanto abundantius multitudinem lignorum acceperit. Hinc enim scriptum est: « Avarus pecunia non impletur (p). »

V. Hæc certa « Radix omnium malorum (q), » primum virgultum invidiam gignit, Jacobo attestante, qui ait: « An putatis quia ina» niter Scriptura dicit: Ad invidiam concupiscit spiritus, qui habi» tat in vobis (r). » Hinc per Salomonem dicitur: « Contemplatus » sum omnes labores hominum, et industrias animadverti et patere » invidiæ proximi (s). » Constat namque et verum est, quia in hoc aliis invidemus, quod illos sive in rebus temporalibus, sive in mundi honoribus æquare volumus. Unde qui mortiferum invidiæ virus quærit extinguere, studeat necesse est in hoc sæculo nihil quod transit desiderio quærere. Audiat denique cujus membrum sit, quisquis hoc vitium cavere intelligit; scriptum quippe est: « Invidia diaboli » mors introivit in orbem terrarum; imitantur autem illum qui ex » parte illius sunt (t). » Inter hæc autem sciendum est nobis, quia sunt nonnulli, qui in divitiis vel honoribus, aliis quidem præcellere volunt, sed tamen eos, quos anteire non possunt minime insequuntur; nonnulli vero tantæ invidentiæ flamma adversus eos accenduntur, ut æquo animo, vel rectis oculis nequaquam illos respicere possint.

VI. Hinc etiam exoritur homicidii meditatio, et nisi effectus divinitus subtrahatur, aut occulta veneni suffocatione, vel quolibet ingenio, aut aperte isto materiali gladio vita talium perimitur. Quod videlicet non idcirco quidem peragunt, ut illis qualibet arte bona aliena, lucra, vel mysteria assequantur, sed tantum ut illi, quibus invident, eadem amittant. Quod si etiam illorum vitam extinguere nequeant, tenentur tamen jam homicidii rei ex ipsa odii meditatione. Unde Joannes in Epistola sua dicit: « Omnis qui odit » fratrem suum homicida est, et scitis quia omnis homicida non ha» bet hæreditatem in regno Christi et Dei (u). » Ubi autem jugis odii meditatio insederit, nocendi quoque malitia non deerit. Inquirit namque semper infelix in quo viventem lædere possit, quem, ut voluit, perimere funditus non potuit. Jungit semetipsum amicitiis inimico vel causidico illius, cui fortassis pridem nec loqui volebat. Et cum pro certo sciat quod sine causa calumniam illi innurqueant,

(a) I Cor. III, 9. — (b) Luc. VIII, 8. — (c) Gen. III, 18. — (d) 2 Tim. VI, 10. — (e) Eccli. X, 15. — (f) I Joan. II, 16. — (g) Coloss. III, 5. — (h) Tit. I, 16. — (i) I Joan. II, 4. — (j) Gen. III, 5. — (k) Id. V, 21. — (l) Matth. IV, 9. — (m) Eccli. X, 9. — (n) Ibid. X, 10. — (o) Prov. XXX, 15. — (p) Eccle. V, 9. — (q) 2. Tim. VI, 10. — (r) Jacob. IV, 5. — (s) Eccle. IV, 4. — (t) Sap. II, 24. — (u) I Joan. III, 15.

[1] Vide de vera Religione n. 70, et Confess. lib. X, n. 54. — [2] Vide Operis imperfecti contra Julian. lib. IV, n. 28.

non veretur tamen, dum contra unum sævit, pro altero perjurium vel falsum testimonium perpetrare; nec recordatur illius sententiæ, qua dicitur: « Neque perjuri regnum Dei possidebunt (a); » et illud: « Testis falsus non erit impunitus (b). »

VII. Jam vero qualiter pauperes a divitibus opprimantur, quibusve modis atque ingeniis, laboribus suis fraudentur, plenius vel illi qui cogunt, vel illi qui patiuntur, sciunt, quam nos qui hæc partim ex divinis voluminibus, partim ex opprimentium erumpentibus foras nequissimis machinationum signis addiscere quærimus. Alii namque, et maxime hujus sæculi principes, humana tantum gratia quorumdam, justitiam subvertunt, ne judicum suorum animos offendant. Timent etiam, seditionis causa, temporalem amittere honorem, nisi juste ministrorum suorum agant voluntatem. Derivant subtilitatis ingenio leges quas vel ipsi vel alii promulgaverunt, ad aliud quod ipsæ non sonant, et tandiu calliditatum argumentis insistunt, usquequo quod justum est quasi recte pervertant. Ita namque præfatam edicti legem arte diabolica rimantur, ut etiam, illo repugnante, opertam justitiæ, ad quod voluerint iniquitatis, sermonem inflectant. Quibus nimirum recte per Isaiam a Domino dicitur: « Væ qui dicitis malum bonum et bonum malum, ponentes tenebras » lucem et lucem tenebras, ponentes amarum dulce et dulce amarum (c). » Et de quibus: « Væ qui condunt leges iniquas; et scribentes injustitiam scripserunt ut opprimerent in judicio pauperes, » ut essent viduæ præda eorum, et vim facerent causæ humilium » populi mei, et pupillos diriperent (d). » Leges enim iniquas condunt, et scribentes injustitiam scribunt, qui locutionis suæ stylo ante humanos oculos prave disserunt, quod intus in cordibus suis recte noverunt. Ad quos profecto lamentabili voce idem Propheta sermonem dirigit, cum subjungit: « Quid facietis in die visitationis » et calamitatis de longe venientis? ad cujus fugietis auxilium? et » ubi derelinquetis gloriam vestram (e)? » Quibus etiam comminando per quemdam Sapientem Sermo divinus loquitur dicens: « Audite, » Reges, et intelligite; discite, Judices finium terræ; præbete aures, » vos qui continetis multitudinem, et placetis vobis in turbis nationum, quoniam data est a Domino potestas vobis et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur; » quoniam cum ministri essetis regni illius, non recte judicastis legem justitiæ neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende et cito apparebit vobis, quoniam durissimum in his qui præsunt judicium fiet, et potentes potenter tormenta patientur, et » fortioribus fortior instat cruciatus (f). » Alii vero sola rerum temporalium cupiditate judicium rectum modo pervertunt, modo conservant, quia et uni justitiam protrahunt, et eamdem alteri vendunt. De illis etenim qui muneris acceptione rectum pervertunt judicium per Prophetam Judæorum: « Principes tui infideles, socii » furum; omnes diligunt munera, sequuntur retributiones; pupillo » non judicant, et causa viduæ non ingreditur ad eos (g). » Ac de quolibet eorum Spiritus sanctus per Salomonem dicit: « Qui cognoscit in judicio faciem, non facit bene, et pro buccella panis deserit veritatem (h). » Et rursum: « Accipere personam impii non est » bonum, ut declines a veritate judicii (i). » Tales nimirum vitandos esse in eodem libro eloquium Dei admonet, cum dicit: « Ne æmuleris viros malos, nec desideres esse cum eis, quia ad rapinas meditatur mens eorum, et fraudes labia eorum loquuntur (j). »

VIII. Qualis autem retributio illos obsequatur, ibi manifestatur, cum dicitur: « Rapinæ impiorum detrahet eos, quia noluerunt facere judicium (k). » Horum oppressionibus ad vindictam judicii Dominus provocatur, sicut ipse per Psalmistam testatur dicens: » Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum, nunc exurgam, » dicit Dominus (l). » O dives cupiditate cæcus! O judex perversus! Si pauperem jacentem sub pedibus tuis despicis, Dominum ejus et tuum exurgentem adversus te iratum, cur non expavescis? Solet enim plerumque de vobis vindicta subita fieri, ossa etiam vestra et carnes, sicut cuidam nuper contigisse enarratur, in sepulcris igne consumi. Sed cum unus ad damnationem subtrahitur, cum gehennæ incendiis spiritu mancipatur, etiam corpore in monumento crematur, alter ad oppressionem nequius inflammatur. Audi terrenis felicitatibus dives, cœlestibus bonis egenus; audi quid tibi judex omnium Deus dicat: « Non facies violentiam pauperi, quia » pauper est, neque conteras egenum in porta, quia Dominus judicabit causam ejus, et configet eos, qui confixerunt animam » ejus (m). »

IX. At contra ii, qui causam recti judicii præmio non immutant, sed vendunt, nil se tali in facto deliquisse existimant. Proponunt enim sibi quasdam risu dignas fabulas et dicunt: Causam cujuslibet facere et munus accipere humanum est; non facere et accipere diabolicum est[1]. Quos ego interrogare studeo, utrum hoc quod humanum dicunt, peccatum sit an non. Dic, quæso, si mandata Dei violare peccatum sit, an non sit; et certe in verbis Dei in lege divina generaliter cunctis sub uno præcipitur: « Non accipies munera, » quia munera excæcant cor sapientum, et mutant verba justorum (n). » Atque iterum: « Juste quod justum est exequeris (o). » Quomodo enim juste quod justum est exequitur, qui non propter ipsam justitiam, sed propter pecuniam in judicio rectam sententiam proferre videtur. Cur non videtis, miseri, in quantum vestra desipiat locutio? qui dum malorum angelorum facta verbo detestamini, bonorumque dicta laudatis, operibus blasphematis. Cur quod laudatis, non imitamini, sicut quod vituperatis, detestamini? Sed nonne diabolicum est omnino quidquid a præceptis Dei videtur deviare? A quo contra de justo judice nobis dicitur: « Qui excutit manus suas » ab omni munere, iste in excelsis habitat (p). » Ubi subaudiendum est, quia si is, qui manus suas ab omni munere excutit, in excelsis habitat, qui hoc non facit, non in excelsis cœlorum, sed in inferioribus terræ, quibus inferi declarantur, manebit.

X. Ab hac muneris acceptione immunem se Samuel ostendebat, cum de principatu plebis Israeliticæ dejectus dicebat: « Conversatus coram vobis ad adolescentia mea usque ad diem hanc, ecce » præsto sum[2]; loquimini de me coram Christo ejus; si de manu » cujusquam munus accepi, et contemnam illud hodie, restituamque vobis (q). » Et ne forte is, qui sine præmio dationis, legum justitiam recte defendit, sine divina recompensatione inops spiritualium munerum existere crederetur, occurrit Dominus et per Prophetam admonendo repromisit, dicens: « Quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam, venite, et arguite me, dicit Dominus, et si fuerint peccata vestra rubra quasi » vermiculus, velut lana alba erunt (r). » Hinc per Salomonem inextinguibili pietatis affectu loquitur, et dicit: « In judicando esto » misericors pupillis ut pater, et pro viro matri illorum, et eris » velut filius Altissimi obediens, et miserebitur tui magis quam » mater (s). » Sed, ut fornax succensa, o avaritiæ æstibus mens inflammata, magis stipulam, quæ te succendat, quam abolitionem peccatorum, quæ te ab igne defendat, inquiris. Quid est, quæso, quod acquiris? quid est quod amittis? res utique peritura, quam acquiris; res semper mansura, quam amittis. Dic, inquam, quid tibi majus præmium repromittere potuit, quam ut te pro solo ejus amore rectas judicii sententias proferentem in filium assumens, non solum tanquam mater foveat, verumetiam plus quam mater internis visceribus suis misereatur.

XI. At, inquiunt multi, non accipimus de iis, qui inopia paupertatis laborant, sed de iis qui divitiis abundant. Quibus e contra nos dicimus, quoniam nihil interest, utrum diviti, an pauperi, justitiam Dei quis vendat. Simili enim ex utroque pœna plectitur, si quod Dei est, non gratis exsolverit, sed suis usibus, lucris, atque negotiis applicaverit. Solent quoque muneris ipsius nomen immutare, et dicunt se non munus accepisse, sed salutationes. Quos utique nescio utrum magis stultos, an etiam versutos appellem; quibus nimirum dicendum est, ut attendant quid est quod acceperunt, et non sibi applaudant ex eo quod novum illi nomen inserunt. At, inquiunt, nos dationem non requirimus, ipsi enim sponte sua tribuunt. Quid ad vos pertinet, si voluntarie donum impendant? Quibus e contra nos respondemus: Verum est omnino quod dicitis; sponte sua tribuunt, quia aliter justitiam non inveniunt; nam noluerint utique dare, si aliter ad justitiam potuissent pervenire. At per hoc, et voluntarie quodam modo, et inviti, dationem vobis exolvunt.

XII. Dumque his et quampluribus Scripturarum testimoniis tales convincimus non eos jam debere qualibet arte, quolibet ingenio munus vel salutationes appetere, amissa fronte pudoris, in querelam prosiliunt dicentes: Si hæc ita se habent, quomodo palatia stabunt, quomodo judices dominis suis placebunt? Quos contra, nos veraciter dicimus, quia inde magis palatia ruunt, unde, secundum vestram sententiam, quasi stare videntur. Inde enim « Gens » supra gentem venit; inde regnum contra regnum » consurgit (t); » inde natio cedit coram aliis; inde clades, inde fames, inde excidia, inde oriuntur discrimina; et unde dominus terrenus placatur, inde Dominus cœlestis ad iracundiam provocatur. Hac de causa beatus Apostolus dicit: « Qui volunt divites fieri, incidunt in tentatio- » nes[3], et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, » quæ mergunt homines in interitum et perditionem (u). » Ac per Salomonem dicitur: « Qui festinat ditari non erit innocens (v); » et rursum: « Facilius est camelum per foramen acus intrare, quam » divitem in regnum cœlorum intrare (x). » Quæ videlicet Scripturarum testimonia cum hesterna die cuidam hujus sæculi opulentissimo principi proponerem, respondit mihi, non de substantiis pecuniis, sed de divitiis intelligi debere. Sed parcu tibi, quæso, optime

(a) I Cor. vi, 10. — (b) Prov. xix, 5, 9. — (c) Isai. v, 20. — (d) Id. x, 1, 2. — (e) Ibid. 3. — (f) Sap. vi, 2, 9. — (g) Isai. i, 23. — (h) Prov. xxviii, 21. — (i) Prov. xviii, 5. — (j) Id. xxiv, 1, 2. — (k) Id. xxi, 7. — (l) Psal. xi, 6. — (m) Prov. xxii, 23. — (n) Deut. xvi, 19. — (o) Ibid. 20. — (p) Isai. xxxiii, 15, 16. — (q) I Reg. xii, 2, 3. — (r) Isai. i, 17, 18. — (s) Eccli. iv, 10, 11. — (t) Matth. xxiv, 7. — (u) I Tim. vi, 9. — (v) Prov. xxviii, 22. — (x) Matth. xix, 24.

1 Vide Enarrat. in Psal. xxv, n. 13. — 2 Desunt in Cod. verba *contra* ... *regnum*. — 3 Cod. *in tentationibus*.

Amice; adime vanam securitatem, intuere quid in his Hieronymus, quid Ambrosius, quid Augustinus, quid senserit beatus Gregorius. Illis crede qui Apostolum sequentes, « Radicem omnium malorum, cupiditatem (a) » esse pecuniarum dixerunt, non divites accusantes, sed appetitus divitiarum condemnantes. Vere enim est Scripturæ sententia Spiritu Dei prolata, qua dicitur : « Nihil est iniquius, quam amare pecuniam (b). » Quod contra, beatus Apostolus dilectum apostolum admonet dicens : « Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum; benefacere, divites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam (c). »

XIII. Ego autem ut cœptum exstirpandæ cupiditatis non refugiam laborem, ecce, Cupidi, multum qualibet arte acquisistis, multum quolibet ingenio coacervastis. Sed numquid Salomoni vos adæquari potuistis? Quid nunc ille possidet in iis in quibus laboravit? Numquid non ille dixit : « Totum quod laboravi, vanum fuit. » Ipse enim ait : « Magnificavi opera mea; ædificavi mihi domos; plantavi vineas; feci hortos et pomaria, et consepi ea cuncti generis arboribus; extruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarent sylvam lignorum germinantium; possedi servos; ancillas multas, multamque familiam habui : armenta quoque et magnos ovium greges ultra omnes qui fuerunt ante me in Jerusalem. Coacervavi mihi argentum et aurum, et substantias regum ac provinciarum; feci mihi cantores, et cantatrices et delicias filiorum hominum; scyphos et urceos in ministerium ad vina fundenda; et supergressus sum opibus omnes qui fuerunt ante me in Jerusalem; et omnia quæ desideraverunt oculi mei non negavi eis, nec prohibui cor meum quod omni voluptate frueretur et oblectaret se in illis quæ paraveram, et hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo; cumque me vertissem ad universa opera quæ fecerant manus meæ, et ad labores in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole (d). » Quid itaque hac vanitate pejus, quam ibi hominem toto mentis desiderio velle divitias congregare, ubi eum non licet in perpetuum congregare? Quos contra Dominus admonet dicens : « Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi nec ærugo, nec tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur (e). »

XIV. Quid etiam infelicius pene cunctam mundi felicitatem acquirere, et in punctum ad inferna descendere? Talium dementiam beatus Job conquirendo redarguit dicens : « Quare impii prosperantur, confortatique sunt divitiis; semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba et nepotum in conspectu eorum; domus eorum securæ sunt et pacatæ, et non est virga Dei super illos? Bos eorum concepit et non abortivit; vacca peperit et non est privata fœtu suo; egrediuntur quasi greges parvuli eorum, exsultant lusibus, tenent tympanum et citharam, et gaudent in sonitu organi; ducunt in bonis dies suos, et in punctum ad infernum descendunt (f). » Hinc Dominus in Evangelio[1], hæreditatem dividere cupientibus, ut ab omni cupiditate caverent, ait duobus fratribus : « Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit, et cogitabat intra se dicens : Quid faciam, quod non habeo quo congregem fructus meos? et dixit : Hoc faciam; destruam horrea mea, et majora faciam, et illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, et bona mea, et dicam animæ meæ : Anima, habes multa bona posita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, et epulare. Dixit autem illi Deus : Stulte, hac nocte repetunt animam tuam a te; quæ parasti, cujus erunt (g)? »

XV. Quid quoque dementius quam[2] in acquisitione etiam totius mundi lætari, et unius animæ in perditionem incurrere? Unde et Dominus in Evangelio dicit : « Quid prodest homini si universum mundum lucretur, et animæ suæ detrimentum patiatur (h)? » Et rursum : « Quam dabit homo commutationem pro anima sua (i)? » Tu autem, o Babylonis incendium, animam tuam torrenis venditans, pauperi dicis : Da, da hoc aut illud, quia si nunc dare nolueris, gaudebis postea si dare potueris; renitentique crimen impingis. Sic repugnantem vinculis astringis, verberas et cædis, et sic[3] quoque pacto ad rem desideratam pertingis. Hæc lamentabilis lues. Ecce quantum concupisti, forte tantum acquisisti; puto quia somnum vidisti; non est verum quod vidisti; non est tuum quod possedisti, quia sicut in hunc mundum veniens nihil detulisti, sic nec rediens de mundo aliquid tolles. Pauli vox[4] te convenit : « Nihil intulimus in hunc mundum, sed nec auferre quid possumus (j). » Job quoque similiter : « Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc (k). » Hinc idem de quolibet opulento ad futura prospiciente dicit : « Dives, cum dormierit, nihil auferet; aperiet oculos suos et nihil inveniet; apprehendet eum, quasi aqua, inopia; nocte opprimet eum tempestas; tollet eum ventus urens, et velut turbo rapiet eum de loco suo (l). » Hinc per Psalmistam dicitur : « Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis (m). » Et rursum : « Ne timueris, cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria ejus, quoniam non sumet omnia, neque simul descendet cum eo gloria domus ejus (n). » Unde præmiserat : « Relinquent alienis divitias suas; sepulcra eorum domus illorum in æternum (o). »

XVI. Cor itaque, o infelices, non attenditis quod habetis, quod estis, quod post modicum futuri estis? Hoc certe quod temporaliter habetis non est vestrum, quia vox Veritatis est dicentis : « Si in alieno fideles non estis, quod vestrum est quis dabit vobis (p)? » Quid autem estis? si solliciti attenditis, vaporem, ventum et umbram vos invenietis; quia Jacobus dixit : « Quæ enim est vita vestra? vapor est ad modicum parens (q). » Job quoque prosequitur : « Memento quia ventus est vita mea (r). » Baldath etiam occurrit, veraque sententia dicit : « Ignoramus quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram (s). » Hinc per Psalmistam dicitur : « Dies mei sicut umbra declinaverunt (t); » atque de quolibet impio sententiam proferens idem Psalmista ait : « Vidi impium superexaltatum et elevatum super cedros Libani; transivi et ecce non erat; quæsivi eum et non est inventus locus ejus (u). » Hinc supra memoratus Job loquitur dicens : « Homo cum mortuus fuerit et nudatus, ubi quæso est (v)? » Quid vero post modicum futuri sitis, mortuorum ossa, et cinis in sepulcris demonstravit. Vade itaque, o Dives, ad monumenta regum et divitum, et ibi te inspice; ibi gloriam temporalem, quam ipsi amaverunt, quamque tu anxius exsequeris, inquire. Numquid non tibi videtur non quidem verbis, sed exemplis homo mortuus loqui de sepulcro : Quod tu es ego fui; quod ego sum, tu quoque post modicum futurus es. Ego enim quondam opulentus et pinguis, post lascivientes et innumeras hujus vitæ voluptates ad mortem carnis perveni, post mortem carnis in vermes, post vermes in pulverem redactus sum. Ubi nunc est superbia vitæ? ubi illecebræ ac voluptates vitiorum? ubi blandiens uxoris affectus? ubi increscens filiorum profectus? ubi obediens famulorum apparatus? ubi annatim cedens[5] agrorum, vinearum nemorumque redditus? ubi thesaurorum gravissimum pondus? ubi vestium diverso schemate, auro, gemmis ac margaritis fulgens ornatus? ubi, inquam, hæc omnia sunt? Attende nimirum, nisi cæcus es, quia mecum jam non sunt.

XVII. Utinam autem et illius, cujus exemplum talia quodam modo clamat, ac vestra, quibus talia clamat, hæc sola damnatio esset, et non potius æternum subsequens tormentum. Audite quæ sit impiorum habitatio; quæ sit, post hujus vitæ excessum, reproborum damnatio. De illorum namque sempiterna mansione scriptum est : « Convertentur torrentes ejus in picem, et humus ejus in picem ardentem; nocte et die non extinguetur in sempiternum; ascendet fumus ejus a generatione in generationem (x). » Ad hanc terram impiorum, ad hanc reproborum damnationem ante adventum Mediatoris nostri, etsi nequaquam eorum pœna plectendi, illi etiam post mortem descendebant, qui in hac vita pie vivebant. Unde beatus quoque Job supplicans dicit : « Dimitte me ut plangam paululum, antequam vadam ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine, terram miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat (y). » De hac malorum habitatione per Isaiam dicitur : « Dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino, et descendent fortes ejus et populus ejus, et sublimes gloriosique ejus ad eum (z). » De hac in Apocalypsi Angelus ait : « Infernus et mors missi sunt in stagnum ignis; hæc est mors secunda; et qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis (aa). » De hac quoque Deus in Evangelio dicit : « Mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium (bb). » Hanc certe habitationem non solum impiorum animæ, verumetiam qui eorum corpora diluunt immortales vermes hæreditabunt, sacra Scriptura attestante, quæ ait : « Dominus omnipotens vindicavit in eis; in die judicii visitavit eos; dabit enim ignem et vermes in carne eorum, ut urantur et sentiant usque in sempiternum (cc). » Et rursum : « Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur, et erunt usque ad satietatem visionis omni carni (dd). » Pavete, miseri, torrentem in pice, quia subito rapit, et eos quos rapuerit ad ambulandum liberos gressus habere minime permittit. Pavete humum sulfuris, quia intolerabilem

(a) I Tim. VI, 10. — (b) Eccli. X, 10. — (c) I Tim. VI, 17, 18. — (d) Eccle. II, 4, 12. — (e) Matth. VI, 20. — (f) Job. XXI, 7, 13. — (g) Luc. XII, 16, 20. — (h) Matth. XVI, 26. — (i) Ibid. — (j) I Tim. VI, 7. — (k) Job. I, 21. — (l) Id. XXVII, 19, 21. — (m) Psal. LXXV, 6. — (n) Id. XLVIII, 17, 18. — (o) Ibid. 12. — (p) Luc. XVI, 12. — (q) Jacob. IV, 14. — (r) Job. VII, 7. — (s) Id. VIII, 9. — (t) Psal. CI, 12. — (u) Id. XXXVI, 35, 36. — (v) Job. XIV, 10. — (x) Isai. XXXIV, 9, 10. — (y) Job. X, 20, 22. — (z) Isai. V, 14. — (aa) Apoc. XX, 14, 15. — (bb) Matth. XXII, 13. — (cc) Judith. XVI, 20, 21. — (dd) Isai. LXVI, 24.

[1] Vide Serm. CVII, n. 5. — [2] Cod. male *quo*. — [3] Forte *et hoc quoque pacto*. — [4] Vide Serm. XXXIX, n. 2, Serm. LXI, n. 9, et Serm. CLXXXVII integrum. — [5] Cod. male *animam discedens*.

fetorem exhalat. Pertimescite terram in picem ardentem, quia quos suscipit, exurit simul et compeditos reddit. Formidate terram miseriæ, quia omnis indigentia ibi erit. Pertimescite os inferni absque ullo termino patefactum, quia crudeliter atque insatiabiliter cunctos devorans, nec saturari, nec, Sufficit, dicere novit. Fugite stagnum ignis, quia quos suscipit, demergit, necat et urit. Cavete tenebras exteriores, quia nullum ad eas lumen accedit. Evadere curate fletum et stridorem dentium, quibus finis nunquam aderit. Timete vermes immortales, quia in manducandam carnes vestras nulla eis satietas erit, et cum tot ac tanta vobis in æternum adhæserint tormenta, nunquam erit avaritiæ omniumque ulterior exercitatio.

XVIII. Unde et per Jacobum vobis dicitur : « Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis quæ advenerint vobis; divitiæ » vestræ putrefactæ sunt; vestimenta vestra a tineis comesta sunt : » aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testi» monium vobis erit, et manducabit carnes vestras, sicut ignis (a). » Vobismetipsis itaque consulentes recordamini, quæsumus, talia recordantes, ne incidatis in talia, et qui non solum digitum unum in ignem ad modicum tenere, verumetiam famem et sitim, frigorem vel nuditatem tolerare refugitis, tot ac tanta, quæ præmisimus, in perpetuum sustinere, vehementissime paventes, formidate. Sed nec diei judicii expectatio formidabilis a memoria vestra recedat, si quoquo modo, donante Domino Jesu Christo, ab amore præsentis sæculi intentio vestra semel se disjungat. De illo etenim die scriptum in Propheta legimus : « Juxta est dies Domini, juxta et velox nimis : » vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis; dies iræ, dies illa, » dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies te» nebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clango» ris (b). » De illo per Petrum dicitur : « Adveniet dies Domini sicut » fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa vero a calore » solventur (c). » Hinc Psalmista ait : « Ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida (d). » Hinc Propheta ex persona Judicis nostri loquens : « Expecta me, dicit Dominus, in die » resurrectionis meæ in futurum, quia judicium meum ut congregem gentes et colligam regna, et effundam super eos indignatio» nem meam, omnem iram furoris mei; in igne zeli mei devorabitur » omnis terra (e). » Ecce enim ira, tribulatio et angustia, calamitates, miseria, tenebræ et caligo, nebula et turbo, tuba et clangor, ignis elementa consumens, tempestas valida cuncta devastans, ira Judicis intolerabilis, furor importabilis.

XIX. Et quis peccator talia non pertimescat, si Paulus, Sanctorum labores et virtutes exuperans, talia formidat? Ipse ille timebundus clamat : « Terribilis quædam expectatio judicii, et ignis » æmulatio, quæ consumptura est adversarios; horrendum est in» cidere in manus Dei viventis (f). » Ibi certe ad vindictam malorum innumerabilis apparebit multitudo Angelorum, et cœlis ac terris ardentibus, Domino quoque atque Apostolis sedentibus, separabunt malos de medio justorum ; et quodam modo zizaniam a tritico separantes, alligabunt fasciculos ad comburendum ; dum pares paribus, id est, avaros cum avaris, adulteros cum adulteris, homicidas cum homicidis, fornicatores cum fornicatoribus, fures cum furibus, raptores cum raptoribus, mendaces cum mendacibus, perjuros cum perjuris, voraces cum voracibus, ebriosos cum ebriosis, elatos cum elatis, superbos cum superbis aptaverint atque conjunxerint, ut par ibi sit manens supplicium, quorum in hac vita par extitit conversatio. Sed nec ullus erit ultra reditus ad veniam, quia « ibunt in supplicium æternum (g); » nec precibus iram Judicis ad misericordiam aliquis inflectet, quia « Omnibus secundum opera » sua reddet (h); » et quidem preces multiplicabunt, et ejulantes miseri clamabunt : « Domine, aperi nobis; » et tamen ab intus illis respondebitur : « Amen dico vobis, nescio vos, qui estis; discedite a me » operarii iniquitatis; ibi erit fletus et stridor dentium (i). »

XX. Dicent fortasse tales, pro quibus talia ex divinis eloquiis proferimus : Ecce terruisti nos, et jam pene decumbimus desperatione. Si hæc ita se habent, « Quis nostrum salvabitur (j)? » Quid agendum est nobis? Respondeo non meis, sed Domini verbis : « Intrate » per angustam portam, quia lata porta et spatiosa via est quæ » ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam » angusta porta et arcta via est quæ ducit ad vitam, et pauci sunt, » qui inveniunt eam (k)! » At, inquiunt, arcta via et angusta porta illis proponitur, qui sæculum derelinquunt, qui « domos, agros, uxo» res, filios (l), » servos atque ancillas, et omnia quæ terreni affectus sunt sæcularis abdicant [1], ut ei placeant, « cui sese probaverunt (m). » Verum quod dicitis; sed et vobis juxta modulum ordinis vestri, secundum vires mensuræ vestræ, arcta via et angusta objicitur : quia duas Dominus tantum portas, ac duas vias proposuit ; per latam portam et spatiosam viam multos dixit tendere ad perditionem, per angustam portam et arctam viam paucos intrare ad vitam. Nec tertiam portam, nec tertiam viam ostendit; quærite vos tertiam, sicubi invenire potestis, et ambulate atque intrate per eam. Sed nolite vos fallere : non est amplius ; non superest alia ad vitam intrare per eam. Arcta illa via et angusta porta, sæcularibus viris est : Aliena non concupiscere, non furto, non fraude, non mendacio, non perjurio, non falso testimonio, non præmio vel qualibet salutatione præripere, et propriis laboribus ac justis redditibus contentum esse; non plus quam unius animæ exigit indigentia congregare; nullos nisi propriæ uxoris concubitus miscere, a propria etiam uxore illicitis temporibus abstinere [2], indictum quoque Quadragesimæ dierum jejunium illibatum observare : spectaculis mundi postpositis, Ecclesiæ liminibus insistere; sumptus eleemosinarum non ad voluptatem, sed ad necessitatem carnis percipere; et super hæc omnia pro quotidianis ac minutis excessibus, vel etiam gravioribus peccatis eleemosinariæ largitati deditum esse.

XXI. Quæ procul dubio iis qui terrena possident eminentior virtus specialisque delictorum abolitio est, si tamen peccare quisque desistat, dum hanc misericordiam indigentibus administrat; unde scriptum est : « Sicut aqua extinguit ignem ; ita eleemosina » extinguit peccatum (n). » Hinc etiam Dominus in Evangelio admonet dicens : « Verum quod superest, date eleemosinam, et ecce » omnia munda sunt vobis (o). » Hinc per quemdam Justum dicitur : » Eleemosina ab omni peccato et a morte liberat, et non patitur » animam ire ad tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo » eleemosina omnibus qui faciunt eam (p). » Quibus etiam attestante Evangelio in finem dicitur : « Venite, Benedicti Patris mei, perci» pite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi : esurivi » enim et dedistis mihi manducare, hospes eram et collegistis me, » nudus et operuistis me, infirmus et visitastis me, in carcere eram » et venistis ad me (q). » Ipsa autem misericordiæ erogatio ex voto atque hilaritate debet pendere, non ex tristitia, quia « Hilarem » datorem diligit Deus (r). » In tantum etiam hæc decet profusius impendi, in quantum quisque se obreptum fuisse cognoscit. Unde rursum quidam Homo Dei unicam prolem admonet dicens : « Quo» modo potueris, esto misericors; si multum tibi fuerit, abundanter » tribue; si autem exiguum fuerit, etiam libenter exiguum imper» tiri stude; præmium bonum tibi thesaurizas in die necessita» tis (s). »

XXII. Quod vero nihil prosit quemlibet eleemosinis insistere, nisi studuerit a malis actibus declinare, quidam Sapiens testatur dicens : « Qui baptizatur a mortuo et iterum tangit mortuum, quid » proficit lavatio ejus (t)? » Hinc per Isaiam Dominus admonens ait : « Lavamini, mundi estote (u). » Hinc Psalmista dicit : « Declina » a malo, et fac bonum (v); » quod autem magis lugendum, quam laudandum est, nonnulli ideo plura diripiunt, ut habeant unde Largitori omnium pauca tribuant. Sed quanta sit detestanda illorum oblatio Scriptura sancta indicat, quæ dicit : « Qui offert sacrificium » de rapina pauperis, tanquam si immolet filium in conspectu pa» tris sui (x). » Sicut enim interfectio filii, atque effusio sanguinis ejus coram oculis patris qui hunc genuit placere potuit, ita omnipotenti Deo oblatio de malis acquisita. Hinc per Isaiam de talibus dicitur : « Qui offert oblationem ex substantia pauperis [3], quasi » qui sanguinem suillum offerat; qui recordatur thuris, quasi qui » benedicat idolo (y). » Nihil certe in Veteri Testamento tam odibile quam oblatio sanguinis suilli; nil tam execrabile in Novo et Veteri quam benedicere idolo; et tamen misericordia de rapinis pauperum oblata iis merito comparatur. Quos contra sancta Scriptura præcipit dicens : « Ex substantia tua fac eleemosinam et noli avertere fa» ciem tuam ab ullo paupere (z). Ex substantia, inquit, tua, » non ex aliena, quia sicut ex tua misericordiam Dei invenis, ita ex aliena iram incurris.

XXIII. Apte autem hoc in loco illud etiam occurrit, quod supra memoriæ defuisse cognosco, quia nonnulli ex justis quidem laboribus atque redditibus præparant, quæ omnipotenti Deo offerant, in proprios tamen usus male acquisita assumunt. Quibus dicendum est, quia quamvis putent justa, non tamen possunt placere summo Bono illorum munera, qui non studuerint immaculatam servare vitam. Quid enim est pretiosius Conditori nostro? anima nostra, an dona nostra? quod si anima sorduerit, ac de his numquid minus aliud exterius placebit? restat igitur vobis ut nihil ex iniquitate Largitori vestro assumatis vos, sed ex justis laboribus ac justis redditibus et illi offeratis, et vos vivatis. Restat etiam ut sit res temporalis in

(a) Jacob. v, 1, — 3. — (b) Soph. i, 14, 15. — (c) 2 Petr. iii, 10. — (d) Psal. xlix, 3. — (e) Soph. iii, 8. — (f) Hebr. x, 27, 31. — (g) Matth. xxv, 46. — (h) Apoc. xxii, 12. — (i) Luc. xiii, 25, 28. — (j) Matth. xix, 26. — (k) Id. vii, 13, 14. — (l) Id. xix, 29. — (m) 2 Tim. ii, 4. — (n) Eccli. iii, 33. — (o) Luc. xi, 41. — (p) Tob. iv, 11, 12. — (q) Matth. xxv, 34, 36. — (r) 2 Cor. ix, 7. — (s) Tob. iv, 8, 9. — (t) Eccli. xxxiv, 30. — (u) Isai. i, 16. — (v) Psal. xxxvi, 27. — (x) Eccli. xxxiv, 24. — (y) Isai. lxvi, 3. — (z) Tob. iv, 7.

[1] Cod. male *sæcularibus implicant*. — [2] *Nota quod uxorati tenentur in Quadragesima et aliis festivis diebus abstinere ab uxoribus.* Sic Codex; quæ tamen nota, sive sententia, propria est Augustini; ut videre est in Sermonibus ccviii, n. 1, ccix, n. 3, et ccx, n. 9. — [3] Hæc verba *ex substantia pauperis* in Vulgata non leguntur.

usum, solus ille qui et vos creavit et bona temporalia præparavit in desiderium; ut cum [1] vos pariter cum illis transieritis quæ dedit, perveniatis ad illum qui dedit; cum quo sine fine gaudeatis, sine fine regnetis, « In cujus regno sicut sol fulgeatis (a), » ut lilia et rosæ vernantes redoleatis, omnibus divitiis perenniter affluatis, ubi sanctis Deumque timentibus civitas præparata est, cujus fundamenta omnium lapidum pretiosorum ornatu [2] subsistunt; quæ « Habet portas ex singulis margaritis; cujus platea ex auro mundissimo » constat; per cujus medium flumen aquæ vivæ decurrunt, et ex » utraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim per » menses duodecim. » Manna absconsum et panis Angelorum edentibus datur, qui sic saturitatem affert, ut nunquam fastidium inferat; sic esuriem tollit ut nunquam edenti cupiditatem adimat; ubi « Nullus sole, nullus luna, » nullus lucerna » egebit, quia non ibi nox » erit, et Dominus Deus omnipotens lumen omnium erit (b). » Ab illa autem luce, quam tunc Sancti videbunt, hæc quam modo videmus, solummodo accepta est. Ista longe eminentior, longe præstantior, quam illa, quia illa creatrix, ista creata; illa lux mentium, hæc lux corporum. Non ergo illa talis quam videre consuevimus oculis carnis, sed nec illa bona quæ præmisimus talia erunt qualia vel videre in hac vita, vel audire, vel cogitare aliquis potest, sed multa excellentiora, multoque beatiora, quia ut Scriptura ait: « Nec » oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ » præparavit Deus diligentibus se (c). »

XXIV. Illam igitur inquirite; illam desiderate; ad illam mentis desiderio tendite. Ego certe nullum adulatione decipere studeo; nulli quod utile est subtrahere quæro, quia hæc præmissa sunt non contra avaros, sed contra avaritiam; non contra naturam, sed contra vitium protuli. Quod melius consilium dare possim, non invenio; quique etsi ad extirpationem cupiditatis totum, ut potui, laborem non exhibui, tamen octoginta et amplius Scripturarum testimoniis quasi quibusdam ictibus (*sic*) surculos ejus incidendo percutiens, a mercede vacuus non ero, fideicm retinens promissorem « Mediatorem » Dei et hominum Christum Jesum (d), » qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

De Pascha I.

Eruitur ex Cod. Cass. XII, *fol* 160, *et quidem sine nomine; nec immerito; quamvis enim extrahatur ex illo Codice, qui non aliud ferme continet, quam beati Doctoris fœtus, accedunt ad nominis absentiam sententiæ minime connexæ, stylusque rhetoris, cui potius tribuendus est, quam sancto Augustino. Incompletus videtur; finis deest. Locus ejus in Appendice post Serm.* CLXXI, *cum numero de Pascha* XIV.

SYNOPSIS.

I. Mortem Christi elementa senserunt. II. Eidem fecerunt exequias III Discipulorum expectationem consolatur Resurrectio. IV. Conclusio.

I. Post inclytam Domini Christi passionem, qua vivit occisus, post falsum pacis initium, osculum traditoris, quo pessimus proditor pacem, quam acceperat, perdidit bellaturus; post palmas in faciem quas excepit Dominus Christus, revera palmifer, cui de mortis sublimi occasu victrix Resurrectio parabatur; post flagella, si fas est, a nequissimis servis in Dominum perversa lege vibrata, post crucis sublime supplicium, videtis quid senserint perfidi. Dicimus tamen quid elementa senserunt. Media die passionis per omnem mundum tenebræ factæ sunt. Diem sceleris perdidit sacrilegus inimicus; Evangelista dicente: « Ab hora diei sexta, tenebræ factæ » sunt super omnem terram usque ad horam nonam; contene» bratus est sol; velum templi scissum est (e). »

II. Et clamavit voce magna Jesus: « Pater, in manus tuas com» mendo spiritum meum. Et hæc dicens, emisit spiritum (f). » Inquit: Tibi commendo, dum redeo, deposito recepta[3]. Discat nunc incredulitas fidem, et omnis mundana perfidia, et ipsius mundi mentem quam diligit imitetur (*sic*). Agnoscat Filium Dei per fidem, quem omnia elementa suspensum senserunt. Iterum corporis[4] lugubre cœlum fecit exequias, et in medium diei tempus non turbata conscendit, atque ut sacrum funus justa perciperet, secretum in publicum tenebræ corpori præbuerunt. Mixti sunt pavor et luctus; omnisque natura sibi tunc timuit, cum Dominum videret occisum.

III. Dixerat namque Apostolis ante passionem: « Ecce ascendimus » Jerosolymam[5], et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum » et scribis, et condemnabunt eum morte. Tradent eum gentibus » illudi, flagellari, crucifigi, sed tertia die resurget (g). » Ab hora passionis ecce jam triduum est; reddant nobis vigiliæ resurgentem. Post hæc cruci suspenditur, occiditur, sepelitur; et non [6] venit ut promisit. Sabbato nascitur dies; Apostolos omnes terror, metus, fuga, luctus exagitat; et non venit ut promisit. Non sabbatum sequitur, mœret pervigil cura, et mœstos fletibus oculos somnus invidus captat[7]. Eia, Fides, evigila; modo veniet qui speratur; scriptum est enim: Post tres dies sabbati « venit Jesus ad Discipulos suos, » dixitque illis; Pax vobiscum (h). » Videtis, Fratres, speciem resurgentis. Gerit vulnera, quæ gerebat, et ne aliquis putet spiritum fuisse qui apparuit, dixit Apostolis suis: « Videte quia spiritus ossa et car» nem non habet, sicut me videtis habentem (i). »

IV. Hoc est Pascha quod colimus, hoc navamus; hoc diem nocti conjungimus, hic præteritum redit in præsens, hoc volvitur in futurum resurrectionis. Namque natalis est dies qui ex hac nocte nascetur....

SERMO IV.

De Pascha II.

Super Evangelium: *Thomas qui dicitur Didymus.*

Sermo iste qui legitur in Cod. Cass. CXVII, *fol.* 43, *jam partim reperitur stampatus in Appendice Maurinorum; finis autem prorsus differt; titulus autem est de Pascha. Maurini illum Semipelagiano tribuunt, sed falso quidem: hanc enim accusationem ex eo deducunt quod præcedens sit Semipelagiani, et sequens ad præcedentem referatur. At in nostra Codice sermo præcedens est Augustinianus in S. Joannem* CXXI, *unde melius concludi posset illum esse genuinum sancti Doctoris fœtum, cum præsertim ne unum quidem verbum deprehendatur, quod errorem semipelagianum sapiat. Unum autem me ab isto B. Doctori tribuendo deterret, ista nempe sententia qua* Thomam Sanctum, Fidelem et Justum *eo ipso tempore vocat, quo dubitaret? aut potius quo dubitare videretur, cum ex eodem Auctore minime dubitaverit, sed propter nos quasi dubitans egerit. Contrarium affirmat B. Augustinus in ipso sermone supra citato, ad quem hunc proxime pertinere crederetur: cum dicit illum* credidisse quia viderat, et dubitationem removisse; *et alibi nempe Serm.* CCLVIII, *n.* III, *ubi illum interpellans dicit*: Evangelistæ tibi annuntiant et non credis. Illis credidit mundus, et non credit discipulus, etc. *Adde quod in ipso sermone dubitasse Thomas supponitur, quando dicitur:* Venit Jesus janua clausis; sic oportuit venire ubi cor incredulitate clausum erat, etc. *Unde illum in Appendicem deputamus, sed propter diversitatem, quæ inter hunc et alterum in Maurinorum Appendice stampatum intercedit, typis submittendum esse credidimus. Ponatur in locum Sermonis* CLXII, *Appendicis Maurinensis.*

SYNOPSIS.

I. Thomæ sollicitudo fidem omnium firmavit II. Primogenitus ex mortuis Christus III. Thomas, viso Domino, illum Deum agnoscit.

I. Retinet sanctitas vestra, Fratres, superiorem tractatum, in quo scripsimus sanctum Thomam apostolum, ad confirmandam fidem omnium, post resurrectionem, Dominici corporis membra palpasse, et ad repellendam ambiguitatem universorum, vulnerum ejus cicatrices scrutari voluisse. Non enim propterea tantum hoc operatus est beatus Apostolus; sed quod sibi gessit, cunctis profuit. Cum suam enim exercuit sollicitudinem, fidem omnium confirmavit. Quis enim ex hoc dubitet redisse a mortuis Salvatorem, cujus post inferos præsentiam agnoscat oculus, attrectet manus, digitus perscrutetur? Quamvis igitur modicæ fidei homo, quamvis imbecillis ingenii Christianus, nunquam sollicitudinem suam inquisitioni Thomæ æquiparare potuisset. Nunquam enim post agnitionem, conversationem, loquelam, ausus esset petere, ut etiam tactu Christum perscrutaretur in Christo, et in ipso homine quem cerneret, hominis corpus inquireret, et resurrectionem ejus non tam mirabilium gloria crederet, quam passionis injuria comprobaret. Thomas ergo cum esset sanctus, fidelis et justus, hæc omnia sollicita requisivit: non quod ipse aliquid dubitaret, sed ut omnem suspicionem credulitatis excluderet. Nam suffecerat illi ad fidem propriam, vidisse quem noverat: sed nobis operatus est, ut tangeret quem videbat; ut si forte

(a) Matth. XIII, 43. — (b) Apoc. XXI, 19, 23. — (c) 1 Cor. II, 9. — (d) 1 Tim. II, 5. — (e) Luc. XXIII, 44, 45. — (f) Ibid. 46. — (g) Id. XVIII, 31, 32. — (h) Id. XXIV, 36. — (i) Ibid. 39.

1 Cod. male *imo*. — 2 Cod. male *ortus*. — 3 Cod. male *recepturo*. — 4 Id. *corpus*. — 5 Id. *Jerosolymus*. — 6 Id. *nunc*, legendum est *non*, ut patet ex repetitione in sequentibus, *et non venit*. — 7 Vide in Appendice Serm. CXI, n. 5

diceremus delusos esse ejus oculos, non possemus dicere manus illius fuisse frustratas. In resurrectionis enim manifestatione de aspectu ambigi potest, de tactu non potest dubitari. Constat enim veritatis testimonio, rediisse ab inferis Salvatorem.

II. Quis non spem suam in Christo collocet? Quis non fidem suam ponet in Domino; ut dum illum credit ab inferis, ipse resurgat a mortuis? Dicit beatus Apostolus: « Si enim mortui non resurgunt, » neque Christus resurrexit. » Quia ergo surrexit Christus, suscitabuntur et mortui: quia resurrexit Dominus, et servuli reviviscent. Ipse enim est, sicut ait Apostolus, « Primogenitus ex mortuis. » Sicut enim est apud superos primogenitus in multis fratribus, ita et ab inferis est primogenitus ex defunctis. Primogenitus autem dicitur quis, ex eo quod secuturis aliis primus gignitur. Primogenitus ergo Christus vocatur ex mortuis, quod primum illum ex infernі tenebris in lucem, resurrectionis partus ediderit. Partus enim dicendus est, ubi permutatione quadam anima tartari legibus moritur, ut redivivo corporis usui renascatur. Nativitas enim resurrectionis apud superos, mors quædam est inferorum.

III. « Post dies octo iterum erant Discipuli intus et Thomas (a) » ille qui tunc cum eis non fuerat, quando « Gavisi sunt Discipuli viso Do» mino (b), » et qui referentibus postea Discipulis dixit: « Nisi videro » fixuras clavorum, et mittam digitum meum in latus non credam (c). » Hoc ergo hodie cum Discipulis reliquis posito, venit Jesus januis clausis: sic oportuit venire, ubi cor incredulitate clausum, erat fidei luce reserandum. Non immerito ergo etiam octavus dies pari vi, pene pari devotione celebratur, qua ille celebratus est, a quo octavus dies iste numeratur. In illo enim resurrectio acta, in hoc confirmata est, nec minus dura atque tenebrosa hic incredulitatis janua, quam illic inferni porta prærumpitur. « Venit ergo, inquit, Jesus januis » clausis (d); » est quod nos quoque cum Thoma dubitemus, nisi facti respiciamus auctorem. Sed si Deum esse de quo loquitur, cogitemus, cui nihil invium, cui humanum quoque pectus pervium confitemur, cui hoc idem corpus non solum januis clausis[1]... In ipsa statim salutatione: « Pax vobis (e); » hanc ergo nobis semper afferat, hanc a nobis reposcat; hanc a nobis inveniat, hanc relinquat. Deinde dicit Thomæ: « Infer digitum tuum huc, et vide manus » meas, et affer manum tuam et mitte in latus meum, et noli esse » incredulus, sed fidelis (f). » Non est meum meos ludificare phantasmate; vanam imaginem visus timeat, veritatem corporis manus et digitus exploret. Potest fortasse aliquando oculos caligo decipere, veritatem corporis manus et digitus explorent. Potest fortasse aliquando oculus caligo decipere; palpatio corporis verum corpus agnoscat. « Spiritus, inquit, carnem et ossa non habet, » sicut me videtis habere (g). » Quod ostia clausa penetravit, sola est virtus divini Spiritus, non sola carnalis substantia; alioquin quid profuit me suscepisse hominem, si piguit suscepisse. Respondeamus ergo et nos, et fateamur cum Thoma, in quo miraculum divinæ virtutis exposuit: « Tu Dominus meus et Deus meus (h). » Nobis enim ille dubitavit, nobis exploravit, nobis in illo Dominus manus et lateris vulnera contrectanda permisit. Dicit ei Deus: « Quia vidisti » me credidisti; beati qui non viderunt et crediderunt (i). » Habeamus ergo et firmitatem palpata credentium, et beatitudinem non visa credentium.

SERMO V.

De Ascensione Domini I.

Legitur in Cod. Cass. XII, fol. 201, sine nomine. Indignus est sancto Augustino, utpote ridicule scriptus. Opus est rhetoris, et quidem indocti. Similitudo exordii eumdem auctorem indicat, ac sermonis præcedentis. Locus ejus in Appendice post Sermon. CLXXXI, cum numero de Ascensione VII.

SYNOPSIS.

I. Christum ascendentem in cœlos celebrare convenit. II. Mira Christi Ascensio describitur. III. Continuatur Ascensionis descriptio.

I. LIBENTIUS, Fratres, clariusque convenit nostri aciem cordis sursum avidius intentare, quia hodie per ipsius ætheris crassam mollitiem nubium distenduntur insignitæ cortinæ, cum Christus hominem suum, post tenacem machinam validi ligni, post versatilem illam clavorum figuram, post magnifici monumenta custodum, post petrinam thecam[2], Christus hominem suum triduano curriculo vivo somno sepultum, compilatis inferis, interposita majestate subduxit. Hunc in isto dierum decem quadrangulo coruscæ nubi imposuit, et sine scissura aërea, aut venti tempestiva jactura, candens nubalis evectio, plaudentibus auris, dedicata gestamine, ad sidera usque transvexit. Jam enim David ille Psalmorum cantor musicorum, multo ante cecinerat dicens: « Qui ponit nubem as» censionem suam, qui ambulat super pennas ventorum (j). »

II. Mira, dilectissimi Fratres, in ascensu Primogeniti virtus inflornit. Non nube reclinatus, sedere in dextera aut læva succubuit, nec ipsa ventorum pennata alacritas, reclinato climate, elanguit, sed æqua lance candidissima nubes assumpti hominis corpus ad cœli provinciam feriata assumptione revexit. Numquid sensit bella viscerum, cum ipsum evectum cœlis hodie corpus in uteralis oram gestaret hospitium? numquid passa est puerpera parata pudoris in ipso solemni partu naufragium? Ita-ne nubes hodie velaminis sui vel leve sensit dispendium, quia corpus advexit, non turgido peccati onere prægravatum, sed Verbum caro factum, cœlesti utique generantis chrismate levigatum? Nunc itaque post resurrectionis speratæ salutis repentinam lætitiam, post scholæ illius spiritualia insignia, sophiæ inaccessibilis munimenta, hodierna ut comperimus die, cœlos unde nunquam aberat, repetiit. Stabat namque cohors illa undecimæ classis obtutu suspensa post flagrantem currum victoriæ nubis, et mœsta ora mœrentium, post magistri dulcem ascensum, has[3] referre creduntur avidas voces silentium animorum: Ubinam noster Jesus, subita claritudine præsentiæ venustæ[4] potentiam sustulisti? Ecce videmus ventos pluvialibus palleis fimbriati flamine salutare. Cernimus cœlum in ascensum corporis tui quadrijugo cardine reserari; et nos in ista telluris barbarie quid faciemus, tali pastore, corporali absentia, derelicto? Licet tenemus sponsionis tuæ pactum veridicum, quia alium dirigere incipies advocatum, tamen quia recursus, tuus thronus pacis, cœlestium potestatum, nec nostro deseras in isto exilio peculiare tui muneris nutrimentum. Sicut Elisæus ille, cum patrem videret absentem flamma transferri, talia post eum legitur acclamasse: « Pater mi, » pater mi, currus Israël et auriga ejus, cui me dimisisti (k)? » Ita et nostri illustres[5] Apostoli, cum Salvatoris nostri nubiferum in aëre carrucæ speculantur ascensum, parem attollebant ejulantium cordium unijugem gemitum, quibus occultata nube paulatim altiusque subducta, ingenti licet aviditate auscultantibus, duo leguntur Cœlites astare stolis in albis, qui consolandia pandunt et apta eis verba profundunt: Usquequo, viri Galilæi, mortalibus oculis ad alienos lares inani levamine fatigatis? Quandiu pupillas exiles, lacrymarum imbre confectas, ad divini culminis sedem incassum attollitis? Cœlestem extensam cameram, sicut fumum, semipleno aspectu intueri potestis. Cœlos autem cœlorum, ubi vester Dominus, teste oriente, conscendit, speculare his nequaquam vultibus poteritis. Spondemus tamen vobis hujus fœderis inviolabilem veritatem, quia noster Dominus, cum quo subiit ad sidera corpore, cum eodem rediet, incarnata apertius veritate.

III. Ecce enim ex prisco psalmi organo comperimus, quid in ascensum Christi mirabiliter gaudeamus, cum in altum conscendit, et captivam captivitatem absque militum turmis, aut catenarum stridente ferrugine duxit[6]. Exortus est in cœlo maximus de amore clamor descendens, quando metuentes Angeli nubem corporis Christi, janitoribus exclamant Angelis: « Attollite portas Principis vestri, et » elevamini portæ æternales, » ut cum portarum obices reseraveritis, gaudium vestrum nostro gaudio communi societate nectatis, « et introibit rex gloriæ (l). » Illi autem qui cœlestibus foribus leguntur fore prætores: « Quis est iste, aiunt, Rex gloriæ (m)? » Quibus edocentur nuntiorum responsis: « Dominus fortis, » velut leo transgluttiens mortem, « potens (n) » in patibulo crucis, potentior « in » bello (o) » tyranni inaniter decertantis[7]. « Ipse est rex gloriæ: » qui descendit in inferiora corda terrarum, et ascendit laureatus, repetens hodie suæ majestatis stadium. Quando voluntarie descendit, indixerat stella astriferi signi corona; cum vero victor hodie ascendit, nubes emicuit candida, in qua veherentur membra passioni, non morti, creata. Fit obvia Cherubim apte vectrix ineffabilis sedes in occursum advolans, Seraphim salutantibus aliis, et throno revertens Filius in dextera promicat Patris[8]; fit unicæ Trinitatis inhærens sibimet osculum, et ad recursum Domini venientis cuncta tripudiat toga cœlorum. Ita et nos ipsius quadragesimæ Ascensionis cœleste consoletur curriculum, ut gratiorem etiam Pentecosten redhibeamus nostræ devotionis, debiti sermonis officiosum servitium, per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum consedentem ad dexteram Patris, et regnantem cum eo, et cum Spiritu sancto per infinita sæcula sæculorum. Amen.

(a) Joan. XX, 26. — (b) Ibid. 20. — (c) Ibid. 25. — (d) Ibid. 26. — (e) Ibid. — (f) Ibid. 27. — (g) Luc. XX, 39. — (h) Joan. XX, 28. — (i) Ibid. 29. — (j) Psal. CIII, 3. — (k) 4 Reg. XIII, 14. — (l) Psal. XXIII, 7. — (m) Ibid. 8. — (n) Ibid. — (o) Ibid. 28.

[1] Hic aliquid desiderari videtur. — [2] Sic corrigitur ex sensu; Codex enim sine sensu cœlo petrina theca. — [3] Cod. quas. — [4] Id. venustrice. — [5] Id. male illustri. — [6] Vide Serm. CCLXI, n. 11, et Serm. CCLXXXVIII, et Enar. in Psal. XXIII, n. 8. — [7] Cod. sine sensu at throno revertenti Filio in dextera promicat Patris.

SERMO VI.

De Ascensione Domini II[1],

In Manichæos.

Sermo pulcher admodum et eloquens; legitur in duobus Codicibus, nempe IV, fol. 227, et VII, fol. 41. Non foret certe Beato Augustino, cujus nomen præfert, indignus, nisi obstaret elegantes nimium et rotundæ sententiæ; unde nulla styli convenientia. Illum sancto Leoni tribuere mallem, si adesset alicujus Codicis auctoritas. In dubio sufficiat annotare non prætereundum esse leviter, sed attentius legendum. Locus ejus in Appendice post præcedentem cum numero de Ascensione VIII.

SYNOPSIS.

I. Dies Ascensionis, dies lætitiæ. II. Detestabilis Manichæorum error. III. Virgo Maria concepit et peperit. IV. Christus ut vere natus, sic et vere passus. V. Christus resurgendo veram carnem demonstrat.

I. FRATRES dilectissimi, dies isti cœlestes, quibus mortales in Christo resurgunt, lætitiam imitantur angelicam, et a vobis exigunt devotissimi conventus frequentiam, et a nobis expetunt spiritalis alloquii, tanquam nitidi convivii paraturam. Sic enim[2] post laborem requies nova permittit[3]; sic succurrunt refrigeria fatigatis; sic post mortem vita, post tenebras lux, post amaritudines mundi cœlestis dulcedo consequitur, si in hoc sæculo fides non derelinquitur, sed tenetur; sicut in Evangelio scriptum est: « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*a*). » His diebus post resurrectionem suam Christus est conversatus in mundo, cum carnem suam redivivam ex mortuis immortalitatis honore vestiret, et Deus inter homines approbatis virtutibus habitaret: nec aliter posset caro glorificari, nisi ante appeteret crucifigi. Quæ igitur causa fuerit, ut post resurrectionem suam Christus quadraginta diebus conversaretur in sæculo, paulisper audite.

II. Poterat, Fratres charissimi, dubia semper mortalitas ac rerum nescia divinarum, resurrectionem Domini Christi aut falsam existimare, si mox de sepulcro ascendisset in cœlum, aut imaginariam et illusoriam credere, nisi eam omnes præsentem cernerent, et dierum prolixitas comprobaret. Sic de ea Thomas primus incredulus dubitavit. Sic hodie Manichæorum pagana infelicitas credit, quippe cum nec nativitatem Domini, nec passionem, nec mortem veram æstiment, sed totum studio falsitatis assignent. Non igitur vere, inquiunt, genuit Maria, sed finxit: non Christus vere, inquiunt, natus est, sed illusit, et totum inter homines artificii præstigio figuravit: non fuit, inquiunt, in Christo vera caro, sed falsa, non corpus solidum, sed inane, totumque, inquiunt, quod apud homines Christus egit, non vere gessit, sed potius simulavit. O detestanda religio, in qua regnat tota falsitatis origo, quæ radices fidei conaris evellere, et religionem ipsam funditus amputare! O misera, quæ a mendacio incipis! O miseriores, quos de falsitate seducis! Quæ enim umbras et phantasmata sequeris, quid veritatem hominibus polliceris? Merito sacra tua turpi, latebrosissime Manichæe, impudicitiæ tradidisti, quia fidem sacris virginalibus denegasti. Denique carnem tuam inter ipsa tua flagitiorum mysteria polluis, ac venenum tibi, quod sumas, ex tuis sordibus conficis et conspergis: digna prorsus ex alterutra fœditate in utroque pollutio, ut cum sacrificas et te, quæ comedes, polluis, et ipsa ex tuis sacris turpibus inquineris.

III. Cur igitur non credis, o Manichæa obscœnitas, potuisse parere Virginem, nisi quia religio tua non recipit sanctitatem? Evangelium autem dicit: « Quia inventa est Maria in utero habens de Spiritu sancto (*b*). » Si igitur corruptionem, paganissime, in partu Virginis formidasti, et ideo Christum natum ex femina credere noluisti, redde mihi nunc rationem, ex quo semine cuncta animalia terra concepit, cum in suis principiis naturas, formas et species singulas parturiret. Dic unde mare fœtum est, ut ex eo aves variæ et diversa natantia prorupissent? Si igitur natura mundi gravida jussu Dei virgo parere potuit, ac nullum ibi signum corruptionis accepit, sed sine seminibus semina fecit, cur terram illam sanctam, id est Virginem Mariam, ex qua Jesus et nasci voluit et exire, non credis in visceribus suis sine viro potuisse concipere, et sine corruptionis vitio generare? Ita-ne vero Christus in Matre sua servare non potuit, quod in terra perfecit? Fuge, fuge omnino suspicionem corruptionis, ubi audis præsentiam majestatis. Dicit enim Angelus ad Mariam: « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; propterea quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei (*c*). »

IV. Sic passum Christum negas ut genitum diffidas; sic mortuum, sic sepultum abjuras, sed totum præstigiis asseris coloratum. O cæca perfidia! quid verum a te potuit prædicari, quæ ipsam veritatem credis potuisse mentiri? Audi ipsum Dominum Christum dicentem: « Ego sum via, veritas et vita (*d*). » Sed dic mihi: quid osculatus est Judas ingratus? hominem, an imaginem obumbratam? carnem, an ipsam substantiam corporalem? Quid miles terruit? quid vinculis duris inseruit? quid Pilatus audivit? quid flagellavit? quid coronam illam ex vepribus contextam capite pio prætulit et gestavit? quid Judæus felle et aceto potavit? quid miles in ligno suspendit? Si Christus umbra fuit, hasta illa profani militis umbras diverberavit? Quid Joseph ille ab Arimathia obsequentissimus Discipulus sindone munda contexit, aut quid in sepulcro posuit, si verum corpus in Christo non fuit? Ergo nec Judas, qui tradidit, peccavit, quia, ut dicis, non Deum tradidit, sed figuram; nec Judæus homicida deliquit, nec miles profanus sacrilegium perpetravit, quia non Filium Dei, sed imaginem vacuam crucifixit. Falsitas ergo omnes absolvit, quia non potest reus teneri criminis, qui nihil occidit. Et ubi est quod Apostolus ait: « Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*e*). » Quid insanis, o inimice veritatis? Cur nebulosam fidem tuam de falsitate componis? cur non solum te, sed et alios decipis et occidis? cur homines a Christo alienare contendis? Si enim Christus mentitus est, et Divinitas vitium falsitatis incurrit, et mundus in peccato remansit, nec diabolus reus est qui perfecit.

V. Nempe nunc « In nomine Jesu omne genu flectitur cœlestium, terrestrium, et infernorum (*f*). » Nempe « Omnis lingua confitetur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (*g*), » sicut Apostolus dicit: « Ecce Christo et terrena serviunt et cœlestia. » Numquid si fallitur sæculum, hebetavit et cœlum? Si homines errant, numquid et Angeli nesciunt quem adorant? Audi ipsum Dominum increpantem Discipulos, atque dicentem: « Videte, inquit, manus meas et pedes; palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere (*h*). » Vide, vide, o perfide, Christum et manus monstrantem et pedes, ut membra sua, non tantum oculis, sed et digitis offerat contrectanda. Si igitur Christus umbra fuit, unde in vacuis ossa figuris? unde inter tenues auras caro contrectabilis? Quid in præstigiis solidum reperitur? quid compactum in aere soluto tenetur? « Palpate, inquit, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. » O caro vera, quæ contrectatur, cui manus imprimitur, ubi apparent recentium vulnerum cicatrices! Offert se examinandam, probandam, diligentius considerandam, ac ne forte oculi[4] fallerentur, accedit, ut curiosa manet, ut corpus contrectaretur solidum, atque omne tolleretur ambiguum. O divina dignatio! O clementia Salvatoris! Instetit, ut ex eo maneret hoc qui crederet[5], et vel sic perfidus Manichæus erubesceret, ne postea mundus erraret. Videtis ergo, Fratres, quia difficile creditur, quod verum corpus resurrexit ab inferno, nisi quadraginta diebus Christus sederet in sæculo. His ergo festis nostris veneremur carnem Christi, et cum Angelis canamus: « Deo gloria in excelsis, ut sit in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*i*). » Amen.

SERMO VII.

De Pentecoste I.

In istud: « Redde nobis lætitiam salutaris tui, et Spiritu principali confirma nos (*j*). »

Habetur in Cod. Cass. XII, *fol.* 216, *sine nomine; præcedens sancti Leonis, sequens sancti Augustini. Legitur pariter in Bibl. Laurent. tom.* 1, *fol.* 405, *sed et ibi est inepigraphus. Sufficit ejus lectio ad demonstrandum hunc nec uni, nec alteri esse tribuendum. Locus ejus in Appendice post Serm.* CLXXXVII, *cum numero de Pentecoste* VIII.

SYNOPSIS.

I. Filius Dei in terram missus. II. Christi in terra degentis beneficia. III. Vicarius Spiritus sanctus dimissus e cœlis. IV. Donum linguarum.

I. BEATISSIMUS Jesse filius, Spiritus sancti gratia repletus, dum Dei Patris præcepta rite ab unigenito Deo expleta, verum et post

(*a*) Matth. XXIV, 13. — (*b*) Id. I, 18. — (*c*) Ibid. 35. — (*d*) Joan. XIV, 6. — (*e*) I Cor. II, 8. — (*f*) Philip. II, 10. — (*g*) Ibid. 11. — (*h*) Luc. XXIV, 39. — (*i*) Id. II, 14. — (*j*) Psal. L, 14.

[1] Cod. III *de dominica Ascensione*. — [2] Id. *male sæpius*. — [3] Cod. II minus bene *mittit*. — [4] Cod. II *oculis*. — [5] Sensus videtur esse ut ex eo, id est, ex hac visione, ex hoc tactu, *maneret*, certe firmum in fide, hoc *qui crederet*, id est qui crederet hoc.

Domim in cœlos ascensum prævidens esse in mundo Paraclyti descensum, gaudens de divino imperio, laudis tale emisit eloquium, prout diceret : Magnum nobis impertiens gratiæ munus invisus Deus, unigenitum Filium suum misit redimere mundum. Venit denique Dominus et Salvator noster non a semetipso, sed Patris obtemperans jussui, Paulo attestante apostolo, qui dicit : « Cum autem venerit « temporis plenitudo (a); » cum autem temporum adimpleretur dinumeratio, cumque sanctæ legis [1] a mortalibus efficeretur diminutio, cum autem idolorum templa grassarentur, in opere malo dominante humani generis adversario, tunc « Misit Deus Filium « suum factum ex muliere,» genitum ex Virgine, « Misit Deus Filium » suum factum sub lege, ut eos redimeret qui deliquerant sub le- » ge(b). «Ex Mariæ, inquit, procedens utero, ille cujus « a summo cœli « egressio (c) » tribuit matri Virgini grande munus, dum partu intactus ipsius permansit alvus, et usque ad finem sæculi Virgo appellatur in gentibus.

II. Pergens itaque gressu inter proprias creaturas ipse qui pro delictis nostris suam opposuit animam [2], et immensis pollens prodigiis, visum reddidit cæcis, emicans in sanctis mirabilibus, curationis salubrem medelam cunctis tribuit ægrotantibus. Per hoc denique sanctitatis donum, Lazarum jam fœtidum vivum verbo vocavit de speleo, omne per culmen sui nominis faciens prodigia in populis. « Acuerunt adversos eum linguas, tanquam serpentes (d), » ita ut erigentes lignea crucis virgulta, Esaiæ adimpleta sint vaticinia [3]; sic enim in Dominica clamat persona : « Vinea facta est Dilecto in » cornu in loco uberi, et torcular fodi, et novellam plantavi, et sus- « tinui ut faceret uvam, fecit autem spinas (e). » Denique cum ipse Dominus noster Jesus Christus, per suam mortem, æternam mortificaret mortem, et per crucem despiceret corruptionem, infernum prædamnavit, noxiorum vincula imperio solvit, et die tertio a mortuis resurrexit, « Propter quod et Deus illum superexaltavit (f). » Post vero soles quaterdenos ad Genitorem elevatus in cœlis, grande donationis munus hodie suis tribuit Discipulis. Adimplevit enim quod promisit, quod et in præsenti lectione Evangelista recensuit : » Si me diligeretis, gauderetis, inquit, quia vado ad eum, qui me « misit (g). » Prout diceret : Cum abiero ad Patrem cujus perfeci voluntatem, cum abiero ad Ingenitum ego Unigenitus, rogans rogabo eum, et pro me vobis vicarium [4] Spiritum sanctum diriget Paraclytum.

III. Denique declarato hodie quinquagesimo die, dum nox minueret, et solem vocaret aries, ut dies efficeretur multiplex, congregatis in unum, ut dictum est, Apostolis, induti sunt fulgore Spiritus sancti, repletique scientia Paraclyti » Cœperunt unusquisque » variis lingua, sicut Spiritus dabat eis, loqui (h).» Cum ergo universis Discipulis distribueretur lingua velut ignis, astitit David in medio eorum plectro in cithara percutiens sanctitatis, et, concrepantibus hymnis, canebat cum Discipulis : « Redde nobis lætitiam » Salutaris tui, et Spiritu principali confirma nos (i). » O sancta precatio, et Spiritus sancti oratio et illustratio! Volitavit enim Paraclyti veniens dignitas, non sicuti in Christi baptismo speciem induta, quasi columbam, sed vehementi sonitu universorum instruxit eloquium in ea domo, in qua erant Apostoli congregati in unum. Consedente [5] itaque in unoquoque Discipulo, « Cœperunt loqui variis « linguis, sicut Spiritus dabat loqui eis (j). « Tunc impletum quod dictum est in Scripturis : « Qui aperis ora mutorum et linguas ineruditorum disertas facis (k). »

IV. Ergo, Fratres charissimi, aperta sunt hodie ora universorum Christi Discipulorum, ita ut aliquanti lingua essent confabulati Medorum, alii ea qua ad Parthos sunt carminantes eloquia disserebant integra, ut cives regionis exteræ linguæ; multi colligentes se in sancta corona, Chaldæa disserebant arcana; cæteri Arabiæ gaudentes sibi et invicem dulciflua eructabant cantica, cum dicerent : « Redde nobis lætitiam Salutaris tui, et Spiritu principali confirma » nos (l). » Cyrenensium vero et Alexandrinorum, plus quam Salomonis eloquia, movebant disciplinæ verba. Reliqui vero Apostoli hebræa cantantes symphoniæ musa, tales cum Jesse filio circumcincti veritatis organo exultabant, canentes vocem in alto, quod et in Alleluia ipso dictum est directori Deo : « Ipse est Dominus Deus » noster; in universa terra judicia ejus, quia memor fuit in nobis « testamenti sui (m). » Tunc Ælamitæ, gentes ineruditæ, sua lingua Apostolos loqui cognoscentes, dicebant ad invicem unusquisque mirantes, ut Lucas refert, spiritualis archiater : O mirabile culmen! « Nonne ecce omnes qui loquuntur Galilæi sunt (n)? » Nos ergo « quomodo » miræ magnitudinis fiducia indutos « ea lingua collo- » qui audivimus eos in qua nati sumus (o), » et dum ignicomi solis dicimus micata esse radiis in matutino, hora [6] diei tertiæ, forsitan vino novello eorum repleta est anima? Quidnam ergo accidit in Galilæa, ut Discipulorum Christi varia in locutione diserta sit lingua. Mittentes itaque nuntios undique hoc demandabant Ælamitæ, prout dicerent : Venite, cuncti ruricolæ ac senes agricolæ, et videte nomen salubre, quod Spiritus sancti gratia Discipulorum Christi chorum perfudit omnem. O mirabile arcanum! quo in mundo Paraclyti diffusa est gratia, ut gentes quæ erant sine justitia Ingenito darent [7] gloriam per Unigenitum ejus in Spiritu Sancto, et nunc et in æterna sæcula sæculorum. Amen.

SERMO VIII.

De Pentecoste II.

Legitur in Cod. Cass. XII, *fol.* 205. *Ejusdem est auctoris ac* II *et* III *hujus Appendicis, ut exordii similitudine et styli incongruitate manifestum est. Nunquam sic locutus est sanctus Augustinus, cui talem fœtum merito abjudicamus. Locus ejus in Appendice Maurinorum post præcedentem cum numero de Pentecoste* IX.

SYNOPSIS.

I. Spiritus sanctus in Apostolos effusi mirabilia opera narrantur. II. Linguarum donum incredulos ad fidem excitat. III. Apostoli, gratia Christi ebrii, inde ardorem sumpserunt ad prædicandam fidem. IV. Spiritus sancti varia dona numerantur. V. Conclusio de mysterio Trinitatis.

I. Post miracula tanta signorum, post confracta vincula inferorum, post contritum mundum suis cum artibus inimicum, post inclytum atque regale Ascensionis trophæum, Spiritus sanctus sidereo profectus a throno, Apostolorum pectora, ut fulgur, invisibiliter penetravit, et igneam sibi parans uniuscujusque in vertice sedem, in curia pectoris, ut divinus artifex radiavit; ex secrario vero cordis eorum diversas fecit procedere linguas. Novum miraculi genus, novum mirabile signum, ut ex ore Apostolorum, omnium genera nascerentur diversa linguarum, ut [8], loquente Scriptura, audivimus : « Cum fuissent omnes simul in unum, factus « est sonus tanquam advenientis spiritus validi [9], et implevit uni- « versum locum in quo sedebant, et apparuerunt illis distributæ « linguæ tanquam ignis, et sedit super singulos eorum, et cœpe- « runt loqui variis linguis, quomodo Spiritus dabat eloqui illis (p). « O sanctificum per omnia Spiritum! o virtutis divinæ magistrum, qui ita replevit apostolicum suo flamine chorum, ut omnes, sine impedimento, linguæ linguas loquerentur omnium gentium! Seminat igitur igneus et sanctificus Spiritus in Apostolorum corda sermones, et ut sapiens adinventor duodecim tibias fidei in organo positas novo flatu adimplet, diversisque spiritualibus currens in fistulis, Apostolis cunctis spargit verba divinæ virtutis.

II. Miratur Scytha, pavet Cappadox, Ægypti habitator in tota suavitate sermonis hebescit, omniumque advenæ gentium confusa menta mirantur, quod ex ore alieno nesciam audiant vocem. Et proprietatem verborum, Apostolorum in Actis divina Scriptura designat : « Cum inquit, hæc vox facta esset, convenit multitudo, et « mente confusa est, quia audiebat illos unusquisque sua lingua « loquentes. Stupebant ad invicem, et mirabantur dicentes : Nonne « omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt, et quomodo nos audivimus « eos loquentes propria lingua, in qua nati sumus, Parthi et Medi, « et qui habitant Mesopotamiam, Judæam et Cappadociam, Pontum » et Asiam, Phrygiam et Pamphyliam, Ægyptum et Cyrenen, et « Arabes; audivimus enim eos nostris linguis loquentes magnalia « Dei (q). » Cur hæsitas? cur miraris, gentium turba? Quæris in isto sacramento, citius creditura devota [10]. Sed tu Spiritui sancto [11] præpara mentem, ut sicut in Apostolorum corda divinitus [12] Spiritus sanctus pluit manna verborum, ita in te palmitem faciat fructificare virtutum. Ergo Spiritus sanctus Patri et Filio coæternus, æthereo procedens ab aula, igniferis se flatibus ventorum per Apostolos circumfudit, et aura spiritualisque pulchritudo Divinitatis ita secreta animæ penetravit, sicut primitus invisibiliter veniens per januas auris intravit, et Virginis in utero hominem fabricavit.

III. Videte magnum miraculum, Fratres; satiantur Discipuli spirituali cibo, et ut cœlestes incolæ jam videntur in mundo. Repiet

(a) Gal IV, 4. — (b) Ibid 5. — (c) Psal XVIII, 7. — (d) Id. CXXXIX, 4. — (e) Isai. I, 4. — (f) Philip II, 9. — (g) Joan XIV, 28. — (h) Act. II, 4. — (i) Psal. L, 14. — (j) Act. II, 4. — (k) Sap. X, 21. — (l) Psal L, 14. — (m) Id. CIV, 7, 8. — (n) Act. II, 7. — (o) Ibid. 8. — (p) Act. II, 4. — (q) Ibid. 5, 11.

[1] Cod. malo *leges*. — [2] Cod. errore manifesto *pro delicta nostra sua opposuit anima*... et inferius: *Salubre*... *medela*... *sua morte*. — [3] Sic Codex; phrasis incompleta *Erigentes*, pro *erigentibus illis*. — [4] Cod. *vicissarium*. — [5] Cod. male *consedens*. — [6] Id. *fere*. — [7] Id. male *dantes*. — [8] Cod. male *nunc*. — [9] De hac versione *Spiritus validi*... usi sunt sanctus Maximus Taurinensis, et Auctor quæst. Nov. Test. apud Sabathier tom. III, p. 500. — [10] Forte *quid quæris?* lector videbit. — [11] Cod. male *Spiritum sanctum*. — [12] Id. *divinus et*.

cordis eorum tybias olmifiens Spiritus sanctus, et suave mellifluumque Verbi vocis organum ponens, omnes gentes delectabilem invitat ad sonum, ut Trinitatis non dedignetur prædicare mysterium. Cum igitur Spiritus sanctus hora diei tertia, sicut Scriptura divina testatur, prophetali ordine[1] Discipulos adimpleret, et suo dona, prout voluit, singulis dispertiret, falsitas e diverso consistens, etsi invita, verum ex ore sermonem produxit. « Hi, inquit, musto sunt » pleni (a). » Vere enim spiritualiter ebrii fuerant, qui rigentem adhuc mustum de sub crucis prælo avidi bibebant. Magna Apostolorum ebrietas spiritualis, qui sic vinum novum biberunt, ut corpora animasque eorum divina virtute sanciret; ita strepitu[2] suo præsanctificata eorum in corpore lingua, ut salutem populis prædicarent. Biberunt itaque nuper calcatum a Juda perfido vinum, et propinantes cunctis Martyribus poculum Salutaris, æternum veloces secuti sunt Dominum Christum. Amplectuntur pendentem in crucis phalanga botrum, et jugiter ex eo bibentes, terrenum jam non desiderant vinum.

IV. O inseparabilis Trinitas! o vera, indivisibilis, et indivisa majestas! In principio, et antequam sæculum faceres super obscuras aquas, tu tibi nivali candore fulgebas; nunc vero in Apostolorum animas et corpora, igneo fulgore coruscas. Hic est itaque, Fratres charissimi, Spiritus sanctus, Patri, ut diximus, et Filio coæternus, qui procedens a Patre, inter volventes spumas suasque vitrei fluminis undas, æthercam simulabat in nube columbam, et ablutum venerabile Christi corpus, sua majestatis præsentia sancit, nec tamen cœlum deserit, quia ipse est qui a Patre et Filio nunquam discessit. Ubique præsens, spirat ubi voluerit; Prophetas implet, Apostolos consecrat, suos Martyres juvat, et omnibus propriam Divinitatis gratiam donat. Propheta sic loquitur dicens: « Effundam de Spiritu » meo super omnem carnem (b). » Et alio in loco: « Emitte Spiritum tuum, et creabuntur; et renovabis faciem terræ (c). » Vere nunc nova est nostri corporis terra, dum spiritalis in nobis, fructificat in mundo doctrina. Cessavere jam pristina mysteria organorum; obsurduit sonitus cimbalorum, quia in Ecclesia Christi dulcis resonat sonus hymnorum. Lætetur itaque omnis terra, quia Dominus noster, coæternus Patri, in sæculo magna miracula fecit et facit, inferorum vincula confregit, « Volansque super pennas ventorum (d), » cœli ardua petiit, et nobis, sicut promiserat, sanctum Spiritum misit.

V. Ideoque sanctissima unitas ab incredulis nullatenus debet scindi; Trinitas rationabiliter debet a fidelibus prædicari; ut hæreticus semper mugiat et in tenebris contabescat, et confusus victusque in omnibus erubescat. Quia qui separare in Deitate nititur Trinitatem, necesse est ut perpetuam incurrat sine dubio mortem. Qui vero catholicam sequitur fidem, et confitetur individuam unitatem, cum omnibus Sanctis æternam possidebit[3] promissam ab ipso Domino mansionem.

(a) Act. II, 13. — (b) Joël. II, 28. — (c) Psal. CIII, 30. — (d) Id. XVII, 11.

[1] Forte legendum foret *cura*, intendo cum verbo præcedenti *hora*. — [2] Cod. inintelligibiliter *creditu*. — [3] Cod. male *possidet*.

FINIS SUPPLEMENTI PRIMI.

ERRATUM.

Pag. 43, Col. 1, lin. 26. *Unus ad caput et alius ad pedes.* Ita Cod., sed male, lege *unum ad caput, et alium ad pedes.*

INDEX

SUPPLEMENTI PRIMI.

SERMONES.

CLASSIS I.

Sermones inediti de Scriptura.

CLASSIS II.

Sermones de Tempore.

CLASSIS III.

Sermones de Sanctis.

CLASSIS IV.

Sermones de Diversis.

APPENDIX

Sermonum ineditorum

EXPLICIT INDEX.

SANCTI AURELII

AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

SERMONES INEDITI.

SERMONES

DE SCRIPTURA.

SERMO I.

De lapsu.

Eruitur hic sermo ex Cod. Cas. XII, *fol.* 83, *ubi continentur solummodo sancti Augustini fœtus. Pluribus mendis scaturit iste sermo, quas corrigere tentavimus; nihil aliunde complectitur, quod beato doctore indignum sapienti lectori videatur. Locus ejus post sermonem primum Benedictinorum, et ante primum sermonem Supplementi nostri primi.*

SYNOPSIS.

I. Diaboli malitia ut homines in errorem et inobedientiam inducat. II. Adami et Evæ lapsus. III. Homo bestiis in vestitu et victu inferior. IV. Hæc a Deo emendata, sed secundo beneficio homines abusi sunt.

I. Fratres charissimi, felix esset hominum genus, si aut verba Dei bene perciperet, aut percepta servaret. Dicit enim hominibus Deus : « Si audieritis præcepta (1), » et feceritis ea, bona terræ edetis; si autem non feceritis, » gladius vos consumet[1]. » Sed quia diabolus, fidei depravator, secundum naturam videre homines persuadet, pecoribus eos similes exhibet, quos Deus sui similes fecit, et nihilominus eos rebus deterioribus obtinet, cum divinæ fidei objicit rebus deterioribus rationem. Cum Deus hominibus dicat : » Nolite facere mala, et non vos ap» prehendant[2]; » e contrario diabolus dicere homines stimulat : Deum, quia vivitis, non curate. Nam nec mali homines viverent, nec boni malorum factionibus laborarent. Et hoc magis homines verum esse consentiunt, cum sciant et viderint, quod mali homines supplicii gladio perierunt (2). Cum Deus hominibus dixerit Filium per virginem natum, diabolus e contra per homines astruit, nec rationem permittere, nec naturam, esse virginem matrem. Cum Deus hominibus dicat resurgere mortuos in præteritam carnem; diabolus e contra hominibus intimat naturam non posse, nisi nova tantum corpora gignere, non et morte (3) perdita renovare. Quid vobis, homines, faciam, quos ratione diabolus fallit?

[1] Isai. I, 19 et 20. — [2] Eccli. VII, 1.

(1) De hac versione utitur Augustinus, contra duas epistolas Pelagii, lib. IV, n. 12. — (2) Forte *non perierunt*. — (3) Cod. male *mortem*.

II. Adam et Eva quomodo deceperit, quærite et videte quam verisimilem finxerit contra Dei præcepta rationem. Scriptum est enim : « Vocavit Dominus Adam, et dixit » ei : Ex omni ligno quod est in Paradiso manducabitis, » de fructu autem ligni quod est in medio Paradisi non » manducabitis ex eo, nec tangetis illud, ne moriamini[1]. » Lex est; non debuit præteriri. Usque adeo enim Deus beatos fecerat homines, ut mala penitus ignorarent, usque adeo etiam simplices, ut eis innocens nuditas nec verecundiam faceret, nec pudorem. « Erant, inquit, nudi Adam » et uxor ejus, et non pudebat eos[2]. Serpens autem erat » sapientissimus (1) omnium bestiarum, quas fecit Domi» nus Deus. Et dixit serpens mulieri : Quare dixit Deus, » ut ab omni ligno, quod est in Paradiso non manduce» tis? Et dixit mulier serpenti : Ex omni ligno quod est » in Paradiso manducamus, de fructu autem ligni, quod » est in medio Paradisi, dixit Deus : Non edetis ex eo, » nec tangetis illud, ne moriamini. Dixit autem serpens » ad mulierem : Nequaquam morte moriemini (2). Scit » enim Deus, quia qua die manducaveritis ex eo aperien» tur oculi vestri, et eritis tanquam Dii, scientes bonum » et malum[3]. » Videte nunc diabolum, quomodo apud simplices homines Dei verba destruxit; persuasit malus interpres, quia Deus immortalitatem hominibus potuit invidere. Primo elegit fœminam, rem utique fragilem, cui facile suaderet; deinde transtulit in serpentem. Usque adeo autem secura innocentia fuit, ut serpentem horrendum, quem expavescere debuit, non timeret. « Et sumpsit » mulier de fructu illo, et manducavit, et dedit viro suo » secum. Et manducaverunt, et aperti sunt oculi ambo» rum, et cognoverunt, quia nudi erant[4]. » O dudum innocens nuditas, ut rubesceres profecisti!

III. « Et fecit Dominus Adæ, et uxori ejus tunicas » pelliceas, et vestivit eos, et dixit Dominus : Ecce Adam » factus est sicut unus nostrùm, ut sciat bonum et ma» lum[5]. » Non celat Dominus perditos, sed deridet, qui se deos fieri posse consilio diaboli crediderunt. Facti sunt denique dii, sed diabolo similes, cum a Deo abjecti sunt, pellibus et delicto vestiti. Dixit ergo Dominus, sed deridens : « Ecce Adam factus est sicut unus nostrùm, ut » sciat bonum et malum. » O natura magistra libidinis, atque omnium delictorum, ubi est nunc legatus ille tuus serpens antiquus? Ubi tot linguæ? Ubi est illa immortalitas, quam invidentia Dei sublatam (3) deceptis hominibus promisisti? Si enim non potes miseris reddere, vel illam revoca, quam tulisti. Videte nunc homines quo duce natura perventi sint. Videte Paradisi exules, velut naufragos, maris foliis ac pellibus vix munitos (4). Da, si potes, natura, miseris vestes, quibus pro vestibus Deus sanctam fecerat nuditatem. Oves lanis cognatis, ut vestibus, et compositæ sunt et onustæ (5); capris capillus impexus et tegimen efficit et decorem; equis, leonibus, tauris, cæterisque feris ac bestiis mollis lanugo subjectis et cutem splendicat et colorem : aves (6) diversicoloribus plumis et pulchræ sunt, et munitæ; serpens ipse, qui vobiscum damnatus est, quotannis tunicas exuit : dum veteres abjicit (7), induit novitatem. Vos solos homines nudos natura suscepit, et propalatur noverca, non mater. Vos rebus omnibus indigentes misericordia publica pecudum pascit ac vestit; vobis lanas oves impertiunt, vobis capræ, boves et cætera pecora ad victum, aut læti tribuunt, aut laborem. Non serviunt vobis ista, sed præstant, aut si imputatis hoc illis, quod eas pascitis, custoditis, quod ab iisdem abigitis bestias, quod iis pabula vel stabula providetis, nec siquidem domini estis, qui vestri auri (8) servitio eorum meremini servitutem.

IV. Et hoc emendaverat Deus, ut vos dedicatos (9) efficeret; sed beneficii secundi indulgentiam ingrati homines perdidistis. Pluerat nobis Deus manna de cœlo, ut quod desiderii fuerat, hoc saperet; dederat aquam de saxis sponte salientem, ubicumque sitiistis, ne humorem terræ quærentes, fontes foderetis, aut puteos; dederat terram lacte ac melle fluentem, ut nec favos apum, nec ubera pecudum premeretis; dederat botros ultro nascentes, quorum unum homines duo vix cum traverso humeris sustinerent. Invidistis nobis posteria vestris : nam et nos possemus hæc bona percipere, nisi sanctam Dei potentiam sacrilegio læderetis. Quoniam igitur degradare nostræ origini contigit, si vobis tandem sapiens pudor est, ut iis, qui decepti sunt, fuit sapiens pœnitudo, vel nunc Dei Filio credite; quod vobis ad vitam proficiat, et salutem.

SERMO II.

De Adam.

Hunc sermonem mutuati sumus ex Bibl. Laurent., Plut. XII, *Cod.* XIV, *fol.* 258; *dicitur etiam in Cod. Venetiano reperiri; de quo vide Bandini, fol.* 21, XVII. *Nomen præfert sancti Augustini, cui nulla de causa videtur denegandum. Locus ejus post secundum sermonem nostri primi Supplementi.*

SYNOPSIS.

I. Adam creatus et instructus ad resistendum tentationibus et acquirendam vitam æternam, cecidit deceptione diaboli per mulierem. II. Priorum parentum lapsus tristes effectus attulit. III. Quam grande et luctuosum fuerit Adæ peccatum. IV. Deus procurata confusione et confessione peccati, parat misericorditer generi humano redemptionem; unde demonstratur utilitas humilitatis et compunctionis. V. Peccatum post veniam admissum multo gravius est peccato Adami, propter redemptionis gratiæ abusum. VI. Gratiæ ideo maximæ Deo rependendæ pro tantis beneficiis. VII. Hinc uti debemus respondere gratiæ Dei, sequendo Christum ad cœlos ducentem. VIII. Conclusio.

1. Nemo qui nesciat in principio hominem a Deo plasmatum ut instrueretur prudentia, consilio firmaretur, rationis capax divina providentia (10) redderetur; instrueretur, inquam, prudentia qua hostis calliditatem vitaret, consilio quo salutaria secreta requireret, ratione qua Deo creatori parendum esse cognosceret. Etenim Dominus Deus videns hominem innocentem quem fecerat, instruxit, monuit, armavit; quippe qui cum diabolo fuerat pugnaturus, velut quibusdam armis, hoc est, prudentia, consilio, ratione fuerat instruendus. Addidit præterea legem, qua Dei voluntatem cognosceret, et quid continuo eveniret, addisceret. Quia enim homo incautus libentius diabolo persuadenti quam Domino jubenti consensit, et vitam quam habuit, perdidit, et mortem quam ignorabat, accepit. Stabat Adam inter uxorem et diabolum, inter Evam et hostem, inter mulierem (11) at serpentem. Dia-

[1] Gen. II, 16, 17. — [2] Ibid. 25. — [3] Id. III, 1-5. — [4] Ibid. 6, 7. — [5] Ibid. 21, 22.

(1) De hoc adjectivo verbo utitur Augustinus in Genesi ad litteram, lib. XI. num. 4. — (2) Desunt hæc verba in Cod., ubi textus est truncatus. — (3) Vocem illam addidimus, quæ evidenter in Cod. desideratur. — (4) Cod. male *munit*. — (5) Id. male *onus a capris*. — (6) Id. pessime *habes*. — (7) Id. male *adjunt*. — (8) Id. *vestro auro*. — (9) Id. male *delicatos*. — (10) Id. *prudentia*. — (11) Id. male *muliere*.

bolus persuasit, ut noceat : Eva consensit, ut pereat ; diabolus mulierem astutia sua falleuter circumvenit : mulier incauta serpentinom (1) virus accepit ; diabolus quod per se non potuit, per uxorem Adam protoplastom circumvenit ; Adam vero per uxorem invenit interitam, quem a Deo acceperat in auxilium.

II. Proh dolor (2) ! prospera in contrarium cedunt ; utilia perniciem uperantur. Deinde plus Adam domesticis, quam inimici jacolis læditur ; plus proprio, quam hostili ense perimitor ; ploa mulieris, quam extero gladio volneratur. Accessit enim serpens sobtilis ut falleret ; et accessit non ut viro, sed ut mulieri serpentiaum virus infigeret : accessit, inquam ; ut ouius consensu utrique nocere posset (3). Serpens persuasit quod ambobus obesset ; utrique obfoit, quod unius animum malitia serpentis infecit. Denique consentiaoe malier taliecirca virum extitit, qualem circa se malitiam serpentis invenit. At Eva persaasa est (4), et persuasit ; infecta est, at infecit ; decepta est et decepit. Quæ quidem malier feritur sententia duplici, altera propria, altera communi : propria, qua filios parere in dolore præcepta est ; commuoi, qua cam viro morti addicta est (5) : altera, qoia serpenti assensit ; altere, qoia marito persuasit. De consensu enim, mortis sententiam accepit ; de persuasu, in dolore filios parere meruit. Hanc igitur senteotiem et qoi non novit, dum experitur, discit ; ut qui nescit, dum expungitar, sentit ; et qui igaorat, dum experitur (6), agnoscit.

III. Proh oefas ! præceptum Dei contemnitur, et persuasio serpentis aoditur. Despicitur Deus providens, et serpens auditur decipiens. Sperouutar salutarie monita, et recipiuntur colloquia venenata. Unde et dicitar homo ex contemptu muri, quia maluit obedire serpenti. Expoliantur gloria, dignitate priveutur. Facti aunt quod non erant, dum amittont quod fuerunt a Deo. Gaudet serpens perpetrasse se quod voloit ; lætatur peremisse hominem, quod optavit. Exultat malitia, effectat in hominibus deceptionem implesse, et nescit se, infelix, vulneratum esse, dum vulnerat : et dam trucidat hominem, perimit seipsum. Dolet et Dominus hominem mortis seotentiem potius meruisse, quam vitæ ; meruisse interitum, quam salutem ; gloriam contempsisse, quam mortem. Sed tamen plus malitia serpeatis, quam hominis contemptu commotus est (7) ; crudelitatem hostis exhorroit, et deceptum hominem paterna pietate condoluit. Inimicitiæ auctore permotus est, et clementer hominem doluit, qui deceptus est.

IV. Denique Dominue Dens inquit : « Ubi es, Adam ? » Confessionem (8) provocat, dum interroget. Vult enim eum fari peccatom, com ejos novit admissum (9). Quærit misereri ; com reo de culpa colloquitur. Veniam cogitat, qui causam coatemptæ legie incusat. Jurgat, culpet, ut possit reie tribuere veoiam : et quos (10) oolnerit iostituendo firmere, eos possit coofitendo purgare. Accipiunt indomenta pellicea, ut qui confessum delictom jam fecerant, veaiam cultus humilitate acciperent. Ostendit Domious quibos officiis possiat delicta purgari. Ostendit coofessionem et deformitatem coltus, veniam posse facillime impetrare. Ut enim contumacia est celare, quod Deo teste commiseris, sic periculosum est, si splendore cultus aoimi innocentiam mentiaris. Nemo itaque, nemo peccatur vitia desperata lætitia cootegat : nemo infecto deliciis animo dissimulationis virus infundat. Animi vitia corporis mœrore monstrentur. Si vexatue est animue, lugeat corpus ; quoniam corpus quoties in amaro (11) est, animos mœstitia condolescit. Corporis vitia sine animæ compassiona esse non possunt, et animæ vitia corporis compassione probantur. Pariter contristantur, ut pariter veniam consequentur ; quoniam otrumque simul aut beneficio foveri, aut injaria vexari necesse est. Neque enim aliud est homo, quam corporie et animæ congregatio. Hæc enim duo quantum diffinitionibus differunt, tantum homioem dum junguotur efficiunt. Ut enim in vita separari non possaat, ita nunquam boni melique meritu seperantur. Ut enim non potest corpus bonum ab anima separari, ita malom corpue noa potest dissociari. Si uaim, in die judicii, largieota Deo, indulgentiam mereantur, cur oon io isto sæculo pariter aut mœstitia aut lætitia perfruuntur ?

V. Unde tibi, Christiane, excusatio nulla est, qui post servitotem liberatus, post captivitatem receptus, post vexationem curatus, post meritas... (12), habes iu monitia, ut exerceas ; habes exampla, quod timeae. Adam enim nec fallaciam diaboli norat, nec deceptionem cujusquam defleverat, quidquid posset evadere (13), nisi prior cum hoste, dom confligit, occumberet. Te jam iostruit Dominus, tibi exempla gestorum proposuit : « Ecce, inquit, sanus factue es, jam noli peccare ; na quid tibi » deterius fiat [1]. » Noli, inquit, peccare post veniam ; noli vulnerari post curam, noli sordidari post gratiam. Cogita, ioquit, homo, graviorem culpam esse post veniam ; renovatum vulous pejus dolere post curam, molestius hominem sordidari post gratiam. Qua de re indulgentiæ ingratoa est, qui post veniam peccat ; sanitate iodigaus est, qoi semetipsum, postquam (14) curatus est, vulnerat, nec mundus esse meretur, qui seipsum post gratiam sordidat. Porro qui post absolutionem non peccat, meretur præmium ; qui post curam cautus est, sanctitatis possidat donom ; qui gratiam Dei io lege tenuerit, æternitatis accipiet regnum. Grave est enim hominem iostructum delinquere (15), gravius est jam absolatum peccare. Servo pejor est, qui patronum post datam libertatem offendit ; beneficii ingratus est, qoi datorem tumoris arrogantia despicit. Quære autem salutem de exemplo ; acquire, aut consortio similem sententiam metoa. Ne severum sentias jodicem, qui dignam contempseris persuasorem : « Sic enim dilexit Deos mundum, ut Filium » suum unigenitum daret ; ut omnis qui credit in eo non » pereat, sed habeat vitam æternem [2]. » Magna et immensa Dei Patris dilectio, et iocessabilibus laudibus prædicanda est, et in omni tempore glorificanda, quia ad redimendos nos de æterna morte, vitæ auctor reparare vitam nobis omnipotentem æteroumque Filium, qui erat et qoi est unius (16) cum Patre et Spiritu sancto potestate, mittere destinavit ; sicot Deus hunc mundum ab initio creavit, ita et per eumdem illum renovavit inveteratum atqoe jacentem in malitia peccati. Ipse enim per euum sanctum adventum, et illuminavit Ecclesiam, et ab iis terrenis segregavit et elevavit conversationibus, quia ei spem vitæ cœlestis tribuit. Erecta enim fait de tenebrie ad lucem, dum se Sol justitiæ præsentavit Christus ; sitienti avidoque populo ejus doctrinæ fluenta manifestavit, perpetuaque dulcedine irrigavit exemplis suis sanctis, per quæ possumus evadere inferni flammas, et adipisci invisibilia bona quæ nunquam finiuntur.

[1] Joan. v, 14. — [2] Id. III, 16.

(1) Cod. *serpentium*. — (2) Id. male *pro dolore*. — (3) Id. *potuisset*. — (4) Id. *Eva perfusa est*, alias *persuasa est*, quod evidenter indicat lectionem variantem, quæ in textum incaute irrepsit. — (5) Id. *addita est*. — (6) Hic aliquid latet mendum, quod sanare non potuimus. (7) Cod. *hominis contemptus commonitus est hominus*, ubi verbi hominis iteratio videtur abundare. — (8) Id. *professionem*. — (9) Id. *amissum*. — (10) Id. *quod*. — (11) Sic forte legendum, ut stet sensus ; Cod. sine sensu *in anima*. — (12) Hic aliquid deesse videtur. Forte : *post meritas pœnas absolutus*. — (13) Hic videtur sententia claudicare, quam sanare non præsumo. — (14) Cod. male *primo quam*. — (15) Id. *relinquere*. — (16) Id. male *unis*.

VI. Et ideo agendæ sunt gratiæ omnipotenti Deo omnium beneficiorum ejus, et considerandum est sine intermissione quanta super nos affusa sint viscera Creatoris nostri. Omnes enim nos ex gentilitate venimus. Antiqui patres nostri idolis serviebant; et derelinquentes Deum a quo facti sunt, deos venerati sunt quos fecerunt. Nos autem per omnipotentis Dei gratiam, ad lucem de tenebris reducti sumus. Recolamus ergo de quibus criminum tenebris venimus, et de luce fidei quam accepimus, gratiam agamus, id est, de fide recta, et pura intelligentia, et de baptismo, quod accepimus. Neque enim divinam misericordiam intelligit, qui suæ miseriæ memor non est. Unde per Psalmistam Deo dicitur : « Mirifica misericor» dias tuas, qui salvos (1) facis sperantes in te[1]. » Tunc enim nobis divinæ misericordiæ miræ fiunt, cum nobis ad memoriam miseriæ nostræ revocantur. Ideo debemus amare illum, et ad eum totis viribus anhelare, a quo veraciter ad vitam de errore revocati sumus. Ecce ad fidem atque ad audiendum verbum Domini nostri ex diversa mundi qualitate venimus, atque ex dissimilibus iniquitatibus in sanctæ Ecclesiæ concordiam congregati sumus; ita ut etiam patenter factum esse videatur quod de repromissione Ecclesiæ per Isaiam dicitur : » Habitabit lupus » cum agno, pardus cum hædo accubabit[2]. » Nam per charitatis gratiam lupus cum agno habitat, quia hi qui in sævitia raptores fuerunt, cum mansuetis ac mitibus in pace conquiescunt; et pardus cum hædo accubat, quia is qui peccatorum suorum maculis varius fuit, cum eo qui se despicit, et humiliter peccatorem se fatetur, humiliari consentit. Ubi et subditur : « Vitulus, et leo, » et ovis, simul morabuntur[3], » quia is qui per contritum cor ad quotidianum se Deo sacrificium præparat, et alius qui tanquam leo ex crudelitate sæviebat, et alter qui velut ovis in innocentiæ suæ simplicitate perdurat, in caulis sanctæ Ecclesiæ convenerunt. Ecce qualis est charitas, quæ diversitates mentium accendit et conflat, et quasi in unam auri speciem reformat.

VII. Sed in eo, quo (2) electi sic se amant, ad illum necesse est ut festinent; ut eum æterno gaudio in cœlo videre mereantur. Unus est enim Dominus ac Redemptor noster, qui hic electorum suorum corda ad unanimitatem ligat, et ad supernum amorem per interna desideria excitat. Unde et illic subditur : » Et puer parvulus » juvabit eos[4]. » Quis est iste parvulus, nisi de quo scriptum est : » Puer natus est nobis, et filius datus est nobis[5]. » Qui simul habitantes juvat, quia ne in terrenis rebus corda nostra inhæreant, hæc per internum desiderium quotidie inflammat; et hoc ipsum juvare, est amorem suum incessanter accendere, ne cum nos vicissim diligimus, mente in hoc exilio remaneamus, requiesque vitæ hujus sic placeat, ut ad oblivionem patriæ nos perducat; ne delectata mens prosperis torpeat. Unde et donis suis flagella permiscet, ut nobis omne quod in sæculo delectabat, amarescat; et illud incendium exurgat in animo, quod nos ad cœleste desiderium excitet. Puer ergo parvulus nos juvat, cum omnipotens Deus per charitatem quam nobis tribuit, in hoc nos mundo mentem figere non permittit; sed per compunctionem, et emendationem morum, et confessionem peccatorum nos ad se invitat. De quo per Psalmistam dicitur : » Introïte portas » ejus in (3) confessione[6], » et reliqua. Cum enim peccata nostra per lacrymas confitemur, angustæ viæ portam ingredimur; sed cum post hæc securi ad æternam vitam perducemur, porta nostræ patriæ (4) in confessionum laudibus intrabimus; quia ibi jam angustia non erit, cum nos lætitia æternæ solemnitatis susceperit. Ibi laudibus prædicabimus eum, quem in humilitate carnis pro nostra necessitate legimus, ut nobis omnibus assessum æterni regni præparet.

VIII. Optandum ergo nobis est, ut ad eum citius perveniamus, cum quo omnia bona obtinebimus, cui conditio (5) perpetua est in æthereis arcibus, una est cum Patre potentia, par splendoris claritas, indivisa sublimitas, honor æquus, eadem virtus, sociale fastigium (6), regnum infinitum in ævum.

SERMO III.

De Josepho.

Legitur sermo iste in Cod. Cass. CCCLXXXVII, *fol.* 112 *cum hoc titulo:* Item sermo unde supra; *supra autem habentur sermones sancti Augustini. Nihil continet quod dubitandi de tituli veritate locum præbeat. Ponatur ergo post sermonem præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Post mortem Joseph, Judæorum captivitas. II. Ejus historiæ allegorica interpretatio. III. Liberationis a Moyse et Aarone factæ interpretatio similiter allegorica. IV. Ægyptus fugienda, ut Deo sacrificium laudis offeratur.

I. Sicut sacra, dilectissimi, Testamenti Veteris nobis reseravit historia, post obitum Joseph novus rex in Ægypto surrexit, qui et Joseph ignorabat, et multitudinem filiorum Israël conatus est extinguere. Eos in operibus luti, laterum et palearum affligebat vehementer. Unde et longa servitute oppressi, et operum duritie fatigati, per Moysen et Aaron clamaverunt ad Pharaonem : « Dimitte nos, » ut exeamus de Ægypto; via trium dierum ibimus in » solitudine, ut sacrificemus Deo nostro[7]. »

II. Hæc autem historia, dilectissimi, secundum superficiem litteræ, manifesta est, et præclara, et sui pulchritudine lecta simpliciter auditores ædificat; sed multo majorem ædificationem auditorum mentibus conferet, si amoto cortice litteræ occidentis, spiritualis intelligentiæ percipiamus medullam, ut proposito fundamento historiæ, exequamur fastigium allegoriæ. Nos igitur, dilectissimi fratres, nos filii Israël sumus, qui primorum parentum culpa, de Paradisi gaudiis, de regione claritatis, et felicitatis æternæ, in hanc convallem miseriæ et lacrymarum, in regionem tenebrarum et umbræ mortis, quasi in Ægypto miserabiliter sumus expulsi. Sed quamdiu Joseph regnavit in Ægypto, Pharao Dei populum non afflixit (1). Joseph iste Christum significat, qui sola invidia stimulante a fratribus suis, Judæis scilicet, venditus est, et traditus in Ægyptum, qui in Ægypto positus a fratribus suis non est agnitus, quia Christus « In » mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mun» dus eum non agnovit[8]. » Quamdiu ergo Joseph in Ægypto præfuit, populus non est a Pharaone gravatus. Quousque enim verus Joseph in nobis regnat, quousque Christus in nobis obtinet principatum, Pharao, id est, diabolus, et contrariæ potestates nos affligere et molestare non possunt. Mortuo autem Joseph, rex novus super Ægyptum consurgit, qui Joseph ignorat, et filios Israël in luto affligit et latere. Rex iste novus, fratres mei dilec-

[1] Psal. xvi, 7. — [2] Isai. xi, 6. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Id. ix, 6. — [6] Psal. xcix, — [7] Exod. v, 1-3. — [8] Joan. i, 10.

(1) Cod. male *salvum*. — (2) Id. *quod*. — (3) Id. male *confessionis*. — (4) Id. *porta nostra patria*. — (5) Id. *conditione*. — (6) Id. pessime — *fastidium*. — (7) Vide August. epist. cxcix ad Hesychium n. 39 et alibi.

tissimi, diabolus est qui est rex super omnes filios superbiæ, qui Joseph, id est, Christum, ignorat: « Dixit enim » in corde suo: Non est Deus[1], » et Joseph mortuo, populum opprimit. Si enim Christus in nobis fuerit mortuus, si ejus memoria a nostra mente deciderit, tunc rex novus, id est, diabolus, nobis incipit dominari, tunc luti et lateris nobis gravissimum jugum imponit, dum lutulentis et terrenis voluptatibus nos implicat, dum « mun» dum, et ea quæ in mundo sunt[2], » diligere nos compellit, dum sensus, et cogitationes nostras in terrenis negotiis occupat, et cœlestia meditari non sinit.

III. Deus autem, cujus opera misericordia est, qui fidelibus suis misereri potius eligit, quam irasci, eorum miseriæ et afflictioni compatiens ad liberandum populum suum, et Pharaonem puniendum per Moysen et Aaron, legem scilicet et sacerdotium delegavit. Unde et ad Pharaonem ingressi dixerunt: » Hæc dicit Dominus Deus: » Dimitte populum meum, ut sacrificet in deserto. Viam » trium dierum ibimus in solitudinem, et sacrificemus » ibi (1) Deo nostro[3]. » Notandum est autem, fratres mei, quod filii Israël in Ægypto positi, Deo sacrificare non poterant. Ægyptus enim tenebræ interpretantur, et mundum istum significat, quia amatores suos filios tenebrarum facit, et tenebris ignorantiæ, et caligine peccatorum involvit; unde et ad molam deputati, et peccatorum velamine oculos circumligati, in circuitu ambulant, girantes iter sine fine, laborem sine requie, motum sine stabilitate, cursum sine perventione, et cæcitate (2) ignorantiæ percussi, ostium (3) veritatis invenire non possunt. In hac ergo regione tenebrarum et mortis, filii Israël sacrificare non possunt, ubi ranæ perstrepunt in penetralibus, muscarum impetus de limo surgentium ruit in oculos, ubi pestilentia, ubi omnis idololatria regnat, omne dæmonium adoratur.

IV. Exeundum est igitur de Ægypto, ne ranæ garrulitate sua Israëlitarum quietem perturbent, ne « Muscæ » morientes perdant suavitatem unguenti[4], » et commaculent sacrificium. Et exemplo beati Abraham provocati, « De terra et cognatione nostra, et de domo patris nostri » egrediamur[5], » venientes ad terram, quam nobis monstraverit Dominus. Cum beato Josepho, relicto in manu adultera pallio, prosiliamus foras, et cum adolescente evangelico, relicta sindone, nudi Dominum prosequamur, et veniamus viam trium dierum in solitudine, ut sacrificemus Deo nostro. Via ista per quam ad solitudinem ire præcipimur, Christus est, qui ait: » Ego sum via, ve» ritas, et vita[6]; » et alibi: « Nemo venit ad Patrem, » nisi per me[7]. » Per hanc ergo non motu corporis, sed affectu, ad solitudinem mentis, et quietem conscientiæ veniendum est. Divina enim lex in quiete addiscitur et silentio. Quamdiu enim sumus in strepitu peccatorum, quamdiu sumus in procella et turbine vitiorum, ad solitudinem non accedimus; sed cum sedatis vitiorum tumultibus, in vera pace et virtutum tranquillitate quiescimus, Deo sacrificium laudis offerimus. Sed ad hanc solitudinem per triduanam dietam pervenitur. Prima dieta est, qua fidelis anima in hortum inducitur; secunda, qua in cellam vinariam intromittitur; tertia, qua in regis cubiculum introducitur. Necesse est enim ut anima, quæ in carnalibus desideriis prius suam habebat dulcedinem, de Ægypto subtracta, pro itinere fatigata, in horto Christi ingressa, consolationem et delectationem inveniat, ubi sunt plantaria spiritualium fructuum, et odoramenta virtutum, ut sic confortata, et refecta, quantum prius oblectabatur in operibus carnis, tantum delectetur postmodum et gaudeat in virtutibus. Unde et ei in Canticis dicitur: « Veni in hortum meum, soror mea, sponsa » mea[8]. » Secunda dieta est, qua in cellam vinariam a rege introducitur. Cella vinaria, divina Scriptura est, in qua vinum spiritualis intelligentiæ continetur, quod fidelium mentes inebriat, et interioris hominis cor lætificat. Postquam enim anima in virtutibus delectata, ab exteriore curiositate, qua occupata fuerat, revocatur, cellam vinariam ingressa, in Scripturis sanctis exercetur, et in lege Domini meditatur die ac nocte. Unde in Canticis dicitur: « Introduxit me rex in cellam vinariam[9]. » Tertia dieta est, qua in regis cubiculum anima introducitur. Regis hoc cubiculum arcanum est contemplationis, et secretum meditationis. Fidelis enim anima per hortum virtutum ab amore temporalium separata, et in cella vinaria divinæ Scripturæ meditatione erudita, in secreto et solitudine mentis, quasi in quodam cubiculo clauditur, et assidua meditatione divino amori inhærendo, clauso ostio in monte contemplationis adorat Patrem suum, et Deo offert sacrificium laudis.

V. Vos igitur, dilectissimi, quos non carnalis generatio, nec circumcisio facta in carne, sed observantia mandatorum Dei veros fecit Israëlitas, exemplo præcedentium Patrum Ægyptum fugite, Pharaonia imperium declinate, lutea et terrena opera, quibus estis occupati, abjicite. Ægyptiorum consortia, quæ vos contaminant et corrumpunt, devitate, et clamantes ad Dominum in fortitudine, liberi et expediti cum Moyse et Aaron, per viam trium dierum, bene scilicet cogitando, loquendo et operando, ad quietem et solitudinem mentis venite, et sacrificium devotionis et laudis sacrificate Domino Deo vestro, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IV.

De Verbis Evangelii Matthæi: *Cum venisset Jesus in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem, et febricitantem.* Matth. VIII, 14.

Sermonem hunc extraximus ex Biblioth. Laurent., Plut. XVI, *Cod.* XXI, *ubi nomen præfert sancti Augustini. Codex valde defectuosus sexcenta continet menda, quæ pro viribus resarcire tentavimus. Locus ejus post sermonem Maurinensem LXII.*

SYNOPSIS.

I. Socrus Simonis infidelitatis exemplar. II. Quid significent vespertinæ curationes? III. Cur trans fretum ire jubentur Apostoli? IV. De Scriba qui Christo vult ubicumque adhærere. V. Quo sensu dictum sit: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.*

I. In socrum Petri vitiosa infidelitatis æstimatur affectio, cui adjacet libertas voluntatis, quæ nos quadam sibi conjugii societate conjungit. Ergo ingresso Domino in Petri domum, id est, in corpus (4), curatur infidelitas peccatorum. Calore æstuans (5) vitiorum, ægra damnatur, mox deinde sanata (6), officii famulatu ministrat. Nam primus credidit (Petrus), et Apostolorum est princeps, et quod in eo ante languebat, Dei verbo invalescens, ministerio tanquam publicæ salutis operatur. Recta autem

[1] Psal. XIII, 1. — [2] 1 Joan. II, 15. — [3] Exod. V, 1-3. — [4] Eccle. X, 1. — [5] Gen. XII, 1. — [6] Joan. XIV, 6. — [7] Ibid. — [8] Cant. V, 1. — [9] Id. II, 4.

(1) Cod. *in*. — (2) Id. male *cæcitatis*. — (3) Id. pessime *hostium*. — (4) Id. *corpore*. — (5) Id. addit, *et* quæ vox videtur redundare. — (6) Id. *sanatum*.

hancce ex socru Petri similitudinem ad affectionem infidelitatis aptari (1), loco qui de nuru et socru consequitur, tractabimus : nunc autem ideo infidelitas socrus Petri nuncupabitur, quia usquedum credit, voluntatis suæ servitio detinebatur.

II. «Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes, et ejiciebat spiritus immundos[1].» Curationem promiscuam horis vesperis, concursus eorum, quos post passionem suam docuit, recognoscimus. Omnium peccata dimittens, omnium iniquitatem auferens, et malarum voluntatum insidiantium incentiva depellens, passione (2) corporis sui secundum Prophetarum dicta infirmitates humanæ imbecillitatis absorbuit (3).

III. «Videns autem Jesus turbas multas circum se, jussit Discipulis suis ire trans fretum. Et accedens ad eum quidam Scriba, ait : Magister, sequar te quocumque ieris[2], » et reliqua. Multa incurrunt quæ sensum communem movere possent, atque nos non intelligentiam fingimus, sed gesta ipsa nobis intelligentia impertiunt. Neque enim res intelligentiæ, sed rei intelligentiam obsecundat. Turbæ plures sunt, et ire trans fretum Discipulos (4) præcepit; non æstimo cadere in Salvatoris bonitatem, ut circumcursantes relinquere voluerit; et secretum quoddam impertiendæ salutis eligere. Deinde consequitur scriba dicens Magistrum se quocumque ierit secuturum, sed nihil ad Scribam dictum factumve loquitur, quod possit offendere. Dominus respondit vulpibus esse foveas, et cœli volucribus nidos quiescendi, Filio autem hominis, quo recliuet caput suum, locum esse nullum[3]. Et Discipulo postulanti, dari sibi tempus patris (5) sepeliendi, hoc negatum videmus (6), et pii atque humani officii vetitam religionem. Ergo rerum tantarum et tam diversarum ratio promenda est, atque ita, ut secundum continentem rerum ordinem, et gravissimas ipsius veritatis causas, interioris significationis intelligentia (7) explicetur. Discipulorum nomen non in duodecim tantum Apostolorum versari existimandum est (8). Nam præter Apostolos, plures fuisse Discipulos legimus. Ex omni igitur turba quædam fieri videtur electio, eorum scilicet, qui Dominum per multa sæculi hujus pericula et jactationes (9) essent secuturi. Ecclesia enim instar est navis, et plurimis locis ita nuncupata est, quæ diversissimi generis et gentis vectore suscepto, subjecta est turbinibus (10), et ventorum flatibus et miris motibus; atque ita illa et sæculi, et immundorum spirituum vexatur incursibus. Propositis enim periculorum omnium motibus (11), navem, id est, Ecclesiam, introïmus, scientes nos mari ventisque jactandos. Ut igitur ordo typicæ significationis (12) cohæreret, possetque (13) intelligi fidelium conscendentium navem, et infidelium turba residentium, Scribæ et Discipuli personam subjungit.

IV. Et quidam Scriba, qui est ex doctoribus unus legis, an sit secuturus interrogat, quasi crederet, vere non hunc esse Christum, quem sequi esse utile (14) confiteretur. Igitur fidelitatis affectum sub diffidentia interrogationis expressit, quia fidei assumptio non interroganda est, sed sequenda. Ut autem eadem interrogatio infidelitatis esset mulctata (15) judicio, Dominus respondit vulpes habere foveas, et volucres cœli nidos, quibus requiescant, hominis autem Filium non habere ubi caput reclinet. Vulpes est animal insidiosum, circa domorum se occulens foveas, et domesticis avibus insidians, atque hoc nomine pseudoprophetas nuncupari aliquo (16) loci legimus. Volucres cœli sæpenumero immundos spiritus cognominari didicimus. Dei ergo Filius paucitatem sequentium configens (17), et doctorem legis diffidentem an sequeretur, exprobrat ipsis pseudoprophetis foveas, et immundis spiritibus nidos quiescendi, quod extra navem relicti, id est, extra Ecclesiam positi, effecti sint incolatus pseudoprophetarum, et habitatio dæmonum; Filium autem hominis, se scilicet, cui caput Deus sit, non reperire, in quibus, collata Dei cognitione, requiescat : invitatis omnibus, sed ut in navem, ita in Ecclesiam, paucis inter motus (18) maris, id est, sæculi, secuturis.

V. Adest post hæc Discipulus non interrogans, an sequatur, jam enim sequi oportere se credit, sed permitti sibi orans sepelire patrem. Accepimus in Dominicæ Orationis exordio ita primum precandum (19) : « Pater noster, qui in cœlis es[4]. » Ergo credentis in Discipulo populi persona admonetur, ut meminerit quod Pater sibi visibilibus in cœlis est. Sequi autem Dominum jubetur, quia et volebat : ita ut mortui mortuum sepeliant. Sed nullum arbitror officium expectari (20) a mortuis posse; quomodo ergo a mortuis mortuus (21) humabitur? Primum igitur ostendit perfectam in se quidem, nullam (22) sæcularis in alterum officii religionem esse devinctam; deinde inter fidelem filium patremque infidelem, hujus patris (filio officium) (23) non relinqui. Non igitur obsequia humandi patris negavit, sed addendo : « Remitte mortuos sepelire mortuos suos, » admonet non admisceri memoriæ sanctorum mortuos infideles; mortuos autem etiam eos esse qui extra Deum vivunt, et idcirco commutua mortis officia relinquenda, ut mortui sepeliantur a mortuis, quia per Dei fidem vivos vivo oporteat adhærere.

SERMO V.

De Verbis Evangelii secundum Matthæum : *Dixit Jesus Discipulis suis parabolam hanc : Simile factum est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo*, etc. Matth. XIII, 24-30.

Sermo sequens legitur in Cod. Cass. CIX, *fol.* 198, *cum nomine sancti Augustini, cujus stylum redolet et ingenium, ut patebit cuilibet legenti Sermones antea vulgatos* XLII, *n.* 6 *et* 17, LXXXVIII, *n.* 21, *et* LXXIII, *n.* 1 *et seqq., et Quæst. septemdecim in Matth. n.* 11. *Ponatur post sermonem Maurinensem* LXXIII.

SYNOPSIS.

I. Expositio et explicatio parabolæ zizaniorum. II. Qui est zizania, fiat præsto triticum. III. Non mirandum si zizania ubique sint, etiam in loco sancto.

I. AUDIVIMUS sanctum Evangelium, et loquentem in Evangelio Dominum Christum. Inde loquamur quod ipse

[1] Matth. VIII, 16. — [2] Ibid. 18, 19. — [3] Ibid. 20. — [4] Id. IV, 9.

(1) Cod. *optari.* — (2) Id. male *passionem.* — (3) Id. *absorbens* — (4) Id. *fretus discipulus.* — (5) Id. *patri.* — (6) Deest verbum *videmus* in cod. — (7) Id. *intelligentiam.* — (8) Id. *esse.* — (9) Id. *jactiones.* — (10) Id. male, ut videtur, *hominibus.* — (11) Id. *montibus.* — (12) Id. *significantia.* — (13) Id. male *quæ.* — (14) Cod. sine sensu, imo et sine latinitatis colore, *quali lege.... quem sequisset estile*; videat correctionem lector, et judicet. — (15) Id. *puritate*, quæ vox apertum est mendum; an bene correxerimus attendat lector. — (16) Id. *aliquos.* — (17) Dubie legitur cod. ita, ut non satis appareat, utrùm scriptum sit verbum *continens*, an *confitens*. Prius sensum non habet; posterius contra latinitatem peccat; forte scripserat auctor *configens*, quod judices. — (18) Id. non habet *inter*, et legit *motu*, quod nullum sensum repræsentat. Sic divinantis more emendavimus. — (19) Cod. *prædicandum.* — (20) Cod. *expectare.* — (21) Id. *mortui mortuos.* — (22) Id. *nulla.* — (23) Id. sine sensu et latinitate *in nomiscis*; in cujus mendi fine clare supponi potest scriptum fuisse *officium* aut *officio*.

donabit. Parabola ista, fratres, laboriosa esset fortasse ad exponendum nobis, sed compendium nobis fecit, quia ipse exposuit, qui proposuit. Qui legit quidem Evangelium, eo usque legit ubi Dominus ait : « Colligite primum » zizania, et alligata fasciculos ad comburendum ea, tri- » ticum autem recondite in horrea [1]. » Sed postea Discipuli ejus, sicut scriptum est, « Accesserunt ad eum, et » dixerunt ei : Enarra nobis parabolam zizaniorum [2]. » Et qui est in sinu Patris, ipse enarravit : « Qui seminat bo- » num semen, ait, filius est hominis, » de seipso. « Ager » est mundus; bonum autem semen, hi sunt filii regni; » zizania autem, filii maligni. Inimicus autem qui ea se- » minat, diabolus est : messis est finis sæculi, messores » autem Angeli sunt. Cum ergo venerit Filius hominis, » mittet Angelos suos, et colligent de regno ejus omnia » scandala, et mittent in caminum ignis ardentis, ubi est » fletus et stridor dentium. Tunc justi fulgebunt sicut sol » in regno Patris sui [3]. » Verba dixi Domini Jesu Christi, quæ non sunt lecta, sed sic sunt scripta. Exposuit ergo nobis Dominus, quod proposuit. Videte quid in agro ejus eligamus esse. Videte quales nos messis inveniat. Ager enim, qui est mundus, Ecclesia est diffusa per mundum. Qui triticum est, perseveret usque in messem. Qui sunt zizania, mutentur in triticum. Hoc interest inter homines et veras spicas et vera zizania, quæ in agro sunt. Quæ spica est, spica est; quæ zizania sunt, zizania sunt. In agro autem Domini, id est, Ecclesia, aliquando quod erat frumentum, vertitur in zizania, et aliquando, quæ zizania erant, convertuntur in frumentum, et nemo scit quid cras futurum sit. Ideo operarii indignati patrisfamilias, cum (1) vellent et zizania tollere, non sunt permissi. Voluerunt enim tollere; non illis permissum est zizania separare. Fecerunt ad quod idonei erant; separationem Angelis servaverunt. Et quidem illi nolebant servare Angelis separationem zizaniorum; sed paterfamilias qui noverat omnes, et dimittendam esse separationem, jussit eis zizania tolerare, non separare. « Non, inquit; cum dixis- » sent : Vis ut eamus et colligamus ea? Non, ne forte, » cum vultis colligere zizania, eradicetis simul et triticum [4]. » Ergo, Domine, simul et zizania nobiscum erunt in borreo? « In tempore messis, dicam messoribus : Colligite primum » zizania, et alligate fasciculos ad comburendum ea [5]. » Tolerate in agro, quod non habebitis vobiscum in horreo.

II. Audite, charissima grana Christi; audite, charissimæ spicæ Christi; audite, charissima frumenta Christi. Attendite vos, redite ad conscientias vestras. Interrogate fidem vestram; interrogate charitatem vestram. Discutite conscientiam vestram. Et si vos frumenta inveneritis, veniat vobis in mentem : « Qui perseveraverit usque in finem, » hic salvus erit [6]. » Quicumque autem discussa conscientia sua, inter zizania se invenerit, non timeat mutari; nondum jubetur secari, nondum est messis. Noli esse hodie quod heri; vel cras, noli esse quod hodie es. Quid tibi prodest quod dicis quandoque, quia mutaberis? Deus tibi mutato indulgentiam promisit, diem crastinum non promisit. Qualiscumque exieris de corpore, talis venies ad messem. Mortuus est, nescio quis; qui zizania erat, numquid ibi triticum habet fieri? Hic in agro fit aut de zizaniis triticum, aut de tritico zizania. Hic possunt; alibi autem, id est, post illam vitam, tempus est percipiendi quod fecit, non quod non fecit faciendi. Quisquis autem hic zizania fuerit, et ab agro Domini Christi seipsum separare voluerit, non erit ibi triticum. Nam si permaneret utique triticum zizania, quid timet triticum? Sinite utraque crescere usque ad messem : paterfamilias dicit : Simul crescant. Messores ooo errant; noverunt unde manipulos faciant, et in ignem mittant. De tritico autem non possunt manipuli fieri, et in ignem mitti. Manipuli separationem ostendunt.

III. Habet ibi manipulum suum Arius; habet ibi manipulum suum Eunomius; habet ibi manipulum suum Photinus; habet manipulum suum Donatus; habet manipulum suum Manichæus; habet ibi manipulum suum Priscillianus. Omnes isti discipuli in ignem mittuntur. Secura sunt frumenta pura, in horreo (2) lætabuntur. Ubi autem inimicus ille non semioavit zizania? Quod genus, quem locum frumentorum invenit, et non zizania sparsit? Numquid seminavit inter laicos, et non seminavit inter clericos, aut inter episcopos? aut seminavit inter conjugatos, et non seminavit inter sanctimoniales? aut seminavit in domibus laicorum, et non seminavit in congregationibus monachorum? Ubique sparsit, ubique seminavit. Quid non permixtum dimisit? Sed Deo gratias, quoniam qui dignabitur separare, nescit errare. Non enim latet Charitatem vestram, quia in quacumque excelsa et exaltata messe zizania inveniuntur, et in professione zizania inveniuntur; et dicitis : In illo loco, et ibi inventi sunt mali. Sed ubique inventi mali, sed non semper regnabunt cum bonis mali. Quid mireris quia invenisti malos in loco sancto? Nescis quia primum peccatum, in Paradiso fuit inobedientia? Et per ipsam cecidit angelus; numquid inquinavit cœlum? Cecidit Adam; numquid inquinavit Paradisum? Cecidit unus de filiis Noe; numquid inquinavit Justi domum? Cecidit Judas; numquid inquinavit Apostolorum choros? aliquando autem, secundum humanum judicium putantur aliqua frumenta, et zizania sunt; et putantur aliqua zizaoia, vere autem frumenta sunt. Propter ista latentia, dicit Apostolus : « Nolite ante tempus quidquam judicare, donec veniat » Dominus, et illuminet abscondita tenebrarum; et ma- » nifestabit cogitationes cordis, et tunc laus erit unicui- » que a Deo [7]. » Transit laus hominis; aliquando homo sanctum accusat, et nescit. Dominus ignoscat nescientibus, subveniat laborantibus.

SERMO VI.

De Verbis Evangelii secundum Matthæum : *Audivit Herodes tetrarcha famam de Jesu, et ait pueris suis : Hic est Joannes Baptista; ipse surrexit a mortuis et ideo virtutes operantur in eo*, etc. Matth. XIV, 1, 2. (3)

Hic sermo legitur in quinque codicibus cum nomine sancti Augustini, cujus certissime fœtus est, ut legenti cuilibet patebit; nempe : 1° *in Biblioth. Laurent. Plut.* XVII, *cod.* XXXVI, *fol.* 281; 2° *in Sanctæ Crucis Plut.* XXX, *cod.* II, *fol.* 159 *b*; 3° *in Bibl. Ædil. cod.* CXLI, *fol.* 165; 4° *ibid. cod.* CXLIII, *fol.* 264 *b*; 5° *denique in Bibl. Laur., cod.* IV, *Plut.* XXXIII *sinistr., fol.* 186. *Locus ejus post sermonem Maurinensem* LXXIV.

SYNOPSIS.

I. Joannes Baptista martyr fuit. II. Omnes cum Joanne possunt esse martyres. III. Non timendus mortem minans inimicus. IV. Causa, non supplicium martyres facit. V. Ad mortem usque certandum pro veritate contra diabolum insidiantem. VI. Adjuratio ad bene vivendum.

[1] Matth. XIII, 30. — [2] Ibid. 36. — [3] Ibid. 37-43. — [4] Ibid, 29. — [5] Ibid. 30. — [6] Id. X, 22. — [7] 1 Cor. IV, 5.

(1) Cod. *et cum*; et videtur abundare. — (2) Id. male *horrea*. — (3) Id. male habet in titulo : *Lectio S. Evangelii secundum Marcum*; hæc enim verba leguntur, non in Marci, sed in Matthæi evangelio.

I. De præsenti capitulo, fratres dilectissimi, sancti Evangelii quod nos Dominus docere voluit, certe Ecclesia Christi non ambigit quod martyr sit Joannes, et ante passionem Domini martyrium meruit. Ante natus, ante passus, non tamen salutis auctor, sed judicis præcursor. Præibat enim ante Dominum sumens ipse obsequium humile, dans altitudinem cœlesti Magistro. Unde dicimus martyrem esse Joannem? Numquid a persecutoribus Christianorum comprehensus, abductus (1), interrogatus, Christum confessus, et passus est? Hoc enim cæteri martyres post Christi passionem possunt dici. Iste ergo unde martyr? quia decollatus est? non enim facit martyrem pœna, sed causa. Quia offendit potentem mulierem? unde offendit? qua de re offendit? Dicendo verum regi, marito ejus factu (2), quia non liceret (3) ei habere uxorem fratris sui. Veritas odium meruit, et odium merendo ad passionem, coronamque pervenit. Hi sunt fructus futuri sæculi. Saltat denique luxuria, et damnatur innocentia, sed ab hominibus damnatur, a Deo omnipotente coronatur.

II. Nemo ergo dicat: Non possum esse martyr, quia persecutio non est Christianis. Audi (4) quia Joannes martyrium tulit; at si verum consideres pro Christo mortuus est. Quomodo, inquis (5), pro Christo, qui non est interrogatus de Christo, nec coactus negare Christum. Audi ipsum Christum dicentem: « Ego sum via, » et veritas, et vita[1]. » Si Christus est veritas, pro Christu patitur quisquis pro veritate damnatur, et legitime coronatur. Nemo ergo se (6) excuset; omnia tempora patent martyribus. Nec aliquis dicat persecutionem non fieri Christianis. Sententia Pauli apostoli revocari (7) non potest, quia vera est. Christus per eum est locutus, non est mentitus. Ait enim: « Omnes qui pie volunt vivere » in Christo Jesu, persecutionem[2] patientur (8). » Omnes ait, neminem exclusit, neminem separavit. Si verum vis probare quod dixit, incipe pie vivere in Christo, et videbis verum esse quod dicit (9). Numquid quia persecutio a terrenis regibus conquievit (10), ideo diabolus non sævit. Ille hostis antiquus semper contra nos vigilat; non dormiamus; illecebras suggerit, insidias, cogitationes malas immittit, ut te (11) deteriori lapsu provocet; lucra ponit, damna minatur. Venitur (12) ad articulum ejus, et cum labore malum suggestionis respuitur, ut præsens mors libenter suscipiatur. Intelligite, fratres; si quis te cogat (13), verbi gratia nobilis quidam, et habens in potestate (14) sanguinem tuum, cogat te falsum dicere testimonium, et non tibi dicat: Nega Christum; quid putas eligeres (15)? Falsum, an mori pro vero? Et tamen nihil tibi aliud dicit persecutor quam: Nega Christum. Si enim Christus est veritas, ut jam disimus, profecto Christum negat, qui veritatem negat. Omnis autem negat verum, qui mendacium loquitur. Ipse qui dicit falsum testimonium, unde? quia timet? certe. Non est persecutio omnibus Christianis, quando pro veritate certatur (16)? Modo singuli probantur, et in causa sua unusquisque tentatur.

III. Quid (17) tibi autem, minans cædem (18), sitiens sanguinem, inflatus potestate, elatus ut fumus, quid tibi facturus (19) fuerat inimicus tuus, qui te ad perjurium et falsum testimonium compellebat, quid erat facturus? Respondit infirmitas: Occideret (20) me, inquit. Non te occideret. Prorsus ego scio, occideret. Si ita est, et ego respondeo (21): Tu, frater, animam (22) occidis, qui falsum testimonium dicis. Occideret autem ille, sed corpus tuum. Quid faceret animæ tuæ? Domus dejiceretur, coronaretur habitator. Ecce quod (23) tibi facturus fuerat inimicus tuus, si stetisses in veritate, et falsum testimonium non dixisses. Occideret utique, sed corpus, non animam. Audi Dominum tuum dantem sollicite securitatem: « Nolite, inquit, timere eos qui occidunt corpus, » et postea non habent quid faciant (24), sed eum timete » qui habet potestatem corpus et animam occidere et in » gehennam mittere. Ita dico vobis: Hunc timete[3]. » Hunc timuit Joannes, noluit tacere veritatem, et pertulit malorum (25) hominum iniquitatem. Meruit per impudicam mulierem regis odium, et pervenit ad martyrium.

IV. « Omnes enim qui (26) volunt in Christo pie vi» vere[4], » tali persecutione concutiuntur. Nam persecutionem patiuntur pro lucro sæculi, aut pro timore damni, aut pro vita præsenti, aut pro comminatione mortis, quia hoc sæculum (27) sine persecutione non est. Sed discernendum est, quis, pro quo (28) patiatur. Et erunt martyres veri, si pro veritate, quod est Christus, certetur (29), et legitima coronentur. Nam qui pro hoc sæculo, quod (30) in malo est, patitur persecutionem, supplicium temporale sustinere potest.

V. Ergo, fratres, hoc (31), didicimus in lectione præsenti pro veritate usque ad mortem dimicare, et falsum testimonium non dicere, non perjurare, tenere justitiam in periculis. Nam non est magnum tenere (32) justitiam in securitate, aut in deliciis. Semper existimemus vigilare adversum nos diabolum, tentatorem et persecutorem nostrum, et in nomine et in adjutorio Domini Dei nostri vigilemus ferventius contra illum, ne in aliquo nos per cupiditatem, qua (33) solet tentare, superet; quia quem non (34) vincit cupiditas et (35) timor, quæ sunt tela inimici? unde homines, qui (36) in hoc sæculo spem habent, variis laqueis implicantur, ita ut non prævaleant obtinere veritatem. Duas denique januas habet diabolus, per quas pulsat, ut intret: primo per cupiditatem, postea per timorem. Si ambas januas clausas apud fideles invenerit, transit. Et quæ est, inquis (37), cupiditas? Quid timor? Audi, quæ est, ut non cupias (38) quod præterit, et non timeas quod in tempore deficit et perit (39); et tunc demum nidum, ubi inimicus inhabitet (40), non inveniet; quia certamen nobis positum est usque in finem;

[1] Joan. xiv, 6. — [2] 2 Tim. iii, 12. — [3] Luc. xii, 5. — [4] 2 Tim. iii, 2.

(1) Cod. xi, male *addictus*. — (2) Ita cod. xi; cod. xxxvi, male *maritus ejus factus*. — (3) Cod. xi *non licet*. — (4) Ita cod. xi; cod. xxxvi minus bene *audis*. — (5) Ita cod. cxli; cod. xxxvi, *inquit*. — (6) Hanc vocem addit cod. cxli, quæ deest in cod. xxxvi. — (7) Ita cod. xi, pro *vocari*, quod male scriptum est in cod. xxxvi. — (8) Sic cod. cxli; cod. xxxvi *patiuntur*, qui et paulo post *omnis* habet pro *omnes*, quod legitur in cod. cxli. — (9) Ita cod. xxxvi; cod. autem xi *quod dico*. Cod. cxli *quæ dico*. — (10) Cod. cxli, *quievit*, et postea *ita* pro *ideo*. — (11) Hanc vocem addit cod. xi, quæ desideratur in cod. xxxvi. — (12) Sic cod. cxli; cod. autem xxxvi *venis*. — (13) Ibid.; id xxxvi, *cogit*. — (14) Ita cod. xi; cod. xxxvi *in potestatem*. — (15) Sic cod. xi; cod. cxli *quid putas? eligere*. Cod. xxxvi *quid putas? eligeres*, etc. — (16) Ita cod. xi; cod. xxxvi *certantur*. — (17) Sic cod. xxxvi; cod. xli *quod*. — (18) Cod. cxliii *cædere*. — (19) Hanc vocem addit cod. cxli, quæ deest in Cod. xxxvi. — (20) Sic cod. xxxvi; cod. xi *occiderit*. Deinde cod. cxli *inquis* pro *inquit*. — (21) Cod. cxli *respondebo*. — (22) Sic cod. xi; cod. xxxvi *tu te, frater, occidis*. Cod. cxli *tu, frater, occidis*. — (23) Ita cod. cxli; cod. xxxvi *quid*. — (24) Sic cod. xi; cod. cxli *quod faciant*; cod. xxxvi *quid faciunt*. — (25) Cod. cxli *malignorum*. — (26) Ita cod. xxxvi; cod. cxli *quicumque volunt*. — (27) Sic cod. xxxvi; cod. cxli *quia in hoc sæculo*. — (28) Ita cod. xi; cod. xxxvi male *quis pro qui*. — (29) Sic cod. xi; cod. xxxvi *certentur*. — (30) Ibid *qui*. — (31) Ita cod. xi; cod. xxxvi addit ante *hoc* conjunctionem *quoniam*, quæ redundat; deinde cod. cxli male *dicimus* pro *didicimus*. — (32) Cod. xi male *tenete*. — (33) Id. cxliii male *quam*. — (34) Ita legendum cum cod. cxli, addendo negationem *non*, quæ desideratur in cod. xxxvi, et ponendo interrogationis punctum. — (35) Cod. cxliii *nec*. — (36) Sic cod. xi, in quo deinde deest *hoc*. Cod. autem xxxvi habet vocem *hoc*, sed in eo *qui* desideratur. Cod. cxli habet *qui in hoc*. — (37) Sic cod. xxxvi; cod. cxli *inquit*. — (38) Cod. cxli male *inconcupias*. — (39) Sic cod. cxliii; cod. xxxvi male *perit*. — (40) Id. xxxvi; cod. xi *habitet*.

non solum nobis quidem (1), qui in superiori loco stamus vel sedemus, et ad ad vos loquimur, sed in omnibus membris Christi certamen positum est.

VI. Pro qua (2) re usque hodie in Numidia consuetudo est sic adjurare (3) servos Dei : Si vincas. Vides quia non sine causa pugnantis, talis conjuratio dicitur. Nam, et hic ubi loquimur apud Carthaginem, et omni provincia proconsulari et Bizacæna, sed et Tripoli, iste est sermo consuetudinis adjurare se invicem servos Dei : Per coronam tuam. Quam coronam nullus accipiet, nisi vicerit. Et ego vos adjuro per coronam vestram, ut contra diabolum toto corde pugnetis, et si simul vicerimus, simul et coronemur (4). Ut quid nobis dicitis : Per coronam vestram, et male agitis, male vivitis? Bene vivite, bene agite, et foris et intus bonam conversationem habete, et corona nostra vos eritis. Plebem Dei, quod estis vos, Apostolus instruebat, cum dicit : « Gaudium meum (5) » et corona mea, state in Domino[1]. » Quod si prosperitas temporum arriserit, state in Domino; quod si prosperitas temporum infremuerit (6), stabiles estote in Domino. Nolite ab illo cadere qui semper stat, et stans pugnantem expectat, et adjuvat vos, ut stando et pugnando vincatis, et tunc demum ad illum coronandi veniatis.

SERMO VII.

De Verbis Evangelii secundum Matthæum : *Egressus inde Jesus secessit in partes Tyri et Sidonis. Et ecce mulier Chananæa a finibus illis egressa, clamavit illi dicens ei : Miserere mei, Domine, Fili David ; filia mea male a dæmonio vexatur,* etc. Matth. xv, 22-28.

Sermo iste prodit ex Bibl. Laur., Plut. xvii, *cod.* xlii, *fol.* 153. *Codex est sæculi undecimi, et sancti Augustini profert nomen. Nihil in eo inveni quod huic titulo obstare videatur. Vide August. serm.* lxxvii, *n.* 9 *et seqq. Locus ejus post sermonem Maurinensem* lxxvii.

SYNOPSIS.

I. Judæorum error et duritia. II. Chananææ fides. III. Ejus precationis ad Christum explicatio. IV. Christi responsum exaudientis eam, et conclusio.

I. Domini et Salvatoris nostri benignitas æquabiliter omnibus iter salutis ostendit, nec aliquem vult esse segregatum, dum cunctos ad se venire hortatur, et perditos revocat semper. Usque adeo eos duritia mentis invasit, ut hunc sequi nolint qui illos revocare cupiebat errantes, quorum causa descenderat (7) ne perirent. Adhuc, popule Judææ, pro te dominicæ inquisitionis sollicitudo pervigilat, et Dominum tuum non vis quærere, dum quæraris. Vere perditi, qui adhuc se perisse non sentiunt. Grandis confusionis eum hebetudo (8) circumdat, qui proprium non agnoscit errorem, et dum revocatur, spernit. Quid tibi amplius facere potuit, nisi ut ad (9) te perditum ipse veniret. Ipse enim intelligebat cordis tui profundam indomabilemque perfidiam, nec alterum misit, ne forte dubitares. Ipse venit, et non credis; perisse te clamitas, et non reverteris. Videte ergo quam larga est misericordia Salvatoris. Quid enim virtus divina laborabat, nisi hoc solum possit acquirere, ne dispersus populus penitus deperiret? Volebat enim eum (10) reparare; dum eum monitis ad se non posset adducere, rebus cœpit et mirabilibus revocare. Nec hac tamen ratione flectuntur. Dicunt enim : « Samaritanus est, et » dæmonium habet[2]. » Grandis patientia miserationis divinæ; injuriam patitur, et non movetur. Vere animum liberatoris ostendit. Non tibi sufficit, multitudo vesana, quod Dominum tuum non vis agnoscere, nec hoc beneficii loco ponis, ingrate? Vere scriptum est : « Gens prava » et perversa, hæc Domino reddidistis[3]. » Quid tam pravum? quid tam perversum? iter suum perdidit; Deum deseruit; qui dabat remedium, recusavit.

II. Prætereundus est ergo iste populus qui perdurat in æterna perfidia. Habemus alteram partem quæ magis debeat prædicari. Inducenda est ergo mulier Chananæa quæ ritum barbaricæ feritatis emolliens, confitetur vera. Quam feritas genuina possederat, dicit ei : « Miserere mei, fili » David[4]. » Confitetur, quoniam alia ratione (11) filiam suam non posse purgari credebat. Quem gens barbara David filium confitetur, populus non credebat, nec aliud credula mulier postulabat, nisi ut verbum Salvatoris audiret. Hoc enim solo filiam suam judicabat posse sanari. Ait enim mulier : Nec aliter filia mea sanitatem poterit invenire, nisi vocis tuæ potuero impetrare responsum. Cui nihil Jesus dicendo respondit, nec tamen fidem credentis sprevit. Volebat, ut multiplicaretur credulitas mulieris. Post longum silentium, hæc verba Jesus reseravit, dicens : « Non est bonum accipere panem filiorum, et » mittere canibus[5]. » Israël populum filios esse respondit; adhuc enim apud Deum filiorum nomen, quod hæserat, permanebat, licet in illos tanta periisset affectio. Nomen perdidit filii, dum patrem contemnit agnoscere. Nescitis vos, infelices populi, hoc sermone jugulari. Patrem respuis, filium dum vocaris. Panes suos negavit canibus esse mittendos. Quod si filii nomen amiseris, canes incipient te esse meliores. Vide misericordiam Domini; fidem tibi servat. Nec canes te vincant. Canem mulierem Dominus nuncupavit; tamen nec satis eam præsens hic sermo laceravit. Non enim omnium canum una conditio (12) in ipsa quidem natura est, sed aliquanta discretio, ita ut mansueti et sapientis generis natura laudetur, quæ agnoscat Dominum suum, nec ab ejus vestigiis aliquando discedat, quæ si se diligi senserit, limen domini pervigili observatione custodit, quam (13) non fames effugat, non cædes expellit. Semper dominum suum quasi quæstuosus latratus inquirit; habet obsequium suum; licet voce explicari non possit, tamen corporis communione distinguitur (14). Ait enim : « Miserere mei, » quam canem Dominus nuncupavit.

III. Ait mulier : Quare sic me divina voce castigas? Solent et canes de dominorum reliquiis gratulari; nam et de mensis solent fragmenta cadere, quæ canum fames subter speculando suscipiat. Canis mihi nomen imponis; non quæro panem filiorum tuorum, sed tantum misericordiæ tuæ verba desidero; nec me rabidus ardor invasit, ut in Deum meum dentium venena convertam. Canis sum, fateor; latratum meum jam frequenti debes insinuatione suscipere; latro, et non audior, nec mihi sæva rabies mentis intelligentiam abstersit; non quæro, sicut

[1] Philip. iv, 1. — [2] Joan. viii, 48. — [3] Deut. xxxii, 5. — [4] Matth. xv, 22. — [5] Matth. xv, 26.

(1) Sic cod. cxli; cod. ii tollit vocem *quidem*, et cum eo cod. xxxvi vocem etiam *nobis*. — (2) Sic cod. cxli; cod. xxxvi male addit *de re*. — (3) Sic cod. xxxvi; cod. autem ii et cxli *adjurare*, quod et pariter legitur infra. — (4) Cod. ii *coronabimur*; cod. cxli *coronamur*. — (5) Deest *meum* in cod. ii. — (6) Cod. ii *fremuerit*. — (7) Id. male *descenderunt*. — (8) Id. bis *eum*, et deinde *ebitudo*. — (9) Id. male *a te*. — (10) Id. *eos*. — (11) Textus evidenter mendosus, ubi absque sensu legitur, *quoniam oratione*, etc. — (12) Cod. *conditione*. — (13) Id. male *quæ*. — (14) Id. *distinguit*.

tu dixisti, panem filiorum tuorum. Vox enim Prophetæ recurrit dicentis : « *Filios genui, et exaltavi ; ipsi autem » me spreverunt*[1]. » Si talia redduntur obsequia, si sic habetur Dominus, ut post tanta beneficia contemnatur, ne talia sit arrogantia filiorum, qui patria disperdant imperium. Ait mulier : Quamdiu volueris, Domine, canem me dicas ; latratus mei impudentiam sustinebis, famem meam vocis satietate complebis ; et si me contemnas, quam naturam fecit esse dejectam, ab eo tamen qui non concipiat displicere, desiderii tui ardore conflagro. Vestigia tua, etiamsi abjeceris, non relinquam. Alio iterum sermone vocitabo te dominum totius naturæ ; proclamabo divinitatem tuam ; et si voce explicare non possum, tamen tota mente confiteor, adoro, veneror, et deposco. Tua pietas est, quod inquieta persisto tui beneficii, quod latrare non desino. Unum tantum sermonem requiro ; hoc enim solo desiderii mei poterit ardor extingui. Peto et cum fiducia summa deposco ; filia enim mea laborat. In tantum enim mihi tua est divinitas comprobata, ut credam quod quam variis artibus sanari non potui, tua solum voce accipiat sanitatem. Exemplum enim tuæ pietatis hortatur, et importunam me esse compellit. Memor sum enim te dicente : « Petite, et dabitur vobis[2]. » Quis enim ad (1) te, post hæc promissa, non currat ? Quis præmia promissa non poscat ? Peto ergo ; præsta quod deprecor.

IV. Tali ergo Dominus et Salvator noster prece commotus, postquam fidem precantis mulieris agnovit, hoc solum mulieri credenti respondit : « O mulier, magna » est fides tua ; fiat tibi secundum fidem tuam[3]. » Non dixit Dominus : Dabo, quod postulas ; in ejus enim collocavit arbitrio ; et accepit totum quod fideliter postulavit. Nos ergo, fratres, ita fide credamus, ut omnia quæ poscimus similiter impetrare mereamur.

SERMO VIII.

De Verbis Evangelii secundum Matthæum : *In illa die accesserunt ad Jesum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem*, etc. Matth. XXII, 23, etc.

Legitur hic sermo in Cod. Cass. CIX, *fol.* 179, *cum nomine sancti Augustini episcopi, a cujus doctrina non dissentit. Videtur tamen esse fragmentum, ut ex finis brevitate constat. Ponatur post sermonem Maurinensem* XC.

SYNOPSIS.

I. Sadducæi negantes resurrectionem confutantur. II. Confutatur et Pharisæorum ignorantia.

I. Sadducæi extra fidem resurrectionis sunt, et quia eam Dominus prædicabat, calumniam divinis rebus ex objiciendi (2) voluntate proponunt, ut septem videlicet fratrum eamdem conjugem habentium, cujusnam eorum in resurrectione futura esset, respondeat (3) : atque ita publica opinio accepit, de resurrectionis conditionibus nihil Scripturis prophetalibus contineri ; sed Dominus ait : « Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem » Dei[4]. » Ergo scriptum est, et cessare debet (4) ambiguitas, quam auctoritas sancta condemnat. Hanc enim eamdem calumniam afferre plures solent, in qua forma mulieres resurgant, et an rursus cum ipsis naturæ suæ et corporis officiis reformentur. Nos quidem temere locum hunc a cunctis ferme præteritum contigimus, sed admoneamus tantum Domino fuisse propositum, cujus uxor sit deputanda de septem ; eum autem objurgasse cur errent, nescientes Scripturas. Deinque virtutem, quia « Non nubent, » neque nubentur[5]. » Et quidem sufficeret adversus Pharisæos ita sentientes corporeas illecebras recidisse, et officiis cessantibus, inania hæc corporum gaudia abstulisse. Et adjecit : « Erunt similes Angelis Dei[6]. » Quia igitur Angelis Dei similes sacramentum Scripturarum et divinæ virtutis potestas futuras esse demonstrat ; qualis in Scripturis auctoritas est de Angelis opinandi, talem in resurrectione spei nostræ sensum oportet esse de fœminis. Et hæc quidem de resurrectionis conditionibus propositæ reddit quæstioni. De ipsa vero resurrectione adversus infidelitatem eorum, ita locutus est : « Non legistis quod dictum est » vobis a Deo dicente : Ego sum Deus Abraham, et Deus » Isaac, et Deus Jacob ; non est Deus mortuorum, sed » viventium[7]. » Sermo enim hic ad Moysen de sanctis istis Patriarchis jam pridem quiescentibus, extiterat, quorum erat Deus. Si autem illi non sunt, nihil poterant habere, quia in natura rei est, ut esse id necesse sit, cujus sit alterum ; atque ita Deum habere, viventium est, cum Deus æternitatis sit, et non sit (5), quæ mortuæ sunt, habere id quod æternum est. Et quomodo esse illi semper viventes negabuntur, quorum esse prophetatur æternitas ?

II. « Pharisæi autem audientes quod silentium impo» suisset Sadducæis, congregati sunt adversus eum[8]. » Ex his legis doctoribus, succedunt Sadducæis tentantibus Pharisæi, et illis quidem congruenter fuerat de resurrectione responsum, ut in lege ipsa, ex qua erant profecti (6), contineri sperandæ resurrectionis fidem convincerentur. Pharisæi vero habere scientiam legis gloriabantur, quæ et futurorum specie prælatam imaginem consecuturæ veritatis continebat. Quærunt autem quod mandatum potissimum esset in lege, continentes meditationem legis fuisse in Christo perfectam. Et quidem insolentium ignorantiæ legis ipsius verbis responsum est, quæ responsio omnem in se veritatis complexa est doctrinam. Proprium enim Domini nostri Jesu Christi officium est, cognitionem Dei afferre, et intelligentiam nominis ejus potestatisque præstare. Missus enim venerat ; ex æternitate deductus iis quæ erant Deo placita perfungebatur...

SERMO IX.

De Verbis Domini : *Cum videritis abominationem*, etc. Matth. XXIV, 19.

Hic sermo qui assumitur ex Bibl. Laur. plut. XVII, *cod.* XL, *fol.* 17, *in pluribus concordat cum num.* 28 *Enarrationis in Psalm.* XXXIX. *Hinc primo visus fuerat expungendus ; sed utrumque attentius legenti talia apparuere discrimina, et quidem maximi momenti, ut stampis mandandus videretur : 1° ut demonstraretur textus Benedictinorum non semper esse sine gravissimis mendis ; 2° ut confutaretur una ex præcipuis objectionibus eorum qui nostrum volumen primum impugnarunt, et qui contenderunt vocem imprægnare arguere recentiorem ætatem, quamvis in hoc sermone, sicut et in Benedictinorum editione sæpe sæpius replicetur. Quæ desunt in editis, fuerunt italicis distincta. Hunc ponas post sermonem Mau-*

[1] Isai. I, 2. — [2] Matth. VII, 7. — [3] Id. XV, 28. — [4] Id. XXII, 29. — [5] Ibid. 30. — [6] Ibid. — [7] Ibid. 31, 32. — [8] Ibid. 34.

(1) Cod. male *a te*. — (2) Id. male *efficiendi*. — (3) Vide August. contra Faust. Lib. 12, n. 31, et Serm. CCCXXII, n. 18. — (4) Cod. *debeat*. — (5) Videtur deesse *earum*. — (6) Cod. *perfecti*.

rinensem xeu, si velis supponere sanctum doctorem bis de eodem textu verba fecisse, vel linquas in suo loco, si malueris.

SYNOPSIS.

I. Tribulationum necessitas. II. Anima fit prægnans cupiditate; quod exemplo explicatur. III. Talibus timenda judicii pœna. IV. Exhortatio ad bene vivendum. V. Deus in promissionibus fidelis est.

I. *Discere et intelligere debemus, fratres charissimi, quia Christiano* (1), *dum in hoc corpore vivit, tribulatio deesse non poterit; sic enim nos, sicut audistis, contestatur Apostolus dicens: « Omnes qui pie volunt » vivere in Christo, persecutionem patiuntur*[1]. » *Et iterum: « Per multas tribulationes oportet nos intrare » in regnum cœlorum*[2]. » Venturi sunt dies (2) tribulationis, et malarum (3) tribulationum; venturi sunt, sicut dicit Scriptura; et quantum accedunt dies, augentur tribulationes. Nemo sibi promittat, quod Evangelium non promittit (4). *Quomodo enim, appropinquante fine mundi, sicut dicit Evangelium: « Abundavit iniquitas, refrigescit charitas*[3], » *sic propter iniquitates nunquam deerit adversitas. Opus est, ut animam nostrum non solum ad pœnitentiam præparemus*... (5). Fratres mei, obsecro vos, attendite Scripturas sanctas (6); si aliquid dixerunt, necesse est et usque in finem sic fiat, quemadmodum dixerunt (7). Non vobis promittunt Scripturæ, nostro (8) in hoc sæculo, nisi tribulationes, pressuras, angustias, augmenta dolorum, abundantiam tentationum, *sicut et ipse Dominus in Evangelio dicit: « In mundo pressuram habebitis*[4]. » *Et iterum: « Mundus gaudebit, et vos tristes eritis, sed tristitia » vestra vertetur in gaudium*[5]. »

II. Ad ista præcipue nos paremus, ne imparati deficiamus. *De ipsis enim tribulationibus, cum Evangelium legeretur, audistis:* « Væ prægnantibus et (9) nutrientibus[6]. » Prægnantes sunt, qui in (10) spe intumescunt, nutrientes autem, id est, lactantes, qui jam adepti sunt quod concupierant. Etenim mulier prægnans in spe tumet filii, nondum videt filium: quæ autem jam lactat, amplectitur quod sperabat. *Prægnans est qui res alienas concupiscit; nutriens est qui jam rapuit quod concupierat. Et ut hoc apertius etiam simplices intelligere possint, aliquam similitudinem proponamus. Concupiscit aliquis villam alienam, et dicit* (11): Bona est ista villa vicini mei; o si mea esset! o si (12) adjungerem illam, et facerem de istu fundu et de illo unitatem! Amat et avaritia unitatem; quod amat bonum est, sed uti (13) amandum sit, nescit. Forte dives est vicinus ille, qui habet villam bonam, et suspicatur quod illam non possit tollere, quia potens est homo, et prævalet se contra illum defendere; nec concupiscit, nec imprægnatur; nihil sperans, non concupiscit (14); non est prægnans animo (15). Si vero juxta, aliquis vicinus sit pauper, qui vel in necessitate positus est, ut possit vendere, vel potest opprimi (16), ut cogatur vendere, injicitur oculus; sperat se posse tollere aut villam (17), aut coloniam vicini pauperis (18), *et mittit illi aliquas tribulationes, verbi gratia agit secretius apud eos qui possunt, ut illum exactores (aut)* (19) *afflictum in aliqua publica administratione constringant, ex quibus contractis debitis multis, necesse habeat infelix vendere casellam, unde aut ipse aut filii sui sustentabantur. Necessitate ergo compulsus venit ad illum per cujus malitiam* (20) *premitur et affligitur, et nesciens quod ipsius immissione hoc patitur, dicit ad eum* (21): Da mihi, domine (22) *paucos solidos;* patior necessitatem; urgeor a creditore. Et ille: Non habeo modo in manibus (23). *Ideo se dicit in manibus non habere, ut ille, oppressus calumnia, necesse habeat vendere. Denique cum ei dixerit* (24) *quod pro nimia afflictione sua compellatur distrahere, statim ille respondit: Etsi non habeo propriam pecaniam, undecumque studeo mutuare, ut tibi amico meo subveniam; et si ita necesse est, etiam argentum meum distraho, ne tu injuriam patiaris. Quando beneficium petebat, professus est penitus non habere; at ubi dicit quod possessionem suam venderet, quasi amico subvenire se dixit. Et cum eum ad hanc necessitatem adduxerit, dicit illi, ut venditionem facere debeat, et casellæ* (25), *pro qua prius verbi gratia forte centum solidos offerebat, ut eum opprimi videt* (26), *nec medietatem pretii dare acquiescit.*

III. *Istis enim talibus, sicut supra jam dictum est, Evangelista proclamat: « Væ prægnantibus et » nutrientibus; » istis enim væ erit in die judicii, et ab auditu malo non poterunt liberari, sed audituri sunt: « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, » qui paratus est diabolo et angelis ejus; quia* (27) *» esurivi et non dedistis mihi manducare; sitivi et non » dedistis mihi bibere*[7]. » *Hoc loco attendat Charitas vestra diligenter: si in ignem mittitur qui non dedit rem propriam, putas, ubi mittendus est, qui invasit alienam? Si cum diabolo ardere habet, qui nudum non vestivit, putas, ubi arsurus est qui expoliavit? Et ideo quotiescumque vobis evangelica lectio recitata fuerit, in qua dicit: « Væ prægnantibus et nutrien» tibus in illis diebus*[8], » *non hoc de mulieribus legitimos viros habentibus credite. Quid enim mali fecit mulier, quæ de proprio marito concepit? Quare illi in die judicii male erit, quæ hoc fecit quod Deus jussit? Non ergo de mulieribus quæ juste concipiunt et pariunt, hoc credendum est, sed de illis, quos supra diximus, qui injuste concipiendo rem alienam, imprægnati esse videntur. De quibus scriptum esse legimus: « Concepit dolorem et peperit iniquitatem*[9]. » *Omnis enim concipit, nec ullus potest esse sine conceptu; sed alii concipiunt de Christo, alii de diabolo. Sicut enim de illis, qui a diabolo concipiunt, dicitur: « Concepit dolorem et peperit iniquitatem, » ita et de*

[1] 2 Tim. iii, 12. — [2] Act. xiv, 21. — [3] Matth. xxiv, 12. — [4] Joan. xvi, 33. — [5] Ibid. 20. — [6] Matth. xxiv, 19. — [7] Id. xxv, 41, 42. — [8] Id. xxiv, 19. — [9] Psal. vii, 15.

(1) Cod. male *Christianus.* — (2) Edit. *venient*; et sic postea. — (3) Id. *majorum.* — (4) Id. male *promittunt.* — (5) Desunt quædam. — (6) Edit. *nostras.* — (7) Id. *si aliquid fefellerunt, si aliquid dixerunt, et aliter accidit quam dixerunt: necesse est,* etc. — (8) Id. *Scripturæ nostræ, in hoc sæculo.* — (9) Id. *mammantibus*, et sic deinde. Postea addunt *modo audistis; prægnantes,* etc. — (10) Deest in Edit. *in.* — (11) Hæc quæ desunt in Edit., videntur necessaria ad sententiæ integritatem. Hi solum habent: *Ergo similitudinem verbi gratia ponamus: Bona,* etc. — (12) Hæc duo verba non leguntur in Edit., sed habentur in variantibus ad calcem ... Benedictinorum. — (13) Edit. male *ubi.* — (14) Id. *Ecce concupiscit villam proximi; sed iste proximus dives est, non indigens; habens honorem, habens etiam potentiam a cujus forte etiam potentia sibi metuendum sit, non de illius fundo aliquid sperandum; nihil sperans, non concupit,* etc. — (15) Id. *animo.* — (16) Id. *premi potest.* — (17) Id. *speratur villa.* — (18) Id. *adipisci villulam aut possessionem vicini,* etc. — (19) Vox *aut* videtur abundare. — (20) Cod. male *notitiam.* — (21) Edit. horum loco habent: *Et cum patitur iste pauper necessitatem, venit ad ditiorem vicinum suum, cui forte obsequi solet, cui deferre, cui venienti assurgere, quem inclinato capite salutare: Da mihi,* etc. — (22) Id. *rogo te*, et deinde non habent hæc verba *paucos solidos.* — (23) Ibi sic finiunt ex abrupto per hæc verba: *Si velles vendere, haberet*; et nullam inde deducunt consequentiam; unde arguitur evidens lacuna, quæ in nostro cod. partim suppletur. Variantes ad calcem edit. Benedictinæ legunt: *Velit nolit, vendere habet*; sed non melior sequela. — (24) Cod. male *dixerat.* — (25) Id. *casellam.* — (26) Id. male *vide.* — (27) Id. male *qui.*

illis, qui a Spiritu sancto concipiunt, scriptum est: « A timore tuo in utero concepimus et peperimus Spi- » ritum salutis tuæ[1]. »

IV. *Hæc enim quæ diximus, fratres charissimi, qui diligenter attendit supradicta mala aut fuisse in se, aut forsitan adhuc esse cognoscit, cito corrigat; non enim nocent mala præterita, si non placent; adhuc enim pœnitendi est* (1) et corrigendi locus; nondum facta est illa disjunctio aliorum ad sinistram, aliorum ad dexteram (2); nondum ad (3) inferos sumus, ubi est (4) dives ille sitiens et stillam desiderans. Audiamus, dum vivimus, corrigamur. Non concupiscamus (5) res alienas, et imprægnati non tumeamus, nec velimus pervenire (6) ad illas, et eos adipiscendo tanquam filios osculemur. *Quando enim concupiscit aliquis rem alienam, sicut jam dictum est, anima sua quasi concepisse videtur; si vero quod concupiscit, per aliquam calliditatem aut nequitiam potuerit obtinere, quasi natum filium osculari ac mittere* (7) *cognoscitur. Ergo non sic amemus ista terrena, fratres, ut perdamus cœlestia* (8). Mutandum est cor; non hic habitemus jam corde (9); mala regio est amor mundi (10); sufficiat quod hic in carne esse videamur. Audiamus Apostolum dicentem: « Si resurrexistis cum Christo (11), quæ » sursum sunt quærite, non quæ super terram[2]. » Non apparet, quod nobis (12) promissum est; jam enim paratum est, sed non videtur (13). Concupiscendo imprægnari vis; hinc et imprægnare; *concupisce vitam æternam, ad quam vitam te invitat Deus;* ipsa sit spes tua; certus erit partus tuus; non erit abortus (14); non temporaliter amplecteris, quod pepereris, sed in æternum possidebitur (15). *Quod enim promissum est, sine dubio dandum est; sed adhuc* retro est (16); non dabitur (17) modo, sed dabitur postea.

V. *Videte* quanta *jam* dicta (18) sunt, fratres; quis illa vel numerare prævalet (19)? *De omnibus enim rebus, quæ nobis in Scripturis divinis promissa sunt, una tantummodo remansit; Deus enim qui vobis in tantis rebus verum dixit, unus* (20) *non fallit.* Scriptum est de Ecclesia, et videtur, quia est; scriptum est de idolis, quia non erunt, et videtur, quia non sunt. Scriptum est quia perdituri erant (21) Judæi regnum, et videtur (22); scriptum est de die judicii; scriptum est et de præmiis sanctorum (23), et de pœna malorum (24). *Nemo se circumveniat, fratres; quomodo illa omnia venerunt, quæ promissa sunt, et dies judicii, et malorum pœna, et justorum præmia, sine ulla dubitatione ventura sunt. Et ideo unusquisque nostrûm dum licet, et cum Dei adjutorio in potestate nostra consistit, et peccata vitare, et* (25) *quod bonum est exercere contendat; ut cum ille dies terribilis et metuendus advenerit, non cum impiis et peccatoribus perenni incendio concremetur, sed cum justis et Deum timentibus, pervenire ad æternum præmium mereatur; quod ipse præstare dignetur cui est honor et imperium in secula sæculorum. Amen* (26).

SERMO X.

De Verbis Evangelii secundum Matthæum: *Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit in sede majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes*, etc. Matth. XXV, 31, 32.

***Prodit his sermo ex pluribus erutus codicibus, nempe 1° ex Bibl. Laur., Plut.* XVII, *cod.* XXXVI, *fol. 67 b; 2° ex ejusdem Bibl. eodem Plut., cod.* XXXVIII, *fol. 136; 3° ex eodem Plut., cod.* XL, *fol. 137; 4° ex eodem Plut. cod.* XLII, *fol. 141; 5° denique ex Bibl. Ædil. cod.* CXLII, *fol. 44. Legitur ubique cum nomine sancti Augustini, cui nullatenus repugnat sive quoad doctrinam, sive quoad stylum. Locus ejus post sermonem Maurinensem* XCIV.**

SYNOPSIS.

I. Eleemosynæ præceptum ex verbis judicii deductum. II. Eleemosyna facienda ad promerendum cœlum. III. Bonum fœnus eleemosyna.

I. AUDIVIMUS, fratres charissimi, cum sanctum (27) Evangelium legeretur, terribilem simul et desiderabilem vocem, metuendam pariter et desiderandam Domini nostri sententiam. Terribilis enim est propter illud quod dixit: « Discedite a me, maledicti in ignem æternum[3]; » desiderabilis propter illud quod ait: « Venite, benedicti » Patris mei, percipite regnum[4]. » Quis enim, audita hac voce, non contremiscat et gaudeat? Gaudeat quidem, quia Christus Christianis servis suis dignatur promittere regnum; contremiscat, quia peccatoribus ignem minatur æternum. Rogo vos, fratres, ut lectionem istam attento corde, et sensu semper vigilantissimo audiatis, et quia nec laboriosa est ad parandum (28), semper illam memoriter teneatis, et virtutem illius assidue cogitetis. Qui enim istam lectionem diligenter attendit, etiamsi reliquas Scripturas legere non potuerit, ad omne opus bonum faciendum, et ad omne malum fugiendum ista lectio potest sola sufficere. Attendite ergo, fratres, et videte quid sit quod Dominus illis, qui ad dexteram futuri sunt, se

[1] Isai. XXVI, 18. — [2] Colos. III, 1. — [3] Matth. XXV, 41. — [4] Ibid. 34.

(1) Horum omnium loco solummodo legitur in Edit. sine connexione cum præcedentibus: *Agnoscamus hoc; fuerunt in nobis, jam non sint in nobis. Nunquid hesterno viximus, et hodie venimus? est corrigendi*, etc. — (2) Edit. ponunt *dexteram* ante *sinistram*. — (3) Id. *apud*. — (4) Id. male *fuit*. — (5) Id. *speremus*, minus bene. — (6) Id. male *perveniamus*. — (7) Forte *premere*. — (8) Horum loco habent solummodo Edit.: *Væ enim prægnantibus et mammantibus illis diebus. Mutandum est cor; levandum est cor; non hic*, etc. — (9) Edit. *habitandum corde*. — (10) Desunt in Edit. hæc verba *amor mundi*. Deinde habent: *Sufficiat quod adhuc in carne hic eis necesse est; quod non est necesse, non fiat; sufficiat diei malitia sua; sursum corda habitemus. Si resurrexistis*, etc. — (11) Id. addunt: *Dicit fidelibus, corpus et sanguinem Domini accipientibus dicit*, et deinde totus textus refertur usque ad finem versus tertii. — (12) Edit. *vobis*. — (13) Id. *non videtis*. Deinde deest vox *concupiscendo*, et particula *et*. — (14) Id. *abortivus*. — (15) Id. *non temporalis; amplecteris quod pepereris in æternum*. — (16) Id. horum loco habent sine sensu, ita ut Benedictini cum annotatione vocem aliquam supponere coacti fuerint: *Sic enim per Isaiam dicitur: Concepimus et parturivimus spiritum salutis. Ergo retro est, et non datur modo, sed dabitur*; ubi videndum est textum Isaiæ non esse in loco suo positum, et consequentiam esse falsam *ergo retro est*. Unde Benedictini in nota: « *Forte paratum*. » Omnia autem quadrant et optime connectuntur in nostra versione. — (17) Cod. male *dabitur*. — (18) Edit. *data*. — (19) Id. *quis illam numerat secundum Scripturas?* — (20) Cod. *una*. — (21) Id. male *erant*. — (22) Edit. addunt: *Ibi scriptum est de hæreticis, quia futuri erant, et videtur; ibi*, etc. — (23) Id. *de præmio bonorum*. — (24) Cætera penitus differunt. — (25) *Et* deest in Cod., sed sensus requirit. — (26) Ex ejus lectione sermonis mihi clare videtur, vel sanctum Augustinum duabus vicibus de eadem re cum aliquo discrimine disseruisse, quod probabilissimum est ipsi sæpius evenisse, aut duos notarios, plus vel minus peritos, eumdem sermonem cum varantibus quibusdam excepisse, dum loqueretur; unde unus facile potest ex altero corrigi et emendari. — (27) Hæc vox deest in cod. XXXVIII; codex habet *dilectissimi*, loco vocis *charissimi*. — (28) Cod. XXXI *ad portandum*; ambo alii cod. *ad parandum*.

dicturum esse promisit : » Venite, inquit, benedicti (1), » percipite regnum, quia esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere[1], » et cætera quæ sequuntur. His vero qui ad sinistram erunt dicturus erit : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, » qui paratus est diabolo et angelis ejus. Esurivi enim et » non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis » mihi bibere[2]. » Attendite ergo, fratres dilectissimi, et videte quia non dixit : Discedite a me, maledicti, quia furtum fecistis, quia falsum testimonium dixistis, quia homicidium aut adulterium commisistis; non hoc dixit, sed ait, quia « Esurivi, et non dedistis mihi manducare. » Non dixit : Discedite a me, quia res alienas tulistis, sed quia de substantia vestra pauperibus non dedistis; non quia mala opera fecistis, sed quia bona (2) facere noluistis. Ac sic et illos qui ad dexteram futuri sunt sola misericordia liberavit (3), et illos qui ad sinistram sola avaritia condemnavit. Non enim dixit ad dexteram positis: Venite, benedicti, percipite regnum, quia peccatores non fuistis, sed quia peccata vestra eleemosynis redemistis. Sicut et illis ad sinistram non dixit : Discedite a me, maledicti (4), quia peccastis, sed quia peccata vestra eleemosynis redimere noluistis. Sine peccato nullus hominum esse potest, sed tamen peccata sua redimere eleemosynis omnis homo, auxiliante Domino, potest. In ista enim sententia Domini, qua dixit, quia (5) illi qui esurientem non paverunt (6), mittentur in ignem æternum, possumus evidenter agnoscere, fratres, quali tormento, vel quali pœna damnandi sunt, qui mala faciunt, quando illi in ignem æternum mittuntur qui bona non faciunt. Si enim cum diabolo condemnatur, qui pauperibus non dedit panem suum, putas, ubi damnandus est ille (7) qui tulit alienum? Si in ignem mittetur qui nudum non vestivit, putas, ubi mittendus est ille qui expoliavit? Si in ignem æternum damnatur qui peregrinum non excepit in domum suam (8), putas, ubi damnandus est qui tulit domum alienam?

II. Hæc ergo cogitantes fideliter, fratres charissimi (9), quantum possumus, bona opera facere studeamus, et secundum vires nostras de paupertate nostra peregrinis et pauperibus erogemus, ut et peccata quæ fecimus redimamus, et de ipsis bonis operibus æterna nobis præmia præparemus. Audiamus Dominum dicentem : » Beati » misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequen» tur[3]. » Audistis enim veram Domini nostri (10) sententiam, per quam nobis regna cœlorum promittit, si (11) eleemosynas facimus, si esurientes pascimus, si sitientes potamus, nudos secundum vires nostras vestimus, peregrinos excipimus; hæc omnia, si fideliter agimus, securi ante tribunal æterni judicis (12) veniemus, et tunc « In » memoria æterna justi erimus, et ab auditu (13) malo » non timebimus[4]. » Quid est auditus malus (14)? Ille, quem a nobis Dominus dignetur avertere. Hic erit auditus malus, quem ad sinistram positi audituri sunt impii: » Discedite a me, maledicti, in ignem æternum[5]. » Tenete ergo vos ad eleemosynam vel misericordiam, quia « Eleemosyna a morte liberat, et operarium suum non per» mittit ire in tenebras[6]. » Unusquisque ergo pro viribus suis, quantum prævalet, porrigat pauperi manum suam. Qui habet aurum, det aurum; qui habet argentum, argentum tribuat; qui vero non habet pecuniam, cum bono animo porrigat peregrino buccellam. Et (15) si non habet integram, ex eo quod habet frangat, et tribuat. Talem enim Dominus per Prophetam dignatus est pauperibus consolationem vel securitatem impendere, ut non diceret : Da esurienti totum panem tuum; sed : » Frange » esurienti panem tuum[7]; » ut si non habes integrum, vel particulam aliquam largiaris. Et ut scias quidquid bono animo obtuleris quia sit acceptabile Deo, audi Dominum in Evangelio de vidua illa quæ duos nummos obtulit : » Amen dico vobis quia vidua hæc plus omnibus » misit, qui miserunt in gazophylacium (16), quia reliqui » qui divites erant ex eo quod illis abundabat, dederunt » aliquid; illa vero totum quod habuit obtulit[8]; » et ideo meruit, ut illam Dominus ore proprio collaudaret.

III. Faciat ergo unusquisque, quod prævalet, et excepto victu rationabili, et vestitu simplici, quidquid illi superfuerit lætus et hilaris det; quia dat parum, et accipit multum; porrigit nummum et comparat regnum; tribuit parvam pecuniam, et accipit vitam æternam; dat temporalia, et meretur (17) æterna; porrigit caduca, et accipit sine fine mansura (18). Ecce pro qua re hilares (19) et bono animo dare debemus. Si tibi homo fidelis diceret : Da mihi unum nummum æreum, et reddo tibi solidos aureos centum, numquid non cum gaudio dares unum, ut (20) acciperes centum (21)? Quanto magis quia tibi dicit Deus cœli et terræ : « Qui pauperi tribuit (22), » Deo fœnerat[9]; » et in Psalmo : « Jucundus homo qui » miseretur et (23) commodat[10]; » debes commodare Deo in terra, quod multipliciter accipias in vita æterna; ut cum in conspectu Angelorum ante tribunal æterni judicis veneris (24), secura et libera conscientia dicere possis : Da, Domine, quia dedi; miserere, quia misericordiam feci. Ego implevi, quod jussisti : tu redde, quod promisisti. Iterum atque iterum admoneo, fratres, ut semper istam evangelicam lectionem memoriter teneatis, et totis viribus cum Dei adjutorio laboretis, ut æternum ignem possitis evadere, et ad cœlorum regna feliciter pervenire; præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor, et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XI.

De Filio Prodigo, Luc. xv, 11 et seqq.

Sermo qui sequitur eductus est e Cod. Cass. CXII, *fol.* 65, *nomen, et stylum, et sententias sancti Augustini ita præ se fert, ut ejus auctor nulla ratione negari possit, præcipue si attendas ad quæstionum Evangeliorum lib.* II, *num.* XXXIII, *ubi idem argumentum eodem ingenio, sed non iisdem verbis tractatur. Ponatur ergo post sermonem Maurinensem* CXII.

SYNOPSIS.

I. Exordium ex antea promissis. II. Filii prodigi errores. III. Ejusdem miseria. IV. Redit ad cor suum. V. Redit et ad pa-

[1] Matth. xxv, 35. — [2] Ibid. 41, 42. — [3] Id. v, 7. — [4] Psal. cxi, 7. — [5] Matth. xxv, 41. — [6] Tob. iv, 11. — [7] Isai. LVIII, 7. — [8] Marc. xii, 43, 44. — [9] Prov. xix, 17. — [10] Psal. cxi, 5.

(1) Ita cod. xx; hæc vox deest in aliis cod. — (2) Cod. xx addit *opera*. — (3) Id. *liberabit*. *Condemnabit*. — (4) Ita cod. xx, quæ vox desideratur in aliis cod. — (5) Cod. xx *quod*. — (6) Sic cod. xx; cod. xxxvi *paverit*, deinde cod. xx *mittentur*, et *ostendere* pro *agnoscere*. — (7) Hæc vox deest in cod. xx. — (8) Cod. xxxviii *in domo sua*. — (9) Cod. xx *dilectissimi*. — (10) Vox *nostri* deest in cod. xxxviii. — (11) Id. cod. *sed si*. — (12) Cod. xx loco *æterni judicis* habet *Christi*. — (13) Id. xxxvi male *audito*. — (14) Omnes codd. male *auditum malum? illud quod*.. *hoc erit auditum malum quod*, etc. — (15) Cod. xx *ut et si*. — (16) Ita cod. xx, cui fere concordat cod. xxxviii: *Vidua hæc duos nummos obtulit, magis omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium*. Hæc ultima verba desunt in cod. xxxvi, qui habet *plus omnibus misit*, *magis omnibus misit*. — (17) Cod. xxxvi male *merentur*. — (18) Ita Cod. xx; cod. xxxvi male *mensura*. — (19) Cod. xx *hilari*. — (20) Ita cod. xx; cod. xxxvi *et*. — (21) Vide August. Serm. LXXXVI, n. 5. — (22) Ita cod. xx; cod. xxxvi *tribuat*. — (23) Cod. xx *et tribuit*. — (24) Ita cod. xx; cod. xxxvi *ante tribunal judicis venire merueris*.

trem qui eum videt da longinquo. VI. A patre suscipitur, qui et cadit super collum ejus. VII. Redduntur ei, patre jubente, stola prima, annulus, calceamenta servorum ministerio, occiditurque vitulus saginatus VIII. Irascens frater major, imago Judæorum. IX. Symphonia et chorus, figura unitatis. X. Ad vocem servorum frater major intrare recusat. XI. Venit pater invitans ad ingressum. XII. Fratris majoris querelæ, qui semper fidelis; nec hædum accepit. XIII. Patris mitis responsio, omnia sua ejus esse declarantis; quo sensu? XIV. Conclusio.

I. In rebus jam pertractatis immorari nos non oportet, sed sicut in eis non oportet immorari, sic eas oportet commemorari. Meminit vestra prudentia superiore Dominico die de duobus filiis, qui et hodierno ex Evangelio recitati sunt disserendum nos suscepisse sermonem, qui non potuit ad finem usque perduci. Sed Dominus Deus noster post illam tribulationem, voluit nos et hodie loqui vobiscum. Reddendum est debitum sermonis, semper tenendum est debitum dilectionis. Aderit Dominus ut humilitas nostra sufficiat expectationi vestræ.

II. Homo habens duos filios [1], Deus est habens duos populos: major filius, populus est Judæorum; minor, populus gentium. Substantia a Patre accepta, mens, intellectus, memoria, ingenium, et quidquid nobis Deus ad se intelligendum et colendum dedit. Hoc patrimonio accepto, filius minor in longinquam regionem profectus est; in longinquam, scilicet usque ad oblivionem Creatoris sui. Dissipavit substantiam suam, vivendo prodigé, erogans et non acquirens; expendens quod habebat, et non accipiens quod non habebat; id est, omne (1) ingenium suum consumens in luxuriis, in idolis, in omnibus cupiditatibus pravis, quas meretrices veritas appellavit.

III. Nec mirum, quod istam luxuriam fames secuta est. Erat autem egestas in illa regione; non egestas visibilis panis, sed egestas invisibilis veritatis. Ab egestate, irruit in quemdam principem regionis illius. Intelligitur iste princeps dæmoniorum diabolus, in qualem irruunt omnes curiosi. Omnis enim curiositas illicita, pestilens inopia est veritatis. Ille vero fame ingenii avulsus a Deo, in servitutem redactus est, et in pascendis porcis sortitus est officium, id est, cujus servitute solent gaudere dæmonia extrema et immunda. Neque enim frustra et Dominus in gregem porcorum permisit ire dæmonia; pascebatur autem de siliquis, de quibus ipse non satiabatur. Doctrinas sæculares siliquas intelligimus, sonantes, non saginantes, dignas cibis porcorum, non hominum, id est, unde dæmonia lætentur, non unde fideles justificentur.

IV. Tandem aliquando vidit ubi esset, quid perdidisset, quem offendisset, et in quem irruisset, et reversus est ad se; prius ad se, et sic ad patrem. Dixerat enim forte: « Cor meum dereliquit me [2]. » Unde oportebat ut prius ad se rediret, et sic se longe esse a patre cognosceret. Hoc quibusdam increpat Scriptura dicens: « Redite, » prævaricatores, ad cor [3]. » Reversus ad se, invenit se miserum: « Tribulationem, inquit, et dolorem inveni, » et nomen Domini invocavi [4]. Quanti, inquit, mercenarii patris mei abundant panibus! Ego autem fame » pereo [5]. » Unde hoc ei veniret in mentem, nisi quia jam prædicabatur nomen Dei, et erat panis apud quosdam, non bene quidem tenentes, et aliud quærentes, de quibus dicitur: « Amen dico vobis, receperunt mer» cedem suam [6]. » Tales enim mercenarii habendi sunt, non filii, quales Apostolus designat cum dicit: « Sive » per occasionem, sive per veritatem Christus annuntie» tur [7]. » Quosdam enim vult intelligi, qui sua quærendo mercenarii sunt, Christum annuntiando pane (2) abundant.

V. Surgit et redit, jacendo enim et cadendo remanserat. Videt eum pater de longinquo, et occurrit illi. Ejus enim vox est in Psalmo: « Tu cognovisti cogitatio» nes meas de longinquo [8]. » Quas cogitationes? Quibus apud seipsum dixit: « Dicam patri meo: Peccavi in cœ» lum et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus, » fac me sicut unum ex mercenariis tuis [9]. » Non enim jam dicebat, sed dicere cogitabat; ille tamen tanquam dicentem audiebat. Aliquando enim positus quisque in aliqua tribulatione et tentatione, cogitat orare, et in ipsa cogitatione, quid sit Deo dicturus in oratione meditatur, tanquam jure suo filius exigens misericordiam patris, et dicit apud se: Dicam Deo meo hoc et illud. Non enim vereor; cum hoc dixero, cum ita flevero, non me exauditurus est Deus meus? Hæc dicentem plerumque jam exaudit; neque enim quando ista cogitavit, abscondit cogitationem suam ab oculis Dei. Illo ibi erat cum disponeret orare, qui ibi futurus erat, cum inciperet orare. Ideo dicitur in alio Psalmo: « Dixi, proloquar » adversum me delictum meum Domino [10]. » Videte quemadmodum adhuc quid apud se dixerit, quid disposuerit; et statim subjecit: « Et tu remisisti impietatem cordis » mei [11]. » Quam proxima est Dei misericordia confitenti! Non enim longe est Deus a contritis corde. Sic enim habes scriptum: « Prope est Dominus eis qui obtriverunt » cor [12]. » Jam ergo iste obtriverat cor in regione egestatis; redierat enim ad cor, ut obtereret cor. Reliquerat cor superbus; redierat ad cor iratus. Iratus est sibi puniturus, sed suum malum; promeriturus patris bonum redierat. Dixit iratus secundum quod dicitur: « Irascimini, et no» lite peccare [13]. » Omnis enim pœnitens irascitur sibi; nam quia irascitur, punit se. Inde motus illi omnes in pœnitente, quem vere pœnitet, qui vere dolet; inde avulsio capillorum, inde circumcinctio cilicii, inde pectoris tunsio. Certe omnia hæc indicia sunt hominis sævientis in se, et irascentis sibi. Quod facit forinsecus manus, hoc facit intrinsecus conscientia. In cogitationibus percutit se, cædit se, et ut verius dicam, occidit se. Offert enim occidendo se sacrificium Deo spiritus contribulatus: « Cor contritum et humiliatum Deus non sper» nit [14]. » Proinde ille atterens cor suum, humilians, cædens, occidit cor suum.

VI. Quamvis adhuc disponeret patri dicere, et diceret apud seipsum: « Surgam et ibo et dicam [15], » cum cognosceret cogitationes ejus de longinquo, occurrit illi pater. Quid est occurrere, nisi misericordiam prærogare? » Cum adhuc, inquit, longe esset, occurrit illi pater, » misericordia motus [16]. » Quare ille motus misericordia? quia jam iste confectus miseria. Incubuit in illum occurrens, id est, super collum ejus posuit brachium suum. Brachium Patris Filius est; dedit ut Christum portaret, quæ sarcina non onerat, sed sublevat. « Jugum meum, » inquit, lene est, et sarcina mea levis est [17]. » Super erectum incumbebat; superincumbens rursus cadere non sinebat. Tam levis est sarcina Christi (3), ut non solum non premat, sed etiam allevet. Neque enim quemadmodum leves dicuntur sarcinæ, quæ minus onerosæ sunt, habent tamen aliquod pondus suum; et aliud est portare sarcinam gravem, aliud est portare sarcinam levem, aliud

[1] Luc. xv, 11, et seqq. — [2] Psal. xxxix, 13. — [3] Isai. xlvi, 8. — [4] Psal. cxiv, 3. — [5] Luc. xv, 17. — [6] Matth. vi, 5. — [7] Philip. i, 18. — [8] Psal. cxxxviii, 3. — [9] Luc. xv, 19. — [10] Psal. xxxi, 5. — [11] Ibid. — [12] Id. xxxiii, 19. — [13] Id. iv, 5. — [14] Id. l, 19. — [15] Luc. xv, 18. — [16] Luc. xv, 20. — [17] Matth. xi, 30.

(1) Cod. male omnem. — (2) Id. male panem. — (3) Vide August. Serm. lxx, n. 3; clxiv, n. 7, 8; cccxxiii, n. 4.

est portare sarcinam nullam. Premi videtur qui portat sarcinam gravem, minus premitur qui portat sarcinam levem, sed tamen premitur. Expeditissimis autem videtur humeris ambulare, qui nullam sarcinam portat. Non est talis sarcina Christi. Expedit enim eam portare, ut sublevaris. Si illam deponas, magis premeris. Nec hoc vobis, fratres, tanquam impossibile videatur. Forte invenitur aliquod exemplum, unde etiam corporaliter quod dico videatis; ut mirum est etiam, et omnino incredibile. Advertite hoc in avibus. Omnis avis portat pennas suas. Attendite et videte quemadmodum complicent alas suas, cum descendunt in terram, ut requiescant, et imponant eas quodam modo lateribus suis. Oneratas putas? Detrahant onus, et cadent. Quanto minus sarcinam illam avis portavit, tanto minus volavit. Ergo deponis eis sarcinam illam quasi misericors; si vis esse misericors, parce; aut si jam demptæ sunt pennæ, nutri, ut crescat onus, et volet de terra. Tale quippe onus desiderabat ille, qui dicebat: «Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et » volabo et requiescam[1].» Quod ergo incubuit pater super collum filii, sublevavit, non pressit; honoravit, non oneravit. Quomodo est enim homo idoneus ad portandum Deum, nisi quia portat portatus Deus?

VII. Jubet ergo pater proferri ei stolam primam, quam peccando Adam perdiderat. Jam accepto in pace, jam exculto filio jubet proferri stolam, spem immortalitatis in baptismo. Jubet dari annulum, pignus Spiritus sancti, et calceamenta in pedes in præparatione Evangelii pacis[2], ut speciosi essent pedes annuntiantis bonum[3]. Hoc ergo Deus per servos suos facit, hoc est, per ministros Ecclesiæ. Numquid illi de suo dant stolam, de suo annulum, vel calceamenta (1)? Ministerium debent, officium impendunt; ille dat de cujus recessu et de cujus thesauro ista proferuntur. Jussit occidi et vitulum saginatum, id est, ut admitteretur ad mensam, in qua Christus pascitur occisus. Unicuique enim de longinquo venienti, et ad Ecclesiam concurrenti tunc occiditur, quando prædicatur occisus, cum ad corpus ejus admittitur. Occiditur vitulus saginatus, quia qui perierat inventus est.

VIII. Et irascitur major frater rediens de agro, et non vult intrare. Ille est populus Judæorum, cujus animus apparuit et in illis qui jam crediderant in Christum. Nam stomachati sunt Judæi venire gentes de tanto compendio, nullis impositis oneribus legis, non dolore circumcisionis carnalis, in peccato accipere baptismum salutarem. Epulari de vitulo saginato stomachati sunt; equidem jam illi crediderunt, et reddita est illis ratio, et conquieverunt. Cum autem et nunc forte aliquis Judæus, qui in mente habuit legem Dei, et conversatus est ibi sine querela, qualem se ibi fuisse Saulus dixit, apud nos factus Paulus, ut major, qua minor; eo sublimatus quo minimus factus. Paulus enim minimus est, unde dicimus, Paulo post tibi loquor, Paulo ante. Videte quid est Paulo ante, Modico ante. Quid est ergo Paulus? «Ego enim » sum minimus Apostolorum[4];» ipse dixit. Ergo quicumque Judæus ibi talis est, ut sciat se et habeat in conscientia sua, qui ex ineunte ætate sua unum Deum coluerit, Deum Abraham, et Isaac, et Jacob, Deum prædicatum per legem et prophetas, et observaverit justificationes legis, incipit de Ecclesia cogitare, videns in nomine Christi currere genus humanum; cum cogitat de Ecclesia, appropinquat domi de agro. Sic enim scriptum est: «Cum adveniret » major frater de agro, et appropinquaret domui[5].» Quomodo enim minor filius quotidie crescit ea (4) Paganis credentibus, sic major filius, quamvis raro, redit tamen ex Judæis. Cogitant Ecclesiam, mirantur quid illud est. Vident apud se Legem, apud nos Legem; apud se Prophetas, apud nos Prophetas; apud se jam nullum sacrificium, apud nos quotidianum sacrificium. Vident se in agro patris fuisse, sed tamen de vitulo non manducare.

IX. Auditur etiam de domo symphonia sonans et chorus. Quid est symphonia? concordia vocum. Qui discordant, dissonant; qui concordant, consonant. Ipsam symphoniam docebat Apostolus dicens: «Obsecro » autem vos, fratres, ut idipsum dicatis omnes, et non » sint in vobis schismata[6].» Quem non delectet ista sancta symphonia, id est, consensus vocum non discrepans non in aliquo absurdus et dissonus, qui boni intellectoris offendat auditum. Et chorus ad concordiam ipsam pertinet. In choro non delectat, nisi vox una multorum temperata, habens ex omnibus unitatem, non dissonans in aliquam discordantem varietatem.

X. Hæc ille cum audisset sonare de domo, iratus nolebat intrare. Quomodo vero (3) contigit, boni meriti apud suos Judæus ut dicat, tantum posse Christianos? Nos tenemus leges paternas; ad Abraham locutus est Deus, de quo nos nati sumus. Moyses legem accepit, qui nos de terra Ægypti liberatos, per mare Rubrum duxit. Ecce isti tenentes Scripturas nostras, cantant Psalmos nostros per totum mundum, et habent quotidianum sacrificium; nos autem et sacrificium perdidimus et templum. Interrogat et servum, quid hic agatur? Quemlibet servum interroget Judæus; aperiat Prophetas, aperiat Apostolum; quemlibet interroget; nec Vetus Testamentum nec Novum tacuit de vocatione gentium. Servum interrogatum intelligamus librum scrutatum. Invenies ibi dicentem tibi Scripturam: «Frater tuus rediit, et » pater tuus occidit illi vitulum saginatum, quia salvum » illum recepit[7].» Dicat hoc servus; quem recepit salvum pater? Eum qui mortuus erat et revixit, eum recepit salvandum, et debebatur interfectio vituli saginati ei qui longe abierat. Longe enim abeundo a Deo, impius erat. Respondit servus Apostolus Paulus: «Etenim Chris» tus pro impiis mortuus est[8].» Stomachante (4) se, non intrat iratus, sed alloquente patre, intravit. Introire noluit ad servi responsum; at vere, fratres mei, fit hoc. Convincimus plerumque Judæos de Scripturis Dei; sed servus adhuc loquitur, filius irascitur; licet (5) vincantur, nolunt intrare. Quid est hoc? Symphoniæ voces te moverunt, chorus te movit, celebritas et festivitas domus, æmulatio occisi vituli saginati, hæc te moverunt. Nemo te excludit. Cui dicis? Quamdiu servus alloquitur, ille irascitur, non vult intrare.

XI. Redi ad Dominum dicentem: «Nemo venit ad » me, nisi quem Pater attraxerit[9].» Pater ergo egreditur et rogat filium; hoc est trahere. Major vim adhibet rogando superior, quam jubendo. Hoc est autem quod fit, charissimi, cum audierint tales homines occupati circa Scripturas, et habentes qualemcumque conscientiam in bonis operibus, ut possint dicere patri suo: «Pater, » mandatum tuum non præterivi[10].» Tunc ergo convincuntur (6) de Scripturis, et non inveniunt quid respondeant. Irascuntur, resistunt velut vincere volentes. Postea relinquit (7) illum cum cogitatione sua, et incipit interius loqui Deus. Hoc est egredi patrem et loqui ad filium: Intra et epulare.

XII. Et ille contra: «Ecce tot annis servio tibi, et

[1] Psal. LIV, 7. — [2] Ephes. VI, 16. — [3] Rom. X, 15. — [4] 1 Cor. XV, 9. — [5] Luc. XV, 25. — [6] 1 Cor. I, 10. — [7] Luc. XV, 27. — [8] Rom. V, 6. — [9] Joan. VI, 44. — [10] Luc. XV, 29.

(1) Vide Serm. S. Petri Chrysologi in Bibl. Patr. t. 7, f. 489, lit. D. — (2) Cod. male *in* et similiter inferius. — (3) Cod. male *vere*. — (4) Id. *stomachantem*. — (5) Id. male *sequ*. — (6) Cod. *convincitur*. — (7) Id. *relinquis*.

» nunquam mandatum tuum præterivi, et nunquam » dedisti mihi hædum, quem cum amicis meis manducarem. Ecce hic filius suus advenit, qui consumpsit » patrimonium suum cum meretricibus, et occidisti illi » vitulum saginatum[1]. » Cogitationes sunt interiores, ubi jam occultis modis loquitur pater. Agit enim et respondet intra seipsum, jam non servo responsum reddente, sed patre quodam modo rogante, leniter admonente. Quid est hoc? Nos tenemus Scripturas Dei, et non recessimus ab uno Deo: non expandimus manus nostras ad Deum alienum. Unum illum novimus, ipsum semper coluimus, qui fecit cœlum et terram, et non accepimus hædum. Ubi invenimus hædum? Inter peccatores. Quare iste filius major sibi conqueritur hædum datum non esse? Peccare (*sic*) quærebat de quo epularetur. Plane inde stomachabatur, hoc est, quod jam dolent Judæi, hoc est, quod resipiscunt, et intelligunt ideo sibi non datum Christum, quia putarunt hædum. Agnoscunt enim vocem suam in Evangelio, in illis Judæis superioribus dicentibus: « Scimus quoniam iste peccator est[2]. » Ille vitulus erat; sed cum hædum putas; sine ista epula remansisti. « Nunquam dedisti mihi hædum; » quia non habebat pater hædum, quem sciebat vitulum. Foris es, quia non accepisti hædum, intra jam ad vitulum.

XIII. Quid enim pater respondit? « Fili, tu mecum » es semper[3]. » Attestatus est pater in propinquo fuisse Judæos, qui semper unum coluerunt Deum. Habemus testimonium Apostoli dicentis, quod ipsi essent prope, gentes autem longe. Gentibus autem loquens ait: « Veniens scilicet Christus evangelizavit pacem vobis, qui » eratis longe, et pacem qui prope[4]; » longe, tanquam minori filio; ostendens Judæos, quia longe non abierunt porcos pascere, unum Deum non deseruerunt, idola non adoraverunt, dæmoniis non servierunt. Non de omnibus loquor, ne vobis occurrant perditi et seditiosi Judæi. Illi occurrant, a quibus isti reprehenduntur, graves, servantes mandata legis, nondum intrantes ad vitulum saginatum, sed jam valentes dicere: « Mandatum tuum » non præterivi; » qui quando intrare cœperit, dicat ei pater: « Tu mecum es semper. » Mecum quidem es, quia non longe profectus es, sed tamen male adhuc extra domum es; præter epulas nostras nolo te esse. Noli invidere fratri minori: « Tu mecum es semper. » Non quidem attestatus est Deus ad illum, ad illud (*sic*) quod minus forte caute (1), atque jactanter dictum erat: « Nunquam mandatum tuum præterivi; » sed ait: « Mecum es semper; » non ait: Nunquam mandatum meum præteristi. Hoc est verum quod Deus dixit, non unde se forte temere ille jactavit quamvis in quibusdam forte transgressor, tamen non recedens ab uno Deo; ut verum dicat et pater, « Tu mecum es semper, et omnia mea tua sunt. » Numquid quia tua sunt, fratris non sunt? Quomodo tua sunt? Communiter habenti, non separate jurganti. « Omnia » inquit, mea tua sunt. » Quæ dicit ipsius esse, tanquam in possessionem dedit. Numquid cœlum et terram subdidit, aut sublimitates Angelorum? Non oportet sic intelligi, neque enim vere subdendi nobis erunt Angeli, ad quorum æqualitatem nos perventuros Dominus in magna mercede promittit: « Erunt, inquit, æquales » Angelis Dei[5]. » Sed sunt Angeli de quibus judicabunt Sancti: « Nescitis, ait Apostolus, quia Angelos judicabimus[6]? » Sunt enim Angeli semper sancti, sunt Angeli prævaricatores. Æquabimur (2) bonis Angelis, judicabimus malos Angelos. Quomodo ergo omnia mea tua sunt? Vere omnia Dei nostra, non tamen omnia subdita. Aliter enim dicis, Servus meus, aliter, Frater meus. Quidquid dicis Meum, verum dicis; cum vere loqueris, tuum est; sed numquid eo jure frater, quo servus? Aliter dicis, Domus mea; aliter dicis, Conjux mea; aliter dicis, Filii mei; aliter dicis, Pater, Mater mea. Absque me, audis (3), tua sunt omnia. Deus meus dicis, sed tamen, Deus meus, numquid sicut, Servus meus? Imo Deus meus, sicut Dominus meus. Ergo habemus superiorem Dominum nostrum, quo fruamur; habemus inferiora cætera, quibus dominemur. Omnia nostra ergo, si nos ipsius.

XIV. « Omnia mea, inquit, tua sunt. » Si pacificus fueris, si placeris, si de reditu fratris gaudeas, si epulæ nostræ non te contristent, si non remaneas præter domum, quamvis jam ab agro veneris, omnia mea tua sunt. Epulari autem nos oportet et gaudere, quia Christus pro impiis mortuus est, et resurrexit. Hoc est enim quod dictum est, quia « Frater tuus mortuus erat et revixit; perierat, » et inventus est[7]. »

SERMO XII.

De Pharisæo et Publicano, Luc. XVIII, 10, etc.

Erutus hic sermo a Cod. Cass. CIX, *fol.* 83 *vers., ubi legitur cum nomine sancti Augustini, totum hunc beatum doctorem ita repræsentat, ut dubitandi locus non occurrat. Hinc locus ejus sit post sermonem Maurinensem* CXV..

SYNOPSIS.

I. Humilitas exemplo Publicani commendatur, cum damnatur exemplo Pharisæi superbia. II. Iterum exemplo Chananææ exaltatur humilitas.

I. MODO ex Evangelio audivimus, fratres charissimi, duorum hominum personas; humilis et inflati, humilis et superbi; confitentis et confiteri nolentis; accusantis se et justificantis se; curari volentis et curam renuentis. « Duo homines, inquit, ascenderunt in templum, ut » orarent, unus Publicanus, et alter Pharisæus[8]. » Pharisæus autem tumidus, superbus et inflatus, non humiliato corpore, non inclinata cervice, sed erecta facie, et tumente pectore, sic ait, non oravit, sed improperavit: « Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri » homines, injusti, adulteri, raptores, sicut hic Publi» canus. Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium » quæcumque possideo[9]. » O tumor cordis! O inflatio insanæ mentis! « Gratias tibi, inquit, ago, Deus, quia » non sum sicuti cæteri homines. » Hoc est dicere Deo: Gratias tibi ago, quia nihil tibi peccavi; non habeo quod mihi ignoscas; sanus sum, non est quod dimittas. Magna confidentia; magna audacia temeritatis, fratres, istius Pharisæi, et ut verius dicam, magna dementia. Deo dicit: « Non sum sicut cæteri homines, qui omnium corda novit; medico dicit: Nihil mihi dolet, qui putredinem cordis videt. Confitere, Pharisæe miser, peccata (4), ut possis curari; nam cum abscondis vulnera peccatorum, amplius habes secari. Dum se excusat, alios accusat; dicendo se innocentem, alios in reatum adduxit. O in-

[1] Luc. XV, 29 et 30. — [2] Joan. IX, 24. — [3] Luc. XV, 31. — [4] Ephes. II, 17. — [5] Matth. XXII, 30. — [6] I Cor. VI, 3. — [7] Luc. XV, 32. — [8] Luc. XVIII, 10. — [9] Ibid. 11, 12.

(1) Cod. male *incaute*. — (2) Id. male *æquavimus*. — (3) Id. male *audio*. — (4) Cod. male *peccator*.

sanus furor! O punienda et damnanda superbia! Deus paratus est ignoscere, et reus festinat indulgentiam recusare. Medicus vulnerato medelam sanitatis affert, et vulneratus (1), peccator superbus, quales et nunc multos videmus, putredinem vulnerum abscondit (2). Publicanus vero humilis hominem se peccatorem esse cognoscens, sic orabat dicens : « Deus, propitius esto mihi peccatori[1]. » Sic mundari, sic justificari in Publicano humilitas meruit dicendo : « Deus, propitius esto mihi peccatori. » Nam superbia in Pharisæo de templo damnata descendit, et humilitas in Publicano ante Dei oculos approbata ascendit. Meliora inventa sunt peccata cum humilitate, quam innocentia cum superbia. Ecce gratis peccata donat Deus, et datis decimis jactabat se miser Pharisæus. Dicebat enim : « Gratias tibi ago, quia non sum sicut » cæteri homines. » Hæc dicendo, omne peccatum recusabat, cum grandem sarcinam ferret, et omnes qui in mundo erant, accusaret (3). O homo, quid te jactas, quasi solus misericordiam facias? Quid te putas proprium habere, cum ipse sis potestatis alienæ? Operaris quidem, benefacis, et noli deficere; sed cum humilitate, ut operum tuorum possis mercedem recipere.

II. Nam illa Chananæa, sanctissimi fratres, cum veneranda apices Evangeliorum legerentur, audivimus, humiliando se meruit beneficium; prostrata in terra, apprehendit pedes Jesu, et dixit : « Domine, auxiliare mihi. » Dixit ad eum Jesus : Non est bonum tollere panem fi- » liorum et mittere canibus[2]. » Illa, hoc audito convicio, non ægre accepit, aut dixit : Noli me facere canem, aut si tibi non placet beneficium dare, injuriam tamen noli irrogare. Illa hoc non dixit, sed humilians se, ait : « Ita, » Domine[3]. » Quid est ita, Domine? Domine, verum dicis; agnosco me canem, et si vis, agnosco et quod sum et quod es. Ego enim sum misera, tu plenus es misericordia. Canem me quidem agnosco, quia lapides unctos osculando lingebam (4), sed quia te cognosco verum Deum, non a te debeo exire jejuna. Quos tu filios appellas, ego dominos agnosco. Et ideo, quia non sum digna cum illis recumbere, saltem permitte me micas de eorum mensa colligere, quia et « Canes edunt de micis quæ ca- » dunt de mensa dominorum suorum[4]. » Et Dominus qui beneficium differebat quod daturus erat, ita ut Discipuli dicerent : « Dimitte illam, quia clamat post nos[5], » humilitatem mulieris, et fidem quam ipse præsciens (5) erat, pro nobis ad imitandum in medium publicabat. Respondit et dixit ei : « O mulier, magna est fides tua[6]. » Dudum canis, modo mulier (6); dudum Chananæa, modo fidelissima; quid miramur? Credidit et mutata est in meliora. « O mulier, inquit, magna est fides tua. » Propter hunc sermonem, « Fiat tibi sicut tu vis[7]. » Et sanata est filia ejus ea illa hora. Ecce quantum valuit in Chananæa humilitas, vel quantum justitiæ fructus in Publicano contulit confessio peccatorum; quia « Omnis » qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exalta- » bitur[8]. » Quia « Superbis Deus resistit, humilibus » autem dat[9] gloriam (7). »

SERMO XIII.

De Verbis Evangelii secundum Lucam : *Egressus Jesus perambulabat Jericho, et ecce vir, cui nomen Zacchæus, et hic erat princeps Publicanorum*, etc., Luc. XIX, 1, etc.

Nil vetat quin sancto Augustino tribuatur hic sermo, qui eruitur ex Bibl. Laur. Plut. XVIII, Cod. XXIII, fol. 242. Locus ejus post sermonem præcedentem.

SYNOPSIS.

I. Zacchæus Jesum videre quærit. II. Ascendit in arborem. III. A Christo videtur, et jubetur descendere. IV. Susceptorem audin suscipit, frustra murmurantibus aliis. V. Zacchæi conversi verba. VI. A Christo veniam obtinet.

I. Beatus Evangelista proxime cum divitis inhumani vitam describit et finem, humano nos (8) movit et mœstificavit affectu, sed hodie Zacchæi divitis humanitatem fidemque referendo cœleste nos extulit et removit ad gaudium. « Et ingressus, inquit, Jesus perambulabat Jeri- » cho[10]. » Quare perambulabat, et non, ambulabat? Perambulat Christus? Populum quem Moyses inducit in viam, Jesus ad quietem promissæ mansionis adducit. « Perambulabat Jericho; » Jericho civitas ipsa est, quam Jesus Nave septem tubarum clangore subvertit. Sed quia Christus venit salvare quod perierat, ingreditur in Jericho, ut quod lex terræ vociferatione dejecit, Jesus clamore piæ prædicationis attollat. « Ecce vir nomine Zacchæus, et » hic erat princeps Publicanorum, et ipse dives[11]. » Jericho Zacchæus Publicanorum princeps in civitate perdita, perditi (9) operis egisse scribitur principatum; ex (10) loco, persona, facto, reatus multitudo monstratur, ut ex magnitudine criminis, remittentis luceat magni- » tudo. Et ecce vir nomine Zacchæus, et hic erat prin- » ceps Publicanorum et ipse dives, et quærebat Jesum » videre. » Qui Christum videre quærit, cœlum, unde Christus, non terram, de qua aurum est (11), intuetur. Dives ergo, qui sursum respicit, non portat divitias, sed proculcat (12); nec incurvatur divitiis, sed levatur; atque agit (13) divitias ad largitatis obsequium, non agitur divitiis ad avaritiæ servitutem. Divitiarum servus, non dominus est avarus; misericors tot servos probatur (14) habere, quot nummos. « Et quærebat Jesum videre, et non poterat » præ turba, quia statura pusillus erat[12]. » Satis hic animo magnus erat, qui pusillus videbatur in corpore; nam mente tangebat cœlos, qui corpore homines non æquabat. Nemo ergo de brevitate corporis, cui addere nil potest, curet, sed ut fide emineat, hoc procuret.

II. « Et præcurrens, ascendit in arborem[13]; » quibus putas iste gradibus altissimæ arboris pervenit ad ramos? Iste calcavit terram, superascendit aurum, transcendit avaritiam, et totam divitiarum supergressus est molem, ut prosiliens in arborem veniæ, misericordiæ penderet in fructu, et de specula confessionis indulgentiæ cerneret

[1] Luc. XVIII, 13. — [2] Matth. XV, 25, 26. — [3] Ibid. 27. — [4] Ibid. — [5] Ibid. 23. — [6] Ibid. 28. — [7] Ibid. — [8] Id. XXIII, 12. — [9] 1 Petr. V, 5. — [10] Luc. XIX, 1. — [11] Ibid. 2. — [12] Ibid. 3. — [13] Ibid. 4.

(1) Vide August. Serm. CXXXVII, num. 5, et extra, num. 1. — (2) Cod. male *abscondent*. — (3) Vide August. tract. VII in Joan. num. 19. — (4) Id. serm. LXXVII, num. 10 et 11. — (5) Cod. male *præsciens*. — (6) Vide August. de octo Dulcitii quæst. n. 6. — (7) Forte *gratiam*. — (8) Cod. *humanos*. — (9) Cod. male *perditis* — (10) Id. *et*. — (11) Id. male *terra*... *intuetur*; et deinde *poterat* pro *portat* quod per conjecturam posuimus. — (12) Id. *procul*. — (13) Id. *ait*. — (14) Id. *probat*.

largitorem. » Ascendit in arborem sycomorum[1], » ut unde Adam texuerat nuditatem corporis, Zacchæus inde valeret abluere avaritiæ fœditatem. » Ascendit in arborem » sycomorum, ut videret Jesum quia inde erat transiturus[2]. » Vere transiturus, quia Christus per terrenas vias et humanos labores non mansurus venerat, sed venerat transiturus.

III. » Cum autem Jesus venisset ad locum, respiciens » vidit eum[3]; » quasi si illuc Christus non vertisset oculos, non videret, qui (1) Nathanaël, cum absconsus esset, sub eadem arbore longe vidit; sed vidit eum ad veniam, respexit ad gratiam, intendit ad vitam, contemplatus est ad salutem. Deus quem videt non ignorans, agnoscere cupit, sed ut sciens, ad gloriam vult videre « Vidit eum, et ait: » Zacchæe, festinans descende, quia hodie in domo tua » oportet me manere[4]. » Si bene ascenderat, quare ei dicitur, Descende? Superius dixit: « Præcurrens ascen» dit arborem; » præcurrebat servus Dominum, et ante Zacchæus ascenderat arborem, quam crucem dominator ascenderet; hinc est quod ei dicitur: » Festinans descende; » quasi festinans descende ante Dominum de mystica arbore, ut, post crucem dominicæ passionis ascendas. » Nisi quis (2), inquit, tulerit crucem suam, et secutus » me fuerit[5]; » non dixit: Præcesserit me. Descende ergo ut deponas ante me (3) fraudis onera, pondera cupiditatis, usurarum moles, magisterium Publicani, exactionis crudelissimæ principatum, et (apprehendas in te) (4) paupertatis stolam, discipulatum misericordiæ, pietatis usum, patientiæ disciplinam, studia virtutum, scientiam divinitatis, tolerantiam passionum, philosophiam mortis, atque ita vitalis ligni ardua jam perfectus ascendas. « Descende quia hodie in domo tua oportet me ma» nere[6]. » Petrus cum dixisset Domino: » Non lavabis » pedes meos[7]; » respondit Dominus: « Sine modo, sic » oportet[8]; » et modo dicit: » Oportet me manere in » domo tua. » Oportet, quia cujus domum non intraverit Christus, ille ad divinam non perveniet (5) passionem, et cujus hic ad mensam non sederit Christus, ille cœlestem non accumbet (6) ad mensam.

IV. Et descendens suscepit susceptorem suum, qui pastorem suum pascit, qui reus judicem suffragio humanitatis inclinat, qui cibi et potus fœnore (7) debitorem suum sibi facit, et acquirit auctorem; et sic fit ut quæstum non perdat Publicanus iste, sed mutet. » Et » cum viderent omnes, inquit, murmurabant quod ad » hominem peccatorem divertisset[9]. » Qui est (8) sine peccato et sine (labe), ipse sibi veniam negat, qui Deum cur ad peccatores (venerit) (9), quærit. Non peccata, sed hominem tunc requirit; ut peccatum quod est (opus hominis puniat, et hominem), quod est opus suum (10), non amittat. Audi Prophetam dicentem: « Averte faciem » tuam a peccatis meis[10], » hoc est, ab operibus meis. De se autem: « Opera manuum tuarum ne despicias[11]. » Judex cum vult ignoscere, hominem respicit, non culpam; pater, cum misereri vult, affectus filii cogitat, non delictum: sic in homine Deus sui memor est operis, ut obliviscatur operis humani. Tu ergo, quid reprehendis, quid murmuras? Cur ad peccatorem divertit Christus? Viam salutis, exemplum veniæ, misericordiæ spem, de tali ingressu cape, et cave ne hoc tibi sit tantum (11) blasphemandi materia, quod tibi totius occasio est salutis. Quo medicus, nisi ad ægrum? » Non est, inquit, opus sanis medicus, » sed male habentibus[12]. » Ubi anhelus pastor, nisi post ovem perditam? Quando rex hostibus se immiscit, nisi cum vult liberare captivum? Et qui pretiosam perdiderit margaritam, loca squalida non dedignatur intrare, et eam in stercora ipsa perquirere non abhorrescit. Et in quo preces post filium non sedat (12) mater? Et arguitur Deus qui creavit hominem ad imaginem et similitudinem suam, quare hominem inter peccata quærat. Quid facies cum videris eum propter hominem ipsas Tartari tenebras penetrare?

V. Audi tamen quid peccatorem ingressus profecerit Christus: » Stans, inquit, Zacchæus[13]. » Vides quomodo erectus est, qui jacebat? Jacemus in vitiis; jacemus oppressi; stamus, cum boni operis erigimur ad profectum. « Stans, inquit, Zacchæus, dixit: Dimidium, Domine, » bonorum meorum do pauperibus[14]. » Iste post mortem se credit esse victurum, qui dimidium bonorum suorum jam futuram transmittit ad vitam. Scilicet ille perfectus, qui totum quod habet, illuc ubi victurus semper est, hinc præmittit. Est iste tamen virtutis socius, consors prudentiæ, fidei particeps, qui ad Deum vel dimidium mittit; quia homo quod hic reliquerit hoc amittit. Et revera, fratres, sicut iste, se (13) ibi credit vivere qui illuc transmittit, ita ille ibi non se credit esse victurum, qui sibi illuc, quod habere debeat, nihil præparat. Nam si paupertatem ferre vix possumus temporalem, in æternum mendicus fieri quis durabit? Quis militans non ad patriam mittit quidquid bellico (14) sudore conquirit, ut adolescentiæ labores, senectus deliciis (15) compenset? et Christianus, cui militare est, quod isto vivit in sæculo, quomodo non cogitat, ut pericula terrena cœlestibus hostiis consoletur? Qualiter autem hæc facere debeat Christianus, Zacchæus ipse et verbo docuit, et monstravit exemplo: « Dimidium bonorum meorum do pauperibus, et » si (16) aliquid fraude abstuli, reddo quadruplum[15]. » Qui aliena prærogat, plus dando diripit, quam furando; nec compescit ille dolentum gemitus, sed producit. Audeo dicere: Qui de fraude Deo offert, commemorat crimina, non emendat; quia Deus in tali munere exuvias suorum pauperum, non misericordias intuetur. Sine causa Deum (17) implorat, contra quem juste alter ploraverit Deo. Dei vox est: » Si tuleris fratri tuo tunicam, ante solis occa» sum redde illam, ne clamet ad me, et exaudiam illum, » quia misericors sum. Ante solis occasum[16]; » sicut lucerna (18) furem prodit, ita sol eos qui furantur accusat.

VI. Si volumus ergo Deo offerre nostra, reddamus (19) aliena; si volumus apud Deum, quæ nostra sunt, possidere; si volumus et nos audire talia qualia Zacchæus audivit: » Et hic, inquit, filius est Abrahæ[17]. » Inhumanus dives, cum esset filius Abrahæ, factus est gehennæ filius; iste cum esset rapinæ filius, dando sua, aliena reddendo, Abrahæ adoptatur in filium (20). Ne quis tamen putet Zacchæum offerendo dimidium bonorum, perfectionis non tenuisse fastigium (21), qui et tota sua et se ipsum sic Domino dedit, ut epularum (22) honore fultus, a mensa Publicani quæsitus ad mensam dominici corporis perveniret, et fraudulentas sæculi divitias derelinquens, in paupertate Christi veras cœli divitias inveniret (23), ad quas nos pervenire concedat, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

[1] Luc. xix, 4. — [2] Ibid. — [3] Ibid 5. — [4] Ibid. — [5] Matth. x, 38. — [6] Luc. xix, 5. — [7] Joan. xiii, 8. — [8] Ibid. — [9] Ibid. 7 — [10] Psal. l, 11. — [11] Id. cxxxvii, 8. — [12] Matth, ix, 12. — [13] Luc. xix, 8. — [14] Ibid. — [15] Ibid. 8. — [16] Exod. xxii. 26, 27. — [17] Luc. xix, 9.

(1) Cod. male quia. — (2) In cod. deest quis. — (3) Deest me in cod. — (4) Hæc ponuntur per conjecturam. Cod. enim habet sine sensu: exponentis inter. — (5) Cod. male pervenire. — (6) Id. accumber; et deinde bis quia, pro qui. — (7) Id. fœnerem. — (8) Id. et qui. — (9) Hæc vox venerit non reperitur in cod. Addita est per conjecturam. Idem dicendum de voce labe, quæ videbatur deesse. — (10) Hæc per conjecturam restituuntur. Cod. habet: et peccatum quod est opus suum quod est non amittat. Patet sensum, sed verba deficiunt — (11) Cod. tantus. — (12) Forte non dat. — (13) Cod. male se. — (14) Id. velli quid. — (15) Id. dilitas. — (16) Id. sicut. — (17) Id. Deo. — (18) Id. male lucernam. — (19) Id. male iterum ergo. — (20) Cod. filio. — (21) Id. male fastidium. — (22) Id. epulatum. — (23) Id. invenerat.

SERMO XIV.

De Verbis Evangelii secundum Joannem : *Cum sublevasset ergo oculos Jesus, et vidisset quia multitudo magna venit ad eum, dixit ad Philippum*, etc. Joan. VI, 5-14.

Pulcherrimus est et doctrina plenus hic sermo, qui educitur ex Bibl. Laurent. Plut. XVII, *Cod.* XXXIX, *fol.* 158. *Ad Bedæ methodum propius accedere videtur, quam ad beati Augustini dicendi genus. Propterea tamen Codicis auctoritatem sancto doctori adjudicare non audemus, cujus nomen præ se fert, et doctrinæ perfectissime accommodatur. Ponatur post sermonem Maurinensium* CXXV.

SYNOPSIS.

I. Oculi Domini. II. Interrogationis diversi modi et tentationis. III. Judæorum fides debilis. IV. Quinque panes, quinque sunt libri Moysis, duo autem pisces, Prophetæ et Psalmi, vel ordo regalis et sacerdotalis. V. Quid sit discumbere per quinquagenos et centenos? VI. Quid in fœnum discumbere? VII. Viri simus per fortitudinem. VIII. Quid sit frangere panem et apponere? IX. Obscuras Scripturæ sententias, quæ plebis captum superant, Episcopi et Sacerdotes doceant et defendant. X. Cophinis Apostoli figurantur. XI. Sapientia carnalis Christum prophetam, non Dei Filium agnoscit.

I. Quotiescumque Dominum legimus ex paucis panibus multas turbas hominum pavisse, non tantum est mirandum, quantum venerandum. Non est enim mirum quia potuit, sed potius venerandum quia facere voluit. Qui enim ex nihilo cuncta creavit, non est mirum, si ex paucis panibus multas turbas pavit. Sed considerandum est quod turbas quas refecturus erat prius sublevatis oculis respexisse dicitur: oculi enim Domini in Scripturis duplicem habent significationem. Aliquando enim dona Spiritus sancti significant, aliquando respectum divinæ miserationis; dona Spiritus sancti, sicut in Zacharia legitur: « In lapide uno septem oculi sunt[1]. » Et Joannes in Apocalypsi: « Vidi agnum occisum habentem cornua septem, et oculos septem, qui sunt septem spiritus » Dei missi in omnem terram[2]; » respectu divinæ miserationis, sicut in Psalmo legitur: « Oculi Domini super » justos[3]. » Et iterum: « De cœlo respexit Dominus, » vidit omnes filios hominum[4]. » Cujus enim oculis nuda et aperta sunt omnia, tunc nos videre dicitur, quoniam nobis dona suæ gratiæ tribuit, vel nos a pressura tribulationis liberat, sicut ait Moysi: « Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægypto, et gemitum eorum » audivi, et descendi liberare eum[5]. » In hoc ergo loco sublevatio oculorum Domini respectum miserationis significat, quia turbas quas postea pavit, prius misericorditer inspexit. His enim oculis Dominus Petrum respexit quando « Egressus foras amare flevit[6]. »

II. Dicit ad Philippum: « Unde ememus panem ut » manducent hi[7]? » Interrogavit Dominus Discipulum non ut ab eo aliquid disceret, sed ut eum doceret. Quod facilius intelligimus, si quibus modis interrogatio fiat perpendamus. Fit enim tribus modis; aut studio reprehendentis, aut voto discentis, aut affectu docentis: studio reprehendentis, sicut Scribæ et Pharisæi Dominum interrogaverunt, ut eum reprehenderent, velut de quadam muliere in adulterio deprehensa, et de denario et cæteris similibus: voto discentis, sicut Apostoli Dominum interrogaverunt, dicentes: « Domine, quando hæc erunt, aut quod » signum adventus tui[8]? » Et cætera alia: affectu docentis, sicut Angelus Joannem in Apocalypsi interrogavit, dicens: « Hi qui amicti stolis albis, et unde venerunt[9]? » Quo respondente: « Domine mi, tu nosti, » continuo docuit dicens: « Hi sunt qui venerunt ex magna tribu- » latione, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in » sanguine Agni[10]. » Interrogavit ergo Dominus Discipulum, non ut eum reprehenderet, neque ut ab eo aliquid disceret, sed ut eum doceret. Quod sollicite Evangelista manifestare curavit, cum protinus subjunxit: « Hoc autem » dicebat tentans eum; ipse enim sciebat quod esset fu- » turus. » In quibus verbis magnam nobis intulit quæstionem, cum dixit: « Hoc autem dicebat tentans eum; » maxime cum Jacobus apostolus dicat: « Nemo, cum » tentatur, dicat quoniam (1) a Deo tentatur, quia Deus » intentator malorum est[11]; Deus enim neminem tentat[11]. » Si igitur Deus neminem tentat, quare Evangelista dicit: « Hoc autem dicebat tentans eum? » Ad hoc breviter respondendum, quia alia est tentatio diaboli, qua hominem tentat, ut perdat, et alia Dei, quo hominem tentat, ut probet (2). Quod melius cognoscimus si earumdem ordinem tentationum subtilius discutiamus. Est enim tentatio diaboli, qua hominem tentat, ut perdat, de qua liberari cupientes in Oratione quotidie dicimus: « Et ne » nos inducas in tentationem[12]. » Est autem et alia, quæ ex fragilitate vel delectatione carnis oritur, de qua Jacobus dicit: « Tentatur aliquis a concupiscentia sua abs- » tractus et illectus[13]; » et Apostolus: « Tentatio vos non » apprehendat, nisi humana[15]. » Est autem et alia, qua Deus hominem tentat, ut probet, de qua per Moysen Israelitis dicitur: « Tentat vos Dominus Deus vester, ut » sciat, si diligitis eum, an non[16]; » et per quemdam Sapientem: « Vas figuli probat fornax, et homines justos » tentatio tribulationis[17]. » Quo genere tentationis tentavit Deus Abraham, ut qui notus erat Deo, hominibus appareret probatus. Taliter enim se tentari optabat Propheta, cum dicebat: « Proba me, Domine, et tenta me[18]. » Hoc igitur modo Dominus tentavit Philippum, ut qui ignarus erat mysterii, scius redderetur et doctus et disceret eo præsente, « Qui educit panem de terra, et vi- » num lætificet cor hominis[19], » non dubitare de paucis panibus multas turbas hominum satiari posse. Hæc igitur tentatio non est timenda, sed potius propter probationem toleranda atque optanda, Jacobo apostolo admonente, qui ait: « Omne gaudium existimate, fratres, » cum in varias tentationes incideritis[20]; scientes quia » tentatio patientiam operatur, patientia vero probatio- » nem, probatio vero spem[21]; » et alibi: « Beatus vir, » qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, » accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligen- » tibus se[22]. »

III. « Respondit Philippus: Ducentorum denariorum » panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum ac- » cipiat[23]. » Philippus os lampadis interpretatur. Significat hoc in loco populum Judæorum, qui quondam os

[1] Zach. III, 9. — [2] Apoc. V, 6. — [3] Psal. XXXIII, 16. — [4] Id. XXXII, 13. — [5] Exod. III, 7, 8. — [6] Matth. XXVI, 75. — [7] Joan. VI, 5. — [8] Matth. XXIV, 3. — [9] Apoc. VII, 13. — [10] Ibid. 14. — [11] Joan. VI, 6. — [12] Jacob. I, 13. — [13] Matth. VI, 13. — [14] Jacob. I, 14. — [15] I Cor. X, 13. — [16] Deut. XIII, 3. — [17] Eccli. XXVII, 6. — [18] Psal. XXV, 2. — [19] Id. CIII, 13. — [20] Jacob. I, 2. — [21] Rom. V, 3, 4. — [22] Jacob. I, 12. — [23] Joan. VI, 7.

(1) Deest in cod. vox *quoniam*; et deinde habet *tentator* pro *tentatur*. — (2) Vide Augustin. Serm. II, num. 2, 3, et tract. XLIV in Joan. num. 6.

lampadis fuit, quando, aperto ore, ad laudandum Deum prosilivit. In eo vero quod ait : « Ducentorum denariorum panes eis non sufficiunt, ut unusquisque modicum quid accipiat, » raram vel modicam ejusdem populi significat fidem, qui per corporalem Domini præsentiam, et parvum numerum Apostolorum utriusque Testamenti notitiam ad cognitionem hominum venire posse non credidit. Ducenti denarii utrumque Testamentum significant. » Dicit eis unus ex Discipulis ejus Andreas » frater Simonis Petri : Est puer unus hic qui habet » quinque panes hordeaceos et duos pisces, sed hæc » quid sunt inter tantos[1]? » Si littera inspiciatur, Andreas hoc in loco majorem fidem quantulumcumque videtur habere Philippo, cum dicit : » Est puer unus hic » qui habet quinque panes hordeaceos et duos pisces ; » sed in fide dubitavit, cum subjunxit : » Sed hæc quid sunt » inter tantos? » Significat propheticum sermonem, qui cum Dominum in carne venturum prædixit, fidem habuit; sed cum eum venientem idem populus magna ex parte credere renuit, in fide dubitavit. Quos præfiguravit (1) Isaac, qui, cum caligantibus oculis filium benediceret, multa ei sub figura prædixit, sed tamen qui præsens esset, non agnovit. Puer in Scripturis aliquando pro puritate, aliquando pro levitate vel instabilitate mentis accipitur; pro puritate, sicut de Domino dicitur: » Ecce puer meus electus, quem elegi[2]; » et sicut ipse Discipulis suis ait : » Pueri, numquid pulmentarium » habetis[3]? » Pro levitate vel instabilitate mentis, sicut Dominus de Judæis dicit : » Cui assimilabo hanc generationem pessimam, vel cui eam similem dicemus? Similis est pueris sedentibus in foro, ludentibus atque » dicentibus : Saltavimus vobis, et non cantastis, planximus et non lamentastis[4]. » Est enim puerilis ætas garrula et levis, nisi disciplinæ verbere coërceatur.

IV. Puer namque iste populum significat Judaïcum, qui pro levitate et instabilitate mentis, in fide et cognitione Dei firmus non permansit. Quinque panes habuit, quia Judaicus populus quinque libros Moysi accepit, videlicet Genesim, Exodum, Leviticum, Numerum, et Deuteronomium (2), qui hebræa lingua Bresit, Elesmoth, Vageccra, Vagedaber, Elleaddabarim nominantur. Et hoc quidem illi panes hordeacei fuisse referuntur propter duritiam legis. Hordeum namque spissum habet tegumen, et non facile ad ejus pervenitur medullam ; obscuritatem legis significans, quia lex ante adventum Domini in tantum velata extitit, ut nullus hominum eam spiritaliter intelligere posset, quoadusque veniens benedictionem daret, qui Legem dederat. Si enim per quinque panes quinque libri Moysis intelliguntur, possumus et per duos pisces alios duos intelligere libros, oracula scilicet Prophetarum et cantica Psalmorum, qui post auctoritatem Legis, sacratiores in eodem populo habebantur, quorum unus memoriter decantando, alterum vero in synagogis suis frequenter legendo recitabant. Et recte per hos duos pisces hi duo libri intelliguntur, qui talem populum in Ecclesia futurum prædixerunt, qui hoc servaret in moribus quod piscis habet in natura. Piscis namque quatuor habet naturas ; unam, quia sine aqua vivere non potest ; secundam, quia super eam saltus dare consuevit ; tertiam, quia quo magis tunditur fluctibus, eo amplius convalescit; quartam, quia mundi pisces per coitum nec generant, nec generantur. Sicut igitur piscis sine aqua vivere non potest, ita idem populus sine fonte baptismatis in vitam intrare perpetuam nequit, Domino dicente : « Nisi quis (3) renatus fuerit » ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum » Dei[5]. » Et sicut super aquas saltus emittit, sic ipse populus terrena despiciens, penna contemplationis se ad cœlestia sublevat, dicens cum Apostolo : « Nostra autem » conversatio in cœlis est[6]. » Et quemadmodum piscis, quanto magis fluctibus tunditur, eo amplius convalescit, sic et perfectus Christianus tantum in Deum proficit, quantum (4) in hoc sæculo invenit quod durius portet, dicens cum Propheta : « Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homi» nes super capita nostra; transivimus per ignem, et » aquam, et eduxisti nos in refrigerium[7]. » Et sicut mundi pisces per coitum nec generant, nec generantur, ita quoque et in Ecclesia tales habentur qui conjunctionem (5) respuentes, integritatem virginalem sectantur, implentes illud quod Dominus dicit in Evangelio : » Sint lumbi » vestri præcincti, et lucernæ ardentes[8]. » Aliter per duos pisces (6), duos ordines, qui in eodem populo celsiores habebantur intelligere possumus, regalem scilicet et sacerdotalem, a quibus regebantur et instruebantur ; quod Dominus Jesus in se suscipere dignatus est, ut fieret nobis rex pariter et sacerdos : rex nos bene regendo ; sacerdos semetipsum Deo hostiam immaculatam pro nobis offerendo.

V. » Dixit ergo Jesus : Facite homines discumbere[9]. » Discumbere homines, est spiritualiter in fide quiescere. Tunc enim Discipulis, ut homines discumbere facerent Dominus præcepit, quando eos in mundum ad prædicandum destinavit, dicens : » Euntes in mundum universum » docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, » et Filii, et Spiritus sancti, et qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit[10]. » Tunc autem eos discumbere » fecerunt, quando profecti prædicaverunt ubique Deo » cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis[11]. » Sed illud prætermittendum non est, quod factum (7), alio Evangelista narrante, cognovimus : « Fecerunt » eos discumbere per convivia quinquagenos et centenos[12]. » Ordo enim iste discumbentium, varietatem significat in Ecclesia conversantium. Quinquageni igitur discumbunt pœnitentes; quinquagenarius enim numerus pœnitentibus congruit, quia quinquagesimus Psalmus in pœnitentia est decantatus, et quinquagesimus annus in Lege Jubilæus est dictus, id est, annus remissionis : centeni qui, Deo protegente, nulla pœnitentia publica indigent. Aliter quinquageni discumbunt conjugati, centeni virgines: vel certe quinquageni qui terrenas res bene disponunt, centeni qui perfectionis amore omnia pro Domino derelinquunt.

VI. « Erat autem fœnum multum in loco[13]. » Fœnum, herba est pratorum, quæ, dum viridis, est et visu delectabilis, et (8) sessioni atque deambulationi suavis ; sed cum falce secata fuerit, subito pristinam viriditatem amittit. Per fœnum ergo delectatio carnalis, sive ejusdem fragilitas carnis designatur; quæ cum amatoribus suis jucunda videatur et pulchra, falce mortis præcisa, in ariditatem pulveris redditur, Isaïa dicente : « Omnis caro fœnum, » et omnis gloria ejus quasi flos fœni[14]. » Et : » Siccatum » est fœnum et cecidit flos, quia Spiritus Domini sufflavit » in eo. Vere fœnum est populus. » Cujus fœni ariditatem inspexerat Propheta, cum dicebat : » Homo sicut fœnum;

[1] Joan vi, 8, 9. — [2] Isai xlii, 1. — [3] Joan. xxi, 5. — [4] Matth. xi, 16, 17. — [5] Joan. iii, 5. — [6] Philip. iii, 20. — [7] Psal. lxv, 11, 12. — [8] Luc. xii, 35. — [9] Joan. vi, 10. — [10] Matth. xxviii, 19, 20, et Marc. xvi, 15, 16. — [11] Marc xvi, 20. — [12] Id vi, 40.— [13] Joan. vi, 10. — [14] Isai. xl, 6, 7.

(1) Cod. male præfigurabit. — (2) Vide Augustin. in Joan. Tract. xxiv, num. 5, et lib. de diversis Quæst. lxxxiii, quæst. lxi. — (3) Deest in cod. vox quis. — (4) Cod. quanto. — (5) Id. male conjunctione. — (6) Vide Augustin. in Joan. tract. xxiv, num. 5. — (7) Cod. sicut. — (8) Deest in cod. vox et.

» dies ejus tanquam flos agri sic efflorebit[1]. » Et Job : « Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis; qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et unnquam in eodem statu permanet[2]. » Turba enim quam Dominus pavit supra fœnum discubuit, ut intelligamus quia si spiritaliter ab eo refici cupimus, necesse est, ut delectationes carnis sub nostis dominio comprimamus, juxta illud Apostoli : « Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut » obediatis concupiscentiis ejus[3], » sed, « Mortificate membra vestra quæ sunt super terram[4]; » id est, fornicationem, immunditiam, avaritiam et cætera hujusmodi.

VII. « Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque » millia[5]. » Nec absque consideratione prætereundum est, quod in hac refectione Domini nulla fœmina interfuisse memoratur, sed tantummodo viri; vir quippe a viribus dicitur, et virorum nomine illos Scriptura sacra censere consuevit, qui viriliter tentamenta diaboli tolerare student. Unde ad beatum Job post victoriam dicitur : « Accinge, sicut vir, lumbos tuos[6], » id est, sicut fortis restringe luxuriam. Et in Sapientia : « O viri, ad vos clamito[7]; » ac si diceret : Qui fluxa et fœminea mente sunt, mea verba audire non possunt. Hinc et in laude Joseph tribulationes ægyptias fortiter tolerantis, dicitur : « Misit » ante eos virum[8]. » Cum ergo in hoc convivio Domini tantummodo viri fuisse dicuntur, mystice monemur, ut si « Quam suavis sit Dominus, gustare[9] » desideramus, viri simus, id est, fortes contra diaboli tentationes, Apostolo monente : « Viriliter agite, et confortamini, » omnia vestra in charitate fiant[10]; » et Angelo in Apocalypsi : » Estote fortes in bello, et pugnate contra anti» quum serpentem. » Nec ab hac refectione Dominica fœmina jejuna remanebit, si sexu fœminieo viriliter tentamenta diaboli compresserit, sicut e contra vir sexu, fœmina mente efficitur, si contra impetum tentationis mollis, et dissolutus in opere suo invenitur. Ad quorum vituperationem dicitur : « Effœminati dominabuntur » eis[11]. » Bene autem quinque millia fuisse referuntur, propter quinarii numeri perfectionem. Quinarius enim numerus ad quinque sensus corporis pertinet, visum, scilicet, auditum, gustum, odoratum et tactum. Hos igitur sensus sollicite custodire debemus, si convivio Domini interesse volumus. Custodiamus oculos nostros ab illicito visu, ne videant quod concupiscant, propter illud quod Dominus ait : « Qui viderit mulierem ad concupis» cendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo[12]. » Et iterum : « Non concupisces rem proximi tui[13]; » ut cum Job dicere valeamus : « Pepigi fœdus cum oculis meis, ne » cogitarem quidem de virgine[14], » quod ut facere possimus, assidue cum Propheta oremus, dicentes : » Averte » oculos meos, ne videant vanitates[15]. » Custodiamus aures, ne libenter audiant verba maledictionis, detractionis, falsitatis et scurrilitatis; sed semper apertæ sint ad divinum Verbum audiendum, ut cum Job dicere possimus : « Auditu auris audivi te, Domine[16]. » Hinc nos Propheta admonet dicens : « Sepi aures tuas spinis, ne audiant » verba detrahentium[17]. » Custodiamus nares ab illicitis odoribus, ne per illecebras odoris ad peccandum pertrahamur; sed sicut ait Apostolus : « Simus Christi bonus » odor Deo in omni loco[18]. » Custodiamus linguam a maledictione, detractione, falsitate, murmuratione et otioso sermone, et propter taciturnitatis custodiam, interdum a bonis cessemus eloquiis, juxta illud Prophetæ : « Dixi : » Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea; » posui ori meo custodiam et obmutui, et humiliatus » sum, et silui a bonis[19]. Mors enim et vita, ut ait Salo» mon, in manibus linguæ[20]. » Et : Qui custodit os suum et » linguam suam, custodit ab angustiis animam suam[21]. » Tota enim nostra religio quodam modo commaculatur, nisi linguæ moderationes posuerimus; quia, sicut ait Apostolus : « Corrumpunt mores bonos colloquia mala[22]. » Et Jacobus : « Si quis putat se religiosum esse non refre» nans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana » est religio[23]. » Custodiamus manus ab effusione sanguinis, a percussione et læsione proximi, et eas semper paratas ad eleemosynam largiendam habeamus, et ad id quod bonum est operandum promptissimas, ut cum Propheta dicare possimus : « Lavabo inter innocentes manus » meas, et circumdabo altare tuum, Domine[24]. » Quod si fecerimus, ad millenarii numeri perfectionem perveniemus. Millenarius quippe numerus, ultra quem nulla computatio crescit, eorum perfectionem significat, qui perfectæ consummatæque sunt virtutis, quibus, ut ait Apostolus : « Nihil deest in ulla gratia, expectantibus » revelationem Domini nostri Jesu Christi[25]. »

VIII. « Accepit ergo Jesus panes, et cum gratias egis» set, distribuit discumbentibus; similiter ex piscibus, » quantum volebant[26]. » Alius Evangelista dicit, quod « Ac» cipiens Jesus panes, gratias agens benedixit, fregit, dedit » Discipulis suis, ut apponerent, et apposuerunt turbæ[27]. » Jam enim superius per panem legem Moysi significari diximus; per pisces oracula Prophetarum, et cantica Psalmorum. « Accepit Jesus panes, fregit, et dedit Discipulis, » quando, post resurrectionem, spiritalem sensum in Lege eis aperuit; scilicet quando incipiens a Moyse interpretabatur. Etiam pisces fregit, et dedit quando eis in Psalmis, et Prophetia spiritalem intellectum ostendit, dicens illis, quia, « Sic scriptum est in lege Moysi, et Psalmis, et » Prophetis de me; et sic oportuit pati Christum, et re» surgere a mortuis, et intrare in gloriam suam, et præ» dicari in nomine ejus remissionem peccatorum[28]. » Discipuli autem apposuerunt turbæ, quando eamdem intelligentiam universo orbi prædicaverunt; de quibus dicitur : « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis » terræ verba eorum[29]. » Refecturus autem Dominus turbam, gratias egit Patri, non quod aliquid indigeret ab eo postulare, qui cuncta postulata dat cum Patre, sed ut ostenderet omnia sancta et justa ab eo esse quærenda, de quo Jacobus apostolus ait : « Omne datum optimum, » et omne donum perfectum desursum est, descendens » a Patre luminum[30]. »

IX. « Ut autem impleti sunt, dixit Jesus Discipulis » suis : Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pe» reant[31]. » Magna hic Domini potentia ostenditur, sed non minor humilitas ejus declaratur. Magna est enim potestas de quinque panibus quinque millia hominum satiare, sed mira humilitas, fragmenta quæ remanserunt non velle perire. Si autem per panes Scripturam intelligi dictum est, possumus et per fragmenta quæ remanserunt obscuriores quasque sententias ejusdem Scripturæ intelligere. Quod ergo plebeia multitudo non capit, Dominus Apostolis colligere præcepit, quia obscuras sententias, quas simplex multitudo capere non potest, magistri Ecclesiæ, Episcopi scilicet et Sacerdotes in propriis pectoribus debent recondere, ut tempore necessitatis non solum ad eam docendam, sed ad defendendam

[1] Psal. CII, 15. — [2] Job. XIV, 1, 2. — [3] Rom. VI, 12. — [4] Coloss. III, 5. — [5] Joan. VI, 10. — [6] Job. XXXVIII, 3, et XL, 2. — [7] Prov. VIII, 4. — [8] Psal. CIV, 7. — [9] Id. XXXIII, 9. — [10] 1 Cor. XVI, 13, 14. — [11] Isai. III, 4. — [12] Matth. V, 28. — [13] Exod. XX, 17 et alibi. — [14] Job. XXXI, 1. — [15] Psal. CXVIII, 37. — [16] Job. XLII, 5. — [17] Eccli. XXVIII, 28. — [18] 2 Cor. II, 15. — [19] Psal. XXXVIII, 2, 3. — [20] Prov. XVIII, 21. — [21] Id. XXI, 23. — [22] 1 Cor. XV, 33. — [23] Jacob. I, 26. — [24] Psal. XXV, 6. — [25] 1 Cor. I, 7. — [26] Joan. VI, 11. — [27] Marc. VIII, 6. — [28] Luc. XXIV, 46, 47. — [29] Psal. XVIII, 5. — [30] Jacob. I, 17. — [31] Joan. VI, 12.

idonei inveniantur. Unde apostolus Paulus, cum virtutes episcopi describeret, scientiam Scripturarum in eo eligendam esse ostendit, dicens : « Obtinentem eum, qui » secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens » sit exhortari in doctrina sana, et contradicentes re» darguere[1]. » Quamvis enim melior sit sancta simplicitas, quam docta malitia, tamen magistris Ecclesiæ utrumque convenit, ut et sancta sit vita propter exemplum, et docta lingua propter eruditionem aliorum. Unde Dominus ait : « Omnis scriba doctor in regno cœlorum, similis est pa» trifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera[2]. » Et iterum : « Quis putas est fidelis servus et prudens, » quem constituit Dominus super familiam suam, ut det » illis in tempore tritici mensuram? Amen dico vobis » quia super omnia bona sua constituet eum[3]. »

X. « Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim co» phinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, » quæ superfuerunt his qui manducaverant[4]. » Hic Domini miraculum augmentatum est. Magnum enim miraculum esset si de quinque panibus, quinque millibus hominum satiatis, nihil superesset. Sed evenit signum, auxit admirationem, quia non solum de quinque panibus quinque millia hominum satiata sunt, sed etiam tot fragmenta remanserunt, ex quibus duodecim cophini replerentur. Sed neque duodenarius numerus a mysterio vacat; per duodecim namque cophinos duodecim Apostoli congrua ratione figurantur. Cophinus enim ex vilibus ac minutissimis contexitur virgis; sic et nimirum, et Apostoli dum non ex regibus et principibus, non ex philosophis et sapientibus hujus mundi, sed ex simplicibus et piscatoribus sunt electi, quasi cophini ex vilibus et minutissimis virgis sunt contexti; de quibus ait Apostolus : « Infirma » mundi elegit Deus, ut confundat fortia[5]. » Est enim et alia ratio per quam congrue Apostoli cophinis comparantur. In cophinis igitur fimus ponitur, et in arentem terram defertur, ut uberiores fructus reddat; sic et Apostoli, pinguedine Spiritus sancti repleti, eamdem gratiam in arentem terram, id est, in gentilium corda detulerunt, ut fructus uberiores redderent, ut impleretur prophetia : « Pinguescent speciosa deserti, et exultatione colles ac» cingentur; induti sunt arietes ovium, et valles abun» dabunt frumento[6]. »

XI. « Illi homines cum vidissent quod fecerat signum, » dicebant, quia hic est vere Propheta qui venturus est » in mundum[7]. » Merito homines ab Evangelista appellantur, quia humana tantum sapiebant. Videntes enim tale tantumque miraculum, debuerant dicere, quod hic est vere Filius Dei, qui venit in mundum; sed quia homines erant et humana sapiebant, Filium Dei tacentes, Prophetam confitentur. Sed nec in toto errant, cum Dominum Prophetam confitentur, quia sicut ipse de se ipso ait : « Non est Propheta sine honore, nisi in domo et » in patria sua[8]. » Et iterum : « Non oportet mori Pro» phetam extra Jerusalem[9]. » Sed nos ab eo docti, et Spiritu sancto instructi, horum refugientes ex Epistola (1), confiteamur cum Petro, quia « Hic est Filius Dei vivi[10], » qui propter nos, et propter nostram salutem venit in mundum, et iterum venturus est judicare vivos et mortuos.

SERMO XV.

De Verbis Evangelii secundum Joannem : *Perrexit Jesus in montem Oliveti, et diluculo iterum venit in templum, et omnis populus venit ad eum, et sedens docebat eos*, etc. Joan. VIII, 1-12.

Hic sermo, qui legitur in duobus Codd. Biblioth. Laurent., nempe Plut. XVII, *Cod.* XXXVI, *fol.* 106, *et Plut.* XXI, *Cod.* X, *fol.* 151 *b, ita differt, ut in priori omnino discrepet ab eo qui editus est tractat.* XXXIII *in Joann. num.* 5 *et seqq., in posteriori vero concordet media pars cum Codice* XXXVI, *et altera pars Editis conveniat, exceptis paucis variantibus. Omnem Augustini doctrinam repræsentat, et nomine ejus in utroque Codice insignitus, nil habet quod sancti doctoris cogitandi et scribendi modo repugnet. Hinc illum in lucem emittimus, licet plura legantur in commentario Bedæ in Evangelium Joannis, ita tamen ut ex Cod.* X *variantes solum lectiones extrahamus, in cæteris Codici* XXXVI *adhærentes. Locus ejus post sermonem Maurinensem* CXXXIII.

SYNOPSIS.

I. Misericordia Dei ex eo quod Christus in montem Oliveti perrexerit, et diluculo venerit in templum insinuatur. II. Sessio Christi humilitatem incarnationis indicat. III. Sapientia Christi responsionis evolvitur. IV. Hinc se quisque judicet, antequam judicet alios. V. Aliæ interpretationes mysticæ Christi mulieri adulteræ peccatum condonantis. VI. Christus suæ potentiæ argumenta evolvit. VII. Exhortatio moralis.

1. PRÆSENTEM sancti Evangelii lectionem tanto intentius considerare, fratres charissimi, ac semper reminisci debemus, quanto maximam nobis commendat gratiam nostri Conditoris. Ecce enim, ut (2) audivimus, oblatam sibi ab impiis accusatoribus mulierem peccatricem, non juxta Legis præceptum lapidare, sed ipsos accusatores primum semetipsos considerare, et sic in peccantem sententiam dare præcepit, ut ex consideratione propriæ infirmitatis (3), qualiter aliis misereri debuissent, agnoscerent. Sed quia moris solet esse Scripturarum ut aliquando a statu temporis, aliquando a situ loci, aliquando ab utroque, qualia sint (4) post narranda significent; relaturus Evangelista temperatam legis discretionem misericordia Redemptoris (5), præmisit, quia « Jesus perrexit in montem Oliveti (6), et diluculo ite» rum venit in templum[11]. » Mons quippe Oliveti sublimitatem Dominicæ pietatis et misericordiæ designat, quia græce *oleos*, latine misericordia vocatur (7); et ipsa unctio olei fessis ac dolentibus membris solet afferre levamen; sed et hoc, quod oleum agilitate et puritate præeminet, ut quocumque liquore superfundere volueris (8), confestim hunc transcendere eique superferri consueverit, gratiam misericordiæ cœlestis non inconvenienter insinuat (9). De qua scriptum est : « Suavis Do» minus universis, et miserationes ejus super omnia opera

[1] Tit. I, 9. — [2] Matth. XIII, 52. — [3] Id. XXIV, 45-47. — [4] Joan. VI, 13. — [5] I Cor. I, 27. — [6] Psal. LXIV, 12, 13. — [7] Joan. VI, 14. — [8] Matth. XIII, 57. — [9] Luc. XIII, 33. — [10] Matth. XVI, 16. — [11] Joan. VIII, 1, 2.

(1) Sic cod. evidenti errore. Forte legendum ex impietate. — (2) Deest ut in cod. X. — (3) Cod. X, fragilitatis, qualiter alteri, etc. — (4) Sic cod. X; cod. autem XXXVI mas. — (5) Cod. X temperatam legis distinctionem misericorditer; cod. autem XXXVI habet misericordia, quod est mendum, sed et temperatam, quod claudicat. — (6) Vide August. Tract. XXXIII in Joan. num. 3. — (7) Cod. X, quia et græce misericordia oleetum vocatur, eleon. — (8) Cod. X male oleum et virtute ac puritate præeminet, et quæcumque liquorem, etc. — (9) Desunt hæ voces non inconvenienter in cod. XXXVI, sed leguntur in cod. X.

» ejus[1]. » Tempus quoque diluculi exortum ejusdem gratiæ, qua, remota Legis umbra, lux evangelicæ veritatis erat revelanda demonstrat. « Pergit ergo Jesus in montem Oli» veti, » ut arcem misericordiæ in se constare denuntiet. « Venit iterum diluculo in templum, » ut eamdem misericordiam, cum incipiente Novi Testamenti (1) lumine, fidelibus, templo videlicet suo, pandendam præbendamque significet.

II. « Et omnis, inquit, populus venit ad eum, et se» dens docebat eos[2]. » Sessio Domini humilitatem incarnationis ejus, per quam nobis misereri dignatus est, insinuat. Unde etiam nobis præcipitur : « Surgite postquam sede» ritis[3]; » ac si aperte dicat : Non ante (2), sed postea, quia cum (3) vera vos humilitate castigaveritis, præmium supernæ exultationis vos accepturos sperate. Bene autem dicitur, quia cum sedens doceret Jesus, omnis populus venit ad eum, quia postquam humilitate suæ (4) incarnationis proximus benignusque factus est, libentius est ut a multis ejus sermo receptus. Nam (5) a pluribus est superbiæ impietate contemptus. « Audierunt enim (6) mansueti, et lætati sunt[4], » magnificantes Dominum cum Psalmista, et exaltantes nomen ejus in invicem (7). Audierunt invidi, « et dissoluti sunt, nec compuncti (8) » sunt[5], » tentaverunt eum, et deriserunt (9), striderunt in eum dentibus suis. Denique tentantes adduxerunt mulierem in adulterio deprehensam, interrogantes quid de ea fieri juberet (10), quam Moyses talem mandaverat lapidari (11); ut si ipse hanc lapidandam decerneret, deriderent eum quasi misericordiæ, quam semper docuerat (12), oblitum; si lapidari vetaret, striderent in eum dentibus suis, et quasi fautorem scelerum legisque contrarium valerent merito damnare (13). Sed absit ut terrena stultitia (14) quid diceret inveniret, et cœlestis sapientia respondere deficeret (15). Absit ut (16) impietas cæca, soli justitiæ, ne mundo luceret, obsisteret. « Jesus » autem, inquit, inclinans se deorsum, digito scribebat » in terra[6]. » Per inclinationem Jesu, humilitas; per digitum qui articulorum compositione flexibilis est, subtilitas discretionis exprimitur. Porro per terram cor humanum, quod vel bonarum actionum, vel malarum, solet reddere fructus, ostenditur. Postulatur ergo Dominus judicare de peccatrice; non statim dat judicium, sed prius « Se inclinans deorsum, digito scribebat in terra, » ac sic (17) demum, quod obnixe rogatur judicat, nos videlicet typice instituens, ut cum quælibet proximorum errata conspicimus, non hæc antea (18) reprehendenda judicemus, quam (19) ad conscientiam nostram humiliter reversi, digito eam discretionis solerter exculpemus, et quid in ea Conditori (20) placeat, quidve displiceat, sedula (21) examinatione dirimemus, juxta illud Apostoli : « Fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo de» licto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in » spiritu mansuetudinis (22), considerans te ipsum, ne et » tu tenteris[7]. »

III. « Cum autem perseverarent interrogantes eum, erexit » se, et dixit eis (23) : Qui sine peccato est vestrûm, » primus in illam lapidem mittat[8]. » Quia hinc et inde Domino Scribæ et Pharisæi tendebant laqueos insidiarum, putantes eum vel immisericordem futurum in judicando, vel injustum, prævidens (24) ille dolos illorum, quasi fila transiit araneæ, et judicium justitiæ per omnia et mansuetudinem pietatis ostendit (25), completumque est in eis illud Psalmistæ, quod diximus, quia « Dissoluti » sunt, nec compuncti sunt[9]; » dissoluti sunt namque, ut Dominum (26) insidiis concluderent, nec compuncti sunt, ut eum dilectionis sequerentur officiis. Vis enim audire temperantiam miserendi ? « Qui sine peccato est » vestrûm; » vis iterum audire justitiam judicandi ? « Primus in illam lapidem mittat. » Si Moyses, inquit, mandavit vobis mulierem hujusmodi lapidare (27), videte quia non hoc peccatoribus, sed justis facere præcipit. Primo vos ipsi justitiam Legis implete, et sic innocentes manibus et mundi corde ad lapidandam ream concurrite. Primo spiritualia Legis edicta, fidem, et misericordiam, et veritatem perficite, et sic ad carnalia judicanda vos (28) convertite. Data autem judicio Dominus, « Iterum se » inclinans scribebat in terra[10]. » Et quidem juxta morem consuetudinis humanæ, potest intelligi quod ideo coram tentatoribus improbis inclinari, et in terra scribere voluerit, ut alio vultu intendans, liberum daret exiendi locum, quos sua responsione percussos citius exituros, quam plura interrogaturos (29) esse prævideret.

IV. Denique « Audientes unus post unum exibant, » incipientes a senioribus[11]. » Sed figurate nos admonet in eo quod, et ante datam, et post datam sententiam, inclinans se scribit in terra, ut et prius peccantem proximum corripiamus, et postquam debitæ castigationis illi ministerium reddiderimus, nos ipsos digna humilitatis investigatione perpendamus; ne forte vel eisdem quæ in illis reprehendimus vel aliis quibuslibet simus facinoribus irretiti. Evenit (30) enim sæpe, ut qui verbi gratia homicidam publice peccantem judicant, pejus odiorum malum quo ipsi in secreto depopulantur, non sentiant; qui fornicatores accusant, pestem superbiæ, qua de sua castitate extolluntur, ignorent; qui ebriosum condemnant, virus invidiæ, quo exeduntur, ipsi non videant. Quid ergo nobis in hujusmodi periculis remedii, quid restat salutis, nisi, cum peccantem conspicimus alium, nos inclinemus nos deorsum, id est, quæ (31) delicta ex nostræ conditionis fragilitatis vitare non possumus, si non nos divina pietas sustentet, humiliter inspiciamus. Digito scribamus in terra, id est, discrimine solerti pensemus, an cum beato Job dicere possimus : « Neque enim reprehen» dit nos cor nostrum in omni vita nostra[12]; » et meminerimus seduli, quia, si reprehenderit nos cor nostrum, major est Deus corde nostro, et novit omnia.

V. Possumus autem, et ita recte intelligere quod veniam peccatrici daturus (32), digito Dominus in terra scribere voluerit, ut (33) ipsum se esse monstraret, qui Legis Decalogum suo digito, id est, Spiritus sancti opere

[1] Psal. cxlv, 9. — [2] Joan. viii, 2. — [3] Psal. cxxvi, 2. — [4] Id. xxxiii, 3. — [5] Psal. xxxiv, 16. — [6] Joan. viii, 6. — [7] Galat. vi, 1. — [8] Joan. viii, 7. — [9] Psal. xxxiv, 16. — [10] Joan. viii, 8. — [11] Ibid. 9. — [12] Job. xxvii, 6.

(1) Desunt hæ voces in cod. x. — (2) Cod. x antea. — (3) Deest hæc vox in codd. sed requirit sensus. — (4) Id. in cod. x. — (5) Cod. x namque. — (6) Deest enim in cod. xxxi. — (7) Cod. x male exultantes nomen ejus invicem. — (8) Desunt hæ voces in cod. x. — (9) Cod. x addit derisq. Deinde cod. xxxvi pessime stridnerunt. (10) Ita cod. x, qui tamen male legit jubere; cod. xxxvi quod de ea juberet; deinde ambo codd. Moysen. — (11) Cod. x lapidare mandaverit; forte legendum quia Moyses talem mandaverat lapidari. — (12) Id. semper docebat. — (13) Id. velut merito damnarent. — (14) Sic cod. x; cod. autem xxxvi male sed absit ad terrena stultitia ea quod, etc. — (15) Cod. x quid responderet, et ante sapientiam. Forte legendum et cœlesti sapientiæ, quod responderet, deficeret. — (16) Deest ut in cod. x. — (17) Cod. male si. — (18) Cod. x ante. — (19) Codd. quia. — (20) Sic cod. x; cod. autem xxxvi male conditoris. — (21) Sic cod. x; vox sedula in cod. xxxvi non reperitur. — (22) Cod. x lenitatis. — (23) Deest vox eis in cod. xxxvi. — (24) Codd. prævidet. — (25) Cod. x ostendens, qui prius male dolosos et transit. — (26) Id. male nec. (27) Hinc in omnibus dissentiunt ambo codices; cod. x pergit, ut legitur in Editis tract. xxxiii in Joan. num. 4, cum paucis variantibus, quarum una et altera Benedictinorum opus feliciter emendant, ut videri potest in variantibus a nobis collectis; cod. autem xxxvi modo prorsus diverso progreditur in hunc modum. — (28) Hanc vocem addidimus, quæ vera est necessaria. — (29) Cod. male exiendis,... quo,... interrogamus.... et deinde exiebat. — (30) Ibid. ea venit. — (31) Id. quæ semen quando, et inferius negationem non prætermittit. — (32) Id. male addit est. — (33) Id. et.

quondam scripsit in lapidem. Et bene lex in lapidem scripta est, quæ ad domanda duri et contumacis populi præcordia dabatur; bene in terra scripsit Dominus, gratiam remissionis daturus contritis et humilibus corde, qui fructum possent ferre salutis. Bene inclinans se deorsum digito scribit in terra, qui quondam sublimem se ostendens in monte, digito scribebat in lapide, quia per humiliationem susceptæ humanitatis, spiritum gratiæ fructiferis fidelium cordibus infundit, qui excelsus in angulo (1) apparens, duris dura quondam dedit mandata populis. Bene inclinatus scripsit in terra, erectus misericordiæ verba depromit, quia quod per humanæ infirmitatis societatem promisit (2), per divinæ virtutem potentiæ hominibus donum pietatis impendit. « Erigens se, inquit, Jesus, dixit ei : Mulier, ubi sunt qui » te accusabant? Nemo te condemnavit? Quæ dicit : » Nemo, Domine[1]. » Nemo condemnare ausus est peccatricem, quia in se singuli cernere cœperant, quod magis damnandum cognoscerent. Sed qui accusantium turbas prolato justitiæ pondere fugavit, videamus accusatam quanto misericordiæ munere sublevet. Sequitur : « Dixit » autem ei Jesus : « Nec ego te condemnabo. Vade et amplius noli peccare[2]. » Impleta est hoc loco sententia Psalmographi, qui in Domini laudibus canit (3) : « Intende, prospere procede, et regna, propter veritatem, » et mansuetudinem, et justitiam, et deducet te mirabiliter dextera tua[3]. » Propter veritatem quippe regnat, quia viam veritatis mundo prædicando, catervis credentium regni sui gloriam dilatat. Propter mansuetudinem et justitiam regnat, quia plures ideo se regno subjiciunt illius, quod eum mansuetum in liberandis a peccato pœnitentibus, et justum in damnandis pro peccato contumacibus esse cognoscunt : mansuetum, in largienda gratia fidei et virtutum cœlestium; justum, in reddenda mercede perpetua fidei, et cœlestium certamini (4) virtutum. « Deduxit eum mirabiliter dextera tua; » quia habitans in homine Deus, mirabilem (5) eum in omnibus quæ faceret et doceret ostendit. Sed et insidias quas astutus hostis excogitare potuerat, mirabili prudentia semper eludentem monstravit. « Nec et ego te, inquit, » condemnabo; vade, et noli amplius jam peccare. » Quam misericors et pius est! præterita peccata relaxat. Quam justus est! et justitiam diligit, ne amplius peccet, interdicit.

VI. Verum quia poterant dubitare aliqui, an posset Jesus, quem (6) verum hominem noverant, dimittere peccata; dignatur ipse apertius quid divinitus valeat ostendere. Post repulsam namque tentatorum nequitiam, post solutam peccatricis culpam, iterum loquitur eis dicens : « Ego sum lux mundi; qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lucem vitæ[4]. » Ubi manifeste ostendit, non solum qua auctoritate mulieri peccata dimiserit, sed quid etiam figuraliter expresserit ipse pergendo in montem Oliveti, quid diluculo iterum veniendo in templum, quid digito in terra scribendo, patrem videlicet se esse misericordiarum, et Deum totius consolationis, simul et largitorem lucis indeficientis, (7) Legis pariter latorem, et gratiæ. « Ego sum lux mundi. » Ac si aperte dicat : Ego sum lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum[5]; » Ego sol justitiæ, qui timentibus Deum orior. Tegor enim nube carnis, non ut abscondar quærentibus, sed ut temperer infirmis, ut sanent oculos mentis, fide purificent corda sua, ut me ipsum mereantur intueri. « Beati enim » mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt[6]. Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen » vitæ. » Qui meis modo jussis et exemplis obsequitur (8), non timebit in futuro tenebras damnationis, sed lucem potius vitæ, ubi nunquam prorsus moriatur, habebit.

VII. Sequamur igitur, fratres, modo lucem justitiæ fide quæ per dilectionem operatur, ut eam tunc consequi mereamur specie, quæ dilectionis meritum et remuneret, et addat, ipso attestante, qui ait : « Qui autem diligit » me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et » manifestabo ei me ipsum[7]. » Veniamus tota mentis intentione ad eum, qui in visibili monte Oliveti locum habebat. « Unxit eum (9) Dominus Deus suus oleo lætitiæ » præ consortibus ejus[8], » ut et nos consortes ejusdem suæ unctionis, id est gratiæ spiritualis dignetur facere participes, quod non tamen aliter quam (10) diligendo justitiam, et odiendo iniquitatem, adipisci merebimur; nam et de ipso Psalmus qui hæc loquitur præmisit : « Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem[9]; » et prædicando videlicet gloriam capitis, et membra quæ ad hoc pertinere possint, qualiter conversari debeant, ostendendo. Reminiscamur quia ipse diluculo venit in templum, et ipsi existere nostri Conditoris studeamus templum : discussis vitiorum tenebris, in lucem proficere virtutum, quatenus etiam nostra præcordia visitare Dominus, nos cœlestibus instruere disciplinis, et quidquid in nobis sordidum repererit propitius emundare dignetur, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XVI.

De Verbis Evangelii secundum Joannem : *Dixit Jesus Discipulis suis : Amen, amen dico vobis : Non est servus major domino suo, neque Apostolus major est eo qui misit illum*, etc. Joan. XIII, 16-32.

Educitur hic sermo ex Bibl. Ædil. Cod. CXLII, *fol.* 204, *Differt ab iis qui editi sunt de eadem Scriptura in tractatibus* LIX, LX, LXI *et* LXII, *sed in quibusdam ad eorumdem explicationes accedit. Nomen habet Augustini in Codice, nec satis constat utrum sit diversa homilia a sancto Doctore facta, an earumdem brevius compendium. Quidquid sit, in tantis sapit Augustinum, ut non prætermittendus videatur. Locus ejus post sermonem Maurinensem* CXL.

SYNOPSIS.

I. De electione Judæ. II. Præscientia Christi. III. Honor Christi ministris collatus. IV. Græcorum usus de die Paschæ. V. Turbatio christianismo non repugnat. VI. Judæ crimen insinuat Christus, non prorsus patefacit. VII. Interrogatio facta a Joanne. VIII. Quomodo in Judam, qui jam a diabolo possessus erat, introivit Satanas. IX. Crimen a Christo non præceptum. X. Non prohibitum est argentum habere, sed male habere. XI. Judæ impudens malitia. XII. Clarificatio Filii hominis.

I. Non intelligit Judam fore beatum cum cæteris la-

[1] Joan. VIII, 10. — [2] Joan. VIII, 11. — [3] Psal. XLIV, 5. — [4] Joan. VIII, 12. — [5] Id. I, 9. — [6] Matth. V, 8. — [7] Joan. XIV, 21. — [8] Psal. XLIV, 8. — [9] Ibid.

(1) Sic cod. qui melius dicere videretur *in monte*, et forte *in arduo*. — (2) Sic ex conjectura correximus codicis mendum, qui scribit *permanat*. — (3) Vide Augustin. tract. XXXIII in Joan., num. 4. — (4) Cod. male *certamine*. — (5) Ibid. *mirabile*. — (6) Id. *quæ*, pro *quem*, nisi potius legendum videatur contra codicis tenorem, *quæ verum hominem fecerant*. — (7) Id. pessime *indeficientis*. — (8) Id. male *assequitur*. — (9) Id. *eum*. — (10) Id. *tam... quæ*.

cientibus ea quæ ipse Dominus fecit et docuit. Et hoc est quod sequitur : « Non de omnibus vobis dico, ego « scio quos elegerim; sed ut impleatur Scriptura : Qui » manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum « suum[1]. » Judas levavit contra eum calcaneum suum, hoc est, conculcavit eum in quantum potuit. Alia vero translatio Psalmi sic habet : « Homo pacis meæ in quo » speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me » supplantationem[2]. » Elegit quidem Dominus Judam ad illud quod de eo factum est, in salutem aliorum : undecim vero elegit sibi sequaces, ut beati fierent. Unde alibi : « Elegi vos duodecim, et unus diabolus est[3]. »

II. « Amodo dico vobis, priusquam fiat, ut credatis, » cum factum fuerit, quia ego sum[4]. » Ac si dicat : Usque huc toleravi, obtacui; sed jam noto proditorem, antequam faciat, quod cito facturus est, ut postea credatis, quia ego sum ille de quo Scriptura illa prædixit.

III. Cum igitur exemplo suo docuit Apostolos humiliationem et calcanei passionem, supponit quo consoletur eos honorem (1), quod ipse et Pater in eis recipietur. « Amen, amen dico vobis, qui accipit si quem misero, » me accipit. Qui autem me accipit, accipit eum qui me » misit[5]. » In verbis istis non unitas naturæ missi et mittentis, sed in misso mittentis auctoritas commendatur. Quisquis ergo missum sic accipiat, ut in eo mittentem attendat, ut in Petro Christum, scilicet in servo Dominum, in Christo Patrem, scilicet in Unigenito Genitorem.

IV. Acute intuendum, si prædicta cœna fuit eadem quæ paulo post commemoratur, quomodo ante diem festum Paschæ facta est? Sed supra dictum est, et diem azymorum pro Pascha, et pro diebus azymorum, quorum primus et ultimus major cultu habebatur, poni Pascha. Unde Joannes dicit : « Ante diem festum Paschæ, » vocando Pascha primum diem solemnitatis sequentis, id est, sextam feriam. Græci vero non illum diem, cujus vespere luna quartadecima apparuit, sed solum sequentem vocant diem (2) immolationis Agni, dicentes Dominum quinta feria anticipando comedisse cum Discipulis paschalem agnum, et tunc instituisse sacramenta carnis sanguinisque sui, dum adhuc fermentatum comederetur, ideoque in fermentato sacrificant. Dicunt itaque Dominum ipso die Paschæ crucifixum fuisse ad meridiem, et ad hoc confirmandum inducant, quia Judæi noluerunt intrare in prætorium, scilicet Pilati domum, ne contaminarentur; sed comederent Pascha, non intelligentes Pascha, nisi esum Agni. Cum igitur patenter contrarii sint tribus Evangelistis, impudenter dicitur (3), Joannem in hac parte correxisse eos; sed constat omnes eodem spiritu locutos fuisse, ne si in uno errarent, in aliis minus eis crederetur.

V. « Cum hæc dixisset, turbatus est spiritu, et pro« testatus est, et dixit : Amen, amen dico vobis quia » unus ex vobis tradet me[6]. » Protestatur, id est, prædicit occultum crimen, ut videns proditor se latere non posse, pœniteat facti. Nec tamen designat eum ex nomine, ne aperte coargutus, impudentior fiat. Mittit ergo crimen in numero, ut conscius pœnitentiam agat. Turbatus est Dominus potestatis (4), transfigurans in se affectum nostræ infirmitatis. Ergo quando turbamur, non desperemus. Pereant argumenta philosophorum (5), qui negant in sapientem cadere perturbationes animorum. Turbetur animus christianus non miseria, sed misericordia. Quod enim Dominus turbatur spiritu, significat turbandos spirituales ex charitate, cum urgens causa zizania a tritico ante messes cogit separare.

VI. « Et illi cœperunt contristari, et dicere singilla» tim : Numquid ego sum, Domine[7] ? » Noverant undecim Apostoli, quod nihil tale cogitaverant, sed plus credunt Magistro, quam sibi, et timentes fragilitatem suam, tristes quærunt de peccato, cujus non habent conscientiam. Quibus ait : « Qui mecum intingit manum » in catino, hic me tradet[8]. » Cæteris contristatis, et retrahentibus manus, et interdicentibus cibos ori suo, Judas impudentia qua proditurus erat Magistrum, manum mittit in paropside, ut audacia bonam conscientiam mentiretur. Et notandum quod omnes duodecim de eodem vase in circuitu cibos cum Domino sumebant in cœnaculo strato, quasi jacendo more antiquo recumbentes; alioquin proditor per intinctionem manus expresse notatus esset, si nullus de aliis ad escam Domini manum extendisset. Quod vero Matthæus paropsidem[9], Marcus catinum dicit[10]; unus quadraturam vasis, alter quia esset fictile designat. « Filius quidem hominis vadit, sicut » scriptum est de illo; væ autem homini illi, per quem » Filius hominis tradetur[11]. » Pœna prædicitur, ut qui pudore non vincitur, timore corrigatur. Etiam hodie væ illi qui altaribus sacrosanctis malignus accedit, et præcordiis aliquo scelere pollutis. « Bonum erat ei, si natus » non fuisset homo ille[12]. » Si in utero matris mortuus fuisset, ne vivus nasceretur, in comparatione mali, quod postea promeruit, bonum sibi esset. Sic dicitur, Ponticum mare dulcius esse, quam cætera maria, id est, minus amarum; vel usitate et simpliciter dictum est, multo melius esse non subsistere, quam male subsistere, ut si de aliquo pessimo diceretur : Melius esset illi si nunquam fuisset.

VII. « Aspiciebant ergo ad invicem Discipuli, hæsi» tantes de quo diceret[13], » et quærentes inter se, quis esset ex eis qui hoc facturus esset. « Erat ergo recumbens » unus ex Discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat « Jesus[14]. » Quid dixerit (6), « In sinu, » paulo post ait, ubi dicit, « Supra pectus Jesu. » Ipse est Joannes quem diligebat Jesus, non plus omnibus, sed familiarius, ut adolescentem, ut cognatum, ut virginem, in quo formam contemplativorum proposuit. Erat enim consuetudo, ut scriptor gestorum, cum ad se veniret, tanquam de alio loqueretur; per sinum significatur secretum, de quo bibit divinitatis sacramentum. « Innuit ergo huic Simon Petrus, » et dicit ei : Quis est de quo dicit? Itaque cum recu» buisset ille supra pectus Jesu, dicit ei : Domine, quis » est? Respondit Jesus : Ille est, cui ego intinctum panem » porrexero[15]. » Interrogat Petrus Joannem non verbis, sed nutu corporis, Joannes Dominum familiari consilio, cui submissa voce exprimit proditorem.

VIII. « Et cum intinxisset panem, dedit Judæ Simo» nis Iscariotis, et post buccellam tunc introivit in illum » Satanas[16]. » Dominus per intinctam buccellam suum exprimit traditorem, fortassis per panis intinctionem, illius significans fictionem. Non enim omnia quæ intinguntur, abluuntur, sed nonnulla tinguntur, ut inficiantur. Si autem bonum aliquod hæc tinctio significat, eidem bono ingratum non immerito secuta est damnatio. Nota quia intraverat Satanas in cor Judæ, quando pactus est cum Judæis pretium de sanguine Domini, ut ait Lucas. Venerat ergo ad cœnam habens diabolum in cogitatione; post panem vero intravit in eum, non ad hoc, ut illum

[1] Joan. XIII, 18. — [2] Psal. XL, 10. — [3] Joan. VI, 71. — [4] Id. XIII, 19. — [5] Id. XIII, 20. — [6] Ibid. 21. — [7] Matth. XXVI, 22. — [8] Marc. XIV, 20. — [9] Matth. XXVI, 23. — [10] Marc. XIV, 20. — [11] Matth. XXVI, 24. — [12] Ibid. — [13] Joan. XIII, 22. — [14] Ibid. 23. — [15] Ibid. 24-26. — [16] Ibid. 26, 27.

(1) Cod. *honore*. — (2) Id. addit *mihi et*. — (3) Id. *dicit*. — (4) Id. *potestate*. — (5) Vide Augustin. in Joan. tractat. LX, num. 3. — (6) Vide August. in Joan. tractat. LXI, num. 4.

tentaret; sed ut proprium possideret. Intrat enim in cor, immittendo iniquas persuasiones cogitationibus iniquorum. Sed nunc intelligere debemus a diabolo Judam plenius esse possessum, sicut Apostoli, qui jam post resurrectionem acceperant Spiritum sanctum, insufflante Domino et dicente : « Accipite Spiritum sanctum[1], » postea plenius acceperunt in die Pentecostes.

IX. « Dicit ei Jesus : Quod facis fac citius[2]. » Non præcepit facinus, sed prædixit, dans in se potestatem, ut quia voluntatis crimen pro facto pensatur, invidia perageret re, quod voluntate jam fecerat (1). Festinat Dominus in bonum salutis fidelium, quod Judas operatur, sed non sibi. Multi quippe bonum, ut Judas, faciunt, sed nihil proficit illis.

X. « Hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid » dixerit. Quidam enim putabant, quia loculos habebat » Judas, quod dicit ei Jesus : Eme ea quæ opus sunt no- » bis ad diem festum, aut egenis ut aliquid daret[3]. » Habebat Dominus loculos, oblata fidelium conservans suorum necessitatibus. Tunc ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta, ubi intelligeremus, quod præcepit non cogitandum de crastino, non ad hoc fuisse præceptum ut nihil pecuniæ servetur a Sanctis; sed ne Deo pro ista serviatur, et propter inopiæ timorem justitia deseratur.

XI. « Respondens autem qui tradidit eum dixit : Num- » quid ego sum, Rabbi[4]? » Ne tacendo se prodere videretur, interrogat, sicut alii. In hoc quod ait : « Rabbi, » jungit affectum blandientis, et magistrum vocat, quasi excuset proditionem. « Ait illi : Tu dixisti[5]. » Cogitando aliquid dicitur, juxta illud : « Dixerunt apud semetipsos[6]. » Constat itaque, quia Judas corde dixit, et ratum habuit se esse proditorem. Confutatur ergo, cum audit : « Tu » dixisti, » nec tamen aliis aperte exprimitur. Potest enim intelligi quasi Dominus diceret, Non ego dixi. Cum ergo accepisset ille buccellam, exiit continuo. « Erat autem » nox[7]. » Quia bono male usus est, hæc præsumptio peccata auxit, ut aperte a Domino recederet. Nox autem congruit sacramento; erat enim, qui exiit, filius tenebrarum, faciens opera tenebrarum.

XII. « Cum ergo exisset, dicit Jesus : Nunc clarifica- » tus est Filius hominis, et Deus clarificatus est in eo. Si » Deus clarificatus est in eo, et Deus clarificavit eum in » semetipso, et continuo clarificavit eum[8]. » Exeunte Juda, pro quo dicebatur : « Non estis mundi omnes[9], » remanserunt soli mundi cum suo mundatore. In hoc significata est clarificatio Christi, in qua separatis malis, manebit in æternitate cum sanctis. Cum enim transibit mundus, nemo in populo Christi remanebit immundus. Et quia res significantes, tanquam significatæ, appellantur, ut petra non dicitur, Significabat Christum, sed, Christus erat (2); ita non dicit : Nunc significata est clarificatio; sed, Clarificatus est Filius hominis, id est, Deus clarificatus in eo, quia hæc est clarificatio Filii hominis. Quod quasi exponens subdit : « Si Deus clarificatus est in eo, » quia non venit facere voluntatem suam, sed Patris, et « Deus glorificabit eum in semetipso (3), et continuo fiet » hæc glorificatio[10]; » statim autem post mortem resurget humana natura immortali (4) æternitate, in qua apparebit Deum habere in se, qui eam resuscitabit. Vel quia mox futura quasi jam facta reputantur, potest et ita intelligi : Ecce traditor induit mercatores mortis, flagella, crucem; sed gloria triumphalis hæc est. Nunc clarificabitur Filius hominis, quia Sancti qui in tenebris expectant, videbunt Deum, anima ejus ministrante, quam cito expirabit. Et hoc est quod dicit Deum clarificari in eo. Si Deus clarificabitur in eo, id est, in membris ejus, ut expositum est, constat, quia « Deus et glorificabit eum » in se ipso, et continuo glorificabit, » ne differatur ejus immortalis resurrectio, ut aliorum.

SERMO XVII.

De Verbis Evangelii secundum Joannem : *Dixit Jesus Discipulis suis : Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Joan. XVI, 23-30.

Hic sermo legitur in tribus Codd., nempe duobus ex Bibl. Laurent., quorum prior habetur Plut. XVII, *Cod.* XLIII, *fol.* 25; *posterior autem Plut.* XIX, *Cod.* XVII, *fol.* 126 *b*; *uno vero ex Bibl. Ædil. Cod.* CXXXVI, *fol.* 131 *b*. *Omnes nomen sancti Augustini præferunt, cui nihil obstat quominus tribuatur. Locus ejus post sermonem Maurinensem* CXLV.

SYNOPSIS.

I. Orandum est, licet res postulata non impetretur. II Quare? Sunt qui mali petunt. III Sunt qui carnalia postulant, aut qui petunt bona boni pro indignis. IV. Aliquando bona a bonis postulata in futura tempora servantur. V. Sunt qui sancti contraria petunt animæ saluti. VI. Quid sit petere in nomine Christi. VII. Quid specialiter petendum? VIII. De locutione Christi in proverbiis. IX. Christus orat, ut homo; exaudit, ut Deus. X. Homo non prius amat, quam ametur. XI. Duplex Christi natura. XII. Proprium Deo, cogitationes hominum intueri.

I. Largitor virtutum, et remunerator meritorum, Dominus Jesus Christus, sciens humanam naturam nihil boni in (5) se habere posse, nisi per ejus gratiam, qui ait : « Sine me nihil potestis facere[11], » ad instantiam orandi et importunitatem petendi nos alibi hortatur, et admonet, dicens : « Petite et accipietis, quærite et in- » venietis (6), pulsate et aperietur vobis[12]. » Et ne aliquis impetrare se posse quod postulat, dubitaret, si tamen in oratione non deficiat, magnam fiduciam petentibus in exordio hujus lectionis exhibuit, dicens : « Amen, amen » dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, da- » bit vobis[13]. » Ubi notandum, quia cum nos ad petendum hortatur Dominus (7), sua gratuita dona, nostra vult esse merita. Et ideo quamvis sciat quid nobis necesse sit, antequam petamus eum, ut inveniat in nobis quod (8) juste remuneret, ad petendum nos invitat, dicens : « Om- » nis qui petit accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti » aperietur[14]. » Sed forte movet minus intelligentes, quare dicat : « Si quid petieritis Patrem in nomine meo, » dabit vobis; » cum legamus non solum inferiores quosque, sed etiam Paulum apostolum, qui summæ perfectionis fuit, aliquid petiisse, et non impetrasse.

II. Sed ut veridica Domini promissio nobis clarius eluceat, libet diversas personas petentium inspicere, et causas impetrandi vel non impetrandi discernere. Aliquando enim solet contingere, ut in oratione bona pe-

[1] Joan. XX, 22. — [2] Id. XIII, 27. — [3] Id. XIII, 28, 29. — [4] Matth. XXVI, 25. — [5] Ibid. — [6] Ibid. 20. — [7] Joan. XIII, 30. — [8] Ibid. 31, 32. — [9] Ibid. 10. — [10] Ibid. 31, 32. — [11] Id. XV, 5. — [12] Id. XVI, 24. — [13] Ibid. 23. — [14] Matth. VII, 8.

(1) Cod. male *faceret*. — (2) Deest vox *erat* in *cod.* — (3) Cod. male *in sæculo*. — (4) Id. *in mortali*. — (5) Deest in codd. *in*, quod requirit sensus. — (6) Sic cod. XVII; quæ verba desunt in cæteris codd. — (7) Sic id.; hæc vox deest in cæteris. — (8) Cod. augent *quid*.

tantur, sed quia mali sunt qui petunt, a Domino exaudiri non merentur. Superflue namque se exaudiri a Domino putant in suis orationibus, qui eum audire contemnunt in suis sermonibus, Salomone testante, qui ait: «Qui obturat aures suas (1), ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis[1].»

III. Aliquando vero carnales carnalia petunt, et ideo a Domino non exaudiuntur. Quibus per beatum Jacobum apostolum dicitur: «Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris permaneatis[2].» Aliquando boni bona petunt, sed illorum mala merita pro quibus petunt, eis obsistunt, ne exaudiantur; quales erant illi pro quibus Jeremiæ a Domino dicitur: «Tu vero noli orare pro populo hoc, et non assumas pro eis laudem et orationem, neque obsistas mihi, quia non exaudiam te[3].» Et iterum: «Si steterit Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum[4].» Nec tamen putandum est quod a fructu mercedis (2) privamur, quoties pro iniquis orantes exaudiri non meremur, quia et si illi non sunt digni accipere, pro quibus petimus, nobis tamen pro bona intentione merces recompensabitur. Unde (3) non dixit simpliciter: «Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit,» sed cum additamento: «Dabit vobis;» quod est dicere: Et si illi non merentur accipere, pro quibus petitis (4), vobis tamen pro affectu charitatis merces retribuetur, sicut Psalmista ait: «Et oratio mea in sinu meo (5) convertetur[5].»

IV. Aliquando Sancti sancta petunt, sed quia eorum petitio in præsenti non impletur, restat ut in futuro impleatur; sicut universalis Ecclesia quotidie in oratione postulat dicens: «Adveniat regnum tuum[6];» quod regnum non finita oratione advenit, tamen post universale (6) judicium sine dubio creditur venturum.

V. Aliquando Sancti cum in oratione contraria animæ suæ ignoranter (7) petunt, occulto judicio Dei non ad voluntatem, sed ad salutem exaudiuntur. Multo enim salubrius est exaudiri ad salutem, quam ad voluntatem. Quod ut manifestius intelligatur, duos in medium ponamus (8), unum malum et alterum bonum, ita tamen ut bonus petisse legatur, et non impetrasse, malus autem petisse, et impetrasse. Sed ne aliquis tacita conscientia dicat, fieri posse illum ante oculos Dei justum esse, qui est exauditus, et illum injustum, qui non est exauditus, talis in malo proponendus est, cujus malitiam nullus ignoret (9), et talis in bono, de cujus sanctitate nullus dubitet, Paulus scilicet apostolus, et diabolus. Quis enim diabolum auctorem malitiæ esse neget, maxime cum per beatum Job de eo dicatur: «Omne sublime videt, et ipse est rex super omnes filios superbiæ[7]?» Quis vero Paulum apostolum post conversionem sanctum fuisse dubitet, maxime cum ipse judex de eo testator dicens: «Vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israël[8].» Nullus. Et tamen diabolus petiit, et impetravit; Apostolus autem petiit et non impetravit. Petiit diabolus, ut substantiam Job læderet, et audivit: «Ecce universa quæ habet, in manu tua sunt[9].» Petiit Apostolus, ut auferretur ab eo stimulus carnis suæ[10], et non impetravit. Quis ergo horum magis exauditus est, diabolus, an Apostolus? Diabolus exauditus est ad voluntatem, non tamen ad salutem, quia inde deterior effectus est, unde sancto viro damnum inferre conatus est. Apostolus vero non est exauditus ad voluntatem, sed ad salutem, quia non expediebat illi, ut stimulus carnis suæ ab eo auferretur, qui ob custodiam humilitatis ei datus fuerat, sicut ipse dicit: «Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me (10) colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me, et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur[11].» Quicumque ergo fide non dubitans ea, quæ ad salutem animæ suæ pertinent, perseveranter petit, sine dubio exauditur, aut in præsenti, aut in futuro. Unde bene dicitur, «In nomine meo.» Nomen vero ejus Jesus est (11), id est, Salvator, sive salutaris. Ille ergo in nomine Jesu petit, qui animæ suæ salutem quærit.

VI. «Usque modo non petistis quidquam in nomine meo[12].» Numquid non ante petierunt Apostoli dicentes: «Domine, dic nobis, quando hæc erunt, vel quod signum adventus tui[13]?» Et his similia fecerant utique; sed quod ait: «Usque modo non petistis quidquam in nomine meo (12),» duobus modis intelligi potest; sive, «Non petistis quidquam,» quia me æqualem Patri non credidistis, ut in nomine meo peteretis; sive certe, «Non petistis quidquam,» quia ad comparationem eorum, quæ petere debuistis, nihil sunt quæ petistis. Fragiles namque mentes Apostolorum, ante passionem, prius terrena et transitoria petere noverant, sicut de duobus filiis Zebedæi legimus, qui persuaserunt matri, ut peteret ab eo, ut unus sederet a dextris, et alter a sinistris in regno ejus[14]. Sed quia ad comparationem eorum (13) quæ petere debuerant, nihil erant, quæ (14) petebant, protinus audierunt: «Nescitis quid petatis.» Terrena namque, et transitoria æternæ felicitati (15) comparata, nihil sunt æstimanda. Sed quia (16) hactenus ad ea, quæ æterna sunt, petenda pigri fuerant, Domini sermonibus ad petendum incitantur, cum dicitur, «Petite,» et ne se accepturos dubitarent, recte subjungitur, «Et accipietis.»

VII. Quid autem principaliter petere deberent, manifestatur, cum subinfertur: «Ut gaudium vestrum sit plenum[15].» Ubi ordo verborum talis est: Petite, ut gaudium vestrum sit plenum, et accipietis. In quo loco ostenditur, quia in oratione non aurum, non argentum, non terrenas divitias, non præsentis vitæ longitudinem petere debemus, sed vitam æternam, et ea quæ ad illam pertinent, id est, virtutes animæ. Plenum enim et perfectum gaudium esse non potest, ubi fragilitatis mutabilitas (17) ita variatur, ut vix per (18) unius horæ spatium gaudium nobiscum permanere possit. Subito enim lætitia a (19) tristitia absorbetur, gaudium in dolorem vertitur, sanitas (20) infirmitate læditur, ampla possessio paupertate tenuatur, prosperitas adversitate prosternitur; juventus ad senectutem, vita currit ad mortem. Cum ergo dicit: «Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum,» illam singularem et beatam vitam nos petere admonet, ubi est lætitia sine tristitia, gaudium sine do-

[1] Prov. xxviii, 9. — [2] Jacob. iv, 3. — [3] Jerem. vii, 16. — [4] Id. xv, 1. — [5] Psal. xxxiv, 13. — [6] Matth. vi, 10. — [7] Job. xli, 25. — [8] Act. ix, 15. — [9] Job. i, 12. — [10] II Cor. xii, 7-9. — [11] II Cor. xii, 7-9. — [12] Joan. xvi, 24. — [13] Matth. xxiv, 3. — [14] Matth. xx, 20, 22. — [15] Joan. xvi, 24.

(1) Cod. xvii *aurem suam*. — (2) Ibid. *quod fructu mercedis*. — (3) Sic cod. cxxxvi; cod. xliii addit *bene*, quæ vox legitur etiam in cod. xvii, qui tollit negationem *non*. — (4) Sic cod. xvii; cod. xliii *petetis*. — (5) Cod. cxxxvi *in sinum meum*. — (6) Sic cod. xvii; cod. autem xliii male addit *ecclesiæ*. — (7) Sic id., quæ vox deest in cod. xliii. — (8) Cod. xvii *ponimus*. — (9) Sic cod. xvii, qui et inferius *dubitet*; cod. autem xliii *ignoret,.. dubitat*. — (10) Cod. xvii ut *me*. — (11) Sic cod. cxxxvi; verbum *est* deest in cæteris codd. — (12) Hæc verba *in nomine meo* desunt in cod. xliii. — (13) Sic cod. cxxxvi; deest vox *eorum* in cod. xliii. — (14) Cod. xvii *nihil erat quod*. — (15) Cod. xliii male *felicitatis*; cod. autem xvii *felicitati*. — (16) Sic cod. xvii; cod. xliii *qui*. — (17) Cod. xvii *fragilitas mutabilitatis*. — (18) Deest vox *per* in cod., sed sensu requiritur. — (19) Sic cod. xvii; deest vox *a* in cæteris codd. Deinde cod. xliii male *dolore* pro *dolorem*, quod habet cod. xvii. — (20) Sic cod. cxxxvi; duo alii codd. male addunt *in*.

lore, securitas sine timore, vita sina morte; quam qui adepti fuerint, » Gaudium et lætitiam obtinebunt, et fu» giet ab eis dolor et gemitus[1]; » quaodo (1) implebitur quod Dominus alibi promittit, dicens : » Iterum videbo » vos, et gaudebit cor vestrum et gaudium vestrum nemo » tollet a vobis[2]. » Hanc devotus illa supplicator specialiter concupierat, cum dicebat : « Unam petii a Domino, » hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omni» bus diebus vitæ meæ; ut vidaam voluntatem Domini, » et visitem templum ejus[3]. » Et iterum : » Credo videre » bona Domini in terra vivantium[4]. »

VIII. » Hæc in proverbiis locutus sum vobis. Venit » hora cum jam non in provarbiis loquar vobis, sed pa» lam da Patre annuntiabo vobis[5]. » Proverbia quidem (2), similitudines dicuntur, quæ ad obscuriores quasque sententias intelligendas, necessarie auditoribus adhibentur, ut saltem per visibilia invisibilia cognoscere queaut. Unde liber Salomonis Proverbiorum nomen accepit, eo quod parvulorum ignorantiam per quasdam similitudines (3) ad sapientiam discendam suadaat. Locutum argo se dicit Dominus in proverbiis, quia prius fragilitati Discipulorom condescendens, ut mysterium regni cœlorum facilius capere possent, in suis sermonibus similitudines adhibuit; sicut ait Matthæus evangelista : » Loquebatur Jesus cum » Discipulis suis in parabolis, et sine parabolis non lo» quebator illis[6]. » Sed cum promittit se non in provarbiis locuturum, sed palam de Patre annuntiaturum, ad tantam perfectionem per Spiritus (4) sancti adventum ostendit dies (5) esse venturos, quibus non necesse sit jam in proverbiis quasi parvulis loqui (6); cum idem Spiritus sanctus adveniens palam de Patre annuntiabit (7), id est, perfecte cognoscere faciet, qualiter Pater in Filio, et Filius sit (8) in Patre, et quæcumque potest Pater similiter at Filius; secundum quod ipse ait : » Omnia quæ » habet Pater, mea sunt[7]. » Unde et subditur : » Illo die » in nomine meo petatis[8]; » quod est dicere : Illo dia, cum Spiritus sanctus adveniens cognoscere vos fecerit, quia » Ego et Pater unum sumus[9], in nomine meo pete» tis, » quia æqualem Patri me esse cognoscetis, et omnia dare me posse cum Patre credetis. Sive quod ait : » In » nomine meo petetis, » tala est ac si diceret : Cum Spiritus sanctus adveniens terrena vos parfecte contemnere fecerit, solummodo quæ ad salutem animarum pertinent petenda intelligetis (9).

IX. Et quia Christus ita homo apparuit, ut perfectus esset Deus, recte subjungitur : » Et non dico vobis, » quia ego rogabo Patrem de vobis[10]; » quia enim homo est, alibi Patrem pro Discipulis rogasse legitur dicens : » Pater sancte, serva eos (10) in nomine tuo quos dedisti » mihi[11]. » Et iterum : » Pater, cum essem cum eis, ago » servabam eos; nunc autem pro eis rogo, non pro mundo, » et non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a » malo[12]. » Et alibi Petro : » Ego pro te rogavi Patrem (11); » ut non daficiat fides tua. » Nunc autem non rogaturum se Patrem pro Discipulis dicit, quia omnipotens est in divinitate cum Patre. Rogat argo Patrem per humanitatem, quia omnia postulata cum eo dat per divinitatem; siva certe quod ait : » Et non dico vobis, quia ego rogabo » Patrem de vobis, » ad tantam beatitudinem Sanctos ostendit esse venturos in æternam vitam, ut nullius auxilio vel prece indigeant, quia (12) æterna beatitudine replebuntur; sicut Dominus per Isaiam (13) prophatam pollicetur, dicens : » In diebus illis, et in tempore illo » non docebit vir fratrem suum, neque proximum suum » dicens: Cognosce (14) Dominum; omnes enim cognos» cent me a minimo usque ad maximum, dicit Dominus[13]. » Et ideo non dixit de præsenti, Rogo, sed de futuro, Rogabo.

X. Quod autem subjunxit (15) : » Ipse anim Pater amat » vos, quia vos ma amastis, et credidistis, quia a Deo » exivi[14], non ita accipiendum est, quasi amor Discipulorum præcesserit, ut proprio merito a Patre amari mererentur, sed gratuito dono primum a Patre dilecti sunt, ut Filium credere et amare potuissent; de quibus per Prophetam ipse dicit : « Diligam eos spontanee[15]. » Et in Evangelio : » Non vos me elegistis, sed ego elegi vos[16]. » Hinc Jacob apostolus ait : » Voluntarie genuit nos (16) » verbo veritatis[17]. » Eadem (17) enim gratia quæ subsequitur hominem, ut bene possit, ipsa præcedit ut bene velit. Nisi enim humanam voluntatem gratia Dei præveniret (18), ut bene vallet, nequaquam Psalmista diceret: » Fortitudinem meam ad ta custodiam, quia tu es (19) » Deus susceptor meus; Deus meus, misericordia ejus » præveniet me[18]. » Et nisi eadem hominem subsequeretur, ut bene posset, nullo modo idem (20) Psalmista diceret : » Misericordia ejus subsequetur ma omnibus diebus vitæ » meæ[19]. »

XI. » Exivi a Patre, et veni in mundum, iterum re» linquo mundum, et vado ad Patrem[20]. » In hoc varsiculo Dominus utramque suam naturam, divinam scilicet et humanam nobis commendavit; quia anim Deus in forma divinitatis ab hominibus videri non poterat, « Exi» vit a Patre, et vanit in mundum, » quia, ut videri possit in forma servi, visibilem se mundo ostendit; sicut ait Apostolus : » Cum esset in forma Dei, non rapinam ar» bitratus est esse se æqualam Deo; sed semetipsum exi» nanivit formam servi accipiens in similitudinem (21) ho» minum factus, et habitu inventus ut homo[21]. » Iterum reliquit mundum, et ivit ad Patrem, quando expleto incarnationis suæ mysterio, humanam naturam, quam ex nobis assumpserat, in Patris dexteram collocavit, sicut ait Marcus evangelista : » Dominus quidem Jesus, post» quam locutus est eis, assumptus est in cœlum, et se» det (22) a dextris Dei[22]. » Sicut ergo non deseruit Patrem, cum in mundum venit, sic non reliquit electos, cum ad Patrem rediit; sicut ipse alibi ait : » Ecce enim ego vo» biscum sum omnibus diebus usqua ad consummatio» nem sæculi[23]. » Manens ergo cum Patre per divinitatem, venit in mundum per humanitatem; et rediens ad Patrem per humanitatem, mansit cum alectis per divinitatem; sicut ipse ait : » Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de » cœlo descendit, Filius hominis, qui est in cœlo[24]. »

XII. « Dicunt ei Discipuli ejus : Ecca nunc palam lo» queris, at proverbium nullum dicis[25]. » In his suis

[1] Isai. xxxv, 10. — [2] Joan. xvi 22. — [3] Psal. xxvi, 4. — [4] Ibid. 13. — [5] Joan. xvi, 25. — [6] Math. xxiv, 34. — [7] Joan. xvi, 15. — [8] Ibid. 26. — [9] Id. x, 30. — [10] Id. xvi, 26. — [11] Id. xvii, 11. — [12] Ibid. 11-15. — [13] Jerem. xxxi, 34. — [14] Joan. xvi, 27. — [15] Osee. xiv, 5. — [16] Joan. xv, 16. — [17] Jacob. i, 18. — [18] Psal. xviii, 10, 11. — [19] Id. xxii, 6. — [20] Joan. xvi, 28. — [21] Philip. ii, 6, 7. — [22] Marc. xvi, 19. — [23] Math. xxviii, 20. — [24] Joan. iii, 13. — [25] Id. xvi, 29.

(1) Sic cod. cxxxvi pro voce *quod* male posita in cæteris codd. — (2) Cod. cxxxvi male *quædam*. — (3) Sic cod. xvii; cod. xliii *quadam similitudine*, minus bene. — (4) Cod. xliii male *Spiritum*. — (5) Sic prorsus legendum; codd. autem habent *eos*. — (6) Sic codd. xliii; cod. cxxxvi male habet *necesse est*; cod. autem xvii graviori errore *quibus necesse est in proverbiis quasi proverbiis loqui*. — (7) Cod. male *annuntiet*. — (8) Sic cod. xvii; deest vox *sit* in cod. xliii. — (9) Sic cod. xvii; cod. xliii *intelligatis*. — (10) Sic cod. cxxxvi; cod. xliii *nos* male. — (11) Cod. male *patre*. — (12) Sic cod. cxxxvi; cæteri male *qui*. — (13) Hic memoria excedit auctor, aut amanuensis scribendo Isaiam posuit loco *Jeremiæ*; hæc enim verba leguntur apud *Jeremiam*, non apud Isaiam. — (14) Cod. xliii *cognosse*. — (15) Sic cod. xliii; cod. xvii *subjungit*. — (16) Codd. male *nobis*. — (17) Sic cod. xliii; cæteri *ea*. — (18) Sic cod. cxxxvi; cæteri male *perveniret*. — (19) Sic cod. cxxxvi; desunt verba *tu es* in cod. xliii. — (20) Sic cod. cxxxvi; cæteri habent *ita*. — (21) Sic cod. cxxxvi; cod. xliii *similitudine*. — (22) Cod. xvii *sedet*.

verbis ostendunt Discipuli, quia in hac ultima confabulatione loquens ad eos Dominus, de his maxime disputabat, quæ illos audire delectabat; et quamvis ea quæ loquebatur, nondum perfecte intelligerent, tamen se intelligere putantes, responderunt dicentes: « Ecce nunc » palam loqueris, et proverbium nullum dicis; » quia eorum (1) cogitationes frequenter præveniens, ea quæ interrogare volebant, non interrogatus in medium proferebat, divinæ naturæ indicium in eo comprehendunt. Unde et subjungunt (2) dicentes: « Nunc scimus, quia scis » omnia, et non opus est tibi, ut quis te interroget; in » hoc credimus, quia a Deo existi[1]. » Proprium namque est Deo, cogitationes hominum intueri, Scriptura testante, quæ (3) ait: « Tu Deus solus nosti corda filiorum » hominum[2]; » et iterum: « Quæ sunt in corde hominis, » oculi tui vident, Domine[3]; » et Psalmista: « Intel» lexisti cogitationes meas de longe[4]. »

SERMO XVIII.

De eo quod ait Apostolus: *Ut sciatis, quæ sit altitudo, latitudo, longitudo et profundum.* Ephes. III, 18.

Hic sermo non videtur esse completus, sed inter fragmenta potius est computandus. Extrahitur ex Lectionario Bibl. Mugellan., Cod. XI. fol. 26 b, propiusque accedit ad ea quæ habentur in Editis tract. CXVIII *in Joan. n.* 5; *serm.* CLXV, *num.* 4, 5, *et serm. Append.* CCXLVII, *n.* 4, 5. *Locus ejus post sermonem Maurinensem* CLXV.

SYNOPSIS.

Expositio textus Apostoli duobus modis, et quidem mysticis.

« Qui enim cognovit, inquit (Apostolus), latitudinem, » et longitudinem, et altitudinem, et profundum, et super» eminentem scientiæ charitatem Christi[5], » vidit et Christum, vidit et Patrem. Ego hæc verba apostoli Pauli sic intelligere soleo: In latitudine, bona opera charitatis; in longitudine, perseverantiam usque in finem; in altitudine, spem cœlestium præmiorum; in profundo, inscrutabilia judicia Dei, unde ista gratia in homines venit; et hunc intellectum coaptare etiam sacramento crucis, ut in latitudine, accipiatur transversum lignum, quo extenduntur manus, propter operum significationem; in longitudine, ab ipso usque in terram, ubi totum corpus crucifixum stare videtur, quod significat persistere, hoc est longanimiter permanere; in altitudine, ab ipso transverso ligno sursum versus, quo caput eminet, propter expectationem supernorum, ne illa opera bona, atque in eis perseverantia, propter beneficia Dei terrena ac temporalia, facienda credantur; sed potius propter illud, quod desuper sempiternum sperat « Fides quæ per dilec» tionem operatur[6]. » In profundo autem, pars illa ligni quæ in terræ abdito defixa latet, sed inde consurgit illud omne, quod eminet; sicut ex occulta Dei voluntate vocatur homo ad participationem tantæ gratiæ, « Alius sic, » alius autem sic[7], supereminentem vere (4) scientiæ » charitatem Christi[8], » eam profecto ubi pax illa est, quæ præcellit omnem intellectum.

SERMO XIX.

De adventu Domini I.

Sermonem hunc habes extractum e Cod. Cass. X, *fol.* 196, *nec sine voluptate leges, utpote qui doctis piisque sententiis abundet, nec a genere Augustiniano abscedat. Locus ejus ante sermonem Maurinensem* CLXXXIV.

SYNOPSIS.

I. Christus dux noster. II. Fideliter adimpletæ sunt prophetiæ. III. Cavendum, ne, sicut in diebus Noe, incauti deprehendamur. IV. Divitiis et rebus terrenis non inhærendum. V. Quanquam et divitibus possibilis sit salus. VI. Pauper malus, et bonus dives. VII. De malis temporum nemo murmuret. VIII. Dantur ista ad medicinam. IX. A Deo sæpius admonitis nulla remanebit excusatio. X. Moralis epilogus.

I. Fratres, Christiani sumus, et omnes iter agere volumus; et si nolumus, iter agimus. Manere hic nemo permittitur. Omnes venientes in hanc vitam, volubilitas temporum transire compellit. Nulli sit pigritiæ locus. Ambula, ne traharis. Occurrit nobis iter agentibus in bivio homo quidam, non homo, sed Deus, propter homines homo. Et dixit nobis: Ad sinistram ire nolite. Facilis quidem videtur, et lenis, et deliciosus iste transitus, tritus a multis, et latus; sed finis hujus viæ interitum habet. Sed est illa via quæ habet plurimos labores, difficultates, angustias, duritias, ubi non solum deliciæ non inveniuntur, sed vix humanitas competens exhibetur, per quam difficile ambulaturi estis, sed difficultate cito finita, ad magnam gaudiorum altitudinem venietis, ut evadatis illas insidias quas nemo evadit.

II. Recolamus præterita tempora et Scripturas sacras. Nonne ipse homo est Verbum Dei? Nonne ipsum « Ver» bum, » postea « Caro factum est et habitavit (5) in » nobis[9]? » Antequam caro fieret et habitaret in nobis, nonne ipsum Verbum locutum est per Prophetas? Locutus est utique Deus Verbo suo ad Abraham, quod genus ejus peregrinum futurum esset, cum ipse, cui dicebatur, erat senex, et Sara anus et sterilis. Creditum est; et factum est: quod ipsum genus, id est, populus inde nascens secundum carnem, serviturum (6) esset in Ægypto per annos quadringentos; factum est. Quod esset ab illa captivitate liberandus; liberatus est. Quod esset accepturus promissionis terram; accepit. Et longe futura et propinqua dicta sunt, et peracta; et nunc aguntur. Locutus est sermo Domini per Prophetas. Peccaturam (7) illam gentem, tradendam in manus hostium suorum, quod offenderint Deum suum; facta sunt omnia: venturam in captivitatem Babylonicam (8); et hoc factum est: venturum inde regem Christum; venit Christus, natus est Christus, quia ipse sermo se ipsum pronuntiabat esse venturum. Dictum est quod ipsum crucifixuri essent Judæi; crucifixerunt. Prædictum est quod resurrecturus et

[1] Joan. XXI, 30. — [2] 3 Reg. VIII, 39. — [3] Jerem. XX, 12. — [4] Psal. CXXXVIII, 2. — [5] Ephes. III, 18, 19. — [6] Galat. V, 6. — [7] 1 Cor. VII, 7. — [8] Ephes. III, 19. — [9] Joan. I, 14.

(1) Sic cod. XLIII; cod. XVII *qui vero eorum.* — (2) Sic cod. XLIII; cod. XVII male *subjungent*, et prius *comprehenderunt.* — (3) Cod. XLIII male *qui*; sed *quæ* legitur in cod. CXXXVI. — (4) Id. *vero.* — (5) Id. *habitabit.* — (6) Id. *quod serviturus.* — (7) Id. *peccare.* — (8) Id. *Babyloniam.*

glorificandus esset; factum est, resurrexit, ascendit in cœlum. Prædictum est quod in nomine ejus omnis terra creditura esset; prædictum est quod reges persecuturi essent (1) Ecclesiam ejus; facta sunt hæc. Prædictum est quod reges credituri essent in eum; tenemus jam fidem regum, et de fide Christi dubitamus? Prædictæ sunt hæresum circumcisiones. Numquid et ipsas non videmus? Et inter eas undique circumstrepentes (2) ingemiscimus? Prædictum est ipsa idola per Ecclesiam nomenque Christi esse delenda; et hoc videmus impleri. Prædicta sunt scandala in ipsa Ecclesia, prædicta et zizania, prædicta et palea; hæc omnia et oculis intuemur (3), et quantacumque possumus fortitudine impertita a Domino toleramus. In quo te fefellit iste, qui tibi ista dixit? Hac perge, dicto securus, si fidelis es. Experimenta tanta capiens hujus qui tibi loquitur, in his rebus eum probo, quia sic se probare (4) dignatus est. Si omnino verum mihi dicit, non me fallit. Hæc omnia quæ dicit, omnia ejus vera teneo. In nullo mentitus est. Talem eum novi; sermo Dei est. Per ora servorum suorum locutus est, et non fefellit; per os suum quod dicit, fallere poterit? Ille autem cui adhuc nondum notus est, qui de Christo dubitat, dicat et ipse: Hac pergam, ne forte verum dicat, cui jam totus mundus credidit.

III. Fratres mei, multi non credentes, neque vocem sanctorum Patrum audientes, sic habent inveniri, quomodo multitudo illa inventa est in die Noë (5). Non evaserunt, nisi qui in arca fuerunt. Nam si cogitarent, et immutarent (6) vias suas ab impietate, et ad Dominum nostrum converterentur, satisfacerent ei pro delictis suis, et ingemiscentes ad ejus misericordiam, sine dubio non perirent. Neque enim Deus in Ninivem immisericors fuit, quæ in triduo meruit salvari. Quid tam breve quam triduum? Nec tamen illi in tanta angustia temporis, de Dei misericordia desperaverunt, ad flectendam ejus clementiam. Si ergo tridui (7) spatium habuit tam magna civitas flectere ad misericordiam Deum, quantum esse potuit spatium per centum annos, et ducentos, et trecentos, in quibus fabricabatur arca? Ex quo cœpit Christus ligna imputribilia de sylva gentium cædere, id est, Ecclesiæ, si homines illi vias suas moresque mutassent, si ad propitiandum Deo sacrificium contribulati cordis offerrent, sine ulla dubitatione, illæsi evaderent. Timeant ergo homines, ne sic inveniantur in illo die novissimo. Sed nos, fratres, ita agamus, ut mutemus vias nostras ab impietate, et emendemus mores, dum tempus habemus, ut dies ille paratos nos inveniat. Quia nunquam mentitur, qui illum dicit venturum esse. Cave ne dubites, quia verum est. Nam in diebus Noë sic erat: « Manducabant, » bibebant, nubebant, uxores ducebant, emebant, vendebant, donec intravit in arcam Noë, venit diluvium, » et perdidit omnes[1], » qui spem suam in hoc sæculo ponebant, et securi vivere cupiebant. Sed non in regione securitas, et non evaserunt nisi qui in arca fuerunt.

IV. Sed dicunt sibi multi: Jubemur expectare illum diem, nec inveniri tales quales inventi sunt extra arcam, qui in illo diluvio perierunt. Certe exterret (8) nos tuba Evangelii; Verbum Dei exterret nos. Quid faciemus nos? Ergo non erit ducenda uxor? dicit hoc juvenis. Dicit adolescens; Non erit manducandum, non erit bibendum? semper erit jejunandum? Multi ista dicunt. Et qui volebant forte aliquid emere, dicent sibi: Jam non est emendum aliquid, ne inveniamur in illorum numero qui in diluvio perierunt? Quid ergo faciemus, fratres? Si ita est, ergo flendum est, quomodo contristati sunt Apostoli supra humano genere, cum audissent Dominum dicentem: « Si vis esse perfectus, vende omnia tua, et da » pauperibus; et habebis thesaurum in cœlo, et veni, » sequere me[2]? » Ille cui dictum est, contristatus est, abscessit; et cum Magistrum bonum appellaret, a quo quærebat consilium vitæ æternæ, tamdiu visus est Magister bonus, dum hæc diceret et juxta quod (9) interrogatus est. « Dixit Dominus, et contristatus est dives[3]. » Discedente autem illo tristi (10) Dominus ait: « Quam difficile intrat dives in regnum cœlorum[4]! » quasi clausum sit contra divites regnum cœlorum. Quid fiet? Clausum est. Sed ait: « Pulsate, et aperietur vobis[5]. » Atque utinam tam pauci irent in ignem, quam pauci sunt divites! Nunc vero et de numero divitum multi ituri sunt in regna cœlorum, et de numero pauperum multi ituri sunt in ignem æternum, non qui sit dives facultate, sed qui ardeat cupiditate.

V. Contristati sunt autem Discipuli. Dominus ait: « Quod hominibus difficile est, Deo facile est[6]. » Difficultate commoti estis, quod nominavit camelum[7]. Si vult, illa immanis bestia, quæ camelus dicitur, intrat hic per foramen acus. Nam ideo hoc dignatus est dicere; et ideo dives potest intrare in regnum cœlorum, quia propter ipsum camelus intravit per foramen acus. Quid est hoc? videamus si apparet. Neque enim sine causa et Joannes Baptista præcursor ipsius Domini, vestem habebat de pilis cameli; qui venturo post se illo judice, cui præbebat testimonium, quasi chlamydem de illo habebat. Agnoscamus, camelo nominato, figuram Domini nostri Jesu Christi (11). Agnoscamus magnum, et tamen humili cervice, quod nemo potest per suas manus onerare (12), nisi in terram semetipsum deponat (13). Sic et « Christus humiliavit semetipsum usque ad » mortem[8], ut destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum[9]. » Ergo et foramen acus videamus, per quod ille tam magnus ingressus est; in acus enim punctione quas (14) sponte passiones sustinuit, in foramine vero angustias. Jam ergo camelus intravit per foramen acus; non desperent divites, securi intrent (15) regnum cœlorum.

VI. Sed agnoscamus quales divites. Ecce nescio quis de transverso pannis obsitus, exultavit ac risit, quando dictum est divitem non intrare in regnum cœlorum, et dixit; Ego intrabo. Hoc mihi isti panni præstabunt. Non introibunt illi, qui nobis injurias faciunt, qui nos premunt. Plane tales non intrabunt. Sed, pauper, vide utrum intres. Quid si pauper es, et cupidus sis? quid si premeris inopia, et ardes avaritia? Si ergo talis es, quisquis es pauper, non quia noluisti, dives non es (16), sed quia non potuisti. Non ergo Deus inspicit tuam facultatem, sed voluntatem attendit. Talis ergo, si es malæ vitæ, malis moribus, blasphemus, adulter, ebriosus, superbus, recede a numero pauperum Dei. Non eris inter illos de quibus dictum est: « Beati pauperes spiritu, » quoniam ipsorum est regnum cœlorum[10]. » Ecce talem invenio divitem, ex cujus te comparatione jactasti; et ad regna cœlorum ausus es aspicere? Invenio pauperem spiritu, id est, humilem, pium, innocentem, non blasphemantem, voluntatem Dei sequentem; et si aliquid

[1] Luc. xvii, 27. — [2] Matth. xix, 21. — [3] Ibid. 22. — [4] Ibid. 23. — [5] Id. vii, 7. — [6] Id. xix, 26. — [7] Ibid. 24. — [8] Philip. ii, 8. — [9] Hebr. ii, 14. — [10] Matth. v, 3.

(1) Cod. esset. — (2) Id. circumstrepentem. — (3) Id. intuemur. — (4) Id. reprobari. — (5) Vide August serm. cccxi, num. 20 et 21. — (6) Cod. immutassent — (7) Cod. triduum. — (8) Id. hic et deinceps exterrit. — (9) Id. male juste quod. — (10) Id. triste. — (11) Vide August. Quæst. evangel. parte ii, num. 47. — (12) Cod. honorari. Amanuensis in margine, onerari; etenim camelus onera recepturus, ad terram genua flectit. Cod. antea persuasionibus. — (13) Cod. deponeret. — (14) Id. quam, et deinde passionis. — (15) Id. intrant. — (16) Desunt in cod. hæc verba non es.

forte de rebus sæculi hujus in damnis amiserit, statim dicit : « Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino » placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum » in sæcula[1]. » Ecce divitem mitem, humilem, non resistentem, non murmurantem, voluntatem Dei sequentem, et de illa vivorum terra gaudentem : « Beati enim » mites, quia ipsi pro hæreditate possidebunt terram[2]. » Tu autem forte pauper es, et superbus. Laudo divitem humilem, non laudo pauperem humilem? Pauper non habet unde infletur; dives autem habet, cum quo luctetur. Iste magis, iste dives intrabit (1); et contra te claudetur regnum cœlorum, quia claudetur contra impium, contra superbum, contra blasphemum, contra adulterum, contra ebriosum; claudetur contra avarum. Fidum tenuit debitorem, qui credidit in promisorem. Dives autem humilis, humanus, fidelis, hæc respondit, dicens : Scit Deus non me superbe sapere; et si forte clamo, et aliquid durum dico, novit Deus scientiam meam, quia regendi necessitate ista dico. Nunquam me pro hoc feram super alios. Intus videt Deus opera quæ sequuntur. Divites enim qui sunt in operibus bonis, facile tribuunt; communicant non habenti. Ibi enim apparet humilitas, si dives es et humilis. Bonum et pium te esse pronontias quod habes commune sit tibi et ei qui non habet, ut thesaurizes tibi fundamentum bonum in futurum, ut obtineas veram et beatam vitam. Tales si sint, securi sint, quando venerit dies ille ultimus. In arca inveniantur; in fabrica erunt. Ad diluvium non pertinebunt; non expavescant quod divites sint. Et si juvenis est, et continere se non potest, permittitur ei ut ducat uxorem[3]. Sed quia « Tempus breve est, qui habent uxores, sint tan» quam non habentes, et qui emunt, tanquam non ementes, » et qui flent, tanquam non flentes, et qui gaudent, tan» quam non gaudentes, et qui utuntur hoc mundo, sint tan» quam non utantur. Præterit enim figura hujus mundi[4]. »

VII. Fratres mei, murmuratur aliquis adversus Dominum, et dicit : Mala tempora, dura tempora, molesta tempora. Et tamen eduntur munera; et durum dicitur (2) tempus. Quanto tu durior, qui non corrigeris duro tempore? Tanta adhuc viget insania pomparum! tantis superfluis inhiatur, et non habet finem cupiditas! Quanti morbi procedunt de medio! Quanta luxuria redundavit propter theatra, et organa, et tibias, et pantomicos! Male (3) vis uti eo quod optas? Propterea non accipies. Audi apostolicam vocem : « Concupiscitis, et non habe» tis; occiditis, et zelatis; et non potestis adipisci; liti» gatis, petitis, et non accipitis, eo quod male petatis, » ut in concupiscentiis vestris consumamini[5]. » Sanemus, fratres, corrigamus nos. Judex venturus est, et quia nondum (4) venit, adhuc irridetur. Venturus est, et irridere non vacabit. Fratres mei charissimi, corrigamus nos, quia meliora tempora superventura sunt, sed non illis male viventibus. Jam sæculum vergit se et declinavit in senectutem. Venturi sumus in juventutem? Quid hic speramus? Jam aliud quæramus. Nolite sperare tempora, nisi qualia leguntur in Evangelio. Non ideo mala sunt, quia venit Christus, sed quia mala et dura erant, venit qui consoletur (5).

VIII. Audite, fratres mei; oportebat enim esse tempora molesta et dura. Quid ageremus si consolator tantus non adesset? Ægrotum erat graviter genus humanum, ab Adam usque in finem. Ex quo hic nati sumus, ex quo de Paradiso emissi sumus, utique ægritudo est; sed in fine (…)ajor futura erat, et forte proxima sanitati, et quibusdam proxima morti. Cum ergo ægrotaret genus humanum, venit (7) medicus ille magnus suscipiens ægrotum in magno quodam lecto, hoc est, toto in mundo. Sed quomodo peritissimus medicus attendit tempora ægroti, et videt, et prospicit quæ futura sint, et lenioribus temporibus ægritudinis ægroti, primum servos suos mittit; ita et noster medicus ad aspiciendos nos misit primum Prophetas. Dixerunt, prædicaverunt. Curavit per eos aliquod, et sanavit. Prædixerunt futuram quamdam accensionem in extremam ægritudinem, et magnam quamdam hujus ægroti jactationem; cui opus esset ipse medicus præsentari, et ad ipsum venire. Ita factum est quia dixit : Credentem ego reficiam, ego salvabo. « Ego percutiam (8), ego sanabo[6]. » Venit, factus est homo, particeps mortalitatis nostræ, ut nos possimus fieri participes immortalitatis ipsius. Adhuc æger jactatur, et cum anhelat in febribus, et multum exæstuat, dicit sibi : Ex quo venit medicus iste, acerbiores febres patior; gravius jactor; æstus sustineo immanes. Unde ad me venit? Puto non bene ingressus est in domum meam? Sic dicunt omnes qui adhuc de vanitate ægrotant. Quare de vanitate ægrotant? Quia nolunt ab eo accipere potionem sobrietatis. Videns Deus miseros jactari curis suis, et diversis occupationibus sæculi hujus, quæ jugulant animas eorum, eos curare (9) venit ut medicus. Et non metuunt dicere : Ex quo venit Christus, ista tempora patimur. Ex quo sunt Christiani, in omnibus defecit mundus. O æger insipiens! Non quia venit medicus, gravior facta est ægritudo tua. Medicus bonus, pius, justus, misericors, prævidit illam. Nam non fecit. Venit enim ut consoletur te, ut vere sanus sis. Quid enim tibi aufert, nisi superfluum? Inhiabas rebus noxiis, et in his continebaris. Non erant utilia febri tuæ, quibus inhiabas. Asper est medicus, quia rapit de manu ægroti poma noxia? Quid tibi tulit, nisi securitatem malam, quam capturus eras? absolve perniciem viscerum tuorum. Et hoc quod gemis et murmuras, ad medicinam ejus pertinet. Curari (10) nolens, ne crucieris invitus. Necesse est ut aspera sint tempora. Quare? ne ametur terrena felicitas. Oportet enim, et medicina talis (11) est, ut turbetur ista vita, et ametur alia vita. Ecce si tanta pigritia adhuc delectatur rebus terrenis, et amphitheatro, quid si non percuterentur opera ipsorum? Ecce tot amaritudines miscentur, et adhuc dulcis est mundus!

IX. Ubi se tunc mundi istius sapientes videbunt? ubi se avarus? ubi adulter? ubi impius? ubi ebriosus? ubi blasphemus se recognoscet? Quid miseri pro sua defensione dicturi sunt? Nescivimus te Deum esse, nec vidimus; non audivimus. Prophetas non misisti; legem sæculo non dedisti. Patriarchas non vidimus, Sanctorum exempla non legimus. Christus tuus in terris non fuit. Numquid Petrus tacuit, aut Paulus noluit prædicare? Evangelista non docuit; Martyres non fuerunt, quorum exempla sequeremur, futurum judicium nemo prædixit; vestiri nudum nemo mandavit; resistere libidini (12) nemo præcepit; repugnare avaritiæ nemo persuasit. In ignorantia peccavimus; merebimur veniam in his quæ gessimus nescientes. Hic se contra ex illo Sanctorum cœtu, quorum primus protestator (13), Noë justus reclamabit. Et quid ait? Ego te, Domine, propter peccata eorum ne perirent, diluvio prædicavi, ut isti agnoscerent quod esset innocentibus salus, et quod pœna peccantibus.

[1] Job. I, 21. — [2] Matth. V, 4. — [3] I Cor. VII, 28. — [4] Ibid. 29-31. — [5] Jacob. IV, 2. — [6] Deut. XXXII, 39.

(1) Desunt in cod. hæc verba *intravit*. — (2) Cod. *dicit*. — (3) Id. *mala*; et deinde *optas*. — (4) Id. non habet vocem necessariam *nondum*. — (5) Id. *consolaretur*. — (6) Id. *finem*. — (7) Deest *venit* in cod. — (8) Hic duæ lectiones in cod. *percutiam* et *promittam*. — (9) Cod. *curare*. — (10) Id. *curam*. — (11) Id. *et medicinalis est*. — (12) Id. *libidinæ*. — (13) Id. *protestatus*.

Post hunc Abraham fidelis assistet (1), et dicet : Ego pater gentium, cujus exempla cæteri (2) sequerentur, dilectissimum filium meum Isaac non dubitavi tibi Domino offerre pro victima, ut isti cognoscerent se debere devote ac libenter tibi sua vota deferre. Ego, te jubente, Domine, terram meam et cognationem meam deserui, ut istis quoque essem exemplum, ut nequitias mundi et sæculi peccata desererent. Hunc beatissimus Moyses subsequetur et dicet : Ego dixi : » Non adulterabis[1] ; » ut licentia fornicationis tolleretur. Ego dixi : « Non concupisces[2], » ut avaritia (3) cessaret. Ego dixi : » Diliges » proximum tuum[3], » ut charitas abundaret. Ego dixi : » Soli Deo servies[4]; » ne isti idolis immolarent. Ego dixi: » Ne quis falsum testimonium dicat[5], » ut isti adversum omne (4) mendacium os suum clauderent. Post hunc veniet David dicens : Ego te, Domine, per omnia nuntiavi. Ego nomini tuo tantum serviendum esse clamavi. Ego dixi : « Beatus vir qui timet Dominum[6]. » Ego dixi : » Exultabunt Sancti in gloria[7]. » Ego dixi : « Desiderium » peccatorum peribit[8]; » ut isti agnoscerent, et peccare desinerent. Ego cum regia præditus essem potestate, cilicio super lecto, cinere sub lecto, oravi, ut istis mansuetudinis atque humilitatis daretur exemplum. Ego inimicis (5) qui me persequebantur peperci, ut istis misericordiam commendarem. Post hunc veniet Isaïas et dicet : Ego te, Domino per os meum loquente (6), præmonui : « Væ his qui jungunt domum ad domum, et agrum ad » agrum[9]; » ut modum cupiditatis imponerem. Ego iram tuam peccantibus venire testatus sum, ut istis a malefactis suis, si non spes præmiorum, vel suppliciorum formido repelleret. Post hæc, ipse Christus dicet : Ego vobis regna cœlorum promisi. Ego etiam, ut malorum vestrorum haberetis exemplum, latronem qui sub unius horæ mortis suæ tempore me confessus est, in Paradiso collocavi : ut vel illius fidem, qui remitti sibi meruerat peccata, tunc (7) imitaremini. Nam et pro vobis ego hæc passus sum, ne dubitaret homo pro se pati, quod Dominus pro homine (8) pertulit. Ego me post resurrectionem, ne fides vestra confunderetur, ostendi. Ego in Petro Judæos monui. Ego in Paulo gentibus prædicavi. Quid vos juvat, quod me labiis honoratis, si factis et operibus denegatis? Tunc illis miseris dicetur, quibus hæc improperantur (9) : » Ite in ignem æternum[10], atque in tenebras » exteriores; ubi est fletus et stridor dentium[11]. » O miseros, quos ista non permovent ! Qui quantum hic in superbia gloriantur, tantum illic in pœna crucientur (10).

X. Itaque, fratres, licet nos isti irrideant, licet stultos et infelices commemorent, nos gaudeamus. Sed nec rideamus illorum stultitiam, sed magis doleamus. Sed agant se ut volunt ; nos vero, nos incolumes custodiamus. Illi modo nobis dolentibus gaudent ; nos postea in illorum dolore et pœna gaudebimus (11). Fratres mei dilectissimi, obsecro vos, et admoneo iterum atque iterum, ut ea quæ (12) corporis aure percipitis, operando custodiatis in cubiculo mentis, quatenus vinculo charitatis uniti, adventum Redemptoris nostri annua devotione recolentes, ad ejusdem nativitatis diem celebrandum mereamur pervenire securi, ipso adjuvante qui cum Patre (13) Deo vivit et regnat per cuncta sæcula. Amen.

SERMO XX.

De Adventu Domini II.

Dignus est, qui legatur his sermo : dignus et qui propter sententiarum gravitatem, et dicendi genus sancto Augustino non negetur, cui tribuitur in Cod. Cass. CCCLXXXVII, *fol. 73. Locus ejus post sermonem præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Duplex Christi adventus. II. Homo a Christo reparatus. III. Ad recipiendum Christum advenientem nos præparemus.

I. « Salvatorem expectamus Dominum Jesum Christum[12]. » Prædicaturus vobis, dilectissimi fratres, hujus instantis temporis solemnitatem, non meo utar (14) exordio, nec humanæ sapientiæ verbis intendam, sed prædicatoris egregii verbis insistam, et fidelibus auribus studiose aperiam, quid sonet et prædicet Doctor gentium in fide, et veritate, tuba Dei, cymbalum Jesu Christi : » Salvatorem, inquit, expectamus Dominum nostrum » Jesum Christum. » Sicut autem aures catholicæ in gremio matris Ecclesiæ sunt eruditæ, Salvatorem nostrum, quem pro reparatione mundi venisse jam credimus, eumdem quoque venturum judicem omnium expectamus, ut et præteritorum fides per dilectionem nos confirmet in bonis, et futurorum expectatio per mortem sollicitos compescat a malis. Absque ulla enim dubitatione eum venisse jam credimus, cum » Suscepimus misericordiam ejus in » medio templi sui[13], » cum » Verbum caro factum est, » et habitavit in nobis[14], » cum « Inclinavit cœlos, et des» cendit[15]; qui enim descendit, ipse est qui et ascendit » super omnes cœlos[16]; » et quidem cœlis est novissime descensurus. Descendit autem, ut nos de maledicto legis eriperet, et in filiorum adoptionem[17] transferret. Descendit, inquam, Dei Filius, ut nostram assumendo naturam, et factus hominis filius, filiis (15) hominum suam gloriam retribuendo, faceret filios Dei ; ejus enim ad inferiora descensio, omnium nostrùm fuit ad superiora provectio. Ascendit autem, ut fidelibus suis de cœlo sancti Spiritus donum mitteret, et ad amorem cœlestium discipulorum animos incitaret. Ascendit, ut illuc cum devotione sequeretur humilitas gregis, quo præcessit celsitudo pastoris. Descendet (16) autem, cum in novissima die unicuique mercedem suorum operum redditurus adveniet, sicut voce angelica Discipulis Salvatoris ascensum (17) stupentibus et mirantibus dictum est : » Viri Galilæi, quid statis aspi» cientes in cœlum[18]? » Ecce, ut audistis, ipse idem quem fides catholica jam venisse confitetur et credit, in fine sæculorum sine dubietate aliqua expectatur (18), ut veniat. Sed primo venit humilis judicandus : secundo terribilis vivorum et mortuorum judex adveniet. In primo adventu « In propria venit, et sui eum non receperunt[19]; » in secundo » Omne genu cœlestium, et terrestrium, et » infernorum[20] » confitebitur ei. Hunc ergo tam tremen-

[1] Exod. xx, 14. — [2] Ibid. 17. — [3] Levit. xix, 18. — [4] Deut. vi, 13. — [5] Exod. xx, 16. — [6] Psal. cxi, 1. — [7] Id. cxlix, 5. — [8] Id. cxi, 10. — [9] Isai. v, 8. — [10] Matth. xxv, 41. — [11] Id. xxii, 13. — [12] Philip. iii, 20. — [13] Psal. xlvii, 10. — [14] Joan. i, 14. — [15] Psal. xvii, 10. — [16] Ephes. iv, 10. — [17] Id. i, 5. — [18] Act. i, 11. — [19] Joan. i, 11. — [20] Philip. ii, 10.

(1) Cod. *assistens*. — (2) Id. *cæteris*. — (3) Id. *avaritias*. — (4) Id. *omnem* — (5) Id. *inimicæ*. — (6) Id. *loquendo*. — (7) Id. *hunc*. — (8) Id. *hominem*. — (9) Id. *improperatur*. — (10) Id. *cruciantur*. — (11) Id. *gaudemus*. — (12) Id. *quod*, nisi legas *id quod*. — (13) Id. *patrem*. — (14) Id. *utor*. (15) Id. *ut filiis, et deinde suam ejus*. — (16) Id. *descendit*. — (17) Id. *ascensum*. — (18) Id. *expectetur*.

dum et terribilem judicem cum timore maximo expectamus, « Qui reparabit (1) corpus humilitatis nostræ[1]. »

II. Primus enim homo ex bono gratiæ creatricis ad Dei similitudinem conditus et creatus. Filius namque Dei Patris imago est, et paternæ substantiæ figura[2] et gloria. Homo autem præ cæteris creaturis ad Dei imaginem secundum animam est creatus, videlicet ut rationis capax, pius, sanctus, justus, innocens esset, et in eum tanquam in speculo sui conditoris imago splendesceret. Hanc autem similitudinem divinæ imaginis tamdiu homo servavit, quamdiu in eo ratio viguit, et ejus cor nulla peccati caligine obtenebratum est et cæcatum; sed postquam male suadenti uxori consensum præbuit, et pomum vetitum degustavit, similitudo divinæ imaginis in eo penitus deformata est et deleta, et in eo totius generis massa vitiata est et corrupta. Vitium enim insitum in radice, sic pullulavit in propagine, ut omnes, qui ab eo per carnis concupiscentiam descenderunt, lege peccati et mortis tenerentur obnoxii, Paulo attestante, qui ait: « In quo « omnes peccaverunt[3]; » et « Per unius inobedientiam » peccatores constituti sunt multi[4]. » Novissimis autem temporibus ingreditur hujus mundi Dei Filius, a paterna sede descendens, sed a paterna gloria non recedens, nostra assumens, et propria non relinquens, qui in virginali utero, sed sine virginis corruptione nostram sibi naturam univit; natus ex carne, sed sine carnis concupiscentia; factus homo, sed sine hominis semine. « Sanc« tus, innocens, impollutus[5], » et ab omni carnis concupiscentia alienus. Sic ergo mediator Dei et hominum, nostræ naturæ effectus est particeps, suam nobis contulit gratiam, et similitudinem divinæ imaginis per primi parentis concupiscentiam in nobis omnibus deformatam, gratuita pietate et gratia mirabiliter reformavit, imo ad meliorem statum reduxit, quia hominem ex primæ prævaricationis culpa, necessario mortis nexibus obligatum, in resurrectione novissima faciet immortalem.

III. Hunc ergo, dilectissimi fratres, tam pium et misericordem judicem, qui « Reformabit (2) corpus humi» litatis nostræ[6], » cum sollicitudine summa, et timore maximo expectemus. Mutemus vitam, commissa peccata per lamenta defleamus, et qui animam assidue peccando coinquinamus, baptizemus lacrymis conscientiam et (3) secundum Apostolum « Sobrie, et juste, et pie vivamus » in hoc sæculo, expectantes beatam spem, et adventum » gloriæ magni Dei[7]. » Non nos fallax rerum transeuntium species securos reddat, non mundi oblectamenta a Dei opere pigros reddat, sed ad cœlestia suspirantes, per pœnitentiæ lamenta a peccatorum onere liberi, et in bono opere, spe futuri gaudii, roborati, cum timore et sollicitudine maxima Salvatorem expectemus Dominum Christum Jesum, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXI.

In Natali Domini XIII.

Sequens sermo, erutus ex Cod. Cass. XII, *fol.* 13, *ab initio usque ad mediam partem penitus differt ab illo edito n Benedictinis, nempe sermone* CLXXXVI; *cætera vero concordant. Nullum exurgere potest dubium, saltem meo judicio, quin sit vere principium hujus sermonis, in Editis detruncati, quod evidentius demonstratur nota ad finem apposita. Hic, quæ desunt, solummodo rescribimus. Locus ejus sit idem ac locus sermonis* CLXXXVI, *cum eodem numero in Natali Domini* III.

SYNOPSIS.

I. Duplex Christi nativitas. II. Inclinavit se, ut nos erigeret. III. Christus virginis partu editus, etc., ut *in edit.* num. 1, *et sic deinceps.*

I. Ecce Dominus noster hodie natus est, et omnis creatura ad gaudium invitatur, dicente Propheta: « Læ» tentur cœli, et exultet terra, moveatur mare et pleni» tudo ejus[8]. » Cœlos hodie Angelorum choros intellige, qui cœlestium obtinent sedes, qui hodierna die pastoribus audientibus hymnum clamant dicentes: « Gloria in » excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ volunta» tis[9]. » Terram naturam humanam esse cognosce. Per mare vero omnem mundum, et quæ in eo sunt in commune, Scriptura significat, quibus hodierna dies nativitatis Christi, immensam lætitiam generavit. Natus est Christus ex Virgine, ut nos nasceremur ex Spiritu sancto; qui ante omnia sæcula est generatus ex Patre, hodierna die natus est ex Virgine Matre. Factus est enim ex Matre, permansit in Patre. Nam qui semper est, factus est quod non erat, nec desiit esse quod erat: factus est namque homo quod non erat, ut ait Apostolus: « Factus ex muliere, « factus sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret[10]; » permansit autem Deus esse, quod fuerat; nativitas siquidem, quæ secundum carnem est, et nobis profuit, et illi non obfuit, quia nobis adoptionem filiorum contulit, et ipse in Deitate propria cum Patre permansit.

II. Inclinavit enim se, cum sublimis esset, ut nos qui incurvati eramus, erigeret. Incurvata siquidem erat humana natura ante adventum Domini, peccatorum onere depressa; et quidem se in peccati vitium spontanea voluntate curvaverat, sed sponte se erigere non valebat. Denique incurvationis hujus miserias, quas homo tolerando gemebat, sanctus Propheta deflens exclamat in Psalmis, et dicit: « Miser factus sum, et curvatus (4) » usque in finem; tota die contristatus ingrediebar[11]. » Tota die, totum tempus ante adventum Christi significat, quo humanum genus, quasi incurvatum ambulans, contristabatur, quia non inveniebatur, qui curvum erigeret, qui lapso (5) in peccati foveam manum porrigeret. Propterea Dominus noster advenit, et mulierem illam incurvatam inveniens (6), quam annis decem et octo Satanas alligaverat, ita ut se non posset erigere[12], potestate divinitatis absolvit. Hæc autem mulier formam incurvationis totius humani generis præferebat. In hac

[1] Philip. III, 21. — [2] Hebr. I, 3. — [3] Rom. V, 12. — [4] Ibid. 19. — [5] Hebr. VII, 26. — [6] Philip. III, 21. — [7] Tit. II, 13. — [8] Psal. XCVII, 7. — [9] Luc. II, 14. — [10] Galat. IV, 4. — [11] Psal. XXXVII, 7. — [12] Luc. XIII, 16.

(1) Cod. *reparavit.* — (2) Id. *reformavit.* — (3) Deest *et* in cod. — (4) Cod. male *turbatus.* — (5) Id. *lapsum.* — (6) Vide serm. CCCXCII, num. 1; et Enarrat. in Psal. XXXVII, num. 10.

mulicre hodie natus Dominus noster vinculis Satanæ alligatos absolvit, et licentiam nobis tribuit ad superna conspicere, ut qui olim constituti in miseriis tristes ambulabamus, hodie venientem ad nos medicum suscipientes, nimirum (1) gaudeamus (2).

III. Merito ergo gaudeamus, fratres, etc., *ut in editis.*

SERMO XXII.

In Natali Domini XIV.

Hic sermo habetur in Cod. XII, fol. 23. Totum sapit Augustinum, et quoad sententias, et quoad dicendi modum; quibus cum et auctoritas codicis accedat, nihil jam occurrit, quod amplius exigi possit. Locus ejus in Editis post sermonem nostri Supplementi primi XVIII, cum numero in Natali Domini XXV.

SYNOPSIS.

I. Christi Dei et hominis humilitas et gloria. II. Easdem beatus Doctor evolvere pergit. III. De Deo trino et uno. IV. Epilogus.

I. OMNES causas (3) humilitatis Dominicæ non ad hæresim aspiciunt homines dialectici, sed ad laudem Dei evidenter attendunt. Natus est enim ex tempore de Virgine Maria homo in terris, sed antequam essent tempora, ex Deo Deus est genitus; omnis ergo intentio tua, o hæretice, ad ejus humilitatem sic respicit, ut te prohibeat divinitatem ejus gloriæ intueri. Cum ergo legeris (4): « Pater major me est[1], » lege et hoc : « Ego et Pater » unum sumus[2], » ut humilitatem humanitatis intelligas, et æqualitatem Deitatis advertas. Pannis respicis involutam infantiam, et Angelorum illam non vides exercitibus circumdatam? Vides hominem humilem per Mariam Virginem natum in terris, et non vides Deum per stellam fulgentem in cœlis? Vides fugientem ad Ægyptum parvulum, et non vides angelicis obsequiis, et eundi, et redeundi copiam patuisse (5)? Vides hominem euntem ad Joannem (6), ut ejus manibus baptismatis sacramenta susciperet, et non vides de cœlis patentibus sanctificationem eum non accipere, sed conferre? Neque enim ipse a Jordane benedictus est, sed ipse magis alveum benedixit, et consecrationem magis ipse illi contulit, quam accepit. Denique Pater cœlis patentibus clamat, et Spiritus sanctus in columbæ specie corporalis descendit, ut baptismatis mysterium tota sancta Trinitas consecraret, et verum Filium suum Pater oris sui testimonio perdoceret.

II. Item tentatum triplici tentatione hominem vides, et Deum non consideras tentationes diabolicas superantem. Esurientem respicis, et Angelos non consideras ministrantes? Vides hominem marinis tempestatibus subjacere, et videre non potes imperantem ventis, et super undas maris siccis pedibus ambulantem? Fatigatum ab itinere respicis, et non vides hominibus fatigationis finem ponentem? Sedentem super puteum, et sitientem, sibi aquam poscentem aspicis, et fontem aquæ vivæ ex se ipso profluentem videre contemnis? Paucos panes habentem hominem pauperem despicis, sed divitias Dei tot millia hominum saturantem ex ipsa panum paucitate non cernis? Euntem ad sepulcrum, ut amicum suum mortuum flentem irrides, et resuscitantem a mortuis eum quem fleverat, Deum esse non credis? Judam venumdantem hominem aspicis, et non respicis totum sæculum Dominum redimentem? Tentum respicis Christum in custodia hominum, et de custodiis dæmonum non vis aspicere homines liberantem? Ligatum unum Filium hominis aspicis, et a ligatura filios hominum exsolventem videre contemnis? Cum consideras irrisum Filium hominis, cur non consideras Dei Filium ab irrisione dæmonum animas hominum eruentem? Et cum lignum ejus passionis consideras, cur lignum prævaricationis per (7) lignum passionis exclusum esse non cernis? Et qui plorasti in sepulcro corpus exanime, cur exurgentem a mortuis, et in cœlos ascendentem Dominum videns (8) non lætaris? Qui totas formas consideras servi, quare unam formam non considaras Domini?

III. Unum colimus Deum, sed tres consideramus in una Deitate concordes : ingenitum Patrem, unigenitum Filium, sanctum Spiritum procedentem ex Patre (9). Hoc enim in Evangeliis legimus. Unde et in baptismatis consecratione, non in nominibus, sed « In nomine Patris, » et Filii, et Spiritus sancti[3], » ad filiorum Dei gloriam pervenimus; ut nos omnes Patrem Deum habeamus per gratiam, quam Jesus Nazarenus homo natus ex Virgine, per ipsam suæ originis gloriam nascendo suscepit Dei Filius, per naturam inconceptus, et in partu simul natus in terris, qui ante in cœlis natus est ex Patre (10). Nam sicut ex uno fonte sapientiæ procedit vox, verbum, et verbi ratio; et sicut ex uno meatu conveniunt fluvius, sapor fluenti, et refrigerium, quæ cum distincta a se persona discreta sint, ita tamen unius sunt substantiæ effecta, ut unus non possit ab alio discrepare, nec dividi, ac majus minusve distingui (11).

IV. Hanc teneamus ergo Catholici regulam, ut majorem, vel minorem non admittas in eo ordine, sed unam et æqualem Dei gloriam fateamur. Deus enim semper idem est, et immutabilis Deitate persistens, nec minor in ordine crescit, nec major senescit in ætatem (12), sed vitali substantia a se sumens exordium, Pater cum Filio, et Spiritu sancto unus Deus est, qui vivit, et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Joan. XIV, 28. — [2] Id. X, 30. — [3] Matth. XXVIII, 19.

(1) *Cod. nimium.* — (2) Notandum est hic adesse in codice duas voces quæ vix intelligi possunt, et quæ tamen propius attendenti ostendunt hoc verbum *gaudeamus* esse initium numeri, qui sequitur usque ad verbum *mortem*, quo revera terminatur articulus sermonis ante verba sequentia *si ergo verbum Deus*, etc., unde habemus initium sermonis, quod deest in Benedictinis. Sic enim scribendum *nimirum gaudeamus. Merito ergo gaudeamus, fratres*, etc. Ita enim habet codex *nimirum gaudeamus. Merito ergo ad mortem. Si ergo verbum*, etc. Quod ut facilius intelligat lector recurrat ad editionem Benedictinam, serm. CLXXXVI. — (3) Cod. sine sensu habet : *omnis causa.* Nota *homines dialecticos* hic, ut sæpius apud Augustinum in bonam partem accipi, id est, veritatis inquisitores. — (4) Vide libr. *de diversis Quæstionibus octoginta tribus*, quæst. LXIX, n. 1; *de Cantico novo*, n. 7, et alibi. — (5) Cod. *patuisse*, et paulo ante, *angelici obsequii.* — (6) Vide serm. CCXCIII, num. 6, et serm. XXXIV, Append., num. 3. — (7) *Per* deest in codice, sed ipso sensu requiritur. — (8) Desideratur in codice vox *videns*, quam sensus exigit. — (9) Vide serm. CCXIV in traditione Symboli III, ubi dicit : *Credimus in Spiritum sanctum de Patre procedentem*, n. 10, nec illud obstat quin et a Filio procedere credat, cum illud ex professo sæpius doceat, et præcipue tractat. XCIX in Joan. cap. XVI, n. 6 et seqq. — (10) Cod. vitiose. *Qui ante cœlos natus est Patre.* — (11) Hic aliquid deesse videtur, ad complendam secundam periodi partem. — (12) Cod. *mentem*, evidenter pro *ætatem*.

SERMO XXIII.

In Natali Domini XV.

Hic sermo ex Cod. Cass. XII, *fol.* 24 *erutus, ita sapit Augustinum, ut, etiamsi deficeret nomen, illi tamen tribuendus videretur; quanto autem magis illi vindicandus, cum nomen ejus in manuscripto perscribatur. Locus ejus post præcedentem eum numero in Natali Domini* XXVI.

SYNOPSIS.

I. De æternitate Verbi inter Joannem aut Arium facienda electio. II. Ejusdem divinitas a sancto Paulo asseritur. III. Deus in se immutabilis, aliter atque aliter se famulis suis exhibet. IV. Verba Scripturæ non semper secundum litteram intelligenda V. Sensus minime litteralis funestæ consequentiæ. VI. Ariani Patrem mutabilem et imperfectum effingunt. VII. Ariano calcem erigenti rursus occurrit Paulus. VIII. Divinitati non obstat quod Patrem se majorem dicat, et ipse Filius hominis dicatur.

I. Assumam nunc virgam pastoralem, et tres lapides de torrente colligam simul cum beato David contra Goliam exiturus ad pugnam (1). Quid est quod agis (2), Ariane? Dicere ausus es: «Non erat Filius, et erat Deus?» Sed contra te Evangelista sacratissimus clamat: «In » principio erat Verbum. Erat, » dixit, et iterum «Erat» adjunxit. Sequitur enim: «Et Verbum erat apud Deum.» Nec contentus est bis dixisse, «Erat,» addit et tertio, «Erat,» dicens: «Et Deus erat Verbum[1].» Et quia per quatuor cardines mundi contra falsitatem erat veritas prædicanda, etiam quartam assertionem adjunxit dicens: «Hoc erat in principio apud Deum[2].» Arius semel dicit: «Non erat,» sed Joannes quater respondit: «Erat, erat, » erat, erat (3).» Quid nunc facimus? Unum e duobus suscipere nobis est necesse, alterum recusare. Si Ario credimus, Joannes irascitur; si Joannem sequimur, Arius erit pro ipsa desertione (4) nostri offensus. Sed quia Joannes, ut hoc diceret, a Christo suscepit, Arius autem, ut hoc astruat, ab Aristotele consecutus est, sequamur omnes Christi Discipulum, et Aristotelis famulum deseramus.

II. Dic tamen, Ariane, quæ ratio te compulit Christum dicere creaturam? Hæc quæ illum ex Virgine ostendit inter mortales in terris, an illa quæ illum ex ore Patris memorat inter immortales (5) in cœlis? Si ista, qua est Virginis filius, creatura Deus dici non poterit, quia Creator creaturam assumpsit. Non enim ipse servus apparuit inter conservos, sed cum sit Dominus, «Formam servi » suscepit[3], aut potuisset eum servilia conversatio tolerare. Aliter enim, si utilitas reipublicæ flagitat, inter turbas latere Imperator non poterit, nisi deposito diademate, ac purpureo seposito indumento, plebeium ac simplicem susceperit cultum; ista itaque comparatione utimur in (6) præteritum nostri Regis adventum. Hoc, inquam, ordine quo magister noster asserit apostolus Paulus: «Quia cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus » est esse se æqualem Deo[4].» Quid agis, Ariane, Aristotelem tuum enervat ista adjectio. Paulus æqualem Deo dicit, tu inæqualem. Joannes dicit: «Erat,» tu dicis, Non erat. Sed agamus, quod agimus. «Non, inquit, rapinam » arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum » exinanivit formam servi suscipiens[5].» Teneamus omnes Catholici ista duo verba, ut de omnibus hæreticorum objectionibus rideamus. » Exinanivit, inquit, se ipsum » formam servi suscipiens. » Quis iste est, qui se exinanivit? Ille sine dubio qui «In forma Dei positus, non ra» pinam arbitratus est esse æqualem Deo, » Ergo æqualitatem suam (7), quam cum Deo Patre semper habuit, non perdidit assumendo hominem, sed ornavit. Habet enim Divinitas unde semper novis laudibus glorietur; non tamen recipit, unde vel nebulam aliquam vituperationis incurrat. Quod autem dicimus. Habet unde novis laudibus quotidie glorietur, profectus creaturæ ejus esse poterit, non ejus accessus.

III. Deus enim nec augmentum in se recipit, nec detrimentum incurrit, sed pro modo creaturæ suæ, aliis se magnum, aliis se exhibet parvum. Et hoc facere eum omnipotentiæ ejus potestas ostendit. In se enim, et secundum se ipsum quod est, penitus nulla creatura est ad videndum idonea (8). Et idcirco aliter se ostendit Adæ cum præceptum daret, aliter cum prævaricationem argueret. Aliter se Abel justo, aliter se Caïn ostendit injusto. Aliter se ostendit Enoch ad transferendum, aliter Noë ad subveniendum mundo patienti naufragium. Aliter Abrahæ ad tentandum in filio, aliter Isaac, ut ipse sacrificandus patri sacrificanti serviret (9), et ad incendium sui corporis, sicut Christus se crucifigendum, sic figuraliter ipsa ligna portaret. Aliter se ostendit Jacob dormienti, aliter pascenti oves Moseo apparuit vigilanti. Aliter Ægyptiis paruit mersis (10), aliter Israël filiis liberatis. Aliter per diem in columna nubis visus est, aliter in ignea columna per noctem. Aliter cum voces fierent, tonitrua, et fulgura, et montium motus, aliter cum serena temporis ipsam etiam Prophetæ faciem splendidam aspicientibus exhiberet. Aliter cum apertis cœlis mannam plueret ad edendum; aliter cum aperta petra aquam funderet ad bibendum. Aliter cum ab ictu virgæ maris unda ad evadendum liquesceret, aliter cum ad ictum virgæ maris unda liquesceret ad necandum. Aliter cum ad transmeandum Jordanem aqua post se ipsa unda (11) recurrerat remearet; aliter, cum ad vocem tubarum, hostium (12) muri corruerent. Aliter cum ad signum meretricis casti mortem evaderent, et Sanctorum auxilium invenirent; aliter (13) cum juberet homo soli, ne ad occasum pergeret; aliter cum juberet hom[illegible] nubibus, ne pluvias emanarent. Aliter cum jussu hominis ignis de cœlo super homines rueret; aliter cum oratione hominis ignis de cœlo super sacrificium adveniret. Aliter cum ad ictum meloti, fluvius divisus est; aliter cum quadriga equorum igneorum, cum curru igneo velati aurigam hominem suo cursu transferrent. Aliter Samueli (14), aliter David, aliter apparuit Salomoni. Aliter eum Nabuchodonosor, aliter eum Daniel videre promeruit. Aliter eum numerosissimi Prophetæ viderunt, aliter Apostoli aspexerunt.

IV. Vade tu, hæretice, et quotiescumque eum aliter legeris et aliter visum, finge tibi tot imagines, tot colores, ut et rubum inspicias, et ignem, et nubem, et petram, et lignum, et virgam, et maxillam asini, Dei Filium memorare. Si enim legas, et hoc intelligas, quod littera

[1] Joan. I, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Philip. II, 7. — [4] Ibid. 6. — [5] Ibid. 7.

(1) Vide serm. XXXII et enar. in Ps. CXLIII. n. 1. — (2) Cod. male *ages*. Vide lib. VII de Hæres., n. 80; serm. CCXXIV, n. 4, et sermonem CCCXLI, qui totus agit contra Arianos. — (3) Vide Serm. CCCXXXIX, n. 3. — (4) Cod. *disertione*, et inferius semper *Aristotiles*. — (5) Id. perperam *mortales*. — (6) Id. mala verborum translatione: *In ista itaque comparatione utimur præteritum nostri regis adventum* — (7) Cod. perperam: *Erga qualitatem Deo suam*. — (8) Vide Serm. VI, n. 1. — (9) Cod. male *servaret*. — (10) Id. *mersis*. — (11) Id. *undæ*. — (12) Id. *ostium*. — (13) Id. *aliam*. — (14) Id. *Samuëli*.

sola conscripsit, non solom Deum negaturus es, sed etiam Legis ipsa mooita perturbabis. Nos autem unum semper confitebimur Deum. Nam jubebat (1) Lex escam esorientibus, et potum sitientibos non negari; et legitur qoodam loco : « Bibe aquam de cisterna tua, et nullum ex » ea bibere sinas[1]. » Erit ergo secundum litteram crudelitas ista præceptio (2), quæ eousque humanitatem excludit, ut nec aquæ liceat sitieoti poculum propinare. Sonum enim solum vocis quicumque respexerit, periculum æterni ignis incurrit. Scriptom est enim : « Ite, male»dicti, in ignem æteroom, quia esurivi, et non de» distis (3) mihi cibum, sitivi, et noo potastis me[2]. »

V. Ad hæc tu, Ariane, respondere poteris dicens : To dixisti, ut non solum sitienti poculom denegarem, sed de meo foute cupientem bibere prohiberem. Ista incurrit, qui Scripturas divinas in sola superficie litterarum considerat. Cum legerit de Deo : « Vidi Vetustum » dierum sedeotem super thronum[3], » seniorem putat Patrem. Cum legerit : « Quis est iste juvenis, qui venit ex » Bosor, iste formosus, qui ambulat in multitudine vir» tutis suæ[4], » in Dei Filio esse æstimat juventutem. Sic fit, ut per ignaviam, et sine fine occorrere non neget, et senectutem juveni evenire. Ubi enim majorem et minorem, necesse erit, ut utrumque hujus vinculo necessitatis astringas, ut et crescendi, et senescendi, et finiendi eos exitus maneat.

VI. Videte, obsecro, universi Catholici, io quo blasphemiorum gurgite demerguntur, qui quando legunt sacros apices, ipsi sibi efficiuntur et discipuli et magistri; et cum vanissimas poëtarum fabulas sine magistro legere ausi non fuerint, « Christi sapientiam in mysterio absconditam[5], » magisterium spiritalium recusantes legunt, et sacratissimos apices Dei suis compellunt sensibus deservire. Vis tibi ostendam, Ariane, quia per honoris defensionem Dominum exhonoras? Vis tibi credam, quia fuit tempus, quando non fuit Filius? Explica te, ut ex hoc ipso ipsum Patrem immutabilem pooas, qooniam Deus dici non potest, qui mutabilis potuerit edoceri. Mutabilis autem erit, si fuit quando Filium non habuit, quia sicut Filium vis incipere esse qood non erat, sic et Patrem doceberis appellare quod non erat. Erit ergo pater novus novi filii; novitati vero usum accedere negare non poteris. Et sicot novo (4) vetustatem, et vetustati senectutem, sic etiam senectuti finem impones. Vides-ne, obsecro, quæ te vorago tenebrarum astringat? Si enim « Christum Dei vir» tutem et Dei sapientiam[6], » esse non denegas, et dicis fuisse tempus quando Filius non fuerit, blasphemare doceberis eum sine virtute, et sine sapientia fuisse, cum ille sine Filio, qui est virtus et sapientia, studueris demonstrare. Et sicot est miserum sine virtute esse, ita sine sapientia esse probator stultum.

VII. Quid agis, o hæretice? quid contra stimulum feriendum elevas calcem? Dicis Filium creaturam, et blasphemiis tuis Paulus occurrit dicens : « Deus erat in » Christo, mundum reconcilians sibi[7]. » Et ne contra sententiam tuam putes solam sententiam apostolicam repugnare, et hic tuam ostendo blasphemiam. Si enim creaturam dicis Filium, cum ipse in Apostolo legas : « Creatura enim vanitati subjacet[8]; » ergo vanitati subjectus est Christus. Item legimus, quod « Omnis crea» tura ingemiscit secundom se, et parturit[9]; » ergo (ingemiscit et parturit) (5) ille qui a gemitu et dolore totum sublevat mundum. Item legimus, quia « Liberabitur » creatura a servitute corruptionis[10]; » ergo corruptioni deservit in terris, qoi est integritatis imperator in cœlis.

VIII. Sed velis nolis, inquiunt, fidem ipsi de se loquenti committes. Dicit enim : « Pater me major est[11]. » Numquid hoc solum legistis? Legitur puto in Evangeliis, quod sit Filius hominis[12]. Facite nobis calumniam, quia Dei eum Filium confitemur. Dicite, cur eum Dei Filium dicitis, cum ipse se Filium hominis (6) esse testetur? Si causas ejus humilitatis in calumniam vertas, de medicina excitas vulnus, ot inde quoque sana lædas, unde læsa curanda sunt. Nos autem salutem nostram in confessione rectæ fidei retinentes, summam Trinitatis in una Deitatis substantia esse sine aliqua cunctatione credamus, ut vitæ æternæ possimus esse participes, in Christo Jesu Domino nostro qui com Patre, et Spirito sancto regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXIV.

In Natali Domini XVI,

Ubi explicantur hæc verba Psalmi : *Descendet sicut pluvia in vellus*[13].

Hic sermo assumitur ex Cod. Cass. XII, *fol.* 26, *cum sancti Augustini nomine, cui revera tribuendus videtur, cum nihil quod illius auctoritati officiat occurrere videatur; imo et sententiarum et styli concordet paritas. Locus ejus post præcedentem cum numero in Natali Domini* XXVII.

SYNOPSIS.

I. Christus in nativitate humilis et sublimis. II. Prior adventus in humilitate, posterior in gloria.

I. Dubium non est, fratres dilectissimi, carnalem Domini nostri Jesu Christi adventum in hac parte Psalmi istius prophetatum, quem eo tempore hominibus exhibuit, qoo de cœlis pro nostra salute descendit. Et quia humilis futurus esset in carne, nullam sibi, ut Deus, vindicans potentiam, nullam sibi applicans dignitatem, hominibus se præbuit magnum in oculis hominum. Etenim se vilem at pauperem videntibus præbuit, sed Deum se credentibus declaravit. Hominis enim in exteriori parte exercebat officium, sed ex interiori parte divinum implebat imperium, ostendens hominem terreni corporis conditione susceptum. Egenus quidem carnaliter videntibus, sed credentibus majestate cœlestis gloriæ sublimatus. Humilis in descensu, ut plovia nullum sonitum reddit vellus molle perfundens, ita et Dominus sine ullo cœlestis potentiæ strepitu descendens, nullo murmure, nullo strepitu hominum corda terrificans (7), humilem suæ majestatis declaravit adventum. Non enim ut regnaret advenit, sed ut pro nostra salote passionem exciperet, tentationes vinceret, mortem pro mortalibus immortalis assumeret, et resurrectionis semitam, omnibus ad se confugientibus aperiret.

II. Unde quia primus adventus, quem (8) secundum carnem habuit, veluti pluvia descendit in vellus, necesse erit ut secundo adventu cum ingenti fragore, et strepitu revertatur. « Erunt (9) enim, sicut scriptum est, fulgura,

[1] Prov. v, 15. — [2] Matth. XXV, 41, 42. — [3] Dan. VII, 9. — [4] Isai. LXIII, 1. — [5] 1 Cor. II, 7. — [6] Ibid. 24. — [7] 2 Cor. V, 19. — [8] Rom. VIII, 20. — [9] Ibid. 22. — [10] Ibid. 21. — [11] Joan. XIV, 28. — [12] Matth. VIII, 20 et alibi. — [13] Psal. LXXI, 6.

(1) Cod. male *jubeat*. — (2) Id. *perceptio*. — (3) Id. *dedisti*. — (4) Cod. *novi*. — (5) Verba uncis inclusa desunt in codice, sed sensu evidenter requiruntur. — (6) Cod. *se esse; se* abundat. — (7) Id. male *tristificat*. — (8) Id. perperam *qui*. — (9) Id. *erant*.

» et tonitrua, et terræ motus[1], et grando. Ignis enim in » conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas » valida[2]. » Et, « Magno impetu, ut ait Apostolus, » cœli ardebunt, elementa ignis ardore tabescent[3]. Ignis » enim ante eum ardebit, et inflammabit (1) in circuitu » inimicos ejus[4]. Tunc montes sicut cera liquescent[5]; » timentes autem Dominum, et expectantes adventum » ejus, rapientur in nubibus obviam Christo in aëra, et » ita semper cum Domino erunt[6]. » Hæc autem idcirco scripta sunt, ut nostrum exitum in occursum Domino præparemus, ut qui cum humili Domino humiliamur in terris, cum excelso regnemus in cœlis. Erit enim illud implendum, ut qui hic lacrymas humilitatis, sicut pluvias, sparserint in terris, gaudia in cœlis æterna suscipiant, per Christum Dominum nostrum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit, et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXV.

In Natali Domini XVII.

Hic sermo legitur in Cod. Cass. XII, *fol.* 57, *et ibi sancto Augustino tribuitur, nec immerito. Ubique enim deprehenduntur illæ verborum oppositiones beato Doctori familiares. Nihil aliunde occurrit quod illius authenticitati obsistere videatur. Ponatur post præcedentem cum numero in Natali Domini* XXVIII.

SYNOPSIS.

I. Christus nascitur Angelis dulcissimum melos cantantibus. II. Pretiosa infantium martyria. III. De nativitate et parvulis dicere pergit. IV. Epilogus.

I. Fratres dilectissimi, Christus Dominus nascitur, et mundus omnia redimitur, ut novum fieret genus humanum. Christus in spelunca nascitur, ut mundus careret mortifera sepoltura (2). Christus in spelunca vagiens nascitur, ut de spelunca peccati fugerent iniqui latrones, et sub novo infante, infantes omnes fierent innocentes. Christus nascitur per Virginem, ut se Eva alterius non cognoscat sub arbore, sed sancta Ecclesia exaltaretur in cruce, et cantet mundus Virginem Matrem, sicut cantat turtur in arbore propriam castitatem. Christus a Magis adoratur; incliuet poplites suos genus humanum. Christus adoratur in pannis, qui fulget in cœlis, ut tunc adoretur a Christianis sedens ad dexteram ingeniti Patris. Christus adoratur in præsepio, ut nos adoremus eum in gremio altaris æterni. Factus est præsepe Paradisus, ubi flores (3) campi et lilium jacebant convallium, ut per ipsum floreret, arente peccato, genus humanum. Spinæ peccati (4) antea pullulabant; floribus justitiæ pauci virebant; cætera hominum germina marcescebant. Descendit novum lilium Christus ad sæculum, et cœpit plantare terram germinibus Angelorum. Venerant de cœlo nova et peregrina plantaria, Angeli dicentes dulcissima cantilena, ut quia Prophetæ non audiebantur, Angeli viderentur, et cum Angelis cantaret (5) genus humanum: «Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus » bonæ voluntatis[7]. « O gloria nova per organa nova, pax post peccatum, vita post gehennam, deliciæ (6) post tribulum, rosa post spinas, canticum post silentium, sonus Angelorum post gemitus captivorum!

II. Refloruit Paradisus Ecclesiæ novis plantariis Angelorum; et quia nova erant Angelorum desuper pacifica plantaria, cœperunt plantari infantium pretiosa martyria. O sanguinei surculi parvulorum, in quibus operabatur gladius latronum, et nullus sanguis fuerat peccatorum! Ecce natus est Paradisi plantator, gaudeat nunc ille Adam Paradisi negligens habitator. Ubi est ille serpens? Non faciet (7) jam a conspectu Domini hominem fugitivum. Ecce Christus, imperator æternus, venit ad sæculum, ut sibi perpetuum (*sic*) pararet exilium, et hominem suum reportaret (8) ad cœlum. Reseratum Paradisum, post latronis ingressum, jam non potest callidum inimicum latere (9). Non tenet ulterius spelunca latronem, quia spelunca nova novum continet Salvatorem, publicante stella de cœlo. Virgo mater in sæculo, Ecclesia in ligno, latro in Paradiso, Dominus in sepulcro.

III. Antea dum deciperes, sententia data est peccatori. Quæ sententia? «Terra es, et in terram ibis[8]. » Modo mutatum est canticum lacrymarum. Jam non habes quod valeas accusare, quia venit, qui humiliat peccatorem, et ipse permanebit cum sole. « Ab ortu enim solis » usque ad occasum laudabunt pueri Dominum[9]. » Nam « Ecce puer Propheta Altissimi vocabitur[10], » ut « Juve- » nes, et virgines, senes cum junioribus laudent nomen » Domini[11], qui salvum fecit populum suum a peccatis » eorum[12]. » Solvit vincula peccatorum, oculos aperuit cæcorum, aures surdorum, suscitavit corpora mortuorum, solvit gemitus compeditorum, lætificavit corda pastorum. Jam lætentur oves liliis carpere castitatis, et parvuli rosas (10) delibare novelli sanguinis, sine causa criminis, sine dolore vulneris, sine damno cruoris, quia patiebantur pro Filio Majestatis.

IV. Ipsi hodie canunt Angeli: «Gloria in excelsis » Deo[13]; » ipsum adorant supplices Magi; ipsum diligunt pastores et agni. Ipsi hodie laudem exhibent sobrii Christiani, ipsi genua flectunt vivi et mortui, qui est in dextera Patris, et tollet peccata mundi.

SERMO XXVI.

In Natali Domini XVIII.

Hic sermo, erutus ex Cod. Cass. XVI, *fol.* 7, *fere in principio ad verbum concordat cum homilia falso Origeni tributa de Epiphania Domini apud Combefisium* tom. 1, *fol.* 519; *sed cætera omnino sunt diversa, nec indigna quæ sancto tribuantur Augustino. Nec obstat, quod primæ sententiæ similes sint, cum prorsus ignoretur cui tribuenda sit homilia, quæ nomen Origenis præ se fert, et possit esse alicujus, qui sanctum Augustinum imitatus est, aut quem imitatus est ipse sanctus Augustinus. Locus ejus post præcedentem cum numero in Natali Domini* XXIX.

SYNOPSIS.

I. Nativitatis Christi dies, dies lætitiæ. II. Angeli salutatio. III. Verbi incarnatio. IV. Vera pulchritudo, castitas.

[1] Apoc. VIII, 5. — [2] Psal. XLIX, 3. — [3] 2 Petr. III, 12. — [4] Psal. XCVI, 3. — [5] Ibid. 5. — [6] 1 Thess. IV, 14-16. — [7] Luc. II, 14. — [8] Gen. III, 19. — [9] Psal. CXII, 1-3. — [10] Luc. I, 76. — [11] Psal. CXLVIII, 12. — [12] Matth. I, 21. — [13] Luc. II, 14.

(1) Cod. *inflammavit*. — (2) Id. *sepoltura*. — (3) Forte, et quidem melius, *flos*. — (4) Cod. *peccato*. — (5) Id. male *cantare*. — (6) Id. sine sensu: *Cilicium post tribolum*. — (7) Id. male: *Non facie*, *et jam a conspectu*. — (8) Cod. male *reportet*. — (9) Hæc phrasis corrupta sic legitur in codice: *Referat ad paradisum*, *post latronis ingressum*, *jam non potest callidus inimicus latere*. — (10) Cod. male *rosa*.

I. Sanctus et solemnis dies, fratres dilectissimi, mundo illuxit (1); exultemus et lætemur in eo. Hodie sol ortus est mundo. Hodie in sæculi tenebris lumen verissimum ingressum est. Hodie nobis omni sole lucidior dies est. Quod enim præstolabantur Angeli et Archangeli, quod Cherubim et Seraphim, et cœlorum ministeria nesciebant, hoc in nostro tempore revelatum est, ut nos etiam merito cum propheta David dicamus: « Signatum » est super nos lumen vultus tui, Domine; dedisti lætitiam in corde (2) nostro[1]. » Magnum lumen et verissimum lumen, hoc est, quod » Illuminat omnem homi» nem[2]. » Et quod est, inquis, hoc lumen? Cito respondeo: Dominus Jesus Christus ipse est verissimum lumen, ipse est verus sol, ipse est vera lux; et de ipso dicit Propheta: « Ortus est nobis (3) Sol justitiæ[3]. » De ipso Evangelista dicit: « Erat lumen verum, quod illuminat omnem » hominem venientem in hunc mundum[4]. » O suave, o dulce lumen vultus Dei, quo meruit signari populus Christi (4)! Quid est Christus? Vultus luminis, vultus Dei. Quid est Christus? Vultus et sapientia Dei. Quid est Christus? Lumen ineffabilis luminis. O fratres mei, quale est illud lumen, quod tale genuit nobis lumen!

II. Propheta sanctissimus David canorus dicit, imo vox Patris per Prophetam (5): « Eructavit cor meum » verbum bonum[5]. » Audite, fratres, eructantis cordis verbum bonum. Audite angelum Gabrielem sanctissimæ Virgini Mariæ dotalium pactionum divina jura dictantem. Audite, inquam, regalis throni præconem (6) benedictæ conceptionis et partus æternitatis Regis mysterium (7) pollicentem. « Missus est (8) enim angelus » Gabriel a Domino in Galilæam (9) ad virginem despon» satam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et » nomen virginis, Maria. » Introivit et ait ei: « Benedicta » tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. » Et obstupuit Maria ad introitum ejus, quod sic benedixerit eam. Et obstupenti Angelus ait ei: « Ne timueris, » Maria, invenisti gratiam apud Dominum; ecce conci» pies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus » Emmanuël (10), quod interpretatur, Nobiscum Deus. » Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit » ei Dominus sedem David patris sui, et regnabit in » domo Jacob in æternum (11), et regni ejus non erit fi» nis[6]. » Ecce audivit Maria, credidit, concepit et peperit. Audivit verbum, credidit fide, concepit sensu (12), et peperit lege naturæ (13).

III. Hodie ergo Dominus noster Jesus Christus natus est (14) secundum carnem, non secundum divinitatem. Nam « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud » Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio » apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso » factum est nihil[7]. » Natus est ut videretur oculis carnis, qui videri non poterat oculis cordis. O homo, noli ingratus existere. Hic est enim, qui te fecit ad imaginem et similitudinem suam. De ipso est increpatio illa in Psalmo dicens: « Filii hominum, usquequo graves corde? Ut » quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? Sci» tote quoniam admirabilem fecit Dominus Christum » suum[8]. » Hic est Filius Dei, Verbum Dei, secretorum omnium arbiter et magister. Ipsi dictum est a Patre: « Fa» ciamus hominem ad imaginem et similitudinem nos» tram[9]. » Ipse ergo disposuit, ipse (15) perfecit, nec potest aliquando dilucidari dispositio cordis, nisi interpretatio fuerit operata sermonis, ut est illud: » Eructavit cor meum » verbum bonum. » Propheta dicit Mariæ conjunctionis castam concordiam (16), cordis et verbi, insolubile quoddam vinculum charitatis. Nec enim cordis intentio potest, nisi spirituali quodam magisterio composito verbo produci, nec habere potest sermo, quod proferat, nisi prius artifex omnium sapientia, in penetrabilibus (17) aliquid construxerit cordis. « Eructavit, inquit, cor meum » verbum bonum. » Et ubi fuerat verbum istud? In corde. Unde eructatum (18)? Ex corde. Et quid est verbum? facies (19) cordis. In eo aut fœditas vituperatur, aut pulchritudo laudatur. Ex eo (20) « Benedicimus Dominum, » et maledicimus hominem, qui factus est ad imaginem » et similitudinem Dei[10]. Bonus enim homo, ait Evange» lista, de bono thesauro profert bona, et malus homo » de malo thesauro profert mala[11]. »

IV. Hæc est fœditas, hæc pulchritudo. Illic ergo te compone, ubi sol testis est, et amator Deus. Nolo tibi placeat, quod te fecerit natura formosum. Licet tibi ait in colore rubor candore permixtus, et decorem vultus tui bene possideat ambitus oculorum, diversorum quoque membrorum gloriam decus formæ concludat, Dominum tuum si non in simplicitate (21) quæsieris cordis, damnatus remanebis crimine fœditatis (22). Homo videt in facie, Deus in corde. Illic (23) parere stude, ubi meruit Christus habitare. Propter quod dicit apostolus Paulus: « Nescitis » quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vo» bis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet » illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod » estis vos[12]. Eructavit, inquit, cor meum verbum bonum. » Et quid est hoc verbum? Sponsus ille castus, de casto thalamo proditurus (24), de castitate natus, castitatem virginis servaturus. E thalamo processit, ad Angelum venit (25), Angelo quoque eructante verbum (26), castimoniam ad virginem detulit. Castus ergo pater, castus sponsus, casta mater, castus filius; castas nuptias interpres (27) fecit Spiritus sanctus. Sic esse Maria credendo, quod fuerat, meruit. Hoc illi et in ipsa conceptione Dominus servavit (28); hoc etiam pariendo non perdidit, quod Domino jam nato permansit, qui eidem matri et munus fœcunditatis attulit conceptus, et decus virginitatis non abstulit (29) natus de Spiritu sancto et (30) Maria Virgine, et regnat cum Patre in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Psal. IV, 7. — [2] Joan. I, 9. — [3] Malac. IV, 2. — [4] Joan. I, 9. — [5] Psal. XLIV, 2. — [6] Luc. I, 26-33. — [7] Joan. I, 1-3. — [8] Psal. IV, 3, 4. — [9] Gen. I, 26. — [10] Jacob. III, 9. — [11] Matth. XII, 35. — [12] I Cor. III, 16, 17.

(1) Vide Hom. Origenis de Epiph. Domini apud Combefisium, t. I, fol. 519. — (2) Sic cod. CXLIII; cod. CVI meo. — (3) Sic cod. CXLIII; cod. CVI vobis. — (4) Hæc verba quo meruit, etc. desunt in cod. CXLIII, usque ad has voces vultus et sapientia. — (5) Vide Enarrat. in Psal. XLIV, num. 4. — (6) Cod. præceptum. — (7) Id. imperium. — (8) Deest verbum est in cod. CXLIII. — (9) Sic cod. CXLIII; cod. CVI Galilea. — (10) Aut potius Jesus, ut in Vulgata. Confundit Prophetæ testimonium cum verbis Evangelistæ. — (11) Desunt verba in æternum in cod. CXLIII. — (12) Codd. sensum. Concepit sensu, id est corpore, non voluptate. — (13) Cod. CXLIII credidit fidem, concepit sensum, et peperit legem naturalem. — (14) Cod. CXLIII male Dominus noster natus est Christus. — (15) Cod. CXLIII et ipse. — (16) Codd. casta concordia. Hæc opinando corrigere tentavimus, quæ valde sunt obscura. — (17) Cod. CVI impenetrabilibus; cod. CXLIII in penetrabilibus. — (18) Sic cod. CVI; cod. CXLIII unde ructatum est? — (19) Sic cod. CVI; cod. CXLIII fuscos. — (20) Sic cod. CVI; cod. CXLIII male addit enim ut. — (21) Sic cod. CVI; cod. CXLIII in simplicitate si non. — (22) Sic cod. CXLIII; cod. CVI feritatis. — (23) Cod. CXLIII addit enim. — (24) Codd. placiturus. — (25) Sic cod. CVI; cod. CXLIII angelum invenit. — (26) Codd. eructante verbo castimoniam. — (27) Sic cod. CVI; cod. CXLIII male interpretes. — (28) Cod. CXLIII reservavit; cod. CVI servabit. — (29) Hæc verba et decus virginitatis non abstulit desunt in cod. CXLIII. — (30) Cod. CXLIII et de.

SERMO XXVII.

In Natali Domini XIX.

Hunc sermonem habemus in Cod. Cass. CVI, *fol.* 154, *sicut et præcedentem. Non videtur integer, sed fragmentum esse constat ex ipso principio; fragmentum autem exemplis et sententiis bene concinnatum. Locus ejus sit post præcedentem cum numero in Natali Domini* XXX.

SYNOPSIS.

I. Nativitas Christi ex Virgine astruitur exemplo Samsonis. II. Et Saræ sterilis. III. Isaiæ testimonio confirmatur. IV. Evæ et Mariæ comparatio.

I. FRATRES charissimi, unum rei documentum proferam de exemplis. Samson ille viribus armisque potentior, natus et ipse ex sterili Nazaræus, cum instinctu Dei adversariorum fudisset exercitum, et deficientibus armis, adhuc restaret patranda victoria, asini maxillam jacentem in campo invenit. Hanc arripuit, et ex illa innumeros hostes occidit. Sic enim post cædem et ipse glorians indicavit dicens: « In maxilla asini delens, delevi mille » viros[1]. » Hic ergo post nimium pugnæ laborem internum sitis patiebatur ardorem. neque erat (1) in promptu unde haurire posset aut bibere. Et ait: « Tu, Domine, » tu dedisti in manu servi tui salutem hanc magnam, » et ecce siti morior[2]. » Et aperuit Deus rimam maxillæ, et exivit ab illa aqua, et accepit et satiatus est. O maxilla, nunc homicidiis cruenta, nunc virtute fœcunda! Illic hostium fudit sanguinem, hic salutiferum profudit fontem. Maxilla vero asini mortui potuit contra naturam fontem emittere, et Maxillæ usque in hodiernum diem vocabulo nuncupari; Maria beata pariens Dei Filium, virgo non potuit permanere, et contra jura lactare? Maxilla ergo ex virtute divina elicuit, quod natura non habuit, et Maria per eamdem virtutem lac, quod (2) corpus habere potuit, proferre non debuit? Maxilla autem manavit fontem, Maria peperit Salvatorem. Divina virtus quæ aquam eduxit ex osse mortuo, carnem proferre non potuit ex homine vivo? Taceat igitur infidelitas, et in suis mussitationibus conquiescat. Eadem virtus quæ fœcundavit maxillam mortui pecudis, lacteum fontem uberibus infudit intactæ matris et virginis ex Unigeniti potestate nascentis.

II. Dicito mihi, dicito, qui parienti et lactanti virgini ex lege naturæ præscribis (3), Sara beata, nonagenaria unde peperit, unde lactavit! Jam enim officium suum dupliciter vulva perdiderat; et senex, et sterilis muliebria non habebat. Dicit enim Scriptura: « Defecerant (4) Saræ fieri muliebria[3]. » Et tamen, quando Deus voluit, concepit, et peperit, et puerpera sterilis filium in senectute lactavit. Sara hoc a Deo meruit; Maria paritura adipisci non debuit? Quod exhibuit virtus in anicula et fessa, exhibere non debuit in Virgine? Aut qui fœcundavit matrem decrepitam, fœcundare non potuit veram virginem, matrem novam?

III. Sed nos ad prophetiæ testimonium redeamus (5). Dicit enim Isaias: « Ecce Dominus sedet super nubem » levem, et venit in Ægyptum, et commovebuntur ante » faciem ejus manufacta Ægyptiorum, et cadent in ter» ram[4]. Sedet, inquit, super nubem levem; » dicit Christi carnem quæ portabat Dominum, et Deum in se celabat inclusum, sed in virtutibus manifestum. Nam et sol iste quem videmus, aliquoties celatur nubibus, et cum luceat sibi, non lucet tibi. Sol autem æternus celabatur nube carnis, sed tamen et sibi lucebat et nobis. « Super nubem, inquit, levem; » et merito, quia pondus peccati non habuit, quod aggravat omnem carnem. Quia sicut nubes gravantur aquis, ita et caro gravatur peccatis. Quæ enim peccatrix est ad terrena et inferna deprimit, quæ vero sancta est, ad sidera et cœlestia sublevatur. Merito enim nubem levem dicit Christi carnem, quæ nescivit habere successionis peccatricis originem, sed ipsam massam eluit (6) peccatricem. Licet possimus dicere item ipsam beatam virginem sanctam et matrem Dei Mariam, dici nubem levem; quæ mente et corpore tota fuit prædita sanctitate, siquidem Dominus de sanctis suis hoc dixerit, vel Propheta: « Qui sunt isti qui ut nu» bes volant[5]. » Ipsa enim virgo Mater Domini Maria nubes levis fuit, quæ infantem Dominum collo humerisque portavit, et fugiens in Ægyptum cum filio fugitivo pervenit, ut impleretur quod scriptum est: « Ex Ægypto » vocavi Filium meum[6]. »

IV. Videte interea, fratres, nativitatem Domini in rerum mutatione, et in sacramento intelligentiæ novitatem. Virgo concepit, virgo peperit, virgo lactavit, et virgo permansit. Nata caro est sine semine carnis. Nihil admittit corruptionis, ubi intererat origo virtutis. Primus homo, suasu virginis, cecidit; secundus homo, consensu virginis, triumphavit. Per fœminam diabolus introduxit mortem; per fœminam Dominus introduxit vitam. Angelus quondam malus seduxit Evam; Angelus æque bonus hortatus est Mariam. Eva credidit (7), ut perderet virum suum; Maria, ut uterum suum dignum Dei Filio pararet habitaculum; ut quem habebat Dominum, haberet (8) et filium. Verbo Eva periit; Verbo æque se Maria commisit, et quod perierat, reparavit. Eva quod male credidit, Maria bene credendo delevit. A muliere initium peccati, et propter hanc morimur omnes; a muliere initium fidei, et propter hanc in vita perpetua reparamur.

SERMO XXVIII.

In Natali Domini XX.

Sermo hic, sicut duo præcedentes, legitur in Cod. Cass. CVI, *fol.* 162, *et pariter memoratur a Bandinio in Bibl. Med. Laur. catalogo, tom. I, fol.* 71, § XXXV, *ubi fatetur hunc abesse ex editis. Legitur autem in Plut.* XIV, *cod.* 1, *fol.* 33. *Frustra illum quæsivimus, ideoque stampis submisimus. Locus ejus post præcedentem cum numero in Natali Domini* XXXI.

SYNOPSIS.

I. Evæ et Mariæ comparatio. II. Salutatio Angeli, et Mariæ obedientia. III. Christi magna erga nos dignatio.

I. INTENTIONEM videntes vestræ devotionis, cupimus vobis aperire mysterium sanctitatis, ut Christi nativitatem

[1] Judic. XV, 16. — [2] Judic. XV, 18. — [3] Gen. XVIII, 11. — [4] Isai. XIX, 1. — [5] Id. LX, 8. — [6] Osee. XI, 1.

(1) Cod. *erat*. — (2) Id. *et*. — (3) Id. *perscribis*. — (4) Id. *defecerunt*. — (5) Hinc iterum patet oratorem prius de prophetia Isaiæ fuisse locutum. — (6) Cod. *eluit*. — (7) Deest *credidit* in cod.; sed evidenter deest hoc verbum, aut aliud simile. — (8) Cod. *haberet*.

facientes omnibus notam, satietur intentio vestra gemmis fidei cumulata. Rex hodie natus est Angelorum in medio peccatorum, ut donaret gratis indulgentiam delictorum. « Lætentur cœli, et exultet terra[1], » quia descendit verus architectus instaurare mundi ruinam, ut quod (1) fuerat per Evam male vexatum, per Mariam fieret reparatum. Mulier olim perdiderat mundum, et Maria portat (2) in utero cœlum. Illa gustavit de ligno, tradidit viro, et intulit mortem, et hæc generare meruit Salvatorem.

II. Advenit, sicut audistis, Gabriel angelus ad pudicam Virginem, et ait ad eam : « Ave, gratia plena, Do» minus tecum, benedicta tu inter mulieres[2], » quia uterus tuus effectus est domus Filii Dei. Expavescit ad angelicum introitum; audit mysterium, et tractat negotium : « Quo» modo, inquit, fiet istud; quia virum non cognosco[3]? » De consuetudine dico humani generis, et non de virtute dubito majestatis. Illud corde volvo, quia virgo decrevi permanere; et quomodo sine marito potero filium generare? Non ita, Maria; non sic paries quomodo cæteræ fœminæ. Tu ita filium generabis, ut nunquam amittas castitatem, quæ ipsam portare mereberis Deitatem. « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi » obumbrabit tibi[4]; » quia venter tuus palatium factus est Spiritus sancti. Et illa, ubi cœleste audivit pactum, nuntio præbet auditum, et meruit illico intra cameram ventris (3) habere hospitem Deum. « Ecce, inquit, an» cilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum[5]. » Repletur ambitus uteri; concluditur intra humani corporis metas tota majestas. Efficitur filius, protector, habitator et custos. Advenit et jam (4) tempus pariendi; generat filium Maria, et castitatis clausa permanet porta[6]. Procedit proles magnifici germinis, et pudor perseverat integer castitatis. Nullus fuit gemitus parienti, quia partum susceperat cœli. Hodie lætantes exercitus Angelorum canunt (5) : « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax » hominibus bonæ voluntatis[7], » quia fœcundatus est uterus virginalis.

III. Cognoscite, fratres, quanta circa nos claruit clementia divinitatis (6) Dei, ut dignaretur inter homines nasci, quos terræ limo plasmavit. Nativitate sua refecit, morte sua redemit, et occisus ab inferis liberavit. Magna pietas, ut justus impiorum peccata susciperet, et immaculatus crimina nostra portaret; quia redemit nos ab inimicis nostris, dum de cœlo descendit, et mortuus inclytus rex ex inferno revixit; et sic universa captiva resolvit Dominus noster Jesus Christus Filius Dei, cui est gloria et potestas in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXIX.

In Natali Domini XXI.

Legitur hic sermo cum sancti Augustini nomine in Bibl. Laur., Plut. xiv, *cod.* ii, *fol.* 296. *Nil obstare videtur, quin beato Doctori ascribatur, nisi quod tres aut quatuor lineæ occurrunt, quæ pariter inveniuntur in alio sermone, cui titulus* In nocte Natalis Domini, *et quem, licet pulcherrimum, in appendicem relegavimus, quia in quibusdam codicibus præfixum habet nomen sancti Fulgentii. Sed hæc ratio non ita gravis videtur, ut propter eam repudietur hic sermo doctis piisque sententiis refertus, cum sæpius sanctus Fulgentius sanctum fuerit Augustinum imitatus. Ponatur igitur inter Augustinianos cum numero in Natali Domini* xxxii.

SYNOPSIS.

I. Christi nativitas mirabiliter Dei commendat charitatem. II. Hæc autem nativitas non est prima et æterna, sed secunda et temporalis. III. Hanc nativitatem præcessit matris existentia, cujus matris virginitas et fœcunditas mirabiliter sociantur. IV. Nativitas Christi mirabile exhibet mysterium. V. Christus verus homo venit, ut homines faceret salvos, et Dei filios. VI. Incarnationis mysterium verbis in invicem contrariis explicatum videtur; nulla vero adest contradictio in Ecclesiæ doctrina. VII. Credendum ergo firmiter, quæ sancta tenet Ecclesia de hoc mysterio, specialiterque de utraque Christi nativitate, cujus differentia et similitudines hic exponuntur. VIII. Cum grato corde considerandum mira beneficia nobis collata in incarnationis redemptionisque mysteriis. IX. Unus est ergo Christus Deus et homo, qui natus pro nobis, et pro nobis mortuus est.

I. Temporalis secundum carnem Filii Dei, Domini nostri, nativitas ante sæcula prædestinata, in hoc sæculo præsentata, a Prophetis prænuntiata, ab Apostolis prædicata, in Veteri Testamento figuris congruentibus obvoluta, in Novo Testamento rebus manifestissimis revelata, Patribus promissa, nobis exhibita, fratres charissimi, commendat (7) in nobis Dei gratuitam charitatem. Gratuitam quippe nobis impendit (8) Deus dilectionem, quibus gratis Unigeniti sui misit redemptionem. « Re» demptionem enim misit Dominus populo suo[8]; » quod de Christo intelligendum esse beatus Paulus ostendens, ait : « Qui factus est sapientia nobis a Deo et justitia, et » sanctificatio, et redemptio[9]. »

II. Ista vero nativitas Filii Dei, quam hodie celebramus, non est de utero Dei Patris, sed de utero Virginis matris. Huic nativitati suæ præposuit initium mundi, præposuit, et quod est mirabilius, plenitudinem temporis[10]. Istam nativitatem suam ille filius servavit, quem æternus Pater sine tempore generavit; sic nascendo dignatus Filius a Patre mitti, qui nunquam potest a Patre dimitti. Non est ergo ista ejus prima nativitas, sed secunda.

III. Istam nativitatem Filii Dei humanitas materna præcessit, cujus primam nativitatem paterna Divinitas nullatenus antecessit. Qui ergo non est posterior Patri, idem factus est posterior matri. Inde est quod hodie celebremus sanctæ Virginis partum, illius utique virginis quam

[1] Psal. xcv, 11. — [2] Luc. i, 28. — [3] Ibid. 34. — [4] Ibid. 35. — [5] Luc. i, 38. — [6] Ezech. xliv, 2. — [7] Luc. ii, 14. — [8] Psal. cx, 9. — [9] 1 Cor. i, 30. — [10] Galat. iv, 4.

(1) Codd. *in quo*. — (2) Cod. 1 *portabat*. — (3) Iid. *cordis*. — (4) Codd. *etiam*. — (5) Iid. *canebant*. — (6) Sic cod. 1; cod. cvi *claruit divinitas*. — (7) Cod. addit male *Deus*. — (8) Id. *impendat*.

sic veraciter prædicamus et matrem, cujus virginitatem glorificavit materna fœcunditas, et cujus maternam (1) fœcunditatem glorificavit intemerata virginitas. Huic enim virgini gratia fœcunditatis accessit, sed ab ea gratia virginitatis non recessit. Hujus enim virginis talis (2) est fœtus, ut ei nullatenus ista possit inesse fœcunditas, nisi permaneret ejus intemerata virginitas. Sola hæc virgo singularem gratiam summæ divinitatis accepit; soli donatum est, ut in illa, et de illa rerum omnium Creator misericorditer crearetur, Institutor fœminarum sine semine conciperetur, et Deus sine initio natus, initialiter nasceretur.

IV. Istam Filii Dei nativitatem, quæ in tempore facta est, Doctor gentium insinuans ait: « Cum autem venit » plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum » ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege » erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus[1]. » Quibus verbis beatissimus Paulus fecit corda nostra ad intelligentiam nostræ salvationis intenta. Divinorum namque fidelis conscius arcanorum, prædicavit nobis multum mirabile, multum amabile sacramentum. Quare mirabile? quia sic factum est. Quare amabile? quia pro nobis factum. Quare mirabile? quia ille qui natus est verus Deus ex Deo, idem (3) est natus ex homine verus homo. Quid enim tam mirabile, quam ut verus Deus, qui naturaliter Dominus (4) natus est de Patre, idem servus nasceretur ex Virgine, et Creator omnium temporum crearetur in tempore. Quare autem nobis hoc amabile (5) sacramentum? quia Unigenitus, qui est in sinu Patris[2], ideo nasci dignatus est ex homine verus homo, ut nos nasci faceret (6) ex Deo.

V. Ut autem idipsum quod dicimus cunctis audientibus plenius atque planius innotescat, ea quæ de Unigeniti Dei humana nativitate simul audivimus, denuo resolvamus. « Cum autem venit, inquit, plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub Lege[3]. » Ecce qualiter Deus verus, natus est verus homo. Quid autem vobis jam (7) Dei humana nativitas contulerit, ostendens Apostolus ait: « Ut » eos qui sub Lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus[4]. » Ecce quemadmodum natus Deus homo, fecit ut nos homines nasceremur ex Deo. Etenim per gratiam ex Deo nati sumus, quando adoptionem filiorum, Deum credendo, cepimus. Ex Deo enim natos beatus Joannes ostendens ait: « Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui » credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque » ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo » nati sunt[5]. » Hanc adoptionem divinæ gratiæ recepimus in homine secundo, quam perdideramus in primo. Item gratiam non habuimus, quando in iniquitatibus concepti, et in delictis nati sumus; quia prius cognoscimur eam (8) perdidisse, quam nasceremur in carne. « In quo omnes peccaverunt[6], » in ipso adoptionis gratiam perdiderunt. « Commendat autem suam charitatem Deus in nobis[7], » quia factum est ut Unigenitus, per quem facta sunt omnia[8], fieret inter omnia, in plenitudine temporis factus, per quem factum est tempus.

VI. Discernendum est autem, dilectissimi fratres, quomodo potuerit fieri per quem facta sunt omnia; vel qualiter in plenitudine temporum factus asseritur, per quem facta sunt tempora. Utrumque enim sancti Prophetæ Apostolique dixerunt; utrumque nobis veracius ipsius veritatis Discipuli tradiderunt. Christus enim qui hujus nativitatis suæ testes misit Apostolos natus, ipse Prophetas mittere dignatus est nasciturus. Et Prophetæ igitur et Apostoli a veritate missi venerunt, et ab eadem, quod nobis dicerent, audierunt. In quorum verbis nihil est falsum, nihil est dubium, sed totum manifestissime verum, totum verissime manifestum. Ecce, fratres charissimi, prophetica apostolicaque doctrina. Dum Dei Filium, et factorem dicit et factum, dum creatorem asserit et creatum, dum temporalem prædicat et æternum, nullatenus a se ipsa discrepat, nec se ipsam vitio falsitatis oppugnat, sed salubrem fidei veritatem in utriusque nativitatis vera professione conservat. Manet enim prorsus in Domino unigenito utraque nativitas vera, in quo vera manet humana divinaque substantia. Hinc est quod indubitanter catholica Ecclesia unum eumdemque Dei Filium creatorem redemptoremque suum cognoscit: creatorem scilicet, quia secundum divinitatem fecit illam; redemptorem vero quia secundum carnem factus est propter illam. Novit certissime sponsum suum castissima sponsa, quæ illi est utriusque naturæ plenitudine ac veritate conjuncta. Novit ipsum caput suum, non solum ex patre ac in Patre manere sempiternum atque incommutabilem Dominum, verum etiam de Matre ipsum Deum hominem temporalem extitisse perfectum. Novit in eo unam divinitatis cum Patre naturam; novit unam cum Matre carnis animæque substantiam. Novit unum eumdemque Christum, qui et esse cœpit, et esse non cœpit. Unigenitum quippe Dei Filium, quem novit Ecclesia catholica, ex æterno Deo æternum Deum, ipsum novit ex homine temporali temporalem factum. Propter hoc sancta Ecclesia unum eumdemque Dei Filium, et Patri æqualem prædicat, et minorem, quia novit unum mediatorem Dei et hominum[9] hominem Christum Jesum, naturæ salvatricis et salvatæ participem. Naturam quippe nostram, quam ex nobis Deus totam gratuita bonitate salvavit, totam Deus unigenitus, ut salvaret, accepit; atque ita factum est, ut et Deus Pater homini salutem per unigenitum Deum, divinitatis suæ participem, daret, et homo salutem a Deo, per eumdem unigenitum Deum participem humanitatis, acciperet, atque ita in uno eodemque Dei Filio, vera salus fidelium permaneret. Hæc est vera catholicæ fidei regula, hæc est divina sanaque doctrina, utramque naturam veram credere in Filio Dei, et ex hoc utramque nativitatem unius ejusdemque Filii veraciter confiteri.

VII. Sit igitur, fratres, in nostris cordibus certum, fixum, sit fidei veritate fundatum, sit charitatis plenitudine radicatum, unigenitum Deum per quem facta sunt omnia, secundum veritatem natum semel sine tempore, semel in tempore, semel sine initio, semel a certo (9) initio; semel de Deo Patre, semel de Virgine Matre, de Deo Patre sine aliqua matre, de Virgine vero Matre, non omnino sine aliquo Patre, sed sine homine patre; Deum quippe habet Patrem unigenitus Deus, non solum in illa nativitate, qua sine initio Deus natus est de Deo Patre, sed etiam in ista qua temporaliter est Deus homo creatus ex virgine. In prima itaque nativitate Deus Pater

[1] Galat. IV, 4. 5. — [2] Joan. I, 18. — [3] Galat. IV, 4. — [4] Ibid. 5. — [5] Joan. I, 12, 13. — [6] Rom. V, 12. — [7] Ibid. 8. — [8] Joan. I, 3. — [9] I Tim. II, 5.

(1) Cod. male vero. — (2) Deest talis in cod. — (3) Cod. id. — (4) Id. bis habet Dominus. — (5) Id. male admirabile. — (6) Id. fecisset. — (7) Id. tam. — (8) Deest eam in cod. — (9) Sic cod.; forte legendum accepto.

verbum eructavit ex corde[1]; in secunda vero nativitate, ipsum Verbum carnem (1) factum peperit Virgo Mater ex corpore. In illa Deus excelsus a Patre est natus ex utero; in ista idem sponsus humilis virgineo processit ex thalamo. Illa ergo nativitas nos fecit, quos ista reficeret; illa creavit, quos ista redimeret; illa homines condidit, quos ista Deo in filios adoptaret (2). Per illam sumus facturæ Creatoris, per istam sumus hæreditas Redemptoris. Per illam Dei Filius creavit homines, per istam dignatus est facere cohæredes. Per illam omnis homo creatur in mundo, per istam est justus omnis regnaturus in cœlo. Illa temporalem donavit creatis hominibus vitam; ista redemptis beatitudinem contulit sempiternam.

VIII. Attende igitur, homo, quid tibi præstiterit (3) unigenitus Deus, cum esses indignus. Tu erraveras, ille quæsivit; tu perieras, ille te invenit; tu te (4) vendideras, ille te redemit; tu te occideras, ille te suscitavit. Hæc autem omnia gratis faciens venit; quando in te nec meritum boni operis, nec aliquid initium bonæ voluntatis invenit. Cum ergo divina beneficia cogitamus, solam Dei gratiam (5), cessantibus bonis meritis, invenimus. Quid enim boni fecimus (6), dilectissimi fratres, ut tantum nobis beneficium præstaretur, ut Deus verus pro nobis verus homo fieri dignaretur, ut Unigenitus Patri naturaliter coæternus de virgine temporaliter nasceretur, ut Altissimus humiliaretur, ut indeficiens Angelorum panis fœmineis uberibus lactaretur, ut Immensus in præsepi brevissimo poneretur, ut Rex omnium sæculorum contumeliis afficeretur, ut Justificans injusto judicio (7) damnaretur, ut ille in quo non est iniquitas inter iniquos deputaretur, ut Auctor vitæ ad mortem cum latronibus duceretur, nec solum cum impiis, sed etiam pro impiis moreretur? Testatur enim Apostolus quia «Christus pro » impiis mortuus est[2].» Quomodo autem pro justis poterat nasci, qui pro impiis dignatus est mori?

IX. Unus est ergo idemque Christus verus in utraque natura, verus in divinitate, verus in humanitate; verus de Patre, verus de Matre; verus in æternitate, verus in tempore; verus in (8) immortalitate, verus in morte; verus in morte, verus in resurrectione. Hoc est magnum pietatis sacramentum, quod Deus unigenitus secundum carnem traditus est propter delicta nostra, secundum carnem resurrexit propter justificationem nostram. Quia vero Dei Filius opus redemptionis nostræ, quod sua nativitate cœpit, sua redemptione perfecit a Deo (9), nos in die quo nativitatem Domini celebramus, diem quoque resurrectionis ejus vobis omnibus nuntiamus, properanta (10) Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre sanctoque Spiritu vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXX.

In Natali Domini XXII.

Hunc sermonem suppeditavit Cod. 1 Bibl. Laurent., Plut. xiv, fol. 29, cum nomine sancti Augustini, cui vere tribuendus videtur. Ejus locus post sermonem præcedentem cum numero in Natali Domini xxxiii.

SYNOPSIS.

I. Christi nascentis stupenda mysteria. II. Signa multa Christi nativitatem præcesserunt, quasi futurorum miraculorum præludia. III. Magi quare hunc regem Judæorum, nec alios, quæsierunt et adoraverunt.

I. Christus nascitur, exultat mens hominum. Creator hominum procedit ex utero puellari, et viscera complexu carnis immunis, Filium hominis protulerunt, cujus patrem hominem non pertulerunt. Implentur in fœmina partus sui tempora, nihil de lege nascentium mutat processura majestas. Sic nasci debuit qui pro humani generis liberatione non recusabit (11) occidi. Christus nascitur, Deus de Patre, homo de Matre. De Patre principium vitæ, de Matre finis mortis; Patris revelator, Matris creator; ante omnia tempora Verbum, opportuno tempore caro; sub sole conditus, conditor solis; sempiternus cum Patre, hodiernus ex Matre; sine quo nunquam Pater fuit, sine quo Mater nunquam mater fuisset. Quæ peperit, et mater, et virgo est; quem peperit, et infans, et Verbum est. Homo factus est, hominis fabricator, genitus ex matre quam genuit, et ubera quæ implevit, expressit. Homo factus est, qui Deus erat, nec amittendo quod erat, fieri voluit ipse quod fecit. Etenim hominem Deo addidit, non in homine Deum perdidit. Nec enim quando membra humana suscepit, opera divina deseruit, sed ita virginali utero receptus est, nec inclusus, ut nec Angelis subtraheretur sapientiæ cibus, et nos gustaremus quam suavis est Dominus. Merito locuti sunt cœli, gratulati Angeli, lætati pastores, Magi in meliora mutati, turbati reges, parvuli coronati. Laeta, mater, cibum nostrum. Laeta panem de cœli arce venientem, et pone in præsepi, velut piorum cibaria jumentorum. Laeta eum qui talem te fecit, ut ipse fieret in te, qui sibi, priusquam nasceretur, et uterum, de quo nasceretur, et diem, in quo nasceretur, elegit; et ipse condidit quod elegit, ut velut « Sponsus de thalamo suo inde procederet[3], » et sponsam suam amplecteretur Ecclesiam.

II. Videtis quæ nascentem Dominum signa præcesserint. Prophetæ multo ante testantur Conditorem cœli et terræ in terris adorandum; Angelus nuntiat Creatorem carnis in carne venturum; salutat Joannes ex utero in utero Salvatorem; Simeon senex Deum agnoscit infantem, Anna vidua Virginem Matrem. Hæc sunt testimonia nativitatis tuæ, Domine Deus noster, antequam tibi fluctus substernerentur, antequam ventus te imperante siluisset; mortuus te invocante vixisset, sol te moriente subito palluisset, terra te resurgente tremuisset, cœlum te ascendente patuisset. Ecce Magi ab ipso solis ortu, stella duce,

[1] Psal. xliv, 2. — [2] Rom. v, 6. — [3] Psal. xviii, 6.

(1) *Carnem* antiquitus legebatur in codice, quod correctum est male manu recentiori, ut legeretur *caro*. — (2) Cod. *adoptaverit*. — (3) Id. *præstitit*. — (4) Deest *te* in cod. — (5) Cod. *sola Dei gratia*. — (6) Similia leguntur in sermone *in nocte Natalis Domini* qui legitur in appendice nostro, et modo sancto Augustino, modo sancto Fulgentio tribuitur. — (7) Cod. *in justo*. — (8) Deest *in* in cod. — (9) Cod. *adeo*. — (10) Sic cod., forte *operante* aut *præcipiente*. — (11) Cod. *recusabat*.

ad fidei primitias excitati, per immensa terrarum spatia cucurrerunt, quærentes Regem, cui capita curva submitterent.

III. Sed, o Magi, cur istum potissimum, si vere regem Judæorum putastis, adorare voluistis? Nonne per multa sæcula plurimi reges nati sunt Judæorum; David eximius imperator, Salomon rex potentissimus? Ad nullius exordium, ad nullius imperium cucurristis. Sed nullus antea dignitatis suæ cœlum habuit delatorem. Nunc vero regum omnium Regem, nunc Opificem suum stella demonstrat. Sic Deus agnoscitur, qui cœlo indice, ut nemo de ipsius deitate dubitet, nuntiatur.

SERMO XXXI.

In Natali Domini XXIII.

Sermo iste, et qui proxime sequitur, eruuntur ex duobus codd., nempe ex Cod. I, *Plut.* XXA *sinist. Bibl. Laurent., fol.* 66 *b, et ex cod.* CXLIII, *Bibl. Ædil., fol.* 102. *In hoc ultimo codice de duobus fit unus; in priori autem distinguuntur, et quidem jure, cum nulla inter duos videatur esse connexio. In utroque codice sancto Augustino tribuuntur. Ponatur hic post sermonem præcedentem cum numero in Natali Domini* XXXIV.

SYNOPSIS.

I. Nativitatis Christi magnum gaudium. II. Gaudeat populus faciendo quod jubetur.

I. Omnia Scripturæ, quas nunc audivimus, charissimi, lætitiam nobis publicam, et commune gaudium nuntiarunt. Psalmista enim dicit: « Exultate Deo adjutori nostro[1]. » Apostolus vero: « Gaudete in Domino semper[2]; » Evangelista autem ait: « Evangelizo vobis gaudium magnum[3]. » O beatam diem hanc, in qua juxta auctoritatem Scripturarum gaudentes et exultantes natalem Domini nostri Jesu Christi, et cum Psalmista agimus, et cum Evangelista colimus, et cum Apostolis Prophetisque celebramus (1).

II. Magna utique hodie Christiani populi exultatio, quæ Scripturarum sacrarum exemplo agitur, et ideo beatum est hodie gaudium nostrum, quia hoc fecit gaudens populus, quod jubetur. Quam sancta esset (2) plebs Ecclesiæ istius, si semper hoc faceret, quod imperatur a Christo. Unde obsecro vos, fratres charissimi, ut semper jussionem Domini faciatis, ut possitis in omnibus in æternitate gaudere. Sicut enim hodie in hac festivitate natalis Dominici læti sumus, sic qui voluntatem Domini Christi fecerit in hoc sæculo, venturam æternamque festivitatem cum Angelis celebrabit in cœlo.

SERMO XXXII.

In Natali Domini XXIV.

Vide notam sermoni præcedenti præfixam. Locus ejus sermonis post præcedentem cum numero in Natali Domini XXXV.

SYNOPSIS.

I. Christus venit in carne, ut diabolum vinceret. II. Quanta in Christo nascente mirabilia. III. Maria mater et virgo.

I. Fratres dilectissimi, hodie dies illuxit, in quo Christus ex virgine carnem suscepit. Humilitatis voluit induere formam, ut a peccatis liberaret animas nostras. Transgressio illius primi hominis totum deceperat mundum, ut nullum esset salutis remedium, nisi Christus adveniret de cœlo. Gaudebat et teterrimus draco, quia venenum præparaverat homini novo. Sed ad hoc descendit Christus in utero virginis, ut exinde humana susciperet membra, quæ traderet cruci, et mortem induceret antiquo draconi. Usus enim fuerat diabolus consilio malo (3), ut per serpentem mulieri loqueretur, et diabolus non agnosceretur. Sed hinc ad nihilum redigit illum, qui de cœlo descendit, ut Deus Dei Filius humanum susciperet corpus, tendens ei laqueum mortis per visionem videlicet carnis; quasi ad hominem solum tentator accederet, et Dominum penitus ignoraret. Videbat carnem, sed ignorabat Domini majestatem. Cernebat infirmitatem, et non videbat deitatem. Remansit confusus diabolus, dum in homine apparuit Deus (4).

II. Sic a Deo Patre descendit, unde nunquam discessit. In terra (5) erat, et cœlos non deserebat. Sicut ipse Dominus ait: « Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis qui est in cœlo[4]. » In terris ut homo loquebatur hominibus, et in cœlo fatebatur se esse ut Deus. Et deitas non minoratur, cum infirmitas assumitur; et illud quod non erat, accepit, et Deus mansit, quod ab initio fuit. Quod enim homo fuit, nobis profuit, sibi nihil minuit. Exinanivit plenitudinem deitatis, formam suscepit humilitatis, et Patris manens æqualis.

III. Talis igitur virgo de toto surrexit (6) mundo, quæ tantum haberet meritum, ut Dei Filium in semetipsa susciperet, et post partum omni modo virgo permaneret: « Ave, inquit Angelus, Maria, gratia plena; Dominus tecum; benedicta tu inter mulieres[5]; » quia « Ecce concipies et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum[6]. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum[7]. » Virginitatis jura servabis, filium habebis, et nomen virginis non amittes (7). Tanta est enim illa divina potentia, ut et matrem reddat fœcundam, et virginem servet illæsam. Ideo « Benedicta tu inter mulieres, » quia ex Spiritu sancto concipies, ubi non est carnalis maritus, sed divina dignoscitur virtus. Lactabis infantem, proprium creatorem. Succum porrigis lactis, et cibis satiaris cœlestibus. Pannis involvis puerum, qui tibi immortale (8) condonavit indumentum. In præsepio ponis infantilia ejus (9) membra, qui cœlestem tibi præ-

[1] Psal. LXXX, 2. — [2] Philip. IV, 4. — [3] Luc. II, 10. — [4] Joan. III, 13. — [5] Luc. I, 28. — [6] Ibid. 31. — [7] Matth. I, 21.

(1) Sic cod. CXLIII; cod. I celebremus. — (2) Codd. male erat. — (3) Codd. male consilium malum. — (4) Cod. est Deus Dominus. — (5) Ibid. in terris. — (6) Cod. per amanuensis certum errorem scilicet. — (7) Codd. male amittis. — (8) Cod. est mortale. — (9) Deest vox ejus in codd., sed necessaria est juxta grammatices regulas, nisi legeris infantis.

paravit mensam. Omnis quæ causa (1) nutricis debentur, circa puerum celebras, ut quod ipse promisit sanctis suis, et tu ipsa libentius consequaris. Quid multa? Exulta virgo de tanto promisso. Nuntius discessit angelicus, et ventris hospitium ingreditur Deus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXXIII.

In Natali Domini XXV.

Hic sermo, erutus ex Bibl. Laur.; Plut. XII, *cod.* XIV, *fol.* 278 *b, et cujus etiam memoria fit in Bibl. Venetian., cod.* LXIX, *totum sapit Augustinum, cujus inter fœtus ponatur post præcedentem cum numero in Natali Domini* XXXVI.

SYNOPSIS.

I. Ad vitam æternam necessarius est spiritalis cibus mentis, propter quam vita, et Lex, et Prophetæ dati sunt, ac demum Christus venit in carnem. II. Quam necesse erat, ut veniret Christus ad liberandos homines. III. Christus autem veniens salutem nobis attulit. IV. Non sine mysterio mirabili docemur Christum venisse in mundum. V. Infidelium contra Dei incarnationem objecta diluuntur.

I. Consulte et salubriter divina nobis eloquia recitantur, ut animæ nostræ pascantur, fratres charissimi. « Non enim in pane tantum vivit Christianus homo, » sed in omni verbo Dei[1]. » Sicut autem opus habemus quotidie terreno cibo propter hanc vitam temporalem, ita habemus opus spirituali cibo propter æternam vitam. Etenim si hæc temporalis vita, multis periculis multisque ærumnis plena, a multis amatur, quanto magis vita æterna amanda est, quæ nobis cum Angelis præparatur, Domino dicente: « In resurrectione neque nubent, neque » uxores ducent, sed erunt æquales Angelis Dei[2]. » Propter hanc igitur æternam vitam lex divina prolata est, Patriarchæ electi sunt, Sacerdotes et Levitæ unctionem chrismatis acceperunt, Prophetæ venerunt, Angeli missi sunt, et ad postremum ipse Dominus Dei Filius descendit de cœlis ad terram, et nos ad imaginem suam reparavit. Ex hoc ergo conjicere debemus quanta et qualis sit nobis necessitas, ut veniret in carne nostra superna majestas.

II. Quæ autem gravior necessitas, quam mors nostra æterna? quæ gravior pœna, quam peccatorum servitus dura? quæ major crudelitas, quam æterna nostra captivitas? Eramus quippe ligati in morte, eramus in servitute, eramus in captivitate. Unde probamus mortem nostram æternam? Audi Apostolum dicentem: « Regna» vit mors ab Adam usque ad Moysèn, et in iis qui non » peccaverunt[3]. » Unde probamus servitutem? Christus Dominus dicit: « Omnis qui facit peccatum, servus est » peccati[4]. » Unde probamus captivitatem nostram? Vox Martyrum clamat, et in Psalmo: « Converte, Domine, » captivitatem nostram, sicut torrens in Austro[5]. » Et si ista temporalis captivitas hostium barbarorum tam crudelis atque amara est, quæ aut (2) per fugam vitatur (3), aut pecunia redimitur, aut postremo finitur morte, qualis erit illa æterna captivitas, quæ nec morte finitur, sed in æternum apud inferos cruciat.

III. Hæc igitur, fratres, multiformis necessitas facit, ut Dominus Jesus hoc tempore veniret ad terras. Veniendo enim in carne nostra, abstulit mortem, reddidit vitam; abstulit servitutem, reddidit libertatem; abstulit captivitatem dæmoniorum, et reddidit nobis adoptionem filiorum, dicente Propheta: « Ascendit in altum, cap» tivavit captivitatem, dedit dona hominibus[6]. » Recte itaque Dominus Christus venit ad nos, ut salvaret nos, sicut legimus: « Non princeps, neque legatus, non An» gelus, sed ipse Dominus adveniens salvabit (4) nos. »

IV. Mira res, fratres! Venit Christus in hunc mundum, qui semper erat in mundo, et est in mundo, et rursus venturus est in hunc mundum. Unde probatur venisse in mundum? Apostolus dicit: « Humanus (5) ser» mo, et omni acceptione dignus; quoniam Christus Jesus » venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quo» rum primus ego sum[7]. » In hoc autem mundo eum fuisse Evangelista testatur: « In mundo erat, et mundus » per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit[8]. » In mundo quoque modo esse nobiscum ipse Dominus Apostolis dicit: « Ite, docete omnes gentes, baptizantes » eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; ecce » ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consum» mationem sæculi[9]. » Venturum autem Angelus rursum Apostolis dicit: « Sicut videtis Christum in cœlos (6) » euntem, sic videbitis venientem[10]. » Quod olim prædixerat Propheta: « Deus manifeste veniet, Deus noster, » et non silebit[11]. » Quia ergo Dominus Christus « In » mundo erat, et mundus eum non cognovit[12], » hoc est genus hominum, et mirabile mysterium! invisibilem non credebat. Magnum mysterium, et mirabile sacramentum! eo quod Creator mundi voluit esse creatura mundi, et tulit peccata mundi, sicut Evangelista dicit: « Ecce » Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi[13]. »

V. Cum igitur, fratres, primum Domini Christi adventum jam factum esse credamus, et credendo laudemus, occurrit de diverso quæstio infidelium Judæorum, Paganorum atque Manichæorum ita dicentium: Quid est quod asserunt Christiani dicentes Deum majestatis venisse in hunc mundum ad salvandum genus humanum? Quare hoc dicunt? An forte non habuit in cœlis quem mitteret? non habuit Angelum, non habuit aliam potestatem, sicut fecit, quando Moysen et Aaron elegit ad populum Israël de captivitate liberandum? Certe si ipse venire disposuit, quare per fœminam venit? Quare per obscœna membra transivit? His respondemus et dicimus: Potuit aliter liberare nos, quia omnipotens Deus est. Sed non sufficiebat in Deo, ut esset sola potestas, sed pariter æquitas potestatis. Potestas est in virtute, æquitas in ratione. Ratio itaque exigebat, ut per eum salvaretur homo, per quem factus est omnis homo; sicut legitur in divinis Scripturis, Patrem Deum dixisse ad Filium suum: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nos» tram[14]. » Quod autem dicunt per obscœna membra transitum fecisse (7), facile superatur. Nulla est obscœnitas, ubi intacta virginitas est, nec potest dici aliqua macula, ubi est incontaminata natura. Nam si sol iste per cœnosa et squallida loca transitum facit, et pollui non potest, licet corporeus ex luce et calore compositus, quanto magis incorporalis Christi divinitas, nascendo

[1] Matth. IV, 4. — [2] Luc. XX, 35. — [3] Rom. V, 14. — [4] Joan. VIII, 34. — [5] Psal. CXXV, 4. — [6] Psal. LXVII, 19, et Ephes. IV, 8. — [7] I Tim. I, 15. — [8] Joan. I, 10. — [9] Matth. XXVIII, 19, 20. — [10] Act. I, 11. — [11] Psal. XLIX, 3. — [12] Joan. I, 10. — [13] Ibid. 29. — [14] Gen. I, 26.

(1) Sic cod. CIT; cod. I causam. Forte cura. Deinde debetur pro debentur. — (2) Cod. male ut. — (3) Id. labitur. — (4) Cod. salvavit. Non inveni in sacris Scripturis hunc textum, qui probabiliter ex aliquo apocrypho usurpatur. — (5) Forte fidelis. — (6) Cod. in excelsis. — (7) Cod. fecit.

per virginem non potuit inquinari. Virgo concepit, virgo peperit, virgo permansit. Quod enim Eva perdidit, Virgo Maria reddidit. Eva virgo nobis fecerat mortem, Maria virgo nobis genuit Salvatorem. Et idcirco justa et æqua ratio persuasit, ut eisdem vestigiis, quibus primus homo perierat, secundus salvaretur.

SERMO XXXIV.

In Natali Domini XXVI.

Sermonem hunc ex quatuor codd. extraximus, nempe 1° Bibl. Laur., Plut. XVII, *cod.* XLI, *fol.* 45 *b*; 2° *Bibl. Ædil., cod.* CXXXVIII, *fol.* 49; 3° *ead. Bibl., cod.* CXLIII, *fol.* 99; 4° *Cod. Cass.* CXVII, *fol.* 50. *Nomen ubique præfert sancti Augustini, nec ulla ratione videtur illi abjudicandus. Locus ejus post præcedentem cum numero in Natali Domini* XXXVII.

SYNOPSIS.

I. Nativitas Christi nihil carnale habet, cum sit Verbum Dei. II. Maria ab Angelo salutata. III. Christi miraculosa conceptio et nativitas, quæ pastoribus annuntiatur. IV. Primi et secundi hominis collatio, necnon et primæ secundæque Evæ.

I. Æterni Numinis (1) virgineum partum, et repleta viscera, ipso jubente qui natus est, audax lingua loqui desiderat, sed animum concutit, et sine metu non potest dici. Nunquam enim possunt sine terrore mentis referri, quæ magna sunt, nec inaniter vereor, quia præsens est ille de quo loquor. Nemo itaque credat (2), dilectissimi, nobis Dominum et Salvatorem nostrum primordia vitæ carnali nativitate sumpsisse, cum præsens sit semper in Patre, sicuti Evangelista testatur: « In principio erat » Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Ver- » bum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnis per » ipsum facta sunt[1]. » Attende diligenter, et vide qui erat, et ubi erat, et qualis erat, et quando erat, et quid agebat. « In principio, inquit, erat (3) Verbum. » Habes qui erat, audi ubi erat. « Et Verbum erat apud Deum. » Audisti, ubi erat (4), audi et qualis: « Et Deus erat » Verbum. » (Et ubi erat: « Hoc erat in principio apud » Deum (5). ») Et quid agebat: « Omnia per ipsum » facta sunt. » Ubi venit? « In sua propria venit. » Quare venit? Joannes Baptista testatur: « Hic est Agnus Dei, » hic est (6) qui tollit peccata mundi[2]. »

II. « In principio ergo erat Verbum, » et cætera. Si omnia per principium (sic).. Itaque nativitas æternæ Divinitatis Angeli sermone nuntiatur. Invenitur Maria virgo ante partum, virgo post partum (7), et adveniunti materna viscera præparantur hospitio. Videte qualem partum Gabrielis angeli sermo nuntiaverit, quem sola jussio corporavit, sicut scriptum est: Introivit ad eam Angelus, salutavit eam dicens: « Dominus tecum, benedicta tu » in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui[3]. » O veneranda virginitas! o prædicanda humilitas! Maria ab Angelo Mater Domini appellatur, illa se ancillam (8) esse confitetur. O laudabilis præscientia (9) Dei, ut futurum partum Mariæ ante nesciret, ne conceptionem ipsam simplex virginitas recusaret (10). Ingreditur Gabriel, qui pro (11) divina clementia, et Angelum portabat et Deum. Intimatur virgini quod possit esse terroris (12); nuntiatur Deus, in homine transiturus. Stetit (13) Maria stupore mentis aliena, et angelica voce suadente, mens confusa conticuit. Virgineus pudor interiora pectoris ligat (14), et discurrente metu per viscerum partes, denuntiat tremens (15) omne quod timet. Et recte pavida (16) corporis pars illa turbatur, in qua Deo parabatur hospitium. Irreprehensibilis est sensus virginalis, quæ et partum timebat et Deum (17); et quia sciebat sanctus Angelus fœmineam mentem, vel ingressu suo, vel tali nuntio terreri, cum puellari animo a benedictione (18) incipit loqui, ut delectaret quod melior est patre (19). O gemina in benedictione complexio! mater de Domino et benedicitur, et docetur (20).

III. Post nuntiatum per Angelum partum, cœpit Verbo formari conceptio. Colligitur in homine Deus, et eum sustinet venter, cui parvus fuerat mundus; et intra breve virginei corporis spatium pro nobis incarnatur (21) majestas. Fœcunda viscera Verbo auctore (22) tenduntur, completisque mensibus venter (23) cœlestem hominem fudit. Natum Dominum angelicus publicavit (24) sermo. Pastores autem erant in illa regione (25) vigilantes, et custodientes gregem suum. Nascitur Christus, pastores vigilare cœperunt. Nox sæculum, lux Christus, Pastores sunt sacerdotes. Dixit autem Angelus ad pastores (26): « Ne » timueritis. Ecce annuntio vobis gaudium magnum, » quod est omni plebi (27), quia natus est vobis hodie » Salvator mundi, qui est Christus Dominus[4]. » Recte, fratres, natus Dominus Pastoribus nuntiatur, ut per Pastores incredulis (28) intimetur. Beata fœcunditas Matris, per quam nobis nascitur geminata (29) Majestas. Beata virginitas matris, quæ (30) cœlestem Filium adorare prius didicit, quam nutrire. Ipsum ergo et nos Dominum et Salvatorem nostrum Jesum Christum adoremus.

IV. Audite, fratres charissimi, si fas est, Legis mysterium. Primus (31) homo de terra et cœlo (32), secundus de cœlo et terra (33). Hic ex Deo et Maria, qui de cœlo et terra; ille (34) de terra et spiritu, qui de terra et cœlo. Uterque tamen ex virgine, et sine coitus permixtione;

[1] Joan. 1, 1, et seqq. — [2] Ibid. 29. — [3] Luc. 1, 28. — [4] Luc. 11, 10, 11.

(1) Cod. male *nominis*. — (2) Sic codd. XLI et CXLIII; cod. CXXXVIII *credit*. — (3) Deest *erat* in codd. — (4) Hæc verba, quæ leguntur in cod. CXVII, desunt in cæteris. — (5) Quæ parenthesi concluduntur, male reduplicata videntur, amanuensium errore. — (6) Desunt voces *hic est* in cod. CXVII. — (7) Sic codd. CXLIII et CXVII; cæteri non habent *virgo ante partum*. — (8) Cod. CXVII male *angelica* pro *ancillam*. — (9) Id male *præsentia*. — (10) Sic codd. CXXXVIII et CXVII; cæteri *recusavit*. Omnes codd. *conceptione ipsa*. — (11) Deest *pro* in cod. CXXXVIII. — (12) Cod. CXVII male *terrorer*. — (13) Sic cod. CXVII; cæteri male *stet*. — (14) Cod. CXVII pessime *peccatoris legat*. — (15) Sic opinando correximus; codd. *se nuntiet tremet omne quod timet*. Cod. CXVII non habet *se nuntiet*. — (16) Cod. CXVII *pavidi*, et deinde *in quo*. — (17) Id. *Dominum*. — (18) Sic omnes codd., excepto cod. CXVII, qui habet *ad benedictionem*. — (19) Nempe Adamo, qui fuit maledictus. — (20) Sic cod. CXVII; cod. CXLIII *et benedicetur et docetur*; cod. CXXXVIII *et benedicetur et docetur*. — (21) Codd. *incarnata*. — (22) Cod. CXXXVIII *auctori*; hæc omnia a vocibus *post nuntiatum* usque ad *tenduntur*, desunt in cod. CXVII. — (23) Sic codd. CXXXVIII et CXVII; cæteri male *ventum*. — (24) Sic cod. CXVII; cæteri *publicat*. — (25) Sic codd. CXXXVIII et CXVII; cæteri male *in illam regionem*. — (26) Hæc verba, quæ leguntur in cod. CXXXVIII male desunt in cæteris. Vide sanctum Ambrosium lib. II in Luc. num. 50. — (27) Cod. CXVII *quod erit omni populo*. — (28) Sic omnes codd., excepto cod. CXVII qui non habet *incredulis*. — (29) Forte legendum *humanata* aut *corporata*. Hæc phrasis deest in cod. CXVII, ubi solum legitur *beata fœcunditas matris, quæ cœlestem*, etc. — (30) Sic codd. CXLIII et CXVII; cæteri male *quam*. — (31) Cod. CXVII male *prius*; imo et omnia confundit dicens *prius homo de terra, hic ex Deo et Maria, qui de terra, ille de terra, et spiritu qui de cœlo*. — (32) Codd. male *cœlum*. — (33) Cod. male *terram*. — (34) Sic cod. CXXXVIII; cæteri male *illic*.

hic ex incorrupta (1), ille ex intacta. Nullo enim adhuc semine, nec vomere (2) fuerat sauciata (3), nec imbre. Per primum vita amissa, per secundum reddita. Primus acceptam perdidit gratiam, secundus cum vita tribuit gratiam. Primus suasu virginis cecidit, secundus partu virginis, quod jacebat, erexit. Primus peccando, mortis pœnam protulit; secundus (4) patiendo, indulgentiam contulit. Primus pro culpa, de Paradiso ejectus, secundus pro gloria (5), crucis trunco (6) affixus. Ergo malum per fœminam (7), imo per fœminam bonum. Quia si per Evam cecidimus, per Mariam stamus (8). Per Evam prostrati, per Mariam erecti (9). Per Evam servituti addicti (10), per Mariam liberi effecti. Eva nobis sustulit diuturnitatem (11), perpetuitatem nobis reddidit Maria. Eva nos damnari fecit per (12) arboris pomum (13), absolvit nos Maria per arboris donum, quia et Christus in ligno pependit, ut fructus. Igitur sicut per arborem mortui, ita vivificati per arborem. Arbor nobis nuditatem ostendit, vestiit arbor indulgentiæ foliis (14). Arbor peccatorum incussit (15) ardorem, refrigerium (16) delictorum vestibus (17) præparavit arbor scientiæ. Inscientiæ arbor (18) spinas, et tribulos genuit; spem et salutem arbor sapientiæ peperit (19). Arbor sudorem attulit et laborem; quietem et pacem contulit arbor. Arbor lumen corporis patefecit, disclusit (20) cordis oculos arbor. Arbor mundi insinuavit astutiam; divina arbor demonstravit prudentiam (21). Malum arbor, bonum arbor ostendit; et ut ad originem delicti redeam, et Deo annuente, quod sentire conceditur, dicam, Adam nisi corporaliter cecidisset, Christus nos in ista vita spiritaliter suscitare non habuisset (22). O sacramentorum, ut dixi, immane mysterium (23)! O conclusam perfidis (24), et manifestam fidelibus (25) disciplinam! Immortalis mortalem ædificat; parit immortalem mortalis (26). Incorporalis terra concluditur; corporalis inhabitat (27) cœlos. Deus homo efficitur, redhibetur (28) Deus; et totum per Evam (29) committitur, et lavatur per Mariam. Ergo felix Eva, per quam data est occasio; imo felix Maria, per quam tributa est curatio! Felix Eva, per quam natus est populus; felicior Maria, per quam natus est Christus (30)! Igitur altera altera (31) melior, imo et gloriosa utraque (32), quia (33) non beatificasset Mariam (34) Christus, nisi Eva prior, de qua nata est ipsa Maria, defecisset (35); nec venisset ad populum, nisi prius illa deliquisset in sæculo. Hæc mater humani generis dicitur, illa salutis. Eva nos educavit (36), Maria roboravit (37). Per Evam crescimus, per Mariam regnamus. Per Evam deducti (38) ad terram, ad cœlum elevati per Mariam. Et ut totum breviter Legis patefaciam (39) sacramentum, et duas in unam (40) fuisse, sicut omnes deesse ostendam (41). In Eva jam tunc et Maria inerat, et per Mariam postea relevata (42) est Eva (43).

SERMO XXXV.

De Unitate Trinitatis, et de Incarnatione Domini.

Sermo hic ex Bibl. Laur., Plut. XIV, *cod.* 1, *fol.* 13 *b*, *erutus, sæpius a Bandinio laudatur tanquam sancti Augustini fœtus, sive in tomo I, fol.* 429, § XVII, *et fol.* 672, § VIII; *sive in tom. IV, fol.* 220, § XXIX; *fol.* 248, § IV; *fol.* 286, § IX, *quanquam ibidem fol.* 256, *fol.* 11 *anonymo tribuatur; sive demum in suppl.* 1, *fol.* 35, § LXXXII, *fol.* 345, § XIV; *fol.* 376, § XV. *Dignus est ejus doctrina, cujus nomen præ se fert; unde ponatur post sermonem præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Precatur Christum ut doceat nos quid ipse sit. II. Christum esse Deum ex ipsiusmet verbis probatur. III. Et ex testimonio divi Pauli. IV. Item ex testimonio sancti Petri. V. Et ex verbis sancti Joannis. VI. Invocatur pariter testimonium Patris de Filio. VII. Trinitas unus est Deus. VIII. Hæreseos pertinacia obtunditur. Virga Pastoris. IX. Imitanda omnibus Sanctorum exempla.

I. Veni, Domine Jesu Christe, Salvator noster, qui æqualem potestatem cum Patre habes; veni et contere caput draconis magni, et dic nobis quid es, quoniam Arius iste aliud docet quam es. Dic, dic; audiamus unde hæreticos convincamus.

II. Audite, fratres charissimi, quid Dominus dicat: « Ego sum via, veritas, et vita; nemo venit ad Patrem » nisi per me[1]. » Secundum divinitatem, veritas et vita; secundum humanitatem, via. Tu autem, hæretice Ariane, qui minorem vis esse divinitate vitam et veritatem, sequitur ut non pervenias ad Patrem. Sed adhuc, Domine Jesu, contere caput draconis, dic quid sis cum Patre; te audiamus docentem, non hæreticum blasphemantem. Dic quis sis cum Patre. « Ego et Pater, inquit, unum » sumus[2]. » Dic adhuc: « Ego in Patre, et Pater in me » est[3]. » Adhuc dic: « Qui videt me, videt et Patrem » meum[4]. »

III. Credis jam, hæretice, tantæ auctoritati? An ipsius testimonium de ipso non admittis? Sed alios testes inquiris; ecce introducuntur adversum te, qui convin-

[1] Joan. XIV, 6. — [2] Id. X, 30. — [3] Id. XIV, 10, 11. — [4] Ibid. 9.

(1) Cod. XCVII male *ex incorrupto*, et deinde omittit *ille ex intacta.* — (2) Id. pessime *nec in orem.* — (3) Sic cod. CXLIII; cæteri male *sancita.* — (4) Cod. CXVII ex hac voce *secundus* subito transit ad eamdem vocem inferius positam, cæteris prætermissis. — (5) Forte *pro gratia.* — (6) Cod. *mundo.* — (7) Sic cod. CXVII; codd. XLI et cæteri male *pro fœminam*; et male etiam cod. CXXXVIII *pro fœmina.* — (8) Hæc phrasis deest in cod. CXVII. — (9) Sic cod. CXLIII; cæteri *erecti per Mariam.* — (10) Cod. CXXXVIII male *dicti*; et antea omnes codd. *servitute*, excepto cod. CXVII qui habet *servituti.* — (11) Sic codd. CXLIII et CXVII; cæteri male *diurnitatem.* — (12) Deest *per* in cod. XCVII. — (13) Id. male *bonum*, et item pro *donum* inferius. — (14) Id. pessime *filiis.* — (15) Sic codd. XLI, CXVII et CXLIII; cod. CXXXVIII *induxit.* — (16) Sic cod. CXLIII; cæteri *refrigerii.* — (17) Forte legendum *nobis* pro *vestibus.* — (18) Sic cod. CXVII; vox *insinuavit* deest in cæteris codd. — (19) Cod. XCVII *genuit.* — (20) Sic codd. CXVII et CXXXVIII; cæteri *disclusit.* — (21) Hæc desunt in cod. CXVII, qui deinde habet *malus arbor... bonus arbor.* — (22) Sic cod. CXVII; cod. CXLIII *desisset*; cæteri male *dedisset.* — (23) Cod. CXVII *Mariæ ministerium.* — (24) Id. male *per fideles.* — (25) Codd. *manifesta fidelium.* — (26) Cod. CXVII absque sensu *immortale mortalem*; cætera desunt. — (27) Codd. *corporali inhibetur.* — (28) Sic omnes codd., excepto cod. CXVII, qui habet *redimitur.* — (29) Sic cod. CXVII; cæteri male *Adam.* — (30) Cod. CXVII male *felix Eva per quam natus est Christus!* cætera desunt. — (31) Codd. *alter alteri*; cod. CXVII *altera melior.* — (32) Codd. *gloriosior utraque*, excepto cod. CXVII qui bene habet *gloriosa utraque.* — (33) Sic cod. CXLIII; cæteri male *qui.* — (34) Sic codd. XLI et CXLIII; cod. CXXXVIII *matrem.* — (35) Codd. male *defunxisset*; imo et cod. CXVII *defunxisse.* — (36) Sic cod. CXVII; cæteri *edocuit.* — (37) Sic cod. CXLIII; cæteri *roboravit Maria*; imo et CXVII *roboravit et Maria.* — (38) Sic omnes codd., excepto CXVII, qui habet *defuncti*, et deinde *levati.* — (39) Cod. CXVII pessime *per te faciam.* — (40) Sic cod. CXVII; cæteri *in unum*; forte *in una.* — (41) Omnes sic codd., quorum sensus non facile potest accipi; excepto cod. CXVII, qui non clarius habet *sicuti omnes non esse ostendam.* — (42) Codd. male *revelata est*; deest *et* in cod. CXVII. — (43) Cod. CXVII addit *per Christum Dominum nostrum, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum.*

cant te. Dic, testis, domine Paule, qui usque ad sanguinem pro isto testimonio accessisti, et ne falsæ doctrinæ succumberes, animam posuisti; dic, audiat, qui convinci formidat. « Singuli (1) quique, ait, hoc sentite in vobis » quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, » non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo[1]. » Audis « Æqualem Deo, » audis « Formam Dei, » et tu audes dicere minorem Filium Dei?

IV. Veniat et alius testis, et in duobus vel tribus testibus confirmetur æquitas veritatis. Dic, et tu, sancte Petre, quid « Tibi revelaverit non caro et sanguis, sed » Pater cœlestis[2]. Tu es, inquit, Filius Dei vivi[3]. » Et in Epistula sua ad gentes secunda : « Notam facimus vo» bis, inquit, Domini nostri Jesu Christi virtutem, et » præscientiam (2) et magnitudinem[4]. » In quo, hæretice, Christum dicis esse minorem?

V. Sed ingrediatur et tertius testis, et tres unum verum testimonium dicant uni Trinitati et trinæ Unitati. Dic et tu, sancte Joannes, qui super pectus Salvatoris discumbebas, et videbas super cœlestia mirabilia Verbum Dei; dic et tu quid noveris Filium Dei : « In principio, in» quit, erat Verbum, et Verbum erat apud Deum et » Deus erat Verbum[5]. » Et in Epistola sua : « Scimus, » inquit, quoniam Filius Dei venit, ut (3) det nobis in» tellectum, ut sciamus quid verum est, et simus in vero » Filio ejus. Hic est enim verus Deus et vita æterna[6]. » Tu autem minorem dicendo Filium, qui est « Verus Deus, » non habebis vitam æternam.

VI. Sed ad confutandam contumaciam tuam, ipse Pater testimonium dicat Filio, ut nihil amplius quæras, nihil amplius credas. Dicit enim per Prophetam : « Te» cum principium in die virtutis tuæ[7]. » Principium Pater, principium Filius. Ergo Pater et Filius principium, sine ullo principio. « Tecum, inquit, principium in die » virtutis tuæ, in splendoribus Sanctorum ex utero (4) » generavi te[8]; » tanquam diceret : Ut Sancti illuminarentur, processisti ex me. Nec fuit, dilectissimi, alia causa, cur vel ipsa nomina Patris, et Filii, et Spiritus sancti sejuncta viderentur, nisi ut sancti homines instruerentur. Cæterum quid dictum est Moysi ab ipsa substantia Trinitatis? « Ego sum qui sum, et sic dices : » Qui est misit me[9]. » Ergo ex utero in splendoribus Sanctorum generatus est Filius. Sed ne hanc generationem carnaliter vel temporaliter acciperes factam, audi quomodo eum generavit : « Eructavit, inquit, cor meum » verbum bonum[10]. » Joannes testis quid dicit? « In prin» cipio erat Verbum. » Deus Pater dicit : « Eructavit cor » meum verbum. » Propheta Habacuc dicit : « Ambula» vit Verbum[11]. » Audis Verbum, et hoc esse « In prin» cipio apud Deum, et Deus erat Verbum. » Testimonium Trinitatis per totum mundum contra te clamat; et tu, Ariane, velut canis rabidus, contra totum mundum latras?

VII. Sed audi (5) adhuc unde plenius convincaris, quod Trinitas unus sit Deus. Patris vox est per Prophetam ad Filium : « In splendore Sanctorum ex utero ge» nui te. » Patris vox est per Isaiam prophetam de Spiritu sancto : « Spiritus, inquit, a me exiit[12]; » at Filii vox est in Evangelio ostendens Patrem in se esse et se in ipso, ubi ait : « Pater in me manens facit opera ipse[13]. » Filii vox est de Spiritu sancto, ostendens quia quomodo procedit ex Patre, ita ex se ipso, ubi ait ad Discipulos suos : « Accipite Spiritum sanctum; si cui remiseritis » peccata, remittuntur ei[14]. » Unde est et illud apostoli Pauli : « Si quis spiritum Christi non habet, hic non est » ejus[15]. » Si ergo Filius in Patre et ex Patre, et Spiritus sanctus simul est et in Filio et in Patre, non est divisa Trinitas, ubi perfecta est Unitas. Discedat ergo Arianus confusus reus, quia Trinitas unus est Deus.

VIII. Sed quando tibi, perversa hæresis, verba mea proficient (6), cum sis « Aspis surda, obturans aures, ne » audias vocem incantantium[16]? » Noveris tu tamen a virga serpentis esse comedendum[17], cum oves quas tenes captivas ad suum ovile ille Pastor abduxerit, ut sit « Unus » grex et unus pastor[18]. » Ille pastor noster, dilectissimi, qui in virga ferrea[19] pascit et regit, ipse pastor est, ipse rector est, ipse fabricator est, ipse architectus noster. Magnum te pastorem video, Domine Jesu, oves pascentem, errantem requirentem, inventam cum gaudio ad gregem tuis humeris reportantem. Magnum te architectum video virgam portantem, et de ista virga multa miracula facientem. Multum expavesco, fratres, expositionem virgæ. Sed dum loca divinarum Scripturarum considero, virgo sancta Maria, virga ipse Christus, virga crux, et in ista qui magna et mira fecit hic Architectus, ut arborem facit crucis, et scalas cœli per quas lapsum hominem levavit ad Patrem. Per has scalas ascenderunt omnes Sancti, continentes, conjugati, atque fideles, non gradibus pedum, sed via morum.

IX. Boni ergo mores acquirantur; ipsi in omnibus inveniantur. Uterque sexus et omnis ætas habet in hoc sanctorum hominum cœtu (7) imitationis exemplum. Imitentur senes mores Tobiæ, qui cum cæcus esset corpore, viam vitæ filio demonstrabat in corde. Ille eum manu ducebat in terra, et pater monendo eum perducebat ad cœlum. Imitentur adolescentes Joseph sanctum, pulchrum corpore, pulchriorem mente, quem castitas sic possederat, ut irruentes minæ dominæ, mulieris impudicæ, non possent ejus violare corpus, cujus jam Deus possederat mentem. Imitentur virgines sanctæ beatam Domini sui matrem Mariam. Imitentur viduæ religiosam viduam Annam; imitentur et conjugatæ castam Susannam; quia virgo Christi mater Maria quod novit implevit; Anna vidua in orationibus et jejuniis usque in finem perseverantiam tenuit; Susanna casta pro pudicitia conjugali usque ad periculum mortis accessit. Intendite, conjugatæ, qualis hujus vobis a (8) Scriptura sancta imitatio proponatur. Non enim prædicat quod fuerit auro, monilibus, vel veste pretiosa forinsecus compta, cum fuerit intus pudore castitatis ornata. Omnibus vitam donavit, quibus boni mores instituit. Propterea namque ipse vir de fœmina est nasci dignatus, quia ab ipso uterque sexus est liberatus (9). Multa diximus, fratres, intentissime audistis, epulas dominicas libentissime comedistis. Rependite vicem ministratori vestro, ut si non verbo, vestris tamen orationibus pascar.

[1] Philip. II, 6. — [2] Matth. XVI, 17. — [3] Ibid. 16. — [4] 2 Petr. I, 16. — [5] Joan. I, 1. — [6] 1 Joan. V, 20. — [7] Psal. CIX, 3. — [8] Ibid. — [9] Exod. III, 14. — [10] Psal. XLIV, 2. — [11] Forte Habac. III, 3. — [12] Isai. LVII, 16. — [13] Joan. XIV, 10. — [14] Id. XX, 22. — [15] Rom. VIII, 9. — [16] Psal. LVII, 5. — [17] Exod. VII, 12. — [18] Joan. X, 16. — [19] Psal. II, 9. —

(1) Cod. *singulis.* — (2) Forte *præsentiam.* — (3) Cod. *et.* — (4) Vulgata *ante Luciferum.* — (5) Cod. *audis.* — (6) Cod. *proficiunt;* forte legendum *quomodo* pro *quando.* — (7) Deest *cœtu* in cod. — (8) Cod. *ab.* — (9) Id. *liberatur.*

SERMO XXXVI.

De Epiphania Domini II.

Hunc sermonem suppeditavit Cod. Cass. XII, *fol.* 65, *qui nihil ferme continet, nisi fœtus Augustinianos. Dura quædam in principio occurrunt, sed in reliquis Augustiniana manus datur agnosci. Locus ejus post sermonem nostri primi Supplementi* XIX *cum numero de Epiphania Domini* VIII.

SYNOPSIS.

I. Illuxit gentibus Christus, Gedeonicis signis figuratus. II. Mariæ gloria, quæ generavit Agnum immaculatum. III. Jacob ungens lapidem Christi figuram præbet. IV. Ita et in ramis quas ante ovium aspectus posuit, Trinitatis præstitit figuram. V. Unitas baptismi et effectus. VI. Tempora nostra quanto meliora temporibus Jacobi. VII. Conclusio per hortationem.

I. Epiphaniorum dies iste, charissimi, proprie nobis est, id est, gentibus, cœlo enarrante, sacratus, sicut octavus decimus loquitur Psalmus: « Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum[1]. » Ideo est etiam gentibus sermo prophetantis impletus: « Populus gentium, qui sedebat in tenebris, vidit lumen magnum; qui sedebant in regione umbræ mortis, lux orta est eis[2]. » Namque gentium populus, id est, noster populus, pro tenebris peccatorum suorum cæcus remanserat in animo suo, nisi lumen gratiæ hodie ingratis irrorasset de cœlo. Deus enim ubique semperque mirabilis. Nostris itaque pulveribus siccis, id est, sine justitia animis, Verbum divinitatis, tanquam imbrem cœlestem, Gedeonicis signis, castissimæ Virginis lanam compluit ovis. Etenim, sicut nostis miraculum Gedeonis, tunc area sicca erat, in qua positum vellus laneum in area sicca compluturm madebat. Nunc vero mirabilius pectus Virginis tanquam vellus laneum lactem fundebat, et caro Virginis tanquam area sicca fontem masculi nesciebat.

II. Merito ergo inter omnes puellas Maria sancta una est et sola, ideoque Agnum immaculatum tanquam ros de vellere, de ove virgine generatum Angelus præconavit (*sic*), pastor osculavit, stella monstravit, et ovem virginem fœtam Herodes gemmatus expavit, et Magus aureus adoravit; et quoniam Mariam castam ad ovem comparavimus sanctam, ejusque Filium agnum diximus immaculatum, juxta Joannis Evangelium, in quo ait: « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi[3]. »

III. Ad te nunc, Jacob sancte, sermo dirigendus est meus. Viginti enim annorum es ovium pastor egregius, et per te nobis significatus est pastor Deus, Agnus virgineus adorandus. Dicito (1) ergo mihi, Jacob sancte, etenim plurimum obsecro te, dicito mihi, et humillime et altissime, quid est quod in somno vidisti scalam illam (2), quæ perveniebat in cœlum, agnumque virgineum super eam procumbentem cognovisti, et a somno resurgens lapidem, quem sub caput habueras, erexisti, atque unxisti[4]? Et in quo video, quia mysterium crucifixi fecisti. De Christo enim, et pro te et pro nobis crucifixo cantatur in Psalmis quod principaliter in chrisma dicitur baptizatis: « Unxit te, Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis[5]; » non, cum participibus, sed, præ participibus tuis. Quod exponens Petrus apostolus (3), ait: « Hunc Jesum a Nazareth, quem unxit Deus Spiritu sancto[6]. »

IV. Scio, semel et iterum sancte, ter quaterque beate, scio, quoniam labor tuus charitas, fuga tua pietas, via tua veritas, sopor tuus divinitas, merces tua æternitas. Quid est ergo illud, quod in aquariis illis, mysticis præ sepibus tuis agebas[7], et mirabilis mirabiliter faciebas? Quid est quod virgas illas virides tres alveis ovium superponebas, viridemque colorem ex certis locis radebas, et picturam candidissimam faciebas, easdemque virgas tres tempore (4) conceptionis pecorum, alveis aquariis infundebas; gregi tuo, et fœtum desideranti et poculum tuum virgas in aquariis prophetico sensu (5) ostendebas, et in aspectu virgarum gregem tuum candidissimum multipliciter acquirebas? Audite jam, fratres, magna respondentem, non carnali prudentia (6), sed sancti Spiritus omnipotentia. Quando, inquit Jacob, ego tres virgas una manu tenebam, Trinitatem catholicam ostendebam. Sicut enim virgæ tres de ligno erant, et singulæ qualitates proprias obtinebant, ita etiam in Trinitate, Deo vero in singulis persona est propria; nam in tribus non potest diversa inveniri natura. Prima ergo virga storacina erat, secunda nucina, platani tertia. Primam storacinam Deo Patri comparemus, nucinam ejus Filio, platani vero Spiritui sancto. Quare autem storacinam virgam Deo Patri comparamus, nisi quia virgulta storacina storacis principalem gignit odorem? Sic et Pater Deus odoriferum genuit Salvatorem. Dicentem audi Apostolum: « Christi bonus odor sumus Deo in omni loco in his qui pereunt, et in iis qui salvi fiunt[8]. » Quare? nisi quia et ii qui pereunt et qui salvantur, uno chrismatis odore signantur? Nucinam vero virgam Deo Filio comparamus. Quemadmodum enim virga Aaron nucina, dudum arida reviviscens (7), floruit in templo, ita etiam Christi caro reviviscens, floruit de sepulcro. Virga arida caro mortua; virga reviviscens, caro reviviscens; virga florescens in arca Testamenti, caro reviviscens de lapide monumenti. Nam quia floruit in resurrectione monumenti caro Domini Jesu Christi, habes ex persona ejus cantatum in voce Psalmi: « Refloruit caro mea, et ex voluntate mea confitebor illi[9]. » Platani autem virgulta umbrosum lignum est et opacum, tanquam in monte sancto generatum; unde Deum Spiritum sanctum venientem intelligo, dum cum Propheta canto (8): « Deus ab Africo veniet, et Sanctus de monte umbroso et opaco[10]. » Virga ergo platani, lignum scilicet umbrosum atque condensum, ab æstu refugienti præstat refugium quiescenti (9). Et ideo virgam platani refrigerio comparamus Spiritus sancti, quoniam ab Angelo dictum est Virgini concipienti: « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi[11]. » Jam vero, quod tres virgæ certis in locis superficie radebantur, eorumque candor interior ostendebatur, illud est quod figurabatur, quia æqualitas divinæ Trinitatis, nisi quia a carnalibus sensibus exuatur, a nullis prudentibus contemplatur. Deus enim verus unus, et Trinitas solus (10), et æqualitas a spiritualibus intelligi potest, a carnalibus autem in-

[1] Psal. XVIII, 2. — [2] Isai. IX, 2. — [3] Joan. I, 29-36. — [4] Gen. XXVIII, 12-18. — [5] Psal. XLIV, 8. — [6] Act. X, 38. — [7] Gen. XXX, 37-43. — [8] 2 Cor. II, 15. — [9] Psal. XXVII, 7. — [10] Habac. III, 3. — [11] Luc. I, 35.

(1) Cod. male *dicite ergo*. — (2) Vide August. Serm. CXXII, num. 2. — (3) Non hæc a solo Petro dicta sunt, sed ab omnibus discipulis simul precantibus. — (4) Cod. male *temporum*. — (5) Id. absque sensu: *Gregem tuum et fœtum desiderantem et poculum tuum videlicet in aquariis* (sic) *propheticoque sensu*, etc. — (6) Id. *prudentia*. — (7) Cod male *reflorescent*. — (8) Vide August. Serm. XLIV, num. 38, 39. — (9) Hic *quiescenti* videtur abundare, aut *refugienti*. — (10) Sic cod. per manifestum errorem, qui difficile sanari potest. Forte legendum *trinitas simul et æqualitas*.

telligi non potest. Carnalis enim homo, quem animalem dicit Apostolus alio modo, « Non intelligit quæ sunt » Spiritus Dei; stultitia enim est illi[1]. » Quod etiam varietas trium apparuit cum decore virgarum, illud est quod diversitate mysteriorum, et diversitate tractatuum (1), æqualitas divinæ Trinitatis desiderantibus animis, cum summa demonstratur varietate pulchritudinis. De qua gaudet Ecclesia (2) catholica, sicut sancta resonant cantica: « In fimbriis aureis circumamicta varietate[2]. »

V. Quod etiam in aquariis alveis sancti gregis tres virgæ ponebantur, sed una aqua a gregibus potabatur, illud est quod Ecclesia veritatis et in Trinitate baptizatur, et unum ei baptismum prædicatur, sicut ex ore Pauli baptizatis annuntiatur: « Unus, inquit, Deus, una fides, » unum baptisma[3]. » Quod etiam de alveis aquariis ab ipsis ovibus vitalis sumebatur potus, illud est, quod omnis fidelis, ipso fonte, quo baptizatur, tanquam qui nuper nascitur, vitali lacte nutritur; quemadmodum nuper de baptismo renatis a Petro dicitur: « Tanquam » modo nati infantes, rationabile et innocens lac concu» piscite, ut in eo crescatis in salutem[4]. » Quod etiam de virgis tribus ultra humanos sensus hauriebatur ab ovibus mirabiliter visus, illud est quod quisquis fuerit fonte Catholicorum pôtatus, ad videndam unius Dei Trinitatis æqualitatem, quam non videbit impius, sed cor mundum, efficitur idoneus: « Beati enim mundo corde, quoniam » ipsi Deum videbunt[5]. »

VI. Attamen, Jacob magne, in tribus magnis viris ore Dei laudatus es (3): « Ego sum, inquit Deus Abraham, » et Deus Isaac, et Deus Jacob[6]. » Unum est ultimum quod postulo a te: Confer mecum, quæso, cum patientia tempora tua, et tempora nostra, quia ampliore gratia ditata sunt tempora nostra, quam tempora tua. Ecce nunc melior est ovis nostra, Virgo Maria, quam ovis tua. Meliora ergo sunt tempora nostra, quia sine masculo imprægnata est Virgo nostra; et quoniam sine masculo est Virgo sancta mirabiliter imprægnata, ideo hodie muneribus Magorum est in Christo adorata.

VII. Unde, fratres charissimi, gaudeamus die hodierna de fide catholica, quæ in trinitate virgarum est demonstrata. Gaudeamus et ad stellam splendidam, cujus fulgore universa terra est illustrata. Gaudeamus et ad Magorum munera, quæ Trinitatis demonstrabant figuram, ut viventes in Trinitate munerum Magorum, aureum fidei possideamus pectus, thus vero contriti cordis nostri offeramus sacrificium, et (4) myrrha nobis proficiat ad charitatem proximorum, et ad indulgentiam peccatorum per Jesum Christum Dominum nostrum.

SERMO XXXVII.

De Epiphania Domini II.

Hic sermo, qui eruitur ex Cod. Cass. XII, fol. 96, de cujus auctoritate sæpius dictum est, multas præfert sententias sancto Augustino dignissimas, nihilque habet quod dubitandi locum præbeat. Ponatur post præcedentem cum numero de Epiphania Domini IX.

SYNOPSIS.

I. Stellæ nomine Maria designatur. II. Necnon et per virgam de radice Jesse egressam, et per virgam Aaronis florentem. III. Ad eamdem accommodantur Salomonis verba de amygdalo, cappari et locusta. IV. Stella ducti, Christum Magi adorant, et per aliam viam ad sua revertuntur. V. Adhortatio moralis.

I. « Orietur stella ex Jacob, et exurget homo ex Israël, » et percutiet ducem Moab, vastabitque omnes filios » Seth (5); et erit Idumæa possessio ejus[7]. » Sicut sacra Veteris Testamenti narrat historia Balaam propheta a Balach Madianitarum rege vocatus est, ut Dei populo malediceret, qui mox, ut multitudinem filiorum Israël in campestribus et eorum tentoria longe positus vidit, tactus a Spiritu, providens ex eorum stirpe de intemerata Virgine Dei Filium nasciturum, inter cætera, quæ illi populo futura prænuntiavit, repente exclamavit, et dixit: « Orietur stella ex Jacob, et exurget homo ex Israël. » Quid stellæ nomine, dilectissimi, nisi sancta Dei genitrix designatur, quæ præ filiis et filiabus hominum, quasi cœleste sidus emicuit, et virginitatis, et humilitatis radiis rutilavit in terris? Hæc est enim stella maris, et lucifer matutinus, quæ « sedentibus in tenebris, et umbra mor» tis[8], » Solem justitiæ protulit, et humanum genus cæcæ noctis caligine involutum, claritate superni luminis illustravit. Hæc est stella fulgida a totius peccati nebula depurata, quæ sine sui corruptione emisit radium, et absque suæ virginitatis læsione peperit filium. Hæc stella nobilis, et præclara, micans meritis, illustrans exemplis, cæcos illuminans, infirmos recreans (6). In hac stella verus Sol ille justitiæ, sub nube carnis opertus latuit, et de hac, salva pudoris integritate, processit. Sed hæc stella oritura ex Jacob esse dicitur, quia immaculata Virgo de Patriarcharum progenie generationis lineam traxit.

II. Unde Propheta: « Egredietur virga de radice Jesse, » et flos de radice ejus ascendet[9]. » Ecce eamdem Virginem, quam Balaam stellam ex Jacob orituram nominat, Isaias virgam de radice Jesse, egressuram appellat. Bene autem utrumque Virgini convenit, ut stella diceretur et virga: stella quidem, quia superno lumine illustrata præ cunctis mortalibus miro virtutum fulgore radiavit in terris; virga autem, quia in virtutum robore et perfectione firma et inflexibilis permanens, sine damno pudoris, florem cœlestem, Dei Filium protulit. Unde et in hujus rei figuram a beato Moyse duodecim virgæ in tabernaculo Testimonii sunt locatæ, inter quas una erat, quæ Aaron fuerat sacerdotis. Sed reliquis in sua ariditate permanentibus, virga Aaron flores et frondes protulit, et nuces produxit. Hæc autem virga beatam Virginem figuravit,

[1] I Cor. II, 14. — [2] Psal. XLIV, 15. — [3] Ephes. IV, 5. — [4] I Petr. II, 2. — [5] Matth. V, 8. — [6] Exod. III, 6, etc. — [7] Num. XXIV, 17, 18. — [8] Luc. I, 79. — [9] Isaï. XI, 1.

(1) Cod. *tractatum* qui et *de diversitate*. — (2) Deest *Ecclesia* in cod.; qui deinde *resonat*. — (3) Cod. *laudate*. — (4) Id. *ut*. — (5) Cod. male *cæli*. — (6) Cod. male *procreans*.

quæ quidem sub Lege veteri, et legitimis cæremoniis cum parentibus enutrita, quasi cum reliquis in tabernaculo posita fuit. Sed Judæis in sterilitate fidei et bonorum operum perdurantibus, virga nostra Aaronica sancto Spiritu fœcundata, bonorum operum frondes protulit, et florem suavissimum et fructum saporis gratissimi Jesum Christum Dominum germinavit. Virga Aaron non humectata rore, non madefacta pluvia, sine læsione substantiæ generavit amygdalum; Virgo regia, cœlesti rore perfusa, divina pluvia irrigata, salva integritate pudoris, Dei Filium peperit. Virga hæc floruit absque germine, et Maria concepit, sed non ex homine; nec virorem virgæ floris læsit emissio, nec integritatem Virginis sacri partus violavit editio.

III. In hujus etiam rei præfiguratione per Salomonem dictum est: « Florebit amygdalus, dissipabitur cappa» ris, impinguabitur locusta[1]. » Amygdalus autem, ut bene nostis, fratres charissimi, velocius aliis arboribus, calore solis adveniente, florescit, et florem suavissimum cum odore producit; sic et virgo puerpera, sancti Spiritus calore concepto, festina concepit, et floruit, et suavissimi odoris florem mundo emisit. Capparis autem, odore gravis, gustu amara, judaïcum populum significat, qui amaritudinem et austeritatem Legis suscipiens, nihil in se de dulcedine spiritus habuit (1), sed in sola amaritudine litteræ deservivit, quæ, florente amygdalo, dissipata est, quia, Virgine Dei Filium pariente, Legis sacramenta abolita sunt et cessaront, et Judaïcus populus in pœnam perfidiæ per universum mundum dissipatus est et dispersus. Locustæ vero ad fructum inutiles, ad usum inertes, ad tactum fugaces, vagæ saltu, ore stridulæ, quem alium quam gentilem populum significat? Gentiles enim fructibus justitiæ vacui, omni vento doctrinæ circumducti[2], in solo verborum stridore et garrulitate confisi, divini Verbi confecti (2), locustarum more exsangues et steriles remanserunt. Sed postquam odorem germinantis amygdali conversa gentilitas sensit, et florem ejus dulcissimum degustavit, ab omni fuit squalore vitiorum et macie depurata, et cœlestis gratiæ pinguedine saginata. Bene ergo dictum est, quod florente amygdalo, dissiparetur capparis, et impingueretur locusta, quia postquam amigdalus nostra virginea Jesum Christum florem pulcherrimum germinavit, Judæa est cum sua perfidia dissipata, et conversus gentilis populus, ubertate sancti Spiritus est et adipe divinæ gratiæ impinguatus. Congrue autem beata Virgo, stellæ, virgæ et amygdali fuit nomine designata: ipsa enim virtutum radiis rutilavit ut stella, in rigore justitiæ firma et inflexibilis mansit ut virga, et florem omnium virtutum odore vernantem protulit, ut amygdalus.

IV. Sed quia hæc stella virginea cum Sole justitiæ, quem (3) genuerat, intra præsepis angustias circumclusa latebat, ad declarandam eam, in oriente stella novæ claritatis apparuit; quæ orta ex Jacob stella, mira fulgoris sui specie gentibus nuntiavit, et Magos primitias gentium ipsa itineris prævia Bethlehem usque perduxit. Sic ergo cœlum cœlo, stella stellam, lumen lumine, sidus sidere declaratur, et puerum Jesum, quem nec prophetiæ oraculo, nec Magorum attestatione vicina voluit Judæa cognoscere, cœlo desuper rutilante per stellam, et ejus gloriam enarrante, gentilitas remota cognovit. Magi vero divino lumine illustrati, et ducatu prævii sideris Bethlehem usque perducti, domum intrant, stellam cum sole reperiunt, et salutis nostræ auctorem in præsepio positum adorant ut Deum, venerantur ut regem, recolunt ut mortalem, atque in eo divinam humanamque naturam trini muneris oblatione declarant, et quod corde credunt, muneribus protestantur. Denique dum tres tria uni munera offerunt, eum trinum et unum publice profitentur, sicque consummatis circa puerum Jesum piæ devotionis obsequiis, angelica admonitione edocti, per aliam viam in suam sunt regionem (4) reversi.

V. Vos ergo, dilectissimi fratres, qui stellam virgineam ex Jacob ortam esse cognoscitis, qui Jesum non vagientem in cunis, sed in cœlis regnantem adoratis, quibus stella claritatis evangelicæ e cœlis miro fulgoris sui lumine rutilavit, ipsa præambula et magistra, ad Bethlehem domum panis vivi, sanctam scilicet Ecclesiam, bonorum operum gressibus currite, et in ea Mariam, et Jesum non vagientem, sed prædicantem et docentem populum invenietis. Imitamini beatos Magos, fidei et conversionis vestræ primitias, et quem illi oblatione suorum munerum reveriti sunt jacentem in præsepio, vos exhibitione bonorum operum veneramini regnantem in cœlo. Offerte ei non hæc temporalia, quæ labuntur, non hæc transitoria, quæ videntur, sed quæ in vobis sunt munera gratiarum et laudum. Offerte ei pro auro scientiam, pro thure devotionem, pro myrrha vestrorum (5) corporum mortificationem, et evangelica admonitione instructi, malorum operum viam, per quam a regione vestra venistis, derelinquentes, per aliam viam bonorum operum redite ad patriam claritatis æternæ, quam vobis concedat Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXXVIII.

De Epiphania Domini IV.

Ex duobus manuscriptis depromptus est sermo qui sequitur, nempe ex Cod. Cass. CVI, *fol.* 145, *et ex Bibl. Laurent., Plut.* XIV, *cod.* I, *fol.* 66. *In utroque tribuitur sancto Augustino. Sit locus ejus post præcedentem cum numero de Epiphania* X.

SYNOPSIS.

I. In Epiphania plura celebrantur mysteria, sed potissimum Magorum adventus. II. Venerunt non arte, sed religione adducti. III. Donatistæ repugnantes ab Ecclesiis apostolicis damnantur. IV. Imo et a toto orbe, vix etiam in Africa noti. V. Persecutionibus crevit Ecclesia catholica, quod aliis sectis non convenit. VI. Exhortatio ad servandam unitatem.

1. Nomen ex græca lingua translatum, hoc est, Epiphaniam, Manifestationem interpretes dixere Latini, cum majestatem suam Christus aperuit, et quibusdam signorum miraculis publicavit. Sed hodiernam diem Ecclesia per orbem celebrat totum, sive quod stella præ cæteris fulgens divitibus Magis parvum non parvi regis monstravit hospitium, sive quod hodie Christus primum fecisse dicitur signum, quando aquas repente commutavit in vinum, sive quod a Joanne, isto die, creditur baptizatus, et Patris consona voce inter ipsa fluenta Jordanis, Dei Filius revelatur, Evangelista dicente, quia confestim « Ut » de aqua conscendit, facta est vox de cœlo dicens: Hic

[1] Eccle. XII, 5. — [2] Ephes. IV, 14.

(1) Cod. *habuerit*. — (2) Sic cod. per errorem quem sanare non valuimus, nisi forte legendum sit *divini Verbi non consortes*, aut *divino Verbo confecti*. — (3) Cod. *quem* — (4) Id. *in sua regione*. — (5) Id. *nostrorum*.

» est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, » hunc audite[1]. » His ergo rerum manifestis indiciis hodie publicata creditur potentia Salvatoris, sed illud potius vernacula fides obtinuit, quod hodie gentibus siderea fax (1) viam ad Christum in nocte monstravit, eumque in suis civibus primitivus (2) Oriens cum muneribus adoravit, sicut Evangelista refert : « Ecce Magi ab Oriente » venerunt, dicentes : Ubi est qui natus est Rex Judæo- » rum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus » adorare eum[2]. » Sed Donatistæ ab Oriente divisi (3), a lumine separati, atque in occiduis partibus tenebrosi, Magos fideles incusant, putantes eos Deum arte, non religione quæsisse; quasi vero tanta terrarum spatia peragrarent, aut munera pretiosa deferrent, aut genibus positis adorarent, quem videbant inter angustos parietes arctatum, et pannis adopertum, nisi cœlestem agnoscerent regem, et divinam in puero intelligerent majestatem.

II. Nam astrologi inter sidera tremuli, atque ipsa rabie curiositatis astrosi, nescierunt unquam in carne futurum Deum. Et cum ab initio sæculi tractarent sidera mundi, ignoraverunt arcana Dei, quia Conditor cœli non potest astrorum numeris indagari. At cum ante hominem facta sint (4) sidera, totusque ille sinus æthereas ante natu germine, ut aureum pratum stellatu decore floruerit, posteriorem hominem fatis anterioribus liquet. Porro illi sic disputant (5), quasi priora facta sint fata, et postea sint in homines de cœlo jactata, cum fatum nec ante hominem, nec post hominem esse possit, sed ab ipso conceptu debeat inchoari. At cum ante exordium generis humani, per totam cœli regionem astra diffusa biduo refulserint, quid, astrologe, homini per stellam applicas fatum, cum ipsius hominis post sidera docetur initium! sed dicam, fratres, dicam unde istis Magis provenit, ut per stellam natum Regem agnoscerent (6) Judæorum, quem congruis attestati sunt muneribus, offerentes aurum, ut Regi magno; thus, ut Deo; myrrham, ut (7) corpusculo pro salute sæculi morituro; et impleta est prophetia, dicens : « Omnes de Saba venient, ferentes » aurum, thus et myrrham[3]; » offerentes (8) salutare Domini nuntiabant. Referam ergo qua ratione stellam observaverunt Magi, cujus sint itinera clara secuti. Balaam ariolus, quem ad maledicendum filios Israël rex assumpserat Balac, cum terribilibus a Deo argueretur imperiis, ut benediceret potius, quam malediceret populo transeunti, inter multa Judæis felicia, quæ invitus vates fundebat, oracula, Christi Domini ariolus sic prænuntiavit (9) adventum : « Orietur stella ex Jacob, et exurget » homo ex Israël, et confringet omnes duces alienigena- » rum, et erunt omnes fines terræ possessio ejus[4]. » Hic ergo Balaam inter magos atque divinos illius temporis peritior (10) habebatur, cujus præsagionem (11) non ex arte, sed ex cœlesti insinuatione conceptam, Magi suis libris insertam, ad memoriam posteris tradiderunt. Hujus igitur oraculi conscia mens Magorum erat, ubi ultra cætera astra regium sidus emicuit, et Judæorum terram radiis fulgentibus illustravit. Confestim Magos signo aspecto (12) cucurrit, nec devotos stella famula Christi deseruit, sed eos usque ad tugurium Mariæ, ubi Christus latebat, adduxit.

III. Cur igitur, Donatistarum superba inscitia et temeritas imperita, cur quod ignoras accusas? Cur laceras Magos non fatidicos, sed devotos, quos vides Regem cœli eum muneribus adorasse prostratos? sed scio non te artem exhorrere, sed fidem; nec astrologos respuis, sed religionem Orientalium expavescis. Licet, etiam si altissimum Regem arte aliqua Magi non pia devotione quæsissent, laudandi essent potius, non culpandi; quia non snut illud sidus gentilitio cultu venerati, sed Dominum (13) sideris venerantur. Stellam igitur Magus vidit, et festinus Dominum orbis eum muneribus adoravit. Tu (14) vero nec eum stella curris, et cum te a Magis fidelibus dividis, in tenebris excæcatus offendis. Ingreditur ad Christum Magus, et tu a Christo factus es alienus. Cum illo adorat totus mundus, et tu remansisti foras, totius orbis lumine separatus. Ecce adorat Oriens, ecce sub Septentrione et Austro, atque sub extremis solis occidui (15) gentes positæ pari fide, et veluti consanguinea religione, unum Dominum venerantur? Ubi te, infelix error, abscondis? Quamdiu inter alienos limites delitescis? Undique te catholicus possessor excludit, quia qui universos obtinuit terræ fines, cunctos de suo jure ampatat invasores. Hinc te Corinthius, hinc te Galata, exinde expellit Ephesius; Smyrna, Pergamus, Thyatira, Sardis, Philadelphia atque Laodicia detestantur, quorum fidei Deus per Joannem apostolum perhibet testimonium. Hinc te Colossensis et Thessalus arguit (16), atque universa orientalis plaga persequitur, unde Magus cœpit, et tanquam legatus fidei provinciæ suæ novum fœdus cum Christo percussit. Quid tibi cum Indo (17)? Quid cum Persa? Quid cum Armenia, Æthiopibus Ægyptiisque commune est? Britannia (18), toto orbe divisa, nobis est religione conjuncta, finibus, non fide discreta. Hispanus te, Gallus Italusque fastidiunt, qui colla tui (19) archipiratæ gladiis spiritualibus secuerunt.

IV. Quid Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorumque terras cœlestes enumerem, ubi fides ingenita et divinis et angelicis est colloquiis confirmata. Ito-ne vero non erubescis vivere, qui meruisti a sanctorum hæredibus exerrare? Et ne universos commemorem, ignorant te extrema cœli, et circulus nescit Oceani, cunctæque nationes et gentes intra mundi positæ limitem, refutant. Africa vos nec tota quidem novit, sed modici (20) errantes in arvis; mox ut vidit exclusit, ac de suis vos prædiis, legibus divinis ejecit. Nam principium Africæ finisque, si vultis audire, a finibus Ægypti urbisque Alexandriæ, ubi Paretonia (21) civitas sita est, et montibus, quos incolæ Catabaalmon (22) appellant, inde sumit exordium; hinc per Æthiopica deserta circumiens, finem habet ab Occidente, ubi disterminat Europa, hoc est, fauces Gaditani freti, ubi Oceanus brachium Tyrreni maris fundit; novissimus autem et ulterior sinus Africæ est mons Atlas et insulæ, quas Fortunatas vocant. Ergo Africa ab Oriente habet Ægyptum, a Septentrione mare Lybicum, ab Occasu Syrtes majores, a Meridie Æthiopicum oceanum. Videtis-ne, o stulti, omnium rerum ignari, etiam in Africa, quam lato limine regnet Ecclesia, ubique diffusa, et ubi vos regio concludat angusta? Sed o quoties veritate victi, quoties conversi, quoties estis Christo mentiti. Et ideo extincta est paulatim progenies vestra, et in brevi cespite aruit fulminata.

[1] Matth. III, 16, 17. — [2] Id. II, 1, 2. — [3] Isai. LX, 6. — [4] Num. XXIV, 17.

(1) Cod. Laur. *facez*; cod. Cass. *face*. — (2) Sic cod. Cass.; cod. Laur. *primati us*. — (3) Vide August. Serm. CCII, num. 1. — (4) Sic cod. Cass.; cod. Laur. *sunt*. — (5) Hæc verba, quæ leguntur in cod. Cass. *porro sic disputant*, male desunt in cod. Laur. — (6) Cod. Laur. *cognoverent*; et deinde *sint* pro *sunt*. — (7) Deest *ut* in utroque cod. — (8) Sic cod. Laur.; cod. Cass. *offerentibus*. — (9) Cod. Laur. male *prænuntiatum*. — (10) Id. male *peritiorum*. — (11) Sic cod. Laur.; cod. Cass. *præsagitionem*. Deinde deest *ex* in cod. Laur. — (12) Sic cod. Cass.; cod. Laur. male *uno aspectu*. — (13) Vox *Dominum* male deest in cod. Laur. — (14) Id. *tum*; deinde deest *enat* in omnibus codd. — (15) Sic cod. Laur.; cod. Cass. *sub extremis solis occiduo*. — (16) Cod. Cass. *arguet*. — (17) Cod. Laur. *Illo*. — (18) Id. *Britagna*. — (19) Sic cod. Laur.; cod. Cass. male *sui*. — (20) Cod. *modicor*. — (21) Sic cod. Laur.; Cod. Cass. *Paretonio*. — (22) Sic cod. Cass.; cod. Laur. *Catabalt mori*.

Numquid tu, o hæretice, in Jerusalem Christi sanguinem veneraris aut crucem? Numquid in Bethlehem adoras cum mundo gerulum corporis Christi præsepe? Numquid tu apud Nazareth excolis Mariæ sedem, ubi annuntiavit Angelus nasciturum de Virgine Dominum Salvatorem? Cur te a parentela infantiæ martyrialis (1) abscindis? Itaue vero perit ibi nomen christianum, ubi initia facta sunt Martyrum, et intra tuas angustias incidit fides christiana dispendium? Cum tibi Christus dicat: Ego totum emi, pro toto mundo et sanguinem fudi. Non novi partem, sed requiro de omnibus unitatem, quia possessio mea non potest habere consortem.

V. Ac ne potestate (2) Romana te causeris damna latitudinis incidisse, recole, recole, aut, si non recolis, lege, quoties vel quanti ipsi Romani principes contra catholicam Ecclesiam gladium cruentum extulerint (3), nec tamen fidem veram crudelitas sæva vincebat, sed quanto magis persecutor germina pia secabat, tanto amplius hæreditas Christi sub ferro crescebat (4), quoniam Deum homo superare non poterat. Nec prophetia evacuari potuit, quæ prædixit Ecclesiam per terminos terræ diffundi. Audi antiquum de hodiernæ diei festivitate præsagium: « Reges Tharsis et insulæ munera offerent, reges » Arabum et Saba dona adducent, et adorabunt eum » omnes reges terræ, omnes gentes servient ei [1]. » Numquid tu cum omnibus istis adoras, qui foris cum omnibus giras? Audi (5) munus prædictum, antequam fuisset oblatum. « Omnes e Saba venient, ferentes aurum, thus et » myrrham; » offerentes (6) salutare Dei nuntiabunt. Require nunc de qua hæresi possit impleri (7) quod dictum est: « Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine » usque ad terminos orbis terræ. Coram illo procident » Æthiopes, et inimici ejus terram lingent [2]. » Considera de qua Ecclesia possit intelligi, quod Christo cantatur in Psalmis (8): « Disperge gentes, quæ bella volunt; venient » legati ex Ægypto, Æthiopia præveniet manus ejus Deo. » Regna terræ cantate et psallite Domino [3]. » Jam te, o hæretice, agnosce (9) desertum; agnosce ab insulis et nationibus separatum; agnosce a passione Christi divisum. Non potes jam crescere, non potes ad mundi (10) terminos pervenire, quem intelligis in momento transire. Quando, quæso, incipies insulas obtinere? quando valebis extrema maria circuire, cum jam Ecclesia regnante, non habeas qua possis exire? Sed habeat Gallia Numidiam, habeat Italia Bizacenum; aliud est mundum saltibus circumire, aliud Christum in toto orbe de terris civicis adorare.

V. Denique sic in Propheta legimus scriptum: « Et » adorabunt eum unusquisque de loco suo, omnes insulæ » gentium [4]. » Audis, « De loco suo? » Cur tu in solo gemis solitarius (11) alieno? Disce, disce fidem universitatis colere; et nusquam cogeris peregrinus errare. Esto amicus orbis, particeps unitatis, genus Ecclesiæ ubique regnantis, et nusquam eris advena, sed omnis terra erit tibi civitas genuina. Subjice colla cœlesti jugo, et tunc te agnosces (12) in uno, sicut scriptum est: « Invocent » omnes nomen Domini, et serviant illi sub jugo uno; a » finibus fluminum Æthiopia offeret munera sua Deo [5]. » Tu servis in alio jugo; alter hæreticus servit in suo; Catholicus vero in toto mundo sub uno Deo, uno servit in (13) jugo; et ideo nescit errare. Sed cur vos, fratres, diutina defatigo, cum veritas habeatur in plano? Frustra hunc audet celebrare diem, qui cum toto mundo fidem non vult habere communem.

SERMO XXXIX.

De Epiphania IV.

Sermonem istum quem in Cod. Cass. XII, *fol. 44, legere est inter dubios deputamus, quia hinc et inde pares fere militant rationes illum rejiciendi aut admittendi. Ad rejiciendum illum ex eo inclinamus, quod abstrusiores sententias intricatumque nimis dicendi modum afferat; ad admittendum autem impellimur tum auctoritate manuscripti, tum sententiarum quarumdam affinitate cum beati Doctoris ingenio, sicuti videri potest ex appositis ad inferiorem paginæ marginem notis. Hinc, Maurinorum exemplum secuti, hunc inter dubios collocamus post sermonem præcedentem cum numero de Epiphania* XI.

SYNOPSIS.

I. Magi ad Christum stella nova ducti. II. Christus non sub stellæ decreto natus. III. Pueri innocentes pretiosi lapides Christi coronæ infixi, aurumque ex metallis matrum effossum.

I. Corona (14) hodie refulsit sæculo declarata, quam præcedit stella, et velut lapidibus pretiosis exornat parvulorum martyria pretiosa. Quis non miretur, quando de intimis palatii procedente Rege terreno, gemmata diademata populari expectatione fulgescunt, ut admirentur oculi cunctorum in illis splendoribus lapidorum? Quæ hodie apparitionis nitore corona (15) mundo refulsit, talis corona quæ complectitur cœlum et terram! Senserunt illam cœli, et descenderunt Angeli Dei. Senserunt illam rutilantem chori stellarum, et cœperunt in suis stationibus perturbari, et in exultationem ardenter obsequi. Hoc est redemptio nova, quia stella nascitur splendida, matutina; splendida, propter Epiphania, gentibus apparentia; matutina autem dicta est stella, quia Christus mane surgens expoliavit gehennam, et mortuorum produxit de sepulcris corpora matutina, croceo auroræ Christi spirante vellere circumtecta. Senserunt istam coronam mundo clarescentem Magi currentes ab Oriente, et cœperunt sequi stellam. Quam stellam expavit cœlum, et attenderunt stupentes legiones astrorum ad novum sidus, quia novus erat et partus. Non erat ista stella de stellis; ad tempus nata est; non eam noverant cætera sidera, quia nec Christum noverat generatio mortalis humana.

II. Sed nemo dicat Christum Dominum sub istius stellæ fortuito natum esse decreto, sicut Pagani, vel ipsi opinantur hæretici (16). Non ista stella ad decretum dominabatur, sed ad nuntium famulabatur. Nec eum fatali subjiciebat imperio, sed alacri indicabat (17) obsequio. Non ideo Christus extitit, quia stella apparuit. Quando Christus natus, refulsit propter Christum stella; non

[1] Psal. LXXI, 10. — [2] Ibid. 8, 9. — [3] Id. LXVII, 31-33. — [4] Soph. II, 11. — [5] Id. III, 9, 10.

(1) Cod. Laur. *martyralis*. Ambo codd. *abscidis*. — (2) Cod Laur. male *potestatem*; in quo deinde non iteratur vox *recole*. — (3) Cod. Laur. *extulerunt*. — (4) Hoc totum sententiæ membrum deest in cod. Laur. — (5) Cod. Laur. *audis*. — (6) Cod. Cass. ut supra *offerentibus*; cod. Laur. *offerunt tibi salutare Dominum*. — (7) Vide explan. in Psal. LXXI, num. 11, 12, 13, et Epist. CXCIX ad Hesychium, num. 47. Vide quoque Epistolam contra Donatistas de Unitate Ecclesiæ, num. 22. — (8) Cod. Cass. male *psalmos*. — (9) Cod. Laur. *cognosce*, et sic deinceps. — (10) Cod. Laur. male *a*. — (11) Ambo codd. *te... solitarium*; imo et cod. Laur. *solidarium*. — (12) Codd. *agnoscis*. — (13) Deest *in* in cod. Laur. — (14) Cod. male *cortina*; sed sensus requirere videtur *corona*. — (15) Id. habet sine sensu *qua... nitorem... coronam*. — (16) Vide lib. II contra Faustum, cap. 5; Serm. CXCIX, num. 5; Serm. CCC, num. 1; contra Priscillianistas in lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum, n. 70. — (17) Cod. male *judicabat*.

Dominus nascitur propter stellam. Volitabant ergo sulphureæ faculæ micantis in nocte mysteria dicata super coronam gloriæ jucunditatis universæ terræ. Adducebat (1) lætissimo tractu luminis sui tres ab Oriente Magos, tanquam tres lapides pretiosos coronæ puri Christi nascentis, primitiarum torculis infingendos, et genibus incurvandos.

III. Ecce millia lapidum pretiosorum infinguntur coronæ nascentis pueri pro renovanda senectute mundi labentis. Illi lapides pretiosi parvuli mammis maternis evulsi (2), et coronæ Salvatoris infixi. Gladius ille crudelis primitivos flores infantium succidebat (3), et coronam eos coronator in suo diademate susceperat (4), melius in suo capite plantandos, in surculo purpuratos. Lilia erant, quia innocentes erant; rosæ factæ sunt, quia innocuo sanguine rubuerunt. Minuti erant arenarum de metallis matrum, factæ sunt regulæ (5) in manibus Angelorum, dum ad coronam Primogeniti figerentur. Metalla erant uteri matrum; de arena eligebantur, ut fierent aurea martyria parvulorum. Beatæ illæ matres tanquam metalla aurea fulserunt honorabiles, quia martyres Christo genuerunt infantes. Et quomodo metalla auri sub fiscali custodia muniuntur, ita istæ matres sub angelica protectione requiescunt. Jam enim dederunt Christo minutias (6) aureas martyriales infantes; tenet illas et filiorum dignitas, et sua securitas. Qui autem damnantur ad effodienda metalla auri, rei sunt, quia damnati sunt; ita et ministri Herodis jam damnati sunt judicio Salvatoris. Sed damnati fossores auri ipsi soli sunt rei; cæterum quod hi colligunt, aurum est; sic et ministri Herodis tanquam de auri fodinis minutias innocentium legebant, et ipsi nigrescebant, qui percutiebant, et infantes splendescebant, qui crimen in gladio nesciebant. Ita omnes qui Christo nascenti et apparenti dicunt testimonium, coronam immarcescibilem sperant in regno cœlorum.

SERMO XL.

In Epiphania Domini V.

Hic sermo, sancto Augustino dignissimus, eruitur ex Cod. Cass. XII, *fol.* 61, *ubi sub nomine beati Doctoris legitur. Nihil occurrit quod ad illum abjiciendum vel minime inclinet. Locus ejus post sermonem præcedentem cum numero in Epiphania Domini* XII.

SYNOPSIS.

I. Epiphaniæ nomen, et post Natalem Domini celebratio. II. Aqua in vinum Christi omnipotentia transmutatur. III. Hujus conversionis explicatur sensus mysticus. IV. Christus a Magis adoratur munera iterum mystica offerentibus. V Christus juxta quosdam eodem die baptizatus est, ut nos renasci doceret. VI. Tantus dies a nobis est singulariter honorandus.

I. Festivitatis nostræ, ut probabiliter celebritatem colamus, rationem nosse debemus. Epiphania, quam hodie observamus, græco nomine appellata, ostensionem vel apparitionem nostro sermone significat (7). Ideo autem ostensionis, vel apparitionis hic dies dictus est, quod se in hac die manifestis signis Christus Dominus noster ostenderit. Hodie enim vel a Magis stellam illam sequentibus nostri Christum Dominum adoratum esse confirmant, vel aquas illas in Galilæa a Domino in vinu esse conversas. Proxime ergo celebravimus diem, quo natus est Dominus, hodiernum vero colimus, quo est manifestatus.

II. Manifestavit itaque se cum inaudito, et mirifico opere aquas vertit in vinum. Sicut enim divini operis est naturam condere, ita et commutare. Itaque ejusdem rei, cujus creator erat, etiam recreator effectus est; quia facile ex alio in aliud transferre opus suum potuit, qui hoc ipsum potuerat ex nihilo proferre. Nam cum ageretur celebritas nuptiarum, et ut Evangelium loquitur, vinum epulantibus defecisset, vasa Dominus jussit aquis impleri, quæ cum impleta essent, jussit hauriri. O insigne miraculum! Inter manus atque oculos ministrorum latenter cœlestis virtus operatur. Res agitur, nec tamen quemadmodum agatur agnoscitur. Latet ratio, effectus (8) apparet. Unde istud? nisi quia omnia quæ vult Deus efficit? nisi quia illius totum posse velle est? Unde? Nisi quia tam magnifica potestas est, ut non immerito de eodem in ordinatione totius creaturæ Propheta testetur (9): « Ipse » dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt[1]. » Mirum hoc quidem; sed quid non mirum in omni opere suo Dominus noster ostendit?

III. Sed ut hæc ipsa altiora mysticus intellectus requirat, quid illæ significabant nuptiæ, quibus Christus interesset, nisi illas utique, quibus ipse Christus Ecclesiæ jungebatur, qui « Tanquam sponsus procedens de thalamo suo[2], » ad desponsatam sibi promissi jure veniebat; ubi utique ex aquis vinum, id est, ex Gentibus fideles conversione divini operis efficit. Fit ergo ex aquis vinum, cum fiunt ex Gentibus Christiani, de rapacibus largi, de superbis humiles, de impatientibus patientes, de crudelibus pii, de adulteris casti. Sic itaque Jesus in vinum aquas convertit, cum divina operatione, qui fuerat infidelitate vilissimus, fit religione pretiosus. Et sane audeo dicere, quia cum utrumque opus Christi sit, admirabilior Domini est ista conversio, cum ex peccatore facit justum, quam cum ex aqua reddit vinum. Quanto enim est in hac operatione homo ipse pretiosior, tanto est conversio ipsa præstantior. Ibi mirificas admovit manus aquæ, elemento suo; hic homini, id est, imagini suæ; ibi aquæ species in vinum, et colore, et sapore transfertur: hic vero in homine, quod magis mirum sit, idem homo, nec tamen idem est; cum exterius permaneat, interius mutetur. Dicit Dominus: « Ego occidam, et » ego vivificabo[3]. » Quomodo vivificat, si occidit? Sed ita est occisio Domini, ita est et vivificatio, cum in uno eodemque homine occidit impium, et vivificat innocentem.

IV. Igitur sicut supra diximus, hodierno die Christus adoratus a Magis creditur. Qui quidem inusitato refulgentem stellam sequentes ambulaverunt per terram pedibus, per cœlum oculis. Hi itaque Dominum nostrum Jesum Christum cum reperissent, « Procidentes adoraverunt, atque obtulerunt munera, aurum, thus et myr» rham[4]. » Myrrha hominem indicantes, auro regem facientes, Deum thure venerantes; sed dum offerunt

[1] Psal. XXXII, 9. — [2] Id. XVIII, 6. — [3] Deut. XXXII, 39. — [4] Matth. II, 11.

(1) In codice nullum est punctum ante *adducebat*, sed transfertur post *luminis sui*, cum quibus verbis clauditur non solum phrasis, sed etiam articulus. Articulus sequens cum nova linea incipit per hæc verba *tres ab Oriente*, ubi ne casus accusandus habetur, sine nominativo et verbo quibus regatur. — (2) Cod. male: *Illi lapides pretiosos parvula mammas maternis evulsi* — (3) Sic cod. male *succidebant*. — (4) Id. *et corona eos coronatoris in suo diademate susceperat*. — (5) *Regulas* dicit, ut videtur auri fragmenta solida de Arenarum minutis compacta. — (6) Cod. male *munitias*; legendum est *minutias* sicut et habetur inferius. — (7) Vide Serm. CCC, num. 1; CCIII, num. 1; CCXXXIII, num. 1, etc. — (8) Cod. male *affectus*. — (9) Vide Tract. VIII in Joan. num. 1 et 3.

munera, ipsi Deo munus effecti sunt. Tunc adimpletum est quod dictum est per Prophetam: « Priusquam puer » sciat vocare patrem aut matrem, accipiet virtutem Da» masci, et spolia Samariæ[1]. » Damascenorum gens potens divitiis, virtutem suam utique Domino dedit, cum ab eo Christus aurum, quod gentibus dominabatur, accepit. Spolia vero Samariæ, id est Gentilitatis, id enim significat, accepit, dum per credulitatem (1) Magorum videtur utrinque (2) expoliata Gentilitas. In Magis enim primitiæ Gentium (3) consecratæ sunt, in quibus illud præfiguratum est, quod etiam postea probatum videtur, ad Dominum Salvatorem nostrum impulsos fide venturos esse Gentiles, et occursuras ex remotis terræ partibus Gentes, quæ Christum Jesum Dominum et Deum faterentur. Magi cum longe a se positum expetierunt; Judæi apud se natum reprobaverunt. Illi eum adoraverunt adhuc pannorum obscuritate humilem; hi crucifixerunt jam signorum virtute fulgentem; quem utique idcirco primum Prophetæ, deinde etiam Magi annuntiaverunt, ut omnis homo inexcusabilis esset, qui Christum Dominum non confiteretur. Judæi utique inexcusabiles essent, si non confiterentur, quem etiam Prophetæ eorum prædixissent; Gentes inexcusabiles essent, si non crederent, in quem Magi etiam credidissent.

V. Sunt quidam qui hoc eodem die Dominum Salvatorem nostrum baptizatum putent (4); quod si ita est, non parvam dies ipse observationis nostræ celebritatem meretur. Si Dominus et Salvator noster, nos quos prius jusserat nasci, in hac die, docuit et renasci, et quia primum nobis ortum indulserat, ipse quoque instituit et jam nativitatem secundam, in qua salutaris auctor exempli sanctificavit Deus aquas, quibus homines sanctificarentur.

VI. Honoremus itaque diem, fratres dilectissimi, in quo Dominus, sive admiratione signorum, sive Magorum occursu honorificatus est. Honorificavimus diem Natalis sui, honoremus et hunc claritatis suæ; sicut enim nequaquam lex profuerat, nisi (5) secundum altum Dei consilium Christus natus processisset; ita parum hominibus contulisset natus, nisi fuisset et creditus. Quamobrem, fratres charissimi, Creatorem nostrum, Creatorem omnium, qui et ad nos venire dignatus est, et egit quo possimus credere cum venisset, qui se Filium Dei per Prophetas denuntiavit, per Magos ostendit, verbis admonuit, signis probavit, jugiter metuamus, amemus, desideremus. Hunc salubriter, et semper quærentes, oculis et corde flagremus, et quem Magi invenerunt in pannis, nos quæramus in cœlis; quem ipsi adoraverunt adhuc in obscuris latentem, nos glorificemus sublimi sede regnantem.

SERMO XLI.

De Epiphania VI.

Nihil occurrit propter quod hic sermo sancto Augustino denegetur, cui tribuitur in Cod. Cass. XII. *fol.* 55. *Locus ejus post sermonem præcedentem cum numero de Epiphania* XIII.

SYNOPSIS.

I. Christus in Epiphania non Judæis tantum, sed et Gentibus est revelatus. II. A Magis agnoscitur, et voce patria proclamatur. III. In ista Christi manifestatione manifestatur et Trinitas. IV. Mutatione aquæ in vinum facta iterum Divinitas manifestatur.

I. « CANTATE, inquit David, cantate, inquit Pro» pheta, canticum novum, quia mirabilia fecit Domi» nus[2]. » Cum ad insignem Epiphaniæ festivitatem conveniremus, bene ipsa Psalmi vox David cum festivitate concurrit, quæ in lætitia festivitatis jubet cantare lætantes. Ita alterum est solemnitatis, alterum psalmi: nam solemnitati debemus gaudium, psalmo canticum gaudiorum. Quid autem sequitur in Psalmo? « Notum fecit » Dominus salutare suum, ante conspectum gentium re» velavit justitiam suam[3]. » Videamus, David, quomodo condignissime hodiernæ diei aptari possit hoc, quod innotuisse Gentibus Dominum Psalmista memoratur. Respiciamus itaque ad Evangelium, et agnoscamus quomodo Dominus salutare suum non Judæis hodie tantum ostenderit, sed etiam juxta Psalmum, qui lectus est: « Ante con» spectum Gentium revelavit. » Ac primum consideremus, nato Domino Jesu Christo, venientes ad illam humilem Salvatoris infantiam adoraturos cum donis Magos, imo in Magis Gentium populos, quia cum paganicæ superstitionis magistri et principes Magi fuerint, in quibus utique principatus gentilici erroris fuit, typus gentilitatis apparuit. Deinde sociatur stella, stat super puerum, ut ostenderet utique ei se stare tunc cui antea occurrisset, et ut quæ Magos duxerat, itineris sui ducatum ostenderet stationis officio.

II. Ingrediuntur deinde diversorium sacræ nativitatis Magi; veniunt ad præsepium; vident hominem, et agnoscunt Deum. Incurvant corpora, intelligunt potestatem, pavent potentiam. Vident carnem, adorant majestatem; humana aspiciunt, ut divina venerantur. Quæ cum ita sint, consideremus quomodo hæc facientibus Magis expleta sit prophetia illa David, quæ paulo ante lecta est, dicens: « Notum fecit Dominus salutare suum; ante con» spectum Gentium revelavit justitiam suam[4]. » In eo enim quod agnitus est per stellam, notus est in carne Salvator: « Notum fecit Dominus salutare suum; » in eo autem quod visus gentibus viris, « Ante conspectum Gentium » revelavit justitiam suam. » Jamvero in eo quo cum hodie in baptismo declarasse Pater Filium traditur, nonne aperte idem illud impletur, quod ait Psalmus: « Notum » fecit Dominus salutare suum; » qua enim re (6) magis Salvatorem suum notum facere Pater potuit, quam quod

[1] Isai. VIII, 4. — [2] Psal. XCVII, 1. — [3] Ibid. 2. — [4] Ibid.

(1) Vide idem exemplum in Serm. CXL, num. 2. — (2) Cod. *utrique*. — (3) Vide Serm. CXII, num. 4. — (4) Vide Serm. CXXXIV appendicis num. 1. — (5) Cod. male *sisi*. — (6) Cod. male *qua enim re*,

a se ipso fecit agnosci dicens : « Hic est Filius meus[1], » et reliqua.

III. Non enim ut antea per Mosen jam aut Prophetas, nec per typos, aut per figuras venturum in carne Pater Filium docuit, sed palam venisse monstravit. Itaque evidenter, et luce clara præsentibus atque assistentibus turbis, cœlo denique, atque terra, et omnibus quæ (1) inter cœlum et terram volvuntur, testibus sonuit : « Hic est » filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. » Ac ne tantæ rei testis vox esset sola, quæ erat maxima, quem Pater loquendo ostendit, Spiritus sanctus adveniendo signavit (2). Itaque descendente super caput illius columba, prius eum Filium Dei esse visio ipsa docuit, quam vox Dei loquentis ostendit. In quo quidem mihi non testimonium esse tantum, sed divinitatis etiam mysterium videtur. Utique manifestando Domino Jesu Christo quod Filius esset qui ostenderetur, Spiritus sanctus qui ostenderet, Pater qui declararet, ac sic dum unigenitum Deum testimonium totius majestatis ostenderet, tota se divinitatis Trinitas demonstraret (3).

IV. Jam vero ut aliquando ad eam perveniamus, quæ paulo ante lecta est, lectionem evangelicam (4), virtutemque divinam consideremus diligentissime; ne ea quæ in festis nuptialibus aquæ demutatio facta legitur, evidenter Deum manifestasse videtur. Evidentissime utique. Quæ enim major esse potuit manifestatio Dei, quam conversio mutatioque naturæ? Nulli enim promptum est elementa convertere, nisi cujus potestas est procreare, quia ejusdem potentiæ est facta convertere, cujus infecta generare O mirum Salvatoris nostri inæstimabilemque virtutem! Aquæ hydriis inferuntur, et vinum poculis ministratur; aliud infunditur, et aliud hauritur. Quis dedit elemento hanc obedientiam, ut desineret; alteri, hanc substantiam ut esset (5)? Esto, obtemperare noriut, quæ vel audiendi usum vel sensum (6) intelligendi habent. Res certe utraque et auditu carebat et sensu. Unde et hoc habere potuerit obedientiam, quod non habuit in natura? Apertissime itaque et potentiam divinæ majestatis ostendunt (7), quæ sine auditu audiunt, sine intellectu intelligunt, sine sensu obsequuntur. Probat enim se naturarum omnium Deum, qui in his quæ non habent naturæ intelligentiam, facit ipse naturam. Superest; dabit. Oremus nunc, ut cujus virtus, atque majestas hodie in elementi conversione claruit, in nostrarum quoque mentium conversione (8) clarescat.

SERMO XLII.

De Epiphania Domini VIII.

Eruitur ex Cod. Cass. XII, fol. 64, in quo omnia fere ad sanctum Augustinum referuntur. Nihil occurrit, quod ab illo admittendo deterrere posse videatur. Ponitur post præcedentem cum numero de Epiphania Domini XIV.

SYNOPSIS.

I. Christus Magis stellæ ministerio manifestatur. II. A Magis adoratur, qui mystica offerunt munera. III. Herodis crudelitas infantes occidentis. IV. Epilogus.

I. Novi sideris, fratres charissimi, non fatale, sed regale signum (9), clarum cursibus aubris, aspicite, dum Magos ducit ad Christum, et totum convocat mundum, quia cœli patescit obsequium. Sic illustris facies poli, nocte detersa, pingitur; sic humano generi, posito in tenebris et umbra mortis, janua lucis ostenditur; sic Filius Dei, qui latuerat, publicatur. Veniunt Magi stellarum vernulæ (10), et siderum sectatores. Admoniti insolito fulgore radiantis globi, et sollicitis gressibus flammiflui jubaris secuti viam aspiciunt angustiis, (11) pannis opertum, cujus indicabat gloriosum apex purpuratus imperium (12). Non ita flammeum lumen ignitis coruscat facibus, nec sic (13) aurora roseum imbrem terris effundit, aut nativa fornax vomit incendia, ut ardebat ille cœlestis verbo (14), quem ignoti luminis sidus (in) (15) terra pavebat. Quis igitur regem magnum esse (16) non crederet, cujus majestatem cœlorum scrinia prædicarent?

II. Accessit igitur Magus, in quo fides nostri provida nascebatur. Offert aurum, thus litat, ingerit myrrham. O modicum natum, divitem mox paratum! Vagit inter crepundia ipsa; querulus etiam formidatur ut Deus. Clientium muneribus exquiritur, et depositis cervicibus adoratur. Aurum igitur exolvitur quasi regi magno : thus immolatur ut Deo; myrrha præbetur tanquam pro salute omnium morituro.

III. Sed Herodes impius, factus ex timore crudelis, ut pudorem suum possit celare, amplius voluit desævire; fingit primum adorare quem tremit putum (17) esse. Non puto, fratres, hostem virus internum premere, quia non potest prævalere, et simulare innocentiam, quia non valet (18) implere nequitiam (19). Ergo Herodes de successore anxius, et de regni desperatione sollicitus, præfert supplicem, cum cogitet hostem (20). Sed poterat capere eum, qui ipsas fraudes venerat amputare? Deceptus igitur Herodes pendula expectatione frustra, diu tenere non potuit, quod celabat. Præcepit igitur innocentes occidi, et necdum coagulata membra, atque ab ipso partu recentia gladiis interfici, et saxis illidi. O crudele facinus! o rabies sæculi inaudita! Talis erat illa species funeris, ut nec tenere posset (21) occidendos, nec postea videre occisos. Rapiebantur ab ipsis uberibus tremuli partus, et inter manus matris atque carnificis vita tenuis expira-

[1] Luc. III, 22.

(1) Deest vox *quæ* in codice. — (2) Vide Serm. XLI, num. 1-3. — (3) Vide Serm. LXXV, num 27. — (4) Cod. male *eam... lectione evangelica*. — (5) Cod. male. *Ut desineret alteri hanc substantiam deesse*. — (6) Id. perperam *usu, vel sensu*. — (7) Id. *ostendit*. — (8) Id. propter scriptorum ubique *conversatione*. — (9) Vide Serm. CXCIX, num. 3, et Serm. cxx de Fato. — (10) Cod. male *vernulis*. — (11) Id. *via*; et postea sine sensu *triangularis pannis*. — (12) Id. *imperator*. — (13) Id. perperam *sic*. — (14) Vocem *illam verbo*, quod nullum affert sensum pro voce *globus* positam esse crediderim — (15) Particula *in* videtur abundare. — (16) Cod. male *est*. — (17) Probabiliter legendum est *puerum*. — (18) Cod. male *valet*. — (19) Sch ns, est Herodem non voluisse opprimere Magos, quos ipsis prævalere non poterat, et simulasse innocentiam, quia non valebat nequitiam implere. — (20) *Præfert supplicem*, nempe externe; *cum cogitet hostem*, nempe internus. — (21) Id. male *posse*.

bat, ut jam non vivos occiderent, sed mortuos trucidarent. Plangebant tunc piæ matres, et suis ululatibus æthera quatiebant. Stringebant natos ad pectora, et volentibus pariter mori, non dabatur (1) occidi. Torquebantur iterum viscera, quæ pepererant, non jam germine vivo, sed funere, et impio carnifici lacrymosæ matres nequaquam (2) miserationis extensis manibus supplicabant, dum ille lacteos artus furibundus elideret, atque inter ipsas preces sanguine natorum maternos oculos offenderet. Quid tibi, Herodes, præstitit ista sævitia? Et cum unum insequeris, multos occidis; nec sic tamen ad illum pervenis, quem requiris. Ac sic et tibi infructuosa malitia tua interitum procurasti, et Christo coævos martyres transmisisti.

IV. Lætemur nos, fratres, in concordia fidei, « In charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei [1]; » ambulemus cum Magis, sequamur clarum lumen sideris, adoremus præsepe Christiferum, offeramus ei votiva obsequia. Jacet nunc ante januam pauper Christus in pannis; obtulit Magus aurum, Christianus non neget pauperi nummum.

SERMO XLIII.

De Epiphania Domini IX.

Hic sermo eruitur ex Cod. Cas. XII, *fol.* 65, *in quo sancto Augustino tribuitur. Nihil obstat, quin admittatur, ut legenti patebit. Locus ejus post præcedentem cum numero de Epiphania* XV.

SYNOPSIS.

I. Christi nativitas mirabilis in audientium memoriam revocatur. II. Quinque panum et duorum piscium miraculum, in Epiphaniarum die aliquando celebrabatur. III. Item et baptismus Christi, cui mystice miraculum præcedens accommodatur.

I. Descripsimus (3) ante dies Dominum nostrum Jesum Christum ultra conditionem humani generis atque naturam, virginali utero fuisse progenitum, et hoc illi (4) specialiter fuisse delatum, ut qui erat mirabilia multa facturus, statim a mirabilibus inchoaret; scilicet ut homines facilius crederent signis ejus atque virtutibus, cum vidissent ejus in nascendo virtutem. Quid enim jam natus et vir præstare non possit, qui matri virginitatem potuit conferre non natus? Maria enim ante partum fuit prægnans, et virgo post partum duravit, mater et virgo. Et ne forte mirum sit vobis quod dixi, etiam post partum virginem Mariam permansisse, una atque eadem ratio est. Cum enim Dominus ab ea sine corporis corruptela conceptus est.... (5) Nam quod ita Salvator secreta soleat penetrare, ut claustra non violet, habemus exemplum. Legimus in Evangelio, quod cum Apostoli propter metum Judæorum clausis in cubiculo januis residerent (6), subito Jesus Christus astiterit, et ita introierit, ut hospitii portas (7) minime reseraret. Si igitur per solidam grossamque materiem ita se infudit, ut portas januæ non moveret (8); quanto magis per carnis subtilem patulamque naturam, ita ingressus egressusque est, ut membrorum secreta non læderet.

II. Diximus ergo primum quod et mirabiliter natus sit Dominus; deinde inter cæteras ejus virtutes prosecuti sumus, quod quinque panibus et duobus piscibus paverit plus quam quinque millia populorum, et quod saturatis omnibus, plus relatum sit de convivio, quam illatum. Illud etiam prætereundum non est, quod plerique homines hodierna die factum putant; hoc est quod (9) aquam in vinum verterit, et repente simplicis vilisque substantiæ odorem, saporem mutaverit, et colorem, ita ut inter vasa sua minister erraret, hoc est, agnosceret hydrias, non agnosceret creaturam. Stupebat enim se aliud hausisse de fontibus, aliud in vasculis reperisse. Defundens tamen liquorem, et videns splendidissimam aquæ naturam in rubri speciem fuisse transfusam, stupet, hæsitat, et miratur, æstimat oculos suos falli, quia minister est poculorum. Ut suspicione temulentiæ careat, magis vult obtutibus se errare, quam sensibus. Defundit, inquam, et porrigit. Quod cum gustasset Architriclinus, sponsum increpat et objurgat, cur bonum vinum tamdiu servaverit, et contra ordinem convivii primo deterius biberit, novissime autem id quod erat optimum sit allatum. Ita conturbatio nascitur in toto convivio; minister aquam perdit, vinum suum Architriclinus non agnoscit: requirit ille quod hauserat (10); incusat iste quod biberat; non agnoscit plane, quia benedictione Christi melior erat commutati (11) vini creatura, quam nati. Hoc igitur signum factum in hac die plerique putant; nos autem dicimus hodierna die in Jordane Dominum baptizatum.

III. Attamen non multum illorum æstimatio distat a nostra sententia. Aqua enim quodam modo in vinum versa est, cum unda Jordanis fluminis in sanctificatione est commutata; ut fluvius qui naturalis fuerat, benedictione Christi fieret pretiosus, et ex illo jam non tam corpora ablueret, quam corda purgaret. Sicut enim vinum cum bibitur, « Lætificat cor hominis [2], » et ab omnibus sollicitudinibus præstat alienum, ita et baptismatis gratia, cum hauritur, exhilarat conscientiam hominum, et ab omnibus tentationibus facit esse securam. De quo speciali vino ait Propheta: « Hilares oculi ejus (12) » vino [3]. » Aqua igitur in vinum vertitur, cum peccata in justitiam convertuntur. Aqua, inquam, in vino vertitur, cum delicta mortis frigida, immortalis baptismi colore mutantur; cum hydriæ corporum nostrorum, quæ prius intra se terminum retinebant vilem, vel turbidum odorem, saporem accipiunt et colorem. Quod enim in Christianis bonus odor sit, dicit Apostolus: « Quoniam Christi bonus odor sumus Deo [4], » in omnibus his qui diligunt Deum.

[1] 2 Cor. VI, 6, 7. — [2] Psal. CIII, 15. — [3] Hunc textum in totis Scripturis non reperi. Forte ex aliqua versione deducitur, et idem est ac ista Genesis sententia: *Pulchriores sunt oculi ejus vino.* Gen. XLIX, 12. — [4] 2 Cor. II, 15.

(1) Cod. perperam *dabantur.* — (2) Id. *nec quidquam.* — (3) Id. male *discribimus.* — (4) Id. perperam *illis.* — (5) Hic quædam deesse videntur. — (6) Cod. male *resident.* — (7) Vox *portas* sensu requisita deest in codice. — (8) Consimile exemplum refertur in Sermone CXCI, num. 2. — (9) *Quod* desideratur in codice. — (10) Cod. male *aurierat.* — (11) Id. *commutata.* — (12) Cod. habet sine sensu *eja.*

SERMO XLIV.

De Epiphania Domini X.

Sermo iste, ex Cod. Cass. XII, fol. 67 eductus, ubi nihil præter sancti Augustini fœtus legitur, quædam habet quæ cum sermone CXXXII Appendicis fere concordant; sed notandum est rationem præcipuam, qua Benedictini moti sunt ad rejiciendum sermonem Appendicis, nempe quod ibi dicatur stellam Magis ante biennium apparuisse, in nostro minime occurrere; et aliunde tres aut quatuor tantum sententias esse, quæ Appendicis sermoni accommodantur. Unde ab illo inter Augustinianos edendo non potuimus ideo averti. Sit ergo ejus locus post sermonem præcedentem cum numero De Epiphania Domini XVI.

SYNOPSIS.

I. Magi veniunt cœlesti lumine adducti. II. Reginæ Austri ad Salomonem venientis comparantur. III. Herodis vesania. IV. Cum Magis ad Christum lætanter accurrendum.

I. Hic dies sanctæ Epiphaniæ festus omni sæculo celebrandus illuxit, cujus nox astrifero radiatur aspectu, et novum sidus oculis hominum declaratur. Denique stellæ indicio (1) ab Oriente Magi Jerosolymam venerunt. Talem enim esse natum, Deo revelante, cognoverunt, quem adorando salutem se adepturos esse credebant; neque enim in Christo talis erat ætas, cui adulatio humana serviret. Non sub poplite sella regalis, non de membris purpura, non de capite diadema fulgebat; non pompa famulorum, non terror exercituum, non gloriosorum fama præliorum istos viros ad Christum ex remotis terris adduxerat; sed devoto corde venientes stella perduxit. Quia salus nata gentibus, ab ipsis finibus terræ Trinitatis magnificentia in trina muneris gratia inclaruit. Jacebat in præsepio ortu recens, exiguus corpore, contemptibilis paupertate, sed magnum aliquid latebat in parvo, quem (2) illi homines, primitiæ gentium, non terra portante, sed cœlo narrante didicerant, ad quem tam ex longinquo devoti et supplices veniebant.

II. Regina quædam Austri (3) venerat a finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Nec illa regni ejus sublimitatem desiderabat addiscere, sed mentis lucem et sapientiæ claritatem cupiebat prævidere. Tanta itaque in Salomone aderat sapientia, quæ longissime dilatata, ad discendum potuit studiosos animos excitare. Proinde illa mulier non latentem (4) Deum, sed loquentem hominem, non adorare venerat, sed audire. Christus autem Dominus et Salvator noster ipse donaverat illam laudabilem sapientiam Salomoni, qui infirmitate carnis indutus adhuc per pusillam ætatem latebat in terris, et jam per amplissimam majestatem clarebat in cœlis.

III. Currit fama per cœlum, per stellas, per Angelos, per Pastores, per Scribas, per Pharisæos, per populos, per Magos; per omnia hæc indicia pervenit ad Herodem regem. Rex autem Herodes audit et terretur. Quid times, Herodes (5)? quid maligna mente turbaris? Si salutem tuam quæris, ille natus est, per quem regnum Dei videas, non cui regnum humanum invideas. Quid sævis? quid occidis infantes? quid ætatem in noxiam noxius insectaris? Gladio Regis hujus, qui natus est, nemo erit impietate puniendus, sed pietate liberandus. Accinctus quidem gladio super femur, egredietur potentissimus, sed gladio, quo libido et petulantia amputetur, et virginitas atque castitas coronetur. Quid turbaris, Herodes, quia natus est Rex Judæorum? Regnum ejus non est de hoc mundo[1]. Non quemadmodum tu times, sic ille regnabit. Tibi velox imminet finis; « Regni vero illius non erit finis[2]. » Quid hic trepidas timore vivi? Non est timor; Rex qui natus est Judæorum, non tibi aufert vanissimum regnum, quod cum perdere formidas, perire non dubitas; sed suis Judæis regnabit Christus, non carnis, sed cordis circumcisionem habentibus; Judæis non littera, sed spiritu; Judæis non in oculis hominum; sed in occulto; Judæis qualium ipse rex est, Judæorum regnum præparat sempiternum, quod et si tu velis, quærere possis; non illis, sed cum illis; nec pro Christo, sed cum Christo sine fine regnare. Nunc innocentes occidendo cupis regnum tenere, quod sceleratus cogeris moriendo finire. Ille autem quem quæris auferre, et tibi superest vivus, et omnibus gentibus regnabit (6) occisus. Perge tamen nunc, et frequenta multorum parvulorum mortes, ut ad unius parvuli mortem quasi pervenias. Quod si feceris, ut putas, cum securitate regnabis. Noli metuere, noli turbari: parvulus, quem vis dare morti, ipse morti venit auferre regnum, non tibi. Sed dicis forsitan: Occidam illum, ut ego vivam. Inane consilium est, interitur potius isto modo, quam vivitur. Crede in eum potius, si vis vivere; vita est, quem quæris occidere. Illi itaque Magi qui venerant, quærunt Dominum, quærit etiam Herodes; sed illi quærunt vivere in eum (7), quem iste quærit occidere. Denique ad infantem adorandum illorum perducitur amor, ad occidendum autem istius decipitur furor. Illi inveniunt salutem, stella ostendente; iste perniciem, cæcitate sæviente. Gaudent illi videndo; iste consumitur invidendo.

IV. Gaudeamus et nos, fratres, cum omnibus populis gentium, quorum primitias Magi illi fuerunt, ne pereamus cum Judæis, qui Herodem potius regem, quam Christum habere maluerunt. Detestanda est regis Herodis insania (8), et amplius magis miranda Judæorum stultitia, qui locum in quo Christus fuerat invenerunt, et eum in Bethlehem natum, sicut in Prophetis legerant, ostenderunt, et se ipsos per invidiam a fide nascentis Domini subtraxerunt, parati ad legendum, duri ad credendum. Hos ergo etiam nos in vetustate litteræ deseramus, et cum istis Magis ad adorandum Dominum nostrum Jesum Christum quotidie animos præparemus, et hanc sanctam festivitatem cum omni sobrietate et sanctitate celebremus, ut ad ipsum Dominum et Salvatorem nostrum cum omnibus Sanctis pervenire mereamur. Amen.

[1] Joan. XVIII, 36. — [2] Luc. I, 33.

(1) Cod. *judicio*. — (2) Id. *quod*. — (3) Vide Serm. CXXXII. Append. num. 2. — (4) Cod. male *laudantem*, et deinde addit male *videret* post *hominem*. — (5) Vide Serm. CXXXII Append., n. 3. — (6) Cod. *regnavit*. — (7) Vide August. Serm. CCCLXXIII, num. 3. — (8) Vide Serm. CXXXII, Append. num. 3.

SERMO XLV.

In Octava Epiphaniæ Domini,

seu

Da Baptismo Christi.

Hic sermo, qui eruitur ex Cod. Cass. XII, *fol.* 71, *tantis mandis scatet, ut vix aliquem sensum, nisi divinando reperire potuerimus. Pulchras nihilominus complectitur sententias cum nomine Augustini, quas, ut potuimus, ad veritatem sensus revocare curavimus. Ponatur post sermonem præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Christus baptizatur, ut nos ad pœnitentiam perducat. II. Joannis humilitas. III. Vidit cœlum apertum, et Spiritum descendentem; quo modo? IV. Totum aperitur Trinitatis mysterium. V. Exhortatio ad baptismum.

I. Visitit inter nos Deum, eumdemque hominem ac (1) Deum nostrum atque Dominum Jesum Christum, atque in utroque probatas Dei hominisque virtutes, cum Prophetæ multifariam, tunc etiam sanctus Evangelista manifestat, ut sciremus, quia ideo Deus dignatus est hominem accipere (2), ut homo prævaricatione perditus, acciperet deitatem. Incarnationis igitur nativitate decursa, posteaquam homo Deus istius corporis imbecillitates assumpsit, quemadmodum purificarentur crimina nostra perdocuit. Nam venit ad Joannem Baptistam lavari in pœnitentia, ut nos illius baptismate salvaremur. Sequimini et vos Filii Dei sacramenta justitiæ. Ille pœnituit, cum pœnitentiæ causa non esset; vos flete, quibus pœnitentiæ causa suppetit (3). Ille carnis peccata diluit, vos lugite. Ille terrenis aquis munda abluit, vos immundo lacrymarum fonte diluite.

II. Stupuit ergo venerabilis Propheta ad pœnitentiæ baptismum venisse Deum, totumque venientis consternatione perterritus: « Propitius, inquit, esto, Domine. Ista quæ carnis lavacra sunt, lavacra sunt (4) peccatorum; ego famulos (5) baptizo, non Dominum. Scio quia ab aquis cœlestibus venis; cur terrenis divina commaculas? Habes in te purissimos fontes, quorum fluxu (6) largissimo arentia rigas, et infœcunda fructificas. Utinam me, sancte, ad ista fluenta venire præcipias, tuisque manibus digneris adbibere, ut deposita (7) labe corporea, cœlestia sequar, et carnis peccata jam nesciam. » Perseverat tamen in sua volontate Salvator, Deumque se paulisper abscondens: « Sine, inquit, modo, sic enim » decet nos implere omnem justitiam[1]. » Videte cœleste responsum: non se esse denegat Dominus, sed quia carnem sumpsit, vult implere, quæ necessitas legis expostulat. Hæc est enim justitia, ut hoc (8) accipiat, quod tribuat, et quæ sunt tradenda (9) Ecclesiæ, perficiat (10). Tunc dimisit eum Joannes; non ab eo discessit, sed dimisit (11) propriæ voluntati, ut faceret quod volebat. Vidit enim baptisma Domini sanctificare aquas, et illud lavacrum jam non pœnitentiæ futurum esse, sed gratiæ.

III. « Et baptizato, inquit, Jesu, confestim ascendit » de aqua; et aperti sunt cœli[2]. » Futura (12) velocitas in tradendo mysterio demonstratur, docetorque facilis (13) inter novum hominem veteremque migratio. Baptizatur Jesus, et arcana hominis secreta reserantur (14). Aperiuntur Joanni cœli non ut profanent (15), sed ut peccatis nostris quæ ante clausa fuerant reserantur cœlestia (16). Aperiuntur cœli, non divisione (17) elementorum, nec (18) abrupta dissiliunt, nec firmata manu Domini in diversa discedunt... (19). Verumtamen spiritualibus oculis patet, quod carnalis videre non prævalet. Denique repletus Spirito sancto Ezechiel, ut quatuor animalium sacramenta dissereret, apertos cœlos se videre testatur; similique modo sanctus Stephanus, in illa professione magnifica, plenus Spirito sancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei et Jesum stantem a dextris, et ait: « Ecce » video cœlos apertos, et Filium hominis stantem a dex» tris Dei[3]. » Vidit ergo apertos cœlos, qui prophetizat in Spiritu; vidit cœlos apertos, qui in confessione Dominum confitetur. « Et vidi, inquit, Spiritum Dei descen» dentem de cœlo, sicut columbam venientem in ipsum[4], » id est, in Dominum nostrum Jesum Christum (20). Nec mirum si ipse vidit Spiritum sanctum venientem, qui ad matrem Domini necdum natus exultavit in utero, qui etiam in deserto ambulans annuntiat Salvatorem dicens: « Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus[5]. » Dicet (21) fortasse aliquis: Quemadmodum videri potuit Spiritus Dei, cum sit invisibilis, atque incomprehensibilis, atque in omni elemento diffusus, quem Deum esse manifestum est. Sic enim in Evangelio Salvator dicit: quoniam « Deus spiritus est[6]. » Sed videt (22) Spiritum Dei cor mundum, et pura cogitatio, ad quamcumque Spiritus sanctus dignatur accedere. Tunc se ipse vigore deitatis suæ, ut voluerit, manifestus insinuat. « Spirat » enim ubi vult Spiritus[7], » et regit cuncta, non regitur; totumque istud æterna mens convegetat (23), qua cœlum clausum est ac revelatum, mare diffusum, terra cooperta (24), et cum hoc magnum mundi corpus intraverit, rerum semina sua liberalitate (25) vivificat. Hæc est enim natura ipsius deitatis, ut ubi animum intenderis (26), ibi Dei Spiritum inesse non dubites.

IV. Obscura ergo et latens sancti Spiritus ratio, in baptismate Domini revelatur, totumque mysterium Trinitatis aperitur. Nam sciens Spiritus Dei Verbum Dei, ut similem suam hominibus ostenderet potestatem, cum sit subtilis, simplex, sanctus et investigabilis, imaginem columbæ suscepit; quoniam vidit Deum in carne hominem suscepisse. Pater autem, quem nemo vidit unquam, nisi unigenitus Filius[8], ne quid Trinitatis deesset (27) substantiæ, voce prosequitur, ut Christum, quem Spiritus sanctus demonstrabat, proprio testimonio designaret. Sic enim dicit: « Hic est filius meus dilectus, in quo mihi » complacui[9]. » O magnum divinæ potestatis arcanum! Quam (28) investigabiles viæ sunt Spiritus Dei! Innocuæ avis imitatus effigiem super baptizatum Jesum de cœlorum arce descendit, ut ostenderetur nobis, quia bap-

[1] Matth. III, 15. — [2] Matth. III, 16. — [3] Act. VII, 55. — [4] Matth. III, 16. — [5] Matth. III, 3. — [6] Joan. IV, 24. — [7] Id. III, 8. — [8] Id. I, 18. — [9] Matth. III, 17.

(1) Cod. *eumque hominem Deum nostrum.* Deinde etiam male *probatus.* — (2) Deest in cod. vox *accipere*, quam requirit sensus. — (3) Cod. *suspendat.* — (4) Hæc iteranda videntur, quæ amanuensis non adscripsit. — (5) Cod. male *famulus.* — (6) Cod *fluore.* — (7) Cod. male *disposita.* — (8) Id. *quod.* — (9) Id. *tradendo.* — (10) Id. *perducat.* — (11) Cod. *dum sit.* — (12) Cod. *itura*, et deinde *demonstrata*, et *dictumque* pro *docetorque.* — (13) Id. *faciles.* — (14) Id. male *fœnerantur.* — (15) Sic cod. errore quam sæpe nescivi. — (16) Cod. *contagia*, pro quo divinando posui *cœlestia.* — (17) Id. *de visione.* — (18) Id. *sed.* — (19) Hic quædam leguntur, quæ intelligere non potui. Videtur esse scriptum: *Nam et in eum enim cœli incommata materies.* Qui potest capere capiat. — (20) Vide Tract. V in Joannem, Serm. CXXXIV Append., num. 3; Serm. CCXCII, num. 4. — (21) Cod. *dicat.* — (22) Id. *vidit.* — (23) Id. *non regitur*, et deinde *quod.* — (24) Id. *copertum.* — (25) Id. *libertate.* — (26) Id. *intendaris.* — (27) Id. *deesse.* — (28) Cod. *quoniam.*

tismum sancti Spiritus comitatur infusio, simul etiam ut error perfidiæ confutaretur (1), ne quia diceret vocem Dei ad Joannem potius, quam ad Filium Dei cucurrisse.

V. Libet hoc loco, fratres, adversus impios indignatione prosilire, improbamque lacerare perfidiam Judæorum quod venisse non credunt eum, qui (2) cœlo teste monstratur, et negant Deum, quem Pater Filium confitetur. Quapropter, dilectissimi, una mente unaque constantia confitemini Deum Patrem, ejusque Filium Jesum, et Spiritum sanctum, tanquam tamen unam esse substantiam Vos quoque, amantissimi, quibus apostolicæ lectionis (3) præbemus illecebram, ad baptismum festinate. Nihil illic humile (4), nihil putetis abjectum. Ad hæc lavacra Salvator mundi venire dignatus est; properate (5) ergo, « Dum lumen est, ne vos tenebræ comprehendant[1]. » Habeat (6) licet aliquis vulnera criminum, et maculas peccatorum, hæc abluta vivo fonte sanabimus. Ibi vobis purgata conscientia veterum (7) delictorum, spirituale lumen infundens, magnum (8) diei istius complebo sacramentum, reseratoque cœlo Christum vobis Dominum demonstrabo, cui est potestas, honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XLVI.

In Quadragesima I.

Sermo iste ex Cod. XII, *fol.* 83 *erutus, idem est, excepto principio, ac sermo extractus ex eodem Cod.* XII, *fol.* 198, *de Pœnitentia, quem stampis subdidimus in primo Supplemento serm.* LXV. *Unde hic principium solum posuimus, variantibus tantum lectionibus quoad reliqua alibi addigitatis. Ponatur post sermonem Maurinensem* CCXI, *cum vere sit in Quadragesima, licet in editis nostris dicatur solum de Jejunio, cum numero in quadragesima* VIII.

PROPHETA qui lectus est, dilectissimi, annuntiare jejunium, et prædicare curationem jubet. Jejunium itaque, dilectissimi, idem tempus quadragesimæ, quod ingredimur (9), curationem nostram Propheta nominat. Venit ergo medicus; pareant se, qui curentur, ægroti. Medicus utique, dilectissimi, et quidem non talis (10) medicus, quales medici corporales sunt, qui operam præstare possunt, sanitatem conferre non possunt. Quid enim Propheta dicit: « Annuntiate jejunium, prædicate curationem[2]; » conjungit curationem annuntiationi (11), ut quicumque curari vult, possit de sanitate esse securus; curatio hæc a Deo est, dilectissimi; omnes enim medici, infirmi sunt, nisi eos ista medicina sanaverit. Ostendant itaque, dilectissimi, ostendant Deo cunctos languores suos. Vulnus latet et crescit; malum quamdiu tegitur, augetur.....

SERMO XLVII.

In Quadragesima II.

Dignus sermo qui in lucem emittatur, ut legenti patebit. Educitur ex Cod. Cass. XII, *fol.* 86, *cum nomine sancti Augustini. Locus ejus post præcedentem, cum numero in Quadragesima* IX.

SYNOPSIS.

I. Institutum exemplo Christi jejunium, ut abstinentia reparet, quod perdidit intemperantia. II. Commendatur etiam Moysis exemplo. III. Jejunii virtus. IV. Perfectius jejunium, quod internæ agitur vincendo cupiditates, aut pauperibus subveniendo.

I. « ECCE nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis[3]. » Adsunt dies, fratres, per quos afflictione corporum salutem operamur animarum, in quibus conteritur quidem exterior homo noster, sed (12) interior vivificatur: jejunium enim, animæ quidam pastus est, quia sicut injungit laborem, ita proficit ad salutem. Dominus et Deus noster Jesus Christus inter cætera salutis exempla, etiam jejuniorum præsentium nobis formam reliquit quadraginta jejunii dies exigens. Ergo ipse est auctor jejunii tui, qui et retributor erit laboris tui. Jejunavit itaque quadraginta diebus Dominus, et utique peccatum ille nec fecerat, nec metuebat. Quæ jejunia, si votiva fuerunt Deo ab erroribus libero, quanto magis necessaria sunt homini erroribus obnoxio, et si expetita non delinquenti, quanto magis exoptanda peccanti (13). Adam enim ille princeps generis humani (14), cum degustata arbore, jejunia utique indicta temerasset, qui fuerat possessor Paradisi, factus est præceptor peccati (15). Quo peccato ejus etiam in nos usque suum illum stimulum mors tetendit. Amet ergo abstinentiam, qui vitam cupit, quia cibus, ut agnoscitis, appetitus (16) mortem paravit, et tamen ille callidus serpens, per intemperantiam gulæ (17) primi parentis seductor, etiam ad jejunantem tentator accessit? Quid enim ille non audeat? Sed jejunans Dominus hunc eumdem hostem antiqui temporis confutavit, supplantatoremque veteris Adam novus Adam repulit. O mira abstinentiæ virtus, ut diabolus qui per incontinentiam vicerat, jejunio vinceretur!

II. Quadraginta etiam Moyses dies fertur transegisse jejunio, cum acciperet Dei legem. Jejunia sunt utique, quæ Dei præcepta et accipere merentur, et accepta possunt servare. Moyses jejunans Dei vocibus, Dei fruebatur aspectibus; populus vero ejus, cibo et potui (18) deditus, decucurrit ad gentilium cultum deorum, et superstitioni vacavit, quia (19) vacaverat saturitati.

III. Itaque sicut ostendimus, quia non solum Dominus, verumetiam Moyses, et aliqui nonnulli horum jejuniorum nobis exempla præbuerunt, nunc videamus, quid (20) jejuniis ipsis emolumenti utilitatisque commendatur. Salvator ad Discipulos de diabolo loquitur, et dicit: « Hoc genus non ejicietur, nisi in jejunio et oratione[4]. » Ergo quem a diabolo obsessum Apostoli absolvere non

[1] Matth. XII, 35. — [2] Joël. I, 14. — [3] II Cor. VI, 2. — [4] Marc. IX, 28.

(1) Deest vox *confutaretur* in cod., quam propter sensum restituimus. — (2) Cod. *cumque*. — (3) Id. *apostolici lectis*. — (4) Id. *nihil illis humilem*. — (5) Id. *propterea*. — (6) Id. *habebat*, et deinde *sanavimus*. — (7) Id. *ibi vos purgat conscientiam veterem*. — (8) Cod. *mihi*. — (9) Id. *ingreditur*. — (10) Id. male *equidem non satis*. — (11) Id. *caritatem curationi*. — (12) Id. *se*. — (13) Id. male *exoptandam peccandi*. — (14) Consimilia verba reperiuntur in Sermone CXXIV, Append. oper. S. August. num. 1. — (15) Cod. *præcepti*. — (16) Id. *appetit*. — (17) Eadem verba habentur in Serm. CXLVII, num. 2. — (18) Id. *potu*. — (19) Id. *qua*, et antea *vacabit*. — (20) Id. *qui Dei*, et deinde *utilitatique*.

poterant, jejunia dicuntur posse purgare, testimonio Domini. Hæc sola res est, quæ illis virtutibus nos (1) valet efficere majores. Videte ergo, fratres, quæ jejunii virtus sit, quantam hominibus (2) præstare possit gratiam, si potest et alteri præstare medicinam; quemadmodum propriis sanctificet hominem, quod its purificet alienum. Magna res est, fratres, altero (3) jejunante, etiam in alium jejunii redundare utilitatem.

IV. Sed non ista tantum a nobis jejunia, quæ injungi nunc creditis, exiguntur. Est aliud perfectius (4) in secreta nostri parte jejunium, et hoc est acceptius (5) Domino quo occultius, id est, ut jejunemus, et omnibus illis cupiditatibus, quas nobis adversus spiritum caro suggerit, abstineamus. Parum est enim abstinere cibis, nisi abstineamus et vitiis. Parum est cohibuisse nos ab edacitate (6), nisi et ab avaritia, adhibita in pauperes largitate, cohibeamus. Parum est non indulsisse ventri, si usque ad jurgia nunc elati, indulgemus furori; atque idcirco vincamus et linguam, qui gulam vicimus. Dissentionibus, rixis, iniquitatibus abstineamus (7), ne illud propheticum in nos dicatur: Non tale jejunium ego elegi, dicit Dominus, » Sed solve omne vinculum iniquitatis; » dissolve obligationes vehementium commutationum; » dimitte confractos in remissione, et omnem conscrip» tionem iniquam disrumpe. Frange esurientibus panem » tuum, et pauperes sine tecto induc in domum tuam. Si » videris nudum, operi eum, et domesticos seminis tui » non despicias. Tunc erumpet matutinum lumen tuum, » et sanitates tuæ cito orientur, et præcedet ante te justitia, » et majestas Dei circumdabit te. Tunc clamabis et Deus » exaudiet te, adhuc te loquente dicet (8): Ecce adsum [1]. » Agnoscitis itaque, dilectissimi, et quale jejunium eligat Dominus Deus noster, et quod præmium ita jejunantibus spondeat. « Frange, inquit, esurienti panem tuum, » et pauperes sine tecto induc in domum tuam. » Ergo illud est acceptum Domino jejunium, ut his diebus inopi largiaris quod subtraxeris tibi: quia religiosa fide dignum est, ut abstinentia vestra non avaritiæ lucrum sit, sed misericordiæ. Tunc erit plena laboris tui merces, si alius in jejunii tui labore requiescat.

SERMO XLVIII.

In Quadragesima III.

Erutus, ut præcedens, ex Cod. Cass. XII, *fol.* 87, *hic sermo sancto Augustino nullatenus abjudicandus videtur, cujus nomen habet in codice. Ponatur post sermonem præcedentem cum numero in Quadragesima* X.

SYNOPSIS.

I. Quod sit jejunium, quod Deo displiceat. II. Quod sit qui placeat illi.

I. Cum jejunii dies advenerint, dilectissimi, convenienter nobis Propheta, qui lectus est, jejunandi exposuit disciplinam, maxime quia dicit, non omnia Deo accepta esse jejunia; ac per hoc diligenter jejunaturo homini præcavendum est, ne dum putat jejunando se (9) satisfacere, ipso incipiat jejunio displicere. Quæ enim Prophetæ verba sunt? » Quid est, inquit, quod jejunavimus, et » non vidisti, humiliavimus animas nostras, et nescisti [2]. » Conqueri homines Propheta dicit, cur ad jejunia eorum Dominus non respexerit, et humiliationem eorum abstinentiamque nescierit, quasi vero sit, quod Dominus nesciat, qui, ut scriptum est, « Omnia ante novit quam » fiant [3]. » Quomodo enim nescit quæ sunt, cum sciat etiam illa quæ non sunt? Sed nescire utique, dilectissimi, nescire (10) illa dicitur Deus, quæ indigna sunt, ut sciantur; ac per hoc quidquid pravum est et iniquum, ideo a Deo dicitur ignorari, quia non meretur agnosci. Unde etiam in consequentibus dicit: « In diebus jejuniorum » vestrorum inveniuntur voluntates vestræ, et omnes sub» ditos vobis stimulatis: ad judicia et pugnas jejunatis [4]. » Videtis itaque, dilectissimi, non ipsa jejunia per se Deo, sed opera jejunantium displicere. » Ad judicia, inquit, et » pugnas jejunatis. » Quid enim prodest, o homo, quod jejunas cum litibus, jejunas cum discordia, jejunas cum rixa? Parum est, quod corpus jejunum habeat, cujus animus iniquitate ebrius est. Quid subditos vobis, inquit Propheta stimulatis (11), et pugnis cæditis humilem? Videte, inquam, ipsi videte, o dilectissimi, quale sit jejunium illud, ubi esuritur et cæditur, ubi jejunatur et cruor funditur, ubi venter vacuus est pane et manus plena sanguine; et ideo rectissime Dei sermo sequitur, et dicit: » Ut quid mihi jejunatis? » Hoc est dicere, Ut quid mihi jejunatis, qui vobis litigatis? Ut quid mihi imputatis officium per abstinentiam vestram, cui facitis injuriam per discordiam vestram? Et verum est, dilectissimi; parum est non manducando Deo offerre cultum, et peccando convicium (12). Convicior, qui nihil dico? Omne opus malum convicium est Dei, et ideo, ut audistis, Dominus per Prophetam: « Non hoc jejunium, in» quit, elegi, nec si flectas ut circulum collum tuum, » nec sic vocabitur jejunium acceptum [5]. » Bene itaque ait, quia parum est collum flectere, et animum non humiliare. Quid enim prodest, o homo arrogans, quod cervicem tuam ad officium deflectis, qui humiles et pauperes resupino pectore dedignaris? Erras, inquit, erras, quicumque talis es. Officium te Deo deferre æstimas, cum imaginem Dei in ipso homine contemnas?

II. Nec immerito dicit Dominus: Non tale jejunium elegi; sed » Solve, inquit, omne vinculum injustitiæ [6]. » Solve ab hominibus omnia vincula iniquitatis. Jubet itaque in hoc ut (13) ipse se homo solvat, ubi iniquitatis vincula solverit, quia cuncta injusta vincula ipsum primum alligantem colligunt. Ac per hoc nolo te in hac re alteri plus præstare, quam tibi. Crede, nisi alterum solveris, esse te alligatum scias. « Solve, inquit Scrip» tura, obligationes violentarum mercationum, et omnem » conscriptionem iniquam disrumpe. » Avaritia hic, dilectissimi, id est, cupiditas admonetur; utique ut emptio violentis extorta (14), et cautio male conscripta rumpatur: delendæ ergo sunt omnes litteræ, quæ salutem hominis impugnant. Melius enim est ut (15) cautio sit vacua, quam ut anima fiat (16) vitiosa. Melius per jejunia placare Deum, per eleemosynas, per hospitalitatem, quia, cum nemo sit qui non in aliquo reus sit, facilius pro se impetrat, qui per multos intercessores rogat.

[1] Isai. LVIII, 6-9. — [2] Isai. LVIII, 3. — [3] Dan. XIII, 42. — [4] Isai. 3, 4. — [5] Id. LVIII, 5. — [6] Ibid. 6.

(1) Cod. *magnos*. — (2) Id. *homini sui*. — (3) Id. *altera*; et deinde *redundat*. — (4) Id. *alius perfectus*. — (5) Id. *dum Domino*. — (6) In cod. desunt verba *nos ab*. — (7) Vide Serm. CXLVI, Append., num. 2, et Serm. 6. August. CCVI, num. 3. — (8) Id. *dicit*. — (9) Id. *non mendose*. — (10) Hoc verbum repetitum *nescire* abundare videtur. — (11) Cod. *stimulantis*; qui et prius *quos*, pro *quid*. — (12) Id. non habet hanc vocem *convicium*, sed tantum *peccando convicior, qui nihil dico*. — (13) Deest *ut* in cod. — (14) Cod. *exorta*. — (15) Deest *ut* in cod. — (16) Cod. *forte*.

SERMO XLIX.

In Ramis Palmarum I.

Duo movere possent dubium, utrum hic sermo possit sancto Augustino attribui, 1° quidem quod loquatur de palmis a fideli populo gestatis. quæ consuetudo non videtur introducta in Ecclesiam occidentalem, nisi sexto sæculo; 2° quod invitet ad sancte communicandum in Paschate, ubi potius loquebatur de Baptismo, quam de Eucharistia. Sed quoad primum, sermones sunt sancto Ambrosio tributi, qui eam solemnitatem commemorant; quoad autem secundum, nemo nescit quoties sanctus Chrysostomus ad sancte communicandum in festis solemnioribus Christianos adhortetur. Hinc sermo iste ex Bibl. Laur., Plut. XIV, cod. 1 extractus, poni potest inter Augustinianos post præcedentem cum numero in Ramis Palmarum 1.

SYNOPSIS.

I. Adveniente Pascha odium deponendum, mundandaque corda, ut Christus digne suscipiatur. II. Cur rami palmarum gestentur in manibus. III Bono incœpto fortiter insistendum.

I. Fratres dilectissimi, dignum est, ut semper quando ad Ecclesiam convenitis, divinum sermonem in auribus vestris insonamus (1), maxime tamen modo oportet, ut in his diebus Dei sermonem vobis annuntiando, fraternitatem vestram admoneamus, quatenus omnibus sæcularibus curis abjectis, divinis tantum studeatis obedire præceptis. Legimus enim quod istos dies observare debetis. Certe ita istos dies observare debemus, ut apud nullum ex fratribus nostris, qui nobiscum unum Deum adorant, aliquod odium vel iram habeamus, timentes illud quod scriptum est : « Omnis qui odit fratrem suum, homicida » est[1]. » Et si in Pascha Domini corpus dominicum accipere volumus, corpus nostrum et animam nostram ab omni avaritia, et ab omni luxuria, ab omni ira et ab omni odio, ab omni turpiloquio et ab omni peccato mundum et mundam habeamus, quatenus Domini nostri Jesu Christi corpus et sanguinem ad profectum, et non ad detrimentum suscipiamus : sic enim dicit Apostolus : « Quicumque corpus et sanguinem Domini indigne man» ducat et bibit, judicium sibi manducat et bibit[2]. » Scitis, fratres, quia si aliquis vestrum hodie temporalem seniorem (2) suum in domo sua deberet suscipere, quam citius festinaret ipsam domum suam scopis mundare, et ab omni sorde et vitio illam alienare, ut cum ipse senior (3) suus ad domum suam veniret, mundam et non sordidam illam inveniret. Si ergo illum seniorem, qui ad tempus nobis prodesse et nocere potest, cum tanta reverentia et dignitate, quantam (4) diximus, volumus suscipere, multo magis debemus laborare, et corpus et animam nostram multis vigiliis, et orationibus, et eleemosynis adornare, quatenus corpus æterni Domini nostri Jesu Christi, qui in hoc et in futuro sæculo inenarrabiliter potest prodesse et nocere, cum mundo corde et casto corpore valeamus recipere.

II. Denique sciendum est omnibus vobis, unde hæc talis consuetudo crevit, quod has olivas et palmas hodie in manibus portemus. Certe antiquo tempore fuit consuetudo, ut si quis rex ad alium regem, vel si quilibet potens ad alium potentem causa pacis et non belli ire deberet, statueret ut olivæ illum antecederent. Oliva enim in sacro eloquio pacem significat, ut per ipsas olivas ipse rex, vel ipse potens posset cognoscere, quia ille quem prædictæ olivæ præcedebant non causa bellandi, sed causa pacis advenire volebat. Item, altera consuetudo erat, ut si aliquis rex contra inimicos suos in bellum procederet (5), et adjutus misericordia Dei, de suis inimicis victoriam haberet, cum reverteretur, palmæ ante illum portarentur, ut per illas possent homines intelligere ipsum regem omnes suos superasse inimicos. Ad quam similitudinem nos quoque modo olivas et palmas in manibus portamus. Olivas portamus, ut nos pacem habere cum Domino nostro Jesu Christo, ad cujus corpus suscipiendum (6) properamus, ostendamus. Palmas vero ideo portamus, ut nos victoriam de diabolo, cum quo ista quadragesima magnum prælium habere debuimus, reportasse (7) ostendamus. Consideret ergo unusquisque intra se, fratres charissimi, si pacem factam cum Domino nostro Jesu Christo habeat, et si diabolum cum quo magnum jubemur habere prælium, habeat superatum. Ille namque pacem habet factam cum Domino, et victoriam de diabolo, qui si aliquod in toto isto anno peccavit, hac quadragesima orando, et multas vigilias faciendo, et longis jejuniis carnem suam macerando, illud in quo peccavit, delevit, et si cibum quem corpori suo abstraxit, pauperibus dedit. Certe inaniter ille jejunat, qui de cibo, a quo corpus suum abstinet, non pauperum corpora sustentat, sed suum corpus. Dignum est enim, ut unde nostra caro affligitur, inde pauperum caro reparetur. Si quis tamen ista quadragesima corpus suum luxuriæ macula coinquinavit, et pauperibus de sua substantia aliquid dare noluit, et invidiæ facibus accensus fuit, et vigiliis et orationibus deditus non extitit, et aliquid alicui furando defraudavit, ille sine dubio non habet pacem factam cum Domino, neque victoriam de diabolo, quia non Domini voluntati consensit, sed in omnibus (8) sua colla diabolo subdidit.

III. Vos hortor (9), fratres charissimi, ut si in primordio hujus sanctæ quadragesimæ bonis operibus cœpistis insistere, modo amplius insistetis, et Domino deservire in omnibus studeatis, quia nemo per bonam inchoationem potest Domino placere, nisi bonum, quod inchoavit, usque ad finem studeat perducere. Nunc ergo, fratres dilectissimi, cum magna cura et sollicitudine eleemosynas jejunando facite, et vigiliis, et orationibus ac omnibus bonis operibus vigilanter insistite, et si aliquid alicui per malum ingenium rapuistis, festinanter reddite, sequentes Zacchæum, qui si aliquid alicui tulit, amore Dei accensus, omnia in quadruplum restituit[3]. Decimas et primitias tempore congruo cum magno amore date, et si aliquis in vos peccavit pro amore Dei illi indulgete, quia si hæc feceritis, tunc orationem dominicam non ad damnationem, sed ad vestram salutem cantare poteritis. Ostendite (10) itaque omnibus bonis operibus, in quantum potestis, vos adornatos, ut in Paschali solemnitate, corpus et sanguinem Domini cum mundo corpore et casta mente (11) valeatis suscipere, et ad futuram gloriam quam ista Paschalis solemnitas significat, possitis pervenire; quod ipse præstare dignetur qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Joan. III, 15. — [2] I Cor. XI, 29. — [3] Luc. XIX, 8.

(1) Deest vox *insonamus* in cod. — (2) Forte *superiorem*. — (3) Forte *superior*, et sic infra *superiorem*. — (4) Cod. *quanta*. — (5) Id. male *præcederet*. — (6) Cod. *suscipiendus*. — (7) Deest vox *reportasse* in cod. — (8) Cod. *in omni*. — (9) Id. *quapropter*. — (10) Id. *studete*. — (11) Id. *mentis*.

SERMO L.

In Ramis Palmarum II.

Educitur hic sermo ex Cod. Cass. CCCLXXXVII. *fol.* 118. *Dignus est, qui scriptus fuerit a beato Augustino, propterea non indignus qui legatur. Locus ejus post præcedentem cum numero in Ramis palmarum II.*

SYNOPSIS.

I. Verba Prophetarum verba sunt Spiritus sancti. II. Salomon Christi prænuntius. III. Ejusdem figura. IV. Ingressus Christi Jerosolymam. V. Christus triplici diademate coronatus. VI. Christo compatiendum, ut conregnemus.

I. »Egredimini, filiæ Sion, et videte regem Salomo» nem in diademate quo coronavit eum mater sua, in die » desponsationis illius, et lætitia cordis ejus[1]. « Verba ista, dilectissimi, Salomonis non sunt, imo Spiritus sancti, qui per eum tanquam per suum organum loquebatur; erat enim « Lingua ejus calamus scribæ (1) velociter scribentis[2]. » Sicut enim scriptoris calamus nullam potest per se membranis figuram imprimere, nisi scribentis moveatur articulo, sic et doctorum lingua nullum ex se utilem valet proferre sermonem, nisi Spiritus sancti gratia intrinsecus doceatur. Nisi enim intus sit, qui doceat, in vanum lingua doctoris exterius laborat.

II. Salomon ergo per Spiritum providens ad redemptionem humani generis futurum in carne Salvatoris adventum, in occursu tantæ redemptionis et gratiæ, ad intuendum nostræ salutis auctorem filiam Sion invitat dicens: « Egredimini, filiæ Sion. » Vos, inquam, qui legis onere prægravati estis, et in Ægypto vetusta Pharaonis servitute jacetis oppressi, egredimini de vetustate litteræ occidentis in novitatem (2) Spiritus vivificantis[3], egredimini de servitute legis antiquæ, in libertatem novæ legis et gratiæ; egredimini de umbra et caligine Veteris Testamenti, in veritatem et lucem Evangelii. Ideo enim præcesserunt figuræ, ut sequerentur effectus, et adventu (3) rerum nuntiatarum, complerentur officia nuntiorum. Quamdiu enim nube litteræ estis obtecti, et peccatorum caligine involuti, et quamdiu Ægyptum, tenebrarum scilicet et dissimilitudinis regionem incolitis, quamdiu estis in luto et latere occupati, regem Salomonem non poteritis contemplari. Egredimini ergo non motu corporis, sed affectu, non itinere proficiscendo, sed fide proficiendo, et videte regem Salomonem regnantem in Jerusalem.

III. Salomon autem, rex Jerusalem, dignitate, loco et nomine Salvatorem præfiguravit. Redemptor etenim noster Rex regum est Dominus dominantium, ipse est rex justitiæ, cujus generatio non habet finem. Ipse est, « Per quem reges regnant, et principes operantur justi» tiam[4], » qui fideles suos, quos condidit, inter procellas et turbines hujus sæculi gubernare et regere non desistit, cui Psalmista decantat: « Deus, judicium tuum » regi da, et justitiam tuam filio regis[5]. « Ipse etiam est verus Salomon, id est, pacificus; Salomon quippe pacificus interpretatur. Propter peccatum enim prævaricationis antiquæ, discordiam cum nostro Conditore habuimus, et ab ejus pace longe recessimus, imperio cujus negleximus obedire. Apparens autem in carne Dei Filius, natus ex virgine sine integritatis injuria, servi formam suscipiens sine conditione servuli, communis in genere, sed alienus a crimine, nos Deo Patri reconciliavit, et pacem primi parentis peccato perditam, interpositione sui sanguinis reformavit, « Pacificans per sanguinem suum » ea quæ in cœlis sunt, et quæ in terris[6], pacem faciens » iis, qui prope, et qui longe erant[7]. » Unde et ad nos veniens, pacem ad nos attulit, et nos deserens pacem reliquit. Redemptore enim nato inter ipsa sui ortus primordia, multiplici Angelorum voce est decantatum: « Gloria » in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ volun» tatis[8]. » Cum vero cœlos ascenderet (4), cum doceret universam Ecclesiam « Servare unitatem spiritus in vin» culo pacis[9], » discipulis suis custodiendæ dilectionis et pacis mandatum tribuit, dicens: « Pacem meam do vobis, » pacem relinquo vobis[10]. » Ecce audistis qualiter dignitate et suo nomine Salomon designaverit Salvatorem; nunc etiam quomodo ex loco in quo regnaverit, eumdem præfiguraverit, fideli mente attendite. Salomon quippe non regnavit in Babylonia, ut Nabuchodonosor, non in Ægypto, ut Pharao, sed tantum Israëlitici regni gloria fuit et honore contentus. Et noster verus Salomon, Dominus Jesus Christus, non in Babylonia, civitate scilicet confusionis, et ubi labium universæ terræ confusum est, regnat, sed « In civitate Dei nostri, et in monte sancto » ejus[11]; » non in Ægypto, regione scilicet tenebrarum, peccati et mortis obtinet principatum, sed in Jerusalem, civitate regia, arcem sui fundavit imperii; Jerusalem quippe visio pacis interpretatur. Et Redemptor noster in his regnat, quiescit et habitat, qui terrena despiciunt, transitoria hæc et caduca contemnunt, et ad visionem pacis æternæ tota mentis intentione festinant, dicentes cum Apostolo: « Nostra autem conversatio in cœlis est[12]. » Inde est quod Redemptor noster inter homines conversatus quocumque iret, quocumque diverteret, præcipue tamen Jerosolymam (5), et ad templum Patris ejus erat regressus.

IV. Unde et appropinquante passionis suæ tempore, cum venisset Bethphage ad montem Oliveti, ab infinita Judæorum et Gentilium turba, cum olivarum surculis, floribus et palmis sui Redemptoris futurum triumphum et victoriam designantibus (6), cum summa gloria et devotione suscipitur[13]; et ipse ut nobis patientiæ et humilitatis præberet exemplum, postposita gloria qua Patri per omnia similis est et æqualis, vilis aselli tergo insidens, Jerosolymam multum humilis, et ideo gloriosus intravit. O quam stupenda pietas! mira Dei clementia! sessor aselli fieri dignatus est auctor sæculi. Asello insidet, qui totam mundi machinam pugillo concludit, ut nos super astra sublimet. Habeant reges et principes mundi propter pompam et gloriam sæcularem currus aureos, et equos suos auro, serico et mira gemmarum varietate ornatos: Rex noster contra diabolum pugnaturus, armis humilitatis armatus in asello triumphat. « Hi in curribus, et hi » in equis[14], » nos autem cum Rege nostro in humili aselli vehiculo triumphamus. Unde et ei per Prophetam dicitur: « Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi man» suetus sedens super pullum asinæ[15]. »

V. Invitat nos ergo Spiritus sanctus ad intuendum

[1] Cant. III, 11. — [2] Psal. XLIV, 2. — [3] 2 Cor. III, 6. — [4] Prov. VIII, 15. — [5] Psal. LXXI, 1. — [6] Coloss. I, 20. — [7] Ephes. II, 17. — [8] Luc. II, 14. — [9] Id. IV, 3. — [10] Joan. XIV, 27. — [11] Psal. XLVII, 2. — [12] Philip. III, 20. — [13] Matth. XXI, 1, etc. — [14] Psal. XIX, 8. — [15] Matth. XXI, 5.

(1) Cod. *scribens.* — (2) Id. *novitate*, et deinceps *libertate.* — (3) Id. *adventus*, et deinde *nuntiarum.* — (4) Id. male *ascenderit.* — (5) Cod. *Jerosolymis.* — (6) Id. *designantes.*

tam humilem Salomonem, Dominum nostrum Jesum Christum, « Coronatum corona, qua coronavit eum » mater sua[1]. » Coronavit autem eum non solum mater, sed etiam pater et noverca. Triplici enim corona coronatus est Dominus Jesus Christus : corona gloriæ, corona justitiæ, corona miseriæ. Coronavit namque eum Pater corona gloriæ, cum » Oleo exultationis et lætitiæ præ » suis participibus unxit[2]; « sicut scriptum est : « Gloria, » et honore coronasti eum, Domine, super opera ma- » nuum tuarum[3]. » Coronavit eum mater sua immaculata, scilicet Virgo Maria, corona justitiæ, dum ei immaculatæ carnis substantiam ministravit, et ex se (1) justum et sine peccato filium genuit. Coronavit eum mater Synagoga, quæ noverca justius appellari potest, corona miseriæ, dum capiti ejus spineam coronam imposuit, dum amictu irrisoriæ vestis accinxit, dum contumelias, sputa, flagella, maledicta et opprobria intulit, et dum novissime morte eum turpissima condemnavit.

VI. Nos igitur, dilectissimi, filii sanctæ matris Ecclesiæ, casta generatio, quos in schola veritatis Dei Spiritus erudivit, salutis et reparationis nostræ tempora cum summa devotione suscipiamus, et, Christo pro nobis passo, in quantum possumus, compatiamur. « Si enim » compatimur, et conregnabimus[4]. Exeamus ad eum ex- » tra castra, crucis improperium in corpore nostro por- » tantes[5]. » Membra nostra cum vitiis et concupiscentiis clavis divini amoris et pœnitentiæ configamus, ut a peccatorum sarcina per pœnitentiam alleviati, libero mentis (2) et securo incessu egrediamur, et videamus non tam corporeo, quam devoto mentis intuitu regem Salomonem coronatum in cœlis corona immortalitatis et gloriæ, in qua vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LI.

In Cœna Domini.

Hic sermo, qui educitur ex Cod. xiv *fol.* 309, *ubi nomen habet sancti Augustini, in quibusdam accedit ad sermonem Appendicis* ci, *quem Benedictini nulla allata ratione excluserunt, dicentes eum esse anonymi sermonem. Hic non est anonymus, nec proinde rejiciendus, cum nulla sint, quæ sancto Augustino sint indigna, et plura quæ illius sapiant dicendi genus. Notandum est autem maxime, quod Possidius in indiculo, cap.* x, *tractatus duos indicet de Passione Domini, qui desunt in sancti Augustini operibus, uti animadverterunt editores Maurini in sermone* ccxviii. *Locus ejus post sermonem Maurinensem* ccxvi.

SYNOPSIS.

I. Sancte sancta suscipienda mysteria. II. Discipulorum timor, et Judæ impudentia. III. Petri casus. IV. Ejusdem dolor.

I. In hodiernum convivium qui solemni frequentia convenistis, et cum Christi Discipulis in immolatione Agni Pascha facere festinatis, sincera, quæso, et plena charitatis pectora divinis exhibete mysteriis. Nulla sit in mente duplicitas, nec livoris nubilo interior homo fuscetur; agnum comesturus, agni innocentiam præferat, nec immaculata ovis lupina membra transfundat in viscera; quoniam qui sacrato (3) hujus indigne participat accubitui, non cum Petro perveniet salutis ad portum, sed sustinebit cum Juda sine reparatione naufragium. Habebit debitam cum proditore pœnam, qui ad bonum malam attulit conscientiam. Denique Judas non sincerus, sed simulator accubuit; et post buccellam Christi, in eum diabolus introivit[6].

II. Sed lecta, fratres, præsentis exordia lectionis, pia vobiscum recordatione transcurram. « Cum recumberet, » inquit, Dominus cum duodecim Discipulis suis, et » edentibus illis, ait : Amen dico vobis, quoniam unus » ex vobis tradet me. Et contristati nimis, cœperunt ad » eum singuli dicere : Numquid ego sum, Domine[7]? » O beati Apostoli, felix magis (4) vestra innocentia contristata, quam pœnalis Judæ audacia non confusa, cum noveritis nihil tale vos contra Dominum cogitasse. Extimescentes autem propriæ fragilitatis, tristes Dominum interrogatis de peccato, quod in conscientia non habetis. Sed plus creditis Magistro, quam vobis. Jam in illo convivio vobis judicatis imputari (5) quæstionem, et Judas non vult sentire compunctionem. Terret vos talis auditus, et illum non terret tanti sceleris cogitatus (6). Consulite ergo Dominum; pium interrogate Magistrum. Respondeat præscia veritas. Designetur abominanda persona, nec remaneat crimen in turba. Monstretur vobis, quem fugere debeatis. Publicetur filius perditionis[8], ne maculetur corona benignitatis. « Respondens, inquit, Jesus ait : « Qui mecum manum mittit in paropside, ipse me tradet[9]. » Cœpit manifestius aliquid dici. Adhuc tamen nomen proprie (7) non video designari. Sed ecce paventibus, et retinentibus cunctis, et interdicentibus (8) cibum ori suo, ille temeritate et impudentia qua præditus erat, manum cum magistro in paropside mittit, ut audaciam bonæ conscientiæ mentiretur. Obturata fronte talia de se audit, et recumbit (9). Vidit publicari suam conscientiam, et adhuc manum porrigit ad buccellam; nec primo, nec secundo correptus, a proditione retrahit pedem; sed patientia Domini nutrit impudentiam suam, et servavit sibi iram in die iræ[10]. Ecce jam et pœna illi prædicatur, ut quem non correxerunt (10) miracula, corrigant denuntiata supplicia. « Filius, inquit, hominis vadit, sicut » scriptum est de eo. Væ autem homini illi per quem Fi- » lius hominis traditur. Bonum illi erat non nasci. Res- » pondens, inquit, Judas qui eum tradidit, dixit : Num- » quid ego sum, Rabbi[11]. « Juda, cui dicis : Numquid ego sum ? Jam dic : Ego sum. Scit enim ab initio te esse. Nam quod nunc loquitur, non est oblivio nescientis, sed pietas miserantis (11). Corrupte prævaricator et miser, si redires ad cor, recoleres Magistrum, quem didicisti esse præscium futurorum, et cui nihil potest esse incognitum; quoniam per hujuscemodi colloquium se non facit ignarum, sed pœnitentiæ tibi vult exhibere suffragium. Tu autem cui cupiditas sensum tulit, et avaritia cordis oculos excæcavit, interrogare te fingis, utrum ipse sis, qui traditionis nefas conceperis? Omnia in te novit ejus divinitas, sed væ tibi! in quo simul periit (12) humanitas, et in quo ficta est charitas.

III. « Hymno, inquit, dicto, abierunt in montem (13) » Oliveti, et ait illis Jesus : Omnes vos scandalum pa- » tiemini in hac nocte. Respondit Petrus et dixit : Si

[1] Cant. III, 11. — [2] Psal. XLIV, 8. — [3] Id. VIII, 6. — [4] Rom. VIII, 17. — [5] Hebr. XIII, 13. — [6] Joan. XIII, 27. — [7] Matth. XXVI, 20-22. — [8] Joan. XVII, 12. — [9] Matth. XXVI, 23. — [10] Rom. II, 5. — [11] Matth. XXVI, 24, 25.

(1) Cod. *ex se*. — (2) Cod. *libero et mentis*. — (3) Cod. *sacrata*... *participatur accubitu*. — (4) Deest *magis* in cod. — (5) Cod. *vos judicari amputatum quæstionem*; quæ opinando correximus; forte legendum *dubitatis pro judicatis*. — (6) Vide Append. Serm. CI, num. 1. — (7) Cod. *propriæ*. — (8) Id. *intercedentibus*. — (9) Id. *recumbet*. — (10) Id. *corrigerunt*. — (11) Id. *murantis*. — (12) Id. *periut*. — (13) Id. *in monte*.

» omnes scandalizati fuerint, ego non scandalizabor. Dicit » illi Jesus : Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam » gallus cantet, ter me negabis. Dicit ei Petrus : Etsi » oportuerit me mori tecum, non te negabo[1]. » Cœperunt altercari duo (1), medicus et ægrotus ; hic (2) sine ægritudine se esse putabat ; ille sed jam (3) futuram accensionem (4) illi annuntiabat. Sed interim hoc negotium paululum sequestremus, donec rei exitum comprobemus (5). « Judas, inquit, qui tradidit eum, dedit eis » signum dicens : Quem osculatus fuero ipse est ; tenete » eum[2]. » Quid audistis, fratres? Quis sensus hoc sine horrore (6) consideret? Et quæ aures hæc verba recipiant? Quæ non præcordia dictis talibus contremiscant (7)? « Dedit eis signum dicens : Quem osculatus fuero, ipse » est ; tenete eum. » O signum sacrilegum! o conventum nefarium! o placitum puniendum, ubi ab osculo incipitur bellum, et per pacis indicium, pacis rumpitur sacramentum (8) ; et per quod consueverunt gentes bella finire, per hoc profanus Judas bellum voluit inchoare. « Dedit eis, inquit, signum dicens : Quem osculatus fuero » ipse est ; tenete eum. » Hoc signum, Juda, tu dedisti; hoc pacto in tuum ingenium reposuisti, ut eum quo faceres pacem, ipse raperetur ad crudelissimam passionem. Habebunt per te multi terrorem, ne quando cum proximis (9) simulatam habeant pacem. Guttur tuum profanum, quod hodie Christo extendis ad osculum, crastino illud (10) eriges extensurus ad laqueum. Malo tuo didicisti argentum expendere; mox incipies et corpus proprium ponderare. Tenetur interea Dominus, ad sacerdotum principem perducendus (11). Et cum cæteri Discipuli laberentur in fugam, Petrus ille promissor egregius, cœpit ambulare longinquus. Pervenit tandem et ipse ad principis domum, et expectans rei exitum, foris observabat in atrium. Sed quia jam prædictæ accensionis eum rigor urgebat, calefaciendus (12) ad carbones stabat. Negat territus Christum, pro quo se animam promiserat positurum. Jacet elisus in torpore (13) oblivionis, quasi in quodam lecto doloris. Prostravit eum decrepita anicula, quasi quædam febricula. Oppressit eum lethargicus somnus, et cœpit eum præco impingere matutinus (14).

IV. Expergiscitur aliquando ; audit gallum cantantem; videt se gravia vulnera sustinentem. Dirigit preces ad medicum per nuntios lacrymarum, et divinum confestim recipit (15) antidotum. De ipso enim scriptum est : « Amici mei et proximi mei adversus me appropinquave» runt, et proximi mei a longe steterunt[3]. » Et illud quod dictum est : « Meliora sunt vulnera amici, quam vo» luntaria oscula inimici[4]. » Judas enim, sicut de Apostolo proditor, ita inimicus factus ex amico. Nam et de illo scriptum est : « Homo pacis meæ, in quo sperabam, » qui edebat panem meum, ampliavit super me calca» neum[5]. » Et iterum : « Inimici hominis domestici ejus[6]. » Unde et nos, fratres, unanimiter fugiamus inimicorum fallacia colloquia, ut cum sanctis participemus (16) gratiam sempiternam. Veram pacem et Trinitatis perpetuam unitatem teneamus, ut mereamur introire in regnum cœlorum, et gratias agere Domino Jesu Christo in sæcula sæculorum.

SERMO LII.

De Passione Domini, et de duobus Latronibus.

Totum sapit Augustinum hic sermo, qui educitur ex Cod. Cassin. XII, *fol.* 310, *cumque libenter percurret studiosus lector. Ponatur inter Augustinianos post sermonem Maurinensem* CCXVIII.

SYNOPSIS.

I. Latronis verba ad compatientem latronem. II. Ejusdem invocatio ad Christum. III. Christi responsio. IV. Quomodo baptizatus est.

I. In cruce Dominus Jesus pendebat ; Judæi blasphemabant ; principes subsannabant ; latro confitebatur, de quo necdum sanguis exsiccaverat occisorum ; alii movebant capita sua, dicentes : « Si Filius Dei es, salva te » ipsum[7]. » Jesus non respondebat, sed tacitus injustos puniebat. Ad verecundiam Judæorum aperit Dominus os defensoris, os in cruce latronis. Duo enim, a dextris et a sinistris, fuerant crucifixi (17) ; Salvator medius, sicut libra justa, allevans confidentem, deprimens infidelem latronem a sinistris insultantem. Procidit qui fuit a dextris, et fit sibi in judicio reus, in cruce judex, in confessione magister (18). Proxima vox latronis contra latronem : « Nec tu times[8], » inquit. Latro, qui furabaris, modo confiteris; qui sæviebas in gladio, modo credis (19) in Christo. Dic, inquit, dic, latro, quid tu male fecisti? Quid Dominum boni fecisse cognovisti? Quia nos vivos occidimus, iste mortuos suscitavit ; nos aliena tulimus, iste divitias suas dedit urbi terræ ; et pauper factus est, ut me divitem redigeret. Litigat latro contra latronem : « Usque (20) in hoc tempus ambulabamus in facinus. Da crucem, dabitur via. Si vis mecum comitari ad vitam, qui mihi fuisti ad latrocinandum collega, esto mihi ad domicilium vitæ comes ; lignum est vitæ (21) crux illa. David in Psalmo instruit dicens : « Novit Do» minus viam justorum, et iter impiorum peribit[9]. »

II. Post confessionem, convertitur ad Salvatorem : « Domine, inquit, memento mei, cum (22) veneris in regnum » tuum[10]. » Laborabam, inquit, dicere latroni : Ut tui memor sit Christus, quid boni fecisti? quid digne gessisti? Quia nocuisti, quia occidisti, dicis (23) : « Memento » mei. » Dic, latro socius factus cum magistro : Recte expecto debitum meum, quia inter injurias meas agnovi Dominum meum. Non attendo, quia pendet in ligno, sed credidi, quia manet in cœlo, in suo judicio. « Domine, » inquit, memento mei, cum (24) veneris in regnum tuum. » Penitus non erat locutus Christus neque Pilato, neque principibus Judæorum. Labia puritatis respondere nolebant, quia non recte inimici quærebant. Respondit latroni libenter quia rogavit simpliciter : « Amen, amen, dico

[1] Matth. xxvi, 30-35. — [2] Ibid. 48. — [3] Psal. xxxvii, 12. — [4] Prov. xxvii, 3. — [5] Psal. xl, 10, et Joan. xiii, 14. — [6] Mich. vii, 3, et Matth. x, 36. [7] Matth. xxvii, 40. — [8] Luc. xxiii, 40. — [9] Psal. i, 6. — [10] Luc. xxiii, 42.

(1) Cod. *illo*. — (2) Vide August. Serm. xv, et Append. Serm. cx, n. 2. — (3) Cod. *etiam*. — (4) Edit. male *occessionem*; agitur de rogo accenso, juxta quem Petrus Christum renuntiavit, et quem Christus prævidebat, ut patet ex infra dictis. — (5) Hic in Benedictinorum Sermone sententia legitur, quæ nulla ratione potest admitti. Sic enim habent : « Cui Dominus ait : « Paululum sequestremur, donec rei causam comprobemus; » ubi notandum est quod ponant in ore Christi, verba quæ sunt scriptoris ipsius, explicationem eventus ad aliud tempus differentis. Unde patet, quam graviter errant, qui Benedictinam editionem putant nullo modo posse emendari. — (6) Cod. *sui errore*. — (7) Id. *contremescant*. — (8) Vide Serm. cx Append num. 1. — (9) Cod. *proximo*. — (10) Id. *illam*. — (11) Vide Serm. cx Append. num. 2. — (12) Cod. *calefaciendum*. — (13) Id. *corpore*. — (14) Edit. pessime *præco impiger matutinus*, ubi videtur quod legerunt Benedictini *impiger* pro *impingere*, vitio sane indicio. — (15) Cod. *recepit*. — (16) Id. *participemur*. — (17) Vide August. Serm. cccxxxi, num. 3, et Serm. cccxxvi, num. 2. — (18) Vide Serm. cccxxvii et Serm. cccxxxi, num. 3. — (19) Cod. *credes*. — (20) Id. *usquequo*. — (21) Id. *enim*. — (22) Id. *dum*. — (23) Id. *dices*. — (24) Id. *dum*.

« tibi, quia hodie mecum eris in Paradiso. » Quid est, latro? Tarditatem postulasti, et celeritatem percepisti. Tu dicis: « Cum veneris in regnum tuum; » ipse hodie te introducit in Paradisum suum.

IV. Quid autem fit, quod latroni promittitur vita, qui nondum acceperat gratiam? Dominus dicit in sancto Evangelio: « Si quis non renatus fuerit ex aqua et Spiritu » sancto, non potest introire in regnum cœlorum [1]; » et tempus non permittit baptizari latronem. Invenit ei Dominus remedium pietatis. Accessit miles; lanceam fixit in latus Salvatoris, et « Exivit sanguis et aqua [2], » et aspersit membra latronis (1). Dicit apostolus Paulus: « Appro» pinquastis montem Sion, et sanguinis aspersionem (2) » melius loquentem, quam sanguis Abel [3]. » Quare (3) melius loquitur sanguis Christi, quam sanguis Abel? Quia sanguis Abel incusat parricidam, sanguis vero Christi liberat homicidam, et donat pœnitentibus indulgentiam in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LIII.

In Vigiliis Paschæ I.

Hic sermo cum nomine sancti Augustini legitur in quatuor codicibus Florentinis, nempe Bibl. Laur. Plut. XIV, cod. I, fol. 196 b; Bibl. Sanctæ Crucis, Plut. XXX, sinist., cod. V, fol. 88 b; et ibidem Plut. XXXIII, sinist., cod. IV, fol. 130; atque Bibl. Ædil., cod. CXLIII, fol. 196 b. Nil obstat quin ponatur inter Augustinianos post sermonem Maurinensem CCXXIV, cum numero in Vigiliis Paschæ VI.

SYNOPSIS.

I. Vigilia Paschæ solemniter celebranda. II. In hac quare lætandum. III. Transcendamus cum Christo, ut salvemur.

I. Domini nostri Jesu Christi Salvatoris honorabilem solemnitatem sua favente clementia, fratres charissimi, fideliter veneremur (4), pietatemque ejus ineffabilem admiremur, qui non solum redemptionis nostræ causa diversarum infirmitatum genera subiit, verum etiam sacri cultus ritum, per (5) diversas festivitatum gratias, æternæ beatitudinis nobis effecit causam (6), ut licet post multum inertiæ somnum, non tam inviti, quam voluntarii, sanctæ religionis dulcedine provocante, ad magnarum solemnitatum adventum (7) surgere compellamur. Expergefacti itaque libenter, de somno inertiæ surgamus, et noctem hanc sanctam Paschæ lætanter ducamus. In qua nocte magnum Pascha magna devotione (8), mentis tris pinxit. A morte mundum vastatura, transcendendo (9) defendamur, et divinitatis suæ fulgore descendente desideriis, solemniter celebremus, « Non in fermento » veteri, neque in fermento malitiæ et (10) nequitiæ, sed » in azymis sinceritatis et veritatis, » hoc est non in (11) amaritudine malitiæ humanæ; quidquid enim humanum solum, sincerum non est; sed in sinceritate divinæ sanctitatis. Divina sanctitas quæ est (12)? castitas, humilitas, bonitas, misericordia (13), humanitas, justitia, lenitas, patientia, veritas, pax, benignitas; hæc est massa sanctitatis christianæ, quam (14) humanæ malitiæ fermentum corrumpit, hoc est libido, superbia, invidia, iniquitas, avaritia, intemperantia, mendacium (15), discordia, odium (16), vana gloria, quæ omnia aliena a nobis vult esse sanctus Paulus dicendo: « Non in fermento malitiæ » veteris. »

II. Lætitia nostra Christi Pascha sit. Nobis (17) enim et pro nobis Christus nascitur, patitur et resurgit, ut nos in vitam per ipsum renascamur (18) in tribulationibus, et cum eo in virtutibus resurgamus. Omnia enim (19) per ipsum in hac nocte restaurata sunt (20). In hac quippe nocte quasi primitiæ resurrexit, ut nos omnes postea (21); in hac quippe nocte captivitas solvitur, vita in Adam amissa restauratur; in hac nocte Protoplastus antiquus, peregrinus redit ad Paradisi patriam, Christo Cherubim removente (22). Ab hac enim nocte Dominicæ resurrectionis, Paradisus patet. Nulli clauditur, nisi a se ipso; nulli aperitur, nisi a Christo. Redeat ergo, credamus, qui nunquam defuit, ascendat qui semper cum Patre fuit. Jam enim credimus vitam mori pro nobis. Quomodo tamen vita moritur? credimus mortuum, et sepultum, ac resurgentem, ascendentem, cum Patre tamen et (23) cum Spiritu sancto semper manentem.

III. Cum Phase, quod est Pascha, transitus intelligitur, sive transcensus (24), Christi sanguine nos consecremus et consignemus, ut a vastatore mundi transcendamus, et a morte multos vastatura (25) defendamur. Quicumque enim transcendunt (26), hi salvantur; his parcitur (27). Nimirum, quibus Christi sanguis inhæsit, nullis diabolicis pluvialibus imbribus innumerabilium guttarum humectantur neque oblectantur (28). Ideo nobis quoque sic inhæreat Christi sanguis, hoc est, signum mortis ejus, quod super nos stat integrum, quando nobis morimur, et ei (29) vivimus, qui pro nobis mortuus est. Respergit enim nos quodam modo sanguis Christi, quando mortificationem ejus circumferimus in nobis [4], ut nullis mortalium voluptatum pluviis, sive tempestatum sæcularium imbribus (30) a nobis tergatur? Super nos siccans, nobis semper inhæreat, aspersusque nos tingat (31); non tingat tantum, sed suo sanguine mortificatos lavet (32). Semper omnia membra nostra suo sanguine lavare potest, qui crucis suæ signum in estis (33) nos-

[1] Joan. III, 5. — [2] Id. XIX, 34. — [3] Hebr. XII, 22-24. — [4] 2 Cor. IV, 10.

(1) Vide August. de Anima, lib. I, num. 2. — (2) Cod. *aspersionis... loquentis.* — (3) Id. *quorum.* — (4) Cod. I male *veneremus*; cæteri *veneramur*; idem deinde quoad verbum *adoremur.* — (5) Sic codd. IV et V; cod. I *præ.* — (6) Codd. *causas* — (7) Sic cod. IV; cod. I *magnarum solemnitatum adventu*; qui et deinde *compellamus*, pro *compellamur* quod habent codd. IV et V. — (8) Sic cod. V; cod. I *magni Paschæ, magnæ devotionis mentis*; cod. IV *magna Paschæ, magna devotione mentis.* — (9) Sic cod. I; codd. IV et V *aut.* — (10) Deest *et* in cod. IV. — (11) Sic cod. IV; codd. I et V *sanctitatis, quæ est castitas*, etc. — (12) Sic cod. V; cod. I *omnia.* — (13) Sic cod. V; cod. I *quæ... corrumpit*; cod. IV *quæ... fermenta corrumpitur*; bona item lectio, sed quæ ideo mala fit, quod idem codex verba inutilia addit dicendo *quæ est humanæ malitiæ quæ fermento corrumpitur*, ponitque deinde punctum interrogativum. — (14) Sic codd. I; cod. IV et V *mendacia.* — (15) Sic codd. I et IV; cod. V *odia.* — (16) Cod. IV male *vobis.* — (17) Cod. I semper male *renascamus.* Deinde cod. etiam *et pro ut.* — (18) Sic cod. V; cod. I non habet *enim.* — (19) Sic codd. IV et V; cod. I male *sit.* — (20) Sic codd. IV et V; phrasis integra deest in cod. I; cod. IV secunda vice habet *ergo* pro *quippe.* — (21) Sic cod. V; cod. I *movente.* — (22) Deest *et* in cod. IV. — (23) Sic codd. IV et V; cod. I *transcendes.* — (24) Codd. *crassatura.* — (25) Codd. *transcendantur*, qui et superius *defendamur.* — (26) Codd. *pascitur.* — (27) Sic cod. I; cod. IV *humectetur neque oblectetur.* — (28) Sic cod. V, qui deinde *vivamus*; deest *et* in codd. I et IV. — (29) Sic cod. V; cod. I *imbre*; cod. IV *umbra... tergatur.* — (30) Sic cod. IV; codd. I et V *tingunt.* Cod. I deinde *nos intingant*, pro *non tingant.* — (31) Sic cod. IV, quæ vox deest in cæteris codd. — (32) Cod. V *extibus*; cod. I *exitibus*; deinde omnes codd. *nos* pro *nostris.* — (33) Cod. I *transcendi defendamus*; cod. IV *transcendit. Defendamur et suæ*; cod. V *a morte mundum terratur, transcendendo defendamur.*

cœlis (1), cum suis congregemur ad cœlum, ipso donante qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat io sæcula sæculorum. Ameu.

SERMO LIV.

De Pascha XVI.

Idem est hic sermo, ac sermo CCXXIV, *apud Maurinenses, sed in pluribus diversus. Cum autem tales sint variantes lectiones, ut perpetuo occurrant, illum integrum stampis submittimus, ut a doctis possit cum editis attentius comparari. Ex hac comparatione evidenter patebit unum esse et eumdem sermonem a duobus notariis exceptum, quorum ex uno alter potest facile corrigi. Sit locus ejus in eumdem locum apud Edit., cum numero de Pascha* I.

SYNOPSIS.

I. Ad omnes sermo, sed præsertim ad baptizatos, ut a vitiis abstineant. II. Contra carnis peccatum. III. Citius fiat correctio.

I. An omnes quidem pertinet sermo quos cura nostra complectitur (2). Verumtamen hodie terminata sacrorum solemnitate vos alloquor, novella germina sanctitatis regenerata ex aqua et Spiritu, germen piom, examen novellum, flos nostri bonoris et sanctitas laboris, gaudium et corona mea; omnes qui statis in Domino, apostolicis verbis vos alloquor: « Ecce nox præcessit, dies autem » appropinquavit, abjicite opera tenebrarum, et ioduite » arma lucis; sicut iu die, honeste ambulate, non in » comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et » impudicitiis, non in contentione et æmulatione, sed » induite Dominum Jesum, et carnis curam ne feceritis » in concupiscentiis[1]; » et ut vitam habeatis quam sacramento induistis, » Quotquot in Christo baptizati estis, » Christum induistis[2]. » Si enim estis membra Christi, si cogitetis quod facti estis, omoia ossa vestra diceut: « Domine, quis similis tibi[3]? » Nou enim digne cogitari potest ista dignatio. Nonne omnis sermo sensusque deficit, venisse nobis gratuitam gratiam, non præcedentibus meritis, et ideo gratia dicitur (3), quæ gratis data est. Qui gratia? ut sitis filii, Dei membra, ut sitis fratres unici, sicut ille unicus; onde vos fratres. Quia ergo membra Christi estis, admoneo vos, audite me, qui me sciendi estis hodie. Timeo vobis (4) non tantum a Paganis, non tantum a Judæis, non tantum ab hæreticis, quantum a malis Catholicis. Eligite vobis in populo Dei, quos imitemini. Nam si turbam imitari volueritis, inter paucos angustam viam ambulantes, non errabitis (5). A rapinis, a perjuriis abstinete. Gurgites ebriositatis repellantur a vobis; fornicationem sic fugite, qoomodo mortem; mortem, non quæ animam solvit a corpore, ubi anima semper ardebit cum corpore.

II. Fratres mei, filii mei, filiæ meæ, sorores meæ, scistis (6) diabolum agere partes suas, nec quiescere loqui in cordibus eorum, quos ad suam partem reducendo transducit. Scio fornicatoribus, adulteris, qui cootenti non sunt conjugibus suis, dicere diabolum in cordibus eorum. Non sunt magna carnis peccata. Contra hanc diaboli susurrationem, debemos habere Christi incantationem (7). Id est unde Christianos decipit per carnis illecebram, cum eis facit leve quod grave est, sed mentiendo, non vere faciendo. Quid prodest quod Satanas facit leve, quod Christus ostendit grave? quid prodest quia leve tibi dicit diabolus, quod grave tibi dicit Dominus? illud est quod dixit in Paradiso: « Non morte moriemini. » Deus enim dixerat: « Quo die maoducaveritis morte moriemini[4]. » Illi autem contemnentes Deum præceptorem, passi sunt diabolum peremptorem. Venit inimicus, et ait: « Non » morte moriemini, sed aperientur oculi vestri et eritis » sicut dii[5]. » Dimissa est minatio Dei, et audita est promissio diaboli. Numquid profuit, quia dixit mulier: » Serpens me seduxit[6]? » numquid valuit excusatio, et non est secuta damnatio? Ideo vobis dico, fratres mei, qoi habetis uxores, ut nihil aliud ooveritis (8); qui non habetis, et ducere vultis, iotegri vos ad eas servate, sicut ipsi vultis integras ad vos venire; qui continentiam polliciti estis, retro oolite respicere. Ecce dixi vobis, ego absolvi me (9). Erogatorem me posuit Dominus, non exactorem. Et tamen ubi possimus (10), ubi datur locus, ubi conceditur, ubi sumus, corripimus, objurgamus, excommunicamos, anathematizamus (11), et tamen non corrigimus. « Quia neque qui plantat est aliquid, neque qui » rigat, sed qui incrementum dat Deus[7]. » Et modo quia loquor vobis, quia admoneo vos, opus est, ut exaudiat me Deus, et agat aliquid in silentio in cordibus vestris. Breviter dico, et hoc vobis commendo, et fideles terreo, et vos ædifico. Membra Christi estis; nolite me, sed Apostolum audire (12): « Tollens ergo membra Christi, » faciam membra meretricis? Absit[8]. » Sed dicere habet aliquis: Meretrix non est, quam habeo, sed coocubioa mea. Verum dicis, qui hoc dicis? Habes oxorem, qui hoc dicis? Et ille: Habeo, inquit. Illa ergo, velis nolis, meretrix est. Sed servat forsitan tibi fidem, et non novit nisi te unum, et non disponit se nosse (13) alium. Cum ergo illa sit casta, tu quare fornicaris? Si illa unum, tu quare duas? noo licet. In gehennam eunt qui hoc faciunt, igne sempiterno ardebunt, qui ista faciunt.

III. Corrigant se, qui tales sunt, dum vivunt. Subito venit mors, et non est qui corrigatur! et quando veniet novissima hora nescitur. Cum dicitur cras, cras, fit (14) vox corvina, et subito venit ruina. Vadat, et non redit. Fugite ergo voces corvinas, ne opprimat vos ruina (15). Sed vos me audite, baptizati; vos me audite, infantes in Christo regenerati (16). Obsecro vos per nomen quod invocatom est super vos, per illod altare ad quod accessistis, per sacramenta quæ accepistis, per judicium futurum vivorum et mortuorum, obsecro vos, adjuro et obstringo per nomen Christi, ut non (17) imitemini eos quos tales esse cognoveritis, sed ad meliora accedite, ut sine fine regnetis.

[1] Rom. XIII, 12-14. — [2] Galat. III, 26, 27. — [3] Psal. XXXIV, 10. — [4] Gen. III, 4, 5. — [5] Ibid. — [6] Ibid. — [7] I Cor. III, 7. — [8] Id. VI, 15.

(1) Sic opinando correximus; omnes enim aberrant codices; cod. I *suæ fulgore descendentia suis cum suis*; cod. V *et in divinitatis suæ fulgore descendentia sui, cum suis*. — (2) Hæc et sequentia usque ad finem textus Scripturæ leguntur in Serm. Append. CLXXXI, num. 1, versus medium. — (3) *Dicitur* deest in cod. — (4) Cod. male *vos*. — (5) Evidenter hic desunt aliquæ voces, verbi gratia *si turbam imitari volueritis*, extra viam declinabitis; sed *angustam* Edit. non bene *ambulantes non eritis*. — (6) Cod. *scias*. — (7) Edit. pessime *incarnationem*. — (8) Cod. male *nihil adnoveritis*. — (9) Cod. male *te*. — (10) Cod. male *nobis ponet*. — (11) Edit. non bene *anathemamus*. — (12) Edit. male *audite*. — (13) Cod. male *esse*. — (14) Cod. male *sit*. — (15) Cod. male *mina*, et sic deinceps. — (16) Cod. male *regnantis*. — (17) Desunt voces *ut non* in cod.

SERMO LV.

In die Paschæ XVI.

Habetur hic sermo in duobus Codd. Cass., nempe cod. xi, *fol.* 220, *et cod.* cxxiii, *fol.* 137. *Ambo sancti Augustini nomine prænotantur, et nihil obstat quin beato tribuantur doctori. Locus ejus post sermonem primi Supplementi* xxxv, *cum numero in die Paschæ* xxi.

SYNOPSIS.

I. Dies Paschæ gaudia, ex resurgentibus mortuis et renascentibus baptizatis. Varia ejus nomina. II. Dies dicitur Dominicus. III. Item dies panis. IV. Dies lucis. V. Sobrie lætandum.

I. Fratres charissimi, quam speciosa et gratiosa (1) hodie Ecclesia nobis enituit, et totius diebus anni clarior dies hodiernus refulsit, non de usitati solis curriculis illuminata præclarius, sed de lumine Agni resurgentis illustrata sublimius! Hodie enim Sol justitiæ, Christus ascendit, evangelizatis Sanctorum animis, ab inferno elevans secum corpora Sanctorum. Tanquam chorus siderum spiritualium, enituit Jerusalem, in qua visi sunt resurgentes; enitescit Ecclesia in qua præfulgent renascentes. Et illi testes solis resurgentis (2); isti testes solis, in aqua et Spiritu baptizati. Et idcirco pulsemus citharam David, canentes: « Hic est dies quam fecit Domi» nus; exultemus et jocundemur in eo[1]. » Contemplemur hunc diem, qualem noctem habuerit genitricem. Nox quæ cœlum luminaribus imitatur; imo in qua ornatior cœlo terra lætatur; nox bonæ parturitionis; nox sanctæ regenerationis. Geminum noctis hujus video uterum quia et geminum agnosco partum. Commovit tunc nox ista uterum, parturiendo corpora resurgentium; commovit nunc vulvam suam, renovando animas innocentium. Nox de qua dicitur: « Et nox tanquam dies illuminabi» tur[2]. » An ipsa est dies, quam fecit Dominus? Alii dicunt, Dies Dominicus, alii dicunt, Dies panis, alii dicunt, Dies lucis. De hac tripartita diei nuncupatione, producamus gaudiosum (3) tubæ clamorem. Dies Dominicus, dies, inquam, regalis, in quo imperator ascendit ab inferis. Hesterno die agonizabamur, tanquam sperantes regem; hodie lætamur suscipientes imperatorem. Et ideo hesternus dies non fuit jejunationis. Numquid aliquis in se sensit jejunii laborem? Sed omnes tanquam in adventum judicis sibi parabant litæ refectionem, quemadmodum si judex speretur ad patriam. Nonne ordines, viri, principes civitatis, plebs quoque, dum meditantur cantica in occursum judicis venientis, longius per momenta a portis procedunt? et dum sperant, jejunant; dum jejunant, refectionem parant. Sic hesterne, veluti in expectatione judicis, salutaria agonizabamur parando, sed delectabamur jejunando. Suscepimus regem, et reficimur (4) gratis salutari.

III. Et recte dies dicitur panis, quia in eo novimus resurrectionem cœlestem. Hodie enim processit panis in veritate, qui sicut crystallum mittebatur de nubibus prophetiæ. Clamat enim David in voce Psalmi, dicens: « Qui emittit crystallum suum, sicut frusta panis[3]. » De ore enim Prophetarum, tanquam de nubibus sanctis, descendebat niveis velleribus crystallum spiritale, ut frusta panis consumptæ prophetiæ integrum sacramenti facerent (5) panem. Splendebat elapsum crystallum de ore prophetantium, et salutare panificabatur nobis verbum crystallica prophetiæ fermentatione formatum. Destitit jam crystallum prophetiæ, et paratum nos gustavimus panem, et gustando ipsum panem, non sicut Adam vidimus nuditatem, sed nuditas nostra tecta est per hujus diei claritatem.

IV. Et recte dies dicitur lucis (6), in quo fugerunt tenebræ cæcitatis. Exclamaverunt, qui erant in tenebris, quia lumen viderunt magnum. Et « Qui erant in regione » umbræ mortis, lux orta est eis[4]. » Lætetur terra, quia vidit novam lucem; lætentur Angeli, quia donavit Dominus peccatoribus claritatem. Contremuerunt inferni, insolitum sustinendo splendorem; et incurvatum est omne genu Christo Domino, cœlestium, terrestrium et infernorum[5]. Omnia ergo nobiscum hodie contriumphant. Angelorum apparitio festa nobiscum solemnia celebrat. Angeli, Throni, Dominationes, Cherubim et Seraphim lætitiæ choros ducunt, dum (7) nos tractamus Paschæ mysterium. Immutatur hodie in Angelis splendor, non vestium, sed canticorum. Et nos mutavimus cantilenam cantantes alleluia; et Angeli immutant cantilenam, cantantes cantica cœlestia, quæ humana adhuc cantare non potest lingua.

V. Ideo « Lætentur cœli et exultet terra[6]. » Exultemus in Domino, sed in tremore, non remissa securitate; quia beatus Joannes præcursor exultavit in utero matris; sed vinum non bibit, præceptor Archangeli Gabrielis. Nos autem, quia infirmi sumus, sobrie bibamus. Modum non excedamus, ut lætitia nostra cum moderatione, nullam sentiat corporis passionem (8), sed per sobrietatis serenitatem, portum intremus salutarem. Accepimus jejuniorum palmam, festivitatis non amittamus victoriam; quam nobis tribuat Dominus Christus adjuvando, qui vicit in nobis patiendo, ut digno carmine triumphemus, cantantes (9): « Absorpta est, Mors, victoria tua. Ubi » est, Mors, aculeus tuus? ubi est, Inferne, victoria tua[7]? » Quia captivata est captivitas tua[8], omnes cantemus alleluia, et idcirco, propter diei lætitiam, convertamur ad Christi clementiam, etc.

SERMO LVI.

In die Paschæ XVII.

Educitur hoc sermonis fragmentum ex iisdem Codd. Cass., ac præcedens, nempe cod. xi, *fol.* 221, *et cod.* cxxiii, *fol.* 138. *Locus ejus post præcedentem cum numero in die Paschæ* xxii.

SYNOPSIS.

I. Lætitia festi Paschæ. II. Judæ, Petri et Latronis comparatio.

I. Domini resurrectio induxit mundo lætitiam. Quanto fulget in aspectu, tanto fervet in affectu. Vetus homo migravit, novus homo advenit. Prævaricatio Adæ confusa est, cum gratia Christi donata est. Dudum catena

[1] Psal. cxvii, 24. — [2] Id. cxxxviii, 12. — [3] Id. cxlvii, 17. — [4] Isai. ix, 2. — [5] Philip. ii, 10. — [6] Psal. xcv, 11. — [7] I Cor. xv, 54, 55. — [8] Ephes. iv, 8.

(1) Codd. *gratuita*. — (2) Codd. *resurgentes*. — (3) Codd. *gaudiorum*. — (4) Codd. *reficimus... gratiam salutarem*. — (5) Cod. *faceret*. — (6) Deest *lucis* in cod., sed male. — (7) Cod. cxxiii *et dum*, minus bene. — (8) Sic cod. xi; cod. cxxiii male *potestatem*. — (9) Vide August. Serm. cccxxxiii, num. 8, et Serm. cclvi, num. 2.

erroris trahebat animas miserorum; nunc charitatis vinculum redemptos ducit ad cœlum. Erubuit diabolus in furoribus suis. Christus occiditur, et mundus ab erroribus liberatur. Christus resurgit, et hostis evanuit. Miracula virtutum apparuerunt, non ut homines perfidi confunderentur, sed ut perditi redimerentur. Quantum mœret luctibus synagoga Judæorum, tantum jucundatur Ecclesia Christianorum. Triumphemus in Christo, quia nobis donavit misericordiæ medicinam, per lignum. Per lignum tropæa gloriosa (1).

II. Judas vendidit Dominum suum; Petrus negavit Magistrum; Latro confitetur Christum. Judas desperavit, Petrus titubavit (2); Latro Paradisum meruit. Inter traditorem mercatoremque sanguinis Christi, et negatorem Magistri, et confessionem Latronis, signaculum meruimus Redemptoris. Sufficiant Charitati vestræ, quæ pro eruditione vestrarum (3) animarum dedit Dominus Deus.

SERMO LVII.

In die Paschæ XVIII.

Sermo sequens legitur in Bibl. Laur., Plut. XIII, *fol.* 150, *et etiam commemoratur inter Codices Venetianos Catalog. fol.* 50, *cod.* LXIX, *fol.* 230 *b. Talia sunt ejus doctrina et dicendi modus, ut ad sanctum Augustinum non improbabiliter referatur, cum præsertim in utroque codice nomen ejus præferat. Ponatur post præcedentem cum numero in die Paschæ* XXIII.

SYNOPSIS.

I. De resurrectione Christi dicturus orator, terretur difficultate sermonis. II. Christus resurgens, nobis viam aperit resurgendi, comparaturque phœnici et grano tritici. III. Christus resurgens, leo et catulus leonis, nos vocat ad resurgendum. IV. Christi resurrectio figuratur per Eliseum, quando ejus ossa suscitaverunt mortuum. V. Eliseus suscitando filium Sunamitidis repræsentabat Christum, Giezi Moysen, et baculus Elisei legem. VI. Paschale festum cum lætitia celebrandum est, non mundana, sed sancta, et præsertim renovatione vitæ. VII. Modus celebrationis Paschæ judaïcæ, figura modi celebrationis Paschæ christianæ. VIII. Tali celebratione merebimur intrare in regnum cœlorum.

I. Resurrectionis Dominicæ veneranda solemnitas cunctis hodie per orbem gloriosa resplenduit; cujus quanta sit dignitas, quantaque majestas non est opus nostri sermonis patrocinio prædicari. Neque enim hoc habent cæteræ festivitates. Non (4) in aliqua tantum mundi parte celebris habetur, nec aliquibus quasi peculiaris lætitia inducitur eam (5) recolendi; sed totum quidquid usquam cernam, complectitur, totum tenet ac possidet, et generali quodam gaudio cœlum, terras, tartarumque perlustrat. Non ergo, ut dicimus, mortalis linguæ eget commendatione, quæ per se cœlesti est prædicata virtute. Succumbit enim ejus celsitudini humanæ vocis præconium, quæ laudibus ineffabiliter extollitur Angelorum. Ne tamen hujus sanctæ multitudinis devotionem et fidelissimam pietatem debita verbi divini consolatione fraudemur, conemur aliquid de tanta loqui festivitate; quia etsi mirari possumus, digne tamen de ea aliquid dicere non possumus.

II. Resurrexit hodie Christus. Exultet universus mundus. Par enim est, ut sicut omnis creatura luctivago doluit ploratu in morte Creatoris sui, sic gaudeat in resurrectione Domini sui, et quæ funere non obstante (6) prosecuta est exequias in cruce morientis (7), nunc triumphalem ab inferis reditum læta (8) suscipiat resurgentis. Christi enim hominis resurrectio maledictum solvit antiquum, quod per Adam ad omnes ejus posteros tristi mortis sententia decurrit: « Terra es et in terram » ibis[1]. » Ecce surrexit ab antro sepulcri rediviva caro phœnicis, quam cinnama decoxerant pietatis; granum frumenti, quod solum in terra mortificatum est in passione, multum fructum attulit in resurrectione[2]. Mortuus enim est solus, sed solus minime surrexit; nam ad inferna descendens, inferorum claustra abstulit, eumque qui habebat mortis imperium superavit (9), et quos servos (10) reperit, victor exemit (11), sicque spoliato tartaro, cum sanctorum multitudine resurrexit. Quorum enim sepulcra in ejus passione sunt patefacta, horum corpora, Christo resurgente, sunt de pulvere suscitata. Decebat enim ut ille primus resurgeret, deinde illi, sicut apostolus Paulus dicit: « Jesus resurrexit a mortuis, » primitiæ dormientium[3], » et sicut (12) cum Domino resurrexerunt, ita cum eo ascendente et ascendisse creduntur.

III. Ferunt autem physici natum leonis catulum tribus dormire diebus, tandem die tertia magno parentis rugitu excitatum exurgere. Solet vero divina Scriptura Christum catulum appellare leonis. Denique Jacob patriarcha sub hoc typo (13) de Christo vaticinatus est: « Catulus leonis Juda; ad prædam, fili mi (14), ascen- » disti; requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna, » quis suscitabit eum[4]? » Christus enim quasi leo in passione accubuit, et in morte requievit, quia alacriter et magnæ constantiæ fiducia, passionis agonem peregit, utpote qui ipsam mortem in potestate (15) habuit. Non necessitate, ut cæteri homines, sed voluntate, mortem suscipiebat. Collocatus est ergo in sepulcrum (16) subjectus. Triduo, quasi leo robustus atque imperterritus, jacuit, securus de mox futura resurrectione. Sed « Quis » suscitabit eum? » Quis enim pater validissimo rugitu a somno illum excitavit (17) mortis? Qualis vero fuerit iste rugitus Psalmista docet in Psalmo, ex persona Patris loquens ad Filium: « Exurge, gloria, exurge psal- » terium et cithara[5]. » Exurge, inquit, fili, qui es gloria mea, et tuum exurgat psalterium et cithara, id est, omnium chorus virtutum. Moxque illi respondet: « Exur- » gam diluculo[6]. » Mane prima enim sabbati, Dominus resurrexit, et nobis membris suis spem resurgendi quandoque donavit. Omnes siquidem fideles verissime credunt membra se esse Christi, qui est caput corporis Ecclesiæ[7]. Si ergo membra Christi sumus, liquet profecto, quia cum eo moriente mortui sumus, cumque eo surgente surreximus, Apostolo dicente: « Si mortui sumus cum » Christo, credimus quia simul vivemus cum ipso[8]; » et iterum: « Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum » sunt quærite[9]. » Omnium enim revixit saluti, qui pro omnium peccatis addictus est passioni.

IV. Omnium quidem est miraculum surrectio Salvatoris, sed multiplicibus figurarum symbolis in Sancto-

[1] Gen. III, 19. — [2] Joan. XII, 24, etc. — [3] I Cor. XV, 20. — [4] Gen. XLIX, 9. — [5] Psal. LVI, 9. — [6] Ibid. — [7] Coloss. I, 18. — [8] Rom. VI, 8. [9] Coloss. III, 1.

(1) Sic cod. CXXIII; eadem verba habet cod. XI, sed illa radiavit. — (2) Vide August. Serm. CCLXXXV, num. 2, et Serm. CCXXXII, num. 6. — (3) Cod. *eruditionibus animarum*. — (4) Deest *non* in cod., sed male. — (5) Deest *eam* in cod. — (6) Cod. *noctis obstauro*. — (7) Cod. male *intrare monentis*. — (8) Cod. male *loca*. — (9) Cod. *superat*. — (10) Cod. *suos*. — (11) Id. *vir victorem emit*. — (12) Cod. male *si*. — (13) Deest *hoc* in cod. — (14) Cod. male *filii mei*. — (15) Cod. *in potestatem*. — (16) Id. *in sepulchro*. — (17) Id. *excitans*.

rum actibus ab ipso est, nascentis mundi exordio, præsignata. Ut enim uno de multis utamur exemplo, Eliseum prophetam accipimus jam defunctum, jam tumulo (1) conditum, suscitasse mortuum. « Cum enim cadaver defuncti ad sepulcro ferretur, territi funeris bajuli repentino latronum superventu, projecerunt cadaver hominis in sepulcrum (2) Elisei; quod ut tetigit ossa ejus, revixit homo, et stetit super pedes suos[1]. » Quem in hoc facto Eliseus, qui interpretatur Deus meus Salvator, quem (3) alium, nisi Dominum designat Salvatorem, qui humano generi resurrectionem sua morte largitur, et vitam sepultus paravit?

V. Igitur quia Elisei prophetæ semel fecimus mentionem, aliquod quoque factum ejus, non tam mirum, quam mysticum, breviter nos retexere non pigeat. Cum enim, absente Eliseo, filius Sunamitidis mulieris fuisset defunctus, et mater ad eum profecta, miseræ orbitatis querelis sanctum virum obrueret, ille Giezi puerum suum cum virga misit, præcipiens ut super cadaver exanime virgam poneret. Sed cum mortuum non amurgera (4) idem Giezi viro Domini nuntiasset, venit ille, et, sublata virga, incurvavit se super puerum, et reversa pueri est anima in viscera ejus, et revixit[2]. Quid in hoc facto mirabili Eliseus, nisi Dominum Salvatorem præmonstrat? Quid Giezi, nisi Moysen designat, qui « In omni domo ejus fidelissimus fuit[3]? » Quid vero virga, nisi legem designat? Misit Eliseus Giezi cum virga; misit Dominus cum lege Moysen; quæ peccantes severissima ultione feriret. Posuit Giezi virgam super puerum mortuum, et Moyses legem peccatis opposuit; sed mortuus non resurrexit; quia lex Moysi peccata ostendere potuit, non sanare. Venit postea Elyseus (5); virgam sustulit, super mortuum se inclinavit; quia illa majestas, illa ineffabilis gloria, Filius videlicet Dei, æqualis Patri, ad terras descendit, servitutem legis abstulit, gratiam misericordiæ et pœnitentibus prærogavit, formam accepit servi, contemperavit se per omnia nostræ fragilitati, ipsam quoque mortem, quam peccatum induxerat, absque peccato suscepit. Sed morte sua mortis imperium destruxit, et die tertio resurgendo, carnem jam immortalem atque incorruptibilem (6) de sepulcro levavit.

VI. Exultemus ergo, fratres, in Domino, et mortis triumphatori mentis gaudio (7) omnique sensuum jubilo gratias agamus, « Qui nos de tenebris vocavit in admirabile lumen (8) suum[4], et de potestate diaboli erutos transtulit in regnum filii (9) claritatis suæ[5]. » Sed hæc nostra lætitia non debet similis esse mundanæ vel sæculari lætitiæ, nec more vulgaris turbæ plausibus insanis et luxuriosis exagitari conviviis. « Etenim, ait Apostolus, Pascha nostrum immolatus est Christus[6]. » Cum ergo Christus sit nostrum Pascha sanctum et divinum, sanctis et divinis gaudiis est (10) celebrandum. Ait alibi idem Apostolus: « Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram[7]. » Ergo et « Nos spiritalibus spiritalia comparantes[8] (11), expurgemus vetus fermentum[9], » id est, « Exuentes veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis[10]. » Contemnemus igitur mundum, et cuncta terrena et humo jacentia despiciamus, et enitamur ad ea quæ sursum sunt; omnemque nostram intentionem ad æterna et cœlestia dirigamus, et cursu prompti, de hujus peregrinationis exilio ad Paradisum, illam nostram felicissimam patriam festinemus, ubi concives Angelos, ubi sanctos omnes socios et consortes inveniemus. Nam Pascha hebræa lingua, Transitus dicitur esse latina. Ergo, fratres, transeamus de vitiis ad virtutes, de temporalibus ad æterna, de caducis ad perpetua. Tali enim modo Hebræi dici et esse merebimur; quia Hebræus, Transitus interpretatur. Et tunc digne Pascha celebrare poterimus, si hunc transitum in nobis ipsis perficere studuerimus.

VII. Modus sane quo Pascha solemnizandum sit, in lege Moysi Judæis præscribitur observandus, sed et nobis, si spiritualiter verba ipsa discutiamus, quid agendum et qualiter verum Pascha celebrandum sit nihilominus intimatum est. Ait enim inter cætera: « Sic autem comedetis (12) illud, » haud (13) dubium Pascha; « Renes vestros accingetis, calceamenta (14) habebitis in pedibus vestris, tenentes baculos in manibus, et comedetis festinantes[11]. » Qui ergo Pascha digne vult agere, renes cingat, hoc est, placita carnalium voluptatum, castitatis zona coërceat. Calceamenta in pedibus habeat, hoc est, sanctorum patrum exemplis gressus suorum operum muniat, quo impedimento obviantium tentationum, tanquam asperitates itinerum, illæsus pertranseat, et (15) venenata animalia calcaneo nostro insidiantia, securo pede proculcans, innocuus evadat. Baculum in manu teneat, hoc est, pastorali moderamine sibi et his quibus præest, invigilare satagat. Considerandum vero attentius quod sequitur: « Comedetis festinantes; » præcepta enim dominica non desidiose (16) aut negligenter, et quasi transeundo sunt audienda, sed studiose memoriæ commendanda, et tota boni operis festinatione implenda sunt. Scriptum est enim: « Maledictus qui facit opus Domini negligenter[12]. » Hoc per Prophetam de conversis gentibus, et panem Verbi Dei summa aviditate gustare quærentibus dicitur: « Aperient ora sua (17), sicut pauper edens in occulto[13]. »

VIII. Taliter ergo nobis Pascha celebrantibus, ipse quoque Dominus ac Redemptor noster nostris gaudiis delectabitur interesse, ipse sacrosanctum corpus suum corpori, nobis videlicet, dignabitur salubriter ministrare. Curemus ergo hæc, qui (18) summæ huic festivitati Dominicæ resurrectionis intersumus, ne ab illo cœlestis lætitiæ gaudio separemur. Quid enim proderit interesse festis hominum, si, quod Deus avertat, deesse contigerit (19) festis Angelorum. Omnia quæ temporaliter celebramus, imago quædam sunt illius supernæ solemnitatis, et gaudii quod ab Angelis in cœlis colitur, non anniversarii temporis recursu, sed continuo semper manentis lætitiæ statu. Nam et ideo resurrectionem Domini, vel reliquas solemnitates celebramus, ut his admonitus animus, illam æternæ Patriæ beatissimam felicitatem cogitare incipiat, ubi est plena et perfecta lætitia et gaudium indeficiens; quia nullus timor deterret, nulla sollicitudo confundit, ubi requies secura, securitas certa et omni delectatione plenissima. Ibi dicetur: Cerno Regem nostrum ad paternæ majestatis dexteram consedentem; tuncque ad thronum gloriæ ejus cum fiducia poterimus accedere, in quo carnem nostram immortalem

[1] 4 Reg. XIII, 21. — [2] 4 Reg. IV, 8, et seqq. — [3] Hebr. III, 5. — [4] 1 Petr. II, 9. — [5] Ephes. I, 13. — [6] 1 Cor. V, 7. — [7] Coloss. III, 1. — [8] 1 Cor. II, 13. — [9] Id. V, 7. — [10] Ephes. IV, 22-24. — [11] Exod. XII, 11. — [12] Jerem. XLVIII, 10. — [13] Habac. III, 14.

(1) Cod. *tello.* — (2) Cod. *in sepulcro.* — (3) Cod. male *quare.* — (4) Cod. *assequeret.* — (5) Vide August. Serm. XXVI, num. 11; contra duas litteras Petiliani libri IV, num. 11; Serm. XLIII Append., num. 6. — (6) Cod. male hic iterat *jam.* — (7) Cod. absurde *mecio.* — (8) Id. *nomen.* — (9) Cod. ubique *sumu filium in regnum claritatis suæ.* — (10) Cod. *esse.* — (11) Id. *cooperantes.* — (12) Cod. per errorem *commendetis.* — (13) Cod. *aut.* — (14) Id. *calciamenta,* et sic deinceps. — (15) Deest *et* in cod. — (16) Cod. male *desidione.* — (17) Vide quoad hunc textum sancti Hieronymi Commentarium in istud Habacuc verbum. — (18) Verba *hæc qui* desunt in cod. — (19) Cod. *contingerit.*

jam atque deificam, subjectis virtutibus et potestatibus videbimus imperare. Ipse enim est Deus, Dei Filius, ipse « Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus[1], » qui « Mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram[2], » cui est cum Deo Patre laus et benedictio in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LVIII.

In die Paschæ XIX.

Videtur hic sermo sequelam esse præcedentium, et habetur pariter in duobus Codd. Cass., nempe cod. XI, *fol.* 222, *et cod.* CXXIII, *fol.* 139 *b. Sufficit illum legisse, ut clare concludatur hunc a sancto Augustino fuisse pronuntiatum. Locus ejus post præcedentem cum numero in die Paschæ* XXIV.

SYNOPSIS.

I. Lætitia sequitur tristitiam. II. Recens baptizati immaculatum teneant munus quod acceperunt.

I. Lætemur ergo, dilectissimi et exultemus in Domino. Hodie enim nobis data est a Domino lux salutis, secundum illud quod idem Psalmista in consequentibus ait : « Dominus Deus, et illuxit nobis[3]. » Et quod adhuc addidit : « Constituite, inquit, diem solemnem in con» frequentationibus (1), usque ad cornua altaris[4]. » Completum etiam hoc hodie in Ecclesia Dei video. Nam cum usque ad cornua altaris omnia religiosis conventibus plena sint, ipsam Scripturam sacræ Ecclesiæ plenitudo complevit. Dies ergo hic, dilectissimi, dies est resurrectionis et vitæ. Fecit eum per quadragesimam gratiorem delectabilior fidei gratulatio, quia ad tristitiam reorum juncti sunt dies remissionum, ut patientiam utique statim remuneratio consequatur, secundum illud : « Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent[5]. » Quicumque ergo seminastis in lacrymis, capite præmia exultationis. Sciat se unusquisque, quo majora seminaverit semina fletuum, majores fructus capere gaudiorum. Species ergo futurarum (2) beatitudinum jam in præsentibus continetur. Sicut enim nunc est relaxatio post districtionem, sic in futuro erit requies post laborem (3).

II. Unde, obsecro, dilectissimi, cum universa Ecclesia, præcipue vos, qui in novam salutem regenerati candida indumenta sumpsistis, ut munus, quod accepistis, purum immaculatumque teneatis, ut nitorem vestri habitus etiam in conversatione servetis, et tam candida sint corda vestra, quam vestimenta vestra. Audistis Evangelistam dicentem hodie, quod quicumque in Deum credunt, hi filii Dei sunt. « Dedit enim, inquit, eis po» testatem filios Dei fieri, his qui non ex sanguinibus, » neque ex voluntate (4) carnis, neque ex voluntate » viri (5), sed ex Deo nati sunt[6]. » Ergo et vos non estis ex carnis conceptu editi, sed ex Deo Patre generati. Superest ut conservetis per sanctam vitam et conversationem, sanctæ originis dignitatem. Et vere juxta id quod Apostolus ait : « Sicut modo geniti infantes rationabiles, » sine dolo, lac concupiscite, ut in eo crescatis in salu» tem[7]. Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, » custodiat corda vestra et corpora vestra[8], » per Dominum nostrum Jesum Christum, cui est honor et gloria, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LIX.

In die Paschæ XX.

Habetur hic sermo in Cod. Cass. CXVI, *fol.* 244, *cum nomine sancti Augustini, cui perfecte competit. Locus ejus post præcedentem cum numero in die Paschæ* XXV.

SYNOPSIS.

I. Christus apparens Discipulis eorum fidem confirmavit. II. Petri triplex amoris confessio. III. Ut triplicem expiaret negationem.

I. Quantum nos recitatæ Evangelicæ lectionis textus docuit, hoc in loco tertio apparuit Jesus Discipulis suis, postquam resurrexit a mortuis, qui cum pranderet dixit ad Petrum : « Simon Joannis, amas me? dicit ille : Do» mine, tu scis[9]. » Assidua ergo Domini nostri Jesu Christi post resurrectionem præsentia, majorem fiduciam credulitatis dedit. Nam humanæ infirmitati consulens Deus, sæpius se Discipulis suis voluit exhibere, ut de resurrectione eisdem nihil dubitationis afferret. Frequens enim conspectus Domini plenum judicium veritatis effecit, et licet plurimum ad fidem sufficeret semel ipsum fuisse (6) visum ; tamen, quo resurrectionis suæ manifestius testimonium proderet se (7) in Apostolorum suorum intulit frequenter aspectum. Non enim Apostolos suos præsentiæ suæ celebritate perstrinxit, sed præsentia conspectus sui satiavit, ut cum his escas ederet, non quasi indigens cibo (quid enim jam necessarium corpori redivivo?); sed ut manifeste ex mortuis resurrexisse monstraret, cum ea, quibus vita humana sustentatur, alimenta perciperet. De qua re in Actibus Apostolorum scriptum est : « Per quadraginta dies, inquit, postquam » resurrexit a mortuis, manducaverunt cum illo ; nos tes» tes sumus[10]. » Et tam jugis Domini et tam continua post resurrectionem præsentia, et fidei credulitatem addidit et locum perfidiæ denegavit.

II. Sed prætermittendum nullo genere est, quod Dominus noster Jesus Christus hanc Evangelii partem ita complexus est dicendo : « Simon Joannis, amas me[11] ? » Quam interrogationem trina propositione dilatavit. Quid est ergo quod Dominus Petrum ter scrutari voluit ; et responsum (8) sibi a Petro voluit ter adhiberi. Hoc loco sic Petrum Dominus interrogat (9), quasi qui secretum humanæ cogitationis ignoret. Qui (10) dixerat : « Quid » cogitatis in cordibus vestris nequam[12] ? » et alibi : « Vi» dens Jesus cogitationes eorum[13], » qua causa Petrum, utrum ab eo diligeretur, trinæ vocis officio tentat (11) cum divinarum partium fuerit cuncta præscire? Scrip-

[1] I Tim. II, 5. — [2] Rom. IV, 25. — [3] Psal. CXVII, 22. — [4] Ibid. — [5] Psal. CXXV, 5. — [6] Joan. I, 12. — [7] I Petr. II, 2. — [8] Philip. IV, 7. — [9] Joan. XXI, 17. — [10] Act. X, 39-41. — [11] Joan. XXI, 17. — [12] Matth. IX, 4. — [13] Luc. IX, 47.

(1) Vide August. Enarrat. in Psal. CXVII, num. 22, ubi eadem versione utitur. — (2) Sic cod. CXXIII; cod. XI male *futurorum*. — (3) Sic cod. XI; cod. CXXIII *labores*. — (4) Sic cod. CXXIII; cod. XI *voluptate*, et sic deinceps. — (5) Vide August. Serm. CXXI, num. 4. — (6) Desunt in cod. voces *ipsum fuisse*, quæ necessaria sunt, nisi legas *semel visus*. — (7) Deest *se* in cod. — (8) Cod. *responsurum*, sine particula *et*. — (9) Deest *interrogat* in cod. — (10) Cod. *et*. — (11) Deest *tentat* in cod.

tum est, quia « Deus scit quid sit in homine[1]; » et ipse alibi dicit : « Ego sum perscrutans renes et corda[2]. » Quomodo ergo de Petro, utrum in amorem Dei esset expensus, exquirit? Neque enim fieri poterat, ut Petrus eum Deum esse, probata sibi ejusdem resurrectione, non crederet, quem ante passionem et Christum esse et Dei Filium crediderat (1); dixerat enim : « Tu es Christus, filius Dei » vivi[3]. » Dein quia majoris sui amoris erga Dominum dederat (2) documenta non minima, ei (3) se usque ad mortem comitem pollicetur. Hanc ergo hoc in loco Petri dilectionem vult Dominus habere compertam, quam jam plurimis documentis Petrus dederat comprobatam. Non ergo frustra dilectionem suam ter Dominus proposuit, nec sine causa ter Petrus, quod Dominum amaret, simili ratione respondit. Non ergo hic vel scientiæ, vel ignorantiæ locus est, quod (4) Dominus Petrum frequenter interrogat. Nihil est enim quod divinam possit latere virtutem, quæ dicit : « Priusquam te formarem, novi te[4]. » Et Apostolus ait : « Quos præscivit, et prædestinavit, » et quos prædestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, » hos et sanctificavit[5]. » Mirum (5) ergo, quod probari sibi voluit in voce, qui sciret quid Petri versabatur in pectore.

III. Non ergo hic Dominus propter amorem proprium Apostolum suum trina interrogatione examinat; sed quia Petrus nodum trinæ negationis astrinxerat sub ipsa Domini interrogatione (6), ideo ter interrogatur post resurrectionem a Christo, ut cum trina confessione crederet, quem sub ipso tempore passionis tertio negasset. Ipso itaque numero confessionis Apostolum suum Dominus voluit esse absolutum, quem trinæ perfidiæ noxa fecerat religatum. Et quia dixerat : « Qui me confessus fuerit » coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre » meo qui in cœlis est[6]; » propter confessionem nominis sui, apostolum Petrum Christus Dominus noster voluit reformari, ut eum ipse possit coram Patre suo et Angelis confiteri.

SERMO LX.

De secunda feria Paschæ.

Pulcherrimus hic sermo educitur ex Cod. Cass. XII, fol. 182, cum nomine sancti Augustini, et ejus doctrinam ubique repræsentat, ut ex notis apparebit; plura tamen adsunt quæ ad sanctum Chrysostomum accedere videntur, tum ex sermone de Cruce et Latrone, tum ex homil. XI in Luc., tum ex tractatu de Zelo et Pietate. Similia etiam reperiuntur in sermone, qui legitur in appendice de Passione. Hic codex noster amanuensis ignorantia, innumeris refertur mendis, quæ sæpius opinando tentavimus resarcire; utrum feliciter judicabit lector. Licet propter occurrentiam sententiarum ex Chrysostomo desumptarum dubius aliquantulum videatur, tamen illum rejicere non audemus. Hinc sit locus ejus post præcedentem.

SYNOPSIS.

I. Apparentes sunt tantum Evangelistarum diversitates. II. Apostolorum quam imperfecta fides. III. Discipulorum Emmaus dubitatio confessioni Petri opposita. IV. Et Latronis fides Christum morientem agnoscentis. V. Christi ad ætatem maturam pervenientis dolores; quibus cuncta expiantur membra. VI. Latro primus habuit promissionem Paradisi. VII. Cur tali gratia donatus est. VIII. Conclusio.

I. Per istos dies sanctæ Paschæ, sicut novit charitas vestra, fratres, resurrectio Domini secundum omnes Evangelistas solemniter recitatur (7). Sic enim narrationes suas conscripserunt, ut aliqua pariter dicerent, aliqua vero alius prætermitteret, nemo tamen a veritatis concordia dissonaret. Omnes dixerunt Dominum crucifixum, sepultum, die tertia resurrexisse; quomodo autem apparuerit Discipulis, quia multis modis apparuit, alii alia dixerunt, quæ alii prætermiserunt; omnes tamen veritatem conscripserunt.

II. Ecce in nocte præterita vigiliarum lectum est, si meministis, Dominum apparuisse post resurrectionem mulieribus, quas primo ipse salutavit dicens : « Avete. » At illæ accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et deprecabantur eum[7]. » Item hodie lectum est, quod apparuerit duobus ex Discipulis suis ambulantibus in viam : « Ambulabant enim cum eo, et non cognoscebant eum; » oculi enim eorum tenebantur, ne eum agnoscerent[8]; » sed ad panis fractionem cognitio servabatur (8). Venit enim cum illis; susceptus est ab eis hospitio; benedixit panem, et fregit, et agnoverunt eum. Sic agnoscitis Christum, qui creditis Christum. Consideret autem charitas vestra, quales fuerint omnes Discipuli ante Domini resurrectionem. Ignoscant mihi; nondum erant fideles; magni postea facti sunt, prius autem nobis etiam inferiores erant. Nos enim credimus Christum resurrexisse, quod illi nondum credebant. Sed postea viderunt, tetigerunt, oculis suis manibusque tractaverunt, et sic crediderunt, et Scripturis sanctis eorum corda firmata sunt. Qui biberunt, ructaverunt, et nos impleverunt.

IV. Loquebantur ergo inter se ista, dolentes Christi mortem, quasi hominis, et apparuit eis Jesus (9), et addidit (10) se comitem in tertium, quæsivitque quid inter se loquerentur. Responderunt illi : « Tu solus peregrinus es in Hierusalem; nescis quæ hic contigerunt in his » diebus; quemadmodum principes sacerdotum morti » tradiderunt Jesum, qui erat magnus Propheta[9]. » O Discipuli, ubi erat Dominus, jam propheta? Nonne ipse omnes Prophetas implebat? Videte, fratres, quomodo Discipuli crediderunt, sed ex (11) desperatione mortis Domini, redierunt ad verba, quæ dicebant (12) de Christo extranei. Meministis, charissimi, quia Dominus aliquando dixit Discipulis suis : « Quem me dicunt homines esse, » Filium hominis[10]? » et responderunt illi verba (13) et opiniones alienas, non fidem suam, et dixerunt : « Alii te » dicunt Joannem Baptistam, alii Eliam, alii Jeremiam, » aut unum ex Prophetis[11]. » Ad hoc ergo Discipuli redierunt, perdiderunt fidem suam; opinionem cœperunt tenere alienam. « Qui fuit, inquiunt, Propheta. » Hoc extranei dicebant de Christo, Discipuli autem quid dixerunt (14)? Cum vero diceret Christus : « Quem me esse dicitis? respondit Petrus : Tu es Christus, Filius Dei vivi. « Et Dominus : » Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis » non revelavit tibi[12], » quomodo illis qui me dicunt Prophetam; » sed Pater meus, qui est in cœlis : et ego di» cam tibi; Tu es Petrus. » Dixisti mihi, dicam tibi; reddidisti confessionem, audi benedictionem. Dixerat

[1] 3 Reg. VIII, 39. — [2] Psal. VII, 10. — [3] Matth. XVI, 16. — [4] Jerem. I, 5. — [5] Rom. VIII, 30. — [6] Matth. X, 32. — [7] Matth. XXVIII, 9. — [8] Luc. XXIV, 13. — [9] Luc. XXIV, 18. — [10] Matth. XVI, 13. — [11] Ibid. 14. — [12] Ibid. 15-18.

(1) Cod. crediddisset. — (2) Id. dedisset. — (3) Id. deum. — (4) Id. quo. — (5) Forte non mirum. — (6) Vide August. Serm. CXLVII, num. 2, 3; Serm. CCXXIX, num. 2, 4; Serm. CCXLII, num. 5; et Tractat. CXXIII in Joan. num. 5, et alibi sæpius. — (7) Vide Serm. August. CCXL, num. 1; et Serm. CCXXXIV, num. 1; et Serm. CCXLVI, num. 1, etc. — (8) Vide August. Epist. CXLIX, num. 31. — (9) Deest vox Jesus in cod. — (10) Cod. addit. — (11) Id. ere pro. — (12) Id. reducebant. — (13) Vide August. Serm. CLXXXIII, n. 2, 3; et Serm. CCXXXII, n. 3. — (14) Deest vox quid in cod.

enim de se Dominus, quod erat minus, et dixerat ei Petrus quod erat amplius. In Domino enim Jesu Christo minus erat, quod filius hominis erat; amplius erat, quod Filius Dei erat. Minus dixit, qui se humilavit; amplius dixit, quem ille exaltavit. « Super hanc petram, inquit « Dominus, ædificabo Ecclesiam meam[1]. « Super istam confessionem, super hoc, quod dixisti : « Tu es Christus » Filius Dei vivi, » ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferorum non vincent eam[2]. « Vicerant enim istos portæ inferorum; a Petro recesserant; in arena defecerant. Subveni, Domine, Discipulis; frange panem, ut possis agnosci; nisi tu collegeris, perierunt. Quomodo quæsisti? Ecce prophetam te dicunt Discipuli.

IV. Tunc vero Jesus aperuit eis Scripturas, propter quod dixerant desperantes : « Nos autem sperabamus, « quod ipse esset redempturus Israël[3]. « O Discipuli, sperabatis, jam non speratis. Veni, Latro, commone Discipulos. Quare desperatis (1)? quia crucifixum vidistis (2), quia pendentem aspexistis, quia infirmum putastis. Talem illum et Latro in cruce pendens, statim credens agnovit ille consors supplicii (3); vos autem obliti estis auctorem vitæ. Clama, Latro, de cruce; facinorosus tu sanctos convince (4). Quid illi? « Nos spera« bamus, quia ipse redempturus erat Israël. » Quid iste? « Domine, memento mei, dum veneris in regno « tuo[4]. » Sperabatis ergo, quia ipse erat redempturus Israël. O discipuli, si ipse est redempturus Israël, defecistis; sed ille refecit, non deserit. Qui vobis comes factus est in via, ipse vobis factus est via[5]. Sed tunc non ibi erat Petrus ille, qui dixit : « Tu es Christus Filius Dei » vivi. » Non erat cum ipsis. Ille putans de Christo, ubicumque erat, quia cum illis erat, antequam Dominus mortuus esset, tunc negavit, sed illo respiciente flevit. Modo autem Domino crucifixo et mortuo (5)..... Forte enim putabat, quia deridendo Judæi insultabant (6), et dicebant (7) : « Si Filius Dei est, descendat de cruce, et » credimus ei[6]. » Quando forte, et Discipuli non insultantes, sed ut de cruce descenderet exhortantes (8). Postquam non fecit (9), sed animum tradidit, et visus est in ligno mortuus, sicut cæteri homines moriuntur, involutus, sepultus; quando et ipsi desperaverunt, et inter (10) desperantes erat et Petrus; post resurrectionem, sic Marcus evangelista dicit : « Apparuit mulieribus; ait : Ite, dicite Discipulis meis, » et Petro, quia surrexi a mortuis[7]. » Nam se mulieribus fidelibus jam ostenderat Dominus (11); et redierunt, et evangelizaverunt Discipulis, quia viderunt visionem Angelorum, qui illis dixerunt : « Quid quæritis vivum cum » mortuis? Non est hic : resurrexit[8]; « et corpus ejus in monumentum non invenerunt. Hæc mulieres dicebant, et viri non credebant; Apostolis ista nuntiabant, annuntiatoribus (12) annuntiabant, quis esset. Nam cum vagos spiritus de corporibus obsessis ejiceret, ipsi Spiritus contorti, et cruciatibus afflicti, dicebant : « Quid « nobis et tibi, Jesu, fili Dei summi? ut quid venisti ante » tempus torquere nos[9]? »

V. His ergo manifestatus modis Christus Dei Filius; peracta tempora testata sunt, illa scilicet tempora in quibus (13) primus homo Adam non fuerat, quoniam Deus illum hominem primum Adam quando plasmavit, juvenem fecit; non eum ab infantilitate nutrivit, sed juvenem fecit, qui et generare potuit, cui et dixit : « Cres» cite, et generate (14); implete terram[10]. » Christus vero ab infantilitate nutritus usque ad mensuram ætatis, in qua factus (15) fuerat Adam, venit in eadem tempora, et illo tempore, quinta ætate, in qua Adam transgressionis et inobedientiæ peccatum incurrerat, tunc demum Dominus passionis injurias tolerare suscepit; ut sicut (16) Adam, suadente diabolo, vetiti ligni fructum male præsumpserat, per lignum crucis suæ Dominus patientissime culparum omnium maculas aboleret. Denique omnia illa membra, per quæ Adam interdictæ arboris poma decerpserat, eadem membra Dominus in suo corpore crucis patibulo condemnavit. Pedes (17) ergo; quibus Adam incedendo venit ad arborem malam (18), manus, quibus vetitum attigit pomum, clavorum infixione condemnatæ sunt (19) in patibulo. Os cum quo (20) eumdem vetitum (21) cibum Adam gustando comederat, felle et aceto in Christo potatum est. Ventre (22), in quo devoratus cibus (23) transglutiendo descendit, lancea militis perforato, in salutem credentium sanguis et aqua manaverunt. Caput illud quod divina manus vel forma (24), vel cesarie capillorum in Adam adornaverat, spinis in Christo postmodum (25) coronatum est. Facies illa, in qua diversorum membrorum lineamenta, ex quibus officia necessaria redduntur (26), fuerant exarata (27), in Christo, alapis insertis (28) sputaminibus pollutis turpiter adimpleta est. Dorsum illud (29), quod in Adam diabolus, ut se adoraret (30), sibi subjiciens fecerat incurvatum, flagellis in Christo postea a Pilato factum est dissipatum. Nullum itaque esse membrorum in se voluit Christus a contactu passionis inviolabile posse dimitti, quæ quondam in Adam voluptatum illecebris diabolus fecerat male nutriri. Ille transiit (31) per delicias nemoris, Christus vero per angustias passionis. Quid enim adhuc ulterius dicam? In Paradiso tres : Adam, Eva et diabolus; in cruce vero tres, Christus, et a dextra atque a sinistra (32) levati duo latrones. Significatur in Adam Christus, in Eva Latro conversus, in diabolo Latro perditus et damnatus. Initium peccati in horto (33) commissum est, in cruce vero initium indulgentiæ condonatum est. Denique Adam per peccatum ejicitur de Paradiso, et Latro per confessionem inducitur in Paradisum (34). Exiit fur male rapiens vetitum pomum, et introivit fur bene rapiens regnum; exiit de ligno faciens mortem, et introivit de ligno mercans salutem. Sed hic Latro, ut perveniret ad cœleste regnum, vim fecit majestati divinæ, non corporea virtute vincens, sed fide. Sic ipse Dominus in Evangelio dicit : « Regnum cœlorum vim patitur, et violenti diri» piunt illud[11]. « Quid ultra violentius quam Latro?

VI. O admiranda rerum materies! Nec Abrahæ per vocem data est repromissio Paradisi; hæreditas quidem per fidem; repromissionem enim Paradisi nemo Patriarcharum accepit. Si enim diligentius perscruteris cuncta volumina legis, nullum ante Latronem invenies promissionem Paradisi meruisse; non Abraham, non Isaac, non Ja-

[1] Matth. xvi, 15-18. — [2] Ibid. — [3] Luc. xxiv, 21. — [4] Luc. xxiii, 42. — [5] Joan. xiv, 6. — [6] Matth. xxvii, 42. — [7] Marc. xvi, 7, et Matth. xxviii, 6 — [8] Matth. xxviii, 6. — [9] Id. viii, 29. — [10] Gen. i, 28. — [11] Matth. xi, 12.

(1) Cod. quanti speratis? — (2) Vide Serm. CCXXXIV, num. 2, et Serm. CCXXXII, num 5, 6, 7; et Lib. 1 de Anima et ejus Origine, num. 2. — (3) Cod. tempore. — (4) Id. facinorosus te sanctus convincet. — (5) Hic videtur aliquid deesse, et in sententiis sequentibus. — (6) Cod. insultabantur. — (7) Vide Serm. CCXXXIV, num. 6. — (8) Cod. exultantes. — (9) Id. factus. — (10) Id. non se. — (11) Vide Serm. XLV, num 5. — (12) Cod. annuntiatoris. — (13) Cod. in qua. — (14) Vide lib. VI de Genesi ad Litteram, c. 3, etc. — (15) Cod. factum. — (16) Id. quid. — (17) Id. pedibus, et deinde manibus. — (18) Id. unam. — (19) Id. condemnatus est; et deinde in patibulum. — (20) Id. in quibus. — (21) Id. vetitatum. — (22) Id. ventrem. — (23) Id. devoratum cibum. — (24) Id. illud quoddam divina manu reformatum, absurde. — (25) Id. per modum; et deinde coronatus est. — (26) Id. reddentem. — (27) Id. exornata. — (28) Id. invertis — (29) Id. illum, et deinde quem. — (30) Id. adorasse. — (31) Deest vox transiit, aut alia similis in cod. — (32) Cod. non habet et a sinistra, sed tantummodo et dextra levati. — (33) Omittit Christus voces in horto. — (34) Cod. Paradiso.

cob, nec Moysen invenies, nec Prophetas, nec Apostolos; sed ante omnes solum reperies meruisse Latronem. Audi ergo Dominicam vocem, quam solus meruit accipere: » Amen, amen dico tibi: Hodie mecum eris in Paradiso[1]. » Igitur vocavit Dominus Abraham, dicens: « Exi de terra » tua, et de cognatione tua[2]; » et non dixit ei: Hæreditatem capies Paradisi, sed: « Venies in terram quam de» monstravero tibi[3]. » Et Isaac quidem typum Christi significavit, quando, ut (1) immolaretur, patri obediens fuit. Et Jacob luctatus cum Angelo (2) in figura hominis, Deum se vidisse testatus est, dicens: « Vidi Deum » facie ad faciem; ita salva facta est anima mea[4]. » Et Moyses legem accepit, et repromissionem bona terræ se esse hæreditaturum (3); at nunquam repromissio Paradisi ante Latronem.

VII. Necessarium est ergo quærere, cur huic Latroni ante alios et tales viros fide dignissimos, hæreditas Paradisi condonata est. « Credidit Abraham Deo[5], » ut diximus, sed non tali conditione positus, sed credidit Deo de cœlis loquenti, et per sanctos Angelos sermonem porrigenti, et de propria auctoritate legem danti. Credidit Isaïas, sed in cœlo consistenti, sicut dicit ipse: « Vidi Dominum sedentem super thronum excelsum et » elevatum[6]. » Credidit Ezechiel, sed et ipse Dominum super Cherubim contemplatus est[7]. Credidit Zacharias, et dixit: « Vidi Dominum sacerdotem magnum stantem » supra altare Domini[8]. » Crediderunt et reliqui Prophetæ, sed diverso modo Dominum loquentem intuentes, sicut videre possibile erat humanæ naturæ. Credidit, sicut diximus, et Moyses, sed de medio ignis loquenti, et in tubæ (4) clangore et tonitruis, quibus infideles ad fidem poterant provocari. Hæc autem dico, non ut sanctis derogem, sed pro merito Latronis (5), qui solus per unam confessionem meruit Paradisum introire. Iste ergo Latro vidit Dominum Salvatorem, non in throno regali, non adorari in templo, non loquentem de cœlis, non per Angelos aliquid disponentem; non (6) talia vidit, qualiter rei possit veritas credi (7); sed vidit in pœna sociatum latronibus. Vidit in tormentis, et tanquam in gloria adoravit. Vidit in cruce, et rogavit (8) quasi in cœlis sedentem. Vidit condemnatum, et regem invocavit exaltatum. Tunc enim Latro vidit et credidit, quando fides apostolica trepidavit; propterea et promissionem Paradisi accipere meruit (9). Quid tamen, quando credidit, dixit? « Domine, memento mei, dum veneris in regnum » tuum[9]. » O Latro, cui dicis, Regnum tuum (10)? Crucifixum vides, et Regem prædicas? In ligno eum pendere cernis, et cœlorum regna meditaris? Numquidnam Scripturas legisti, ab iniquitate non cessans? Numquidnam per Prophetas audisti, homicidia exercens? Numquidnam audisti divinum sermonem, quando ad cædem quotidie (11) accumbebas? Unde eruditus es talia philosophari? De qua (12) pateris pœnam, et Christi confiteris victoriam. Judæi crucifigunt, qui norunt Legem, et Prophetas legerunt, et tu horum ignarus, Deum vocas, quem conspicis condemnatum, et adoras crucifixum. Quis te erudivit talia de eo dici, ut quem tibi in pœna conspicis sociatum, venturum (13) confitearis in regno? Et ille: Non me, inquit, lex docuit, non Propheta mihi aliquid annuntiavit, sed ipse Dominus præsens, qui me respexit, cordis mei secreta disrupit. Vidi quidem crucifixum, sed terræ motum sensi, et propter parricidas Judæos elementa indignantia intellexi; sensi enim talia fieri, et cognovi Regem esse de cœlis. Ego quidem me ipsum considerans, et in me mea facta perpendens, juste in me noveram mortis collatam sententiam, quam et præsens damnatio definivit; sed dum mei facinoris socium audivi dicentem: » Si Filius Dei es, descende de cruce, » et nos salvabis et te[10]. » Consideravi instantis vocem maledicentem, et intellexi diabolum esse. Qui enim tempore tentationis dixerat Domino: « De pinna templi mitte te » deorsum[11]; » ipse dicebat: « Descende de crucis pa» tibulo: » cui ergo, ut potui, contradixi (14); sed nec hoc ille, ut taceret (15), noverat, cui diabolus, ut diceret, suggerebat; nec mihi aliquando divinus sermo de Christo tradiderat, quem, ut defenderem, nesciebam; sed ipse Dominus in medio nostri positus, qui « Inter » iniquos est deputatus[12], » ut Judex justus audivit (16), ambos judicavit (17), de tribunali crucis sententiam protulit, in qua insultantem damnavit, et credentem liberavit.

VIII. Timeant ergo insultantes, exultent credentes. Jam enim (18) Christus veniet in sua claritate. Propterea et nos, fratres, in humilitate cordis Christum credamus passum, crucifixum, sepultum, et tertia die a mortuis resurrexisse. Confiteamur, ut cum Latrone credente Paradisum Domini Salvatoris ingredi mereamur.

SERMO LXI.

In diebus Paschalibus IV.

Hic sermo, quem mutuati sumus ex Bibl. Laurent., Plut. XXII, *cod.* XIII, *fol.* 37, *eo magis sancto Augustino videtur tribuendus, quod sive in tractatibus circa Evangelium sancti Joannis, sive in aliis de Scriptura sermonibus, sive in libris de Consensu Evangelistarum, nullum reperimus ejus loci commentarium. Ponatur inter Augustinianos post sermonem primi supplementi* XXXVIII, *cum numero in diebus Paschalibus* XXXIII.

SYNOPSIS.

I. Nullam inter sanctum Joannem et sanctum Lucam circa absentiam Thomæ discordantia. II. Dubitatio Thomæ nostræ fidei est confirmatio. III. Cur Christus vulnus cicatricis servavit? IV. Fides invisibilium. V. Conclusio.

I. « THOMAS unus de duodecim[13], » etc. Hic oritur quæstio quare dicit Joannes evangelista non fuisse tunc cum cæteris Discipulis Thomam, quando apparuit eis Dominus eo die quo a mortuis resurrexit, cum Lucas dicat (19), quod duo ex Discipulis Jesu revertentes de castello nomine Emmaus, « Invenerunt undecim congrega» tos; et eos qui cum ipsis erant, et sanctas mulieres di» centes, quod surrexit Dominus, et apparuit Simoni. » Et illi duo cœperunt narrare quæ gesta erant in via, et » quomodo cognoverunt eum in fractione panis. Dum » hæc loquerentur, stetit Jesus in medio[14]. » Hæc quæstio

[1] Luc. XXIII, 43. — [2] Gen. XII, 1. — [3] Ibid. — [4] Id. XXXII, 30. — [5] Gen. XV, 6. — [6] Isai. VI, 1. — [7] Ezech. X, 4. — [8] Zach. III, 1. — [9] Luc. XXIII, 42. — [10] Matth. XXVII, 40. — [11] Luc. IV, 9. — [12] Luc. XXII. 37. — [13] Joan. XX, 24. — [14] Luc. XXIV, 33-36.

(1) Deest ut in cod. — (2) Cod. *cum luctatur angelo.* — (3) Cod. non habet *se*, et habet *hæreditaturus*; deinde vero *et* pro *at.* — (4) Cod. *tubæ.* — (5) Id. *penitum latronem.* — (6) Id. *nam.* — (7) Id. *ut crederet.* — (8) Id. *rogat*, et deinde *invocat.* — (9) Vide August. Enarrat. in Psal. XXXVIII, Serm. 2, num. 8, necnon alias in Psal. CXXII, num. 9. — (10) Vide August. Serm. CCXXXII, num. 6, et Serm. CCLXXXV, num. 2. — (11) Cod. *quamdiu.* — (12) Nempe *crucc.* — (13) Cod. *venturus.* — (14) Id. *ut potuit contradixit.* — (15) Id. *taceret.* — (16) Vide August. Serm. CCXXVII, num. 2. — (17) Cod. *audit, judicat.* — (18) Id. *faciens veniens.* — (19) Id. *dicat.*

hoc modo solvitur : Quando illi duo reversi sunt, et invenerunt alios dicentes : « Surrexit Dominus, et apparuit » Simoni ; » et ipsi cœperunt dicere quod ipsis contigerat, et quomodo cognoverunt eum in fractione panis, dum hæc invicem loquerentur, forsitan Thomas exivit tunc foras, aliqua compulsus necessitate : egresso autem illo, statim Dominus apparuit inter Discipulos, et dicebant alii Discipuli : « Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis : » Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, non » credam[1]. »

II. « Quærendum est quare Dominus voluit electum suum Discipulum dubitare de sua resurrectione. Non sine causa factum est hoc ; propter nos peractum est, qui post ascensionem Domini venimus ad fidem. Plus enim profuit nobis dubitatio Thomæ, quam citissima fides Mariæ ; quia dum legimus in Evangelistis palpationem Thomæ et agnitionem, nulla dubietas in cordibus nostris residet. Sicut voluit habere Discipulum dubitantem de sua resurrectione, et non in eadem dubitatione permanentem, sic voluit et matrem suam sponsum (1) habere temporalem, qui ad ejus coïtum non pervenit ; ut sicut beatus Joseph custos veracissimus, et testis in cœlo fidelis existeret integerrimæ virginitatis Mariæ, ita beatus Thomas fidelis testis fieret de ejus resurrectione.

III. « Infer digitum tuum huc[2], » id est, palpa cicatrices vulnerum meorum. Hic solent Gentiles deridere Christianos dicentes : Si Deus vester, ut dicitis, cicatrices sui corporis non delevit, sed eas in cœlo invexit, qua temeritate potatis, ut vestra corpora post mortem restauraturus sit ? Quibus respondendum est : Qui majora fecit, sicut diximus, minora facere distulit. Primo (2) ut fides Discipulorum et nostra informaretur ad salutem ; secundo ut ascendens in cœlum ostendat Deo Patri, qualia sustinuit pro nobis tormenta, et provocet eum ad misericordiam ; veluti, si aliquis miles a rege directus fuerit (3) occidere hostes suos, et singulare certamen inierit, et ibi multas plagas susceperit, reversus autem cum triumpho fuerit (4), ait illi rex multas gratias, et committit illum medicis suis peritissimis ad sanandum, et interrogant illum medici : Vis ita a nobis sanari, ut cicatrices in corpore maneant ? dicat : Ita volo, ut cum viderint me concives mei, agant mihi gratias. Similiter et Dominus Jesus Christus.

IV. « Et noli esse incredulus, sed fidelis[3]. » Fides est credere quæ non vidisti. Divinitas Filii Dei invisibilis est. Unde Joannes dicit : « Dominum nemo vidit unquam[4]. » Nam Moyses, amicus Dei, dum voluit Dominum videre, dixit : « Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ostende » mihi te ipsum manifeste, ut videam te[5]. » Meruit audire a Domino : « Non videbit me homo[6], ut vivere possit (5), » id est, non videbit (6) mortalis homo invisibilitatem meam. Dicit quidam Doctor, quod nec Angeli qui assistunt in conspectu Dei vident illius divinitatem, sed tantum quantum ad salutem pertinet illorum. Dicit ei Thomas : « Do» minus meus, et Deus meus[7]. » Beatus Thomas homo erat, et hominem Deum videbat ; vidit hominem, et credidit verum esse Deum. « Beati qui non viderunt, et credi» derunt[8]. » In hac sententia sumus nos gentiles expressi, qui non vidimus Jesum Christum Dominum incarnatum, nec passum, et tamen credimus eum verum Deum et verum hominem. Quare posuit tempus præteritum pro futuro ? Quia quæ hominibus præterita sunt, in Dei præsentia semper manent. Hoc more loquitur semper in sacra Scriptura.

V. « Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu » Discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro » hoc[9]. » Librum hunc possumus intelligere librum quatuor Evangeliorum. Quare non sunt scripta ? Quoniam si fuissent, incredibilia viderentur esse hominibus, et humanus sensus capere non potuisset. « Hæc autem scripta » sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, » et ut credentes vitam in nomine ipsius habeatis[10]. » Unusquisque homo qui rectam fidem habet, et ipsam fidem bonis operibus adornat, vitam habet ? Quam vitam ? Dominum Jesum Christum, qui dicit : « Ego sum via, veritas » et vita[11]. » Ad quam vitæ contemplationem Dominus nos faciat pervenire.

SERMO LXII.

De Alleluia.

Hic sermo legitur in quatuor codd. Florentin., nempe 1° Bibl. Laur., Plut. XVII, *cod.* XLI, *fol.* 112 ; *3° ibid. Plut.* XXXIII *sin., cod.* IV, *fol.* 59 *b* ; *4° Bibl. Ædil., cod.* CXXXVIII, *fol.* 153 ; *4° ibid. cod.* CXLII, *fol.* 150 *b. Dignus est sancto Augustino, cujus ubique nomen præfert. Locus ejus post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Tres vocis hebraïcæ alleluia significationes. II. Prima, Cantate ei, qui est. III. Secunda, Benedic nos simul Deus in unum. IV. Tertia, Laudate Dominum.

I. Ad laudem Dei, atque ad confessionem veræ fidei invitat nos sermo hebraïcus, fratres charissimi, qui assidue sonat in Ecclesia, id est, Alleluia. Alleluia enim de hebræo (7) in latinum interpretatur, Cantate ei qui est, aut, Benedic nos Deus simul in unum, aut certe, Laudate Dominum (8), quod totum saluti ac fidei nostræ necessarium est.

II. Debemus ei cantare, qui est, quia aut nos, aut antecessores nostri dudum cantabant his, qui non erant, id est, diis (9) gentium et simulacris idolorum ; sed vane tunc cantabant, quia vana erant quæ colebant. Sed postquam venimus ad credulitatem, et (10) ad agnitionem divinam, cantare cœpimus ei qui est, id est, Deo omnipotenti, creatori (11) cœli et terræ, et ipsi factori nostro, qui (12) ita ait ad Moysen : « Sic dices filiis Israël : » Qui est misit me ad vos[12]. » Est enim ille qui semper fuit et sine initio Deus, et qui permanet in æternum sine fine. Cui merito ac jure cantamus, quia quod sumus, quod vivimus (13), non nostræ virtutis est, nec nostræ potentiæ, sed ipsius dignationis est et pietatis. Huic ergo tali ac tanto Deo, qui semper fuit et est, cantare debemus quæ digna sunt, quæ ad laudem ejus majestatis conveniunt, quod æternus sit, quod omnipotens sit, quod immensus sit, quod creator sæculi, et mundi salvator sit, qui (14) tantam dilectionem habuit in hominibus, ut etiam Filium

[1] Joan. XX, 25. — [2] Joan. XX, 27. — [3] Ibid. — [4] I Joan. IV, 12. — [5] Exod. XXXIII, 18. — [6] Ibid. 20. — [7] Joan. XX, 28. — [8] Ibid. 29. — [9] Ibid. 30. — [10] Ibid. 31. — [11] Id. XIV, 6. — [12] Exod. III, 14.

(1) Cod. *sponsum*. — (2) Id. *primum*. — (3) Id. *suo*. — (4) Deest *fuerit* in cod. — (5) Cod. male *potest*. — (6) Cod. male addit *me*. — (7) Cod. IV *de Hebraico*. — (8) Vide August. Serm. CCXLIII, num. 8 ; CCLIV, num. 5 ; CCLVII, num. 1 ; CCCLXII, num. 29 ; et Enarrat. in Psal. CXLVIII, num. 1. — (9) Sic cod. IV ; cæteri male *dei*. — (10) Sic cod. IV ; deest *et* in cæteris. — (11) Sic cod. IV ; cæteri male *creatorem*. — (12) Sic cod. IV ; cæteri male *quia*. — (13) Has voces *quia quod sumus, quod vivimus*, desunt in cunctis codd., excepto cod. IV. — (14) Cod. CXXXVIII *creator cœli et terræ*, et ; cæteri ut in texto.

suum pro salute sæculi traderet, dicente ipso in Evangelio : « Sic, inquit, dilexit Deus mundum, ut Filium » suum unigenitum daret ; ut omnes qui credunt in eum » non pereant, sed habeant (1) vitam æternam[1]. »

III. Interpretatur ergo Alleluia, Cantate ei qui est ; interpretatur etiam, Laudate Dominum (2), sive, Benedic nos Deus simul in unum. Quæ interpretatio quam congrua fidei nostræ ac saluti sit, si consideremus, advertimus. Cum ergo dicimus Alleluia, Benedicat (3) nos Deus simul in unum, oramus. Si ergo simul sumus in unum per fidem, per pacem, per concordiam, per unanimitatem, digne Dominum laudare possumus, et (4) digni sumus ut benedici simul in unum a Domino mereamur. Hoc enim scriptum est : « Ecce quam bonum, » et quam jucundum habitare fratres in in unum[2]. » Et iterum dicit : « Qui habitare facit unius moris in » domo[3]. » Benedicimur (5) itaque a Domino, si (6) simul in unum inveniamur, id est, in unitate fidei manentes, in concordia pacis, in affectu dilectionis, secundum quod Apostolus hortatur, et admonet, dicens : « Obsecro autem vos, ut idipsum sapiatis omnes, et » non sint in vobis schismata (7), sitis autem perfecti » in eodem sensu et in eadem scientia[4]. » Unde si discordia, si scissura, si dissensio in nobis sit, non sumus digni benedictione Dei, nec Deum digne laudare possumus (8), quamdiu in hac malitia sumus. Quomodo enim confidenter sermone paterno respondere Alleluia possumus, id est, Benedic nos Deus simul in unum ; ut mereamur simul in unum benedici, et Deum digne laudare valeamus. Non convenit responsio istà Hæreticis, Alleluia (9), non Schismaticis, non omnibus adversariis unitati Ecclesiæ, quia non sunt (10) simul cum Ecclesia in unum. Hoc enim, et ipse Dominus in Evangelio manifestat dicens : « Qui non est mecum, contra me est ; » qui autem non colligit mecum, spargit[5]. » Christi enim est colligere in unum, diaboli vero per diversa (11) dispergere. Qui enim unitatem Ecclesiæ diligit, Christum sequitur ; qui vero dispersione (12) delectatur, diabolum sequitur, quia (13) auctor dispersionis diabolus est ; et ideo dictum (14) a Salomone legimus : « Tempus disper» gendi et tempus colligendi[6]. » Fuit dudum tempus, quo nos diabolus per diversa dispersit ; sed veniet iterum tempus quo nos Christus colliget in unum. De qua re fugere et vitare debemus discordiam, cujus diabolum auctorem esse (15) cognoscimus ; sequi vero pacem et unitatem Ecclesiæ, ut digne meritoque Alleluia respondere possimus, id est, Laudate Dominum, sive, Benedic nos Deus simul in unum.

IV. Vide quanta gratia interpretatio ista sit. Alleluia, singulariter respondemus, et communem benedictionem expetimus, ut singuli benedicamur in unum. Unum enim corpus Ecclesiæ sumus, et ideo omnes una voce, una mente, id est, una concordia, una fide, una spe, una charitate Deum laudare oportet ; dignaturque Deus laudari (16) a justis, non dignatur ab impiis et peccatoribus ; dignatur laudari a Catholicis, non dignatur ab Hæreticis ; dignatur a fidelibus, non dignatur ab infidelibus. Quapropter ita agere, ita conversari (17) debemus, ut digni ad laudandum Dominum habeamur (18), et conveniat dictum illud (19) propheticum ; « Laudate, pueri, » Dominum, laudate nomen Domini[7]. » Quod (20) jure ac merito facimus, si voluntati ac præceptis ejus fideliter in omnibus pareamus, præstante ipso Domino nostro Jesu Christo, cui (21) sit gloria et honor in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Joan. III, 16. — [2] Psal. CXXXII, 1. — [3] Id. LXVII, 7. — [4] I Cor. I, 10. — [5] Luc. XI, 23. — [6] Eccle. III, 5. — [7] Psal. CXII, 1.

(1) Sic cod. [illegible] ; cæteri *quod*. — (2) Sic cod. IV ; cæteri *habeat*. — (3) Sic omnes codd., excepto cod. [illegible], qui habet *Deum*. — (4) Omnes codd. *benedic*. — (4) Sic cod. [illegible] ; cæteri male *ut*. — (6) Sic cod. [illegible] ; cæteri male *benedicimus*. — (8) Deest *si* in omnibus codd., sed male. — (8) Cod. male *scismata* ; et deinde *scismaticis*. — (7) Sic cod. [illegible] ; cæteri male *possimus*, et sic paulo post. — (9) Cod. [illegible] *alleluia hæreticis*. — (10) Sic cod. CLXIV ; deest verbum *sunt* in cæteris. — (11) Sic cod. CXLIII ; cæteri male *per diversas*. — (12) Sic cod. IV ; cæteri male *dispersionem*. — (13) Sic cod. CXXXVIII ; cæteri male *qui*. — (14) Sic cod. IV et CXLIII ; cæteri male *lectum*. — (15) Sic cod. IV ; cæteri male *auctor est*. — (16) Sic codd. IV et CXLIII ; cæteri *laudare*, sicque deinceps. — (17) Sic cod. IV ; cæteri male *conversare*. — (18) Sic cod. IV ; cæteri male *habeamus*. — (19) Sic cod. IV ; cæteri male *illum*. — (20) Sic cod. IV ; cæteri male *quo*. — (21) Sic cod. [illegible] ; cæteri *cujus*.

APPENDIX

SERMONUM INEDITORUM

SANCTI AURELII

AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

CLASSIS I.

SERMONES

DE SCRIPTURA.

SERMO I.

De Creatione et Lapsu.

Sermo sequens ex Cod. Cass. XII, fol., 82, extractus, inter nonnulla quæ sanctum Augustinum imitatione sapiunt, totalia, quæ rhetorem evidenter produnt complectitur, ut illum nullo modo beati Doctoris fœtum esse possit rationabiliter defendi. Hinc in Appendicem rejiciendum esse credidimus, ubi numerum obtinebit inter sermones de Scriptura 1.

SYNOPSIS.

I. Mundi creatio et hominis. II. Hominis lapsus. III. Diaboli invidia. IV. Fœmina damnat et salvat.

I. Litterarum certamina (1) mundi constitutionem humano generi testari videntur, dicentium (2): «In principio «fecit Deus cœlum et terram[1].» O artifex, qui primo tectum, quam fundamentum extendens, cœli cortinam, latumque orbem velari præcepit! Cum Deus, opifex rerum, mundi fabricam totam, uno artifice funderet verbo, atque onus

[1] Gen. 1, 1.

(1) Forte monumenta. — (2) Cod. dicentes.

viscerum gravido sermone parturiens indigestis sensibus eructaret, et intra palatium divini cordis adolescerent cuncta, vel in hospitio sacrarum faucium errabat totus orbis intra januam vocis, et in cubiculo sacri pectoris elementa dormiebant. Loquitur Deus, et cuncta sunt; fabulatur, et procedunt. Nam cum universam fabricam imperando perficeret, cœlum pependit, terra (1) jacuit, mare confluxit (2); deinde factus est homo similis Deo, cui amicabiliter suam imaginem propinavit. Roboratur corpore, pingitur specie, impletur spiritu, vestitur aspectu, constituitur dominus orbis, et mundi possessor introducitur; mox regnat, sed quia nulla est felicitas quæ non habeat inimicum, sic oblectantis diaboli seductus est blandimentis, ut ante disceret perdere, quam habere.

II. O misera simplicitas innocentis! Dum respicit diabolum fabulantem, sic oblitus est Conditorem. Quas sedes aut neglexit, aut noluit, aut amisit! Perdidit miser Paradisum, cui jam debebatur et cœlum: Paradisum dico, fratres, ubi fluminum pigra velocitas amœno quodam lapsu discorrens, delicatis nemorum funditur spatiis; luxuriatur unda per sulcos; erraticis cursibus fugitiva permolles inebrians herbas, propinat floribus ubertatem; non tumentis vortice lapsus inflata (3), nec transfluvii fragoribus unda crispatur: et cum illic judicium superet oculorum velocitas, tamen non movetur in lapsu. Illic ver temporibus amœnatur, dies aspirat, et amicis flatibus temperies maritales pingues auras gravidat et impraegnat. Luxuriantur in frondibus luxu flexibili fœcunditas pronuba, ac virginei cortices gemmis rumpentibus vulnerantur. Non subornat et adulterat ramos fugitiva conceptio, nec proni fœtus adulterant uterum novercalem; sed cum aditus genitales irrumpunt, cognatæ sulcantur cicatrices. Illic maritalis aura violat flores, et amœnitas gravida rore tepido meditatur. Illic semper copia est, ubi quod cupias, non est; cum nihil desit, omnia cupiuntur. Nata præsunt, innata prægnantur, et quidquid nascitur plus est, et vetus est nihil. Paradisi copia non habet terminum; illic et mercatur et cœlum.

III. Sed cum hæc novum dominum rudis possessio salutaret, serpentinos livor momordit invidia, et cum apertius nocere non posset, celavit facinus in amore: « Eritis, » inquit, sicut dii, scientes bonum et malum[1]. » O ingeniosa deceptio atque artifex homicidium; nam cum inter (4) amœna palatia domosque purpureas ludentem cerneret ac deambulantem, ubi per frondeos porticus viridesque parietes nativa constructio suboleverat, et inter spatia virentium columnarum pendens umbrosa inflata amœnitas, ubi artifices rami frondesque flexibiles naturales cameras explicaverant, vidit, inquam, seduxit, decepit, occidit. O muneratio deceptrix, et præmium funerale! et quod Deus dederat, perdidit, neque quod promittebat diabolus accepit. Introduxit hostem sæculi in divina palatia debilis inquilinos, et in domiciliis cœlestibus barbari.... (5) suscepit. Prædator pomarium (6), possessor invaditur. Novum corruptelæ genus, nova proditionis infamia! Dum seponitur pignus, remansit creditor nudus. Quibus ille artificiis decepit insontes, quos simplici subtilitate prostravit! Nunc caput occidere, nunc jactare cervices, nunc inflatum pectus erigere, nunc obvolutis artibus complicare, atque rotatis cursibus sua colla innectens, veneno frangere (7). Errabat in corde latronis simplicitas aliena, et ex ore venefico distillabat dulcedo mortifera.

IV. Pascitur de interitu viri cum fœmina subarans (8) inferos, seponit mortem. Tale præmium dederat conjugi, unde et maritus possit occidi. O summum malum atque acutissimum diaboli telum, mulier! Quæ sit fœmina, fratres, agnoscite, vel qualis sit audite. Muscipulum est animæ, latrocinium vitæ, suavis mors et dulcis interitus; malum libens, et sapida jugulatio: fœmina munerat inferos, et spoliat cœlos. Quanta calamitas rerum! Quomodo (9) non deciperet mundum, quæ peccare fecit et cœlum. Viscerum serpentis est fœmina: inde diabolus aucupatur. Execranda est mulier ista, dum decipit. O iterum recolenda, dum salvat: plus enim dedit gratiæ, quam doloris. Quod enim ipsa vulneraverat, ipsa iterum sanat. Licet Eva genuit mortem, sed tamen Maria peperit Salvatorem.

SERMO II.

Quomodo Christus descendens de monte, leprosum ac servum centurionis sanavit. Matth. VIII, 1-13.

Cod. x, Bibl. Ædil., ex cujus fol. 9 educitur hic sermo, longam complectitur seriem sermonum, qui nomen habent sancti Augustini, et sæpius sententiarum gravitate legenti placent. Sed beato Doctori nullatenus possunt tribui, cum evidentes habeant characteres, quibus recentiores ejusdemque auctoris fœtus demonstrantur: 1° in quibusdam citatur ipsemet Augustinus, ut videre est inter alia loca in sermone XXXI *de Quadragesima infra, ubi vocatur ille* organum Trinitatis et sanctitatis norma; *2° in eodem sermone auctor se Sigiberti compatriotam esse testatur, qui nullus alius videtur esse quam Sigibertus Gemblacensis, anno 1112 in suo monasterio defunctus; 3° locutiones habet nullo modo Augustinianas, et quæ ætatem recentiorem sapiunt, quales sunt* numquid *pro* numquid non, sibi *pro* ipsi, guerra *pro* bello, *etc.; 4° insurgit aliquando contra quædam vitia, tempore sancti Augustini non sæpe memorata, verbi gratia contra Simoniacam labem; 5° laudat scriptores Augustino multo recentiores, et præsertim in sermone de sancto Andrea memorat Avicennam medicum, qui non nisi anno 1037 mortuus est. Hinc Bandinius in suo Suppl. 1, coll. 25, cod. x, § 1, eos merito sancto Augustino abjudicat. Cum autem plura habeant, quæ doctrinæ ecclesiasticæ possint inservire, et aliunde nusquam stampati appareant, causæ religionis inservire credimus, illos in publicum emittendo. Quod attinet autem ad sermonem præsentem, plura sunt quæ aliunde me deterrerent, quin hunc sancto Augustino tribuam, maxime autem quod multa appareant quæ cum Evangelio non satis concordant, qualia sunt illa ubi Regulum Syrum fuisse asserit, et pro filia postulasse, cum revera postulaverit pro filio, imo et Centurionem pro Christo fuisse lapidatum. Quanquam hæc fortasse possint amanuensium erroribus tribui, cum in pluribus codex deficiat. Locus ejus in Appendice post sermonem appendicis Maurinensis* LXIX.

SYNOPSIS.

I. Leprosi fides. II. A Christo tangitur, ut discamus, pauperes honorare. III. Centurionis in servum misericordia. IV. Venit juxta Matthæum, misit juxta Lucam. V. Christus vadit ad pauperem, non ad divitem. VI. Leprosi et centurionis comparatio. VII. Fidem Centurionis miratur Christus. VIII. Conclusio per moralem adhortationem.

I. Fratres dilectissimi, quando Christus voluit habitare inter homines, potentiam suæ virtutis ostendit, et in factis mysticis nostram credulitatem informavit: paucis Discipulis Dominus prædicaverat, necdum turbæ ad eum accede-

[1] Gen. III, 5.

(1) Cod. male *terram*. — (2) Ibid. *confulsit*. — (3) Cod. *inflati*; qui potest capere capiat. — (4) Deest in cod. vox *inter*, quam requirit sensus. — (5) Hic in cod. habetur vox, quæ non legi potest, nec intelligi. — (6) Vide Serm. VIII in Psal. CXVIII, n. 1, et Enarrat. in Psal. XXXIX, num. 4. — (7) Cod. *frangebat*, minus bene. — (8) Cod. male *subarrans*. — (9) Cod. male *quando*, et paulo post *qui*.

rant, sed descendens de monte secutæ sunt eum turbæ multæ, vel ut (1) saturarentur, vel ut sanarentur, vel ut calumniarent. » Et descendens de monte infra turbas, et » ecce leprosus veniens clamando adoravit eum, dicens : » Domine, si vis, potes me mundare[1]. » O quanta est, fratres, fides leprosi! audierat enim, » Quod virtus de illo » exibat et sanabat omnes[2] ; » audierat, quod » Omnia facere poterat in cœlo, et in terra, et in omnibus abyssis[3] ; » audierat, quod, per Elisæum, Naaman principem ipse Deus a lepra mundaverat[4], quia sola voluntate omnia Deus fecit; ideo dicebat : » Domine, si vis, potes me mundare ; » non oportet jubere, sed velle; quia in divinis non differt esse et posse; voluntatem enim tuam sequitur potestas; ergo, » Si vis, potes me mundare. » Videns utique Salvator fidem clamantis et voluntatem deprecantis, ait : Cum petas meam voluntatem, et ores eam adimplere, » Volo[5], » quia fidem et spem in te regnare video; ideo, Volo et jubeo ; manum etiam appono; et ait Dominus alta voce : « Mundare[6]. » Cum ait Salvator, » Volo, » se velle ostendit; cum autem ait : » Mundare, » imperando præcepit : cum extendit manum et tetigit eum, ostendit quia manum apposuit.

II. O Salvator, quare Leprosum tetigisti? numquid non immundus erat? numquid sola voce eum mundare non (2) poteras? Cur ergo, o Salvator, hoc fecisti, nisi ut superbiam meam ostenderes? Ideo non abhorruit carnem leprosi tractare, qui nec etiam inter bovem et asinum abhorruit reclinare. Quid ergo, o dives, qui pauperes fugis? cur infirmos despicis, cum Salvator leprosum tangere gratiose dignatur? Cogitate ergo, fratres, quod Angelorum Dominus, cœlorum Rex descendit in mundum, ut leprosum tangeret; ac si diceret Dominus : Ecce tangere veni per humilitatem, qui vobis divitibus sordet per superbiam. Non ergo, fratres, sit vile servo quod facit imperator. » Qui » enim despicit pauperem, exprobrat factori ejus[7], » et sequitur contextus (3) : » Mundata est lepra ejus, et ivit magnificans Deum. »

III. Quem centurio aspiciens, et eum mundatum videns, mox venit ad Jesum rogans et dicens : » Domine, puer meus » jacet in domo paralyticus, et male torquetur : et ait Jesus: » Ego veniam, et curabo eum. Et ait Centurio : Domine, » non sum dignus, ut intres sub tectum meum[8]. » Gentilis quippe erat iste Centurio, centum etiam milites sub se habens; nullam etiam legem habebat, quæ ei condolere infirmo præciperet; et tamen dolet, non de filio, quia servus erat, non de milite, sed de servo. O christiane princeps, erubesce. Nam si vides servos infirmari, despicis, et tamen legem habes ut diligas, et expellis eos, ut canes de domibus tuis; et tamen omnino credis audire a Domino: » Infirmus fui, et non (4) visitasti me[9]. »

IV. Ecce enim gentilis quam magnam curam habet de servo, quia misit seniores ad medicum animarum. Unde hoc, fratres, nisi quia gentilis et alienigena erat? Ideo, fratres, ad eum ausus non fuit accedere corpore, ut ait Lucas[10], sed fide tantum, rogans per seniores, ut sanaret servum ejus. Jesus autem ibat cum illis. Cum autem Jesus non longe esset a domo, misit ad eum Centurio amicos dicens : » Domine, noli vexari, noli accedere amplius; non enim sum » dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo » et sanabitur puer meus[11]; » et tamen rogaverat ut veniret. Sed hoc non dicebat de adventu corporis, sed de accessu commiserationis; et seniores intellexerant forsitan de accessu corporis. Rogaverunt etiam eum Judæi dicentes : » Dignum est, ut illi hoc (5) præstes; diligit enim gentem » nostram, et synagogam nobis (6) ædificat[12]. » Notate verba istius Gentilis; intimaverat enim tres passiones servi : primam, quia jacebat; secundam, quia paralyticus; tertiam, quia male torquebatur : puer ergo jacebat in domo. Et quare hunc non attulisti, o Centurio, sicut et alii qui paralyticum in lecto attulerunt? Respondere potest, quia, Tantam fidem in Christo (7) habebam, quod omnia credebam, quod essent nuda et aperta sibi, et ipsum per potentiam ubique præsentem (8) esse non dubitavi. Itaque, fratres, mittit dicendo, quod puer in domo jacet, ac si diceret : Non oportet ut ad te efferam.

V. Cur ergo Dominus ait : » Veniam et curabo eum[13]; » cum non petat adventum ejus. Regulus quidam erat, cujus filius infirmabatur Capharnaüm, qui Jesum rogabat, ut descenderet et sanaret filium ejus; et ait Dominus : » Vade, filius tuus vivit[14]. » Ad servum autem non petentem Salvatoris adventum, voluit venire; ad filium regis persuadentis noluit Salvator descendere. Quare hoc, fratres? Quia » Non est » personarum acceptio apud Deum.[15] » Nos honoramus divitias, et divites, dum moriuntur, quorum animæ forsitan in inferno jam cruciantur : honorare volumus eorum corpora ultra modum; ad eos etiam infirmantes sine fine concurrimus, sed ad pauperes ire abhorremus. Ecce Rex ad servum Centurionis non differt ire, sed ad filium regis ire contemnit. Quare hoc? nisi quia divites omnia de jure bona juste eis habere apparet superbia divitiarum inflati (9). Venerat tamen salvare tam divites, quam pauperes. Pauper etiam Christus fuit, et pauperes dilexit, ut et nos pauperes et paupertatem amemus. Voluit ergo Dominus ire ad servum, sed Centurio clamat ne accedat, quia non æstimat se dignum, Christum in domo recipere; tum quia Gentilis, tum quia alienigena, tum quia miles et sanguinem proximi effuderat, tum quia concubinas tenuerat, tum quia cunctis bonis privatum se præsenserat; ideo bene dicebat : » Non sum dignus. » Et ecce, fratres, dicendo, » Non sum dignus, » dignus efficitur. Discite, fratres, a Centurione, dum corpus dominicum recipere debetis, dicere corde et verbo : » Domine, non sum dignus, ut intres » sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur » puer meus (10). »

VI. Comparemus ergo utrumque simul, o fratres, Centurionem et Leprosum. Videamus, cum utriusque fides magna esset, quæ major fuisset. Ait enim Leprosus : » Domine, si » vis, potes me mundare. » Et Centurio ait : » Domine, dic » tantum verbo, et sanabitur puer meus. » Orat Leprosus voluntatem, at ille jussionem. Subtilius considerat divinam potentiam, qui sola voluntate credit esse potestatem; majorem fidem habet qui non solum confidit in jussione vel visione, sed in sola voluntate; et tamen magna est fides Centurionis et mirabilis; ait enim : Credo quod verbo tuo poteris sanare. » Ego enim, inquit, sum homo habens sub » me milites, et dico huic : Vade et vadit, Veni et venit[16], » et mihi homines obediunt, qui sum homo; tu vero, qui Deus es, multo magis. Angeli et natura tibi solo verbo obediunt; omnia enim potes; ideo dic, et fiet.

VII. » Et audiens hoc, Jesus miratus est; » hoc est, mirari visus est; » et sequentibus se ait : Non inveni tantam » fidem in Israël[17]. » Judaïcus enim populus me facere vidit miracula, et ait : » In Beelzebub ejicit dæmonia[18]; » princeps etiam Syrus (11) ille, Domino (12) petens sanitatem pro filia (13), non dixit : » Dic verbo, » sed ait : » Veni velociter, » antequam filia moriatur[19]. » Doctor Israël de fidei (14) sacramenti audiens, ait : » Quomodo potest hoc fieri, ut quis » nascatur denuo[20]? » Maria et Martha Domino dixerunt : » Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus[21]; » quasi non absens potuisset (15) sanare eum, sed tantum si fuisset præsens; ideo ait Dominus : » Non inveni tantam fi-

[1] Matth. VIII, 1, 2. — [2] Luc. VI, 19. — [3] Psal. CXXXIV, 6. — [4] 4 Reg. V. — [5] Matth. VIII, 3. — [6] Ibid. — [7] Prov. XIV, 31, et XVII, 5. — [8] Matth. VIII, 5-7. — [9] Matth. XXVI, 35-39. — [10] Luc. VII, 3. — [11] Ibid. 6. — [12] Ibid. 4, 5. — [13] Matth. VIII, 7. — [14] Joan. IV, 50. — [15] Rom. II, 11. — [16] Matth. VIII, 9, et Luc. VII, 8. — [17] Matth. VIII, 10, et Luc. VII, 9. — [18] Matth. XII, 24. — [19] Joan. IV, 49. — [20] Id. III, 3, 4. — [21] Id. XI, 21-32.

(1) Cod. *ut vel.* — (2) Deest *non* in cod.; sed sensu requiritur. — (3) Cod. male *contextum.* — (4) Negatio videtur abundare. — (5) Cod. male *eum.* — (6) Legendum potius *ædificavit.* — (7) Cod. male addit *non.* — (8) Id. male *præsens.* — (9) Sic cod., quem corrigere non præsumpsimus. Forte legendum : *Quare hoc? quia divitem. Omnia divitibus bona juste habere apparet superbia divitiarum inflatis.* — (10) Forte *anima mea.* — (11) Non legitur in Evangelio illum fuisse Syrum. — (12) Cod. habet *nomine*, sed male. — (13) In Evangelio mentio est de *filio*, non de *filia.* Forte per amanuensis errorem. — (14) Cod. male *fide.* — (15) Cod. minus bene *potuisset... fuisset.*

» dem in Israel; ideo fiat tibi sicut credidisti; et sanatus » est puer in illa hora[1]; » primo anima, postea corpore. Et ecce Centurio Deum magnificando, dimissa mundana militia, recurrit ad Jesum osculando pedes Jesu in foro et magnificando Jesum; et sic post Domini et Stephani mortem, efficitur martyr gloriosus, et velut alter Stephanus, pro Christi nomine lapidatur (1).

VIII. Et postquam valuit inter homines conversari, turbæ multæ secutæ sunt eum[2], quia vestigia Domini mutata sunt (2). Veniat ergo si quis leprosus est in turba fidelium. Lepra enim, fratres, quid aliud quam peccata mortalia significat, quibus anima nostra maculata efficitur? Si ergo aliquis vestrum leprosum se esse discernat, ad Medicum sine mora recurrat, et dicat : » Domine, si vis, potes me » mundare[3]. » Præceptum enim erat in Lege antiqua, ut si aliquis leprosus esset, poneretur extra castra, et si sanatus esset ab aliquo Propheta, cum Deo duce, ostenderet se sacerdoti. Numquid et non (3) sic hodie, fratres, anima peccatorum rea (4) extra Ecclesiam ponitur, et per sacerdotem se ipsam peccatricem ostendens, in Ecclesia recipitur sana? Invitat etiam nos Dominus ad humilitatem, cum servum Centurionis visitare cupit. Non ergo pauperes despiciamus, quia inter pauperes Dominus honoratur. Facite ergo vobis, o divites, tales amicos; suscipite pauperes, » Ut recipiant vos in æterna tabernacula[4], » adjuvante Domino nostro in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

De Verbis Evangelii secundum Matthæum : *Cum intrasset Jesus Jerosolymam, commota est universa civitas dicens : Quis est hic? Populi autem dicebant : Hic est Jesus propheta a Nazareth Galilææ. Et intravit Jesus in templum Dei, et ejecit omnes vendentes et ementes de templo*, etc. Matth. XXI, 10-12.

Duo codices hunc sermonem repræsentant in Bibl. Laurent., nempe : 1° Plut. XVII, *cod.* XXXVI, *fol.* 66 *b*; *2° Plut.* XXI, *cod.* X, *fol.* 115. *Prior nomen sancti Augustini præfert; posterior autem venerabilis Bedæ presbyteri; propter quam codicum divergentiam non ausi sumus illum sancto Augustino adscribere, licet eo minime sit indignus; maxime cum in simoniacos invehatur, quod magis congruit sæculo in quo Beda vivebat, quam sancti Doctoris temporibus. Locus ejus in appendice post sermonem appendicis Maurinensis* LXXIII.

SYNOPSIS.

I Contra vendentes res sacras aut eas ementes. II. Cor nostrum, sancti Spiritus templum, mundandum accuratius. III. Pia exhortatio ad virtutem.

I. Cum ingressus fuisset in templo Judæorum Dominus, et Salvator noster, et vidisset illic negotiationem illicitam exerceri, id est, vendentes oves et boves, atque columbas, et nummularios sedentes, id est, omnia animalia quæ opus fuerunt ad sacrificandum in templo Domini (5), fecit flagellum de funiculis, et tantam multitudinem hominum ejecit de templo, dicens : » Scriptum est : Domus mea domus » orationis vocabitur; vos autem fecistis eam speluncam la- » tronum[5]. » Templum enim Dei spelunca facta latronum, qui lucra terrena et illicita, non etiam spiritualia in animarum salutem sectantur (6); cultusque ejusdem religionis (7) eo modo non tam cultus Dei est, quam iniquæ negotiationis occasio. Nam quotidie ingreditur Jesus in templum suum, id est, in sanctam Ecclesiam, et ejicit omnes vendentes gratiam Dei de Ecclesia, episcopus (8), presbyteros, diaconos, omnesque ecclesiasticos, necnon et laicos; quia unius criminis habentur pariter Dei dona vendentes et ementes; quia scriptum est : « Gratis accepistis, gratis date[6]. » Cathedras quoque columbas vendentium evertit, ut honor quoque sacerdotalis auferri ab eis doceret, qui pro terrena mercede opus Dei faciendum existimant.

II. Quod (9) igitur de ecclesiasticis diximus, hoc unusquisque de se intelligat. Dicit enim Apostolus : » Vos estis » templum Dei vivum, et Spiritus sanctus habitat in vobis[7]. » Non sit in domo pectoris tui (10) negotiatio illicita. Nil boni quod facimus vel facere possumus, adjuvante Domino, appetitu jactantiæ faciamus, non terreni lucri concupiscentia, non malorum cupiditate rerum, ne ingrediatur Jesus iratus et rigidus, et non aliter emendet templum suum, nisi flagello adhibito, id est, correptione gravissima. De spelunca latronum, id est, de habitaculo dæmonum per visum iniquæ cupiditatis (11), et de domo negotiationis, id est, de corde terreni lucri inhiante, suæ faciat domum habitationis. Unde quia paucorum est tam solida fortitudo, ut nulla perturbatione (12) quatiantur delicti, sanandis vulneribus quibus humana infirmitas sauciatur diligens est (13) adhibenda curatio. Unde dicit Scriptura : « Quis enim gloriatur » castum se habere cor, aut mundum se esse a peccato[8]. » Omnes sibi intelligant delictorum indulgentiam, et reparationis suæ necessariam sibi esse medicinam. Nemo ergo est tanta firmitate (14) suffultus, ut de justificatione sua debeat esse securus. Utamur igitur, dilectissimi, saluberrimi temporis venerabilibus institutis, et sollicitiori cura cordis nostri specula tergamus. Quantumlibet enim caste et sobrie mortalis hæc vita ducatur, quodam tamen pulvere terrenæ conversationis aspergitur; et nitor mentium ad Dei imaginem conditarum non ita a fumo totius vanitatis alienus est, ut nulla possit sorde fuscari, et non semper indigeat expoliri. Quod si etiam cautissimis animis necessarium est, quanto amplius est iis expetendum, qui tota negligentia transierint (15); quos charitate debita commonemus, ut confugiamus omnes ad præsentem ubique misericordiam Dei, et digna se confessione, cum observantia mandatorum Dei cunctorum, corda (16) sanctificent.

III. Mitescat sævitia; mansuescat iracundia; remittant sibi omnes culpas invicem suas, ne exactor sit vindictæ, qui petitor est veniæ. Dicentes enim : « Dimitte nobis debita » nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, » durissimis nos vinculis colligamus, nisi quod profitemur, impleamus. Clementes autem et mites animi (17) largitas decet. Nihil enim est dignius quam (18) ut homo sui sit auctoris imitator, et secundum modum propriæ facultatis divini sit operis exsecutor. Nam cum aluntur esurientes, vestiuntur nudi, foventur infirmi, nonne auxilium Dei manus explet ministri (19), et benignitas servi munus est Domini. Et merito Deo gratiæ referuntur de pietatis officiis, cujus opera videntur in famulis. Propter quod ipse Dominus Discipulis suis ait : » Sic luceat lumen vestrum coram » hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent » Patrem vestrum qui in cœlis est[9]; » quod ipse præstare dignetur, qui vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

[1] Matth. VIII, 13. — [2] Ibid. 1. — [3] Ibid. 2. — [4] Luc. XVI, 9. — [5] Matth. XXI, 13. — [6] Id. X, 8. — [7] 2 Cor. VI, 16. — [8] Prov. XX, 9. — [9] Matth. V, 16.

(1) Non memini me legisse apud antiquos Centurionem pro Christo fuisse lapidatum. — (2) Sic cod. paulo obscurius. Videtur hic scriptor ad priora redire, et loqui de Christo, non de Centurione. Unde hoc ad finem posuimus. — (3) Deest negatio in codice, sed sensu exigitur. — (4) Cod. *reus*,... *se ipsum peccatorem*,... *sanus*. — (5) Codd. addunt *et*, quod videtur abundare. — (6) Cod. X *sectatur*. — (7) Id. *regionis*. — (8) Id. addit *et*. — (9) Codd. *quid*. — (10) Deest vox *tui* in cod. X. — (11) Sic cod. Forte *per usum*. Hæc difficile intelliguntur. — (12) Sic cod. X; desunt in cod. XXXVI hæc verba : *Ut nulla perturbatione*. — (13) Ambo codd. male *et*. — (14) Cod. X male *tanta infirmitate*. — (15) Id. *transierunt*. — (16) Cod. X male *si corda sanctificent*; qui et pessime paulo post *mitescant*... *mansuescant*. — (17) Codd. male *animo*. — (18) Id. *dignus quia*. — (19) Codd. male *ministris*.

SERMO IV.

Quomodo Jesus ejecit dæmonia. Luc. xi, 14-28.

Idem dicendum de hoc sermone ac de omnibus qui educuntur ex Bibl. Ædil., cod. x, ubi hic legitur fol. 15 b. Ponatur in appendice post sermonem appendicis Maurinensis LXXXV.

SYNOPSIS.

I. Quid sit Beelzebub, et de eo Salvatoris responsio. II. Obsessus a diabolo est peccator. III. Adhortatio ad recurrendum Deo.

I. Sicut in mane audivimus, fratres, quod Dominus hodierna die multa Judæis ostendit : primo obsessos a diabolo[1], qui ante obsessionem mutus erat et cæcus, liberatur : et tria fecit in uno, diabolum expulsit, muto loquelam et cæco visum donavit; quid igitur mirum, si « Miratæ » sunt turbæ[2] ? » Sed quia hoc miraculum negare cœperunt, ideo murmurare cœperunt, dicentes : « In Beelzebub principem dæmoniorum ejicit dæmonia[3]. » Hic autem ortum habuit a Belo, patre Nini, qui Ninivem civitatem magnam condidit, et suo nomine denominavit; qui etiam valde diligens patrem suum, et de morte ejus valde dolens, fecit fieri auream statuam patris similitudinem exprimentem, quam in tanta reverentia habuit, ut quicumque mala fecisset, et ad imaginem patris confugisset, totum sibi dimitteretur. Omnes vero alii, quorum patres moriebantur, statuam fieri jubebant et adorari, et sic idololatria a Belo pullulavit (1). Itaque Moabitæ Beelphegor et Beelzebub ut deos adorabant; nam Beelzebub princeps erat omnium idolorum, eo quod diabolus in illa statua intrans, multas responsiones dabat. Judæi vero famam Beelzebub audientes, eo quod prope Palæstinos essent qui Beelzebub adorabant tanquam deum, deridendo Salvatorem, dixerunt ejicere eum dæmonia in Beelzebub principe dæmoniorum. Et ait Salvator : « Filii vestri » exorcistæ, qui in templo locati sunt, « in quem ejiciunt[4] ? » Numquid in Beelzebub? absit. Numquid ergo et ego in nomine Patris mei, sicut et ipsi, ejicere non (2) possum ? Nam per Prophetam habetis, quod « Omne regnum in se divisum desolabitur[5]. » Ergo et infernus desolabitur, si unus expellit inde alium, quod non concessissent Judæi, scilicet quod infernus non durasset.

II. Sed quia de expositione Evangelii satis in mane audistis, et quomodo Salvator miraculum fecit, quomodo turba mirari cœpit, quomodo Pharisæi blasphemaverunt, quomodo quidam eum tentaverunt, quomodo eos reprehendit; his expletis, mulier quædam de turba, fiducia Salvatoris armata clamavit : « Beatus venter qui te portavit[6] ! » Et ait Dominus : « Non tantum beata est illa fœmina quæ » me portavit, sed valde beatus est qui præcepta Dei opere » adimplevit[7]. » Sed modo quis sit iste, qui obsessus est a diabolo, audire propter nos debemus. Cæcus enim iste est ipse miser peccator, qui vere obsessus est a diabolo, quem etiam tenet mutum, ne confiteatur; tenet surdum, ne Dei verbum audiat; tenet cæcum, ne lumen cœli videat. Aliqui enim facti sunt muti, quia timent confiteri peccata. O insensatæ gentes, ablui verecundamini, sed inquinari non erubescitis. Tales etiam consueverunt Sarrabaitæ hypocritæ, qui dicebantur boni, sanctique in cunctis sacerdotibus reputabantur. Quomodo ergo confitebor? O hypocrita, venies (3), et ligatus duceris ante tribunal Judicis, et tunc abscondere non poteris, quæ modo abscondere hominibus copis. Non ergo verecamini, fratres mei, confiteri : nemo tam sanctus qui vivendo pœnitentia et confessione non indigeat. Non igitur timere debemus hostem fortem, quia Principem fortiorem habemus; ipse enim est Princeps noster, Legifer noster, fratres (4), Deus noster, Advocatus noster apud Patrem.

III. Aperiamus igitur ei, o fratres, aures cordis et corporis, et oculos mentis, ne obsessi amplius simus a diabolo, qui hominem ante obsessum tenebat. Recurramus ad Medicum animarum, « Quoniam ipsi cura est de nobis[8], » recurramus ad ipsum, ne amplius surdi, muti et cæci remaneamus, ne subito præoccupati quæramus spatium pœnitentiæ, et invenire non possimus. Adjuvet nos ipse Christus, sine cujus voluntate et gratia resistere non valemus; adjuvet nos ipse ad aperiendum sibi corda nostra, « Ut » cum (5) venerit, confestim ei aperiamus[9]; » quod faciat ipse, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO V.

Quomodo Salvator mundi satiavit quinque millia hominum de quinque panibus et duobus piscibus. Joan. vi, 5-13.

Sermo iste sicut et præcedentes educitur ex Bibl. Ædil., cod. x, fol. 14 b, et propter easdem rationes rejicitur in appendicem, ubi locum habeat post sermonem appendicis Maurinensis XCIV.

SYNOPSIS.

I. In hoc miraculo docet nos Christus misericordiam et perseverantiam. II. Prælibantur quædam miraculi circumstantiæ. III. De misericordia. IV. De perseverantia. V. Christi convivii humilitas. VI. Quinque panum et duorum piscium mysticæ interpretationes. VII. Ad hos panes manducandos, elevandi sursum oculi. VIII. Non manducandi diaboli panes, nec ejusdem duo pisces, sed panis Christi hordeaceus. IX. Quis sit puer, qui habet panes et pisces, et ad quem recurrere debemus.

I. Audistis, fratres charissimi, quomodo Salvator de quinque panibus et duobus piscibus quinque millia hominum satiavit. Dies enim hæc bona omnii est, quia satiati Deum laudant, sed si non fuissent satiati, murmurassent. In hoc enim sancto Evangelio, fratres charissimi, Salvator ad misericordiam et perseverantiam nos invitat. Dum enim ait Discipulis (6) : « Misereor super turbam[10], » nos misereri docet; dum ait : « Si dimisero eos sic, deficient in via[11], » exemplum præbet perseverantiæ. Ne ergo deficiant in via, pasci debent sacra admonitione.

II. « Quidam enim de longe venerunt[12]. » Isti (7) qui levioribus culpis solummodo gravantur, et ad Deum convertuntur, de proximo veniunt. Qui vero post perpetrata flagitia, de longinquo venire dicuntur. Et responderunt Discipuli : « Quis poterit istos saturare in solitudine panibus[13] ? » Deficiente victu et humano ingenio, respondit incarnata Veritas : « Quot panes habetis[14] ? » Et ait ad Discipulum qui de partibus illis erat : « Unde ememus panes[15] ? »

[1] Luc. xi, 14, et Matth. xii, 22. — [2] Luc. xi, 14. — [3] Ibid. 15. — [4] Luc. xi, 19. — [5] Ibid. 17. — [6] Ibid. 27. — [7] Ibid. 28. — [8] 1 Petr. v, 7. — [9] Luc. xii, 36. — [10] Marc. viii, 2. — [11] Ibid. 3. — [12] Ibid. — [13] Ibid. 4. — [14] Ibid. 5. — [15] Joan. vi, 5.

(1) Cod. *populavit*. — (2) Deest non, juxta hujus codicis consuetudinem, qui semper tollit non post *numquid*. — (3) Cod. *veneris*,... *duceris*. — (4) Forte *frater noster*. — (5) Cod. male *dum*. — (6) Hic omnia confundit concionator, ponens modo ea quæ dicuntur in Marco, de septem panibus, modo quæ in Joanne de quinque, et duobus piscibus. Duo sunt facta distincta, quæ male quasi ad unum revocantur. — (7) Cod. male addit *sunt*.

Et ait Andreas : « Est puer unus habens quinque panes hordeaceos et duos pisces, sed quid inter tantos[1] ? » Hæc enim responsio et interrogatio superflua esse videtur ; nec enim responsione indigebat, quia sua potestate cuncta condidit, omnia continet in pugillo. Deum igitur interrogasse Discipulos admiror, ut appareret necessitas ex hac responsione, et ex miraculo, quæ latebat, divinitas. « Et « accipiens panes gratias agens[2], » benedixit, sed non ideo gratias egit, ut impetraret, sed ut nobis formam impetrandi præberet. « Et manducaverunt, et satiati sunt[3]. » Exivit Dominus colligere fragmenta, ne perirent.

III. His, fratres, prætermissis, de misericordia et perseverantia, aliqua propter nos dicamus. Ait enim Salvator : « Estote misericordes[4] ; » quasi dicat Salvator : Cupis esse filius Patris mei ? vis habere hæreditatem ejus ? Esto misericors. Sine (1) habitu monacali, sine grammatica, sine philosophia, sine cæteris artibus salvari optime possumus ; sed absque misericordia Paradisum adhuc nullum intrasse perlegimus. Hanc Deus requiret ab omni homine, a divite quidem, opere et voluntate, a paupere, saltem voluntate, quia opere adimplere non potest. Bonum est jejunare, sed longe melius misereri, sicut patet de illo discipulo Antonii qui valde compatiebatur monachis infirmantibus, quibus etiam omnibus serviebat, prout poterat, sed quia non jejunabat, ut alii, ideo mundanus quodam modo reputabatur. Accidit autem, quod monachus misericors moritur, et cunctis videntibus ab Angelis elevatur : moritur et socius, qui jejunando valde macerabatur, nec etiam cunctis videntibus elevatur. Orans sanctus senex Antonius (2) audivit : « Misericordiam volo super omnia sacrificia[5]. » Ecce ergo quomodo misericordia est virtutum mater ; ecce quomodo regina Paradisi esse perhibetur. Sed misericordia multis modis frangitur, et multis modis committitur. Frangitur enim misericordia judicando proximum, odiendo, decipiendo ipsum. Etiam non corrigere nihil est aliud quam contra Dei misericordiam agere. « Recte enim judicate, filii hominum[6]. » Sed scire, fratres, debetis, quod aliud est judicium odii, aliud judicium timoris, aliud judicium amoris vel charitatis, aliud est judicium veritatis. Judicium odii fuit Judæorum, quando dixerunt : « Legem « habemus, et secundum legem debet mori[7]. » Judicium timoris fuit eorumdem, quando dixerunt : « Si dimiserimus eum sic, venient Romani et tollent locum nostrum « et gentem[8]. » Judicium amoris et charitatis (3) fuit in David, quando filium, qui peccaverat, excusabat, et excusando dicebat : « Parcite filio meo Absalom[9]. » Judicium veritatis fuit in Salomone, de meretricibus duabus, etiam in Salvatore dum dixit : « Qui sine peccato est, « primus (4) in eam mittat lapidem[10]. » His tribus omnino exclusis, si vere misericordes esse volumus, quartum capiamus, quod est judicium veritatis. Sed quia aliquando judicatur de occultis, aliquando de apertis, ideo ait Pater cœlestis : Nolite judicare de occultis, quia solius Dei est, sed de apertis ait : « Recte judicate, » vos qui estis « Filii hominum. » Igitur, fratres mei, misericordia etiam est vestire nudos, visitare infirmos, mortuos sepelire, errantes revocare, sed etiam longe est perfectius ei (5) dimittere, a quo læsus es. Hæc est illa magna misericordia, quæ excedit omnem aliam ; hæc est illa summa eleemosyna quam tibi ipsi facis. Civis cœlorum efficitur per hanc eleemosynam Paulus (6) : nam si Stephanus Paulo non pepercisset, et pro eo non orasset, Ecclesia Paulum non habuisset.

IV. Sed hoc incipere bonum, modicum est, nisi perseveremus in bono. Ideo ait Dominus : « Si dimisero eos, deficient in via[11], » quia subtracta Dei gratia, perseverare in bono nullatenus possumus.

V. Attendamus etiam, fratres, quod in hoc Christi convivio fuit magna humilitas, quia non vasorum argenteorum vel aureorum curiositas, non est copiositas ciborum, sed summa moderantia. Oh ! quam Deo grata et Angelorum soror est ferculorum paucitas ! solus enim panis hordeaceus legitur ibi fuisse, cum uno tantum pulmento ; et nos miseri Ecclesiarum pastores de multis et variis adhuc non contentamur (7). Vinum etiam ibidem fuisse non credimus, quia in deserto vinum non erat. Nec de vino, sicut de pane facere miraculum voluit ; et nos miseri in nostris conviviis non solum vina optima sumimus et potamus, sed eo inebriati potiora (8) habere sæpe procuramus.

VI. Sed si panem Salvatoris, fratres, sumere cupimus, sublevemus oculos ad Jesum, ut suos quinque panes comedere nos dignos faciat : Aspectu enim in se habent asperitatem, sed interius omni suavitate sunt pleni. Isti enim sunt quinque panes, quorum primus est cognitio sui, secundus est pudor commissi, tertius est dolor omissi, quartus est timor judicii, quintus est horror inferni. Isti enim sunt quinque panes, quos frangere et comedere debemus. Duo pisces sunt fides et spes, quæ quinque panes comedere sapide faciunt. Quis enim, fratres, illos panes comederet, nisi de venia et de gloria speraret ? et quomodo speraret, nisi Deum benignum crederet ? vel isti quinque panes sunt dolor contritionis, pudor confessionis, ciborum abstinentia, vigiliæ et disciplina. Duo pisces sunt eleemosyna et oratio, vel quinque panes sunt tribulationes, quorum primus est infirmitas a Deo illata, contumelia proximi, injuria facta viro sancto, et cordis angustia (9). Isti enim sunt panes tribulationis, qui animam reficiunt : istos panes gustavit sanctus Lot (10), dum vallatus fuit a Sodomitis in domo[12]. Hos manducavit Joseph in carcere constitutus ; hos gustavit Daniel in lacu leonum ; hos manducavit Zacharias inter templum et altare. Omnes enim illi quos in excelsis credimus triumphare, panem doloris et aquam afflictionis sæpe gustasse nullatenus dubitamus.

VII. Hos igitur panes si cupimus manducare, oculos ad cœlum levemus, exemplo Domini Salvatoris armati, quem sæpe oculos ad cœlum levasse perlegimus. Sublevavit enim oculos ad cœlum, quando satiare voluit quinque millia hominum ex quinque panibus. Sublevavit oculos Jesus turbam refecturus ; et tu leva oculos, beneficium pauperi daturus. Sublevavit oculos Jesus Patrem rogaturus dicens : « Pater, clarifica Filium tuum[13] ; » et tu leva oculos, Deum oraturus. Elevavit Jesus legisperito responsum daturus[14], ut tu Deo petas quid in vita sis postulaturus. Elevavit oculos Jesus Discipulos docturus : « Beati pauperes « spiritu[15], » ut tu populum docturus, oculos eleves ad Deum ; cognoscens quia « Omnis potestas a Domino Deo « est[16]. » Elevavit Jesus oculos sanaturus surdum et mutum, quia « Suspiciens in cœlum ingemuit[17], » ut etiam et tu ingemiscas peccata populi, et surdum ad Dei verbum conducas. Ideo Deus et Salvator ingemuit, insinuans quanta est difficultas surdum ad auditum, et mutum ad confessionem conducere. Elevavit Jesus oculos, dum Lazarum resuscitavit[18], ut et nos semper oculos elevemus pro mortuis in peccatis. O fratres ! quam magna difficultas est in conversione peccatoris, qui in peccatis et in consuetudine peccati mortuus est ! Habet enim supra se lapidem obstinationis. Exemplo enim Salvatoris tui, dum aliquid facturus es, quod multum habet difficultatis, licet nec multum, nec modicum sine Dei gratia valeas (11) aliquid boni etiam cogitare ; tamen in correptione peccatoris, quod est

[1] Joan. VI, 9. — [2] Ibid. 11. — [3] Marc. VIII, 8. — [4] Luc. VI, 36. — [5] Matth. XII, 7. — [6] Psal. LVII, 2. — [7] Joan. XIX, 7. — [8] Id. XI, 48. — [9] 2 Reg. XVIII, 5. — [10] Joan. VIII, 7. — [11] Marc. VIII, 3. — [12] Gen. XIX, 4. — [13] Joan. XVII, 1. — [14] Luc. X, 30. — [15] Id. VI, 20. — [16] Rom. XIII, 1. — [17] Marc. VII, 34. — [18] Joan. XI, 41.

(1) Cod. male *si non*, et sic deinceps. — (2) Cod. *orante sancto sene Antonio audivit*, per manifestum erratum, nisi mavis addere *turba audiens*. — (3) Cod. male *carnis*. — (4) Cod. male *primo*. — (5) Cod. *longius et perfectius est*. — (6) Cod. male *efficeris... paulum*. Nisi aliter legas *quo civis cœlorum efficeris. Per hanc eleemosynam Paulus est conversus* ; aut aliquid simile. — (7) Cod. male *tentamur*. — (8) Cod. *ex inebriantibus speciebus*. — (9) Hæc quatuor tantum indicantur tribulationes, et quinta non indigitatur, etiamsi satis amanuensis. — (10) Cod. inepte *Abraham*. — (11) Cod. *vales*.

maximæ difficultatis, eleva ad Deum oculos cordis. Cum omnino ignoremus quid agere debeamus, vel per quem modum cur ipsius peccaturis scindere possimus, hoc solum habemus refugium, ut oculos levemus ad Dominum. Frequenter ergo, fratres, levemus ad cœlum oculos; patria enim nostra est (1), ad quam tendimus, ad quam suspiramus, ad quam refugimus, pro qua militamus: « Non igitur » habemus hic civitatem manentem, sed hanc futuram inquirimus[1]. » Locus enim noster, ad quem facti sumus, in quo (2) Patrem nostrum videbimus, sine labore amabimus, sine fictione fruemur omni gaudio et delectatione.

VIII. Sed si ad hanc recte intrare cupimus, fratres, custodiamus, ne quinque panes et duos pisces diaboli comedamus. Qui sunt diaboli panes et pisces, nisi septem vitia mortalia, quæ dulcia sunt in principio, sed amarissima et mortalia sunt in fine? O fratres, o fideles christiani, Christi sanguine pretioso redempti, gustate et manducate de Christi pane hordeaceo. Licet enim amarus sit et asperus in principio, dulcissimus et suavis erit in fine. Nam de turba et de familia Dei estis; Deum in fide secuti estis, fatigati estis, famelici estis, et si dimiserit vos Dominus sic, deficietis in via. Compatitur nobis Pater cœlestis, cum duxit nos ad se; Pater cœlestis cupit nos reficere, ut per viam non deficiamus: ecce facit nos discumbere, facit nos quiescere in mensa Ecclesiæ, cupit nos saturare pœnitentia, ut non deficiamus.

IX. Eia, eia, fratres mei, est puer unus qui habet quinque panes et duos pisces. Quis est iste puer, nisi Dei sacerdos qui omni puritate debet esse decoratus? Ipse enim habet quinque plagas Christi in canistro cordis sui: petas igitur ei quinque panes et duos pisces, quibus possis sustentari, ne deficias in via. Duo enim pisces fides et spes sunt. Pergite, fratres, ad hunc puerum; discite quomodo quinque panes frangere debeatis et duos pisces; discite quomodo frangendi, quomodo manducandi, quantum et quoties sint sumendi, ut recipi possitis in æterna tabernacula. Amen.

SERMO VI.

Quomodo Christus se abscondit et exivit de templo. Joan. VIII, 48-59.

Sit, ut præcedentes, in appendice iste sermo, quem nobis iterum suppeditavit Bibl. Ædil. cod. x, fol. 15 b. Locus ejus post præcedentem.

SYNOPSIS.

I. Christus Samaritanus et dæmoniacus appellatus, secundum negat, non primum. II. Abscondens se Christus, nos docet mansuetudinem. III. Christi exemplum maxime pastoribus imitandum.

I. Hodie, fratres, sicut audistis, Salvator noster, « Qui » peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus[2], » peccator appellatur, dæmoniacus dicitur et Samaritanus[3]. Ambiguus enim et incertus, et Legis adversarius, calumniator et fractor sanctæ Legis dicebatur, quia Samaritani etiam sic a Judæis reputabantur. Steterat enim jam Salvator in Samaria, et mulierem habentem viros quinque ad se traxerat[4]. Miracula multa ibidem fecerat, et ab eisdem dilectus erat; cum (4) filium Dei esse dicebant. Ideo Judæi indignati Christum prævaricatorem Legis appellabant, dum dicunt: « Samaritanus es et dæmonium habes; » quod tamen non negavit se esse Samaritanum custodem, sed bene non habere dæmonium, cum ait: « Ego dæmonium » non habeo[5], » sed vos habetis dæmonium, quia filii diaboli estis[6], non natura, sed opere. Non igitur erant Judæi amici Dei, sed inimici Dei et veritatis. Ideo dicebat Salvator: « Qui ex Deo est, verba Dei audit[7]; » et quæ sunt verba Dei, nisi verba veritatis? Ille enim veraciter verba Dei audit, qui auribus corporis audiendo, opere adimplet. Ipsi vero nec opere, nec aure verba Dei audire cupiebant, quia veritatem audiendo, « Tulerunt Judæi lapides, ut lapidarent eum[8], » tanquam blasphematorem Dei. Ideo solita Judæi crudelitate ad lapides currunt, et quem intelligere non poterant, lapidare quærebant. Ideo cum (4) hoc genere mortis volebant occidere, quia videbatur eis blasphemare, attribuendo sibi verbum, quod ad Deum videbatur pertinere. Ideo Salvator benignus et humilis clausit oculos Judæorum, et abstulit eorum potentiam, « Et sic exivit de templo, et abscondit se[8], » pergens ad desertum Ephrem (5). Abscondit igitur se Jesus, tanquam qui quidem magnus non erat, ut eos continuo terra descendente faceret absorberi. Attendant igitur Christiani, exemplum Salvatoris prospiciant, et teneant in æternum, ut dum tribulamur verbo vel facto, etiam si resistere possimus (6), iram et furorem superbientem declinemus.

III. Proponitur enim nobis hodie Salvatoris nostri bonitas et exemplum, quod imitari debemus, et Judæorum perversitas quam detestari debemus. Pastoribus (7) enim qui oves instruere debent, summe necesse est vitæ irreprehensibilitas. « Oportet talem esse irreprehensibilem, mo» destum, castum, benignum et mansuetum, » ne ipsi dicatur: « Medice, cura te ipsum[10]. » Irreprehensibiliter ergo Pastores vivere debent, ut aperta facie dicere possint cum Salvatore, saltem de peccatis gravioribus: « Quis ex vobis arguet me de peccato[11]? » Cura ergo primum te ipsum, antequam ascendas cathedram Moysis, « Cura te ipsum exhibere operarium irreprehensi» bilem, recte tractantem verbum veritatis[12], » et opera charitatis. Verbum non recte tractat, qui, quod verbis ædificat, facto exstruere non curat. Numquid sordida manus, et luto fœtido plena, lavare poterit faciem? Puritas (8) igitur vitæ et veritas doctrinæ pastori summe necessaria sunt, sine quibus regere bene non potest. Unde valde timendum est regimen eorum, qui non habent vitæ puritatem. Numquid se etiam juvare possunt? Quomodo igitur alios? Talibus etiam Pastoribus humilitas summe necessaria est. Ecce enim, fratres mei, Salvatoris nostri exemplum, qui Dei Patris gloriam quærebat, et propriam carnis voluntatem despiciebat. Ait enim Salvator: « Ego non quæro » gloriam meam[13]; » summe est enim necessaria humilitas rectori, ut alios instruendo, non solum sit in eo doctrinæ veritas, sed etiam intentionis puritas, ut in cunctis quærat gloriam Dei. Quærat igitur pastor gloriam Dei, primo bene vivens, ut ipsum videntes bonis ornatum, et tanquam in speculum inspicientes, dicant admirantes: Ecce homo qui vere gloriam Dei quærit. Quærat ergo pastor gloriam Dei; prædicando, discurrendo gloriam Dei enarret. Tunc enim gloriose Deo gloriam tribuit. Tunc gloriam Dei summe quærit, cum circa correptionem delinquentium proficit cum Dei dilectione et odio vitiorum. Talis gloriam suam non quærit; aliter (9) velut aër corruptus corrumpit corporum sanitatem. Oportet etiam et pastorem esse mansuetum, ut verba non curet, nec vulnera timeat; sed percussus in maxillam, præbeat et (10) aliam[14], primo corde et postea corpore. Mitis est enim Salvator, qui rancore vel ira non movebatur, cum dæmoniacus diceretur.

[1] Hebr. XIII, 14. — [2] I Petr. II, 22. — [3] Joan. VIII, 48. — [4] Id. IV. — [5] Id. VIII, 49. — [6] Ibid. 44. — [7] Ibid. 47. — [8] Ibid. 59. — [9] I Tim. III, 2. — [10] Luc. IV, 23. — [11] Joan. VIII, 46. — [12] II Tim. II, 15. — [13] Joan. VIII, 50. — [14] Matth. V, 39.

(1) Deest in cod. vox *est*. — (2) Cod. *in quem*. Forte addendum *est* post *noster*. — (3) Cod. *cum*. Forte *quem*. — (4) Cod. iterum *cum* pro *eum*. — (5) Cod. scribit *Effren*. — (6) Id. *possumus*. — (7) Id. *pastores*... *summe sit*. — (8) Cod. male *veritas*, et ita inferius *vitæ veritatem*. — (9) Cod. absque sensu *talisque* forte aliquid deest, verbi gratia *qui autem quærit*, etc. — (10) Cod. *sibi*, absque sensu.

Tales enim sic Salvatorem imitantes, a perfidis Christianis se (1) abscondentes, exeunt de templo corporis sui, et abscondunt se in cœlis, quoniam verba Dei audierunt, et sermonem ejus servaverunt; ideo «Mortem non gustabunt » in æternum[1], » de quorum numero per gratiam faciat nos ipse Christus Filius Dei vivi. Amen.

SERMO VII.

Quomodo Christus flevit super Lazarum. Joan. XI, 35.

Idem dicendum de hoc sermone ac de præcedentibus, cum extrahatur ex eodem cod. x, *Bibl. Ædil. fol.* 16. *Pauca dicuntur de Lazaro, et melior foret titulus, si diceretur : Quomodo Christus flevit super Jerusalem.* Luc. XIX, 41-46. *Locus ejus post sermonem appendicis Maurinensis* XCVI.

SYNOPSIS.

I. Christus, qui flevit super Jerusalem, flet super peccatorem. II. Flevit et super Judam proditorem. III. Fletibus insistendum, ut mala Jerusalem vitentur. IV. Qui sint, quos vendentes et ementes Christus ejicit e templo. V. Mundanda corda, quæ sunt templa Spiritus sancti.

I. TRIGINTA tribus annis et amplius, fratres charissimi, Salvator noster cum hominibus conversatus est, et in terris visus est, non desistens cæcos illuminare, mortuos suscitare, infirmos sanare, et ad mortem jam pergens, nostra vulnera non neglexit. Dæmones expellere non pigrescit, virtutes informat, vitia extirpat, et peccatores ad misericordiam continuo revocat. Sed quia «Multi sunt vocati, et » pauci sunt electi[2]; » quibus ipse dicturus est in extremis : »Vocavi et renuistis, extendi manus, et non fuit qui aspiceret[3]; » talibus obstinatis flendo compatitur, quia «Videns civitatem flevit super illam, dicens : Si cognovisses[4], » et tu flevisses. Flevit assidue, dum civitati appropinquabat (2). Tunc super te (3) flet, dum tibi misereri optat; tunc super te flet, cum te videt et prospicit; tunc super te (4) flet, dum tibi appropinquare dignatur; tunc super te flet, dum te flagellat, ut corrigat. Sic enim flevit super Lazarum peccatorem mortuum; sic enim flevit super Job, ut meritis augeretur patientiæ; sic flevit super Tobiam et Paulum, ut infirmiores in sanctis virtutibus persistarent; sic flevit super Mariam sororem Moysis, dum percussit eam lepra, quia de fratre suo Moyse nequiter murmuraverat; sic flet super omnes amicos, dum in præsenti nos torquet, ut ad patriam eos deducat.

II. Super Discipulum etiam flevit proditorem, quia non potuit eum corrigere, et quia noluit benedictionem, flevit super ejus æternam damnationem (5). Ideo flevit misericordiarum Pater, flevit Discipuli damnationem, flevit et longe fortius Discipuli obstinationem, quia obstinatus in malo clamavit et dixit : «Peccavi tradens sanguinem jus» tum[5]; » cognovit peccatum, et tanquam desperatus, non confidens de Dei et Magistri misericordia, «Laqueo se sus» pendit[6]. » Flevit ergo Dominus Discipuli damnationem, non carnis passionem, dum ait : «Tristis est anima mea » usque ad mortem[7]. » Hoc est quod flevit, hoc est quod usque ad mortem doluit. Flere dignatur (6) super te Christus in mundo, ut et tu rideas in futuro. Flere ergo, fratres, non desistamus in præsenti, ut rideamus cum Christo in futuro; «Melius est enim ira quam risus[8], » et «Ire ad domum luctus, quam ad domum convivii[9]. » Sed dicet quis : Numquid Dominus facere non (7) poterat, quod tantum ac talem Discipulum non amitteret? Ex quo enim tantum eum flevit, tantum super eum doluit, toties in cœna Christus prædixit (8) : «Qui intingit mecum[10], » et «Quod facis fac, citius[11]? » Videtur enim quod non poterit eum revocare a malo. Numquid et ipse non Deus est? Numquid non omnia potest? Numquid omnia bona non vult? O fratres mei, omnia bona vult, et nullum malum fieri permittit, nisi ex illo malo optimum prosequatur bonum, licet nobis absconditum sit, sed Deo soli cognitum. Omnia enim potest, sed contra voluntatem tuam te salvum facere non potest. Ecce in cœlo sedet, qui nos exemplo flere nos admonet.

III. Si igitur ad ipsum pervenire volumus, dum licet, lacrymis insistamus; quia cor nostrum siccum est, nisi lacrymis ipsum irrigemus. O civitas Christi sanguine dedicata, emitte lacrymas cordis et corporis. Ecce «Salvator tibi veniens, » sedens mansuetus super asinam[12], » flere non desinit, et, si cognosceres quæ ventura sunt in te, forsitan doleres et fleres super te, eo quod «Venient dies in te, et circum» dabunt te inimici tui valle, et ad terram prosternent te; » eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ[13]. » Factum hoc audivimus a Romanis principibus, eo quod non remansit lapis super lapidem. Facta est igitur subversio urbis, sicut vere prophetavit. Timendum valde est et tremendum in illa subversione designatum esse periculum mentis nostræ et civitatis nostræ Jerusalem, quod malo (9) viventibus iniquitas ac obstinatio parit. Sed quomodo, fratres, cavendum est, nisi ut peccata cognitione curentur, et confessione aboleantur? Voluntas enim nostra amaritudine pœnitentiæ suffocanda est. Amarus est enim gustus antidoti, sed salutare valde et vitale est, quod est faucibus insuavo (10); ut amaritudo in poculo displicibilis, sed restituenda per amaritudinem salus placet. Aspera est enim pœnitentiæ castigatio, sed levis efficitur, si modus culpæ et pœnæ inferni attendatur.

IV. Quod si facere volueris, o peccator, ingredietur in te Salvator, quia «Ingressus civitatem, intravit tem» plum, » id est, cor fidelium, «et cœpit ejicere vendentes et ementes[14], » id est, vitia venalia, quæ adhuc in ipso remanserant peccatore. Ingrediens igitur Dominus civitatem, non ad forum tendit, non ad amicos primo divertit, non ad potum recurrit, non ad crapulas refugit; sed (11) regnum Dei primum quærit, ut nobis formam sanctæ religionis et exemplum exhibeat in æternum : vendentes et ementes de templo Dominus expellere festinat, quod tamen licitum erat emere et vendere in templo. Sed quid faciet Salvator de illis hypocritis, qui animas suas in templo quotidie vendere festinant? Tales sunt omnes illi qui Simoniam exercent (12) in templo, in confessione, vel in sacramento, dicentes se potestatem Dei habere, ubi nullam forsitan habent; tales sunt etiam, qui sacramenta donant et largiuntur pecunia præparata. Tales sunt omnes illi qui populo unum dicunt et aliud faciunt; tales sunt de templo expellendi, ne adulteria ibidem committant; tales pejores Judæis omnino credimus, fratres, quoniam Judæis, quæ apta (13) pro sacrificio erant, vendere bonum erat; sed populis Christianis prohibetur omnino.

V. Sumus ergo, fratres, templum Dei. Consideremus quod tunc Dominus ad nos intrat, quando suæ inspirationi obedientiam adhibemus. Tunc enim vendentes et ementes ejicit, quando pravas et sordidas cogitationes, quibus vita æterna amittitur, et pœna et mors sine fine comparatur, misericordia sua abstergit, et mens quæ prius fuerat fossa latronum et vitiorum, mutatione dexteræ Excelsi, fit claustrum virtutum. Itaque, fratres, ecce jam Salvator advenit. Itaque munda templum tuum; colloca in ipsum misericordiam et veritatem oratione et lectione. Assiduis his cibis

[1] Joan. VIII, 52. — [2] Matth. XX, 16. — [3] Prov. I, 24. — [4] Luc. XIX, 42. — [5] Matth. XXVII, 4. — [6] Ibid. 5. — [7] Matth. XXVI, 38. — [8] Eccle. VII, 4. — [9] Ibid. 3. — [10] Matth. XXVI, 23. — [11] Joan. XIII, 27. — [12] Matth. XXI, 5. — [13] Luc. XIX, 43. — [14] Luc. XIX, 45.

(1) Deest *se* in cod. — (2) Cod. *appropinquat*. — (3) Cod. *enim*. — (4) Cod. *enim*. — (5) Cod. *super eum æterna damnatione*. — (6) Cod. male *dedignatur*. — (7) Deest vox *non* in cod. qui semper tollit negationem post *numquid*; et sic deinceps. — (8) Cod. *sibi dixit*. — (9) Cod. *malis*. — (10) Id. *suave*. — (11) Id. *sed ad*. — (12) Deest in cod. vox *exercent*. — (13) Cod. *acta*.

convalescit spiritus; ipse alitur cibis; ipse victor efficitur. Fructus ergo doctrinæ Dei est memoria peccatorum, pœnæ inferni, et mortis. Christi passio et desiderium æternæ gloriæ de memoria fidelium nunquam debent senescere, nunquam recedere; sed quando recessisse hæc cognoverimus, fratres, dicamus lamentantes : « Servi inutiles sumus[1]. » Quod avertat Deus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO VIII.

De Verbis Apostoli : *Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis;* (Ephes. v, 1, 2), sive quomodo debeamus Deum imitari.

Sermo iste, qui utiliter perlegetur, non videtur sancto Augustino tribuendus, cujus tamen nomen habet præfixum in cod. 2, Bibl. Ædil., fol. 20, unde extrahitur, tam quia codex ille dubitandi graves præbet ansas, ut supra diximus, tam quia scribendi genus differt ab Augustini stylo, tum quia evidens est opus superioris loquentis ad monachos, non episcopi loquentis ad populum. Hinc ponatur in appendice post sermonem appendicis Moerinensis cx.

SYNOPSIS.

I. Dei filii, Deum imitari debemus. II. Hunc imitamur, ambulando in dilectione. III. Dilectio duplex, Dei et proximi. IV. Primus ambulantium gradus est pœnitentia, quæ non utilis est, nisi injurias condonantibus. V. Secundus est, vitare peccata, quod maxime fit per dilectionem. VI. Detractio maxime est dilectioni infensa. VII. Duo omnia perturbant, lingua et voluptas. VIII. Conclusio.

I. Admonet nos Apostolus, fratres, ut sicut filii Dei (1) estis, a tanto Patre non separemini. Ille enim filius dignus est patre, qui bono patri assimilatur. Unusquisque enim recognoscit se esse Christianum : si Christianum ergo et Christi filium. A quo enim Christiani dicuntur? Si autem Christianus filius Christi est, et Dei filius est. Cum autem Christiani omnes Dei filii estis, « Estote ergo imitatores » Dei, sicut filii charissimi[2]. » Unde Jesus : « Videte qualem » charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei (2) nominemur » et simus[3]. » Ergo « Qui dicit se in ipso manere, debet » sicut ambulavit (3) et ipse ambulare.[4] » Nunquam enim Christus ambulare cessavit; semper ambulavit. « Estote » ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi. » Non tamen jubet nos Apostolus imitari Deum in divinitate, quia revera non possumus natura, sed participatione.

II. Non ergo jubet Apostolus Patrem Deum imitari in miraculis, nec ex nihilo aliquid facere. Sed quid? Tantum ambulare : « In novitate (4) vitæ ambulemus[5], » non tantum ambulatione pedum, sed etiam mentium, non tantum gressibus corporis, sed mentis. Ascensuri, fratres, estis altum montem, et hic est cœlestialis (5). Aliqui tamen ascendere differunt per annos centum, aliqui quinquaginta, aliqui quadraginta, aliqui triginta, aliqui viginti, aliqui decem, aliqui per diem, quia tanto tempore vivunt. Et quia forte viam ignoratis, vel forte per viam ambulare negligitis, ideo Apostolus nos per viam rectam ambulare docet, cum dicit : « Ambulate (6) in dilectione[6]. » Habeatis dilectionem, fratres, et secure transire poteritis viam, qua ad montem dirigitur. Ipsa enim habet duas alas, quibus homines ad montem volare possunt. Quæ sunt hæ duæ alæ, nisi dilectio Dei et proximi? His duabus alis ascendit Christus cœlum : ipse enim Deum dilexit et proximum. Quidquid enim Christus in mundo faciebat, non sibi, sed Deo Patri attribuebat. Dicebat enim : « Et sermo (7), quem » audistis, non est meus, sed ejus, qui misit me, Patris[7]; » et iterum : « Pater, fiat voluntas tua[8]. Non sicut ego volo[9]. » De dilectione enim proximi patet, quando « Tradidit semetipsum pro nobis[10]. » Talem ergo, fratres charissimi, Patrem toto corde imitemur, qui prius viam dilectionis demonstravit, « Relinquens nobis exemplum, ut sequamur » vestigia ejus[11]. »

III. Diligamus ergo Deum et proximum, fratres, et tunc veram charitatem habebimus. Charitas enim est virtutum regina; omnes enim virtutes serviunt charitati. Si enim aliqua virtus est, quæ in charitate non fundetur, omnino desinit esse virtus. Et quoniam charitas est sublimior cunctis virtutibus, ipsa sola remanebit in futuro; licet enim Sancti in Patria fidem et spem semper remanendi habeant, in improprio (8) fidem et spem talem habebunt. Sola charitas, cæteris virtutibus pereuntibus, remanebit. Hæc sola virtus inter homines remanebit in futuro, quia et Deum, et se invicem, ut concives et filii ejusdem Patris, ardore nimio diligent. Diabolus igitur plus laborat odium mittere inter fratres, quam aliquod aliud vitium; quanto enim viderit plures in Christi fervore colligatos et confœderatos ad bellum, tanto minus frameam suæ nequitiæ mittere poterit contra eos. Cum igitur, fratres, adversarius noster semper studeat nos perturbare et ad bella conducere, studeamus et nos tanta pace amare, ut ipsum sine dubio debellare possimus. Nam odio et discordia nascente, necessario filiæ ejus nascuntur. Quæ sunt discordiæ filiæ, nisi detractio, invidia, contentio et homicidium? Quod bene cognovit ille Theologus, qui dicebat : « Qui odit fratrem » suum, in tenebris est, et in tenebris (9) ambulat et nescit quo vadat, quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos » ejus[12]. » Et sic, fratres, exposuimus viam, qua ascenditur ad cœlum. Modo videamus, quomodo in ea ambulemus. Ait enim : « Ambulate, dum lucem habetis, in dilectione[13]. »

IV. Primus enim ingressus bonorum ascendentium ad Deum est pœnitentia, et per eam veniam postulare : veniam postulare non potestis, nisi dilectionem Dei et proximi habeatis. Sicut enim veniam postulatis proximo contra eum peccantes, contra vos ipsos peccantibus (10) veniam postulato, vel præbeatis. Ait enim : « Nisi dimiseritis, » non dimittetur vobis[14]. » Ecce quomodo est necessaria vobis dilectio. Sed dicetis : Iste abstulit res meas; intulit mihi injurias, interfecit mihi patrem; suffocavit mihi fratrem; minatur et me occidere. O fratres, forte est tales diligere, forte est tales recto corde amare, rectoque oculo aspicere : omnino credimus tibi. Sed quia forte est, quia durum est, non tamen impossibile. Licet multi hoc impossibile asserant, tamen omnino possibile est; omnino nobis necesse est. Nam si impossibile fuisset, Salvator quomodo inimicum diligere præcepisset? Impossibile tamen forte est, secundum nostrum modum corruptum vivendi; et quia forte est, ideo talibus magnum præmium promittitur. Cœlestis enim hæreditas datur; æterna pro transitoriis; perfectum pro insufficienti, maximum pro minimo dabitur. Reducite ergo vobis ad memoriam, quod fecerit ille Magnus Alosander, quantam contulit barbitonsori misericordiam volenti sibi venenum inferre. Numquid pati voluit, quod in aliquo læderetur? Numquid e regno eum

[1] Luc. xvii, 10. — [2] Ephes. v, 1. — [3] Joan. iii, 1. — [4] 1 Joan. ii, 6. — [5] Rom. vi, 4. — [6] Ephes. v, 2. — [7] Joan. vii, 16. — [8] Luc. xxii, 42. — [9] Matth. xxvi, 39. — [10] Ephes. v, 2. — [11] 1 Petr. ii, 21. — [12] 1 Joan. ii, 11. — [13] Joan. xii, 35, et Ephes. v, 2. — [14] Matth. vi, 15.

(1) Deest vox *Dei* in cod. — (2) Deest in cod. vox *Dei*. — (3) Deest vox *ambulavit*. — (4) Cod. male *in voluntate*. — (5) Vox hæc indicare videtur auctorem ex Italia oriundum. In Italiana enim lingua remansit ista locutio usque adhuc *celestiale*. — (6) Cod. male *ambulatione*. — (7) Cod. *sermonem*. — (8) Vox dura, qua auctor videtur innuere, non proprie dictam fidem et spem sanctos in cœlo habituros. Pro *talem*, forte legendum *tamen*. — (9) Desunt in cod. hæc verba : *et in tenebris*, evidenti amanuensis incuria. — (10) Cod. *peccantes*.

expulit? Nequaquam legimus : sed pro malo bonum reddens, remisit eum ad patriam, non modo arte privans, militari dignitate ditatum. Quis fidelium hoc faceret (1) ex vobis? Ignoro; nisi, ut nostis, Hipponensis noster ille charissimus, qui prius voluit mori et occidi, quam malum pro malo reddere. Numquid et Ciceronos (2), philosophus magnus, licet Paganus, cum esset puteos, ceo (3) fecit hoc idem? Numquid tamen ex hoc vitam æternam expectabat? Numquid in libris suis, non posuit quod mortuo corpore moriebatur et anima? Cur hoc ergo fiebat, nisi quia inimicis parcere optimum bonum sibi apparebat, et magnæ virtutis? Et nos miseri ad veniam inimicorum inclinari non possumus, quibus etiam regnum cœlorum promittitur. Oh! si debes aspicere Paganorum vitam et erubescere (4), imitare Patrem tuum, qui dixit : « Ignosce » illis, Pater[1]. » Omnia enim quæ facimus bona, quasi vana omnino sunt, nisi inimicis pepercerimus.

V. Post pœnitentiam vero necesse est vitare vitia; ideo summa necessaria est dilectio charitatis. Ipsa enim « Charitas » non æmulatur[2]; » quoniam omni invidia caret; « Non » agit perperam[3], » quia malum pro malo reddere nunquam scivit; « Non inflatur[4], » quia vermem et putredinem se esse cognoscit; « Non gaudet iniquitati[5], » quia semper omnem iniquitatem odio habet. O sanctissima dilectio charitatis, o sponsa Dei, o amica Trinitatis, o Angelorum regina, o Paradisi via, o Patriarcharum anima, o Prophetarum domina, o Apostolorum victoria, o Martyrum constantia, o Confessorum fiducia, o Virginum et Viduarum hilaritas, o Monachorum et Eremitarum societas, o cunctorum Fidelium lumen, o Paganorum et Judæorum solatium, quam beata, quam pulchra, quam decora es! Nam qui te habent, te libenter astringunt, quoniam perfectionem et matrem omnium virtutum agnoscunt. Numquid qui te habet, mori timet? Numquid homicidium facere vel cogitare potest? Numquid adulterium, numquid furtum committere? Numquid perjurium, numquid falsum testimonium, numquid rapinam? Numquid invidere, numquid litigare, numquid superbire, numquid per vicos et plateas discurrere, numquid blasphemare, numquid luxuriari, numquid per montes et Alpes volare, acquirendo quæ mundi sunt, numquid de montibus (*sic*) cœlorum disputare? Omnino, fratres, dilectionem charitatis habentes, omnia hæc tanquam stercora conculcantes, Christum ducem habentes, ad Cœlorum regna cum Angelis volant. Qui ergo diligit fratrem suum, manet in luce. Diligamus ergo omnes, tam Judæos, quam Paganos, odientes tamen eorum errores, ut mortem. Itaque, fratres, omnis vita bona in charitate fundata est. Tales enim talem vitam habentes, sive clerici, sive laici sint, opere et voluntate pauperes pascunt, nudos vestiunt, pauperes et hospites recipiunt, pedes lavant, infirmos visitant et incarceratos consolantur, ut possunt, saltem voluntate : hoc facientes charitativi dicendi sunt, quoniam eorum vita in charitate Dei et proximi fundata est.

V. Sed quoddam vitium hodie inter clericos et laicos summe regnat, quod nostram dilectionem, in quantum potest, extinguere studet. Quid est hoc, nisi detractio? Hæc est monachorum mors et confusio; hæc est Deo summe odibilis; per hoc regna combusta sunt, per hoc civitates sunt submersæ, per hoc monachorum ordines dispersi sunt, per hoc diabolus in clericis regnat, per hoc Christo cor (5) a Fidelibus clauditur et diabolo aperitur; hoc est seminatorium omnium vitiorum; hoc est discordiarum principium; hæc est fornax diaboli, animarum mors et sæva perditio. Veniat ille Rex Salomon et confundat murmuratores, qui ait : « Susurro et bilinguis maledictus » erit[6]. » Non solum in futuro, sed in præsenti, maledictio super tales veniet. Surgat Daniel eximius Propheta-rum, et vindictam de murmurationibus Deo petat, et dicat : « Da illis secundum opera eorum, et secundum » nequitiam eorum retribue illis[7], » qui turbaverunt pacem habentes. Veniat ille Apostolus Dei Jacob et supplantet omnes murmuratores Israël : « O fratres, quam modicum » membrum est lingua[8]! » et tamen multos commovit, et plurimos sapientes conturbavit, et inebriavit eos, velut insensatos.

VII. Duo enim sunt in homine membra, per quæ innumerabilia mala evenisse conspicimus. Illa enim sunt membra, quæ ossibus carent, et fortiora cunctis ossibus sunt; minora sunt, sed majora sæpe fecisse cernimus : vilissima sunt, et magnalia fecerunt; unum volat in capite, et alterum pendet in ventre; unum nequissimum, et alterum omni veneno plenissimum : « Minima membrorum sunt, et tamen alta » exaltant, et magnam sylvam incendunt[9]; » hæc enim sunt membra, quæ totum corpus et animam maculant. « Nullus enim linguam refrenare potest[10]; » sed alterum pane et aqua cum Dei ajutorio refrenari potest. « Si quis » enim putat se religiosum esse non refrenans linguam suam, » hujus vana est religio[11]. » Ideoque, fratres, ponendum est frenum linguæ, ne detrahat, ne accuset, ne maledicat. Nec solum custodiendum os, sed et aures, ne audiant accusationem, detractionem pariter, et murmurationem.

VIII. Timemus ergo, fratres, Apostoli sententiam, qui dicit : « Nec rapaces, nec maledicentes possidebunt regnum » Dei[12]. » Nulla enim res suavior apud omnes nationes, quam dilectio; quam volens nobis Dominus demonstrare surrexit a cœna, et depositis vestimentis, lavit pedes Discipulorum, et ait : « Scitis quid fecerim vobis? quia si ergo » Dominus et Magister lavi pedes vestros, » et dilexi vos; » ita et vos faciatis[13]. » Surgamus ergo, fratres, et exemplum tanti Patris sequamur, deponentes iram et odium de cordibus nostris, condonantes pacem et dilectionem. « Deus autem pacis et dilectionis[14]; » maneat cum omnibus nobis, et pacem det nobis in terra, et per eam possimus consequi æternam. Amen.

SERMO IX.

Quomodo *Christus non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo.* Philip. II, 6.

Hic sermo, qui rejicitur in appendicem ob easdem rationes ac alios omnes qui educuntur ex cod. x, *Bibl. Ædil. in quo legitur fol.* 16 *b, titulum habet* : Quomodo Christus non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, *de qua re minima quidem mentio fit in toto homiliæ decursu. Hinc melius diceretur de Passione. Sit tamen locus ejus in appendice post sermonem appendicis Maurinensis* CXI.

SYNOPSIS.

I. Christus venit hominem salvaturus, et deludens diabolum. II. Christi sacrificium in cruce. III. In crucem cum Christo ascendamus. IV. Christi exinanitio. V. Judæorum subita erga Christum mutatio. VI. Precatio ad Christum.

I. Illud mirabile et sæculis inauditum, fratres charissimi, quod Deus Pater noster (6) consulens saluti, de Filio suo in fine sæculorum facturus erat, beatus Job per Spiritum sanctum inficens, desiderio flagrans ait : « Utinam » appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas quam patior in statera, quasi arena maris hæc » gravior appareret[15]. » Discretionis intuitu tam originalia, quam actualia regnare peccata agnoscens, qui statera

[1] Luc. XXIII, 34. — [2] 1 Cor. XIII, 4. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. 6. — [6] Eccli. XXVIII, 15. — [7] Psal. XXVII, 4. — [8] Jacob. III, 5. — [9] Ibid. 6. — [10] Ibid. 8. — [11] Id. I, 26. — [12] 1 Cor. VI, 10. — [13] Joan. XIII, 12-15. — [14] 2 Cor. XIII, 11. — [15] Job, VI, 2.

(1) Cod. *faceru.* — (2) Sic cod. Utrum loqui velit de magno Cicerone, dubitandi locus occurrit, cum Cicero animæ immortalitatem non in libris suis impugnaverit. — (3) Deest in cod. negatio, quæ deficit quoties ponitur numquid. — (4) Cod. *erubescite.* — (5) Deest hæc vox in cod., quæ tamen est necessaria. — (6) *Forte nostræ.*

crucis utrasque deleret enormitates, humani generis miseriis (1) finem imponendo, passionis dominicæ desiderabat adventum. Nec mirum; claudebatur enim tunc temporis cunctis cœlum; nulli ad patriam patebat aditus vel via; justos pariter et injustos suscipiebat et deglutiebat infernus (2). Motus igitur misericordia Filius Dei, humani generis calamitatibus compatiens et condolens, ac bonis desideriis favens, ut antiqui serpentis artem falleret obumbratus, et diligentius miseris subveniret, de Virgine Maria, quomodo celaretur divinitas, mortale induit vestimentum. Dum medium silentium tenerent omnia, tunc Dominus de sinu Patris, de sede regali ad patibulum crucis descendit. Itaque carnis nube occulte indutus, locutus est pacem, donavit (3) gratiam, proposuit misericordiam, promisit veniam. Quod ut vidit dissensionis amator diabolus, ad libertatem pristinam hominem redire ingemiscens, apprehenso veritatis Magistro, ipsum per Discipulum Judæis tradidit, et crucis patibulo affixit. Sic tamen victus, sic superatus die tertia superavit.

II. Oblata est igitur Deo Patri ad redemptionem nostram et ad vitiorum sepulturam hostia sufficiens. Immolatus est in reditu filii junioris vitulus saginatus[1], quia Christus occisus est. Dolet inde infernus, quia sanctis Patribus privatur; ingemiscunt Pagani pectora percutientes; tremunt Judæi signa, terræ motus, solis eclipsationem, mortuorum resuscitationem videntes; civium supernorum exultat et gaudet cœtus in terra bonæ voluntatis, quoniam pax hominibus annuntiatur, dum immolatus fuit ille Sanctus sanctorum: tunc sponte ascendit ad arborem crucis, in quo dulcedo nostræ salutis pependit. Hujus etiam ligni typo, ut legimus, ferrum quod erat in fundo, tempore Elisæi natavit[2]. Impletum est itaque die Veneris, fratres, quod præfiguratum est, et juxta (4) quod Christus dixit in cruce pendens: « Consummatum est[3], » est (5) adimpletum omne quod per ora Prophetarum divulgatum est. Clamavit enim post Adam moriens revocando ipsum ad Patriam. Gaudeat igitur chorus Fidelium, quia ad loca pristina jam revocatur Adam.

III. Hic libet, fratres charissimi, demorari, et infirmitatem nostram exhortari. Jam plumbo iniquitatis liquefacto, et velut aurum in fornace, confessione cæterisque medicamentis et (6) purgamentis, obviam Christo florentes properemus, et nudi omni vitio et peccato, nudam Christi crucem ascendere studeamus. In ipsa namque pendet latitudo discretionis; latet in longitudine tunica talaris Joseph, perseverantiæ et sanctificationis. Quis igitur, fratres, ad hanc non accedet? Orare namque debemus, ut ad hanc crucem ascendere valeamus. Oratio namque est mentis ad Deum affectuosa intentio. Sine intermissione orare debemus[4], ait Apostolus, id est, semper Deum in corde desiderare debemus.

IV. « Hoc enim, fratres, sentite in vobis quod et in Christo Jesu[5] » fuit; sentite non tantum verbo, sed facto, quia « Cum in forma Dei esset, formam servi accipiens in similitudinem hominum factus[6], » non Angelorum; non ut homo primus, non in similitudinem peccati carnis creatus fuit, « Sed habitu inventus ut homo[7], » peccator reputatus, dæmoniacus existimatus, hominibus subditus, et in omni miseria (7) super omnes homines profundius se submersit, ne diabolus magnum pietatis comprehenderet sacramentum. Formam igitur servi accepit, non superbiendo præsumpsit, ut diabolus, qui (8) Deo voluit æqualem esse; non ut homo et mulier, qui scire voluerunt ut Dii. O Nazarene Jesu, quanta humilitate decoraris! Usque ad incarnationem te sponte humiliasti, usque ad mortalitatis humanæ participationem, usque ad diaboli tentationem, usque ad populi derisionem, usque ad sputa, vincula, alapas, flagella et mortem, non aliam, nisi turpiorem, scilicet crucis. Ecce, fratres, habemus humilitatis exemplum, superbiæ medicamentum. Quid ergo superbis, o homo? o pellis inflata, morticina, quid inflaris? Ecce princeps tuus humilis est, et tu caput superbiæ es. Exinanivit ergo (9), non substantiam evacuans, nec honorem inclinans: exinanivit se Christus, quod nihil aliud est exinanire, nisi ab invisibilitate se visibilem demonstrare; invisibilis enim erat, sed se visibilem demonstravit, non in forma Dei, non in forma domini, non in forma Angeli; sed in forma servi. Nobis apparuit impotens, inscius, pauperrimus; impotens tam ad ambulandum, quam ad loquendum. Deinde esurivit et sitivit, sudavit et alios carnis labores propter nos sustinuit annis triginta tribus: comedit et bibit, et peccatoribus se conformavit, ut peccator reputaretur, vorax et potator vini, et publicanorum amicus. Ecce quomodo se exinanivit: ecce quomodo se humiliavit. Hoc enim sentite in vobis[8], quod et Christus Jesus (10) sensit in se. Quid enim sensit, nisi quia humiliavit se? Quid enim sensit in se, nisi charitatem infinitam, dum propter nos permisit se occidi? Quid enim sensit, nisi obedientiam summam, quia « Factus est obediens usque ad mortem[9]? » Hoc enim sentire debemus in nobis, si vera capitis membra esse optamus.

V. Hodie denique, fratres, Salvator morti appropinquans, honorifice a cunctis suscipitur, sed paucis diebus interpositis, ab eodem populo crucifigetur (11). O quam dissimile est: « Benedictus qui venit in nomine Domini[10], » et « Tolle, tolle, crucifige eum[11]. » O quam dissimile est: « Hosanna in excelsis[12], » ab « Hic enim subvertit gentem nostram[13]! » O quam dissimile est: « Ecce rex tuus venit[14], » a « Non habemus regem nisi Cæsarem[15]! » O quam dissimile est regnum et crux, spinæ et flores! Cui prius vestimenta sternebantur in via a suis, hunc suis expoliant (12), sortem super vestimenta sua mittentes. Ecce quomodo humiliavit se, ecce quomodo formam servi accepit.

VI. O floride et Nazarene Domine Jesu, formam servi accepisti, ut me esurientem reficeres: formam servi accepisti, ut me ab irrisionibus inferni eriperes: formam servi accepisti, ut meam nuditatem tegeres: formam servi accepisti, ut mihi flores Paradisi perditos reddonares: formam servi accepisti, ut meam sorditatem lavares: formam servi accepisti, volens esurire et sitire, blasphemari et exspoliari, colaphizari, conspui, crucifigi et piscatoribus pedes lavare, ut nos esuriendo reficeres; et tentationes portando nos a tentationibus liberares; et irrisiones patiendo nos ab irrisionibus liberares; et nuditatem demonstrando, nostram nuditatem tegeres; et spineam coronam portando, nobis flores Paradisi portares et donares; et mortalitatem suscipiendo, nobis immortalitatem donares. Ista enim sunt beneficia tua, Domine Jesu, quæ precamur, ut infundas in cordibus nostris, ut te veraciter diligamus, et diligentes te in præsenti per gratiam, videamus et in futuro per gloriam. Amen.

[1] Luc. xv, 23-30. — [2] 4 Reg. vi. — [3] Joan. xix, 30. — [4] 1 Thess. v, 17. — [5] Philip. ii, 5. — [6] Ibid. 7. — [7] Ibid. — [8] Ibid. 5. — [9] Ibid. 8. — [10] Matth. xxi, 9. — [11] Joan. xix, 15. — [12] Marc. xi, 10. — [13] Luc. xxiii, 2. — [14] Matth. xxi, 5. — [15] Joan. xii, 15.

(1) Cod. *miseri*. — (2) Duplici sensu hic accipi debet vox ambigua *infernus*; nempe pro loco tormentorum, ubi cruciabantur injusti, et pro loco exspectationis, ubi quiescebant justi. — (3) Cod. *dabat*. — (4) Cod. absque sensu *prima*. — (5) Cod. *et*. — (6) Cod. non habet *et*. — (7) Forte *in omnem miseriam*. — (8) Cod. male *quia*. — (9) Videtur deesse *se*. — (10) Cod. *in Christo Jesu*, et antea *sentito*, pro *sentite*. — (11) Cod. male *crucifigetur*, et deinde deest vox *Domini*. — (12) Cod. *exspoliantur*, et ante non habet *hunc*.

SERMO X.

De adventu Domini I.

Idem dicendum de hoc sermone, qui educitur ex Bibl. Ædil. cod. x, *fol.* 1, *ac de præcedentibus ex hoc fonte deductis. In appendice sancti Maximi, fol.* 67, *est initium fere simile, sed cætera non concordant. Locus ejus post sermonem appendicis Maurinensis* cxvi *cum nomero de Adventu Domini* iii.

SYNOPSIS.

I. Homines, ante adventum Christi, cæci, surdi, claudi et muti. II. Hæc mala ab Adamo sumpserunt exordium. III. Adam factus ad imaginem Trinitatis, suas peccando facultates depravat. IV. Adami lapsi miseria. V. Eamdem auctor exaggerare pergit. VI. In Adamo omnes corripimur. VII. Inter misericordiæ spem et desperationem incedendum. VIII. Saliendum, ut facere solet cervus, et lutosa transeamus. IX. Mutorum locutio. X. Christus medicus omnia venit sanaturus. XI. Moralis epilogus.

I. « Confortamini, pusillanimes, et nolite timere, ecce « Deus noster veniet, et salvabit nos, tunc aperientur oculi « cæcorum, et aures surdorum patebunt, et saliet, sicut « cervus, claudus, et aperta erit lingua mutorum[1]. » Ante Christi adventum, fratres charissimi, in tanta caligine volvebatur totum humanum genus, quod nec Deum cognoscebant, nec Dei verba audire volebant, nec bene operari cupiebant, nec peccata confiteri audebant. Cumque in multis periculis detineremur, placuit Medico nostro Samaritano nos visitare, et suo vino charitatis et oleo misericordiæ nostra vulnera fasciare. Ideo, fratres charissimi, Isaias aspiciens nos omnes esse cæcos, surdos, claudos et mutos, nos confortare conatur, cum ait : « Confortamini, pusillanimes, et nolite timere. » Iste est enim ille legatus, quem Deus ad Gentes misit et ait : Tu, Legate mi, dic Gentibus miseris, quæ in doloribus jacent, quæ in infirmitatibus desperant : « O pusillanimes, confortamini, quia ecce « Deus noster veniet ; » ecce medicina nostra ad januam deportatur ; ecce salus nostra veniet et salvabit nos. Cum (1) autem venerit ille Sanctus sanctorum, tunc aperiantur aures ad audiendum, oculi ad videndum, ut audientes audiatis, et videntes videatis, quod fieri oportet. O quam nequiter, fratres, ante Christi adventum eramus cæci! vere cæci eramus, quia Deum totaliter ignorabamus ; vere surdi eramus, quia verba æternæ vitæ negligebamus ; vere claudi eramus, quia recte incedere nesciebamus.

II. Hæc autem cæcitas, surditas, clauditas et taciturnitas, et alia multa quæ patiebamur et patimur, a primo homine sumpserunt exordium ; quia ipse Adam in primo præcepto a Deo sibi imposito surdus effectus est. Nam quando ipsi (2) a Deo dictum fuit : « Quacumque hora « comederitis de ligno scientiæ, morte moriemini[2] ; » non audisse visus est : « Morte moriemini, » quia non servavit mandatum. Cæcus fuit, dum verba dæmonis intellexit dicentis : « Eritis sicut dii[3], » cum putaret se fieri forsitan Deum, vel ut uxori cupiens consentire, ideo jam cæcatum animum in amore uxoris (3) habebat. Quod prius tamen Deus improperando dixit : « Ecce Adam factus es quasi unus « ex nobis[4] ; » quasi deridendo diceret Dominus : Ecce Adam qui se putavit futurum Deum, modo in tanta miseria jam se invenit involutum. O Adam, numquid factus es similis ut unus ex nobis ; Patri et Filio et Spiritui sancto factus es Deus ? O Adam, putasti te fieri quod non es, et ecce vilissima creatura reputaris ; putabas omnia scire, et ecce jam omnia ignoras ; putabas te dominari, et ecce jumentis similis es ; putabas semper vivere, et ecce jam morti es obnoxius (4), et miseria omni jam repletus es, et judicatus, et vulneratus aculeo venenosi serpentis. O Adam, creatus indeceptibilis ratione, inalterabilis passione, immortalis duratione, inæquiperabilis prælatione, per totum factus es deceptibilis cognitione, alterabilis afflictione mortalis subjectione, et servilis subjectione. O Adam, plenus tanta dignitate, ubi es ? excitatus in tantam sublimitatem (5), ubi es ? ubi te video ?

III. Ecce pater noster Adam factus est ad similitudinem sanctæ Trinitatis. Non attendatis, fratres, ad similitudinem corporis, vel ad ligamenta membrorum, vel ad figuras colorum, sed factus est ad imaginem Dei in trinitate memoriæ, intelligentiæ et voluntatis. Istæ enim sunt tres potentiæ unius substantiæ spiritualis ; sicut Pater, Filius et Spiritus sanctus sunt tres Personæ in una substantia divinitatis. Erat igitur, fratres, in primo homine memoria tenax, intelligentia perspicax, voluntas efficax, et quamdiu voluisset adhærere Deo, potens esset (6) non oblivisci, quia memoria non deleta fuisset in oblivione ; potens esset non decipi, quia intelligentia potens esset ut non deciperetur circumventione ; potens esset non compelli, non inquinari, non induci, quia voluntas non flectebatur corrupta affectione. Nunc autem postquam peccavit Adam, memoria facta est labilis, intelligentia umbratilis (7), voluntas instabilis. Digne ergo quærit Dominus : « Adam, « ubi es[5] ? » quasi dicat, O Adam, ubi memoria, ubi intelligentia, ubi voluntas recta ? O quam brevis et dolorosa responsio ! « Domine, audivi vocem tuam, et timui, eo « quod nudus essem[6], » et spoliatus omnibus bonis quibus me decoraveras. O Adam, per comestionem ligni vetiti et prævaricationem præcepti, propria voluntate factus es flexibilis, deceptibilis et seducibilis. Corruisti ; sapientia jam ubi invenitur, et intelligentia ubi est ? Adam ergo ubi es ? Qui ait : Cecidi, Domine, in tenebras ignorationis (8). Scire volens, sicut tu, bonum et malum, ideo amisi scire bonum (9), et cecidi in ignorantiæ barathrum. Clama ergo, o Adam : « De profundis clamabo ad te, Domine[7], » de profundis ignorantiæ et excæcationis clamabo per vocem laboris et orationis. Vide ergo, Adam, ubi cecidisti, quia etsi oculus carnis tibi remanerit, oculum tamen contemplationis amisisti, et miserabiliter quæris scientiam. Fecit te Deus rectum, et tu immiscuisti te infinitis (10) quæstionibus ; et ecce modo quales filios genuisti ? filii enim tui « Sunt Gentes absque consilio et sine prudentia ; utinam « saperent et intelligerent[8]. » O Adam, cogita ubi filios collocasti ; ubi tu etiam positus sis ; disce ubi sit claritas inenarrabilis (11), ubi tua prudentia incomparabilis (12), ubi tua virtus inæstimabilis ; ubinam sit intellectus, ubi longitudo vitæ, ubi pax sine guerra (13), ubi lumen oculorum tuorum.

IV. Habebat (14) autem Pater noster imperturbabilem et incategnibilem harmoniam, ut non pateretur extrinsecus, quoniam reficiebatur Paradisi fructu et vitam (15) perpetuabat ligni vitæ gustu. Creavit enim Deus Adam omnino impassibilem, quia non lædi, non pati, non tristari, non tribulari, non turbari, non infirmari, nec mori poterat. Ubi ergo es, o Adam ? Aspice et circumspice te ipsum, quibus socians, nisi languori, pesti, fami, siti, timori, terrori, tremori, horrori, scabiei, pediculis et pulicibus, quibus etiam resistere et nullatenus vales. O Adam, ubi

[1] Isai. xxxv, 4-6. — [2] Gen. ii, 17. — [3] Id. iii, 5. — [4] Ibid. 22. — [5] Gen. iii, 9. — [6] Gen. iii, 10. — [7] Psal. cxxix, 1. — [8] Deut. xxxii, 28, 29 —

(1) Cod. *dum*, et sic deinceps in multis sermonibus. — (2) Cod. semper ponit *sibi* pro *illi*, aut *ipsi*. — (3) Cod. *in amore uxore*. — (4) Hæc verba *es obnoxius* desunt in cod. — (5) Cod. *ereatus in tanta sublimitate*. — (6) Id. *erat*. — (7) Id. *umbracula*. — (8) Cod. *in tenebris cognitionis*. — (9) Id. *donum*. — (10) Id. *in infinitis*. — (11) Id. *inadmirabilis*. — (12) Id. *intemperabilis*. — (13) Sic cod., unde patet recentiorem esse dictionem. — (14) Cod. *habent*. — (15) Deest vox *vitam* in cod.

es? Ubi timor fidelitatis contra transgressionem? ubi fortitudo impassibilitatis contra passionem? ubi patientia firmitatis contra concussionem? ubi perfectio viarum tuarum? ubi plenitudo omnium virtutum? Adam, ergo ubi es? Cecidit, Domine, in miserias (1) afflictionis, et experitur nunc sententiam tui rigoris. Dixisti enim, Domine: «In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Maledicta erit terra in »opere tuo; spinas et tribulos germinabit tibi, donec re»vertaris ad terram de qua sumptus es[1]. » Hanc igitur sententiam ex ore tuo prolatam facto experior. Est nobis, fratres, terra facta sterilis et inutilis, germinans spinas afflictionis et doloris. «Inspiravit enim Deus spiraculum »vitæ in faciem hominis[2]; » non enim mori poterat, non corrumpi, non perire, non infici, non interfici: omnem enim perfectionem habere debuisset, nisi primo Deum perdidisset. O Adam, si Deo perfectus fuisses, semper corpori tuo præfuisses. Nunquam fuisset pœna mortis, nunquam pœna separationis, nisi præcessisset pœna (2) transgressionis. Sic, fratres, immortaliter homo vixisset, donec ad immortalitatem gloriæ post annos plurimos de virtute ad gloriam ascendisset (3). O Adam, ubi es? Vallatus corporis et animæ separatione, mortis afflictione inopinata et improvisa, subita et repentina consumptione.

V. Adam, ubi es? Respondere Deo potes: Domine, cecidi in necessitatem (4) mortis. Stat enim tua sententia indispensabilis: »Morte morieris. » O Eva mater! o peccati principium, o noverca, non mater, quid fecisti, delictorum mater? Nam quid tibi secutum sit ex inobedientia animadverte. Nam in dolore peperisti filios, quæ si in innocentia permansisses, sine fœditate corruptionis, sine gravitate afflictionis, sine passibilitate parturitionis filios peperisses. Sed ecce «Homo natus de muliere[3], » cujus vita brevis, passibilis, miserabilis et omnino instabilis. Tu vero, Adam, ubi es? Nam ad te spectat universale omnis creaturæ dominium et gubernationis ministerium. Tibi enim tota Trinitas erat ad fruendum, tibi Angeli ad conviviendum, tibi omnis creatura ad obsequendum (5). Sicut enim omnibus imposuit nomina, sic omnibus præfuisset eminentia. Dederat enim Deus homini potestatem omnium quæ sunt super terram, et posuit terrorem illius super omnem carnem[4], qui modo pediculis et pulicibus minime resistere potest? Adam, ubi es? Ubi tanta utilitas subjectionis? ubi servitus tam mirabilis conditionis? Nomen enim servitutis culpa meruit, non natura. O Adam, numquid te nunc non (6) terrent feroces feræ, vastant te bestiæ terræ, infestant te muscæ, insidiantur vermiculi et serpentes? Numquid non mures etiam te persequuntur, et tuos pannos devastant? Numquid et formica non granum tuum deportat? His omnibus præesse debueras, quæ hodie fugere, quibus etiam nec resistere vales. Numquid etiam non subjicitur homini homo, bonus malo, justus injusto, sanctus iniquo? Unde tanta, et talis, et tam vilis conditio, et tam periculosa subjectio, o Adam, nisi quia noluisti subesse Deo, sed præesse, et prævaricando præceptum, digne perdidisti creaturæ imperium? O Adam, ubi es? Leva oculos tuos in desertum, et vide ubi nunc prostratus sis. Recolo Paradisi divitias, ubi positus fueras, et vide istius sæculi miserias, in quas dejectus es et prostratus. Adam, ubi es? Cecidisti in servitutem subjectionis. Stat enim, Domine, sententia tua, qua fuit (7) de Paradiso dejectus, ubi jure poli fuisset communis status; nunc autem ex concupiscentia factus est amor, cujus ex amore habendi et ex amore possidendi, et ex ambitione procurandi, et ex (8) pravitate nocendi infectum est totum humanum genus, et digne hoc, et digne introducta est servitus, quia «Non »cognovit, cum in honore esset, ideo comparatus est ju»mentis insipientibus[5]. »

VI. Sic enim, fratres, audivimus Domini quæstionem, ut erigamus considerationem. Ipse enim in quæstione sub nomine Adæ ad considerationem nos vocat, hortatur et excitat; vocat et revocat, trahit et retrahit. «Ex charitate »in funiculis Adam traham te, in vinculis charitatis[6]. » Adam funiculi sunt miseriæ istius sæculi exhibitæ, per quas Dominus ex charitate sua nos trahit ad exercitium meriti, ad stipendium cœlestis regni et ad dilectionem Dei et proximi. Duos denique pedes, fratres, habere debemus, scilicet Dei amorem et proximi. Qui altero illorum caret, claudus est. Adam ergo, ut audistis, revocavit, quia supra Deum uxorem dilexit, et (9) ejus mandatum servare neglexit; uxoris amorem Dei amori prætulit, cum libentius uxoris persuasioni, quam Dei obediverit voluntati.

VII. Bene, o Adam, claudicasti. Numquid non et etiam mutus fuisti in confessione peccati? Non enim confessus est peccatum, sed etiam se excusare cœpit, dicens: «Mulier, »quam dedisti mihi, de ligno dedit, et comedi[7]. » Cum enim dixit: «Mulier quam dedisti mihi, » culpam in mulierem vertit, et Deum infamare voluit, quia dixit: »Quam »dedisti. » Audistis, fratres, quomodo Adam cæcus, surdus, et mutus, et claudus factus est. Sic et nos eramus ante Salvatoris nostri adventum; sed cum venerit Medicus ille cœlestis, cæcos illuminabit, cum »Aperiet nobis sen»sum, ut intelligamus Scripturas[8]; » aures aperiet, quia ait: »Qui habet aures audiendi, audiat[9]; » claudi ambulabunt recta, «Non declinantes ad dexteram nec ad sinis»tram[10]; » nam dextera est Dei misericordia, sinistra vero est desperatio. Diabolus autem et Judas ad sinistram diverterunt, quia de spe Dei misericordiæ non sunt confisi. Origenes vero supra modum confidendo de Dei misericordia, prædicando dæmonem salvandum post judicium, exorbitavit. Itaque, fratres, cavete ne claudicetis ad dexteram confidendo, nec ad sinistram desperando. Hujus rei, fratres, exemplum et figura habetur de arca fœderis, cum de regno Philistinorum reduceretur in locum suum, quam vaccæ deducebant in plaustro per directam viam, non declinantes ad dexteram nec ad sinistram[11]. Arca enim est Ecclesia; duæ vaccæ sunt prædicatores Gentilium et Judæorum, qui alios lacte pascunt et in Ecclesiam ducunt; ideo David ait: «Beneplacitum est Domino super timentes »eum, et in eis (10) qui sperant super misericordia ejus[12]. » Utrumque enim posuit spem et timorem; nam spes sine timore præsumptio est, timor sine spe, desperatio est. Timor aufert nimiam securitatem, ne nimis adhæreat dexteræ (11). De hac recta via ait Joannes: «Dirigite viam »Domini, rectas facite semitas ejus[13]. »

VIII. Sed in hac recta via etiam, fratres, saliendum est, unde ait Propheta: «Et saliet claudus, sicut cervus. » Cervus enim venatus ad loca spinosa et lutosa (12) transit; sic et tu, o peccator si occurrerit tibi amor divitiarum quæ hominem pungunt sollicitudine, si etiam ad lutum deveneris, transeas (13) saliendo mente; nam cervus valles ascendit et montes descendit, et sic tu debes descendere valles terrenorum, et ascendere montes quos per Adam perdidisti. Ecce jam veniet qui «Perficiet pedes tuos, quasi pedes cervorum, »et super excelsa statuet te[14]. » Cervus, senex factus, devorat serpentem, et tunc nimio ardore repletus currit ad fontem, post cujus potum, pellem veterem et cornua deponit, et sic rejuvenescit. Sic et tu, o peccator, occidas serpentem diabolum ipsi (14) resistendo, et curre ad fontem pietatis, qui descendet, ut salvet te, et depone cornua superbiæ et pellem luxus, et sic Redemptorem quem expec-

[1] Gen. III, 17-19. — [2] Id. II, 7. — [3] Job. XIV, 1. — [4] Gen. I, 26. — [5] Psal. XLVIII, 21. — [6] Osee. XI, 4. — [7] Gen. III, 12. — [8] Luc. XXIV, 45. [9] Matth. XI, 15. — [10] Deut. XVII, 11. — [11] I Reg. VI, 12. — [12] Psal. CXLVI, 11. — [13] Joan. I, 23. — [14] Psal. XVII, 34.

(1) Cod. *in miseriis*. — (2) *Forte culpa*. — (3) Cod. *descendisset*. — (4) Id. *in necessitate*. — (5) Cod. *ossequendum*. — (6) Deest *non* in cod., qui semper tollit negationem post *numquid*, quasi in voce sit contenta. Unde sic et deinceps. — (7) Cod *fuit*. — (8) Deest *ex* in cod. — (9) Deest *et* in cod. — (10) Deest secunda pars sententiæ in cod., sed probabiliter quia positum erat signum *etc*. Nam necessaria est, ut planus sit sensus. — (11) Videtur hic aliquid deesse, qualia essent ista: *Spes aufert nimium timorem, ne nimis adhæreat sinistræ*. — (12) Cod. *[illegible]*. — (13) Id. *transias*. — (14) Id. *[illegible]*.

tamus, læti videntes dicemus : « Quemadmodum desiderat » cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, » Deus [1]. »

IX. Tunc enim « Erit aperta lingua mutorum ; » tunc vociferabitur Maria peccatrix veniam petendo [2] ; tunc credet Centurio sanitatem filii (1) impetrando [3] ; tunc Samaritana clamabit talem prophetiam audiendo, et narrando cuncta quæ fecerat [4] ; tunc Petrus clamabit : « Tu es Christus » Filius Dei vivi [5] ; » tunc turba Judæorum et Gentilium ex quinque panibus et duobus piscibus satiata, clamabit : « Hic » est verus Propheta, qui venturus est in mundum [6] ; » tunc clamabit in cruce Latro : « Memento mei, Domine, dum » veneris in regnum tuum [7] ; » tunc clamabit ille magnus Simeon : « Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum » verbum tuum in pace [8]. » Non erunt deinceps muti homines, quoniam Salvatorem advenisse scimus, qui salvabit nos, qui etiam cæcorum oculos aperiet, surdorum aures patefaciet (2), claudum et ascendere faciet, sicut cervus, dabitque tibi gloriam et Paradisum summamque felicitatem, quam per Adam inequiter perdidisti.

X. Ecce jam, fratres, « In terris » Medicus iste et Salvator Israël « visus est, et cum hominibus conversatus est [9] » annis triginta et amplius, et sic nos cæcos illuminavit ; omnium nostrum oculi aperti sunt, quia omnes vos Fideles estis, et quia vos Fideles estis, et non Pagani vel Judæi, quia « Verbum caro factum est [10], » cognovimus et nos ipsi quia « Nos vocavit, » et non eos, « ut adoptionem filiorum » reciperemus [11]. » Quare hoc? quia hæc omnia facere ipsi (3) licet, et omnia quæ facit, juste et digne facit. Cæcitas ergo infidelitatis sui gratia, non nostris meritis recessit a nobis, eosque illuminavit, quia ipsi placuit, quos et prædestinavit in adoptionem filiorum. Recessit ergo, fratres, cæcitas a Christianis, sed surditas adhuc quoque in nobis manet. Quando denique surdi estis, nisi quando Dei verbum audire contemnitis, fugientes et vagantes per vicos et plateas, videndo et audiendo quæ non licet homini loqui? Cavete ergo, fratres, ne vobis dicatur : « Propterea vos non » audistis, quia ex Deo non estis [12]. » Aliqui etiam nostrum claudicant, dum male operantur. Aliqui etiam obtumescunt, dum peccata confiteri erubescunt. Sed modo est tempus adventus Domini, tempus confessionis, tempus satisfactionis, tempus jejunii et carnis macerationis, quia « Cito » veniet et non tardabit [13]. » Et quid est, fratres, jejunare, nisi satisfacere Deo et proximo? Et quid est satisfactio, et ad quid valet, nisi præcesserit confessio? Prius dimitte culpam, et recognosce eam, antequam quæras veniam, et sustineas satisfactionis pœnam.

XI. Præparate ergo vos Domino venienti, ne dicatis cum Adam : « Domine, abscondi me a facie tua, eo quod » nudus essem [14]. » Præcinite ergo Domino in confessione peccatorum, ut in die Natalis Domini psallatis ei in confessione [15] laudum. Dictus enim adventus non sunt nisi dies præparationis, ne faciamus (4) sicut clamat Joannes : « Parate viam Domino ; » taliter ut recipientes sine sua gratia nos non relinquat, ut digne futuram solemnitatem cum gaudio celebrare digne possimus. Antiqui enim Patres viam Domini præparabant, ut digni essent redemptione futura. Illius temporis isti dies gerunt figuram. Christus enim quasi nasciturus est, dum nativitatem ejus sumus suscepturi : ergo « Hora est jam nos de somno surgere ; abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis, ut » digne ambulemus in occursum illius, non in comessatio- » nibus et ebrietatibus [16]. » Vitate ebrietatem, fratres, quæ mater luxuriæ est; abstinete a carnali copula, quoniam qui venturus est amator pudicitiæ est et sobrietatis. Numquid non domos vestras pingeretis (5) diversis coloribus, si ad vos venturus esset Imperator temporalis? Ornate ergo virtutibus corda vestra, ut digne recipiatis Regem Angelorum, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XI.

De adventu Domini II.

Idem de isto sermone dicendum ac de præcedente, cum pariter eruatur ex Bibl. Ædil., cod. x, fol. a. Locus ejus post præcedentem cum numero de Adventu Domini IX.

SYNOPSIS.

I. Liber clausus septem sigillis, Incarnatio Christi. II. Quæ sint septem signacula. III. Generatio Christi ineffabilis. IV. Pia exhortatio.

I. FRATRES charissimi, sanctus ille Daniel, ætate junior, bonitate perfectior, virtute doctior, potestate clarior, « Aspi- » ciebat (6) in visu noctis, et ecce Filius hominis veniebat [17], » cui data erat potestas ligandi et solvendi filios Israel. Iste « Dominus fortis, Dominus potens, Dominus virtutum in » prælio [18], » hic est qui « Dignus est aperire librum et sol- » vere signacula ejus [19] ; » hic est de quo audire cupimus tonitrua, de quo nobis facta fuit repromissio, de quo vidimus fulgura. Ne ergo fleveris, o Joannes, si videris « Li- » brum clausum et sigillatum sigillis [20] septem (7). « Flebat enim, fratres, Joannes, videns librum Dominicæ Incarnationis, nec erat qui eum aperire posset. Ne amplius fleas, o Joannes, quoniam ecce Daniel sanctus aspiciens in visu noctis, vidit Filium Dei venientem, velut agnum mansuetissimum, cui datus est honor regum et potestas ligandi, et solvendi, et aperiendi librum, et solvendi ejus sigilla. In Veteri namque Testamento, fratres charissimi, sacramentum Dominicæ Incarnationis erat clausum et sigillatum.

II. Quod Deus Pater advertens, prævidens casum primi Parentis, modum nostræ redemptionis ordinavit. Filium incarnandum, mortificandum (8), crucifigendum et resurgendum, modis diversis et occultis sanctis Patribus revelavit. Quid Moysi ostendit, nisi quod in monte Thabor videbat rubum ardere [21] et non comburi (9)? Gedeoni in vellere et rore [22], lex (10) in arca continente [23], Aaron in virga germinante [24], Isaiæ in solis descensione [25], Ezechieli in porta clausa [26], Danieli in lapide abscisso de monte sine manibus [27]? Sub istis septem sigillis erat sigillatum et absconditum sacramentum Dominicæ Incarnationis et mysterium Christi nativitatis. Sed hodie incipimus audire tonitrua. Rubus quidem ardet (11), nec comburitur, vellus irrigans, arca continens, virga germinans, solis descensio, porta clausa, lapis abscissus de monte sine manibus. Jam nunc, fratres, manifeste videmus librum apertum et publicatum ; jam videmus Christum ex porta clausa natum.

III. « Generationem ejus enim quis enarrabit [28]? » Impossibile enim est scire divinæ generationis secretum. Quis unquam audivit matrem esse et virginem? quis unquam audivit Creatorem portari a creatura? quis unquam vidit

[1] Psal. XLI, 2. — [2] Luc. VII, 37, etc. — [3] Matth. VIII, 5. — [4] Joan. IV, 1, etc. — [5] Matth. XVI, 16. — [6] Joan. VI, 14. — [7] Luc. XXIII, 42. — [8] Id. II, 29. — [9] Baruc. III, 38. — [10] Joan. I, 14. — [11] Galat. IV, 5. — [12] Joan. VIII, 47. — [13] Habac. II, 3. — [14] Gen. III, 10. — [15] Psal. CXLVI, 7. — [16] Rom. XIII, 11-13. — [17] Dan. VII, 13. — [18] Psal. XXIII, 8. — [19] Apoc. V, 2-5. — [20] Ibid. 1-4. — [21] Exod. III, 2. — [22] Jud. VI, 37, etc. — [23] Deut. X, 5. — [24] Num. XVII, 2, etc. — [25] 4 Reg. XX, 8, etc. — [26] Ezech. XLIV, 2. — [27] Dan. II, 34, etc. — [28] Isai. LIII, 8.

(1) In Evangelio dicitur *servus* aut *puer*, non *filius*. — (2) Cod. *patebit*. — (3) Cod. *sibi*, et sic deinceps. — (4) Vitiosa locutio, in qua duplicanda esset negatio, *ne non faciamus*, id est *ne facere negligamus*. — (5) Cod. *pingetis*, et deest *non* more solito. — (6) Cod. *aspiciens*. — (7) Cod. non habet *septem*, sed *et*. — (8) Cod. *moriendum*, pro *mortificandum*, nisi legas *moriturum*, minus tamen bene propter sonum pariter desinentem, cui nimium indulsit auctor dicendo *resurgendum*, pro *resurrecturum*, quasi Christus ab alio, non e se ipso fuisset a tumulo revocatus. — (9) Cod. *comburebatur*. — (10) Sic cod. cujus sensus planus est, sed ubi nulla habetur ratio grammaticarum regularum, nec facile mendum saneri potest. — (11) Cod. *quidem rubus*; cætera non juxta grammaticæ regulas disponuntur, verbo deficiente.

sine dolore pareret? quis posset hoc enarrare? Vox omnis quidem defecit, et deficit mens non mea tantum, sed etiam Angelorum. Supra Potestates, supra Angelos, supra Archangelos, supra Cherubim et Seraphim, supra omnem mentem et sensum est scrutari superna mysteria: licet tamen scire quod vere natus sit. Nam pauperes intellectu omnino sumus, qui non tantum Dei Incarnationem comprehendere, sed nec minimum (1) Divinitatis per nos capere valemus. Non ergo licet discutere quomodo nascatur, quia hoc quærere metus est, sed omnino credere necesse est. Deficiunt undique, fratres, philosophorum argumenta ubi mihi necesse penitus credere. Solus Deus hoc poterat, sed hoc ego penitus nescio; non hoc requiro, nec scire ambigo. Consolor tamen cum Angeli hoc nesciant, Angeli non audierunt, Gabriel annuntiando non intellexit, Propheta non sentiit, Apostolus non interrogavit, ipse Dei Filius non edidit. Cesset ergo omnis nostra querela; sufficiat quod Christus Deus et homo perfectus ingressus fuit uterum Virginis, nasciturus pro humani generis salute. Hoc enim figuratum habetur de Jacob, dum surrexit et tulit lapidem quem supposuerat capiti suo et erexit in titulum[1]. Et quis est iste Jacob nisi Christus supplantator? Surrexit enim et apparuit in cruce, diabolum supplantando per pelliculas assumptæ humanitatis, per virgulas inflictæ pœnalitatis, per lenticulas assumptæ infirmitatis. Hæc enim in titulum eriguntur. Hæc enim Ambrosius.

IV. Vigilanter contemplari, diligenter amplexari, reverenter adorare, perseveranter imitari, fratres, semper debemus. Cito enim, fratres, « Repleti mane misericordia in » medio templi sui[2]; » tunc enim hoc videbimus, dum suscipiemus regem natum. In ipso enim est cibus, potus et salus nostra. Suscipiamus igitur hunc parvulum nascentem, visitemus matrem parientem, inspiciamus prolem vagientem, coadjuvamus Joseph senem ministrantem. Audiamus, obsecro, fratres, hunc parvulum, cum (2) venerit; nam paratus est nos audire libenter, exaudire lætanter et tribuere abundanter: nam in suo ortu fures occultabuntur, hostes fugabuntur, viæ dirigentur, et omnes libere operabuntur, quoniam lux magna de cœlis descendit. Tunc enim expectamus Dei et hominum mediatorem, tunc enim expectamus miserorum Salvatorem. Esto, Domine, brachium nostrum, rectos reconcilians, lapsos reparans, captivos redimens, miseros salvans, ut lapsi laborantes in tempore tribulationis recreentur, seminantes locupletentur, operantes remunerentur, optimates condemnentur. « Dum ergo, fratres, tempus habemus, operemur » bonum ad omnes[3], expectantes Dominum Jesum Christum qui reformabit corpus nostrum corpori claritatis suæ[4]. » Sobrie, fratres mei, juste et pie vivamus in hoc sæculo, » expectantes beatam spem et adventum Domini[5], quia ecce » veniet et non tardabit[6]; » veniet et « Illuminabit abscondita » tenebrarum, et manifestabit[7] » se ad omnes Gentes, cujus visionis participes nos faciat ipse Christus. Amen.

SERMO XII.

De Adventu Domini III.

Idem asserendum videretur de hoc sermone ac de præcedentibus, utpote qui ad eumdem cod. pertineat, nempe Bibl. Ædil., cod. x, fol. 3. Facile tamen animadvertet lector aliquem inesse sancti Bernardi saporem, maxime propter continuam Scripturæ sacræ allegationem. Hoc vero aliquo ortex eo recipit confirmationem, quod sermo, qui sequitur in cod., sit vere sancti Bernardi, et stampatus habeatur in edit. Paris. tom. III, fol. 276. Nihil tamen clarius potest hic statui, cum nullum aliud nomen occurrat, quam nomen sancti Augustini. Locus ejus post præcedentem cum numero de Adventu Domini v.

SYNOPSIS.

I. Mundi per peccatum primi hominis naufragium. II. Filii Dei erga homines charitas. III. Christo datæ regiones quinque. IV. Secundus Christi adventus.

I. Fratres charissimi, ignoratis quod humanum genus « Venit in altitudinem maris et tempestas demersit eum[1]. » Sed ecce noviter verus Jonas venit ad nos in altitudinem maris, » Habitu inventus ut homo[9], » et tempestas mortis demersit eum propter nos, qui de consilio et voluntate sua missus est in mare (3) et tempestas maris mox cessavit. Nam Jonas dixit nautis: « Si propter me tempestas ista orta » est, mittite me in mare[10]. » Ecce qualiter mediator Dei et hominum tempestatem fugavit. Nam viderat, quod « Cuncta » quæ fecerat erant valde bona[11]; » unde machina universorum dictus est Mundus, quia omnia munda fecerat Deus; sed, orta tempestate, mare vocari debet mundus, quia omne quod est in eo, aut est « Superbia vitæ, aut concupiscentia » oculorum[12]; » ideo, orta tempestate, mundus factus est mare, quoniam in ipso non solum adversitas, sed ipsa dulcedo terrenæ felicitatis multis amaritudinibus repleta est. Orta est enim prima in cœlo tempestas; nam Lucifer, » Opertus omni » lapide pretioso[13], » factus est Satan (4) et Deo contrarius. Verumtamen « Cecidit Draco ille et traxit secum tertiam » partem stellarum[14], » et reclusus usque ad diem submersionis[15], postmodum invidens factus est (5) homini, ne ascenderet, unde ipse expulsus fuerat; ad cujus suggestionem consensit homo volens se similari Deo in scientia, in motu cœlorum et siderum; cognoscere cupiens naturas et proprietates elementorum, et causas omnes naturales, quas Deus absconderat in rebus ipsis. Et ecce, fratres, quomodo tempestas similiter orta est in terra, disputando diu noctuque, ascendendo montes, rupes et alpes in fame, siti et nuditate, ut « Salutari possint in foro, et primos recubitus in » cœnis tenere, et vocari Rabbi[16]. » Quid ergo, fratres, nisi quod « Maledicta terra in opere[17] » nostro? Et ejectus est de Paradiso, ubi feliciter auram carpebat ætheream, et cecidit super eum maledictio astrorum. Vehementia etiam doloris et angustiæ dotata fuit mulier (6); non est enim dolor velut parturientis. Cœlum ergo et terra et « Omnia va» nitas vanitatum[18], » et omnia sunt homini vanitas.

II. Ecce, fratres, quomodo diabolus affectavit similitudinem Altissimi Dei, quod proprium Filii est, qui imago Patris est: sic et homo affectavit scientiam habere, quod solius est sapientiæ (7). Quia ergo quod Dei erat usurpare voluerunt, in ultionem Filii dati sunt, et dissimulavit per

[1] Gen. XXVIII, 18, etc. — [2] Psal. XLVIII, 14. — [3] Galat. VI, 10. — [4] Philip. III, 21. — [5] Tit. II, 12, 13. — [6] Habac. II, 3. — [7] 1 Cor. IV, 5. — [8] Psal. LXVIII, 3. — [9] Philip. II, 7. — [10] Jon. I, 12. — [11] Gen. I, 31. — [12] 1 Joan. II, 16. — [13] Apoc. XII, 19. — [14] Id. XII, 4. — [15] Id. XX, 2. — [16] Marc. XII, 38. — [17] Gen. III, 17. — [18] Eccle. I, 2.

(1) Cod. *sed minimum minimo... capere non valemus.* — (2) Cod. *dum.* — (3) Cod. *in mari, et sic deinceps.* — (4) Cod. *Satel.* — (5) Deest *factus* est in cod. — (6) Cod. *multiplinitur.* — (7) Id. *sapientia.*

dies et annos et sæcula, licet « Cogitaret cogitationes pacis[1], » tamen respexit novissimis in (1) diebus super omnes qui habitant terram, et dixit ad Patrem et Spiritum sanctum : « Si propter me tempestas ista orta est, mitte me, » Pater, in mare. » Et missus est Filius in mare, ut nataret (2) ibi in pœna et ærumna annis triginta et amplius. Missus est ergo « Sermo Patris a regalibus sedibus[2], » tanquam vir fortis et potens in omni prælio[3], ut (3), fractis portis, alligaret fortem armatum et disrumperet (4) vasa ejus[4]. Missus est ergo Legatus ad Gentes prudens, ut allegaret causam Dei adversus illos, qui « Cum Deum cognovissent; non tamen ut Deum glorificaverunt[5]. » Missus est ergo Medicus ille magnus, ut infunderet vinum et oleum super Samaritanum (5) vulneratum jacentem[6], quia in terra magnus jacebat ægrotus.

III. Porro accepit Christus in hac legatione certos fines mandati, et datæ sunt ei regiones quinque. Prima fuit uterus virginalis; secunda fuit Judæa, medium orbis terræ, tertia patibulum crucis; quarta domus fortis (6); quinta extrema maris. In prima, calceavit (7) se circumligans corrigiam calceamenti, et intravit ad nos divinitas calceata (8). In secunda, « Exultavit ut gigas ad currendam viam[7], » ambulans juxta mare, collegit Discipulos, intra terminos Judææ prædicans et loquens de regno Dei, infirmos curando et mortuos resuscitando. In tertia, « Torcular calcavit solus, et rubrum factum est vestimentum ejus[8]. » In quarta « Ligavit fortem[9], et baculavit eum, qui habebat mortis » imperium[10], » dicens : « Serve nequam, redde quod debes[11], » et « Extraxit captivitatem captivam[12]. » In quinta, quos eduxerat collocavit in extrimis maris super amplissimos fines sæculi usque ad diem ascensionis suæ. « Factus est » ergo Christus Patri obediens usque ad mortem[13], » quinque mansiones ab eo recipiens, ut superius nominatas, vel ut iterum dicendas. Nam Pater mittens Filium in terris, mansiones illi (9) donavit : prima fuit Virginis uterus, secunda fuit in nativitate stabulum; tertia fuit horti solatium; quarta Herodis palatium; quinta crucis patibulum; sexta sepulturæ refrigerium; septima maris et terræ circulum. Prima et secunda fuerunt magnæ humilitatis, quia mensibus novem in ventre Mariæ habitare dignatus est, et nasci inter bovem et asinum. Tertia fuit in horto solatium, quia orando pro te, « Factus est sudor ejus quasi guttæ sanguinis decurrentis in terram[14]. » Quarta Herodis, Pilati, Annæ et Caiphæ palatia, in quibus pro te recepit alapas, sputa, verbera et multa opprobria. Quinta fuit crucis patibulum, in qua « Obtulerunt ei fel et acetum[15]. » Sexta fuit sepulturæ refrigerium. O quomodo gavisa fuit pia mater Maria! o quale gaudium, cum (10) audivit sepulturam pro Filio præparatam! Septima fuit terræ et maris circulum, quod triginta annis et amplius prædicando et laborando circuivit. Ecce ergo alter Jonas, qui Patri dixit velut nautis : « Mitte » me in mare (11). » Ecce dotes, quas Pater Filio pro tempestate orta donavit. Ecce solatia, quæ Rex habere consueverat. Ecce delectamenta (12), quæ sibi pro nobis donavit. Istæ sunt Regis nostri dignitates, et divitiæ, et potestates, et deliciæ. Clama ergo, o bone Jesu, fidelibus tuis : « Exivi » a Patre et veni in mundum[16], » et uterus Virginis suscepit me; ambulavi in medio maris, et « Mundus non cognovit me[17], » veni in altitudinem maris, » et clavatus sum in cruce, et tempestas mortis demersit me; habitavi in extremis maris et redii ad eum qui misit me. Porro in his regionibus moram fecit : in prima quievit mensibus novem; in secunda annis triginta tres cum dimidio; in tertia ab hora sexta usque post nonam; in quarta quasi per triduum usque mane primæ (13) sabbati; in quinta per dies quadraginta, quia « Videntibus illis elevatus est[18]. »

IV. Ita veniet sane, intellige, ita veniet. Non ita veniet, sicut (14) prius venit suaviter, humiliter et misericorditer, « Sicut pluvia in vellus[19], » sed tunc veniet « Tanquam potens crapulatus a vino[20], » nemini parcens. Venit (15) placabilis Legatus, veniet districtus Judex; venit (16) Medicus vinum et oleum portans, veniet armatus igne et ferro. In quo adventu liberet nos « Ab auditione mala[21] et a verbo » aspero[22] » ille qui veniet placabilis bonis, et terribilis malis, Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XIII.

In nocte Natalis Domini.

Sermonem hunc pulcherrimum mutuati sumus ex quinque codicibus, uno quidem Cass., nempe cxvi, *fol.* 96, *quatuor autem Florentinis, videlicet Bibl. Laurent. Plut.* xiv, *cod.* 1, *fol.* 56, *quem indicamus cum nota cod.* 1 *b; Plut.* xvii, *cod.* xli, *fol.* 93 *b; Bibl. Ædil., cod.* cxliii, *fol.* 144 *b; Bibl. Sanctæ Crucis, cod.* 1, *fol.* 80 *b, quem secernimus cum nota cod.* 1 *a. Codices* cxvi *et* 1 *b nomen præferunt Augustini; cæteri nomen habent sancti Fulgentii. In hac diversitate non satis constat cui vere tribuendum esse videatur, nec satis etiam constat quem in locum sit ponendus, nec quo titulo insigniri debeat, cum in codice Cassinensi legatur in principio* Sermo in nocte Natalis Domini, *in Florentino autem Sanctæ Crucis* 1 *habeatur* Sermo in solemnitate Præsentationis in templo. *Prior titulus præferendus visus est, quia de Præsentatione non fit mentio, nisi versus finem, et cætera Nativitati Christi melius adaptantur. Hinc locus ejus in appendice post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Gratia incarnationis omnino gratuita. II. Incarnatio fide firma credenda. III. Immensa Christi nascentis bonitas. IV. Veteris Testamenti defensio contra Manichæos. V. Ejus veritas ex Novo Testamento confirmatur. VI. Christus infans mores Christianorum informat. VII. Sacrificium turturis et columbæ in Christianis adimplendum. VIII. Exhortatio ad servandam fidem et charitatem.

I. Incarnationis divinæ mysterium nostræque reconciliationis (17) egregium sacramentum, ob hoc a nobis revolutione annua celebratur et recolitur, ut tanti commemoratio (18) beneficii, quid nobis indignis fuerit impensum, ostendat, et quid tantæ gratiæ (19) debeamus admoneat. Proinde, fratres, quantum audimus (20) Dominum Jesum Christum pro nobis omnibus misericorditer humiliatum, tanto magis agnoscamus ineffabiliter gloriosum. In eo (21) namque suam circa nos insuperabilem charitatem Deus Unigenitus evidenter (22) ostendit, in quo pro nobis humilitatem veræ (23) carnis veræque mortis, non coactus necessitate, sed bonitate miseratus, assumpsit. Quid enim boni feceramus (24), fratres, ut tantum nobis beneficium præstaretur? Quæ nostra bona merita (25) fuerunt, ut Unigenitus Deus homo fieri dignaretur, ut altissimus humiliaretur, ut indeficiens Angelo-

[1] Jerem. xxix, 11. — [2] Sap. xviii, 15. — [3] Psal. xxiii, 8. — [4] Matth. xii, 29. — [5] Rom. i, 21. — [6] Luc. x, 30, etc. — [7] Psal. xviii, 6. — [8] Isai. lxiii, 2, 3. — [9] Matth. xii, 29. — [10] Hebr. ii, 14. — [11] Matth. xviii, 23-32. — [12] Ephes. iv, 8. — [13] Philip. ii, 8. — [14] Luc. xxii, 44. — [15] Matth. xxvii, 34-48. — [16] Joan. xvi, 28. — [17] Joan. i, 10. — [18] Act. i, 9. — [19] Psal. lxxi, 6. — [20] Id. lxxvii, 65. — [21] Id. cxi, 7. — [22] Id. xc, 3.

(1) Cod. *novissima diebus.* — (2) Id. *natarat.* — (3) Id. *et.* — (4) Forte *dirumperet.* — (5) Hic errore deceptus auctor Samaritanum fuisse vulneratum asseruit; non enim vulneratus erat Samaritanus, sed ille Samaritanus erat, qui vulnerati curam gessit. — (6) Cod. *fortior.* — (7) Id. *calceavit.* — (8) *calciamenti... calceata.* — (9) Cod. *sibi.* — (10) Deest *cum* in cod. — (11) Cod. *in mari.* — (12) Id. *delectamenta.* — (13) Cod. *prima.* — (14) Id. *quia.* — (15) Id. *veniet.* — (16) Id. *veniet.* — (17) Sic codd. 1 *a*, xli, cxliii; cod. 1 *b*, *nostræ recordationis est*; cod. cxvi *nostræ reparationis est*, et deinde ponitur punctum post *sacramentum.* — (18) Sic codd. 1 *a*, xli, cxliii; cod. 1 *b*, et cxvi *commemoratione.* — (19) Sic codd. omnes, excepto cod. 1 *b*, qui habet *gloriæ.* — (20) Sic codd. 1 *a*, et cxliii; cæteri *audivimus.* Iidem habent *omnibus*, quæ vox deest in cæteris. — (21) Sic omnes codd., excepto cod. 1 *b*, qui habet *itaque.* — (22) Deest vox *evidenter* in cod. cxliii. — (23) Cod. 1 *b*, *veræ.* *veræque.* — (24) Cod. xli *fecerimus.* Vide supra sermonem de Natali qui incipit *Temporalis.* — (25) Deest vox *merita* in codd. 1 *a*, xli, et cxliii; sed legitur in codd. 1 *b*, et cxvi.

rum pannis fœmineis uberibus (1) lactaretur, ut sæculorum Rex contumeliis afficeretur, ut vita æterna mori patientissime dignaretur?

II. Attende igitur, homo, tantæ benignitatis dignationem, ut gratiorem persolvas humiliter actionem (2). Scito autem te non honorificentiam, sed contumeliam divinæ gratiæ reddere, si cœperis de tanti magnitudine (3) beneficii dubitare. Imo illa omnia, quæ de humilitate atque humanitate Domini Salvatoris audivimus vera esse (4), sine hæsitatione (5) credamus. Et ideo magis gratias agamus, fratres, quia cum mereremur (6) pœnam, percepimus gratiam. Qua gratia (7) factum est, ut dum juste mors deberetur (8) perditis, vita gratis donaretur indignis. Altissimi namque Salvatoris humilitas non ipsi aliquod (9) intulit detrimentum, sed magnum nobis contulit incrementum (10); nec excelsum dejecit, sed dejectos (11) erexit.

III. Ut enim plenum Dei Filius operaretur redemptionis nostræ negotium, non solum dignatus est creator totius carnis de carne Virginis, secundum veritatem carnis, naturaliter nasci, et (12) Deus factor hominis, homo verus ex homine fieri, quin etiam pannis involvi, in angustissimo præsepio parvulum (13) collocari octavo die circumcidi, et ad templum suum humanis manibus bajulari. O clementissima Dei bonitas (14)! o altissimi Dei excelsa humilitas! Ille a matre nutriebatur infantulus, qui matrem sibi creavit immensus. Ipse a parentibus ad suum templum parvulus portabatur, qui Deus magnus in eodem templo a sanctis hominibus rogabatur (15); et idem pro se sacrificium præcepit offerri, qui sine peccato pro nostris venerat impietatibus immolari. Considera igitur, homo, quid debeas excelso atque humiliato Filio Dei; excelso (16) in se, humiliato pro te; excelso Creatori tuo, humiliato Redemptori tuo. Verumtamen, charissimi, hoc semper christianæ (17) fidei tenore consuevit integritas, ut si quid a Christo, vel in ipso Christo (18), secundum canonicam Evangelistarum narrationem factum legimus vel audimus (19), historiam primum veram esse sine dubitatione credamus, deinde in historica veritate, spiritualem quoque intelligentiam requiramus.

IV. Cum enim divinæ textus historiæ verax (20) esse creditur, Manichæus in sua vanitate (21) confunditur, qui dum in Christo Dei Filio veritatem non credit carnis, Scripturis sanctis, et veteribus et novis, crimen nititur imponere falsitatis. Nam dum (22) Veteris Testamenti deificam miser execratur historiam, in Novo Testamento ipse sibi denegat utique medicinam. Non vult enim credere humanam carnem a Deo plasmatam, neque circumcisionem carnis a Deo nostro sanctis Patribus imperatam (23), nec victimam de carnibus (24) animalium Deo vivo et vero priscis temporibus immolatam (25), nec sabbatum ex Dei præcepto ac voluntate servatum, nec templum jubente Deo Domino fabricatum (26). Itaque dum in Scripturis sanctis non discernit temporum qualitatem, spernit et despicit saluberrimam veritatem Dominicæ Incarnationis. Quapropter et Manichæus evidentissima ratione vincatur, et victus utinam convertatur (27)! Ex hodierna evangelica lectione veritatem Testamenti Veteris defendamus, ut ex hoc et Veteris et Novi Deum unum manifestissime comprehamus. Ecce sancto Evangelista narrante, cognovimus Christum Dei Filium, verum hominem natum (28); Christum Dei Filium, veraciter circumcisum; pro Christo Dei Filio sacrificium de carnibus avium secundum tunc morem (29) divinæ institutionis oblatum. Sive autem circumcisio carnis, sive (30) carnalium sacrificiorum regula in Veteri Testamento cognoscitur instituta.

V. Cur igitur, dilectissimi, non credatur justissime in Veteri Testamento, quoniam Dei manibus plasmatus est homo, quando in Novo Testamento, ut non in æternum periret homo, ipse Unigenitus Deus pro nobis factus est verus homo? Cur non credatur Deus etiam circumcisionem carnis, ad aliquid significandum, congruo tempore jussisse fieri, cum eam Dei Filius in suo corpore fecerit (31) celebrari (32)? Cur autem non sibi Deus noster præterito tempore populum Judæorum typicas jussisset victimas carnis offerre, quando ipse Deus Unigenitus, ex Judæis temporaliter natus, se ipsum pro nostris peccatis secundum carnem dignatus est immolare? Attendat igitur Manichæus utriusque Testamenti manifestissimam et concordissimam veritatem, et suam conversus abjiciat vanitatem (33). Videat in Veteri Testamento significationem futurorum, in Novo præteritorum revelationem; Christum autem amborum Testamentorum; in Veteri Testamento, quod exhibiturus fuerat, promittentem; in Novo exhibentem, quod promiserat; nec in promissione mendacem, nec fallacem in donatione, sed ubique bonum, ubique justum, ubique sanctum, ubique potentem, ubique clementem (34); in Veteri Testamento redimendi a se hominis conditorem, in Novo conditi a se hominis redemptorem (35); in Veteri Testamento, carnis atque animæ potentissimum Creatorem, in Novo, ejusdem carnis atque animæ clementissimum Susceptorem; ac sic (36) primo carnis animæque Factorem, postmodum vero animæ atque carnis Salvatorem. Hæc Manichæus audiat, conferat, agnoscat et credat, credensque ad Ecclesiam catholicam redeat (37), in qua beneficium veræ salutis (38) inveniat.

VI. Per (39) hæc autem quæ Dominus gessit, in corpore constitutus, non solum utriusque Testamenti dignatus est concordiam demonstrare, verum etiam Christianorum mores voluit salubriter informare (40), ut quod in illo pro salute nostra gestum corporaliter intuemur, nos quoque spiritualiter imitemur (41). Ideo namque parvulus in terra natus est Christus, ut humilitatem disceret Christianus (42). Ob hoc etiam parentibus carnis suæ subditus erat, ut honorificentiam semper patri et matri omnis Christianus (43) exhibeat. Ideo autem Christus vilibus involutus (44) est pannis, ut Christianus non delectaretur (45) vestibus pretiosis. Propterea vero Christus in terra pauper voluit apparere, ut divites Christiani discerent terrenas divitias non amare, sed eleemosynam (46) pauperibus erogando, possent suas divitias in cœlo servare. Ob hoc fuit in angusto præsepio positus Christus, qui totius orbis (47) latitudine non

(1) Cod. 1 a, *feminæ sub uberibus*; ita et CXLIII, et XLI. — (2) Sic cod. CXLIII; codd. cæteri *ut actionem persolvas humiliter gratiarum*. — (3) Sic cod. CXVI; codd. 1 a, et CXLIII *de tantis beneficiis*; cod. 1 b, *de tantis beneficiis magnitudine*. — (4) Cod. 1 b male *esset*. — (5) Sic cod. 1 a, et CXLIII; cæteri *sine aliqua hæsitatione*. Cod. 1 b male *credamur*. — (6) Sic codd. 1 a, CXLIII et CXVI; cod. 1 b, *mereamus*; cod. XLI *meremur*. Deinde cod. XLI *percipimus*. — (7) Sic codd. 1 b, XLI et CXVI; codd. 1 a et CXLIII *qua factum*. — (8) Sic cod. CXLIII; cæteri *debetur* male. — (9) Codd. 1 b et XLI male *aliquid... detrimentum*. — (10) Sic cod. 1 a, excepto quod habet *intulit pro contulit*; cod. CXLIII *sed nobis magnum*; codd. 1 b et CXVI *incrementum nobis intulit magnum*. — (11) Sic omnes codd., excepto cod. CXVI, qui male habet *electos*. — (12) Cod. CXLIII omittit *et*. — (13) Sic cod. 1 a, et CXLIII; vox *parvulum* deest in cæteris. — (14) Sic cod. CXVI; cod. 1 b, *benignitas*; cod. 1 a, *clementissima Dei gloriosa benignitas*. — (15) Cod. CXVI ponit *rogabatur* post vocem *magnus*. — (16) Cod. CXVI male *et excelso*; cod. 1 b, *quid debeas excelso et humilitate pro se, excelso creatori*, etc., in codd. autem 1 a, et CXLIII legitur, ut scripsimus. — (17) Sic codd. CXVI et CXLIII; codd. 1 a et 1 b, *Christi nomine*. — (18) Sic codd. XLI et CXVI; hæc verba desunt in cæteris. — (19) Sic codd. 1 a, CXLIII; cæteri *audivimus*. — (20) Sic codd. 1 a, et CXLIII; cod. 1 b, *verus*; cod. CXVI male *verum*. — (21) Sic codd. 1 a, et CXLIII; codd. 1 b, et XLI male *severitate*. — (22) Sic codd. 1 a, et CXLIII; cæteri *cum*. — (23) Sic cod. CXLIII, cæteri ponunt *imperatam* ante has voces *a Deo*. — (24) Cod. XLI male *carnalibus*. — (25) Sic cod. 1 b; cod. CXVI male *immolatum*. — (26) Sic cod. CXLIII; cod. 1 b, *nec fabricatum Domino templum jubente Deo*; item et cod. CXVI excepto quod *fabricatum Deo* habet pro *fabricatum Domino*. — (27) Sic cod. CXLIII; cæteri *et convertatur utinam victus!* — (28) Sic omnes codd. excepto cod. 1 b, qui male addit ante hæc verba *cognovimus Christum veraciter crucifixum*, et deinde omittit, *Christum Dei filium veraciter circumcisum*. — (29) Sic codd. 1 a, et CXLIII; cod. CXVI omittit *avium* et *tunc* quæ nec in cod. 1 b leguntur, ubi et *mortem* habetur pro *morem*. — (30) Cod. 1 b male *suæ*. — (31) Cod. 1 b male *fecerat*. — (32) Cod. XLI male *celebrare*. — (33) Sic cod. CXLIII; cæteri *vanitatem conversus abjiciat suam*. — (34) Sic codd. 1 a, et CXLIII; cæteri *clementem ubique*. — (35) Hæc verba quæ leguntur in codd. 1 a, et CXLIII, desunt in cæteris codd. — (36) Sic cod. 1 b; cod. CXVI *si*. — (37) Sic codd. 1 b, XLI et CXVI; cæteri *veniat*. — (38) Sic codd. 1 b, et CXVI; codd. 1 a, et CXLIII *salvationis*. — (39) Cod. XLI male *post*. — (40) Sic cod. CXLIII; cæteri *informare salubriter voluit*. — (41) Sic cod. CXLIII; cæteri *imitemur nos quoque spiritaliter*. — (42) Cod. 1 b, male *Christianis*. — (43) Deest in cod. 1 b, vox *Christianus*, sed legitur in cæteris. — (44) Codd. 1 a, et CXLIII *indutus*. — (45) Cod. 1 a, *delectetur*; ita et cod. CXLIII. — (46) Cod. XLI *eleemosynas*. — (47) Sic cod. CXVI; codd. 1 a, et CXLIII *mundi*, sed hic ultimus male deinde *latitudinem*; vox *orbis* aut *mundi* deest in cod. 1 b; cod. XLI *ponitur qui*.

finitur immensus (1), ut in eum credentes spiritale (2) haberent pabulum (3), et Christiani discerent (4) non inhiare domibus aut possessionibus aliorum. Cui (5) enim Christiano, quantumlibet arcta, quantumlibet vilis, domus vel possibilitas (6) non sufficiat propria, quando Christo Dei Filio modici præsepis sufficit (7) angustia? Per circumcisionem vero quam Dei Filius in carne suscepit, nostri cordis circumcisionem (8) in spiritu præmonstravit. Quam circumcisionem nobis sermo legalis indicit, dicente Moyse: « Circumcidite » præputium cordis vestri, et circumcidimini Domino Deo » vostro¹; » cui præcepto concordat beatus Apostolus dicens: « Non enim qui in (9) manifesto Judæus, neque quæ » in manifesto in carne circumcisio, sed qui in abscondito » Judæus, et circumcisio cordis in spiritu, non littera, » cujus laus (10) non ex hominibus, sed ex Deo est². » Proinde circumcisionem quam in corpore habuit Christus (11), spiritaliter in corde habeat Christianus. Ob hoc namque ille, qui nullum habere potuit omnino peccatum, deposuit præputium carnis, ut nos abjiciamus desideria pravitatis. Christus igitur manibus est deportatus (12) in templum, ut Christianus bonis operibus conscendat in cœlum. Sacrificium pro se offerri voluit Christus, ut ad altare Domini se (13) offerat Christianus. Maxime autem bono vivendo, se ipsum Deo offerre festinet, si vere (14) delectatur mundum (15) sacrificium divinis exhibere obtutibus (16).

VII. Ipso quoque genere illius sacrificii, quoddam spiritale sacrificium nobis agnoscimus indicari (17). « Par, inquit (18), turturum, et duos pullos columbarum³. » In hoc genere avium, dilectissimi fratres, magnum nobis commendatur catholicæ fidei sacramentum. In columba enim charitas cognoscitur, in turture vero (19) castitas invenitur. Turtur namque intemeratam (20) servat uni viro fidem, columba vero aliarum cohabitantium non deserit unitatem. Catholicus igitur Christianus tunc vere spiritualis turtur efficitur, si veram Trinitatis fidem firma credulitate conservet, et hæreticæ pravitatis sensum, tanquam fornicationis inquinamenta, repudiet; tunc vere erit columba, si longanimiter usque in finem in catholica societate permaneat, et contra tentationes et scandala (21) immobili firmitate persistat; ut nec hæretica (22) fornicatio corrumpat in corde fidei castitatem, nec amara dissensio ecclesiasticæ charitatis dissipet (23) unitatem. Hæc est enim Catholica Ecclesia, quæ fidem uni Deo (24) tanquam legitimo viro conservat (25), et congregationem filiorum (26) in charitate multiplicat. In hac turture (27) et columba, dilectissimi fratres, solliciti (28) permanete; hanc (29) votis (30) omnibus custodite, ut eam nec Arianus violet, nec Donatista conculcet, nec Manichæus coinquinet (31). Hi enim velut accipitres mali unitatem columbæ cupiunt dissipare, et castitatem turturis desiderant violare (32). Nam Manichæus veram in Christo (33) non credit carnem; Arianus (34) veram in eo minorat Divinitatem; Donatista quoque dissipat (35) catholici corporis unitatem (36). Manichæus sacramentum non vidit Redemptoris (37); Arianus magnitudinem non cogitat Creatoris (38); Donatista vero, tanquam (39) rapax lupus, non dubitat gregem boni dissipare Pastoris (40). Hi ergo, sicut dixi, tanquam accipitres (41) mali, miseros (42), et vanitatis cupidos, aut veritatis ignaros occidere cupientes, persequuntur columbæ charitatem, castitatem execrantur turturis, et si quos (43) possunt, aut ore (44) devorant, aut unguibus lacerant: id est, aut sermonibus depravant, aut persecutionibus cruciant.

VIII. Vos ergo, sanctissimi fratres, in fide custodite catholicam veritatem; in charitate pacem servate catholicam. Ille enim gratum Deo offert sacrificium, qui charitatem fraternam et verum (45) catholicæ fidei servaverit sacramentum, ubi unus Deus, una Trinitas colitur; nec Pater major Filio, nec Patre (46) minor secundum divinitatem Filius (47) prædicatur; nec ab eis discernitur substantia sancti Spiritus, qui cum Patre ac (48) Filio naturaliter unus est Deus. Una est enim Trinitatis sanctæ potentia, quia in tribus personis una manet substantia naturalis. Una est enim (49) potestas, quia majestas una, una æternitas, quia una divinitas (50); una Creatoris dominatio (51), quia conditio una (52) creaturæ. Quidquid enim Pater creavit, fabricavit per Filium, firmavit et in Spiritu sancto. Filius autem natus est de gignente (53), Spiritus sanctus de permanente procedit; nec tamen nascendo Filius divisit Patrem, nec procedendo minuit Spiritus Deum (54), quia nec auget hærendo. Ergo nec nascendo est Filius (55) minoratus, nec separatus Spiritus procedendo. In se enim beata illa Trinitas manet, quia ibi substantialis unitas permanet; et quoniam nihil est in Trinitatis divinitate creatum, propterea ibi nihil est utique separatum (56). Hæc, dilectissimi fratres, fideliter tenete; in his jugiter permanete (57). Hæc (58) sit in corde cogitatio, hæc in ore confessio. Tenete fidem, quam accepistis in nomine Trinitatis; « Servate » unitatem Spiritus in vinculo pacis⁴, » ut turtures et columbæ spiritualiter in domo Dei semper esse possitis. Amen.

¹ Deut. x, 16. — ² Rom. II, 28, 29. — ³ Luc. II, 24. — ⁴ Ephes. IV, 3.

(1) Sic codd. 1 *a*, et CXLIII; cod. CXVI *immensitate sua*: cod. 1 *b*, pessime *in mentis suæ*. — (2) Cod. 1 *b*, male *spiritali*. — (3) Cod. CXVI *papulum*. — (4) Cod. 1 *b*, male *discerctur*. — (5) Cod. CXVI *cur*. — (6) Sic codd. omnes; forte *possessio*. — (7) Sic codd. 1 *a*, et CXLIII; codd. cæteri *sufficit*; cod. 1 *b*, male *præsepii*, quod et cod. CXVI. — (8) Cod. 1 *b*, male *circumcisione*, et sic deinde. — (9) Deest *in* in cod. XLI, et sic deinceps. — (10) Cod. 1 *b*, pessime *lanis*. — (11) Sic codd. 1 *a*, et CXLIII; cod. 1 *b*, et CXVI *circumcisionem habuit in corpore Christus, ut*. — (12) Sic codd. 1 *a*, et CXLIII; cæteri *portatus*. — (13) Sic cod. 1 *b*, et CXVI; codd. 1 *a*, et CXLIII *semper*. — (14) Sic cod. 1 *b*; cæteri *si vero*. — (15) Cod. CXVI male *mundus*. — (16) Cod. CXVI *optutibus*. — (17) Cod. CXVI *judicari*. — (18) Deest *inquit* in codd. 1 *a*, et CXLIII. — (19) Sic codd. XLI et 1 *a*; codd. 1 *b*, CXV et CXLIII *et in turture*. — (20) Cod. XLI *intemerata*. — (21) Sic codd. 1 *a*, et CXLIII; codd. CXVI, et *b*, *tentationis scandala*. — (22) Cod. XLI *haretici*. — (23) Sic codd. XLI et CXVI; cæteri male *deserat*. — (24) Sic omnes codd. excepto cod. 1 *b*, qui habet *Domino*. — (25) Sic cod. CXVI; codd. 1 *a*, et CXLIII *servat*; cod. 1 *b*, *reservat*; codd. XLI *servet*, qui et ante *legitima* habet pro *catholica*. — (26) Sic cod. 1 *a*, et CXLIII; cæteri *multorum*; forte ambæ voces servandæ *multorum filiorum*. — (27) Cod. XLI *virtute*. — (28) Id. *sollicite*. — (29) Cod. 1 *b*, male *hac*. — (30) Codd. sic omnes excepto, cod. CXVI qui habet *vobis*. — (31) Sic codd. 1 *b*, CXLIII et CXVI; cæteri *inquinet*. — (32) Sic cod. CXLIII; cæteri *castitatem violare desiderant turturis*. — (33) Sic cod. CXVI; cæteri *in Christo veram*. — (34) Sic codd. 1 *a*, et CXLIII; cæteri *Arius*; deinde alii habent *veram in eo*, alii *in eo veram*. — (35) Cod. CXLIII *dissiparit*. — (36) Cod. CXLIII *sanitatem*. — (37) Sic codd. 1 *a*, et CXLIII; cod. CXVI *credit Redemptoris*; cod. 1 *b*, *vidit redemptionis*. — (38) Sic cod. XLI; cæteri bis habent *Redemptoris*. Mihi legendum potius videretur, *Creatoris* quoad Manichæum, *Redemptoris* quoad Arianum. — (39) Cod. *b*, male *tam rapax*. — (40) Sic codd. XLI et CXLIII, excepto quod habent *dissipavit* pro *dissipare*; cæteri autem codd. *boni pastoris non dubitat gregem dissipare*, quod non concordat cum more scriptoris in eosdem sonos desinere semper quærentis. — (41) Codd. XLI et CXLIII male *hi ergo dixi accipitres*. — (42) Vox *miseros* deest in cod. XLI. — (43) Sic codd. 1 *a*, et CXLIII; cæteri non habent *si*. — (44) Vox *ore* deest in cod. CXLIII. — (45) Sic codd. 1 *b*, XLI et CXVI; codd. 1 *a*, et CXLIII *qui cum charitate fraterna veram*, etc. — (46) Cod. XLI et CXVI male *a patre*; cæteri codd. tollunt *a*. — (47) Cod. 1 *b* male, *si filius*. — (48) Sic cod. CXVI; cod. 1 *b*, *et*. — (49) Vox *enim* quæ legitur in codd. 1 *b*, XLI et CXLIII, deest in codd. 1 *a*, et CXVI. — (50) Hæc verba desunt in codd. 1 *a*, 1 *b*, et CXVI, sed leguntur in codd. XLI et CXLIII. — (51) Cod. 1 *b*, male *damnatio*. — (52) Cod. CXVI male *non* pro *una*; cod. XLI *quia una creaturæ est conditio*. — (53) Sic codd. CXVI et CXLIII; cod. 1 *a*, *gingnente*; cod. 1 *b*, *gingente*. — (54) Sic omnes codd., excepto cod. CXVI qui habet *Dei*. — (55) Cod. XLI *Dei filius*; cæteri omittunt *Dei*. — (56) Sic cod. CXLIII, et quidem bene; cæteri *propterea separatum ibi nihil est utique*. — (57) Sic idem cod., et optime propter desinentiæ similitudinem; cæteri *in his permanete jugiter*; cod. 1 *b*, male *jugitur*. — (58) Cod. XLI male *hac*. Ante hæc verba indicantur in variantibus voces, quæ innuere videntur aliquam sententiam, quæ in nostris manuscriptis penitus deest, et quæ incipit per hæc verba *hæc spiritualės*, etc; credendum est illam excidisse amanuensium incuria.

SERMO XIV.

In Natali Domini.

Extrahitur hic sermo ex Bibl. Ædil. cod. x, *de quo codice supra diximus. Hinc et propter parvam codicis auctoritatem, et propter nonnullas minus accurate scriptas sententias, rejicietur in appendicem, et ponatur post sermonem appendicis Maurinensis* CXXVIII, *cum numero in Natali Domini* XIII.

SYNOPSIS.

I. Duplex Christi adventus, in misericordia et in justitia. II. Ad Christum eadem via qua venit eundum est. III. Deus cum diabolo juste et sapienter egit in redemptione. IV. Gaudendum cum pastoribus et regibus. V. Pax ab Angelis nuntiata, sed non nisi hominibus bonæ voluntatis. VI. Figura et prophetia concordantes. VII. Post sanctificatum Præcursorem, parit Maria Deum suum, quem cum præparatione debita suscipere debemus.

I. Fratres charissimi, eximius Propheta David per Spiritum sanctum prævidens quæ hodierna die nobis apparuisse testamur, duos futuros adventus (1) Salvatoris prædixit. Præcessit jam primus cum misericordia, secundus jam veniet cum justitia. Sola enim misericordia et clementia sua descendit, carnem assumendo de Virgine. Qui erat invisibilis apud Patrem, visibilis et mortalis hodie apparuit inter homines, « Ut eos qui sub lege erant redimeret[1]. » Antiqui enim Patres primum expectaverunt, quem hodie videmus advenisse, adventum; nos vero secundum expectamus ad quem parati currere esse debemus. Surgite ergo omnes qui Christum expectatis, quoniam « Hora est jam » nos de somno surgere[2]. » Primus fuit in utero virginis in terra, secundus erit in aëre.

II. Tu vere fidelis, qui primum adventum in mente desideras, festina, occurre illi (2), et eadem via perge qua venit. Quæ est enim via Christi, nisi humilitas? Sine enim via recta humilitatis, obviam Salvatori nullus accedere potest. Nunc (3) ergo tu, Christiane, qui Christum in te venturum de propinquo expectes, cave ne dormias, sed festina, et ad locum in quo Christus inveniri potest, accede. Quis est iste locus, nisi Ecclesia? Ibidem Christum invenies, et dum eum inveneris, fige genua ante Salvatorem, qui te de limo terræ formavit; eleva ad eum manus; aperi ipsi cor, eleva brachia; exalta vocem profundæ humilitatis, et dic: « Veni, Domine, et jam noli tardare, quia amore » tuo langueo[3]. » Sed dum hæc omnia ais, dum genua flectis, te fragilem et de terra factum recognoscis, et in terra te redire non dubites. Memento ergo, homo, dum ante altare vel crucem genua flectis, quod terra et cinis es, et in cinerem reverteris[4]. In hoc etiam quod elevas manus tuas vel brachia, quid aliud quam ad cœlestia volaturum cognoscis? Sed etiam hoc non tibi solum sufficit, sed eleva manus ad pauperes, eis subveniendo, si indigent, consilio vel auxilio; si errant, revocando et monendo publice vel occulte, ut puta si publice peccant vel errant, publice « Argue, obsecra, increpa[5]; » si autem occulte, occulte obsecra et increpa. Sed si in die natalis Domini, Christiane, in Ecclesia inique fueris, ut Christum natum videre credideris, et cogitas quomodo in mercantiis proximum decipias aut occidas, vel in aliquo eum offendas; scias quod si hoc feceris, oratio tua vana est. Si etiam jejunaveris et multitudinem ferculorum tibi paraveris, scias falsum esse tuum jejunium. Quid ergo, fratres, faciendum est? Ecce, Christiani, audistis, quod Christi « Benignitas nobis apparuit. » Et quibus nobis? Numquid luxuriantibus? numquid impœnitentibus? numquid superbis et elatis? numquid crudelibus, qui negligunt pauperi eleemosynas facere? Non, fratres mei, sed tantum iis qui humilitatem, misericordiam, et veritatem osculantur; talibus enim « Apparuit benignitas » et humanitas Salvatoris nostri Dei[6]. »

III. Non tamen « Ex operibus, fratres, justitiæ quæ fe» cimus nos, sed secundum suam magnam misericordiam » salvos nos fecit[7]. » Genus enim humanum astutia diabolicæ fraudis subdiderat (4) suæ ditioni per peccatum primi parentis; Dominus enim justus judex, qui nec aliquid suo adversario injustum vult irrogare, sed omnia sive per misericordiam, sive per justitiam facere voluit, sic nos per gratiam redimere, ut nec etiam injuriam diabolo videretur inferre (5). Cum vero diabolus astute egisset contra homines per fallaciam, voluit ipse contra diabolum per prudentiam et sapientiam agere. Tali enim consilio Dominus de nostra egit (6) reparatione: necessarium erat, ut contra diabolum pugnaturus, talis mitteretur qui nec succumberet, et rationabiliter ageret, et cum sapientia omnia ageret et tractaret. Adam, fratres, purus homo fuit; ideo ex humana fragilitate diabolicis tentationibus succubuit, et propterea homo purus ad nostram redemptionem mittendus non fuit, quia vel per se, vel cum tentaretur, peccare potuisset. Angelus tamen mittendus non erat in hanc militiam (7), quia peccare poterat, sicut fecerat in superbia. Necessario ergo fuit, ut mitteretur (8) Deus, qui peccare non posset. Nulla enim res rationalis est, quæ peccare non possit, nisi solus Deus. Quare etiam non fuit missus Pater vel Spiritus sanctus, sed solus Filius, quia ut superius dictum, est contra astutiam diaboli in cunctis per sapientiam agendum erat. Sapientia autem et prudentia est ipse Filius, « Per quem omnia facta sunt[8], » et prævisa. Ideo quia prudentia est, et prudentia rationabiliter egit, quia sapientia, egit sapienter; missus est Filius, quia cum esset sapientia, sapienter omnia pertractavit. Cum esset Deus, peccare non potuit, sed rationi congruum erat, ut sicut homo superatus et captus erat, sic et homo superando naturam humanam liberaret. Non ergo purus Deus missus est, sed Deus et homo. Homo qui pugnaret, et Deus qui hominem pugnantem sustentaret. Est ergo, fratres, et alia ratio. Magna enim discordia erat inter Deum et homines per veterem hominem; facta est ergo concordia per novum mediatorem Christum. Sed cum mediator esset, dignum erat ut cum utroque extremo affinitatem haberet. Itaque hominem cum Deo reconciliaturus erat, qui erat inter utrumque Deus et homo. « Non tamen ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, » sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit[9]. »

IV. Gaudeamus ergo, fratres, quia « Hæc est dies, quam » fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea[10]. » Hæc est dies in qua revelata est Christi nativitas pastoribus per Angelos, Regibus per stellam. Pastoribus quidem dicit Angelus: « Annuntio vobis gaudium magnum quod erit omni populo, » quia natus est vobis Salvator. Et subito facta est cum » Angelo multitudo dicentium: Gloria in excelsis Deo[11]. » Hoc autem audientes venerunt usque Bethlehem, et invenerunt puerum, quem adoraverunt, quem glorificaverunt, quem Deum et hominem esse crediderunt, cujus stabulum etiam osculati sunt, cujus matrem venerati sunt, cui etiam applausi sunt. O sancti pastores, verique pastores, quid vidistis? Annuntiate nobis, in terra quis apparuit? Gaudete, sancti pastores, et annuntiate nobis, qui vidistis, quod non videre potuerunt multi reges et Prophetæ. Beati pauperes humiles, quoniam ipsi Deum non in stabulo, sed in cœlo videbunt. Merito ergo, fratres, hoc Angelus pas-

[1] Galat. IV, 5. — [2] Rom. XIII, 11. — [3] Cant. II, 5. — [4] Gen. III, 19. — [5] II Tim. IV, 2. — [6] Tit. III, 4. — [7] Ibid. 5. — [8] Joan. I, 3. — [9] Tit. III, 5. — [10] Psal. CXVII, 24. — [11] Luc. II, 10-14.

(1) Cod. male, prætermittendo *adventus*, *duos Salvatores*. — (2) Cod. *sibi*; sic semper hic cod. ponit *sibi* pro *illi*, ut videre est inferius. — (3) Cod. absque sensu *cum*. — (4) Cod. *subderat*, et deinde *dejectioni*. — (5) Vide Sermonem inter ineditos XXX, de Pascha X, num. 2. — (6) Deest vox *egit* in cod. — (7) Cod. *in hac militia*. — (8) Id. *mitteret*.

toribus nuntiavit, atque (1) Solem justitiæ et lumen in tenebris exortum declaravit (per stellam), quia Rex Angelorum natus erat. Cum (etiam) claritate magna, per stellam etiam hodierna die, Salvator regibus apparuit, quia natus erat (2), « Rex constitutus super montem Sion[1], » stella quæ oriunda erat ex Jacob[2]. Merito ergo pastoribus et regibus Christus apparuit, quia rex et sacerdos natus est, ex regali et sacerdotali genere: de regali semine, quia de semine David; de sacerdotali, quia beata Maria cognata erat Elisabeth uxoris Zachariæ et Joannis Baptistæ matris. Nam Anna Dominæ nostræ mater, et mater (3) Elisabeth, quæ vocata fuit Daria, sorores licet, non germanæ fuerunt. Sed nunc audiamus quid Angelus pastoribus ait: « Ecce annuntio vobis gaudium magnum, quia natus est » vobis hodie Salvator[3]. » Vere gaudium magnum, quia captivi eramus, et ecce per quem liberamur: infirmi eramus, et ecce per quem solidamur: cæci eramus, et ecce per quem illuminamur: claudi et surdi eramus, et ecce Salvator per quem dirigimur. Gloria est hodie in excelsis apud Angelos, de restauratione imminuti Angelorum ordinis; ideo laudabant Deum de reparatione hominum ad restaurationem Angelorum.

V. Hominibus etiam hodie pax annuntiatur, quia cum Deo et Angelis ante discordiam habebamus; sed hodie vera pax nobis de cœlo descendit, et factus est « Mediator » Dei et hominum homo Christus Jesus[4]. » Peccando enim extranei facti eramus a Deo et consortio Angelorum; imo etiam Angeli nos despicientes, se a nobis adorari permittebant (4). Hinc est enim quod Loth et Abraham Angelos adorabant, nec ipsi Angeli adorari prohibebant ante Christi adventum; sed, nato Domino, pastores Angelos tanto clarore resplendere videntes, eos adorare, ut puto, voluerunt, nec Angeli permiserunt. Numquid et Joannes in Apocalypsi Angelum adorare non voluit (5)? Cui dixit Angelus: « Vide ne feceris; conservus enim tuus sum et » fratrum tuorum[5]. » Prius enim naturam humanam despiciebant Angeli, ut inferiorem; sed postquam eam Deus assumpsit, eam in sociam susceperunt, quam etiam in Deo adoraverunt et adorant. Pax ergo hodie, fratres, per Angelum nuntiatur hominibus, sed non omnibus, tantum autem bonæ voluntatis[6]. O utinam, fratres, de isto numero bonæ voluntatis simus! O utinam pax nobis annuntietur! O utinam illa pax quæ exsuperat omnem sensum custodiat corda nostra! Quibus, fratres, annuntiatur hodie pax? Numquid luxuriantibus? numquid Deum maledicentibus? numquid hypocritis vel avaris? numquid superbis et iracundis? numquid crudelibus, viduas et prægnantes spoliantibus (6)? numquid sacerdotibus Christi, corpus et sanguinem indigne sumentibus? Absit, fratres; sed quibus ergo nuntiatur pax, nisi iis qui boni sunt et qui mali fuerunt, sed nunc habent voluntatem benefaciendi? talibus qui habent voluntatem reconciliandi, et qui etiam convertunt se Creatori, nec faciunt contra voluntatem ejus; talibus pax ab Angelis nuntiatur. Sed quot sint tales? Omnino, fratres, numerum enarrare pertimesco. Sed dicet quis ex vobis: Quare dixit, « Bonæ voluntatis, » et non actionis? Cujus causa est, quia bona voluntas sufficit, ubi non fuerit operandi facultas? Itaque, fratres, bona voluntas valet aliquando sine bona operatione; operatio vero nunquam sine bona voluntate. Debuit ergo dici, « Bonæ » voluntatis, » quia commune est omnibus salvandis (7) per gratiam.

VI. Apparuit ergo hodie Christi benignitas, et pretiosa ex matre nativitas, quæ ostensa fuit in figura ipsi Aaron. Dominus enim sancto Moysi præcepit de singulis tribubus singulas virgas afferri, et portatæ sunt virgæ duodecim, inter quas etiam una fuerat, quæ erat Aaron sacerdotis; positæ tandem sunt a sancto Moyse in tabernaculo testimonii; sed virga Aaron invenitur post alteram diem produxisse flores et peperisse nuces. Hæc est figura, sed prophetia fuit, dum dixit Isaias: « Egredietur virga de radice Jesse[7]. » Ecce conveniunt prophetia et figura. Jesse fuit pater David; radix Jesse est familia Judæorum; virga est Maria; flos filius ejus est, super quem Spiritus sanctus descendit in specie columbæ[8]. Virga etiam ipsius Aaron Mariam bene significat, quæ sine semine protulit nuces et absque omni liquore procreandi. Nux etiam significat Domini corpus. Tria enim sunt in nuce, scilicet cortex, testa et nucleus. Cortex amarus est, et significat Christi carnem in passione; nam tunc amara fuit; testa ossa significat; nucleus Christi animam significat, fratres, quæ dulcis et candida est. Cum his et similibus Domini nativitas prænuntiata fuisset, quando voluit, placuit promissa implere, et tunc missus est angelus Gabriel ad Mariam.

VII. Voluit tamen Deus et egregius Imperator habere præcursorem, et per eumdem angelum Gabrielem annuntiari; et contra jus naturæ, de sterili fœmina voluit eum nasci. In sexto enim mense a conceptione Joannis conceptus est Christus, quo concepto, « Abiit Maria in montana, » et salutavit[9] » cognatam, et audita salutatione, Joannes mox Propheta efficitur, et prophetavit conceptus conceptum, et per gratiam pueri repleta est mater Spiritus sancti gratia, et ait: « Unde hoc mihi, quod Mater Domini mei » veniat ad me[10]? Et mansit Maria apud cognatam mensibus » tribus; et postmodum reversa est in domum suam Nazareth[11]; » postmodum contigit Joseph ire « in Bethlehem » cum Maria uxore prægnante, et completi sunt dies ut » pareret, et divertit se in stabulum, et peperit Filium suum » sine dolore « primogenitum, et pannis eum involvit, et in » præsepio eum reclinavit[12]. » Hæc est ista porta, per quam homo non transivit, quia virgo ante partum, virgo in partu, et virgo post partum permansit. O Maria, magnam gratiam, magnum donum et singulare beneficium a Deo recepisti, ut mater esses et virgo, ancilla Dominum pareres (8), creatura Creatorem, filia parentem, filia Divinitatis, et mater humanitatis (9). Duas denique nativitates Domini, fratres, accepimus, unam divinam et alteram humanam, illam sine Matre, istam sine Patre. Hodie tamen celebramus temporalem tantum propter nos acceptam. Gaudere igitur debemus propter nostram reparationem: hodie suscepit infirmus sanitatem, hodie captivus libertatem, hodie exul recuperavit hæreditatem. Suscipiamus ergo hodie Regem venientem; præparemus corda nostra ante istum Imperatorem, ut nos recipere dignetur in cœlestem sanctam Jerusalem, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Psal. II, 6. — [2] Num. XXIV, 17. — [3] Luc. II, 10. — [4] I Tim. II, 5. — [5] Apoc. XXII, 8, 9. — [6] Luc. II, 14. — [7] Isai. XI, 1. — [8] Matth. III, 16. — [9] Luc. I, 39, 40. — [10] Luc. I, 43. — [11] Ibid. 56. — [12] Id. II, 4-7.

(1) Hic vix explicari possunt cod. verba, qui habet *quia*, et deinde addidisse videtur male *per stellam*, et postea bis *etiam*. — (2) Cod. addit *et stella*. — (3) Cod. *soror*, quæ mutatio videtur necessaria; aliunde Elisabeth fuisset amita Virginis, non consobrina. Unde vero resciverit Elisabeth matrem vocatam fuisse *Dariam* penitus ignoro. — (4) Hæc omnia de adoratione Angelorum non satis accurate videntur dicta. — (5) Cod. *noluit*, quod hic non idem est ac *non voluit*. — (6) Cod. male *spoliantes*. — (7) Cod. *salutandis*. — (8) Cod. *parere*, et deest vox *Dominum*. — (9) Hæc male sonare videntur, et supponere Mariam esse matrem hominis, non Dei.

SERMO XV.

In octava Natalis Domini.

Hic sermo eductus ex Cod. Cass. xi, fol. 215, citatur etiam a Bandinio Bibl. Laur. S. 1, fol. 630. Ignoratur cujus sit, et propter defectum nominis in codice, anonymo tribuere illum sumus coacti, licet plures sint sententiæ sancto Augustino non indignæ. Ponatur in appendice post præcedentem.

SYNOPSIS.

I. Calendæ Januariæ Christi nomine consecratæ. II. Simeonis justitia viris imitanda. III. Ita et Anna fœminis.

I. Calendas Januarias, fratres charissimi, Romanæ orbis consules ac magistratus festis annalibus renovant, ut vocabulis consulum, series renovaretur annorum. Deus autem, qui mundum, et tempora, simulque temporum nomina fieri jussit ac fecit, Filio suo, ante mundi originem genito, hodie promissum nomen imposuit, cum eum ante octo etiam dies per Virginem jusserit corporaliter nasci. Audi hoc, et disce, mortalitas. Dies iste qui semper consules recipit, non huic mundo, sed nomini dicatus est Salvatoris, Luca evangelista dicente: « Postquam consummati » sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est » nomen ejus Jesus, quod prædictum erat ab Angelo prius» quam in utero conciperetur[1]. » Quid nunc, mundane, lætitia, fasces, secures atque infulas, cæteraque honorum vanissima insignia, plausibili ambitu ostentas? quid laureas renovando frondescis? quid reciprocis osculis et pecuniis hunc tibi vendicas diem? Dies iste, dies purgationis est Christi. Hodie nomen suum terris, cum acciperet, dedit. Hodie legalibus sacramentis oblatus interfuit. Hodie pro eo sacrificium Pater accepit, ipso Evangelista dicente: « Cum complerentur (1) dies purgationis ejus, secundum » legem Moysi, sustulerunt eum Jerosolymam, ut statuerent » eum ante Dominum, sicut scriptum est in lege Domini, » quia omnis masculus adaperiens vulvam, sanctum Domino » vocabitur. Et ut offerrent pro eo sacrificium, secundum » legem Domini, par turturum, aut duos pullos columba» rum[2]. »

II. « Ecce autem fuit homo Jerosolymis, cui nomen erat » Simeon; homo justus et pius, expectans redemptionem » Israël. Responsum namque acceperat a (2) Spiritu sancto » non visurum se mortem, quoadusque videret Christum Do» mini. Venit ergo in templum, Spiritu sancto plenus, et ac» cepit Jesum in manus suas, et benedixit Dominum dicens: » Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum » tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum[3]. » Simeon justus et pius, sacrosanctæ infantiæ dignus antistes, Christum hac die manibus junctis accepit. Magnum Eucharistiæ sacramentum, quod hodie, Christiani, de altaribus Dei non sumitis, qui per fora mundi ludicra (3) celebratis. O error, fidei depravator! O Christiani, obliti nominis vestri! Natalem diem corporis Christi non fideliter colitis, si natalem nominis non colatis. Facite igitur, viri, quod Simeon justissimus fecit, ut ante corporis mortem veniatis ad Christum.

III. Vos quoque, fœminæ, facite quod Anna prophetissa monstravit. Nihil incongruum suadeo. Sexus sexum, et ætas imitetur ætatem. Eodem Evangelista dicente: « Anna pro» phetissa, filia Phanuël, de tribu Aser. Hæc processerat » in diebus multis; et vixit cum viro suo annis septem a » virginitate sua. Vidua autem erat annorum octoginta » quatuor. Quæ non recedebat de templo, jejuniis et ora» tionibus serviens Deo nocte ac die. Hæc igitur, cum ve» nisset in templum, confitebatur Domino, et laudabat in » eo gloriam ejus coram omnibus expectantibus redemptio» nem suam. Et cum perfecissent omnia secundum legem » Domini in templo, reversi sunt in Galilæam, in civitatem » Nazareth. Puer autem crescebat et corroborabatur, et » adimplebatur sapientia, et gratia Dei erat in illo[4]. » Audite hoc, fœminæ cujuslibet ætatis, audite simul et discite; ut in Ecclesia Dei cum semper, tum magis hodie præcedatis. Annam gravissimam fœminam imitari vos decet (4); quæ orationibus et jejuniis ad Christum omnes duxit ætates. Et quia vobis familiares sunt infantes cum conjugibus et filiis, infantiam Christi et nomen suppliciter adorantes, benedicite et collaudate. Celebrate nobiscum divini gratiam sacramenti, quia hodie nobis in integrum completus est Christus. Solstitio namque corpus ejus emicuit; hodie corporis nomen illuxit; cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XVI.

In Circumcisione Domini.

Hic sermo pulchris refertus sententiis, non sancto Augustino indignus videretur, nisi extraheretur ex Bibl. Ædil., cod. x, fol. 6, de quo pluries jam disseruimus. Adde quod singulariter asserit Abel fuisse occisum in agro Damasceno, quod nullibi legitur apud beatum Doctorem. Sit ergo in appendice post sermonem præcedentem.

SYNOPSIS.

I. Christus circumcisus, quia debuit; oblatus, quia voluit. II. Maria virgo purificatione non eguit. III. Baptizatus Christus, quia profuit, et passus, quia oportuit. IV. Nos cum Christo offeramus oblationes voluntarie, maxime per paupertatem. V. Duæ oves, figuræ sunt animæ et carnis, quæ Deo sunt consecrandæ. VI. Columba, mutans colorem, docet nos omnia omnibus fieri. VII. Exhortatio ad perseverantiam, Simeonis exemplo. VIII. Et ex luminaribus mysticis. IX. Christus figuratus in serpente æneo. X. Juventuti verba adhortatoria. XI. Carnem inter et spiritum dialogus. XII. Conclusio.

I. « Oblatus est » hodie Christus, fratres, « quia ipse » voluit[5]. » Quoties enim oblatus est (5), toties offerri voluit. Primo enim oblatus est in templo, sed postmodum in ligno: primo tanquam puer oblatus est a parentibus, postea tanquam perfectæ ætatis se obtulit pro parentibus. Prima oblatio fuit purificationis, sed secunda immolationis; sed utrobique « Oblatus est, quia ipse voluit, et omnia, quæ» cumque voluit, Dominus fecit in cœlo et in terra[6]. » Nam licet Salvator natus, circumcisus, oblatus, baptisatus et passus sit, quia ipse voluit, tamen quæcumque singula suis determinationibus distingui possent in hunc modum. Nam primo circumcisus est, quia debuit, sed oblatus est, quia voluit: baptizatus est, quia profuit; passus est, quia oportuit. Sane parvulus natus est « De muliere, factus sub lege[7], » quasi « Legem non solveret, sed adimpleret[8]. » Ideo dico quod quasi tenebatur circumcidi, Lege cogente parvulos circumcidi de filiis Israël (6), pœnam mortis incircumcisis interminans, cum diceret: « Anima, quæ non circum» ciderit carnem præputii sui, peribit de populo Israël[9]; »

[1] Luc. II, 21. — [2] Ibid. 22-24. — [3] Ibid. 25-30. — [4] Ibid. 36-40. — [5] Isai. LIII, 7. — [6] Psal. CXXXIV, 3. — [7] Galat. IV, 4. — [8] Matth. V, 17. — [9] Gen. XVII, 14.

(1) Cod. male addit octo. — (2) Cod. male ab. — (3) Cod. minus bene lucra. — (4) Vide August. de Bono viduitatis lib. num. 21 et seqq. — (5) Hæc verba oblatus est desunt in cod., quibus sublatis nullum præ se fert sensum. — (6) Cod. male hic iterat circumcidi, et deinde habet male incircumcisus.

nec in corde Legis erat, quo posset excusari si mansisset incircumcisus, si diceret: Peccatum non habeo, non egeo remedio circumcisionis; non secundum Legem excusaretur, quia non hanc addidit exceptionem. Offerri vero die purificationis non debuit, secundum Legem; imo ipsa Lex videtur exclusisse a purificatione et hostiis; in Lege namque scriptum est quod (1) mulier, quæ, suscepto semine, pareret, post dies quadraginta deberet se in templo repræsentare[1]. Cur ergo accedis, o Jesu, ad purificandum? Non enim accedere debes. Tu enim immunis es ab omni peccato, « Fide mundans corda[2] » tuorum. Tu sine semine conceptus es et natus de Spiritu sancto. Expecta, Domine, quousque te ipsum offeras pro salute mundi.

II. Nec tu, o virgo sanctissima, accedere debes; tu enim munda, tu fœcunda, tu casta, tu virgo; tu enim nec proprie mulier, quoniam ipsa mater delicti, tu veniæ mater; ipsa superbiæ via, tu humilitatis exemplum; ipsa Legis destructrix, tu Legis doctrina; ipsa luxuriæ globus, tu castitatis forma; ipsa errantium via, tu viarum ductrix; ipsa veneni domus, tu unguenti habitatio; ipsa ignorantiæ principium, tu sapientiæ norma; ipsa mater doloris, tu Salvatoris mater; ipsa mollis et omnino inconstans, tu immobilis et constans super omnes filias Israël. Itaque, fratres, Lege quasi ex adverso prohibente, non ex debito oblatus est, sed quia voluit, tam pro se, quam pro matre. Quare voluit? Ut cordibus circumcisis, non præputiis ipsi servire mereamur. Omnis enim Christi actio, Christianorum est instructio.

III. Baptizatus est (2) vero quia profuit; cum tactu (3) enim corporis sui, vim regenerativam contulit aquis. Passus, quia oportuit, quia sic nos redimere opportunum fuit. Erat tamen et alius modus nos redimendi possibilis Deo sed nullus convenientior. Nihil æque potuit nos incitare ad diligendum Deum, « Quam ut animam pro nobis poneret[3]. »

IV. Moraliter autem, fratres, intelligi possunt, quæ hodie gesta sunt, et ædificare fideles, maxime bonos, qui non partim serviunt mundo, et partim serviunt Deo, sed integre, non divisim, hostiis salutaribus occupati, se ipsos in holocaustum offerunt (4) « Hostiam sanctam et Deo placentem[4], » sicut novimus fratres Dei gratia in eremo. Quid enim per parentes, scilicet Mariam et Joseph nisi homines contemplativos, qui mundum et mundanorum pompam reliquerunt? Isti sunt de quibus ait Dominus extendens manus super Discipulos: « Hi sunt, fratres mei, mater, soror » et pater[5]. » Isti sunt Christi parentes, Christum in mente et corde semper portantes; isti sunt Christum in ulnis cum Simeone portantes; isti sunt cum Joseph bajulantes et in Ægyptum abscondentes, ne occidatur. Ergo, fratres, ex verbis prædictis fructum aliquem capere festinetis, offerentes vos Christo oblatione voluntaria, mundana relinquentes. Nam nihil tutius paupertate in præsenti vita, fratres, conspicimus, et tamen insipientibus et mortalibus, nihil odibilius et mortalius (5). O dives, qui opes congregas cum labore, possides cum timore, et amittis cum dolore; an ignoras, quod, dum eas congregas, in sinu ignem portas, et intra paleas tuæ conscientiæ ipsum collocas. Attendite igitur, et omnes revolvite vitam Salvatoris ab utero Virginis usque ad patibulum crucis; non invenietis in eo nisi stigmata paupertatis. Non sine causa ergo sermo dominicus in monte, ubi totius religionis est documentum, paupertate exordium habuit. « Beati (6), inquit Salvator, pauperes » spiritu[6]; » quod et fecit ille magnus philosophus, qui rerum suarum pretium in pondus auri redactum, totum in mare submersit dicens: « Ite, submergam vos, divitiæ pessimæ, ne submergar a vobis. » Non tamen in hoc philosophus justificatus est, cum non factum, sed factorum intentio beatum te faciat. Nam latro simul cum Christo crucifixus est, et tamen cum Christo non (7) justificatus est. Non igitur pœna beatum te facit, sed causa. Offeratis ergo vos ipsos Christo, sicut se ipsum pro vobis obtulit, quod facere minime poteritis, nisi Christi paupertatem corde amaveritis. Quod bene ostendebat Dominus cum dicebat: « Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ » habes, et da pauperibus[7]. » Hoc autem vehiculum sanctæ paupertatis bene cognovit, qui dicebat: « Elegi abjectus » esse in domo Dei mei[8]. » Numquid etiam adhæsit huic ille Paganus, qui dicebat: « Qui opes congregat, secum serpentes venenosos (8) cubare et secum dormire recognoscat. » Ecce enim, fratres, quantum etiam a sapientibus Paganis ipsa sancta paupertas sublimatur, quam, ut diximus, nisi quis eam habuerit, se Deo offerre nullatenus poterit. Nam quid aliud amantes divitias agunt, quam Deum relinquentes? Pecuniam, ut Deum, colunt et adorant; idololatræ (9) enim sunt, simulacra aurea et argentea adorantes.

V. Quid enim plura hodie Dominus fecit? Voluit offerri etiam turturem et columbam. Ecce aviculæ duæ sunt, per quas duas partes hominis intelligere possumus, animam videlicet et carnem. Sit ergo in tua oblatione, o felix, anima simplex et innocens, ut columba; sit et caro immaculata et (10) continens. Ecce duo quæ omnino sufficiunt, et quæ omnino tibi necessaria sunt, « Si cupis ad vitam ingredi[9]; » nam turtur, amisso compare (11) suo, nunquam deinceps, nisi arido insidet ramo, quam etiam habet exquisitam sedem continentiæ. O continentia, Angelorum domina! nam liber experientiæ unumquemque nostrum docere potest, quam amica sit continentia ciborum aviditati (12), quam contraria eorum mollitiei et ingurgitationi. Omnem revolvite Salvatoris vitam.

VI. Columba enim quamdam (13) ad mutationem motat et colorem; alius enim apparet color in collo, si vertitur in parte dextra, et alius in parte sinistra: sic et homo rectus loco et tempore omnia bona omnibus tribuit, ut omnibus lucrum faciat. Hanc colorum varietatem habebat Apostolus, dum gaudebat cum gaudentibus, et flebat cum flentibus[10]: dum (14) sapientiam (Apostolus) (15) loquebatur inter perfectos[11], sed inter minores nihil se scire judicabat, nisi Christum, et hunc crucifixum[12], alterius coloris hinc, et alterius inde videbatur: hæc est enim forma charitatis; hæc est scala, in qua vidit Jacob Angelos ascendentes et descendentes[13], dum viri sancti supra se rapiuntur, contemplando, infra se (16) ponuntur, minoribus condescendendo. Nec vacat quod duo pulli utriusque aviculæ oblati sunt: in quibus duo genera contemplativorum, legentium vero et orantium.

VII. Vos autem, fratres, qui legentes vel orantes estis, obsecro ne ad vomitum revertamini, sicut canes[14]. Nam Simeon justus venit in templum[15], et inde nunquam recessit, sed firmiter expectavit Christum perseverando, et Christum vidit, et adoravit, et ipsum, quantum voluit, osculatus est, et cantando exclamavit: « Nunc dimittis ser» vum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace[16]. » Non ergo revertamur ad mundana, sed festinemus cum Simeone perseverantes in templo: non recedamus de Paradiso ad agrum Damascenum; nam ibi periit Abel justus (17). Si in domo patris stetisset, mortuus non fuisset. Perseveremus ergo, Fratres, in bono, quia nisi quis perseveraverit, non erit salvus. In cujus rei figura Dominus caudam bestiæ præcepit offerri[17]. Hoc autem quid aliud quam perseverantiam nostris mentibus imprimit?

[1] Levit. XII, 2. — [2] Act. XV, 9. — [3] Joan. XV, 13. — [4] Philip. IV, 18. — [5] Matth. XII, 49, 50. — [6] Matth. V, 3. — [7] Id. XIX, 21. — [8] Psal. LXXXIII, 11. — [9] Matth. XIX, 17. — [10] Rom. XII, 15. — [11] 1 Cor. II, 6. — [12] Ibid. 2. — [13] Gen. XXVIII, 12. — [14] Prov. XXVI, 11. — [15] Luc. II, 27. — [16] Ibid. 29. — [17] Levit. III, 9.

(1) Deest *quod* in cod. — (2) Deest in cod. verbum *est*. — (3) Cod. male *tactus*. — (4) Deest vox necessaria *offerunt* in cod. — (5) Cod. *mortalibus*. — (6) Cod. male *sanes*. — (7) Cod. non habet negationem, quæ necessaria est, cum evidenter agatur de malo latrone. — (8) Cod. male *venenosi*. — (9) Cod. errore vulgari *idolatræ*. — (10) Deest *et* in cod. — (11) Cod. inepte *admisso cum patre suo*. — (12) Cod. *aviditas*, qui deinceps habet *ingurgitatio*. — (13) Cod. *quendam*. — (14) Cod. male *nec*. — (15) Hæc vox *Apostolus* videtur abundare — (16) Cod. male *intra*. — (17) Nescio ubi invenit concionator Abel mortuum fuisse in agro Damasceno.

VIII. Ad perseverandum etiam in ipsis luminaribus hodie instruimur, fratres; ac (1) si nobis dicatur : Videte, quid gestatis manibus. Typum igitur gestatis in manibus; fidem tamen ejus gestare debetis in mente, confessionem ejus in ore, et imitationem in opere. Tres siquidem substantiæ in una Christi persona per accensum luminare designantur; nam per ceram Christi caro; apis vero quæ non resolvitur in libidinem, quæ commixtione sexuum non frangitur, ceram tamen operatur : sic caro Christi « Non ex sanguinibus, neque ex voluntate (2) carnis[1], » sed ex illibata virginitate ex Deo facta est. Lignum latens in cera, anima carnis domicilio tecta. Ignis utrumque absumens (3) ejus divinitas designatur, quia « Deus noster ignis consumens est[2]; » ideo Simeon justus Christum « Lumen » appellavit « factum ad revelationem Gentium[3]. » Hodie enim gestatur in manibus Dei Filius; proponitur nobis in exemplum patientiæ, qui, cum esset Deus, palpari voluit ut homo, crucifigi ut latro.

IX. Quem optime figuratum legimus in illo serpente, quem Moyses in deserto erexit in pertica, ut percussi a serpentibus ignitis liberarentur[4]; sic et percussi a serpentibus, dæmonibus, per peccatum, respicientes ad Creatorem passum sanarentur. Vos autem, qui Christiani estis, crucifixi debetis esse cum eo, tollentes crucem ejus obedientiæ et patientiæ, ut dicere possitis : « En ego colligo « duo ligna[5], » quibus comburere volo carnis meæ miseriam.

X. Incipiendum est amodo, fratres, Christo occurrere et ipsum cum Simeone astringere, et in cruce pœnitentiæ perseverare. Et si inquietet te mundus, o juvenis, si dæmones te cribrare advertis, si carnem subjectam esse non sentis, si verba parentum tibi dicentium : Ecce juvenis es; ne adhuc accedas ad crucem, ne ad pœnitentiam pergas; nam circa seniem accedere potes; clama, o juvenis, te deprecor; exalta vocem tuam; ab adulatoribus tuis iniquis defende te; luge eos ut mortales et crudeles leones; latra contra eos tales canes proditores, et dic : Nil certius morte, o amici mortales, et nil incertius hora mortis, o parentes crudeles. Dic, o fortis miles : Vigilabo cum Simeone justo, et perseverabo in cruce, donec inclinato capite tradam spiritum[6]. Quid tibi videtur, o juvenis? Deprecor enim te, ut mihi acquiescas; nam melius est ut caro tua aliquid patiatur, quam æternaliter crucietur.

XI. Dicat anima tua carni : O soror, valde tibi compatior; tamen te curare non valeo, nisi patiaris. Te ergo ligari cupio, secare (4) te intendo, te urere cupio, te domare intendo, te ancillam facere concupisco. Et respondebit caro, quæ domari non consuevit : Quia dominium meum nequam est, ecce dominam te super me facio; assentire tibi affecto; alliga ergo me funibus pœnitentiæ, seca me, serra obedientiæ, ure me vigiliarum abstinentia, doma me humilia me fame, siti, frigore et nuditate. Dum autem caro sic affligitur, clamat ad spiritum : Solve me, pater, separa me a te, quoniam jam « Cupio dissolvi et esse cum Christo[7]. » Astans spiritus et compatiens carni, ait : O soror, modicum sustine, et exaudieris. Memento tamen quod, te volente, factum est hoc. Sed caro sic consolatur expectando, ex consuetudine. Quod a spiritu (5) fuit, ex Dei gratia efficitur leve. Tunc caro sic ligatam fuisse gaudens, clamat; vociferatur et dicit : « Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum[8]. »

XII. Viriliter ergo agite, fratres, et confortamini[9] gestantes luminare in manibus vestris, scilicet mentis vestræ, donec ad lucem immarcescibilem perducamur precibus et meritis beatæ Virginis Mariæ, quæ non desistit salutem nostram procurare, donec impetraverit. Interpellet pro nobis apud Filium suum, ut « Det nobis jucunditatem cordis, et fieri « pacem in diebus nostris[10] » in Israël per dies sempiternos, et auxilium in tribulatione, et intellectum in lectione, et præmium pro labore, Jesus Christus qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

SERMO XVII.

In Epiphania Domini I.

De hoc sermone, qui legitur in Cod. Cas. XII, *fol. 57, et in Bibl. Laur. Plut.* XIV, *cod.* 1, *fol. 64, hæc annotat in manuscripto exemplari P. Frangipane : « Sermonis « hujus partem quamvis Bandinius Bibl. Laur. tom.* 1, *« fol. 76, testetur extare in Combefisii homiliario tom.* II, *« fol. 30, attamen non reperi; idcirco hic exemplavi. » Tam ridiculis autem in depingenda stella utitur concionator sententiis, necnon et in ipso orationis exordio, ut rhetorem indoctum, non Augustinum hic agnoscere manifestissime detur. Hinc non obstante cod. auctoritate, eum inter spurios ablegamus, correctis sæpius divinando mendis quæ ex omni parte sese prodent. Locus ejus in appendice post sermonem appendicis Maurinensis* CXXXIX, *eum numero in Epiphania Domini* X.

SYNOPSIS.

I. Stellæ apparitio. II. Ejusdem surgentis inepta descriptio. III. Non fatum est, sed signum gloriæ Dei in nativitate abjecti. IV. Herodis timor et crudelitas. V. Deo in hac festivitate gratulandum.

I. Post miraculum virginei partus, quo uterus divino numine plenus, salvo pudoris signo, exinanitum (6) Deum hominemque profudit, Deum scilicet quem susceperat, et hominem quem ex Deo auctore formaverat, Deum sine initio, hominem cum principio, mixta hominis licet personæ cum Deo, tamen natura dividua (7), ut neque Trinitas excederet numerum, neque divina substantia incurreret detrimentum : post exonustam igitur sacræ religionis (8) aulam, conscium interni fœderis sine documento mariti, inter obscuras (9) cubiculi oppressi latebras, et durissimi præsepis angustias, in quibus infinita majestas membris contractioribus stabulabat; inter crepitantes nescios (10) querelæ ploratus, ac pios infantis tenerosque vagitus, dum pendet ad ubera, et vilia (11) patitur Deus involucula (12) pannorum, repente novum hodie de cœlo terris sidus effulsit (13), et totius mundi dissipata caligine, noctem convertit in diem, ne dies celaretur in nocte. Credat jam Deo omnis terra, quia ecce jam loquitur cœlum. Christus natus in terris, et positus in præsepio, hodie declaratur in cœlo (14). Non enim potest tantum nomen abscondi, quod vides sideris indicio publicari. Pastoribus Angeli, Magis stella demonstrat; utrisque loquitur lingua cœlorum, quia lingua cessaverat Prophetarum. Pastores Angelis (15) credunt, et annuntiant : Magi in cœlo aspiciunt, et adorant.

II. Sidus namque igneum (16) arsit, et frigidos gentiles accendit. Invenit Magus in nocte, quem Judæus erat perditurus in die. Fulgebant tunc per totum aëris orbem cre-

[1] Joan. I, 13. — [2] Hebr. XII, 29. — [3] Luc. II, 32. — [4] Num. XXI, 9, etc. — [5] 3 Reg. XVII, 12. — [6] Joan. XIX, 30. — [7] Philip. I, 23. — [8] Psal. LXXXIII, 3. — [9] Deut. XXXI, 6. — [10] Eccli. L, 25.

(1) Cod. *ut*. — (2) Id. *voluptate*. — (3) Id. *assumens*. — (4) Id. *servare*. — (5) Forte *quod asperum*. — (6) Cod. 1 *qua se uterus divino numine plenus, salvo pudoris eximaniens Deum*, etc. — (7) Cod XII *dividuo*; desunt hæc omnia in cod. 1, a voce *mixta*, usque ad *dividua*, et deinde habet *non aut... aut*. — (8) Cod. XII *sacratæ regionis*, qui ante *exaustam*, et deinde *conscia*. Cod. 1 *sacræ religionis aulam conscium*. Forte *sacratæ virginis*. — (9) Deest vox *obscuras* in cod. 1; deinde *cubilis*, et *durissimas*. — (10) Sic cod. 1; cod. XII *nescio*. — (11) Sic cod. 1; cod. XII *vilium*. — (12) Sic cod. XII; cod. 1 *involuta*. Forte *involucra*. — (13) Sic cod. XII; cod. 1 *terræ sidus illuxit*. — (14) Sic cod. XII; cod. 1 *quia e cœlo loquitur Christus natus. Natus in angulo, hodie declaratur in cœlo*, et deinde male *natus enim* pro *non enim*. — (15) Cod. XII male *Angeli*. — (16) Idem *igneus*.

bris ictibus astra micantia, et pabulo (1) nigræ noctis stellarum ignes accensi, claris splendoribus radiabant. Lucebat picta non floribus alienis, atque inter alta silentia cœlestus flammæ choris gemmantibus rutilabant (2). Tunc aurora circulos (3) Oceani per obscuram plagam orbita, secretior inequitabat. Tunc vapores igniferos contiguis (4) aquis et vasto gurgite temperabat. Tunc luna recedentibus astris (5) per mediam cœli semitam pulchris aurea nutibus ibat, et iter suum radiis aperiens (6), lucentes campus placidis accessibus (7) honestabat. Dum ergo roseæ polum faces, et noctem fulgurantia astra decurrunt (8), tunc insolitum repente natura lumen extimuit (9). Pavet (10) subito stelliger axis; et astra tremula famulantur (11) ad cunas, quia, ne Deus in carne positus esset obscurus (12), servit cœlum, reddunt (13) et ipsa sidera testimonium. Surgebat igitur ab ima crepidine poli ingens fumite vasto globus, ut vibrantes spargens (14) radios per inanes auras, anhelis cursibus (15) coruscabat. Texerant undique cœlum flammiflui apices per diversa porrecti, et rutilum jubar undantes flammas habenis largioribus diffundebat. Ibat per apertum cœli sinum nova faces, et ignes suos longo micans umbone trahebat (16). Dant æthera locum, astraque minora recedunt. Rarescunt fulgore alieno stellarum ignes obtusi (17). Illa vadit (18), per ardua (19) perque superna findit grato stridore cœlum (20), et ut Christo plenum reddat (21) obsequium, temperat (22) gradum, donec Magos perducat ad puerum, monstret (23) tectum, ingrediatur parvum supplex gentilis hospitium, confiteatur muneribus Deum hominemque permixtum, et ita adoret Regem nostrum, pannis, non purpura involutum (24).

III. Aspexit hoc Magus; obstupuit astrologus; putavere fatum (25), sed signum fuit. Num (26) vis certius id nosse? Obsequium præbuit, non imperium; adduxit supplices; ostendit hospitium. Radiavit amplissimo lumine (27), et tecta perfudit nati, sicque discessit. Hoccine (28) est fatum dare, an servitium exhibere? O infantia cui et astra subduntur! Quis est iste in magnitudine supernæ gloriæ (29), ad cujus pannos et Angeli (30) excubant, et sidera obsecundant, et reges trepidant, et sectatores sapientiæ adgeniculant (31)? O beatum tugurium, o sedes Dei secunda post cœlum, ubi lucebat non lucerna, sed stella! O cœleste palatium, in quo habitat (32) non rex gemmatus, sed Deus incorporatus (33), cui erant pro mollibus thoris dura præsepia, pro laquearibus aureis fumea quidem (34) culminum tecta, sed sideris obsequio deaurata! Quærat (35) homo corpore circumscriptus ampla prætoria, et diversi coloris marmorum crystallinis laminis, atque fulgentis auri bracteis ædes pretiosas atque decoras exornet (36); delectatur Deus in lapide duro, cum vult succurrere mundo. Quis est iste talis ac tantus? O mundi natura, volo conferas mecum (37). Quis est iste, cui exhibes obsequium, et habet tam villissimum tectum (38)? quis est iste qui præsepe vagitibus replet, et æthera nubibus torquet (39)? Responde mihi, oro te; dic mihi, cui exhibes laudem? nam jamdiu inquirit animus rationem (40). Stupeo enim cum video pannos, et intueor cœlos. Æstuo, cum inspicio in præsepe mendicum, et super astra præclarum. Sed subveniat (41) nobis fides, quia ratio naturæ defecit (42). Quid igitur fides nostra respondeat, audiamus (43). Panni isti, vagitus et infantia, humani generis est (44) nativitas nova, quia interierat hominis peccato natura (45).

IV. Stellam vero fulgentem et Magos accurrentes merito expavescit Herodes (46), quia formidat successorem, dum non intelligit rerum omnium per sæcula (47) Salvatorem. Simulat ut adoret, quærit ut cruciat. Noli terreri (48), o senex subtilis; quem times in hoc mundo, regnum ejus non est de hoc mundo (49). Cur adorare te fingis inventum, quem vis necare repertum? Fidelis quære, devotus interroga, non fraudulentus, et sub eo regnabis perenni imperio sublimatus (50), ut homo tamen finem debitum habiturus. Tunc istum Herodem, sicut Evangelista testatur, matre gestante Jesus (51) fugerat in Ægyptum; putas-ne timore? absit. Audi magni mysterii sacramentum. Moyses aliquando in Ægypto perfidis clauserat diem. Illuc Christus adveniens, « Sedentibus in tenebris et umbra mortis[1] » reddidit clarissimam lucem. Fugit ut illuminaret, non fugit ut lateret. Fugit non formidine, sed pietate. Nam occultatur infans in Ægypto, et regnat sancta (52) majestas in cœlo. Exurgit (53) tamen aliquando de latibulis suis circumventa ferocitas. Jubet Herodes infantes occidi. Urgenter fit (54); factitatur (55) impii regis imperium, et, dum insequitur Christum, Regi nostro coævum procoronavit exercitum, stolis victricibus candidatum. Infantes igitur eliduntur ad (56) saxa, et lacteos artus crudelis officina consumit (57). Secabat recentes (58) ab ubere partus transiens gladius, nec inveniebat ubi sæviret, quia non habebat in infantili corpore quod feriret. O crudelis gladiator, o conscia, o dira (59) manus! lactentes parvulos, carnifex, necas (60); quid faceres, si tales forsitan non haberes? Ecce fratres, occiduntur pro Christo qui loqui non possunt; ecce (61) accepit ætas coronam, quæ necdum ipsam degustaverat vitam. Formare non poterant linguis palpitantibus verbum, et jam martyres proficiscebantur ad cœlum.

V. « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis[2]. » Hoc Angeli cum pastoribus, hoc nos hodie cum sideribus concinamus, propter quos (62) descendit ad terram Dei Filius, ut nos secum super astra levaret post sepulcra victores (63), Dominus noster Jesus Christus, qui cum Deo Patre vivit et regnat in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

[1] Luc. I, 79. — [2] Id. II, 14.

(1) Sic cod. I; cod. XII *patulo*. — (2) Sic cod. XII; cod. I *cœlestis flamma, choris gemmatis rutilabat*. — (3) Cod. I *circulus*. — (4) Id. male *continuis*. — (5) Sic cod. I; cod. XII *recentibus astris*; et deinde non habet has voces *per mediam cœli semitam pulchris*. — (6) Sic cod. I; cod. XII *operiens*. — (7) Sic cod. I; cod. XII *accensibus*. — (8) Sic cod. I, excepto quod *decerrunt* habet pro *decurrunt*. Cod. XII *dum ergo roseam poli faciem noctis fulgurantia astra deterrent*. — (9) Sic cod. I; cod. XII *effulsit*. — (10) Sic cod. XII; cod. I *pavit*. — (11) Sic cod. I; cod. XII *tremolantur*. — (12) Sic cod. I; cod. XII *ac ne Deum in carne putes obmutum*. — (13) Sic cod. I; cod. XII *reddent*. — (14) Sic cod. I; cod. XII *spargendo*. — (15) Sic cod. XII; cod. I *pulsibus*. — (16) Sic cod. XII; cod. I *diffundebat per totum cœli sidus, nova face, sinus suos longo micans umbone trahebat*. — (17) Sic cod. I; cod. XII *obtunsi*. — (18) Sic cod. I; cod. XII *vidit*. — (19) Sic cod. I; cod. XII *perque ardua*. — (20) Sic cod. XII; cod. I *cœli*. — (21) Sic cod. I; cod. XII *et ut plenum Christo redderet*. — (22) Sic cod. XII; cod. I *temperabat*. — (23) Sic cod. I et deinceps *ingrediatur... confiteatur... adoret*, ubi cod. XII habet *ingreditur... confitetur... adorant*. — (24) Hæc verba *pannis, non purpura involutum* desunt in cod. XII. — (25) Sic cod. I; cod. XII *factum*. — (26) Sic cod. XII; cod. I *nam*. — (27) Sic cod. XII; cod. I *numine*. — (28) Sic cod. I; cod. XII *hoc inest*. — (29) Sic cod. XII; cod. I *cujus est iste magnitudinis supernæ gloriæ*. — (30) Sic cod. I; cod. XII non habet *et*. — (31) Sic cod. XII; cod. I *geniculant*. — (32) Sic cod. I; cod. XII *habitabat*. — (33) Vide Serm. CXXXI append., num. 5. — (34) Deest *quidem* in cod. I. — (35) Sic cod. I; cod. XII *quibus erat*; cum quibus verbis nullus est sequentium sensus. — (36) Sic ex utroque cod. textum confecimus quorum XII habet *et diversis coloribus marmorum crystalinis atque fulgentibus bracteis laminis ædes pretiosas atque decoras*; cod. I autem *et diversi coloris marmorum crustis atque fulgentis auri bracteis ædes pretiosas atque decoras exornet*. Vox *exornet* deest in cod. XII. — (37) Sic cod. XII; cod. I *confer mecum*. — (38) Sic cod. XII; cod. I *et non habet tectum*. — (39) Hoc ultimum sententiæ membrum deest in cod. I. — (40) Sic cod. XII; cod. I *ne dio inquirat animus rationem*. — (41) Sic cod. I; cod. XII *subvenit*. — (42) Sic cod. I; cod. XII *quia in ratione natura defecit*. — (43) Sic cod. XII; cod. I *quæ igitur fides verba respondent, audiamus*. — (44) Sic cod. I; cod. XII non habet *est*. — (45) Sic cod. I; cod. XII *quæ in terris erat omne peccato contrita*. — (46) Sic cod. XII; cod. I *stella vero fulgens, et Magus accurrens regis est nativitas patens; merito*, etc. — (47) Hæc verba *per sæcula* desunt in cod. I. — (48) Sic cod. I; cod. XII *terrere*; et ambo codd. *sæve subtilis*. — (49) Sic cod. XII; cod. I *quem times, non est de hoc mundo regnum ejus*. — (50) Sic cod. I; cod. XII *sub eo forsitan ad tempus regnabis*; sequentia leguntur in cod. XII, non autem in cod. I. — (51) Deest *Jesus* in cod. I. — (52) Vox *sancta* deest in cod. XII. — (53) Sic cod. XII; cod. I *exurgat*. — (54) Hæc verba desunt in cod. I. — (55) Sic cod. XII; cod. I *fatigatur*. — (56) Sic cod. I; cod. XII *in*. — (57) Sic cod. I; cod. XII *consumpsit*. — (58) Vox *recentes* deest in cod. XII. — (59) Sic cod. I; cod. XII *dura*. — (60) Sic cod. I; cod. XII *necat*. — (61) Sic cod. I; cod. XII *et*. — (62) Sic cod. I; cod. XII *propter quod*. — (63) Sic cod. I; cod. XII *post sepulcra victores*. Cætera desunt in cod. I.

SERMO XVIII.

In Epiphania Domini II.

Sermo, qui arquitor, et qui educitor ex cod. XII, *fol.* 41, *sed sine auctoris nomine, dictus videtur a barbaro quodam, et ab alio barbaro conscriptus; tanta sunt menda quæ sive in dicendi, sive in scribendi genere reperiuntur. Steti aliquantisper dubius, utrum illum stempis submitterem; sed in lucem demum emittere statui, ut ridiculæ dictionis exemplum, unde videri possit, quo deducat affectatio verborum et sententiorum. Locus ejus in appendice post sermonem præcedentem, cum numero in Epiphania Domini* XI.

SYNOPSIS.

I. Diaboli lamentum perterriti. II. Herodis furor insanus. III. Innocentum cædes. IV. Herodis et Pauli absurda comparatio.

I. Cum ex divinis thesauris exhortationem mittentis, ineffabilem Virginem prælegeret sapientia Dei Patris, et Gabriele vera canente, interna Mariæ pectora complerentur, dum Virgo Mater supernum genuisset Medicum, ille nefandus, strepitanti ruina superbus, tetraque umbra in se omnis perfusus, vidit stellam, et Magos Regem inquirentes natum intuens (1) cum omni insolentia hæsitatus, judicem se damnaturum cognoscens in sæculo fuisse natum, contremuit. Dum cerno Magorum obvenisse studium venerandum, heu me! quid æmulum non minimum in meam sortitus sum ruinam (2)? Heu me! appensu interim, mei pectoris formidine, quod excelsa proles lugeuiti insignem suam nativitatem sidere splendente demonstrat. Quid ergo agam? Curram per aëra, ut usque cœlos properanter (3) accedam? Non valeo, quia iste qui mundi aggressus est limina, meam venit insanire (4) versutiam, ut præcipitem me submergat in profunda, sicut et antea me captivans demersit præcipitem in deserta. Qualiter nunc meæ parcam illusioni, qui nec in supernis aliquod possideo refugium; insuper autem spoliare me venit, et expellere de terræ solatio. Si enim audacie (5) meæ contumacitatis nunc quispiam persolveret (6) pretium, ista non valeo belliger (7) adversus eum, sed quantum quod valeo præstem, meis viribus non (8) possem, ut iste qui me fefellit (9) genitus ex Virgine, nunc dispereat ab Herode?

II. Cum hæc percurreret inimicus in suæ mentis stadium, mox stimulat Herodem (10) in suis fieri iniquitatibus socium, ut contra inermem belligerus dilataret spinosum sui pectoris campum, in quo ætas perneccaretur infantium. Sic enim Matthæi evangelistæ nostri præsens lectio recitata est: «Videns, inquit, Herodes quia delusus est a Magis, vocavit Scribas (11), et inquisivit ab eis quo tempore Christus nasceretur[1].» Ubi autem cognoverunt Scribæ, quanta a veteribus de virgine sine viro (12) matre conscripta forent (13) in sanctæ Legis serie, dixerunt: «In Bethlehem Judæ: et tu Bethlehem, domus Ephrata, non es minima inter filios Juda; ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israël[2].» O Herodis (14) demens furia mentis! audit (15) monitum Legis, quod rector populorum Israël, mundum redempturus, terram exiet provecturus, et rutilantibus feriis, armat barbaros ponderositate fraxini (16), ut stridula hasta confecto bello, ætas tenuis necaretur inermis, in quibus Rex superesse demonstraretur invisibilis, qui in canto (17) præsepi, sub spileis antris, vilissimis fuit conseptus cunabulis; cujus evictæ (18) pravitati Herodis insultans clamabat Paraclytus per Prophetam, quod et omnis pariter hodie decantavit Ecclesia: «Quid gloriaris in malitia (19), qui potens es? in iniquitate tota die injustitiam cogitavit lingua tua[3].» O Herodes, si unius regis nativitas tuos conterruit (20) motus, cur innocentes necasti multitudines, ut agnos decerpens rabidus pardus? Magorum stella perterritus, omnino (21) comprobaris evictus, quia salus in gentibus, Unigenitus natus est filius, per quem natus est mundus.

III. Molles, ut dictum est, congregavit parvulos ab uberibus matrum abstractos, quos sine pietate immaniter (22) propriis e patribus fecit esse jugulatos. Mittuntur per innumeras urbes barbari milites (23), inflexa pietate parentes (24); et illustrium matrum fœtus jugulantes (25), nec muneribus conquiescebant, ne (26) nocerent, neque precibus mitigabantur (27), ut quiescerent, sed possessi mortifera esurie (28), saginabantur de infantum nece. In sua satisfactione congemebant viscera, quod nullis parvulis mulsum lactis stillabant ubera matris. Congemebat (29) in matribus pietas desolata, dum perfidi (30) milites jugulabant parvulos, confixa in tenuia membra vibrarum (31) hasta; cùmque multarum matrum fœtus (32) subtracto ense periisset, quædam nuper connexa conjugio, desolata, unicum a suo pectore raptum videns a barbaro cruciari, pro quo minimo (33) poterat consolari, condolens scurrilitati Herodis quasi dicit: O Herodes, si ex virgine quæris natum (34), cur mihi pristinum revocasti gemitum, quæ (35) maritale congaudeo solatium. «Sicut novacula acuta fecisti dolum[4].» Meus filius Cæsarem insanire (36) nescivit, et in sæculari malitia defecit. Machæræ colla submisit (37), qui nec dexteram, nec sinistram esse scivit (38).

IV. O Herodes, Paulus hodie (39) ipsum Dominum esse in via Damasci cognovit, et tua (40) versutia jugulandi parvulos nullum terminum ignoravit. Squamis cadentibus, doctrinæ verba in gentibus visus est diffundere, ut Herodes parvulos, quos nec cognovit (41) visus est prosternere. De ipsis Paulus in epistola visus est proclamare: «Ecce ego et infantes, quos mihi dedisti[5]» mecum exultant de victoria Christi, gratias agentes Deo Patri in sancto Spiritu. Amen.

[1] Matth. II, 3, 4. — [2] Ibid. 5, 6. — [3] Psal. LI, 3, 4. — [4] Ibid. 4. — [5] Hebr. II, 13.

(1) Cod. absque ratione et sensu *etebens*. — (2) Cod. *in meum sortitus sum animam*. — (3) Cod. *properantes*. — (4) Verbum durissimum, quo hic utitur scriptor in sensu activo; *insanire*, id est, *reddere insanum*. — (5) Cod. *audacem*. — (6) Id. *persolvere* — (7) Id. *belligera*. — (8) Deest *non* in cod. — (9) Cod. *falluit*. — (10) Id. *simul ab Herode*. — (11) Hic textus absurde citatur, et omnia confundit scriptor, posteriora ponens ante priora. — (12) Cod. addit *a* — (13) Cod. *florent*. — (14) Id. *Herodes*. — (15) Id. *audi*. — (16) Id. *sarcinis*. — (17) Id. *incanto*. — (18) Id. *evicta id pravitate*. — (19) Eadem versio reperitur in Psal. LI, num. 3. — (20) Cod. *contremuit*. — (21) Id. *omnis*. — (22) Id. *sine qui es tormentorum*. — (23) Id. *veredes*. — (24) Id. *parentes*. — (25) Cod. absurde *affectos ugguillantes*. Forte legi posset *affectus suggillantes*. — (26) Cod. *dum*. — (27) Cod. *fundis saciebantur*. — (28) Id. *mortiferam esuriem*. — (29) Id. *congemebant*. — (30) Id. *pietas absentata in eodem, perniei milites*. — (31) Sic barbare cod., ubi legas *vibrata*. — (32) Cod. *affectus*. — (33) Deest *minime* in cod. — (34) Cod. *si virginem quæris et natum*. — (35) Id. *qui nec*. — (36) *Insanire* ut supra; barbara locutio, pro *irritare*, *offendere*, *stimulare ad furorem*. — (37) Cod. *submersit*. — (38) Id. *nescivit*. — (39) Comparatio absurdissima. — (40) Cod. *sua*. — (41) In cod. deest *cognovit*.

SERMO XIX.

In Epiphania Domini III.

Sermo iste in appendicem rejicitur, cum propter codicis infirmiorem auctoritatem, tum propter fabulas insertas de muliereulis ab Herode interrogatis. Cod. autem ex quo educitur est cod. x Bibl. Ædil., fol. 7. Ponatur hic sermo post sermonem præcedentem cum numero in Epiphania Domini XII.

SYNOPSIS.

I. Tres Christi ostensiones. II. Prima stellæ ad Magos missæ. III. Secunda baptismi a Joanne collati. IV. Tertia mutationis aquæ in vinum. V. In tribus divinitas Christi ostenditur. VI. Mysterium primæ ostensionis. VII. Mysterium secundæ. VIII. Mysterium tertiæ. IX. Epilogus.

I. Cum creator omnium, fratres charissimi, formam servi pro servis accipiens latenter in mundum venisset, voluit se hodie tribus indiciis hominibus demonstrare. Hodie enim a Magis adoratus est; hodie a Joanne in Jordane baptizatus est; hodie in nuptiis mutatione aquæ in vinum glorificatus est. Prima enim manifestatio facta est in primo anno suæ nativitatis, secunda in trigesimo, tertia sequenti anno post trigesimum; et tamen divina dispensatione, tres manifestationes eadem die diversis evenerant temporibus.

II. Sed modo de prima agendum est; voluit enim Dominus ostensione (1) novæ stellæ tribus Magis in Chaldæa positis suam nativitatem ostendere; cumque essent periti astrorum, et novam stellam apparere viderent, sapientia artis natum novum Regem intelligunt. Sed quia quidam Propheta ante multis annis apud eos, scilicet Balaam, prædixerat : « Orietur stella ex Jacob[1]; » ideo cum hanc stellam mirabilem nec alii comparabilem conspicerent, statim illum de quo Propheta prædixerat natum esse crediderunt. Veniunt ergo statim Dei ductione Hierosolymam, camelis auro, thure et myrrha oneratis, per se quilibet hæc tria ducens, et ad Herodem regem cum gaudio divertunt, credentes invenire quod diu postulaverant; et de puero ibi (2) quærentibus disparuit eis stella. Cumque Herodes hoc audisset, in corde nequiter turbatus est, et omnes qui secum aderant. Tunc Herodes vocat Scribas, et interrogat Prophetas, postulat Messiam (3), applaudet muliercalis incantantibus, promittens eis dona, si scirent ubi Rex nascatur (4); præcones per vias hoc clamabant; Scribæ legunt, Messiam (5) promittunt; sed muliercculæ incantantes veritatem non asserunt, quæ omni veritate in talibus carent. Tandem Scribæ dicunt nasciturum esse Regem in Bethlehem; cumque Herodes alienigena esset, et regnum Judæorum ex (6) dono Romanorum injuste possideret, vehementer dolet; mori dum cupit, suspendi jam præcipit (7), requiem invenire non potest, solatium amicorum non curat recipere. Tandem regnum timens amittere, puerum quærit occidere. Non audet tamen cum Magis (8) exire ad quærendum puerum, ne parentes puerum occultarent, aut (9) dum exiret, parentes pueri Jerosolymam intrarent, et pro puero nato ipsam civitatem conservarent. Quid igitur fecit proditor? Serena facie, verbo jucundo, manibus donis plenis ad Magos exivit, ut invento puero, renuntiarent, dicens velle eum adorare. Descendunt igitur Magi et vident stellam, lætantur, et, ea prævia, veniunt Bethlehem, et intrantes domum post stellam (10), quæ fixa non erat in cœlo, sed in aëre pendebat, « Invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum[2], » videntes faciem pueri et matris immensa claritate fulgere, et apertis thesauris suis, offerunt aurum regi, thura Deo, myrrham vere sacerdoti mortali, et deosculatis pedibus et manibus Jesu, quæ cœlum et terram formaverunt, « Responsum acceperunt, ne redirent ad Herodem, et per aliam viam reversi sunt in regionem suam[3]. » Ecce prima apparitio Christi, fratres charissimi.

III. In trigesimo secundo anno venit Jesus ad Joannem, venit Dominus ad servum, venit Magister ad discipulum, venit Creator ad creaturam, venit Jesus ad Joannem, qui baptizat non in remissionem peccatorum, sed in præparationem baptismatis Christi; cumque aquæ prius corpora abluerent tantum, eas voluit sanctificare, ut potestatem mundandi animas haberent. Venit ergo immunis a peccato, et baptizari petit, ut aquas sanctificet, et exemplum suis donet (11); « Eoque baptizato, aperti sunt cœli, et vidit Spiritum sanctum in specie columbæ descendentem super eum, » et vox Patris intonuit : « Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui[4]. »

IV. In sequenti vero anno invitatus est ad nuptias, et accessit cum Maria matre sua, et aquam mutavit in vinum, et « Hic fuit initium miraculorum quæ fecit Jesus[5]. » Nos autem, si vinum facimus, vocemus Jesum, invocemus Mariam et Discipulos. Quid per Jesum, nisi Salvatorem, qui in cunctis invocandus est, ut in cunctis agendis et patiendis nos liberet? Quid per Mariam, nisi matrem quæ in cunctis nostris operibus habere debemus, vel mortis amaritudinem (12)? Quid per Discipulos, nisi pauperes intelligere debemus, fratres, quos (13) semper ad mensam nostram secundum possibilitatem nostram tenere debemus? Sic et Zacchæus Christo placere cupiens fecit; sic Maria et Martha facere didicerunt; sic Lot et Abraham Angelos compulerunt; sic Salvator Discipulos suos facere jussit. Duæ enim sunt nuptiæ, fratres, ad quas invitari et introduci semper compellimur. Ait enim Christus : « Venite ad nuptias[6], » et replete mensas Patris mei; nec vocem audimus. Clamat et rugit Leo : Venite ad nuptias mortis et (14) inferni, et omnes currunt post eum. Omnes tamen dæmones de inferno te minime compellere possunt ad peccandum, nec ad nuptias suas intrandum, nisi primo tu ipse consenseris. Nam piscator non potest piscem compellere venire ad escam, nec auceps avem, sed escam demonstrando invitat, ille (15) consentit accedere, et accedendo capitur, et captus (16) occiditur. Sic et tu, peccator, vides (17) escam a diabolo præparatam, te ad ipsam invitat, et invitatus (18) accedis, et accedendo gustare incipis, et quia dulce tibi apparet, comedis, et comedendo caperis, et captus cum diabolo invitatus ad nuptias ad infernum accedis.

V. Ad priora quæ dicere cœpimus, fratres, redeamus. In tribus his indiciis manifestavit se mundo Christus (19), et in omnibus Deus apparuit. In primo adoratur a Magis ut Deus; in secundo voce Patris Filius asseritur; in tertio divina potentia per primum miraculum declaratur. Et sic audistis trium apparitionum historiam; videamus et nunc quid mysterii.

VI. Ideo, fratres, stella apparuit, quia lumen esse in tenebris exortum[7] populis significabat; de quo dicitur : « Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem[8]; » ideo apparuit gentibus, quia gentibus (20) prænuntiabat lucem Filii Dei receptam : « Populus enim qui ambulabat in tene-

[1] Num. XXIV, 17. — [2] Matth. II, 11. — [3] Ibid. — [4] Ibid. III, 17. — [5] Joan. II, 11. — [6] Matth. XXII, 4. — [7] Psal. CXI, 4. — [8] Joan. I, 9.

(1) Cod. *ostensionem*. — (2) Id. *sibi*. — (3) Id. *Messias*. — (4) Fabula videtur esse hæc mulierum consultatio, necnon et reliqua. — (5) Cod. *Messiæ*. — (6) Id. *in*. — (7) Hæc inepte dicta videntur. — (8) Cod. *magnis*. — (9) Id. *et*. — (10) Cod. *post stellam domum*. — (11) Id. *donaret*. — (12) Sic cod., qui forte latens habet aliquod mendum. — (13) Cod. male *quod*. — (14) Deest *et* in cod. — (15) Hæc duo verba *invitat ille* addidimus, sensus necessitate compulsi. — (16) Cod. male *capto*. — (17) Cod. *videns*. — (18) Cod. *invitando*. — (19) Deest vox *Christus* in cod. — (20) Cod. *gentem*.

bris, vidit lucem magnam[1]. » O magnum et admirabile sacramentum! O inaudita Salvatoris astutia! In Bethlehem nasci voluit, quia domus panis interpretatur, et in ea natus est, et in Jerusalem civitate populosa mori voluit. Ideo, o fidelis, aspice Salvatorem mundi gloriam non quærere. Sed magister humilitatis, de parentibus pauperibus in humili loco et in vili præsepio pro nobis dignatus est nasci, moriturus vero urbem populosam et gloriosam sibi elegit, ut in conspectu omnium nationum ibi habitantium, majori opprobrio pro nobis mortem suscipere posset. Ecce quantum te amavit Deus tuus. Dum autem Magi divertunt ad Herodem, stellam ducem amittunt. Quid per Herodem, fratres, nisi diabolum, ad quem divertentes, amisso Christi lumine, excæcantur? Non ergo divertamus ad Herodem, sed per aliam viam revertamur, ut verum lumen, quod amiseramus, recipere mereamur. Domus enim in qua Christus erat, Ecclesiam significat. Qui vero Christum invenire cupiunt, in Ecclesia eum invenire poterunt. Non in taberna, non in foro, non in platea Christus inveniri potest, sed in Ecclesia. Ibi eum Magi fideles adorant; ibi credunt; ibi colunt; ibi aurum, thus et myrrham offerunt; ibi Mariam piissimam conspiciunt; ibi Joseph justum advertunt; ibi bovem et asinum, animalia mansuetissima, contemplari Christum aspiciunt. O homo, accede ad Ecclesiam, ubi tot bona invenies, et ibidem hæc tria offerre non turberis. Offeremus ergo Christo myrrham, ut peccatorum vermes in te extinguantur. Myrrha corpora mortuorum unguntur, ne putrescant. Offeras etiam thus orando, ut dicere possis: « Dirigatur, Domine, oratio mea, » sicut incensum in conspectu tuo[2]. » Offeras etiam aurum charitatis; nam sicut inter metalla omnia aurum prævalet, sic et charitas super omnes virtutes ascendit; ipsa est enim plenitudo Legis. Hæc autem tria nobis omnino necessaria, fratres, sunt, videlicet pœnitentia, quæ per myrrham designatur; oratio, quæ per thus declaratur; charitas, quod per aurum figuratur (1).

VII. In secunda vero manifestatione ostenduntur nobis sacramenta salutis. Voluit enim dum baptisaretur ostendere quid baptisatis conferret. Nam quando aliquis in baptismo regeneratur, ibi tota Trinitas operatur. Unde tota Trinitas ostensa est, quando Christus baptizatus est. Filius in Christo, Spiritus sanctus in columba, Pater in voce se revelavit. Spiritus sanctus in columba de cœlo (2) apparuit, quia columba avis simplicitatis est: per hanc autem avem simplicitatem voluit significare, quam Deus confert baptizatis. Quod Pater dixit: « Hic est Filius meus dilectus, etc.[3], » ideo attendite quod baptisati sunt filii Dei, qui prius per peccatum non erant, nec sibi placebant, qui modo incipiunt Deo per gratiam placere. Quia etiam cœli aperti sunt, significat cœlum baptizatis aperiri, quod prius per peccatum clausum erat.

VIII. Nuptiæ ergo in quibus tertio se manifestavit, quid aliud quam Christi copulationem Ecclesiæ significat, quibus aqua mutatur in vinum, dum antiqua lex conversa est in Evangelium? Lex enim antiquæ aquæ comparatur, quia subjectos ad amorem Dei non inflammabat: Evangelium vero vino comparatur, quia Fideles per inspirationem sancti Spiritus facit fervere in Dei amore.

IX. Tantis ergo et talibus sacramentis hæc dies, fratres charissimi, est sacrata. Et quodammodo major est festivitas, quam Nativitatis solemnitas. In hac autem habuit initium baptismum, quod est regeneratio animarum; sed in hac, aqua effecta est mater multorum populorum. Prima nativitas est carnalis, secunda autem spiritualis. Sicut enim anima dignior est, quam caro, sic et nativitas animæ dignior est quam nativitas carnis. In prima Christus ingressus est mundum, sed per secundam ingressum habemus ad cœlum. Quoniam hæc tria sub tali ordine una die convenerunt opportune, stella ducens ad Christum, baptismatis sacramentum, et mutatio aquæ in vinum, in isto ordine instructio vitæ nostræ apparet. Dum enim quis convertitur ad fidem, stella fidei ducit eum ad Christum; deinde postquam conductus est (3), accedit ad sacramentum baptismatis; postea (4) vero potatur et reficitur, dum perfectus fit per evangelicæ doctrinæ poculum; quoniam ne deficiant in via siti, paratur quotidie potus prædicationis peregrinantibus. Igitur, dilectissimi, hæc solemnitas tot mysteriis plena summa devotione celebranda est, quoniam hodie gaudetis de nativitate vestra, quæ hodie in baptismo sumpsit exordium. Hodie gaudetis de conversione Gentium, quoniam primitiæ in hac die accesserunt ad Christum. Suscipite, obsecro, ad mensas vestras Christum, qui gentes alienas hodie suscipit, et foranses ad eum venientes, quia in paupere Christus suscipitur, in paupere vestitur. Nam si pauperes in mundo recipietis, et ipsi vos recipient in cœlo, « Quoniam ipsorum est regnum cœlorum[4]. » Facite vobis amicos, non divites, sed pauperes; non nobiles, sed ignobiles; non sapientes, sed infirmos, ut fortia confundatis[5]. Christus enim pauper fuit, pauperes dilexit, pauperes elegit et pauperibus spiritu regnum suum donavit. Dominus ipse qui propter nos hæc omnia operatus est, qui etiam de cœlo descendere voluit, det nobis per incrementa virtutum ad cœlestia pervenire, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XX.

In Epiphania Domini IV.

Rejicitur in appendicem hic sermo, qui eruitur ex Bibl. Ædil. cod. x, *fol.* 8, *ob easdem rationes ac ii qui præcedunt. Locus ejus post præcedentem cum numero in Epiphania Domini* XIII.

SYNOPSIS.

I. Christus votis omnium expetitus. II. Eo veniente, silent Prophetæ. III. Venit Christus, Deus et homo. IV. Triplex ejus manifestatio. V. Oratio ad Christum.

I. Hosanna die, fratres charissimi, « Apparuit humanitas et benignitas Jesu Christi Salvatoris nostri[6]; » gaudeamus. Hodie stella Magos duxit ad præsepium; exultemus. Hodie per totum mundum melliflui facti sunt cœli, et pax vera et justitia revelatur; lætemur. Hodie qui sedebat super Cherubim, apparuit coram (5) Ephraim, Benjamin et Manasse; cantemus et dicamus Alleluia. Nam istum eximium (6) Prophetarum, qui hactenus dicebat: « Expecta, » reexpecta[7], » obmutescere jam videmus. Ille qui clamabat: « Si moram fecerit, expecta eum, quia veniet[8], » non comparet. Si cytharista noster, longa expectatione fatigatus, lacrymando dicebat: « Tu, Deus pater, repulisti, et distulisti Christum tuum[9]; » quid ille urbanæ eloquentiæ Isaias dixerit? indignatus clamat: « O utinam disrumperes cœlos, » et descenderes[10]. » Et item cytharista noster de optativo in imperativum (7) convertens, ait: « Inclina cœlos tuos, » Deus, et descende[11]. » In hunc modum totus ille conventus Prophetarum Christum de Maria Virgine expectando, quandoque optando, nunc imperando, nunc conquerendo, nunc indignando, lacrymando, vociferando, jejunando, sermones ad Patrem mittebant.

II. Tandem ecce jam venit expectatus a cunctis Gentibus; ecce jam venit temporis plenitudo; ecce jam in gremio

[1] Matth. IV, 16. — [2] Psal. CXL, 2. — [3] Matth. III, 17. — [4] Matth. V, 3. — [5] I Cor. I, 28. — [6] Tit. III, 4. — [7] Isai. XXVIII, 10, 13. — [8] Habac. II, 3. — [9] Psal. LXXXVIII, 39. — [10] Isai. LXIV, 1. — [11] Psal. CXLIII, 5.

(1) Cod. male *aurum, quod per charitatem figuratur.* — (2) Cod. *Deo.* — (3) Id. *construetus est.* — (4) Id. *persona.* — (5) Id. *Geraim.* — (6) Id. *iste eximius.* — (7) Cod. *optativa... imperativum.*

Mariæ sedet; ecce hodie jam demonstratur qui inter bovem et asinum collocatur; et ideo hodie clauduntur ora Prophetarum; ecce datum est promissum, et impositum est promittentibus silentium. Sileas, o Moyses legislator, qui linguam impeditam habere dicebaris[1]. Obmutesce, o Isaïas, qui labia polluta fatebaris[2]. Sileas, o Jeremias, qui puer esse dicebaris[3]. Obmutesce, o Ezechiel qui polluto pane vescebaris[4]. Sileas, o Daniel, qui post visiones infirmaris[5]. Sileat Osee, qui fornicariam duxit uxorem[6]. Sileat Amos, quia jam Propheta non est, sed simplex pastor[7]. Sola vox illa jucunditatis in auribus meis audiatur; sola vox illa tubatica audiatur; solus vas electionis auscultetur; solus præco præconum intelligatur; « Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei[8]. »

III. Ecce ergo, fratres, nobis hodie Salvator noster apparuit, veniens non tantum cum vino et oleo, sed etiam in purpura et sacco Christus quidem Deus et homo. Nam quædam facere voluit, in quibus verus homo apparebat, quasi more histrionum ludens (1), et in varias species se alternatim transformans. De quo ludo dicebat Sapientia: « Delectabatur per singulos dies ludens coram ipso in » orbe terrarum[9]. » Die siquidem nativitatis apparuit homo flens in cunabulis; sed hodie Deus adoratur, dum Patris vox super eum intonat: « Hic est Filius meus[10]; » dum ex aqua factum est vinum ad nuptias. Dicamus ergo Salvatori nostro Christo: O Domine, in tua nativitate « Inventus es » ut homo[11], paulo minor effectus es ab Angelis[12]; » sed hodie sedens super Cherubim, Dominus Angelorum apparuisti « Coram Ephraim, Benjamin, et Manasse[13]. » Ac si diceremus, fratres: Domine, jam vidimus te in præsepio reclinatum, pannis involutum, vagientem inter animalia. Numquid (2) te non sic vidit Maria porta Paradisi? numquid non sic Joseph? numquid non sic pastores?

IV. Et nunc tredecim dies sunt, quod hæc omnia facta sunt; sed hodie apparuit aliter qui sedet super Cherubim[14]; nam tripliciter hodie nobis apparuit, non tamen eadem die, nisi secundum temporalem revolutionem. Nam decimo tertio die a nativitate apparuit Regibus Gentium, stella ducente supra ubi (3) erat puer[15], et statim hæc videntes, oneratis camelis auro, thure et myrrha, ad Christum venerunt, et sic apparuit Ephraïm, Baldassar scilicet primo regi, Benjamin secundo regi, Manasse tertio regi, et sic copulatur Gentilitas, quæ erat elongata. Trigesimo vero anno, eadem die apparuit Joanni Baptistæ et turbis quæ ad Joannem venerant. Sequenti anno eadem die apparuit Matri et Discipulis ejus in mutatione aquæ in vinum; et per has tres apparitiones significantur tres Personæ, quæ hic nominantur, scilicet Ephraïm, Benjamin, et Manasse; sed si ordine retrogrado isti tres proferantur, diem sequemur (4) historiæ. Dicamus ergo apparere coram Manasse, Benjamin et Ephraïm. Nam Manasses oblivio: isti sunt Gentiles, obliti Dei, de quibus dicitur: « Reminiscentur et convertentur ad Dominum[16]. » Benjamin Filius dextræ interpretatur: iste Jesus Benjamin a Matre fuit vocatus, id est Filius doloris; nam præ dolore mater Benjamin in partu Benjamin mortua est; et Maria fere mortua fuit in passione Filii. Ephraïm autem fructificatio interpretatur: isti sunt Christi Discipuli, coram quibus in miraculo nuptiarum apparuit. Vel sic in novissimo die apparebit coram Ephraïm, Benjamin et Manasse, hoc est coram judicantibus, judicandis et judicatis. Apparuit ergo Dominus cunctis, et venit Samaritanus ille ad medicandum nos, secum portans vinum correptionis et oleum miserationis.

V. Tu ergo, « Deus Deorum, qui sedes super Cherubim[17], » scientiæ plenitudine perfectus venire digneris, et apparere nobis non differas, dando singulis, dando universis, dando cunctis tuam plenitudinem unguentorum, quod descendat de barba usque in oram vestimenti[18]. Apparere, o serene Jesu, digneris illis tribus viris, quos vidit Ezechiel salvandos, scilicet Noë, Daniel et Job[19]. Festina, et noli tardare apparere Ephraïm, scilicet activis, qui tuo amore inflammati, te duce, fructus misericordiæ faciunt: festina, Domine, apparere coram Benjamin, id est (5), prælatis, quibus potestatem ligandi et solvendi tradidisti: festina, Domine, visitare Manasse, id est, contemplativos, ut cognoscant latitudinem, longitudinem, altitudinem et profundum scientiæ tuæ charitatis[20]. Quid enim, fratres, intelligo per latitudinem, nisi opera charitatis? quid per longitudinem, nisi perseverantiam usque in finem? quid per altitudinem, nisi spem divinæ patriæ? quid per profundum, nisi inscrutabilia opera Dei? Veni, Domine, visitare nos in pace. Visita activos, inebria contemplativos, et rege quibus regere præcepisti. Sane scimus, Domine, quia hodie apparuisti puer parvus, quem adhuc speramus te videre omni magnitudine circumdatum. Tunc, Domine « Memento » mei, cum (6) veneris in regnum tuum[21], » ut non cum hædis, sed cum ovibus ad dexteram tuam nos collocare digneris. Amen.

SERMO XXI.

In Epiphania Domini V.

Hic sermo, qui educitur ex Cod. Cass. CVI, *fol.* 31 *a tergo, hic nomen habet sancti Augustini. Sed a Bandinio tribuitur anonymo Bibl. Laur. Suppl. tom.* 1, *fol.* 619, *nec immerito, cum nihil habeat, quod beati Doctoris sapiat ingenium. Ponatur ergo in appendicem post sermonem præcedentem cum numero in Epiphania Domini* XIV.

SYNOPSIS.

I. Bethlehem civitatis felicitas. II. Herodis furor. III. Cædis infantium ridicula descriptio. IV. Magorum munera.

I. Audivit nobiscum Charitas vestra Evangelistam dicentem: « Cum natus esset Jesus in Bethlehem Judæ in » diebus Herodis regis, ecce Magi veniunt ab Oriente Je» rosolymam dicentes: Ubi est, qui natus est, Rex Judæo» rum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus » adorare eum[22]. » Felix illa civitas, fratres charissimi, cui civis natus est Deus, quæ singulare meritum ante adventum Salvatoris accipiens, primum laudari meruit per Prophetam, quam disceret quem sumebat (7). « Felix civitas » Bethlehem, quæ non es minima in principibus Juda. Ex » te enim, inquit, prodiet Rex, qui regat populum meum » Israël[23]. » Quid agit Judæorum cæcitas mentium, qui adventum Salvatoris nec intelligere meruerunt, nec noscere? Impletum est cunctorum Prophetarum responsum; Salvatorem nostrum prodidit cœlum. Quando enim latere potuerat, quem Deus ante prædixerat? Bethlehem civitas de astriferis, patriæ civem et novum incolam, grande meritum sumpsit, quia non potest finiri, quod meruit.

II. Sed postquam partus ille, cœlesti signo monstrante, repertus est visusque Magis, Judæos (8) veneranda turbavit infantia. Nihil ibi omnino contemptibile in illis vagitibus fuit, quia humanus servus Dei aspexit præsentiam. Sed posteaquam probarunt (9) ipsius sideris fidem, fallentes

[1] Exod. IV, 10. — [2] Isai. VI, 5. — [3] Jerem. I, 6. — [4] Ezech. IV, 12. — [5] Dan. X, 16. — [6] Osee. I, 2, etc. — [7] Amos, I, 1. — [8] Tit. III, 4. — [9] Prov. VIII, 30, 31. — [10] Matth. III, 17. — [11] Philip. II, 7. — [12] Hebr. II, 7. — [13] Psal. LXXIX, 2. — [14] Id. XCVIII, 1. — [15] Matth. II, 9. — [16] Psal. XXI, 28. — [17] Id. XLIX, 1. — [18] Id. CXXXII, 2, 3. — [19] Ezech. XIV, 14. — [20] Ephes. III, 18, 19. — [21] Luc. XXIII, 42. — [22] Matth. II, 1, 2. — [23] Mich. V, 2.

(1) Hæc comparatio parum digna videtur, quæ accommodetur Domino, qui semper histriones per Ecclesiam suam detestatus est. — (2) Cod. *nunc*; deest *non* in cod. — (3) Cod. *super quo*. — (4) Id. *sequamur*. — (5) Id. *in*. — (6) Id. *dum*. — (7) Id. *sumebant*. — (8) Id. *magicos*. — (9) Id. *probant*.

Magi regale præceptum, exteras nationes tenuerunt. Herodis regis vitantes aspectum, voluerunt monstrare penitus, quod timebat; majorem enim stimulum sentit, cui non ostenditur, quod veretur. Sed cum sollicitus rex, transacto tempore veniendi, fallentes Magos cognosceret, atque ejus animum incognitus infantis aspectus diversis motibus dissiparet, hoc providit crudelitate consilii, ut ad inveniendam successoris infantiam, occidendo quæreret, quod latebat, sicut scriptum est: «Cum vidisset rex, quia delusus »esset a Magis, iratus vehementer, misit ut occiderentur »omnes infantes in Bethlehem et in omnes terminos ejus, »a bimatu et infra[1].» Felix erat in illis parvulis moriendi conditio, qui pro Christo quærebantur pati. Furentis regis vesana sævitia morientibus profuit, qui dum successorem suum diligenti crudelitate perquirit, dignos martyres fecit iratus (1). Nam Herodem istum tantum rabidus amans furoris facibus urgebat, quantum amor dulcis potestatis accenderat. Carnifices suos ad inquirendum mittit infantem, quasi quidem posset invenire cum vellet.

III. Pergunt in civitatem ministri regis, crudele portantes imperium, et dirum præceptum portantes in gladiis, ad matres lacrymantes festinabant. Infantile bellum in domibus gerebatur, et sola secum pugnante sævitia, orbitatis crudelitas imminebat. Mactabantur in cunis infantes, in quibus nondum erat nascendi conscientia, et illud membrorum initium, primum funus discit esse, quam corpus. Occidebantur initia membrorum minutissima; lactantes et accepti a matribus parvuli in duritiam lapidum vibrantur, ut ad execrandum malum, saxorum aspera moles artus spargeret, et nec acciperet volens terra (2) collisos atque interemptos. Ipsa mortalibus se præbuit, quæ pridem natos testes (3) suscepit. Sub conspectu matrum premebantur vagitus infantium, et lacrymas suas in maternos oculos reportabant. Salvator noster inter infantium funera quærebatur, qui ad hoc permisit pro se infantes occidi, ut cæteri pro se ipso discerent mori. Natabant domus sanguine parvulorum, nec fuit qui consolari alterum posset, quia non erat, qui lacrymas non haberet. Nam luctum (4) orbitas cunctorum æquaverat, et commune malum ubique luctibus gerebatur. Oppressi vagitus majores gemitus exigebant. Nulla domus, nulla orbitatis restaverat locus, ubi non diri regis crudelitas fuerit (5). Jacebant brevia vulnera membrorum, et velato vultu, tristi coloratæ pallore cunctorum mortibus (6) lacrymas dabant. Minutis mortibus tota civitas replebatur, et omnium posteritate truncata, hoc solum evasit, quod vagitum habere non meruit. In illa matrum (7) pernicie, in tanta grandine liberorum, una fœmina felix evasit, quæ fuit virgo post partum. Quid juvat replesse tot funeribus terram? Quid profuit tanta verba fluentia siccasse, cum futurum malum Deus ante prædixit? Constat ergo Judaïcam gentem nascenti Domino præparare perniciem, ideoque eodem tempore Dominus voluit docere, quia Judæus non noverat, quod feriret. Sed quia Deus passioni prohibitus sed dilatus est, maluit virtutibus disci, quam ante tempus occidi.

IV. Sed ad propositum redeamus. Obtulistis gratiæ illucescenti piam congregationem. Dedistis (8) nobis vestræ intentionis dulce solamen. Sequimini stellam cœlorum summa (9) splendentem, ut veniatis ad Christum ubera materna lactantem. Ista est gloria, quam cœli enarrant[2]. Ista est misericordia, quam Magi venientes adorant. Benedictus Dominus; hodie psalmus cantatus magnum accepit augmentum, ut jam videatur benedictus Dominus. Quod narrabant cœli, jam vident Magi; cernunt sine timore pastores, quod cum magno timore cantabant angelicæ Potestates, et sapientiæ terrenæ disquisitio evanuit. Securi ergo munera præparemus; et ab aliis præparanda discamus, ne forte quod offeramus, nos ipsi nostris viribus non habeamus; ut discipulus, a Magis qui obtulerunt aurum, thus et myrrham. Quid sibi ista munera volunt? quod nobis aperiunt sacramentum? Aurum, vide cœlestia; thus, vide terrestria; myrrham, vide inferna; quia «In nomine Jesu omne genu »flectitur cœlestium, terrestrium et infernorum[3].» Tria ista munera videamus, si et aliam habent rationem. Aurum, vide fidem; thus, adora spem; myrrham, intellige charitatem. Et unde (10) myrrha charitas? Sicut enim myrrha bene tegit et condit corpora mortuorum, sic et «Charitas »cooperit multitudinem peccatorum[4].» Quid facit myrrha? custodit sepulturam, et defunctorum corporum compagem non patitur dissolvi. Myrrha ergo charitas. Tegat corda nostra, ut offeramus Domino munera placitura, et dicat ad nos: «Exultet Jacob, et lætetur Israel[5],» quia Deus natus est Emmanuel.

SERMO XXII.

In Epiphania Domini VI.

Magna contentio est inter eruditos cujus sit sequens sermo. Combefisius in Homiliario, sive Biblioth. PP. Concionatorum tribuit Origeni aut alii veteri, uti videre liquet in tom. 1, fol. 519; sed est detruncatus. Editor sancti Maximi enumerat inter homilias hujus Patris, Edit. Romæ 1784, fol. 413. Attamen brevior et discrepat aliquantisper a nostro codice, necnon aptat Natali Domini quæ sunt de die Epiphaniorum. Dominicus Vallarsius illum conjicit inter opera spuria sancti Hieronymi. Bandinius in Biblioth. Laur. tom. 1, fol. 78, Ambrosio illum deputat. Codex vero noster, nempe CXVI, fol. 150, connumerat sermonibus divi Augustini. Hinc propter varias discrepantias illum hic in Appendice rursus in lucem emittere operæ pretium duximus, quanquam plura desumpta sint ex alio Augustini sermone.

SYNOPSIS.

I. Christi per Incarnationem revelatio. II. Nostra felicitas major est veterum Patrum felicitate. III. Crucis potentia. IV. Christi baptismus. V. Moyses extensis manibus orans, figura fuit Crucifixi.

I. Hodie verus Sol ortus est mundo. Hodie in tenebris sæculi lumen exortum est. Deus factus est homo, ut homo fieret Deus. Formam Dominus servi (11) accepit, ut servus verteretur in Dominum. Hodie cœlorum habitator et conditor habitavit in terris, ut homo colonus terræ migraret in cœlum. O dies omni sole lucidior! o tempus a cunctis sæculis expectatum! quod præstolabantur Angeli, quod Seraphim, et Cherubim, et cœlorum ministeria (12) nesciebant, hoc in nostro tempore revelatum est. Quod illi videbant per speculum et per imaginem, nos cernimus in veritate. Qui loquebatur in Israëlitico populo per Isaïam, et Jeremiam, et reliquos (13) Prophetas, nunc nobis per Filium loquitur.

II. Videte quid sit inter Vetus et Novum Testamentum. In illo (14) loquebatur per nubilum; nobis loquitur per serenum. Ibi Deus videbatur in rubo, hic de Virgine Deus nascitur. Ibi ignis erat populi peccata consumens, imo Dominus ignoscens servis suis, hic homo est populi pec-

[1] Matth. II, 16. — [2] Psal. XVIII, 2. — [3] Philip. II, 10. — [4] 1 Petr. IV, 8. — [5] Psal. XIII, 7.

(1) Cod. *iratos*. — (2) Id. *terræ quæ prius nolens*. — (3) Id. *teste*. — (4) Id. *invicta*. — (5) Id. *fuit*. — (6) Id. *cunctorum mentibus*, qui pannis colorata. — (7) Id. *in illa matre filiorum pernicie*. — (8) Id. *dedit*. — (9) Id. *clima*. — (10) Id. *inde*. — (11) Deest vox *servi* in cod. — (12) Edit. male mysteria. Combefis. proposuerat *militia*, sed minus bene. Edit. antea *Cherubim et Seraphim*. — (13) Edit. *cæteros*. — (14) Edit. *in illis*, qui et supra *inter Vetus Testamentum et Novum*.

cata dimittens (1). « Nemo enim potest peccata dimittere, » nisi solus Deus[1]. » Sive hodie stella Magis apparuerit (2), unde et Epiphania græco sermone vocatur, quod nos possumus dicere apparitionem vel ostensionem, sive hodie sit baptizatus; diversa quippe opinio fertur in mundo, et pro traditionum varietate sententia est. Nobis illud constat ad liquidum, quod sive hodie Magos duce stella ad se adorandum perduxit, sive renatus est in baptismo (3), utrumque nobis proficit. Utrumque mysterium nostrum est, utraque utilitas nostra est. Dei Filius non habebat necessarium ut renasceretur (4); neque enim peccatum fecerat, quod ei remitteretur in baptismo. Sed illius humilitas nostra sublimitas est. Illius crux, nostra victoria est; illius patibulum, est (5) noster triumphus.

III. Gaudentes levemus hoc signum (6) in humeris nostris victoriarum vexilla portemus. Immortale labarum (7) portemus in frontibus. Cum hoc signum in postibus nostris diabolus aspexerit, contremiscet (8). Qui aurata capitolia non timent (9), crucem timent. Qui contemnunt sceptra regalia et purpuras Cæsarum et dapes, Christianorum subjectionem, et nuditates, et jejunia pertimescunt (10). Denique in Ezechiele propheta, cum omnes qui missus fuerat Angelus, occidisset, et interfectio incœpisset a Sanctis[2], illi tantummodo sospites reservantur, quos tunc littera (11), id est, crucis pictura signaverat.

IV. Itaque, dilectissimi fratres (12), pauca etiam de baptismi sacramento accipite. Baptizatur Dominus a servo, et a Deo Filius appellatur. Quid hac humilitate sublimius, vilitate (13) nobilius? Inter publicanos, et meretrices, et peccatores ad lavacrum venit, et sanctior est baptizatore suo. Lavatur a Joanne in carne, in Spiritu lavat. Aquæ quæ cætera mundare consueverant, Domino nostro lavante mundatæ sunt. Jordanis fluvius, qui in eo tempore, quando populum Israëlem dux Jesus ad terram repromissionis induxit, fuerat exsiccatus, nunc totis, si potuisset, undis in unum locum voluisset (14) congregari, ut Domini corpus attingeret. Exultemus itaque, fratres charissimi (15), et ad crucis similitudinem sanctas in cœlum levemus manus, ut, cum sic nos dæmones armatos viderint, opprimantur (16).

V. Nam primus ille populus habuit hostem Amalech. Tunc oravit Moyses (17); tunc extendebat manus. At ubi deponebat manus, convalescebat Amalech[3]; ubi extendebat manus, deficiebat Amalech. Et tuæ manus, si extensæ sint, deficiet Amalech tentator et hujus itineris impeditor. Esto vigil, esto sobrius in orationibus et operibus bonis, sed non præter Christum, quia extensio illa manuum Christi crux fuit. In illa extenditur Apostolus cum dicit: « Mihi » mundus crucifixus est, et ego mundo[4]. » Ergo deficiat Amalech, vincatur, non impediat transitum populi Dei. Sed si remittis manum a bono opere, a cruce Christi, prævalet Amalech. Tamen non omni modo aut continuo te fortem futurum putare, aut penitus desperando deficere debes. Alternatio enim illa defectus et fortitudinis in manibus servi Dei Moysis, forte alternatio tua fuit. Aliquando enim in tentatione deficis, sed non omnino succumbis. Deponebat manum, sed populum non omnino ruebat. Si dicebat: « Motus est pes meus, ecce misericordia tua, Domine, ad» juvabat me[5]. » Noli ergo timere; adest in itinere auxiliator, qui in Ægypto non defuit liberator. Noli timere, aggredere viam, præsume securus. Aliquando ille deponebat manus, aliquando erigebat, tamen victus est Amalech. Rebellare potuit, superare non potuit, contradicente Domino et Salvatore nostro Jesu Christo, qui benedictus est in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXIII.

De Nuptiis Canæ, et quomodo Christus vocatur, et vocat. Joan. II, 1, etc.

Idem dicendum de hoc sermone ac de multis præcedentibus, utpote qui eruatur ex Bibl. Ædil. cod. x, fol. 6 b. Ponatur post sermonem præcedentem.

SYNOPSIS.

I. Canæ nuptiarum interpretatio mystica. II. Audiendus Christus invitans, et non mundus. III. Judicium supremum, nuptiæ quibus necessario invitamur. IV. Orandum est, nec desperandum. V. Vocatur ad nuptias Christus, non quia opus habuit, sed ut et nos vocaret; cui vocanti obtemperemus mundati.

I. Audivimus, fratres charissimi, Dominum nostrum invitatum ad nuptias, non venisse, sed dum factæ essent et paratæ in Cana Galilææ, vocatus est Jesus[6]. In nuptiis vero quid aliud fieri solet, nisi sponsi et sponsæ conjugium? Sed per sponsum amor Dei, per sponsam vero mens humana designatur. Talis copula fiet in Cana Galilææ, id est, in cœlo, transmigrationis de carnalibus ad spiritualia per Jesum, gratia Dei, sine qua istæ nuptiæ fieri non possunt. Intelligite etiam, fratres, per Mariam, intentionem et devotionem sancti propositi; nam attendere, fratres, debetis, nec dormire vos volo, cum nunc dormiendi tempus non sit: attendite ergo, quia sicut ipse matrem, de qua natus est, creavit, sic et gratia devotionem parit et processum sanctitatis; ex devotionis studio eadem gratia lucidius enitescit. Discipuli vero Christi, chorus sanctarum virtutum, qui se bonis operibus exornat, et (18), voce valida, ut ad se veniat vocat. Ad has vero nuptias deficit vinum, quia fervor spiritualis quandoque deficit. Tunc ait gratia devotioni: Quid tibi et mihi, devotio? Te quidem laborante, dona mea solent augeri; sed quidquid boni per te acquiritur, mihi debito et merito debet adscribi. Sed ministri harum nuptiarum sunt fideles, et ratio est, quia ut ad intellectum spiritualem quis veniat, opus est ut fidem intelligat, et ratio intellecta teneat. Per hydrias vero memoria cordis designatur, in qua salutares cogitationes debent teneri: sex ideo quia sex sunt species sanctarum cogitationum, in quibus mens debet exerceri, quarum prima est recordatio malorum, ut ea digne pœnitendo diluamus; secunda qua præsentia pericula repellamus, ne importunitate mutabilium retardemur; tertia, qua æterna tormenta prudenter avertamus; quarta est, qua hora mortis provida cogitatione revolvamus (19); quinta, qua ante tribunal districti Judicis non (20) vacui appareamus; sexta, qua æterna beatæ vitæ præmia sedulo cogitemus (21), et ut eis frui mereamur, infatigabili conatu, sanctarum virtutum studio insistamus. Quæ ideo lapideæ dicuntur, quia necessarium est ut in his firmiter mens permaneat; sed contra hæc, ne ea cogitare possimus, non tantum operari, quatuor inter cætera sunt quæ valde nos impediunt facere (22) quæ ad confessionem peccatorum exiguntur. «Quæ sunt ista nisi pudor, timor,

[1] Luc. v, 21. — [2] Ezech. IX, 6. — [3] Exod. XVII, 11. — [4] Galat. VI, 14. — [5] Psal. XCIII, 18. — [6] Joan. II, 1, etc.

(1) Edit. consumens, hic homo est populi peccata dimittens, imo Dominus ignoscens servis suis. Nemo etc. — (2) Hæc et sequentia differunt. Loquitur sermo editus de Nativitate, noster de Epiphania. — (3) Hic rursum concordant edit. cum cod., excepto quod edit. ponunt mihi et meum, pro nobis et nostrum quod habetur in cod. — (4) Edit. ut nasceretur et baptizaretur. — (5) Deest in edit. est. — (6) Edit. levemus hoc signum in humeris nostris victoriarum, etc. — (7) Sic edit.; cod. male lavacrum. — (8) Edit. cum dæmones viderint, contremiscent. — (9) Cod. legere deberet non timet, et sic deinceps, aut ponere nominativum dæmones. — (10) Edit. Christiani sordes et jejunia. — (11) Edit. litteræ. — (12) Hæc et sequentia desunt in edit. — (13) Cod. male utilitate. — (14) Cod. voluerat. — (15) Hic rursus edit. et cod. concordant. — (16) Cod. male opprimentur. — (17) Hæc et reliqua leguntur in sancti Augustini Serm. CCCLI, num. 6. Pauca addunt edit., quæ hic non reperiuntur. — (18) Deest et in cod. — (19) Cod. revolvimus. — (20) Deest in cod. necessaria negatio. — (21) Cod. cogitamus. — (22) Id. nam quia confessionem exigunt.

spes et desperatio? pudore erubescimus confiteri; timore retrahimur (1), ne gravati patrata profundamus; spes, peccandi cupiditate nos impedit; desperatio irrationabiliter (2) nos confundit et destruit.

II. Quid ergo, fratres? Aperiamus aures in contemplatione (3), et quidquid in contemplatione videbimus, ne despiciamus. Primam namque vocem in contemplatione audimus, quæ dicit: Accipe, redde et fuge: redde debitum, fuge supplicium, accipe beneficium. Accipe, o fidelis, beneficium Salvatoris tui; nam cœlum ordinavit, ut tibi daret lucem per diem, ut vigiles, tenebras in nocte, ut pauses: ad delectationem tuam varietates temporum veris, æstatis, autumni et hyemis. In hyeme ac vere (4) dierum ac noctium spatia varia fecit, ut tibi studium tollat: aquam pro te creavit, ut sordes purges, arentia riges (5): terram pro te creavit, ut te portet, te nutriat, te pane confortet, te vino lætificet, et omni genere fructuum te oblectet: hæc omnia facta sunt propter te, et adhuc ad æternas nuptias vocat te; et negligis, timore, pudore et desperatione repletus. Radi (6) ad illum, qui te dulciter invitat. Sed ecce jam mundus dicit: O homo, vide quantum te amavi et amo; nam propter te Deus me fecit; tibi semper servio; si sentis meum beneficium, meas dulcedines, redde mihi debitum, veni post me, veni ad nuptias meas et sequere me. O homo, cave ne ad nuptias mundi vadas; quoniam in die novissimo ignis te comburet, aqua te submerget, terra te deglutiet, infernus te recipiet, omnis creatura contraria tibi erit, si, dum vixeris, plus ea dilexeris tuo Creatore.

III. Cum igitur, fratres, necesse omnino sit, ut ad nuptias invitemur, dum adstabimus ante tribunal judicis, ut «Referat unusquisque prout gessit in corpore [1],» cavendum est ne ante illud terribile tribunal vacui appareamus, et in illis nuptiis sine vestibus nuptialibus appareamus[2]. O quam terribile, o quam dolorosum, o quam amarum erit videre judicem turbatum! Abraham contra inobedientes, Isaac contra impatientes, Jacob contra negligentes, Joseph contra incontinentes, Job contra Deum maledicentes, David contra bellicantes, Lazarus pauper contra potentes, Paulus contra falsa prædicantes, Joannes contra hypocritas evangelisantes, Petrus contra in mari mundi remigantes; isti et alii multi sedebunt in cœna, et in nuptiis judicantes duodecim tribus Israël[3].

IV. Quid ergo faciemus, fratres? Nihil aliud faciendum puto, nisi orare, ut (7) virtutes, quas Deus sanctis ad coronam dedit, nobis etiam det, et liberet nos a pœna. Nam sine eo nihil potestis facere[4], nec vel cogitare[5], nec capillus de capite vestro sine sua perfecta voluntate addi vel amitti potest[6]. Orandum igitur est, nec tamen desperandum, quoniam desperatio est certissima mors. Sentis te peccatis oneratum? Aspice Mariam peccatricem; nam ipsa in die judicii stabit contra peccatores, qui pœnitentiam non egerunt, sed potius se suspenderunt in desperatione. Ne ergo diffidas, habes etiam Paulum persecutorem, habes etiam et Latronem, qui triginta annis et amplius nequiter vixerat, et audire meruit: «Hodie mecum eris in Paradiso[7].» In hac enim vita quædam laboriosa et vacua sunt, quædam laboriosa, sed non vacua sunt: amore namque sæculi pati (8) laboriosum simul et vacuum est, quia pœnæ (9) tribulatio angustat, et retributio æternæ beatitudinis nulla remunerat; quia amore sæculi voluptatibus resolvi, et amore etiam amicorum mortem pati laboriosum non est, sicut de multis Paganis etiam legimus pro amico libenter mortem optasse. Totum hoc opus vacuum est, quia fructus boni operis inde non capitur. Amore enim (10) Dei tribulationem pati laboriosum est, sed non vacuum, quia recipietis fructum in tempore suo.

V. Vocatur (11) igitur Jesus ad nuptias, at ut voluit, non ut gulæ satisfaciat: omnia enim in sua potestate erant, et in festo Paschæ aceto et felle potatus est[8]. Ivit ergo Magister ad nuptias, non quia necessitatem haberet, qui (10) dat escam omni carni. Quare igitur venit, nisi ut expensas solveret nuptiarum, dum aquam convertit in vinum? Nam non tantum gravavit (13) Dominus patrem nuptiarum cum Matre et Discipulis comedendo, quantum ditavit, aquam in vinum convertendo. Vocatus est ergo Jesus ad nuptias, ut nos vocaret. Vocamur a Christo, o fratres. Vos ergo juvenes, qui tam dulciter vocamini, cur non acceditis? Accedite, et nolite timere; nam vestrum est festare, vestrum est gaudere, vestrum est cantare et tripudiare. Induamini igitur nova vestimenta, ut honorati primum locum habeatis[9]; sed si scabiosi estis, obsecro et lavemini, et mundi sitis (14), ut bene in conspectu Regis tripudiare possitis. Nam sic fecit Naaman leprosus[10]. Etiam si psalterium vel symphoniam habetis, vobiscum portare non negligatis. Obsecro etiam ut de nuptiis vestris participent universi; nam pater nuptiarum per vicos et plateas misit, ut clamarent valenter, et venirent[11] juvenes ad gaudium, pauperes ad reficiendum, pusillanimes ad consolandum, et juvenes ad tripudiandum; et sic implebuntur mensæ nuptiarum. Tunc enim, fratres mei, omnes ad nuptias sic ire poterimus, dum ipsum Deum agnoverimus. Scire ergo Deum summa est scientia, et hæc est illa beatitudo, pro qua militamus, ut cognoscamus Dominum, quem misit, Jesum Christum: non enim potest cognosci Jesus, qui pater nuptiarum est, nisi dum pendet in cruce; et nisi cum Latrone pendente in cruce clamaverimus: «Memento mei, Domine[12],» non poterimus ad nuptias invitari, et longe minus accedere, quod avertat ipse Deus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXIV.

In Sexagesima I.

Hunc sermonem jam stampis mandavimus in primo supplemento appendicis sermone I; *sed tunc aderat unus Cod. Cass.* CVI, *qui multis mendis abundabat, quæ in pluribus frustra corrigere conati sumus. Nunc adfuerunt nobis quinque alii codices, nempe Bibl. Laurent., Plut.* XIV, *cod.* 1 *a, fol.* 108; *Plut.* XVII, *cod.* XII, *fol.* 126; *Plut.* XXX, *sinist., cod.* 1 *b, fol.* 191; *Plut* XXXIII, *cod.* IV, *fol.* 61; *et denique Bibl. Ædil., cod.* CXXXVI, *fol.* 67; *ex quibus innumeros resarciri potuimus defectus. Cum autem illi tanti sint ut vix per notos possit ad verum sensum reduci, et aliunde brevior sit, illum secundis curis emendatum rursus in lucem emittimus. Cum duo sint codd.* 1, *priorem designavimus addendo* a, *posteriorem vero addendo* b. *Ponatur in locum sermonis primi appendicis, cum numero in Sexagesima* I.

SYNOPSIS.

I. Jejunium cur præveniendum. II. Jejunium nemini negligendum. III. Ad Ecclesiam confugiendum sicut ad arcam Noe.

---

[1] 2 Cor. v, 10. — [2] Matth. xxii, 11, 12. — [3] Id. xix, 28. — [4] Joan. xv, 5. — [5] 2 Cor. iii, 5. — [6] Luc. xii, 7. — [7] Id. xxiii, 43. — [8] Matth. xxvii, 37. — [9] Luc. xiv, 10 — [10] 4 Reg. v, 14. — [11] Matth. xxii, 9, etc. — [12] Luc. xxiii, 43.

(1) Deest hæc vox in cod., quæ vel ipsa, vel alia similis est supplenda. — (2) Cod. male *rationabiliter*. — (3) Cod. et *contemplationem*. — (4) Cod. absque sensu *algorem*. — (5) Cod. male *riget*. — (6) Cod. male *reddis*, qui et ante *disperatione*. — (7) Cod. *et*. — (8) Deest *pati* in cod., sed requirit sensus. — (9) Cod. *penas*. — (10) *Forte autem*. — (11) Cod. *vocat*, et deinde et pro *at*. — (12) Cod. *quia*. — (13) Id. *gravat*. — (14) Id. *estote*.

I. Permotos (1) esse vos (2) credo, fratres dilectissimi, cur (3) a superiore Dominica quadragesimam procurrimus (4), et cum hodie sit ejus exordium, cur festivitatem ejus ante unam (5) hebdomadam celebrare cœperimus (6). Reprehendi non potest observatio ista præpropera (7). Devotionis enim (8) indicium est, prius legem exequi, quam legis statuta cognoscas, et ante obedire præceptis, quam (9) obedientiæ præcepta compellant. Illud enim amoris est, hoc timoris (10); hoc imperativo (11) exigitur, illud religiose defertur (12); hic debitum solvitur, ibi donum muneris exhibetur. Unde et nos religiosissimum munus exhibemus (13) Deo, dum amplius jejunamus (14). Reprehendi enim non potest festinata (15) festivitas. Semper enim gaudii in solemnitate (16) vota præveniunt, et (17) futuram lætitiam (18) devotio, dum exoptat, anticipat. Non solum igitur non reprehensibiliter, sed et (19) caute factum est (20). Semper enim in rebus ambiguis oportet addere aliquid amplius ad cautelam, quia quod (21) est amplius, recidi potest, quod minus est (22) non potest prolongari, sicut in hac observatione factum est. Nam quod (23) præter (24) quadragesimam plus jejunamus, non (25) minuimus quadragesimam; integra enim nobis (26) manet. Quod si minus jejunassemus a numero, redintegrare (27) eam non poteramus ad numerum.

II. Sed fortasse illud in causa est, cur (28) jejunium quod jejunavimus, non proficiat nobis ad quadragesimam. Proficiet plane nobis, quia et si non proficit ad quadragesimam, proficit (29) ad salutem. Si non proficit ad numerum, proficit ad meritum. Cui enim unquam non profuit orare, legere, jejunare? Cui (30) non profuit castitas, sobrietas, mansuetudo? Nisi quod illos magis reprehendendos (31) puto, qui cum parati fuerint jejunare, postea quam deerint solemnitates (32), ambigunt et negligunt (33) jejunare. Demonstrabunt (34) utique se non volentes religiose vivere (35), sed coactos (36). Veriti sunt, credo, ne quinque dierum jejuniis prolongatis, caro eis (37) corpusque deficeret (38), et exiles ac tenues (39) quadragesimæ abstinentiam tolerare non possent (40). Audiant igitur refecti pariter ac robusti, tenues atque pallentes, quia hodie est quadragesima. Audiant illi, inquam, ut (41) jejunare incipiant, isti ut abstinere non desinant, et communiter in arcam (42) Christi intrare festinent. Imo festinent amplius qui tardius abstinere cœperint (43), et castigatiores et puriores introeant, quia arca (44) Domini in periculis jejunum sustentare prævalet (45), temulentum sustinere non novit. Admonemus ergo nos (46), sicut antea diximus, nostri temporis homines, ut, in hujusmodi turbinibus, ad domum Dei certatim unusquisque confugiat, sicut et sui temporis homines (47) Noe justus admonuit. Admonuit enim illos, et futurum (48) diluvium prædicare non destitit; et licet vox prædicationis (49) non sit audita, tamen (50) si tacebat lingua, opere loquebatur, et si silebat voce (51), actu personabat. Cum enim ædificabat tam grande opus arcæ illius, causam (52) cur fieret ipso opere testabatur. Testabatur (53) enim ipso apparatu, nova tabernacula novis periculis profutura. Sapiens enim quisque intelligere poterat, naufragii nescio quid imminere (54), cum domus talis fieret, quæ non hæreret (55) in terra, sed nataret in gurgite; cum hospitium (56) hujusmodi pararetur, quod nec pavimento solido figeretur (57), nec fluctibus unda submergeret (58). Quis, inquam, sapiens (59) non intelligeret adesse diluvium, cum videret tale domicilium fieri, quod susceptos intra se non tam clauderet, quam portaret; quod non tam pluviarum imbres (60) repelleret, quam naufragii procellas arceret? Quis, inquam, ex hospitio non adverteret (61) periculum hominis, in quo hospitio non habitandum esset, sed potius exulandum; in quo et pater mundi futurus esset cum ipso habitaculo peregrinus (62). Ipse ergo sanctus Noe opere populis prædicabat, et dicebat illud evangelicum Domini dictum (63): « Si mihi (64) non creditis, operibus (65) credite[1] (66). »

[1] Joan. x, 38.

(1) Cod. CVI male *præmonitos*, et deinde *vos esse*. — (2) Deest *vos* in cod. XLI; cod. CXXXVI ponit *credo* post *fratres charissimi*. — (3) Cod. IV male *cum*. — (4) Sic cod. CXXXVI; codd. I a et CVI male *procurrimus*. Deinde cod. CVI *hac die* pro *hodie*, et *quod* pro *cur*. — (5) Sic codd. IV, et XLI; cod. I a male *unam*. — (6) Cod. IV male *cœpimus*. — (7) Omnes codd. male hanc vocem scripserunt, nempe codd. I a et CVI *per opera*; cod. XLI *per operam devotionis, indicium*; cod. CXXXVI *præ opere*; cod. IV *præparata*. Correctionem fecimus, quia patens est. In edit. male punctum ponitur ante *per opera*. — (8) Deest *enim* in cod. XLI; cod. CVI *judicium*. — (9) Cod. CVI male *quoniam*. — (10) Hæc desunt in cod. XLI; sed leguntur in cod. I a. — (11) Sic codd. IV, XLI, et CVI; cod. I a, *imperative*. — (12) Sic codd. I a, et CVI; cod. XLI male *defferetur*, quod habet etiam cod. IV. — (13) Sic cod. CXXXVI; codd. IV, XLI et CVI, *nos religiosum munus exhibeimus*. Codd. autem I a male *nobis religiosum munus exhibuimus*. — (14) Sic codd. I a et CXXXVI; cod. IV, XLI et CVI *jejunavimus*; cod. I b *jejunabimus*. — (15) Sic cod. I a; cod. XXXI *festina*. Edit. per errorem typographicum *festinata*. — (16) Sic cod. CXXXVI; codd. I a et CVI *in gaudiis solemnitatis*; forte legendum *in gaudiis solemnitatis*. — (17) Sic cod. I a et CVI; cod. XLI *ut... anticipet*. — (18) Cod. CXXXVI male *futura lætitia*. — (19) Deest *et* in cod. XLI, sed legitur in cod. I a. — (20) Hæc desunt in Edit., quia desunt in cod. CVI. — (21) Sic codd. IV, XLI, CVI et CXXXVI; cod. I a, *quid*. — (22) Hæc verba, quæ sunt in cod. I a, desunt in cod. XLI; cod. I a habet *quid*, sed *quod* legitur in codd. CXXXVI, IV et CVI. — (23) Sic cod. CXXXVI; codd. XLI et IV *ne quod*; cod. I a, *ne quid*; cod. CVI *nec quod*. — (24) Sic cod. CXXXVI; codd. I et CVI *propter*. — (25) Sic cod. IV, XLI, CXXXVI; deest *non* in cod. I a. — (26) Sic codd. IV et CXXXVI; cod. XLI *in nobis*; cod. I a, *vobis*. — (27) Sic cod. I a; cod. XLI *servare integram*; cod. IV *redintegrare eum*; cod. CVI non habet *eam*; deinde cod. CXXXVI *poterimus*. — (28) Hæc verba desunt in codd. XLI et CVI, sed habentur in cod. I a; cod. CVI *cum* pro *cur*; deinde omnia trunca sunt in eodem cod., ac consequenter in Edit., ubi supplevimus negationem *non*, quæ necessaria non est, restitutis quæ deerant. — (29) Sic codd. IV, XLI, CXXXVI; cod. I a, *proficeret*. — (30) Sic iidem codd.; cod. I a, *cur*; in cod. CVI legitur *cui*, sed desunt verba *sobrietas, mansuetudo*. — (31) Sic cod. I a; cod. I b, *reprehendendum*; codd. XLI et CVI *reprehendendi*. — (32) Sic codd. I b, IV, XLI et CXXXVI; cod. I a, *audierint solemnitatis*; cod. CVI, *audierint solemnitates*. — (33) Sic cod. CXXXVI; codd. I a, IV, I b, XLI, et CVI *ambigunt negligunt*, vel *neglexerunt*. — (34) Sic codd. IV, XLI, CVI et CXXXVI; cod. I a, *demonstrabitur*. — (35) Sic cod. I a; cod. XLI male *itaque nosse volentes religiose vivere, sed coacte veriti sunt*; cod. CVI *itaque et coacti*. — (36) Sic codd. IV et CXXXVI; cod. I *coactos*. — (37) Sic codd. XLI et CXXXVI; cod. I a, *carum*; cod. CVI non habet *sunt*, et deinde *ejus*. — (38) Sic cod. I a; codd. IV et XLI *defecerit*. — (39) Cod. CVI, *exiles hactenus*. — (40) Sic cod. I a; cod. XLI *possint*. — (41) Sic codd. IV, XLI, CVI et CXXXVI; cod. I a male tollit *ut*. — (42) Sic codd. I a et CXXXVI; codd. IV et XLI *arcam*. — (43) Sic cod. I b; cæteri *cœperunt*; cod. IV *quia tardius*. — (44) Sic omnes codd., excepto cod. XLI, qui habet *arca*. — (45) Sic cod. XLI; cod. I a, *jejunum sustentare prævalet*; cod. IV *qui arcam*; cod. CXXXVI, pessime *qui arcam Domini in periculis jejunos sustinere prævaluit, se temulentum*, etc.; cod. XXX *et temulentum*. — (46) Sic cod. I a, et CVI qui habet *monemus*; cod. CXXXVI *vos*; deinde codd. XLI et CXXXVI *antea* pro *ante*, quod habent codd. I b et CVI. — (47) Sic codd. IV, XLI, CXXXVI et CVI; cod. I a *vos* habet *homines*. — (48) Sic cod. I a; cod. XLI male *sed in futurum*; cod. CVI *sed futurum*. — (49) Sic codd. I a et CVI; cod. XXX *prædicatoris nostri*. — (50) Cod. I a addit *et*, quod tollit cod. IV; cod. CVI *et non*. — (51) Cod. CXXXVI *voce*; deinde cod. XLI *actu* pro *acia* quod habet cod. I a, aut pro *arca* quod habet cod. CVI. — (52) Cod. CXXXVI, male *causa*. — (53) Cod. CVI *testabantur*. — (54) Sic cod. I a; cod. IV male *eminere*; cod. XLI *naufragiis nescio quid innuere*; cod. CXXXVI *naufragium nescio quod*; cod. CVI *emere*. — (55) Sic cod. I a; cod. XLI *adhæreret*. Deinde deest *sed* in cod. I a, sed habetur in codd. IV, XLI et CXXXVI; cod. CVI *haberetur*, pro *hæreret*. — (56) Sic cod. I a; cod. XLI *hospitio*; deest utraque in cod. CVI. — (57) Sic cod. CXXXVI; cod. I a, *quid nec pavimentum solo defigeret*; cod. IV *quod nec pavimento solo defigeret*; cod. XLI *quod nec pavimento solo deficeret*; cod. CVI *quod non pavimento solo*. — (58) Sic codd. omnes, excepto cod. CXXXVI qui habet *submergeretur*. — (59) Sic cod. I a; cod. CXXXVI *an quisquam sapiens*. — (60) Sic codd. I a, et CVI; cod. CXXXVI *imbrem*; cod. I b, *nober*, et deinde *procella*. — (61) Sic cod. I a, codd. I b, IV et CXXXVI male *averterent*; cod. XLI *averteret*; cod. CVI *animadverteret*. — (62) Sic cod. CXXXVI; cæteri mutica mundus quod referunt; codd. I a et CVI *in qualibet parte mundi futurum esset cum ipsis habitaculis peregrinum*, quod satis bene staret ponendo *peregrinandum*; cod. IV non habet *in*, et mutat *esset* in *esse*; cod. I b incipit, *in quo habet partem mundi futuram esse cum ipsis habitaculum peregrinum*; cod. XLI *periculum hominis, in quo hospitium non aptandum esset, sed potius exulandum*. Deinde cod. CVI non habet *sanctus Noe*. — (63) Sic codd. I a et CVI; codd. IV et XLI, *dominicum dictum*; codd. I et CXXXVI, *illud de Evangelio Domini dictum*. — (64) Sic codd. IV, XLI, CVI et CXXXVI; cod. I a, *mei*. — (65) Codd. XLI et CVI, *vel operibus*. — (66) Hic desinunt omnes manuscripti codices, excepto cod. CXXXVI, qui pergit commixtando sermonem, qui incipit per hæc verba *Moyses quadraginta diebus*, quem videsis inferius, sermonem XXVI.

SERMO XXV.

In capite Jejunii.

Pulcher hic sermo ex Cod. Cass. CCCLXXXVII, *fol.* 99 *extractus, sed qui sancto Augustino tribui non potest, cum agatur de cinere capiti imponendo in capite jejunii, quod solummodo posterius statutum est in concilio Agathensi, habito an.* 501. *Vide Marten. de antiquis Ecclesiæ ritibus, tom.* 1, *fol.* 294, *ord.* 19. *Sit ergo locus ejus in Append. post sermonem Maurinensem* CXXXIX.

SYNOPSIS.

I. Memoriam mortis sæpius homini revocat Deus ad comprimendam superbiam. II. Christus imago Dei; homo ad imaginem Dei factus. III. Hominis lapsus et pœnæ. IV. Mortis cogitationis effectus salutaris. V. Adhortatio ad pœnitentiam.

I. MEMENTO, fili, « Quia pulvis es, et in pulverem reverteris[1]. » Humani generis Conditor, dilectissimi, providens carnales homines vitio prævaricationis antiquæ in magna cordis superbia elevatos, et elatione mentis erectos, conditionis suæ memoriam perdidisse, volens eos ad humilitatis viam reducere, et mansuetudinis semitam revocare, legem humanæ miseriæ, homini propter pœnam transgressionis impositam, eis ad memoriam revocat, et in quanta gloria beneficio Creatoris sui conditi fuerint, recolant, et ad quantam miseriam suæ superbiæ culpa devenerint, recognoscant, sicque superbire desinant, qui et Paradisi gaudia ex Dei munere perceperunt, et in hanc convallem miseriæ et lacrymarum peccati sui vitio sunt expulsi. Ut igitur omnipotens Deus, qui creaturæ suæ misereri potius eligit quam irasci, tumorem (1) superbiæ in nobis compsimeret, et elationis ventum ab humanis cordibus removeret, antiquam sententiam in miserum hominem culpæ suæ merito promulgatam, ad mentem ejus non cessat reducere dicens : « Memento, fili, quod pulvis es. »

II. Sciendum est autem, dilectissimi, quod, sicut genealogus noster Moyses, Spiritu sancto ei revelante, nobis significavit, primus homo de limo plasmatus est, et ad imaginem sui est conditus Creatoris. Dei enim Filius, de Patris essentia genitus, in nullo ei dissimilis, sed per omnia coæqualis Patris imago est, et paternæ substantiæ figura, et gloria. Homo vero divino imperio ex pulvere animatus in carne, imago Dei non est, sed ad Dei imaginem legitur procreatus, ut in eo divinæ bonitatis et sapientiæ similitudo et formæ tanquam in speculo resultaret, et ex creaturæ bonitate, decore et gloria, Creatoris virtus, majestas et potentia nosceretur. Si autem in hac gratia sibi collata cœlitus, et virtutum decore firmiter homo mansisset, si Conditoris sui leges traditas fideliter observasset, Paradiso deliciarum in gaudio et felicitate, longo tempore frueretur, et completo dierum suorum statuto numero, de limo fieret aurum, de imis transferretur ad summa, de terris assumeretur in cœlos (2), et ad societatem angelicam nullo mortis dolore interveniente transiret.

III. Sed quia infelix homo, divinæ legis oblitus et novæ conjugis amore illectus, Conditori suo inobediens fuit, et contra ejus imperium pomum vetitum degustavit, de Paradiso deliciarum in hoc exilium corruit, de felicitate in miseriam, de gloria in ignominiam, de beatitudine est delapsus (3) in pœnas, et de tanta gloria suæ creationis redactus est in pulverem corruptionis. Unde et ei post peccatum a Deo dicitur : « Quia audisti vocem uxoris tuæ » plus quam me, « et comedisti de ligno ex quo præceperam » tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo, spinas » et tribulos germinabit tibi, in sudore vultus tui vesceris » pane tuo, donec reverteris in terram, de qua sumptus es, » quia pulvis es et in pulverem reverteris[2]. » Audistis, dilectissimi, in quanta felicitate et gloria creatus est homo. Ecce audistis in quantam calamitatem et miseriam (4) sua culpa dejectus est homo. Creatus enim est de terræ pulvere, ut ex merito obedientiæ contra cursum naturæ terra levaretur in cœlum. Sed factum est ex culpa inobedientiæ, ut homo de pulvere factus, generatione reciproca revertatur in pulverem, cinis in cinerem transeat, et terra carnis humanæ in terram de qua sumpta est revertatur, quæ in primo parente maledicta, maledictionis vitium derivavit in posteros; unde et spinas libidinum et tribulos tentationum in nobis germinare non cessat.

IV. Qui igitur nobilitate generis gloriantur, et se non ex hominibus, sed ex deorum stirpe genitos arbitrantur, conditionem suam recolant, et unde nati sint recognoscant, quia ex pulvere facti sunt, et in pulverem revertentur (5). Qui autem de divitiarum copia et honoris culmine extolluntur, et propter subditorum multitudinem, quos violenta dominatione opprimunt, propter deliciarum copiam, quibus affluunt et abundant, homines se esse nesciunt, ac mori (6) nequaquam credunt, legem humanæ miseriæ ad mentis oculos revocent, conditionem suam agnoscant, et superbiæ tumore deposito, pro certo sciant et intelligant quia pulvis sunt et in pulverem revertentur. Quod si divinæ sententiæ, obturata aure, more aspidis, contradicunt, oculata fide sepulcra patrum aspiciant, et subtili curiositate inquirant si purpura eos a vermibus, si auri et argenti copia a putredine eos et corruptione defendit, et tunc experimento cognoscent quia omnes homines, licet principes, licet imperatores, et de pulvere conditi sunt, et in pulverem revertentur.

V. Vos autem, dilectissimi, conditionis humanæ memores, superni Judicis sententiam per primum hominem in omnem posteritatem ejus prolatam ante mentis oculos ponite, miseriam fragilitatis humanæ semper ad memoriam revocate, de pulvere vos factos esse et in pulverem redituros agnoscite, et quia cinis et favilla estis, superbiæ et elationis ventum a cordibus vestris expellite, carnem vestram in cinerem redituram cilicii et cineris asperitate domate, libidinis fluxus restringite, et sicut cinerem capiti, sic memoriam cineris in corde reponite, et vos in proximo morituros et credite, et timete, et antequam redeatis in pulverem, peccata vestra fletibus expiate, districtum Judicem jejuniis, orationibus et eleemosynis vobis propitium reddite, et in die obitus vestri eum pium et misericordem sentiatis, qui vivit et regnat, etc.

[1] Gen. III, 19. — [2] Gen. III, 17-19.

(1) Cod. male *tumorem*. — (2) Cod. minus bene *caelis*. — (3) Cod. *elapsus*. — (4) Cod. *in quanta calamitate et miseria*. — (5) Cod. *revertuntur*. — (6) Cod. *nesciunt amori*.

SERMO XXVI.

In Quadragesima I.

Hunc sermonem, in nonnullis variantem, stampaverunt Benedictini in Appendice sermon. CXLIV. *Sed cum in pluribus dissentiant, et ita etiam discordent inter se codices nostri, ut varias versiones esse unius operis in alia lingua conscripti credideris, ideo operæ pretium duximus, illum rursus in lucem emittere cum omnibus manuscriptorum variantibus, ut eruditi possint illum comparare cum antea editis. In pluribus codicibus reperitur, sive Cassinensibus, sive Venetis, sive Florentinis, inter quos præcipue contulimus Cod. Cass.* CVIII, *fol.* 12, *Cod. Florent.* I, *Plut.* XIV, *fol.* 118; XLI, *Plut.* XVI, *fol.* 113; CXXXVIII, *fol.* 83. *et Bibl. Ædil. cod.* CXXXVI, *fol.* 67, *ubi legitur post alterum sermonem qui incipit* Permotos esse vos credo, fratres charissimi, *et qui legitur supra Serm.* XXVI. *Locus ejus cum sermone* CXLIV *Appendicis Benedictini cumque eodem numero in Quadragesima* V.

SYNOPSIS.

I. Jejunii utilitas probatur per Moysen, et Adam. II. Per Eliam. III. Per Danielem. IV. Per Joannem Baptistam. V. Per Apostolos. VI. Et per uniuscujusque experientiam.

I. Moyses famulus Domini (1) quadraginta diebus et quadraginta (2) noctibus in eremo jejunavit, ut legem Dei (3) mereretur accipere. Impetraverunt jejunia quod venter saturus (4) desperabat. Denique videte, fratres (5) charissimi, quid sit inter jejunium et saturitatem; inter ventrem vacuum et pulmonem epulis æstuantes (6). Moyses quia jejunavit (7), Dominum (8) vidit; et (9) populus, quia comedit et bibit, idola fabricatus est (10). Quid de Moyse loquor (11), et Israëlitica multitudine? Ipse princeps generis nostri (12), Adam, quamdiu non comedit, in Paradiso fuit; statim ut comedit, de Paradiso ejectus est. Qui in Paradiso Dei (13) virgo fuerat, ejectus de Paradiso cognovit uxorem suam. Semper enim saturitati juncta lascivia est (14) est. Vicina (15) sibi sunt (16) venter et genitalia. Pro membrorum ordine ordo vitiorum eligitur (17).

II. Elias sanctus, cui elementa famulata sunt, qui cœlum tribus annis et sex mensibus clauserat, ad cujus vocem supernum descendit incendium, cum eum Jesabel vellet occidere, et fessus sub frondosa arbore jaceret in solitudine; Angelus ad eum mittitur, ut præcepit ei (18), ut sumeret (19) paululum panis et aquæ. Quadraginta enim diebus jejunus per desertum ad Sina (20) montem perrectorus erat. Numquid enim Dominus (21) omnipotens, qui cœlum et terram fecerat, cujus universa creatura est, non poterat multa (22) per Angelum, aut vina transmittere, aut conditos cibos, aut marinas delicias, aut volucrum suavitates. Sed sciebat Prophetam suum non aliter posse tentationes diaboli vincere (23), nisi jejuniis erudiretur.

III. Ejecit nos, fratres (24) charissimi, de Paradiso cibus, reducat esuries. Daniel ille futurorum præscius (25); et adventus (26) Domini et eversionis Jerusalem manifestissimus prædicator, ideo «Vir desideriorum[1]» appellatus est, quia panem desiderii non comedit, et potum concupiscentiæ non bibit. Magis enim Christum quam epulas desiderabat (27).

IV. Joannes, præcursor Domini, locustis in eremo et agresti melle nutritus est (28), non animalium carnibus, et volucrum suavitatibus. Poterat utique, juxta Jordanis fluenta (29), piscium sibi exhibere delicias. Sed pœnitentiam prædicaturus, doctrinam rigoris et jejunii exemplo suo magis debuit docere quam voce.

V. Cum in Evangelio quidam dæmone (30) plenus, Domino fuisset oblatus, quem purgare Apostoli nequiverunt; interrogantes audiunt (31): «Istiusmodi genus non ejicitur (32), nisi in (33) orationibus et jejuniis[2].» Videte, fratres, quanta sit jejuniorum virtus (34), ut id valeant jejunia facere (35), quod Apostoli nequiverunt.

VI. Dimittantur cætera (36); unusquisque se ipsum (37) consideret, quanta sit (38) orandi differentia inter vacuum ventrem et refertum (39), inter rubentem faciem et ora pallentia, inter salivam virginem et labia crapulis (40) dissoluta, inter oppressum epulis sensum, et inediæ tenuitate vigilantem. Non dico duplicata et multiplicata jejunia; non dico hebdomadas (41), sed saltem singulos dies absque ciborum luxuria transigamus (42). Cessent lavacra, vina vel deliciæ (43); non quod (44) creaturam Dei judicemus esse damnandam; sed (45) qui toto anno nobis viximus, saltem paucis diebus Deo vivere valeamus (46), adjuvante nos ipso, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen (47).

[1] Dan. IX, 23 et X, 11 et 19. — [2] Matth. XVII, 20.

(1) Sic cod. CXXXVIII. — (2) Sic idem cod., et cod. CXXXVI. — (3) Sic cod. CVIII; cod. CXXXVIII *legem Domini*; ita et cod. CXXXVI. — (4) Sic codd. CVIII, XLI et CXXXVI; cod. autem VIII *saturitas*. — (5) Deest vox *fratres* in codd. VIII et XLI. — (6) Sic codd. VIII et CXXXVI; cod. XLI *pulmonem epulis æstuantem*; in cod. autem CVIII deest vox *epulis*. Cod. XLI male tollit *vacuum*. — (7) Cod. XLI et CXXXVI, *qui jejunavit*; cod. VIII, *quia jejunaverat*. — (8) Cod. VIII *Deum*. — (9) Deest *et* in cod. VIII. — (10) Sic codd. CVIII et CXXXVIII; cod. VIII, *qui comederat et biberat*; cod. XLI *et populus qui*; sic et cod. CXXXVI. — (11) Sic codd. XLI et CXXXVI; cæteri *loquar*. — (12) Sic codd. CXXXVIII et CVIII; cod. XLI et cod. CXXXVI, *nostri generis*; cod. VIII *humani*. — (13) Deest vox *Dei* in cod. VIII. — (14) Sic cod. VIII et CXXXVI; cod. CVIII *saturitas juncta lascivia est*; cod. XLI male *saturitate*. — (15) Cod. VIII pessime *vacua sunt sibi*. — (16) Sic codd. CXXXVIII, XLI et CXXXVI; cod. CVIII male *tibi*. — (17) Sic codd. CXXXVIII, CXXXVI et CVIII; in cæteris deest vox *eligitur*. — (18) Deest vox *et* in cod. CVIII. — (19) Sic cod. CVIII; cæteri codd. *sumat*. — (20) Cod. CVIII *Sinam*. — (21) Cod. VIII *Deus*. — (22) Sic cod. CVIII; cod. VIII *multa vina transmittere*; codd. I et CXXXVI *multa per angelum aut vina*; VIII et XLI. — (23) Sic codd. CXXXVIII, XLI, CVIII et CXXXVI; cod. VIII *non aliter diaboli posse tentationes vincere*. — (24) Deest vox *fratres* in cod. VIII. — (25) Sic cod. VIII; cæteri codd. *conscius*. — (26) Cod. XLI male *adventum*. — (27) Cod. CXXXVIII *desiderabit*. — (28) Sic cod. I; cæteri codd. *nutritur*, excepto CXXXVI qui habet *nutritus*. — (29) Sic codd. I, XLI, CVIII, cod. VIII *juxta Jordanem*; cod. CXXXVI addit *stans juxta*. — (30) Sic cod. VIII; cæteri codd. *dæmonio*. — (31) Cod. CXXXVI *solus habet interrogantibus ait*. — (32) Sic codd. CXXXVI, CXXXVIII, XLI, CVIII; cod. VIII *istius modi genus non ejici*. — (33) Sic cod. XLI; deest in apud cæteros codd. — (34) Sic codd. XLI, et CXXXVI; cæteri codd. *virtus jejuniorum*. — (35) Sic codd. I, XLI, CVIII et CXXXVI; cod. VIII non habet *facere*. — (36) Omnes codd. male *vetera*, aut *vetera*. — (37) Sic codd. XLI, CXXXVI et CVIII; cod. VIII *se ipsum unusquisque*; cod. I *unde quisque se ipsum*. — (38) Cod. VIII *orandi sit*. — (39) Codd. omnes male *refectum*; cod. I *ponit ventrem post refertum*. — (40) Cod. VIII *crapula*. — (41) Sic codd. CXXXVIII, XLI, CVIII et CXXXVI; cod. VIII incipit *per non dico hebdomadas*. — (42) Cod. CXXXVI male *transfigamus*. — (43) Cod. VIII *cessent*; cod. CXXXVI *cesset crapula vini, vel deliciæ*. — (44) Id codd. *quo*; et deinde cod. VIII *judicem*. — (45) Codd. VIII et CXXXVI male *quo qui*. — (46) Codd. XLI et CXXXVI *debeamus*. — (47) Sic codd. XLI et CVIII, hæc desunt in cæteris codd.; cod. CXXXVI non habet *adjuvante nos ipso*, sed solum *qui regnat cum Patre et Spiritu sancto Deus per omnia*, etc.; et prius legit *Domino* pro *Deo*.

SERMO XXVII.

In Quadragesima II,

Quomodo Christus intravit desertum.

Sermo hic, eductus ex Bibl. Ædil. cod. x, *rejicitur in appendicem, tum propter codicem ipsum, tum propterea quod de pluribus loquatur, quæ sancto Augustino minime conveniunt, qualia sunt ea quæ de oculorum et genuum concordia dicuntur, necnon et de osibus Ecclesiæ beato Doctori posterioribus, de verbis* Memento quia cinis es, *de Diaconorum cantu:* Humiliate capita vestra Deo, *etc. Hinc locus ejus erit post sermonem Appendicis Maurinensis* CXLVIII, *cum numero in Quadragesima* x.

SYNOPSIS.

I. Jejunium Dei quadragenarium nobis in exemplum proponitur. II. Jejunandum corpore et mente, vincendo cupiditates. III. Remedium contra superbiam. IV. Contra avaritiam. V. Contra gulam. VI. Contra luxuriam. VII. Contra iram. VIII. Contra acediam. IX. Semper orandum.

I. Audistis in mane, fratres charissimi, quomodo Christus ductus a Spiritu sancto in desertum et quomodo tentatus est, quomodo tentator superatus est, et quomodo Angeli accedentes ministraverunt[1]. Cum enim omnis Christi actio sit nostra instructio, ideo, fratres, attendamus quid nos docuerit. Sic enim fecit ut nos doceret; mortuus est ut homo viveret; sic et jejunavit ut nos erudiret. Jejunavit ergo homo Deus inter nos; jejunavit supra nos. In quadragesima enim dierum nec semel cibum gustavit: « A Domino enim factum est illud[2], » et non possumus ad illud attingere. Jejunant tamen fideles subsequenter, ut potest. In die enim Epiphaniæ ascendit Jesus de Jordane, ut jejunaret. Ecclesia vero consecutivo tempore jejunat; tanquam caput suum sequitur de vestigio. Ait enim Jesus Petro: « Tu me » sequere[3]; » et iterum: « Vade retro me[4]. » Est enim specialis causa, ut non jejunemus eo tempore quo et Christus jejunavit; quæ est enim illa causa? Nullam autem designare scio, nisi ad evitandam hæresim quorumdam dicentium nos (1) baptizari debere eo tempore quo et Christus baptizatus est; et tunc accepto Spiritu sancto ad desertum fugiebant: et quoniam nemo de vita sua certus est, et multi absque baptismo moriebantur, ideo tam de baptismo, quam de jejunio ordinaverunt sancti Patres Ecclesiæ id quod modo servatur. Jejunare ergo, fratres, omnes debemus nisi prægnantes vel infirmantes, quibus lex jejuniorum (2) posita non est. Orare tamen omnino isti debent, ut suppleant quod adimplere non possunt. Omnes alii jejunare debent, sed non sicut ægrotus, ut valeat; non ut avarus, ut parcat; non ut fastiditus, ut appetat; non ut Pharisæus, ut appareat: non enim sic Christus vult te jejunare, sed recto et puro corde.

II. Ingrediamur ergo, fratres, sanctam quadragesimam hilariter et perseveranter; non deficiamus in tentationibus, non vincamur. Ecce Dux hodie nos confortat. Caro, mundus et diabolus nos tamen valde inquietant. Tamen perseverate, fratres, ut finem optimum comprehendatis. Finem tamen bonum vel principium habere non poteritis, nisi et (3) vestes deponatis. Quæ sunt istæ vestes, quas deponere debemus, si bonum principium, bonum medium et bonum finem habere cupimus, nisi superbia, avaritia, luxuria, gula, invidia, ira et acedia (4)? Ista sunt indumenta nostra; isti sunt hostes, de quibus ait Propheta: « Per viam » venient ad te hostes tui[5], » et per virtutes fugient a te, quia per solam voluntatem propriam omnia vitia veniunt ad nos, sed per virtutes expelluntur septem vitia: ergo, o homo, ne amplius dormias, sed festina septem expellere inimicos. Quid vero ad hoc requiritur? Sola voluntas cum opere. Tolle propriam voluntatem hominis, et non erit peccatum, nec erit gehenna, quam abjiciendam pro communi utilitate Christus declaravit (5) in semetipso, cum suam propriam voluntatem, licet bonam, pro communi postposuit dicens: « Pater, si fieri potest, transeat a me » calix iste[6]. » Ejus enim propria voluntas erat, ne moreretur. Nec enim hoc volebat Pater, nec Angelus reparandus, non homo redimendus. Erat enim alia voluntas, sed communis, ut scilicet moreretur. Hoc volebat Trinitas, hoc rationalis creatura, hoc etiam ipse. Prior erat bona, sed fieri voluit communem, et dixit: « Non sicut ego volo, » sed sicut tu[7]. » Per hanc solam peccamus, per hanc etiam morimur; quæ ita (6) audax est et impudens, ut in suum armetur auctorem. Vellet enim ipsa (7) impunitatem suorum criminum habere; ergo vellet Deum injustum et sui similem esse; ergo vellet non esse Deum; ergo prædicta vitia ad nos veniunt, et gravissimi hostes sunt. Superbia enim aufert homini Deum, luxuria seipsum, avaritia proximum; gula vorat hominem (8), invidia comburit, ira flagellat, acedia ligat. Isti sunt hostes qui nos aggrediuntur; isti sunt inimici nostri mortales, qui nos vivere non permittunt; isti sunt divitum et pauperum necatores, bonorum et sacerdotum destructores.

III. Hos autem hostes, fratres charissimi, alma mater Ecclesia a filiis suis in his sanctis diebus expellere studet, incipiens conculcare superbiam per veram humilitatem, dum ait: Memento, homo, quia « Cinis es, et in cinerem » reverteris[8]; » quasi ecce in ingressu certaminis dico tibi: Quid superbis? aspice quod terra es et cinis. Quid est caro, nisi caro? Induatur ergo caro tua purpura, auro et serico (9), non tamen est nisi caro. Hinc (10) etiam in fine istarum dierum Dominus ostendit opus celeberrimum sanctæ humilitatis, dum in cœna pedes Discipulorum lavit[9]; nec incongrue hoc fieri voluit Dominus, ut primo die et ultimo virtus humilitatis ostendatur, quia vitium superbiæ primum et ultimum est: primum enim fuit recedentibus a Deo, et ultimum accedentibus ad Deum; ipsa enim humilitas caput omnium virtutum est et principium, sine qua nemo potest ad vitam intrare. Ideo attendite, fratres, ut eam prima astringatis, et ipsam usque ad cœnam Domini teneatis. Sed tunc in cœna Domini, ad cœnam sacramenti vocabimur, et tunc « Reddet unicuique secundum opera sua[10]. »

IV. Contra etiam avaritiam alma mater Ecclesia medicinam nobis paravit, ut extendas manus ad pauperes, exemplum tibi copiosum demonstrans de mendico Lazaro et divite, de Martha et Maria, quomodo Christum et Apostolos pavit (11); tunc Maria caput Christi perunxit, et Lazarus resuscitatus interfuit. Sic et nos facere debemus, ut (12) deposita omni avaritia, pauperes pascamus, et Domini caput oratione et jejunio perungamus. Hoc enim Deo summo placet; hoc summe operari affectat; hoc magis sibi placet, quam illa cœna (13), qua refectus erat in proprio corpore; magis enim diligit suos, quam corpus proprium, quod de Virgine traxit; illud enim verberibus, plagis et morti exposuit, ut nobis incolumitatem servaret. Ecce ergo quam efficax medicina in his sanctis diebus nobis apponitur, fratres charissimi.

V. Contra etiam gulam nobis medicina (14) apponitur, exemplum Salvatoris ponendo, ut audistis, quia jejunavit

[1] Matth. IV, 1, etc. — [2] Psal. CXVII, 23. — [3] Joan. XXI, 22. — [4] Marc. VIII, 33. — [5] Nahum III, 13. — [6] Matth. XXVI, 39. — [7] Ibid. — [8] Gen. III, 19. — [9] Joan. XIII, 5, etc. — [10] Rom. II, 6.

(1) Deest *nos* in cod. — (2) Cod. *jejuniorum*. — (3) Id. *ut*. — (4) Id. *accidia*, et sic deinceps. — (5) Id. *declamavit*. — (6) Id. *etiam*, et deinde *impudens*. — (7) Id. *ipsius*. — (8) Id. *voratorem*. — (9) Id. *serico*. — (10) Id. *hoc*. — (11) Forte *paverunt*. — (12) Cod. *quia*. — (13) Deest in cod. vox *cœna*. — (14) Cod. *medicinam*, nisi, quod melius se haberet, legas *medicinam apponit Ecclesia*.

quadraginta diebus et quadraginta noctibus. Medicina etiam modo apposita est major solito. Consuevimus enim in diebus, quibus non jejunamus, officium missæ inter horam primæ, et tertiæ, et sextæ celebrare, ut ea hora, qua Christum credimus immolatum, eadem hora corpus ejus conficiatur (1) in altari; sed tempore jejuniorum (2) post sextam ordinavimus differre missarum officium, et usque post nonam protrahitur (3), et intelligas quod non hora tertiarum cœnare debeas, tanquam timens dolorem stomachi vel capitis vacuitatem; nam valde etiam indignum est, ut prius ventrem quam mentem pascas. Nullus ergo prandere debet, sive jejunet, sive non, nec etiam bibere, sive puer, sive senex, sive vidua, sive nupta, ante missarum officium completum. Quo (4) tamen de vobis non bene ædificor, fratres; nam ille laudatur, ille prædicatur beatus qui prius in mane tabernas visitare potest. O quam dolorosum (5) est hoc mihi, fratres mei, de quibus vobis omnibus redditurus sum rationem. Quomodo ergo exaudiri creditis a Deo, qui plus amatis vinum quam Deum? Nam ibi figitur tota mens, ubi est amoris perversitas. Nolite ergo, fratres mei, inebriari vino[1]; ebrius enim quid aliud est quam peccatorum servus, diaboli domus, amicus falsitatis, cujus vita brutalis et irrationalis est? Numquid recto consilio, numquid mente sana, numquid recto judicio, vino sæpe repleti, judicare vel discernere possunt? Absit omnino; nec mirum, fratres, quia ebrietas est blandus dæmon, dulce venenum, suave peccatum. Numquid a vestra memoria jam recessit, quod tempore nostro Hipponiæ adolescens quidam fecit (6), qui ebrietate propulsus (7) matrem prægnantem oppressit, sororem violavit, et patrem, quem valde ante timebat, occidere pertentavit? Ecce quid facit ebrietas; quam Dominum volentem (8) extinguere, hodie desertum intrasse audivimus, ubi non tantum vinum, sed nec herbarum amœnitas videri poterat.

VI. Contra etiam luxuriam introducitur altera fertilis medicina, exemplum tibi aponens de illo qui luxuriose vivendo, omnia bona consumpsit[2]. Interponitur etiam velum in Ecclesia inter psallentes et populum, et lasciviam non tantum cordis, sed etiam oculorum tollamus. Per fenestras enim oculorum mors luxuriæ crebrius (9) solet intrare; quod bene cognovit ille Epicurus, qui gulam refrenare contendens, luxuriam valde despiciens, primo oculos erui sibi fecit, et eunuchus et cæcus deinde permansit; et dum sibi postmodum peteretur quis (10) esset, ait: « Vile sperma, vas stercorum et esca vermium. » Qui etiam, dum centenarius senorum audiret (11) filium sexagenarium luxuriari, tanquam destructorem philosophiæ et bonorum morum extra suam congregationem abjici (12) fecit, nihilque de suo illi (13) relinquens, filius tanquam pauper a patre felicius est. Isti enim Epicuri nominati sunt, quia suam felicitatem in ventrem ponentes, dicebant (14) Deum in alia vita præparaturum fore (15) cete grandia, scilicet pisces hominibus quos (16) in principio creationis rerum produxerat, et se comesturos dicebant in alia vita tales pisces, et sic in præsenti et in futuro dicebant eorum felicitatem esse in ventre, et tamen luxuriam oderant in eorum lege, et super omnia eam abominabantur. Quod forte (17) valde eis, ut bene comederent, et caste viverent, quodammodo esse puto.

VII. Contra iram hodie apponitur medicina patientiæ, quia audivit Dominus in deserto: « Omnia tibi dabo, si » cadens adoraveris me[3]. » O quam perniciosa sunt hæc verba, fratres, ut creatura petat a Creatore adorari, quod ipsi soli Deo competit. Hoc ideo, fratres, attendite Salvatorem Pontificem nostrum hodie « Tentatum per omnia[4]; » nam nihil facilius frangit iram, quam aspicere Salvatoris nostri vitam, et mitigat (18) eum qui passus est injuriam, quam genuflexio: ipse enim actus genuflexionis est tantæ perfectionis, quod (19) non solum homines placat ad pietatem, sed etiam et icones ad lacrymas inducit. Naturalis quippe oculorum et genuum est quædam affinitas, quia, ut asserunt qui de natura rerum agunt, pueri in utero matris oculis superpositis genua flexa sunt (20). Flexis vero genibus naturaliter oculi prorumpunt ad lacrymas, tanquam collactaneis (21) suis naturali correspondentes affectione. Attende etiam, quod adversus invidiam etiam paratam medicinam videmus. In fine enim missæ aspicite capitis inclinationem et vocem diaconi vel sacerdotis dicentis: « Humiliate capita vestra Deo; » ac si dicatur nobis: Humiliate oculos corporis et mentis, ne videatis unde delectamini (22), vel ne tanquam invidi tristemini, unde pereatis.

VIII. Similiter et contra acediam medicinam habemus. Est enim acedia sæculi tristitia, quando damno (23) rerum vel molestia corporum sic afficimur, ut etiam tædeat nos orare vel legere; quod valde cavendum est, ne acedia inebriemur. Ipsa enim est desperationis soror propinquior, pro qua fugienda ipsa mater Ecclesia rogat, et mandat ut jejunando eleemosynas faciamus, et cum hoc indulgentias Ecclesiarum sollicite acquiramus (24), et acquisitis, Christum sequi et imitari optime mereamur.

IX. Orandum enim semper est, si cupimus exaudiri: est enim oratio avis velocissima, quæ etiam proprium cœlum penetrat, et attingit, et volat usque ad pedes Domini, nec ab eo recedit quousque exaudita fuerit. Oremus ergo singuli, oremus et universi. Orare docere debetis pueros, filios et puellas, et quid orare, et quid in oratione petere debeant (25). Oremus et nos universi, ut mundati per abstinentiam jejuniorum digne accedamus ad mysterium Angelorum, ut tandem trahat nos ad consortium piorum (26) Jesus Christus Dominus noster. Amen.

SERMO XXVIII.

In Quadragesima III.

Educitur hic sermo ex Bibl. Ædil., cod. x, de quo supra. Sequens, quem stampis non submittimus, quia jam in lucem emissus est, a Combefisio tribuitur sancto Leoni, sed perperam, ut videtur, unde in editionem Quesnelli rejectus est. Sit iste post sermonem præcedentem cum numero in Quadragesima xi.

SYNOPSIS.

I. Omnia tempore quadragesimæ reviviscunt, quod debemus imitari. II. Christi exemplum non necessitate jejunantis. III. Iracundiæ et irati effigies. IV. Epilogus.

I. Fratres charissimi, quadragesimam hodie advenisse concernimus, gaudeamus; hodie remissio peccatorum nobis appropinquavit, exultemus; hodie asperitatem et carnis macerationem incipimus, perseverantes lætemur. Sicut enim terra sæpe per annum scinditur, et abundantius fruc-

[1] Ephes. v, 18. — [2] Luc. xv, 1, etc. — [3] Matth. iv, 9. — [4] Hebr. iv, 15.

(1) Cod. *conficitur*. — (2) Id. *jejuniorum*. — (3) Id. *protrahatur*. — (4) Id. *quod*. — (5) Id. *dolosum*. — (6) Id. *fuit*. — (7) Id. *perpessus*. — (8) Id. *Dominus volens*. — (9) Id. *crebelis*. — (10) Id. *quid*. — (11) Id. *centenarium... audiens*. Vox *annorum* videtur abundare; forte legendum *centum annus annos audiret*. — (12) Id. *abjecit*. — (13) Id. *sibi* pro *illi* more solito; apud quem non legitur *que*. Phrasis alioquin vitiosa. — (14) Id. *dicebat*. — (15) Id. *tum*. — (16) Id. *qui*; pronomen *quos* videtur respicere ad *pisces*, non ad vocem *hominibus*. — (17) Sic cod.; quæ vox poni videtur pro *fortuitum*, *dubium*. — (18) Deest vox *mitigat* in cod., quam opinando addidimus. Credo hic aliquam intermediam deesse sententiam. — (19) Forte *ut .. placet .. inducat*. — (20) Sic corrigere coacti sumus. Cod. ab quo sonus *puer in utero matris oculis superpositis genua dixerunt*. — (21) Cod. *colectaneis*. — (22) Id. *delectas*. — (23) Id. *damnum*. — (24) Id. *acquiras*, et prius *facias*. — (25) Id. *debent*. — (26) Id. *primorum*.

tificet frugibus, sic et nostram carnem scindere sæpe debemus, ut cœlestibus sit apta (1) seminibus: sicut enim reditum (2) uberiorem capit, qui frequentius vexando exercet campum, ita et majorem gratiam percipiet, qui exercet sui corporis campum frequentius jejunando. Ecce enim abstinentiæ tempore herba segetum reviviscit (3) in messem: arbores jam præparant se ad flores et fructus; vineæ jam germinare pubescunt, et omnia de inferioribus ad altiora se extendunt, omnia ad cœlum prospiciunt, ut discamus eodem quoque (4) tempore reviviscere spem nostram. In posterum fides perdita reparetur (5); temporalis vita tota proficiat in æternam, et omne humanum genus ad altiora resurgat. Modo ferrum agricola gestans, sarmenta deputat vinearum; ita et nos sordes peccatorum deputare non differamus. Ecce enim, fratres, in isto tempore, in isto quadragesimali circulo, universæ hoc agunt creaturæ; agamus valenter et nos, ut compositi et ornati, in sancto Pascha, Christo resuscitato digne occurrere mereamur. Modo, fratres, omnia sunt prægnantia, ut tunc reperiantur in fructu. Tunc enim contra naturæ speciem spina producit (6) rosam, calamus flagrat lilium, asperitatem (7) arida virgulta deponunt, et ita cuncta floribus adornantur, ut festivitatem Dei magni creatura atque festum Creatoris sui celebrare festinet. Igitur et nos, fratres, hoc eodem tempore, affligendo nos et mortificando vitia et peccata, producamus de spinis rosam, de peccatis justitiam, de severitate misericordiam, de avaritia largitatem, de luxuria castitatem, de ingluvie abstinentiam, de abundantia parcitatem, de negligentia velocitatem. Istæ enim sunt spinæ corporis nostri, quæ perforant animam, de quibus dicitur: «Spinas et tribulos germinabit tibi terra[1].» Germinabit enim terra nostra spinas luxuriæ et libidinis, quibus pungimur ultra modum. Germinat nobis tribulos, cum (8) divitiarum cupiditate nos cruciat; spina enim Christiano avaritiæ suæ radix est; spinæ enim visui pulchræ sunt satis, sed lædunt: his ergo nisi vigilando et orando curari (9) non possumus. Comburamus ergo has nequissimas spinas igne charitatis; quem tamen ignem habere non poterimus, nisi prius corpore jejuniis et abstinentia maceremus; sed si hæc fecerimus, vel has spinas comburemus, vel eas in rosas odoriferas convertemus. Producit enim libido jejunando castimoniam, superbia humilitatem, sobrietas parcitatem; isti enim sunt flores vitæ nostræ, qui suavem odorem Christo faciunt. Hanc igitur quadragesimam largitus est Dominus, ut hujus temporis spatio, in morem totius, concupiscamus virtutum germina, ut in die Paschæ fructum justitiæ proferamus.

II. Hoc autem quadragenario numero ipse Deus se exercuit, non ut profectum inde caperet, sed ut profectum salutis nobis ostenderet; nec tamen in illo erat macula peccati, quæ verteretur velut spina in rosam, quia ipse erat flos natus de spina, et «Virga de radice Jesse[2].» Virga cujus erat Maria nitida, subtilis, et virgo, quæ Christum, velut florem, integritate (10) sui corporis germinavit. Continuatis ergo quadraginta diebus et noctibus hoc non esuriens jejunium (11) Dominus procuravit; sed illum postea esuriisse legimus. Quomodo ergo potest fieri, quod (12) tantorum dierum numero famem sitimque non senserit, et postea esurierit? Esuriebat enim plane, nec denegare possumus quod (13) esurierit. Esuriit enim, ut homo; esuriit, ut Deus non cibum hominum, sed salutem; nec escarum epulas concupivit, sed animarum desideravit cœlestium satietatem. Christi enim cibus est redemptio populorum; Christi cibus est paternæ voluntatis affectus. Unde ipse Deus ait: «Meus enim cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei[3].» Unde et nos esuriamus cibum, non utique terrenum, sed cœlestem. Ille enim corpus ad tempus nutrit, sed cœlestis animam reficit in æternum. Sed quoniam in multis, deficiente cibo corporali, deficit et spiritualis, ideo summe cavendum, ne propter jejunii asperitatem ad iram et conturbationem deveniamus, sicut cholericis sæpe accidisse meminimus.

III. Quanta sit, fratres, iracundiæ culpa pensemus, per quam mansuetudo amittitur, sapientia perditur, et (14) quid agendum sit, penitus ignoratur. Nec mirum, quia ira in sinu stulti requiescit; hæc est quæ veritatis lucem subtrahit, mentem hominum confundit, sanctitatem (15) vitæ amittit, justitiam puram relinquit. Hæc est quæ societatem dissipat, scandala incitat, omnem rationem ignorat; ideo necesse est, ut iracundus solus bestialiter vivat. Hæc est, per quam concordia rumpitur, lux veritatis perditur; a quibus splendor sancti Spiritus excluditur, confusionis tenebræ incurrunt (16). Hæc est inferni mater, Paradisi noverca, civitatum combustio, balneum fatuorum, sapientum abusio, fratrum homicida, diaboli soror, Angelorum inimica, suspendium peccatorum, malorum laqueus. Quid enim ait iracundus? Nam iræ suæ stimulis (17) accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se balbutiendo impedit, fauces et facies ingravescunt, oculi ut sidera sanguinea (18) lucent; sic quidem clamorem format, sed quid loquatur, omnino ignorat, sed manus ad offensionem parat, totusque comburitur, furore et angustia plenus. Nec mirum, fratres, quoniam omnis sic iratus, potestatis alienæ factus est, et diaboli damnationi jam datus est.

IV. Quid ergo, fratres, jejunamus, si pro omni verbo modico turbamur? Totum namque quod facimus dissipamus, nisi nos ipsos moderantes ab omni ira et turbatione abstineamus. Tunc enim proderunt nobis nostra jejunia, si a vitiis abstineamus, et abstinendo sæpe etiam confiteamur. Nemo, fratres mei, expectet confiteri, sive pœnitere, quando jam peccare non potest. Non enim inquit Deus necessitate, sed proprii arbitrii voluntate (19) peccata confiteri; quo disponat ipse Deus corda vestra ad faciendum ea quæ placita sunt ei qui est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XXIX.

In Quadragesima IV.

Egressus hic sermo ex Bibl. Ædil., cod. x, *in Appendicem ponatur, ut cæteri ejusdem familiæ, post sermonem præcedentem, cum numero in Quadragesima* xii.

SYNOPSIS.

I. Vocandi ad cœnam pauperes, non divites. II. Solvitur objectum de Christo saturante quinque millia hominum, qui non omnes erant pauperes. III. Veri amici pauperes, non divites. IV. Mala malorum amicitia.

I. Sanctam quadragesimam hodierna die, fratres, intrantes, Christi pauperes ad nostram mensam intrare et compellere non tardemus; ipsi enim sunt amici nostri charissimi, qui Deo repræsentare coguntur bona a nobis recepta. Totum enim quod damus, amittimus, nisi quod amore Christi corde largimur. Sed dicet quis: Numquid non (20) Christum ad nuptias et ad convivia legimus aliquando accessisse? numquid non etiam Lazarus semper Christo convivium faciebat? numquid non et Simon, qui leprosus dicebatur, licet postea curatus fuerit a Christo, convivium præparabat? numquid non et Zachæus, numquid non et Nicodemus, numquid non et multi alii? num-

[1] Gen. III, 18. — [2] Isai. XI, 1. — [3] Joan. IV, 34.

(1) Cod. *apta.* — (2) Id. *redditum.* — (3) Id. *revivisset.* — (4) Id. *eodemque.* — (5) Id. *reparatur.* — (6) Id. *produceret.* — (7) Id. evidenter male *suavitatem.* — (8) Id. *tam.* — (9) Id. *curare.* — (10) Id. *integritatem... germinabit.* — (11) Id. *jejunia.* — (12) Id. *ut quod.* — (13) Id. *quod non.* — (14) Id. *ut.* — (15) Id. *pravitatem.* — (16) Id. *tenebræ incurrit.* — (17) Id. *stimulus.* — (18) Id. *sanguinem.* — (19) Id. *necessitatem... voluntatem.* — (20) Deest *non* in cod. juxta morem post *numquid*, et sic deinceps.

quid ergo sequi non debemus caput? numquid non et isti sancti ex hoc reputati sunt? numquid non et Maria in convivio veniam impetravit? numquid non et Zacheus in convivio audire meruit: « Hodie huic domui a Deo salus facta » est[1]? » O homo, hortor et deprecor te, et tuæ charitati supplico, ut istos imiteris, istos sequaris in cunctis; istos in omnibus imitari memento. Nam si Lazarus, vel quicumque alios, Christo convivium præparabat, pauperi præparabat. Nam tantæ paupertatis fuit, ut ubi caput reclinaret non haberet. Pauper ergo fuit, et forma paupertatis triginta tribus annis et amplius appellatus fuit. Fac ergo ut isti, et sufficit.

II. Quid ergo dicis, o Manichæe, qui asseris convivia non solum pauperibus, verum etiam divitibus bonum esse parare? Nam licet Christus ad convivia accesserit, non ut ventrem impleret accedebat, sed sicut doctus (1) piscator et venator peritus in eo loco retia tendit, ubi majorem multitudinem piscium decernit, ut ex multis aliqui saltem capiantur; sic et Magister et Dominus faciebat. Nam suæ prædicationis retia sæpe tendebat, ubi plures convenire sciebat, ut ex multis aliqui caperentur, videntes et audientes quod « Virtus de illo exibat et sanabat omnes[2]. » Ideo sæpe ad convivia vocatus, ire non renuit. Sed dicit ulterius Manichæus: Numquid Christus non quinque millia hominum satiavit? numquid et omnes isti pauperes erant? Absit, inquit Manichæus. Ergo Christus divites satiavit et pauperes; ergo licite et sine peccato possumus ita divites, sicut pauperes satiare. O Manichæe, fortassis verum est quod dicis, quod non omnes pauperes erant. Nam aliqui Christum ad desertum sociaverunt, cupientes videre miracula, ut divites et potentes; aliqui ut videntes dicerent: « In Beelzebub iste signa facit[3], » ut principes sacerdotum; aliqui Christum sequebantur sanari cupientes, ut pauperes et illi qui infirmabantur. Omnes enim qui ibi tunc aderant pauperes erant, quia esurientes, et in deserto panem habere non poterant. Pane enim carere non est paupertas, sed magna miseria.

III. Dimittamus ergo divites, fratres, in mensa, et illos vocemus qui nos iterum invitare non poterunt[4]. Illos in amicos constituamus, qui nobis non deficient tempore necessitatis. Inter veros enim amicos amicitia oritur ex benevolentia. Non enim sunt fideles, quos munus copulat (2), non et gratia; nam cito deserunt, nisi sæpe acceperint. Tales sunt divites et potentes. Dilectio enim quæ munere conglutinatur, eodem disperso dissolvitur. Illa vera est amicitia, quæ nihil quærit ex rebus amici, nisi ut gratis amet amantem. Fere (3) enim amicitia durat, qua servitium quæritur, sed non persona. Ille veraciter amicitiam quærit, qui nihil egendo eam appetit (4). Nam amicitia ex inopia brevis est, sed pauperum amicitia pura et perpetua est.

IV. Amate ergo, o vos divites, pauperes, quorum amor in æternum manebit. Amicitia enim tantum in bonis tenenda est; nam (5) qui ea in malo utuntur, non sibi amici, at (6) inimici existunt. Concordiam malorum contrariam esse bonorum non dubitamus; et sicut semper optandum est, ut mali semper discordes sint, sic et optandum est, ut boni semper sint concordes (7). Amicitiam enim bonorum semper Deus conservare affectat et dissipare malorum. Sic facere debemus et nos, ut filii Dei vere simus. Impedire namque debemus, in quantum possumus, ne malus bono in aliquo conversetur in occulto, et malum cum malo, in quantum possumus, conversari non permittamus; nam ignis cum igne positus nihil aliud faciet, nisi quod de sua natura est, nunquam quiescet. Amemus ergo, fratres, et cum dilectione corrigamus, et ab invicem separemus malos. Simus « Anima una et cor unum[5] » in Deo, non quia multa corpora habeant tantum unam animam, ut Arianus ille hæreticus aliquando dixit, sed nos voluntate in Deo pauperes diligentes, et eis subvenientes, mereamur in die resurrectionis peregrinum Dominum hospitari. Amen.

SERMO XXX.

In Quadragesima V.

Hic sermo, qui extrahitur ex Bibl. Ædil., cod. 1, fol. 12, pulcherrimis refertur sententiis et exemplis, nec dubitarem quin eum sancto Augustino tribuerem, nisi obstaret parva codicis auctoritas. Sit locus ejus in Appendice post sermonem præcedentem, cum numero in Quadragesima XIII.

SYNOPSIS.

I. In quadragesima cessandum a malo, ut bonum operemur. II. Quadraginta dierum jejunium. III. Exeundum a vitiis. IV. Vitæ brevitas attendenda. V. Nihil auferemus, nisi quæ data fuerint pauperibus. VI. Non superbiat, cui brevi erit moriendum. VII. Exempla Romanorum imperatorum. VIII. Exempla philosophorum. IX. Mors, pœnitentiæ magistra. X. Docet nos conculcare terrena, et adamare cœlestia. XI. Hortatio ad pœnitentiam cito peragendam.

I. Fratres charissimi, sanctam quadragesimam hodierna die intrantes, quid per Apostolum nobis dicatur, aures mentis et corporis omni affectu aperire solerter debemus. Ait enim Vas electionis: « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce » nunc dies salutis[6]. » Attendite igitur, fratres, qui jacentes fuistis in pulvere; vobis præcipitur exire, qui catenis peccatorum hactenus tenebamini. Audite, quod « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. » Ligati enim estis catenis deliciarum; surgite et convertimini ad Dominum, quia benignus est[7], quia misericors est, quia placabilis est. Ecce ergo nunc tempus Deo acceptum, quia parata est medicina. Vultis scire, fratres mei, quæ sit hæc medicina? « Quiescite agere perverse, discite bene facere[8]; » hæc enim duo optime vobis sufficiunt. Qui ergo sanari cupit, has duas potationes omnino sumere festinet. Verus (8) enim medicus quadraginta dies nobis suo exemplo docuit, in quibus casti, humiles, sobrii, benigni, incipiamus (9) quiescere agere perverse, et discere bene facere, ne Ninive civitas subvertatur.

II. Constitutus igitur est numerus istorum dierum, ut jejunemus mente et corpore; sic enim jejunavit Elias quadraginta diebus, et montem Dei ascendit[9]; sic et Moyses, ut Legem Domini mereretur recipere[10]; sic et Salvator noster hunc eumdem numerum consecravit[11]. Voluit enim ipse prius facere, et postea docere[12] nos. Ad comprimendam igitur superbiam satisfactionis exemplum nobis dare voluit, quasi dicat Salvator: Ecce qui peccatum non feci, et tamen pro peccatis primus jejunare volui (10) in nova Lege.

III. « Ecce nunc dies salutis; » ecce « hora de somno » surgere[13]. » Somnus enim noster caligo vitiorum est. Quamdiu in peccatis sumus, in tenebris demoramur, « Et veritas » in nobis non est[14]. » Veniamus omnes ad lucem; non nostram turpitudinem (11) erubescamus. Cogitemus quid luxuria, quid superbia, quid avaritia, quid ebrietas, quid scurrilitas, quid mendacium, quid perjurium, quid hominem interficere vel odisse, quid socium perdere, quid usuram facere, quid falsa judicia, quid detractiones, quid crudelitas? quem fructum ex his omnibus habuistis[15]? Ex luxuria namque odium Dei et proximi, et abbreviationem vitæ acquiris. Ex superbia exul Paradisi; ex avaritia mala in præ-

[1] Luc. XIX, 9. — [2] Id. VI, 19. — [3] Matth. XII, 24. — [4] Luc. XIV, 14. — [5] Act. IV, 32. — [6] 2 Cor. VI, 2. — [7] Joel, II, 13. — [8] Isai. I, 16, — [9] 3 Reg. XIX, 8. — [10] Exod. XXIV, 18. — [11] Matth. IV, 2. — [12] Act. I, 1. — [13] Rom. XIII, 11. — [14] I Joan. I, 8. — [15] Rom. VI, 21.

(1) Cod. doctor. — (2) Id. quod munus copulatur. — (3) Fere hic ponitur pro vix. — (4) Cod. appetat. — (5) Id. non, — (6) Id. et. — (7) Addidimus opinando secundum membrum hujus sententiæ, quod desideratur in cod. — (8) Cod. vetus. — (9) Id. in cunctis. — (10) Id. prius, voluit. — (11) Id. jam nostra turpitudine.

senti, et pejora in futuro habebis. Ex ebrietate sensum amittis, et irrationabilis quodammodo efficeris. Ex mendacio interfectionem animæ, ex interfectione pavorem acquiris. Ex perditione abominationem consequeris; ex usura Dei maledictionem consequitur (1) homo. O homo, numquid ad hæc operandum positus es? numquid ex his operibus justificaris? O homo, quid agis dum opera carnis peragis? «Ducis in bonis dies tuos, et in puncto ad inferiora descendis[1].» Hinc (2) caro tua vermibus, et dæmonibus præparatur anima. O luxuriosi, «Quorum deus venter est[2]!» o superbi, quorum deus diabolus est! o avaritia pleni, quorum deus aurum est, ipsi fœnerantes, ipsi die noctuque procurantes in calore, fame, siti, frigore et nuditate ditari (3)! O fœneratores, o falsi mercatores, quorum vita nequam, quorum sollicitudo serpentina, quorum timor talpæ est, quorum devoratio leonina, quorum fames semper est, quorum saturatio nunquam est nec erit in futuro! o raptores insatiabiles, Judæis crudeliores, Paganis nequiores, Christianis omnibus pejores! O quantum animal insatiabile! quid de te erit in novissima die, cogita. Morieris, fœnerator, morieris, et sepelieris in inferno[3], et tunc videbis pauperes, quos deprædatus fuisti in sinu Abrahæ, quibus guttam aquæ petes, nec recipere valebis[4]; tunc videbis nos, sed non pauperes, sed non tibi aliquid petentes, sed non ad gloriam, sed tantum ad tormentum et pœnam tibi se ostendentes (4). Hoc idem accidet, fratres, non solum præstantibus ad usuram, sed etiam falsis judicibus, qui terram habent regere et judicare. Tales sunt qui super cathedram Moysi ascendentes et sedentes[5], variorum pellibus sunt (5) ornati, quibus «Datum est nosse mysterio regni Dei[6].» Tales sunt vulpibus sagaciores, volventes et exponentes legem sanctam secundum munera copiosa eis largita; talibus ait Dominus per Prophetam: «Væ qui malum bonum, et bonum malum dicunt[7];» et bene malum bonum, et bonum malum dicunt, dum proximum judicant indirecte (6) tanquam infecti pretio, precibus, odio vel amore. Tales clerici vel laici sic Christum spoliant, Christum percutiunt, et faciem ejus velant, Christum negant, Christum vituperant, Christum crucifigere clamant, Christum falso adorant, Christum cum Juda produnt, Christum ad crucem perducunt, Christum in crucem (7) affigunt, Christum sitientem videntes, potum amarissimum illi (8) porrigunt. Hæc omnia Judæi illi semel fecerunt, sed falsi Christiani, fideles nomine, sed non opere, quoties (9) in die hæc faciunt, longum esset ad præsens prædicare. O igitur, fratres, quid nobis cum carne. [illegible] hæc omnia Salvator tuus a te recipit, et tamen brachiis extensis, latere aperto, capite inclinato, dulciter te invitat. Venite ad me, et ego non recordabor offensionum vestrarum.

IV. «Ecce ergo nunc, fratres, tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.» «O fratres et filii,» quos iterum parturio, donec reformetur in vobis Christus[8],» an ignoratis quod vita nostra sit velut lucerna accensa, quæ a modico vento extinguitur? Numquid non (10), dum exaltatur, fumus est; dum præparatur, umbra est; dum decoratur, vermis est? cur ergo superbis, o homo concha putredinis et fetoris? cur non jam quiescis agere perverse? cur non incipis bene facere? cur gloriaris, cum «Dives factus, et cum multiplicata fuerit gloria domus[9]» tuæ? Numquid non aurum et argentum cito sordescunt? Numquid non dignitas et potestas cito tabescunt? numquid non juvenes et pulchritudo cito senescunt? cur ergo gloriaris, o homo, cujus vita misera consistit in pratorum rivulorumque amœnitatibus, in mulierum venustis aspectibus, in equorum et canum cursibus, in accipitrum volatibus, in domorum picturis, in organorum et cymbalorum sonatibus? Eia, eia, o milites Christi, abjicite opera carnis. «Abjicite opera tenebrarum[10],» quiescite jam agere perverse, et discite bene facere, antequam senectus infirmitatis adveniat. Ecce jam cor affligitur, caput jam concutitur, anhelitus jam despicitur, totum corpus jam putredo et vermis efficitur, aures surdescunt, et dentes denigrati putrescunt.

V. Agite ergo pœnitentiam, quia «Ecce jam nunc tempus acceptabile, ecce jam nunc dies salutis.» Sed si pœnitentiam recte agere volumus, cum Christo jejunare cupiamus. Tu qui dives es, disperge bona quæ habes, et da pauperibus, quia nihil tecum portabis, nisi ea quæ sponte pro amore Christi donaveris. Nam Cæsaris et Neronis abundantiam quis recepit? Alexandri et Holoferni militiam quis calcavit? Antiochi penuria simulata quid profuit? Absalonis pulchritudo ubi est? Aristoteles et Plato cum quibus modo disputant? Seneca moralis ubi residet? Ptolomæus, Ovidius, Socrates, Zeno cum Demetrio quid agunt? Quid de divitiis secum contulerunt? verum et indubitanter, verum quod nihil secum portare potuerunt. Numquid et tu aliquid auri vel argenti portabis? Omnino nihil, nisi quod in præsenti Dei amore donaveris non divitibus, sed pauperibus, tecum portare poteris. Ecce enim modo tempus pœnitentiæ; ergo age pœnitentiam, nec speres in multitudine divitiarum tuarum[11], quia nec pulchritudo, nec divitiæ, nec nobilitas, nec sapientia, nec fortitudo te a morte liberare poterunt. Ecce enim Paulinus, Africæ comes, heri ut multi viderunt sedebat gloriosus in aula, sed modo jacet despectus in tumba; et qui vescebatur coriarum et regum cibariis, modo in sepulcro cibatur a vermibus.

VI. Cur ergo superbis, o navis a ventis agitata, o navis tuo Creatori rebellata? Cur exaltaris, cur superbis, vesica (11) subtilis? Numquid non a modico acus punctura sonum et vigorem amittis? Cur ergo superbis, o vermis et cinis? cur divitias dispergendas pauperibus congregas? De vobis enim legitur: «Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt viri divitiarum in manibus suis[12].» Timete igitur, divites, et agite pœnitentiam; dum tempus habetis acceptabile, plorate et ululate, cognoscentes quod «Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, vestimenta vestra a tineis devorata sunt, aurum et argentum vestrum æruginavit, et manducabit carnes vestras[13]» vermis, ut «Ignis non extinguetur[14],» quia «thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus, et merces operum vestrorum, quæ defraudata est a vobis, clamat, et clamor pauperum jam in aures Domini Sabaoth intravit[15];» quia «epulati estis super terram, et in luxuriis corda vestra dilatastis[16],» abundantes in divitiis, et ecce pauperes hic fame pereunt. Etiam non subveniendo occidistis; ecce inopia filiorum Dei clamat ad Patrem: «Vindica eos, Domine, nec sit illis adjutor, nec sit qui misereatur pupillis ejus, pro eo quod non sunt recordati facere misericordiam[17].» O dives, quid agis, dum sine eleemosyna vivis? hodie es, et cras forte non eris. Extende ergo manus ad pauperes, et in pace postmodum morere. Nam secure tunc mori poteris, quia ante te fidelem nuntium destinasti. Fac igitur eleemosynam cum jejunio et «Memorare tuo novissima[18],» ut (12) si tunc vixeris, secure vivas, si etiam morieris, secure possis (13) mori.

VII. Romani etiam, nostri parentes principes, qui normam bonitatis et justitiæ in toto orbe esse consueverant, hoc facere cunctis imperatoribus solerter jubebant; nam mox imperatore grandi diademate decorato, ad ipsum ingrediebantur metallorum fabricatores dicentes: De quali metallo jubes, domine, tibi fieri sepulcrum? O Romani, cuncta-

[1] Job. xxi, 13. — [2] Philip. iii, 19. — [3] Luc. xvi, 22. — [4] Ibid. 24, etc. — [5] Matth. xxiii, 2. — [6] Luc. viii, 10. — [7] Isai. v, 20. — [8] Galat. iv, 19. — [9] Psal. xlviii, 17. — [10] Rom. xiii, 12. — [11] Psal. li, 9. — [12] Id. lxxv, 6. — [13] Jacob. v, 2, 3. — [14] Marc. ix, 43. — [15] Jacob. v, 3, 4. — [16] Ibid. 5. — [17] Psal. cviii, 6, etc. — [18] Eccli. vii, 40.

(1) Cod. sequeris... sequitur. — (2) Id. hic. — (3) Sic opinando corrigimus; cod. ditari. — (4) Cod. ostendetur. — (5) Deest sunt in cod. — (6) Indirecte, id est non recte, nisi supponas mendum, et legas injuste. — (7) Cod. cruce. — (8) Id. sibi, ut semper, pro illi, et sic deinceps. — (9) Id. quot. — (10) Cod. more solito, non habet non post numquid, et sic deinceps. — (11) Id. vasca. — (12) Id. et. — (13) Deest possis in cod., quod verbum necessario suppleri debet, nisi legas moriaris.

rum bonarum legum amatores, quid facere jubebatis regi vestro? Nam qui rex vester erat, imperator orbis erat, et tamen in bono eum non timentes, legem patrum observare volentes, ad ipsum dum in summo gaudio erat et lætitia, mortis nuntios destinabatis, dicentes : De quali metallo sepulcrum tibi fieri jubes? Romani igitur, fratres, prudentes per hoc nihil aliud suo regi significare volebant, nisi «Memorare novissima tua,» quomodo natus, quomodo ad mundum intrasti ornatus, vivendo pediculis circumdatus et policibus; quomodo et hodie sedes in cathedra, et forte quod cras dormies in sepulcro. Volentes ergo Romani imperatori significare, quod cito esset corruptibilis, ne etiam legem eorum transgrederetur, et ut (1) mundum pacifice regeret, hoc dicere illi nullo modo curabant (2).

VIII. Dum etiam apud Romam rhetoricam legerem, me audisse a Fabiano viro clarissimo bene recordor, licet ipse non tunc temporis fuerit, quod, mortuo Alexandro, octo sapientes (3) ejus sepulcrum circumdederunt, quorum primus dixit : Alexander ex auro fecit thesaurum, sed nunc aurum ex suo cadavere thesaurum fecit. Secundus dixit : Heri Alexandro non sufficiebat totus mundus, sed hodie illi (4) sufficiunt tres ulnæ terræ. Tertius dixit : Heri Alexander populo imperabat, sed hodie populus imperat illi. Quartus dixit : Heri Alexander multos a morte potuit liberare, sed hodie Alexander mortis jacula vitare non potuit. Quintus dixit : Heri Alexander ducebat exercitum, sed hodie ab exercitu ducitur ad sepulcrum. Sextus ait : Heri Alexander terram premebat, sed hodie ab eadem terra premitur ipse. Septimus dixit : Heri Alexander timebatur a gentibus, sed hodie a gentibus vilissimus reputatur. Octavus dixit : Heri Alexander pascebat corpus (5) proprium, sed hodie ipse cibus efficitur vermium.

IX. Quid ergo, fratres, faciemus? quam viam nobis eligemus, nisi pœnitentiæ? Ecce ergo nunc tempus pœnitentiæ; «Ecce nunc dies salutis, ecce nunc tempus acceptabile;» ecce nunc tempus cogitandi mortem, ut non peccemus in æternum. O mors, cujus memoria beata, cujus spes infallibilis, cujus adventus summe a bonis expectatur, cujus aggressio malis mala et passima (6) reputatur! O mors fidelissima, quæ nemini parcis, neminem despicis, sed cunctos visitare peroptas, quando jusserit ille qui cuncta bona creavit, qui etiam te videndo, satis dolere et tædere cœpit, ut homo! O mors fœcundissima, quid Paganus ille de te senserit audiamus. Clama, o prudens Pagane, dic discipulis tuis : Sæpe mortis memoriam ad mentem vestram reducite, quæ quasi frenum, miserum hominem frenat, ne defluat, ne deviet ac discurrat per viam ambitionum, cupiditatis et libidinum.

X. Quid enim plura Paganus ille de memoria mortis dicere potuisset? Ordinavit enim ipse Conditor naturarum inter omnia creata terram infimam esse et pedibus conculcandam; nos per hoc docens cuncta terrena despicere et cœlestia adamare. Conculcate ergo, fratres, mentis pedibus quæ terrena sunt, et conculcantes amate cœlestia. Nam sicut homo super omnia dominus est sapientia et prudentia, sic et anima nostra cunctis perfectior est, et eam a cunctis terrenis elevare debemus, quoniam «Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis;» ecce dies gratiæ.

XI. Honeste igitur ambulemus, quia in die sumus[1], quia credimus, quia Christum suscepimus. Assumite, o fratres, indumenta justitiæ et pœnitentiæ, ne nudi in conspectu Domini appareatis[2]. «Estote parati, quia veniet dies Domini, sicut fur in nocte[3].» Dies enim Domini mors est, et dicitur dies salutis et dies perditionis, secundum merita et demerita; «Nunc enim propior est nostra salus[4].» Et Moyses dicit : «Juxta est dies perditionis, et adesse festinant tempora[5].» Nolite ergo, fratres mei, confidere in vita vestra, quia «Dies perditionis proximus est et adesse festinant tempora. Quærite ergo Dominum dum inveniri potest, invocate eum, dum prope est[6].» Hunc (7) in præsenti vita invocate, quia velox est ad ignoscendum, sed in futuro paratus est ad judicandum. Festinemus hic pœnitere, et converti ad Dominum. Pravas conscientias lavate et eleemosynis peccata vestra suffocate; excutite pulverem vitiorum; surgite et nolite timere confiteri, quia nemo justus vivens, qui confessione et pœnitentia non indigeat. Rumpite vincula vitiorum, ut mereamini in terra viventium requiem et principem (8) Angelorum. Amen.

SERMO XXXI.

In Quadragesima VI.

Non pertinere ad sanctum Augustinum sermonem sequentem, ex eo manifestum est, quod ipsum laudet scriptor, et Sigiberti se esse compatriotam asserat, quanquam nomen Augustini falso habeat in Bibl. Ædil., cod. 2, fol. 13, *unde eruitur. Locus ejus in appendice post sermonem præcedentem, cum numero in Quadragesima* XIV.

SYNOPSIS.

I. Jejunii sancta efficacia. II. Mali jejunatores. III. Sit moderatio in jejunio IV. Fugienda præsertim fornicatio. V. Oculi claudendi, accingendique lumbi.

I. Fratres charissimi, perfectum jejunium et rationabile est, quando noster homo exterior jejunat et interior orat; facilius enim per jejunium oratio penetrat cœlum. Tunc enim homo affectu (9) Angelis conjungitur, ideoque liberius copulatur. Per jejunium occulta mysteriorum (10) cœlestium revelantur, divinique sacramenti arcana panduntur. Sic namque Daniel, Angelo revelante, sacramenta divinorum mysteriorum cognoscere meruit. Hæc enim virtus et Angelorum manifestationes, et eorum annuntiationes ostendit. Jejunia enim fortia sunt tela adversus tentamenta dæmonum. Cito enim per abstinentiam devincuntur, teste Salvatore, qui ait : «Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi per orationem et jejunium[7].» Immundi enim spiritus ibi se magis figunt, ubi plus abundare escam et potum cognoscunt, sicut per effectum cognoscere possumus in conviviis sæcularium. Ibi enim multa mala perpetrata sæpe cognovimus. Et ideo Sancti, quamdiu in hujus sæculi vita habitant, desiderio superni roris corpus aridum portant. Quod si forsitan ille sanctus Job sic filios facere docuisset, forsitan Satan tantam potestatem occidendi filios non habuisset. Dicamus ergo Domino : «Sitivit in te anima mea; quam multipliciter tibi et caro mea[8]!» Caro enim tunc demum sitit, quando per jejunium abstinet et arescit. Abstinentia enim vivificat et occidit; vivificat animam, et vitia occidit, corpusque mactat.

II. Sed sæpe hæc abstinentia simulate agitur, ut hypocrita; ore namque pallescunt, facie attenuantur, cordis alta suspiria ducunt, mortem ante faciem semper portare videntur; sibi ipsis valde compatiuntur, peccatores jubent se appellari, ut in foro digito demonstrentur, ut sancti. Isti mel portant in ore, et venenum in corde; gradiuntur

[1] Rom. XIII, 13. — [2] 2 Cor. V, 3. — [3] 1 Thess. V, 2, et Matth. XXIV, 44. — [4] Rom. XIII, 11. — [5] Deut. XXXII, 35. — [6] Isa. LV, 6. — [7] Matth. XVII, 20. — [8] Psal. LXII, 2.

(1) Deest et in cod., unde sensus subvertitur. — (2) Id est *non timebant*. — (3) Cod. *et sapientes*, ubi evidens est quod particula *et* posita fuerit pro *octo*, quæ vox scripta erat per abbreviationem. — (4) Cod. *sibi*, et sic deinceps. — (5) Deest *corpus* in cod. — (6) Cod. *pessima*. — (7) Id. *hic*. — (8) Forte *gaudium*. — (9) Cod. *effectus*. — (10) Id. *ministeriorum*, et sic paulo inferius.

capite inclinato, et intus (1) gladium bis acutum ad occidendum portant. Tales sunt inventores malorum, zizaniam et discordiam inter fratres seminantes. Isti sunt raptores et lupi rapaces, qui de alieno suum libenter faciunt, et conantur ad mortem. Isti sunt luxuriæ patres, superbiæ fratres, avaritiæ matres, qui bona male et pessime (2) utuntur. Nos autem non sic, fratres, sed jejunium et eleemosynam in abscondito faciamus, ut ille qui cuncta abscondita novit, reddat nobis mercedem[1] : jejunia enim cum bonis operibus acceptabilia sunt apud Deum; qui autem a cibis abstinet et male agit, dæmones imitatur, quibus dæmonibus esca non est et nequitia semper adest. Ille enim vere jejunat, qui, depositis vitiis, per confessionem a vitiis jejunat. Non tamen est abstinentia reputanda, ubi fuerit ventris saturitas; speruitur enim jejunium, quod in vesperis deliciis compensatur, dicente Isaïa : « Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra[2]; » voluptas enim deliciæ intelliguntur. Sicut (3) enim repetitio debitorum lites et contentiones generat, ita et deliciæ improbantur a Propheta in jejunio. Tota enim die epulas in cogitatione ruminant, qui ad explendam gulam vespere sibi delicias præparant.

III. Sollicita enim discretione caro edomanda est, ut non totaliter deficiat, nec in aliquo superbire queat (4). Infirmitate carnis nimia prævalente, ad perfectionem pertingere nemo potest. Quidquid ergo cum moderamento fit, Deo summe acceptum est, et summe salutare est; quidquid nimis et ultra modum est, perniciosum est et stultum. In omni ergo opere modum et temperamentum oportet habere, quia omne quod excedit, periculosum est. Superflua namque in proximo humilitas, sæpe superbis reputatur.

IV. Igitur moderate vestram carnem domantes, super omnia in his sanctis diebus a fornicatione omni abstineamus, per quam membra diaboli statim efficimur. Nam dæmones scientes animarum nostrarum pulchritudinem esse castitatem, per quam homines Angelis coæquantur, summo livore percussi, invidia mittunt per sensus corporis desiderium, quatenus a cœlestibus deorsum dejectam animam pertrahant secum ad tartara. Sed, o fratres, attendite quod quando impulsa a dæmonibus mens ad delectationem fornicationis impellitur, divini judicii metum (5) et æterna incendia ante oculos mentis ponere non differamus, quia nimirum omnis pœna, gravioris supplicii formidine superatur. Sicut enim clavus clavum expellit, ita sæpe recordatio ardoris inferni, ardorem expellit luxuriæ. Sed quidam sunt in juventute luxuriose viventes, et in senectute continentes efficiuntur; tunc enim eligunt servire castitati, cum misera caro jam contempsit habere libidinem. Numquid tales continentes dicendi sunt? Nequaquam; quia in juventute luxuriose vixerunt. Tales non habent præmium, quia certamen laboris non habuerunt; illos enim expectat gloria in quibus fuerunt laboriosa certamina. Cavere namque semper debemus ne luxuriose vivamus, ne tanquam relicto patre fugientes a patria, glandibus (6) porcos in villa pascentes et custodientes, repellamur a paterno consortio.

V. Prima enim tela fornicationis, oculorum visio est, secunda est verborum; sed qui capitur oculis, mox capitur corde; qui vero non capitur oculis, nec corde; faciliter potest resistere verbis, licet et cæci multa mala luxuriose sæpe faciant. Oculos igitur, sive comedamus, sive incedamus, sive stemus, sive loquamur, claudamus : hoc enim est quod Salvator præcipit fieri, ut « Si oculus scandalizat » te, erues (7) eum. » Et quid est eruere, nisi claudere, » ne » videat vanitatem[4]? » Accinge (8) etiam lumbos tuos, ne defluant. Accingite, inquit Augustinus Aurelius, organum Trinitatis et sanctitatis norma, accingite lumbos vestros super ubera vestra (9). Et quid dicere Pater ille intendit, nisi cordis libidines resecare, quæ ad lumbos pertinent? Nam cor super ubera est et lumbare (10). Libidinis immoderata licentia nescit habere modum; ideo præfatus Augustinus ille gloriosus Aurelius, fratribus zonas pelliceas more Eliæ portare jussit, ut ait Sigibertus (11) compatriota meus, vir fidelissimus, ut immoderata restricta lumborum libidine (12) libere ad gloriam accedere non pavescant. Caste ergo, fratres, vivamus in cunctis, sine qua (13) nihil boni poterimus in præsenti.

SERMO XXXII.

In Ramis Palmarum.

Multa sunt in hoc sermone utiliter et eleganter dicta, sed et nonnulla singulariter, præterquam quod eruitur ex Bibl. Ædil., cod. 2, qui propter rationes supra allatas nullum præbet securitatis argumentum. Dignus tamen ille qui legatur. Locus ejus in Appendice post sermonem præcedentem.

SYNOPSIS.

I. Cur Christus venit sedens super asinam? II. Quomodo suscipitur? III. Quid significent asina et pullus ejus. IV. Sedeat Christus in anima digneque suscipiatur a nobis. V. Cavendum impœnitentibus, ne videant Christum in sede majestatis. VI. Exhortatio ad pœnitentiam.

I. « Ecce rex tuus, filia Sion, venit tibi mansuetus, » sedens super asinam et pullum ejus[5]. » Mandat ergo Dominus nobis per Zachariam prophetam, ut in suo adventu gaudeamus. Venit ad te qui longe jam erat, venit ad te humilis, ut te faciat humilem; venit ad te plorando per viam, ut tu rideas in patria; venit sedens super asinam, ut tu sedeas in cœlesti gloria. Antequam tamen veniret, præmisit legatos, scilicet Patriarchas et Prophetas, dicens eis : « Dicite filiæ Sion, » scilicet Ecclesiæ, quam filiam Sion appello, speculationis et dilectionis, « Ecce rex tuus » venit tibi. » Recesserat enim Dominus a filia Sion propter peccatum, ideo condolens Dominus Adæ ait « In aura post » meridiem : Adam, ubi es[6]? » In quanta miseria positus es! Aura vero ad quam perambulabat Dominus, refrigerationem charitatis in mente hominis esse significabat, et quod ipse ab amore hominis refrigerabat, quæ refrigeratio fuit post meridiem, id est, post calorem charitatis a mente hominis discedentem (14); sed quia recesserat per justitiam, nunc venit sedens super asinam per misericordiam, et venit ad bellum contra principem mundi : et tunc « Prin» ceps mundi ejicietur foras[7] » a mentibus hominum, in quibus prius regnabat. Ideo elegit paucos secum et pauperes, ut confundat fortia. Quid enim Petrus? quid Andreas? quid Joannes? nisi insipientes et ignobiles; et tamen unus ex illis eum tradidit; et tamen (15) volens Magister Discipulum corrigere, ait cunctis audientibus : « Qui in» tingit mecum manum in catino, hic me tradet[8]; » ut cum sciret eum cognoscere cogitationes suas, pœniteret : aliis autem manum retrahentibus, Judas impudentia sua qua traditurus erat, manum cum Magistro suo in catino misit, ut audacia bonæ conscientiæ, se non esse ostenderet cæteris. Traditur ergo a Discipulo Dominus; ad quam traditionem

[1] Matth. vi, 16-18. — [2] Isai. LVIII, 3. — [3] Matth. v, 9. — [4] Psal. CXVIII, 37. — [5] Matth. XXI, 5. — [6] Gen. III, 8, 9. — [7] Joan. XII, 31. — [8] Marc. XIV, 20.

(1) Cod. *inter.* — (2) Id. *pessime*, et ante *bonum*. — (3) Id. *sic.* — (4) Id. *quiescat.* — (5) Id. *metus.* — (6) Id. *glandes.* — (7) Id. *erue.* — (8) Id. *accingere*, et sic inferius. — (9) Hunc Augustini textum non inveni. — (10) Cod. *lumbar.* Forte *et lumborum libidines*, etc., sine puncto. — (11) Sigibertus, probabiliter Gemblacensis, mortuus an. 1112, non in omnibus fidelissimus, utpote qui Henricum IV imperatorem contra papam defenderit, et causam presbyterorum conjugatorum susceperit vindicandam. — (12) Cod. *in moderata et restricta.* — (13) Vitiosa locutio; supplendum est substantivum *castitate.* — (14) Cod. *discedente.* — (15) Forte mendum est aliquid in hac iteratione verborum *et tamen.*

30

et mortem super asinam venit. Venit ergo non alienus, sed tuus Rex per assumptam, ut diximus, humanitatem; venit ergo tibi, ut moriendo salveris: venit ergo non quod tui indigeat, sed quia videt te indigentem sui. Ecce ergo venit ad te sedens super asinam, et veniendo, fratres, Dominus flevit videns peccata Jerusalem.

II. Et factus est clamor in civitate dicentium: Ecce Propheta magnus, qui satiavit quinque millia hominum ex quinque panibus et duobus piscibus: ecce Rex noster, qui postquam nos satiavit, eum regem facere volumus, sed fugit et volavit ad montem divertens a turba: ecce qui cæcum illuminavit, filium viduæ suscitavit, et Lazarum quatriduanum a mortuis resuscitavit. Quid ergo faciemus? Nam Propheta est et caput Prophetarum. Quomodo ergo eum recipiemus? Nam si clamabimus: « Benedictus qui » venit in nomine Domini, hosanna in excelsis[1]; » mox lapidabimur a principibus sacerdotum. Quid ergo faciemus? Doceamus filios nostros, ut sibi occurrentes et clamantes, dicant: « Benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna » in excelsis. »

III. Sed antequam civitati appropinquaret, et super asinam sederet, misit duos ex Discipulis, dicens: « Ite in castellum quod contra vos est[2]; quia castellum appellanda erat jam et non civitas, quæ (1) civium voluntate et concordia omnino carebat, « ibique foris in bivio ante portam » invenietis asinam » pro servitio pauperum deputatam, « et ejus pullum: solvite et ducite mihi[3]. » Per asinam subjugalem, fratres charissimi, intelligere debetis Judæos, qui erant sub jugo Legis ligati, et multis prævaricationibus et peccatis obvoluti: pullus asinæ novellus, Gentilis populus novitor ad fidem conversus; et bene pullus asinæ appellatur, quia ad primitivam Ecclesiam Judæorum, scilicet Apostolorum, sunt conversi; iden ante januam erant, nec intrare audebant, quia fortiter ibi ligati erant; in bivio erant, quia vias errorum sectabantur. Ecce quomodo ante Christi adventum asina Judæorum, et pullus Paganorum ligati erant ante ostium civitatis. Ostium, fratres, Christus est; « Veritas et vita[4] » ipse est, per quem nullus intrare civitatem cœlestem Jerusalem audebat, nisi prius mandasset, quod dissolverentur, et dissolutis, super ipsos sedisset. Misit ergo Dominus duos Discipulos, quia duo fuerunt genera prædicatorum, qui directi sunt ad duas Gentes. Isti fuerunt Paulus et Barnabas: missus est tamen Petrus, et alii Discipuli, sed cui datum sit regnum in prædicatione, ut Paulo, ignoro (2): ipse enim portavit nomen Christi coram Regibus, et Gentibus, et filiis Israël super omnes. Barnabas etiam in Lege doctissimus etiam magnalia fecit super omnes illos. Ergo Dominus sedet, quia per inhabitantem gratiam in cordibus illorum Dominus requiem habuit.

IV. Similiter et sedere cupit Dominus super asinam nostram, scilicet super animam ipsam, quæ in supernæ pacis desiderium accedit. Exeamus igitur ei obviam, cum palmis victoriæ habitæ super diabolo et operibus ejus, et cum floribus virtutum ei obviam procedamus. Offerat alius florem charitatis et dilectionis, quæ radix est omnium virtutum. Alius offerat florem virginitatis et lilium castitatis: hæc est illa virtus, quam commendavit Christus in Joanne. Tales sequuntur Agnum sine macula. Alius offerat lilium humanitatis, imitando illum, qui ait: « Discite a me quia » mitis sum et humilis corde[5]. » Alius offerat florem et decorem misericordiæ, quia: « Beati misericordes, quoniam » misericordiam consequentur[6]. » Alius ramum teneat patientiæ, quia « Beati qui persecutionem patiuntur propter » justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum[7]. » Alius concremet thura cum David (3), dicens: « Dirigatur, Domine, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. » Alius offerat ramum olivarum et misericordiæ, ut Christum sequentes audiant: « Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis[9]: » et ita facientes nullus accedet vacuus ante Deum: et sic vestimenta sternentur in via: sic ramos olivarum evellentes de arboribus, sic cantantes: « Hosanna » in excelsis, » introducemur cum Christo in sanctam civitatem.

V. Illi vero qui in hac sacratissima quadragesima non jejunaverunt, nec eleemosynam fecerunt, nec confessionem peccatorum receperunt, caveant ne ramum olivarum assumant, quia vestimenta sua in via sternere contempserunt. Non igitur digni sunt tales palmam in manibus portare, quoniam victoriam non habuerunt, et non ad processionem accesserunt, et Christo obviare noluerunt. Ipsum minime videre poterunt, nisi, dum venerit cum senatoribus terræ, tunc obviam ipsi tales procedant (4). Tunc enim videbunt eum non super asinam sedere, sed in sede majestatis suæ: tunc non erit coronatus corona matris suæ[10], scilicet misericordiæ, sed veniet coronatus Patris potentia (5); tunc veniet « Tanquam potens crapulatus a vino[11]. » Videte ergo, o vos mundi amatores, qui pœnitere erubescitis, videte eum, o filiæ Sion, regem vestrum in choro misericordiæ; dum tempus est, elevate capita vestra et intuemini Regem vestrum coronatum corona misericordiæ et pœnalitatis. Compungimini, fratres, et considerate, quia videbunt eum impii in corona potentiæ, et peribunt; et videbunt eum justi in corona gloriæ, et gaudebunt.

VI. Agamus ergo et nos pœnitentiam cum pœnitentibus, præparemus nos ad adventum Judicis cuncta cernentis. Cædamus ramos de arboribus, scilicet doctrinam Novi et Antiqui Testamenti, quod pertinet ad prælatos: sternamus vestimenta in via, sustentantes pauperes et inducentes de bonorum nostrorum substantia, quod pertinet ad divites et pauperes; ad divites, ut corde et opere perficiant; ad pauperes autem, ut (6) corde saltem compatiantur. Clamemus: « Hosanna in excelsis, » quod pertinet ad contemplantes. Si sic faciemus, beati erimus, et cum sanctis Apostolis jumento comparabimur. Ipsi vero Apostoli erant velut jumentum, cornibus nocivis carentes, Christum portantes in cornibus suis a mari usque ad mare, et ad terminos orbis terrarum. Occurre igitur, filia Sion, Regi coronato diademate misericordiæ, antequam veniat coronatus corona justitiæ. Quis tunc poterit nos excusare? Numquid nos excusabit pœnitentia, si eam nunc contemnimus? numquid opera bona, si ea tempore agendi negleximus? Sed si carnis fragilitas nos excusare præsumpserit, attende quod ex adverso stabunt virgines, quæ dum essent, sicut et tu, in carne positæ, carnis fragilitatem vicerunt. Merito ergo dicet: « Ite, maledicti in ignem æternum[12], » a quo liberet nos Christus Dei Filius, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæculorum sæcula. Amen.

[1] Matth. xxi, 9. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. — [4] Joan. xiv, 6. — [5] Matth. xi, 29. — [6] Id. v, 7. — [7] Ibid. 10. — [8] Psal. cxl, 2. — [9] Matth. xxv, 40. — [10] Cant. iii, 11. — [11] Psal. lxxvii, 65. — [12] Matth. xxv, 41.

(1) Cod. *quia*. — (2) Hic de facundia, non de potestate loqui concionatorem manifestum est. — (3) Hic vetustate corrosus est codex; sed ex litterarum reliquiis, hæc videntur olim Scripta fuisse verba. — (4) Cod. *procedent*. — (5) Id. *potentiæ*. — (6) Desunt in cod. voces *ad* et *ut*, qui prius habet *proficiant*.

SERMO XXXIII.

In Traditione Symboli.

Sermo qui sequitur eductus est ex Bibl. Laur. Plut. XVII, *cod.* XLI, *fol.* 213, *cum hoc titulo* : Admonitio sancti Augustini de die crastina; *de qua nulla fit mentio in toto orationis decursu. De Traditione autem Symboli agitur, quæ fiebat sæpe in Africa circa finem quadragesimæ. Vide Benedictinorum notam ad sermonem* CCXII. *Concordat in pluribus cum sermone* CCXLII *appendicis, sed in pluribus etiam differt. Hinc ponendus est in appendice in eumdem locum ac sermo* CCXLII, *cum numero de Symbolo* VI. *Benedictini autem male illos sermones, qui pertinebant ad sanctam quadragesimam, contra ordinem ab ipsis admissum in operibus sancti Augustini, rejecerunt inter sermones de Diversis.*

SYNOPSIS.

I. Symboli necessitas et ordo. II. Ejusdem explicatio.

I. OPORTET utique, dilectissimi fratres, ut in hac sacratissima observatione quadragesimæ sicut corpus nostrum mortificamus per jejunium, ita animas nostras vivificemus per spiritale studium, et illuminemus per Dei verbum, ut per interioris hominis voluntatem atque exterioris conversationem possimus in omnibus placere Creatori nostro. Sed hæc ante omnia necessaria nobis est fides recta, quia secundum Apostolum : «Impossibile est sine fide placere Deo[1]. » Et ideo, quæso, fratres, ut nobis reserantibus expositionem symboli, attentius audiatis, quia doctrina symboli virtus est sacramenti, illuminatio animæ, plenitudo credendi, quia quod in eo docetur ac discitur, et unitas est Trinitatis, et Trinitas distincta personis, et opulentia Creatoris, et misericordia Redemptoris. Hoc nexus infidelitatis absolvitur; hoc vitæ janua panditur; hoc gloria æterna præparatur. Hoc obsecro, fratres, memoriæ vestræ rite ac firmiter commendate, et si quos filios vel filias in baptismate proximo habere desideratis, si intelligibilem ætatem adhuc habent, fidem quam profiteri debent, ante baptismum eos scire faciatis; sin autem ætas illa ad hoc minus idonea est, vos quoque illam fidem, quam pro eis profiteri vultis, cum ad ætatem congruam pervenerint, cognoscite ad insinuandum illis vos debitores esse. Est autem symbolum tale, quod ab Apostolis commendatum firmiter tenet sancta Ecclesia. «Credo in Deum Patrem omnipotentem, *usque* vitam æternam. Amen. » Repetendus est vobis, dilectissimi, sermo symboli hujus, qualiter ea quæ dicimus, vestris sensibus inseramus.

II. « Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem » cœli et terræ. » In primis dicit, Credo, quia Dominus noster (1) jubet non discutere divina judicia, sed credere, nec rationem requirere, sed fidem simpliciter et immobiliter exhibere. « In Deum Patrem. » Non ergo ante Deus esse cœpit et postea Pater; quia ergo semper fuit Pater, semper habuit Filium, cui Pater est. « Omnipotentem » vero ideo dicit, quia omnia potest, cique (2) nihil impossibile est, qui cœlum, terram, mare, homines atque omnia quæ sunt, vivunt, sentiunt atque discernunt, non aliquo operis actu (3), sed solo verbi creavit imperio. « Et in Jesum » Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum. » Advertite quod, quomodo in Patrem, sic et in Filium ejus unicum credendum (4) sit, et quia cum Patre æqualis est Dominus majestate, tantum ipsi quantum et Patri honoris, tantum debemus et servitutis. Jesus Salvator interpretatur, Christus vero a chrismate dicitur; quia sicut antiqui reges ac sacerdotes sacro oleo perfundebantur (5), sic Dominus Deus noster Jesus Christus Spiritus sancti infusione repletus est. « Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex » Maria Virgine. » Non ergo ex virili semine, sed Spiritus sancti opere caro Christi in utero virginis facta est. Et ideo quæ Salvatorem genuit, et virgo fuit in partu, et virgo permansit post partum. « Passus sub Pontio Pilato. » Iste Pilatus judex erat, illo tempore ab imperatore positus in Judæa, sub quo Dominus passus est; cujus mentio tamen ad temporis significationem (6) pertinet. « Crucifixus, mor» tuus et sepultus. » Crucem illam, in qua ille crucifixus est corpore, nos per similitudinem gestamus in fronte, et per hanc defendimur (7) ab hoste. Et sicut in veritate natus est Christus, ita et in veritate mortuus et sepultus est. « Tertia die resurrexit a mortuis. » Triduanæ sepulturæ mora evidenter ostendit, quia dum corpus in sepulcro jacuit, anima illa de inferis triumphavit. « Ascendit ad cœ» los, » id est, conditionem naturæ nostræ, quam de homine matre natus assumpsit super cœlos in dexteram Dei, hoc est, in honorem Dei Patris collocavit, ut pro nobis propitiator existeret. « Inde venturus est judicare vivos et mor» tuos. » In ipso corpore venturus est ad judicium, in quo ascendit in cœlum, Christianos judicare (8) et Paganos, justos et peccatores, fideles et impios. « Credo in Spiritum » sanctum. » Advertite, quia sicut in Patrem, ita et in Filium, et in Spiritum sanctum sit credendum. Nam qui vel unam de Trinitate personam non crediderit, in duas illi credidisse non proderit. « Sanctam Ecclesiam catholicam. » Sciendum est quia Ecclesiam credere, non tamen in Ecclesiam credere debeamus, quia Ecclesia non est Deus, sed domus Dei est. « Catholicam » dicit, id est, toto orbe diffusam, quia diversorum hæreticorum Ecclesiæ ideo catholicæ non dicuntur, quia per loca atque suas quasque provincias continentur; hæc vero a solis ortu usque ad occasum unius fidei splendore diffunditur. « Sanctorum com» munionem, » id est, illorum qui in hac fide defuncti sunt, societatem in cœlis speramus. « Remissionem peccatorum, » quæ nobis præstatur (9) munere Redemptoris, pleniter in baptismo per fidem, et ea quæ post baptismum committimus, per confessionem, et veram pœnitentiam ac bona opera speramus dimitti. « Carnis resurrectionem. » Carnem videlicet, quam in hac vita sub mortali conditione portamus, resurrecturam esse immortalem, ac rationem reddituram pro animæ consortio credamus. « Vitam æternam. » Amen. » Vitam æternam quoque debetis credere in cœlis, fratres, veraciter, quod significat Amen, vos percipere posse cum Christo et sanctis ejus, si hanc quam vobis exposuimus fidem fideliter teneatis ac bonis actibus conservetis; quam obsecro ut memoriæ bonæ commendetis, ac digna conversatione probare, et usque ad finem vitæ istius perducere contendatis, ut per hanc æterna præmia consequi, Christo donante, mereamini.

[1] Hebr. XI, 6.

(1) Cod. male addit *non*. — (2) Id. *cuique*. — (3) Id. *acto*. — (4) Cod. *credendus*. — (5) Id. *sacro eloquio profundebantur*. — (6) Id. *significationes*. — (7) Id. *defendimus*. — (8) Id. *judicat*. — (9) Cod. *præstantur*.

SANCTI AURELII

AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

SERMONUM INEDITORUM

CLASSIS III.

SERMONES

DE SANCTIS.

SERMO LXIII.

In Cathedram sancti Petri apostoli.

Hoc fragmentum, quod educitur ex duobus codicibus florentinis, nempe uno Bibl. Laurent., Plut. XX, *cod.* II, *fol.* 120, *et altero Bibl. Ædil. cod.* CXLIII, *fol.* 300, *nullibi reperi, quamvis sanctæ Romanæ Ecclesiæ gloriosum. Ubique nomen habet sancti Augustini, cui tribuendum recte videtur. Locus ejus post sermonem Maurinensem* CCLXII.

SYNOPSIS.

Cathedræ sancti Petri maxima laudatur auctoritas.

Natale primæ cathedræ sancti Petri apostoli hodie est, quod pia devotione sancta celebrat Ecclesia. Attamen prius credere, quam scire nos convenit, quia omne quod catholica fides suscepit venerandum, in nullo otiosum, sed est semper in omnibus fructuosum. Ille enim, cui a Christo claves datæ sunt regni cœlorum, cui ligandi solvendique potestas a Deo commissa est, tam magnum privilegium specialiter in sua persona suscepit, ut tamen hoc generaliter in Dei Ecclesiam sua virtute transmitteret. Unde diem, quo apostolatum vel episcopatum ore Christi adeptus (1) est, hunc esse, quo ei cathedra commissa est, non inconvenienter accipimus. Cathedra quoque ista non est (2) pestilentiæ[1], sed sanæ doctrinæ, ex qua credituri vocantur ad fidem; ex qua morbidi recipiunt sanitatem; ex qua dissoluti recipiunt disciplinam; ex qua discipuli vivendi suscipiunt normam. Ex hac cathedra nostræ Ecclesiæ, id est, catholicæ, prolatam hanc

[1] Psal. I, 1.

(1) Cod. *indeptus.* — (2) Sic cod. CXLIII; cod. II, *quoque non est illa.*

institutionem cognoscimus, congaudemus, credimus et confitemur. Hic nempe beatissimus Petrus ex captura piscium electus ad homines salubriter capiendos assumitur (1).

SERMO LXIV.

In Natali Sancti Vincentii III.

Prologus qui subsequitur et educitur ex cod. Casin. XII, *fol.* 318, *nec apud sanctum Augustinum, nec in passione sancti Vincentii edita a D. Prudentio, nec in D. Ruinart, nec in Bollandianis reperitur. Sententiæ et stylus omnino videntur Augustiniana. Locus ejus post sermonem primi nostri Supplementi* XLVIII, *cum numero in Natali sancti Vincentii* VII.

SYNOPSIS.

I. Difficile prorsus tantum martyrem laudare. II. Daciani vani ad eum vincendum conatus. III. Daciani objurgatio.

I. Virtus gloriosissimæ passionis, et sermo suavissimæ relationis, solo fateor potest compensari silentio; et vellem sequi prudentissimi Salomonis illud consilium quod dictum est: « Noli te extendere, pauper, contra divitem[1]. » Sed cum non possis occurrere, sensu vero tuo contine te. Quid enim dicam post tanta? Qualia (2) dicam post talia? Quando talia enarrabo? quando pertingam ad finem? Postremo quid repetam quod nuper audistis? Bonum est tamen spectaculi speciem in recenti recolere, ne excidat sensus et in oblivionem virtus. « Arcta etenim via est et » angusta, quæ ducit ad vitam, » et multi audiunt eam, « sed pauci sunt qui pergunt per eam[2]. » Non enim aliud proponitur Christiano venienti ad martyrium, nisi virtus Martyrum. Sint (3) nobis documento exempla Sanctorum. Imitemur saltem fidem, quorum (4) imitari non possumus passionem.

II. Non enim, ut inimicus tantum, minatus est, sed ut non, etiam blanditus est (5). In uno quippe Daciano conspeximus et tempus belli (6), et tempus quietis. Nam et terruit, et promisit. Voluit primo a fide divellere terrendo, postea dejicere blandiendo. Rursus rediit ad pœnas; item a pœnis, regressus ad beneficia, induit tanquam in ludicro (7) spectaculo multas personas. Extitit ipse varius; sed stetit ille solidius. Ille sedebat, iste pendebat; iste torquebatur, ille torquebat; sed ille fatigabatur, iste vincebat (8). Leo rugiens, canis esuriens, serpens blandiens, lupus subdole (9) agens, vulpis nequitia occulens, quid egit? Diu laboravit; et tamen Vincentius vicit. Denique torquetur, ut exerceatur; tunditur, ut solidetur; flagellatur, ut erudiatur; exuritur, ut purgetur; et tamen Vincentius a Daciano non vincitur. Certat cum vivo, insultat et mortuo; seipsum reprehendit etiam in mortuo.

III. Irascitur et confitetur: Vincere nec mortuum possum. Quem? utique Vincentium. Abstulisti terrenam vitam; numquid post mortem abstulisti æternam gloriam? Vicisti carnem, numquid potuisti vincere spiritum? At (10) forte non vicisti vel (11) carnem. Nam quod in mare mersisti, priusquam mersum audisti, in littore invenisti. « Vanum est ergo tibi contra stimulum calcitrare[3]. » Sic enim Vincentio non fuit certamen adversus hominem; in te Vincentius diabolum vicit; tu in Vincentio Christum vincere non potuisti. Ille quem in te vinceret, intellexit; tu qui in isto vinceret (12), non sapuisti. Quam comparationem hominis (13) addam? Quid proficit caro ad sanguinem? « Omnis caro fœnum; et gloria carnis flos fœni. Aruit » fœnum; flos decidit » in te; « Verbum autem Domini » mansit in æternum[4] » in Vincentio. Tu certe sedebas, et ille exutus stabat (14); tu judicabas, ille judicabatur; tu non superabas, ille superabat. Da comparationem. Ubi tu (15) a sede hac? Et ille: Ubi a pœna hac. Dic, si sapis; aut si non sapis, si sentis; aut si non sentis, audi. Post mortem a tali sede, tu ubi? nescio. Si enim talis mansisti, periisti; si autem (16) talis non mansisti, forsitan permansisti. Sunt enim qui eum referunt credidisse. Hoc de eo dicitur, hoc refertur, hoc confirmatur, quod et ipse crediderit. Nec miremur si « Ubi abundavit peccatum, » superabundavit (17) gratia[5]. » Ille ergo ubi? aut verum est quod dicitur, et non novimus; aut si utcumque incertum est, non scimus. Numquid de Vincentio nostro, unde et quo nescimus? Qualiter cucurrerit, quam anguste ambulaverit, quemadmodum perseveraverit, quatenus post finem gloriosus extiterit, bene audivimus. Gratulati sumus, quod amodo concertavimus, et in Vincentio simul omnes vicimus, et insultanti non cessimus, et cedenti insultavimus (18), quod post certamen modo audivimus, quod (19) adjuvit certantem, coronavit vincentem, quia « Pretiosa est (20) in conspectu Domini mors sancto» rum ejus[6]. »

[1] Eccli. xv, 32. — [2] Matth. vii, 14. — [3] Act. ix, 5. — [4] Isai. xl, 6-8. — [5] Rom. v, 20. — [6] Psal. cxv, 15.

(1) Cod. casin. addit: *Beati illi qui de nefandis actibus, tanquam de marinis fluctibus*, et sic concluditur; unde videtur hoc non esse nisi fragmentum. — (2) Edit. *quali*. — (3) Cod. *sit*. — (4) Id. *quos*, et deinde *passione*. — (5) Id. sine sensu *non enim inimicus tantum, sed ut non etiam blanditus est*. Ut potuimus, corrigere studuimus. — (6) Desunt in cod. hæc verba *et tempus belli*. — (7) Cod. *iludicro*. — (8) Vide Serm. 275, n. 1 et 276. — (9) Cod. *subdolen*. — (10) Id. *an*. — (11) Id. *nec*. — (12) Id. *vinceres*. — (13) Id. *quæ comparatio homini*. — (14) Id. *exultabat*. — (15) Deest *tu* in cod. — (16) Cod. *enim*. — (17) Cod. *abundabat gratiam*. — (18) Id. *insultabimus*. — (19) Id. *qua*. — (20) Vide Serm. 329, n. 2.

SERMO LXV.

In Natali Martyris Quadrati (1).

Habitus a S. Augustino XII Calendas Septembris, ubi explanatur quod dicit Apostolus : *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ*[1].

Hic sermo, qui eruitur ex Cod. Cass. XVII, *fol.* 318, *ita Augustinum sapit, ejusque cogitationes et dicendi modum refert, ut ne dubitandi quidem locus supersit quin sit genuinus beati Doctoris fructus. Non solum codex nomen habet, sed et tempus indicat, quo dictus est; omnes sententiæ Scripturarum citantur modo conformi cæteris sancti Augustini citationibus; omnia beati Doctoris circa delectationem in peccando, solitæque verborum pugnæ passim deprehenduntur. Ponatur hic sermo post sermonem Maurinensem* CCLXXXV.

SYNOPSIS.

I. Gaudet beatus Doctor fideles, utpota peregrinationis comites, videndo. II. Tria Deus odit : remanentem, redeuntem, aberrantem. III. Exemplo Pauli ostenditur proficiendi necessitas. IV. Idem explicare pergit, viam perfectionis ostendens. V. Perfectus martyr Quadratus, ut ipsius nomine insinuatur. VI. Exhibendum Deo idem ad minus servitium ac iniquitati. VII. Plus facere debemus cum Quadrato. VIII. Christus publice confitendus. IX. Contemnendus timor humanus. X. Ex illo vano timore obstaculum ponitur Paganorum conversioni. XI. Timendus potissimum Deus qui erubescentem se erubescet.

I. Præstitit Dominus Deus noster, cui gratias simul agimus, ut videremus vos, et videremur a vobis, et si hoc est unde « Impletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione[2], » quia vidimus invicem in carne mortali, quale erit gaudium nostrum quando ibi nos videbimus, ubi nihil de nobis invicem timeamus? Apostolus dicit : « Spe gaudentes[3]; » gaudium ergo nostrum quod nunc est in spe, nondum in re. » Spes autem, quæ » videtur, non est, sit, spes. Quod enim videt quis, quid » sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus[4]. » Si autem peregrinantes comites gaudent ad invicem in via, quale gaudium consequuntur in patria! In hac vita martyres certaverunt, et certando ambulaverunt, ambulando non hæserunt; ambulant enim qui amant; non enim ad Deum passibus, sed affectibus currimus.

II. Via ergo nostra ambulantes quærit; tria sunt hominum genera, quæ odit, remanentem, retro redeuntem, aberrantem. Ab his tribus generibus malis, Domino adjuvante, vindicetur et defendatur gressus noster. Jam vero cum ambulantes sudamus (2), alius tardius ambulat, alius celerius, ambo tamen ambulant. Excitandi sunt ergo remanentes, retro redeuntes revocandi sunt, errantes in viam ducendi : tardi exhortandi, celeres imitandi. Qui non proficit, remansit in via; qui forte a meliore proposito declinat ad id quod deterius reliquerat, reversus est retro; qui fidem deserit, a via aberravit... (3).

III. Quis est qui non proficit? Qui se putaverit esse sapientem, qui dixerit : « Sufficit mihi quod sum; » qui non attenderit eum, qui dixit : « Quæ retro oblitus, in ea » quæ ante sunt extentus (4), secundum intentionem (5) » sequar ad palmam vocationis supernæ Dei in Christo » Jesu[5]. » Currentem se dixit, sequentem se dixit, non remansit, non retro respexit; absit ut erraverit, qui viam ipsam docebat, qui et tenebat, et ostendebat. Celeritatem autem ejus ut imitaremur, ait : « Imitatores » mei estote, sicut et ego Christi[6]. » Arbitramur ergo nos, fratres charissimi, in via vobiscum ambulare. Si tardi sumus, prævenite nos, non invidemus; quærimus quos sequamur. Si autem nos existimatis celeriter ingredi, currite nobiscum. Unum est ad quod omnes festinamus, et qui tardius, et qui celerius ambulamus. Hoc ait ipse Apostolus : « Unum autem, quæ retro oblitus, in ea quæ » ante sunt extentus, secundum intentionem sequor ad » palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. » Ordo verborum est : Unum autem, unum sequor. Ut autem hoc diceret, supra quid dixit? » Fratres, ego me ipsum » non arbitror apprehendisse[8]. » Ecce qui non remanet, qui non se arbitratur apprehendisse; ecce qui non peregrinatur (6), ecce qui non errat in via, ecce qui gaudebit in patria. « Ego, » inquit. Quis ego? « Qui plus omnibus illis laboravi (7)? » Et tamen ubi ait : « Plus » illis omnibus laboravi, » non dixit : » Ego non me ar» bitror apprehendisse. » Bene ibi Ego, ubi humilitatis locus est, non elationis (8). Ego, inquit, quantum ad me attinet, non me arbitror apprehendisse. Hoc ipse ubi ait : « Plus omnibus illis laboravi, » sequitur : « Non » ego autem, sed gratia Dei mecum[7]. » Numquid Dei gratia non apprehendit? Merito ibi Ego; non apprehendere enim nostræ infirmitatis est, apprehendere adjutorii est gratiæ divinæ, non infirmitatis humanæ (9).

IV. Quis ergo est, qui ostendat nobis, quis est qui doceat nos, quis est qui digne insinuet nobis, quomodo verum sit, quod tamen sine dubitatione verum est, non esse in nobis nostrum, nisi peccatum? Hoc noverit pietas, hoc in se accuset infirmitas, hoc sanari appetat charitas. « Non quia jam acceperim, ait, aut jam » perfectus sim. » Et tunc subjecit : « Fratres, ego me » ipsum non arbitror apprehendisse. » Et cum exhortaretur ad currendum, et ad ea quæ ante sunt cor extendendum; « Quotquot autem perfecti, ait, hoc sapiamus[8]. » Supra dixerat : « Non quia jam acceperim, aut jam per» fectus sim[9]; » et postea dicit : « Quotquot autem per» fecti[10], hoc sapiamus. » Se ipsum tam magnam Apostolum dixerat esse imperfectum, modo jam plures perfectos invenisse dicit : « Quotquot autem perfecti hoc » sapiamus. » Est ergo perfectio, et perfectio est perfectus viator. Qui nondum perfectus est perventor, perfectus viator bene accedit, bene ambulat, viam tenet; sed

[1] Rom. VI, 19. — [2] Psal. CXXV, 2. — [3] Rom. XII, 12. — [4] Id. VIII, 24, 25. — [5] Philip. III, 13 et 14. — [6] 1 Cor. IV, 16. — [7] 1 Cor. XV, 10. — [8] 1 Cor. XV, 10. — [9] Philip. III, 12. — [10] Ibid. 15.

(1) S. Quadratus, Eusebio, necnon et B. Hieronymo teste, « Apostolorum » discipulus, Episcopus Atheniensis, Prophetiæ dono illustris, pro defen» sione religionis christianæ Adriano imperatori libellum apologeticum ob» tulit, valde utilem plenumque rationis et fidei, et Apostolica doctrina dig» num, et tantæ admirationi omnibus fuit, ut persecutionem gravissimam » illius excellens sedaret ingenium. » (Hieron. de viris illustr. c. XIX; Euseb. Hist. Eccles. lib. IV, cap. 23, ubi et Dyonisi Corinthiorum episcopi affert auctoritatem). — (2) Sic codex; credo quod legendum sit, non *sudamus*, sed *sumus duo*. — (3) Hic leguntur quædam verba, quæ utpote mutila aut immutata nullum sensum afferunt, videlicet : *Cum tardis sit nobis, sed a celeribus ratio cum ambulantibus. Tamen.* — (4) Cod. male *extent.* — (5) Sic B. Augustinus citat hanc Apostoli sententiam, ut videre est Serm. CLXV, n. 4; Tract. IV in Epist. Joan. cap. 3, n. 6; Enar. in Psal. XXXVIII, n. 6; Enar. in Psal. LXXXIX, n. 5; Enar. in Psal. CXLIX, n. 8; Contra duas Epist. Pelagian. lib. III, n. 22; Serm. CCLXI, n. 3; Serm. CV, n. 7; Serm. CCLV, n. 8. In his omnibus locis semper legitur *extentus*, et *secundum intentionem*. — (6) Cod. *peregrinare.* — (7) Vide Serm. CCLXI, n. 3. — (8) Vide Tract. IV, in Epist. Joan. cap. III, n. 6. — (9) Vide lib. de Gratia et libero Arbitrio, c. 1, et Contra duas Epistolas Pelagianorum, lib. III, n. 22.

tamen viator nondum apprehendit. Nam utique si ambulat, et in via ambulat, aliquo ambulat, et ad aliquid pervenire conatur; quo ergo pervenire conabatur? Apostolus nondum apprehenderat; et hortatur perfectos, ut scirent imperfectionem suam; perfectio viatoris est; novit enim quantum transgressus est, quantum illi remaneat. Sciamus ergo nos non esse perfectos, quotquot simus perfecti, ne remaneamus imperfecti.

V. Quid dicemus, fratres, perfectus martyr Quadratus, quid quadrato perfectius? Paria sunt latera, undique æqualis est forma, quocumque verterit, statio est, non ruina. O nomen pulchrum! demonstrans figuram et indicans rem futuram! Jam Quadratus et antea vocabatur, et nondum coronabatur, nondum in tentatione apparuerat, per quam esset ille quadratus, et tamen quando vocabatur, pronuntiabatur prædestinatus ante mundi constitutionem, et ut hoc vocaretur, hoc in illo compatitur, ut impleretur; et tamen ambulabat, et tamen adhuc in via erat; et quandiu erat in corpore totum, timebatur, et ne remaneret, et ne retro rediret, et ne exorbitaret. Nunc vero cucurrit viam, finivit, in solido stetit, coædificatus est ab artifice arcæ Dominicæ, quæ in figura jussa est ædificari de lignis quadratis (1). Modo jam nullam tentationem timet, audivit vocatorem, audivit illum, et ille invocatorem secutus est (2); secutus est Salvatorem, portat habitatorem; contempsit mundum blandientem, vicit terrentem, evasit furentem. Magna est, fratres, Martyrum gloria; prima in Ecclesia; quæcumque sunt aliæ, sequentes sunt; non enim frustra dictum est quibusdam (3): « Nondum usque ad sanguinem adversus peccatum certastis[1]. » Quando tolerat, quando sustinet mundum sævientem, qui spernere non potest blandientem?

VI. Ait idem Apostolus: « Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ; sicut exhibuistis membra deservire immunditiæ ad iniquitatem, sic nunc exhibete membra vestra deservire justitiæ in sanctificationem[2]. » Magnum est valde quod videtur hortatus; metiatur se unusquisque in his verbis Apostoli; non adulatorie palpet se, appendat se, et dicat sibi verum, quod (4) a me expectat audire. Ipse sibi dicat: Ego disposui speculum proponere, ubi se quisque attendat; non sum ego speculi fulgor, qui faciem suam intuenti renuntiem; facies enim illas dico modo, quas habemus intus; ipsas per aurem convenire possum, videre non possum. Speculum sane propono; attendat se unusquisque, et renuntiet sibi ipsa verba Apostoli, quæ commemoravi. Indicem speculi accipite: « Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ; sicut exhibuistis membra vestra deservire immunditiæ ad iniquitatem, sic nunc exhibete membra vestra deservire justitiæ in sanctificationem. » Quid est « Sic? » Sicut illud, ita et illud (5). Quando exhibebas membra tua arma iniquitatis peccato ad immunditiam delectabat te? Interrogo, attende, responde: Delectabat te? Audi respondentem, et jam tacentem; non enim faceres, nisi delectaret. « Sicut ergo exhibuisti membra tua deservire immunditiæ ad iniquitatem, » cum delectatione ista fecisti, ita delectet te aliquando justitia. Nolo timore facias, dicit tibi Deus; numquid enim timore faciebas? « Sic, inquit, sic. Sicut exhibuistis membra vestra deservire immunditiæ ad iniquitatem, sic nunc exhibete membra vestra deservire justitiæ ad sanctificationem. » Ad justitiam timore compelleris, ad immunditiam amore currebas. Quid pulchrius sapientia? Rogo vos; digna est vel sic amari, quomodo amata est immunditia; quando currebas ad immunditiam, prohibebaris, et ibas; patrem offendebas, et currebas; paratus eras exhæreditari, et ab illius pravitate non separari. Quid dicturus es? Hoc a te exigit justitia, quod de te habuit immunditia. Audistis Evangelium: « Non veni pacem mittere in terram, sed gladium[3]. » Dixit se (6) separaturum filios a parentibus. Ergo attende illam machæram; forte vis Deo servire, et pater prohibet. Quando immunditiam diligebas, etiam patre prohibente currebas; modo te prohibet justitia amatorem suum. Invenisti et hic patrem prohibentem; exere libertatem tuam, qui exeruisti tunc cupiditatem tuam. Paratus eras tunc exhæreditari, et ab illius immunditiæ pravitate non separari; paratus esto exhæredari, at a justitiæ pulchritudine non separari. Magnum est, sed justum est. Quis est qui audeat dicere: Sed plus debuit amari immunditia, quam justitia?

VII. Interim justitia gradum tibi facit: Certe, inquit, dissimilis sum; certe plurimum distat inter illius immunditiæ tenebras, et lucem meam, inter illam pravitatem et pulchritudinem meam, inter illius decus et decus meum. Certe plurimum distat; interim gradum pono; sic volo; nam plus debeo, plus omnino debeo; quantum disto, tantum debeo; sed humanum dico, divinum differo; quare divinum differo? « Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ; » ideo sic quia parco adhuc infirmitati; ideo, « Sicut exhibuistis membra vestra deservire immunditiæ ad iniquitatem, sic, » nunc plus quidem debetis, sed saltem sic ambulate; ad hoc pervenite, sed exhinc transite. Interim « Humanum dico, » sed sicut illud, ita et hoc. Numquid quadratus sic? non plane sic, sed plus; et digne plus. Attendite enim illas immunditias, et videte quid plus de vobis exigat pietas et charitas, et justitiæ pulchritudo, et sanctificationis dulcedo. Quid de vobis plus exigat, attendite.

VIII. Amator immunditiæ facta sua mala sciri non vult, timet ne inde damnetur, timet inde carcerem, timet judicem, timet carnificem. Uxoris alienæ pudicitiam appetit, maritum fallit, tenebras quærit, conscium perhorrescit, judicem metuit; timet sciri, quia timet inde puniri. Jam vero illud plus quod sibi exigit (7) pulchritudo justitiæ. Quid interim distulit Apostolus cum diceret: « Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ? » Audi hoc a Domino: « Quod dico vobis in tenebris, » hoc est in occulto, « dicite in luce, et quod in aure auditis, super tecta prædicate[4]. » Numquid prædicat super tectum adulter flagitium suum; sed ille non solum non prædicat super tectum, sed quærit occultari tecto. Quare hoc ille? quia tunc usque potuit amor immunditiæ; timet enim detegi, timet puniri. Hi vero amatores illius invisibilis pulchritudinis, amatores illius decoris, ubi est ille « Speciosus forma præ filiis hominum[5], » amatores ergo illius pulchritudinis, unde non timent prædicare super tecta, quod in aure audierant? quære unde timeat ille; ne (8) cognoscatur, et puniatur; quære unde iste non timeat; ipse Dominus secutus adjunxit. Cum enim dixisset, « Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et quod in aure auditis, super tecta prædicate; nolite, inquit, timere eos qui

[1] Hebr. XII, 4. — [2] Rom. VI, 19. — [3] Matth. X, 34. — [4] Ibid. 27. — [5] Ibid. 28.

(1) Hæc in Scriptura sacra non leguntur secundum Vulgatam; dicitur solummodo arcam fieri debuisse ex lignis sexque. Exod. XXV, 10. — (2) Hæc forte redundant ex copistarum errore, melius legeretur: *Audivit vocatorem, secutus est salvatorem.* — (3) Vide Serm. CCCXVIII, n. 11. — (4) Cod. *quod.* — (5) Vide Serm. CXIX, n. 6 et 7, et Epist. CXLV ad Anastasium, n. 5. — (6) Cod. male non habet *se.* — (7) Cod. male *quod sibi exigit plus.* — (8) Cod. male *nec*

» corpus occidunt, » ut quæ auditis in tenebria, in lumine dicatis, et quod in aure auditis, super tecta prædicetis. « Nolite timere eos qui corpus uccidunt. » Timeat adulter eos qui corpus occidunt; cum enim adulter ille perdiderit corpus, voluptatum perdidit officinam; ille timeat perdere corpus, qui vivit ex corpore; totum enim quod concupiscit, per corpus operatur. Ideo in illo voluptas non sufficit; inardescit cupiditate, quoadusque perveniat ad corporis immundissimam voluptatem.

IX. Tu autem, homo Dei, si habes oculos cordis, unde videas pulchritudinem pietatis, unde videas pulchritudinem charitatis, si habes oculos cordis, vide unde fruaris anima tua; nt enim ea fruaris, non membra corporis quæris. Timeat perimi corpus amator sordidæ voluptatis, sed « Pax in terra (1) hominibus bonæ voluntatis[1]. » Quam longe es ab hoc amore, o Christiane! Utinam usque ad illud « Humanum » pervenias, et cum delectatione benefacias, sicut antea cum delectatione peccabas; si enim cum delectatione benefacis, si cum delectatione in Christum credis, si cum delectatione sapientia ejus prava capacitate perfrueris, si cum delectatione præceptum audis et facis, cœpit in te esse illud « Humanum propter infirmitatem tuam; » jam cœpisti habere « Bonum datum[2], » sed necdum implesti quadratum; sed sicut dixi, supervenisti, accede; adhuc via est; noli remanere; est adhuc quod facias, noli timere; noli (2) abscondere bona facta tua, timendo reprehensores, exagitatores (3). Quid tibi dicit magnus Apostolus? de cœlo tibi pudet. Petunt (4) unde venis, et times dicere de Ecclesia; ne dicat tibi: « Non te pudet, barbate, ire quo eunt viduæ et aniculæ. » Ne audias. Times dicere: In Ecclesia fui. Quomodo ferres persecutorem, qui horrescis insultatorem? Et certe tempus est pacis. Illi erubescere debuerunt; erubescunt tam multi qui accesserunt, et non erubescunt tam pauci qui remanserunt. Et hi accesserunt: Quo? Illi remanserunt: Ubi (5)? Accesserunt hi ad lucem pacis, remanserunt illi in tenebris confusionis. Non erubescitis glorianda (6) erubescere; non erubescunt illi pudenda, et vos erubescitis glorianda? Et ubi est quod audistis: « Accedite ad » eum et illuminamini, et vultus vestri non erubescant[3]?

X. Hæc dixi, fratres mei, quoniam scio et plurimum doleo timeri linguas paucorum Paganorum, non sævientium, sed tantum insultantium, et teneri animos credere volentium, cum non acquiescunt in exhortationibus Christianorum. Et quid plura? Aut quid ego dicturus sum? Vides exagitari nescio quem Paganum, ne fiat Christianus; et qui Christianus, taces; pro magno habes, quia tibi parcit, id est, quia tibi non insultat. Quando illum deterret, dicis in corde tuo: « Deo gratias, nihil dixit. » Fugis non carne, sed mente; ibi stas et fugis; times ne in te lingua maledica convertatur, et non subvenis ei quem debes Christo lucrifacere; non subvenis; taces; ut dixi, non carne, sed mente fugis. Mercenarius es; vides hunc venientem, et fugis.

XI. Et quid plus ego dicturus sum? Modo audivimus omnes; Dominus terreat; qui amandus est, ipse metuendus. « Qui me, inquit, confusus (7) fuerit coram hominibus[4]; » et videte quando ista dicebat, quando mundus non credebat, sed fremebat; « qui me confusus fuerit coram hominibus, confundam eum coram » Patre meo, qui in cœlis est. Qui autem me confessus » fuerit coram hominibus, confitebor illum et ego coram » Patre meo, qui in cœlis est[4]. » Vis negari a Christo, an vis confiteri a Christo? Longe habebis insultatorem, quando tui Christum inveneris negatorem. Veniet (8) quod pollicitur. Qui tanta exhibuit, de solo die judicii fallax invenietur? Absit; habeant illi perfidiam suam, imo vero et ipsi careant perfidia sua; sed proponite vos illis ad confessionem imitandos, non ad silentium superandos; illi enim si invenerint Christianos fortiores, infirmorum defensores, assertores (9) fidei libertate confitendi, prudentia (10) docendi, charitate instruendi, silebunt, credite. Quid enim dicant, non habent (11). Vox inanis est, cymbalum tinnit. Quod destitit in templis ipsorum, remansit in ore ipsorum.

SERMO LXVII.

In Natali Joannis Baptistæ III.

Hic sermo qui eruitur ex cod. Cass. CXXIII, *f.* 145, *multam affinitatem habet, licet brevior existat, cum sermone* CCCLXXX *inter dubios, de quo annotant Maurini plurimos versus reperiri qui in suo loco non collocantur, unde illos immutare sunt coacti. Nec illis obstantibus curis sermo videtur in pluribus parum connexus, unde centonem potius repræsentat quam verum sermonem. Noster autem ille, multo connexior, verum melius sancti Augustini fœtum redolet, nisi, ut probabilius crediderim, utrumque ad beatum Doctorem pertinere dixerimus, ita ut ex eodem argumento loquens ad easdem fere sententias eademque verba memoriter retenta quasi invitus redierit. Quod eo verisimilius evadit, quod in plerisque de sancto Joanne Baptista sermonibus in easdem sæpius cogitationes recidat. Unde hujus nostri sermonis locus in editis post sermonem primi supplementi nostri* LVI, *cum numero in Natali sancti Joannis Baptistæ* X.

SYNOPSIS.

I. Breve exordium. II. Visio Angeli, et ejus allocutio ad Zachariam. III. Elisabeth gravida et pariens. IV. Joannis in utero matris exultatio. V. Comparantur generationes Mariæ et Elisabeth. VI. Joannis humilitas. VII. Joannes martyr veritatis, et in ipso martyrio humilis.

I. Gratias agimus Domino Deo nostro, fratres charissimi, qui nos ad videndum sanctitatem vestram sua miseratione perduxit, et donavit nobis hoc gaudium, quod de mutuo invicem habemus affectu. In cujus vos (12) ergo nomine salutamus, ipse debet esse auctor nostri sermonis, qui est largitor nostræ salutis. Nam de quo alio loquamur vobis, nisi de illo, qui modo ex Evangelio loquebatur vobis?

II. Zacharias itaque sacerdos Dei summus, cum in ordine vicis suæ sacerdotio fungeretur, intravit in Sancta sanctorum. Et populus sequebatur eum, ut cum illo Dominum orarent in templo. Cumque sacris altaribus assistens Deo munera devotus offerret, apparuit illi Angelus Domini stans a dextris altaris in illa hora supplicationis. Cumque Zacharias, viso eo, formidine turbaretur; ait illi Angelus: « Ne timeas, Zacharia, exaudita » est deprecatio tua; ecce enim Elisabeth uxor tua con-

[1] Luc. II, 13. — [2] Psal. XXXIII, 6. — [3] Marc. VIII, 38. — [4] Luc. XII, 8.

(1) Cod. male *in hominibus*. — (2) Deest in cod. vox *noli* bis repetita, quam exigit sensus. — (3) Hic mendum irrepsisse crediderim, vellemque legendum, *timendo reprehensores, exagita quid tibi dicat Apostolus*, etc. — (4) Codex ridicule: *De cœlo tibi pendent pedes*. — (5) Cod. malam habet puncturum dispositionem, nempe: *Et hi accesserunt, quo illi remanserunt; accesserunt hi ad lucem*, etc. — (6) Cod. male *gloriando*. — (7) Id. *confessus*. — (8) Id. perperam *veni, et quod pollicitur*. — (9) Id. *assertiones*. — (10) Id. *prudentiæ*. — (11) Id. *quid enim dicant non habete*. — (12) Cod. male *in cujus ergo nomine vos*.

» cipiet, et pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus » Joannem. Et Zacharias respondit : Unde hoc mihi ? » Ego sum senex, et uxor mea sterilis, et processit in » diebus suis[1]. » Angelus a Domino mittitur. Nuntiat Zachariæ filium nasciturum, et ille se suamque conjugem sciens ætate provectos, dubitat esse futurum. Et cum hoc negat ætati, non credidit majestati; oblitus quippe nihil impossibile Deo. Cui Angelus respondit dicens : « Quoniam non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo, ecce eris mutus, nec loqui poteris, » donec impleatur verbum Dei[2]. » Quid putamus (1), fratres charissimi? quia sacerdos ille ideo intraverat in Sancta sanctorum, ut filius precaretur a Domino? Absit. Dicit aliquis, unde hoc probas? Unum est quod breviter dico. Si petiisset filium, crederet annuntiatum. Angelus autem Domini ei dicit, quod ei sit filius nasciturus, ille non credidit. Quis rogat sine spe? aut quis non credit in spe? Si non speras, quare petis? Si speras, quare non credis?

III. Interea Elisabeth conceptum portabat infantem; in publicum pro pudore muneris egredi nolebat, quia quod habuit erubescebat. Sed pudor eam revocabat ad provectum ætatis. Munus juventutis tempus protulit senectutis. Non peperit tempore quo volebat; sed genuit ætate, quando nolebat. Lactavit infantem in senectute, quæ fuit sterilis in juventute. Hoc non fuit communis carnis affectio, sed erat divinæ majestatis promissio; Zacharias enim filium ex se nasci non credebat; Deus autem Prophetam mittere disponebat. Natus ergo Joannes ex semine virili, sed præcepto verbi divini. Natus, inquit, Propheta, non sine patris invidia, quem suæ mentis præpedivit perfidia. Non credidit divino præcepto, et vinctus est linguæ impedimento.

IV. Infans in utero matris exultavit, et de ventre prophetavit. « Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei » ad me[3]? » Magna humilitas, fratres mei, quia Mater Salvatoris venit ad matrem Præcursoris. Salutabat Christum Joannes, et ambo non videbantur in carne. Christus enim in utero Mariæ hospitabatur, et Joannes in ventre Elisabeth portabatur. Denique et de ipso vox prophetica ex persona Christi cecinit dicens : « Priusquam te » formarem in utero, novi te; et antequam exires de ventre, sanctificavi te, et Prophetam in gentibus posui te[4]. » Beatæ sunt talium matres, quæ Sanctorum et Dominorum factæ sunt genitrices; et beatæ semper erunt quæ talium matres dici meruerunt.

V. Agnoscamus itaque amborum nativitates, et discernamus singulorum admirabiles generationes (2). Is de sterili, ille de virgine. Sterilitas conversa est in fœcunditatem; Virginitas mansit post fœcunditatem. Sterilis genuit Præconem, virgo genuit Judicem. Elisabeth genuit Joannem baptizantem, Maria peperit Christum Salvatorem. Hi duo, Christus et Joannes, Dominus et servus, humilitas et claritas, Deus humilis in claritate, homo humilis in infirmitate, Deus humilis propter hominem, homo humilis propter se hominem. Deus enim humilis, ut prodesset homini; homo humilis, ut non obesset sibi (3).

VI. Agnoscat servus humilitatem suam, ostendat Dominus majestatem suam. Dicat idem Joannes : « Non sum » dignus corrigiam calceamentorum ejus solvere[5]. » Multum se humiliaverat, si diceret : Dignus sum. Quid enim si diceret, Dignus sum? Numquid sederet in judicio ad dexteram Patris? numquid veniret ad judicandum vivos et mortuos? Sed quid dicit? « Me oportet minui, illum » autem crescere[6]. Qui post me venit, ante me factus » est[7], cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere[8]. » Magna humilitas, et hoc est dignus amicus sponsi (4). Dicturus enim erat amicum se esse sponsi. Et ne illa amicitia æqualitas forte ab aliquo imprudente intelligeretur, dicit se amicum propter amorem, dejecit se ad vestigia propter timorem.

VII. Et in ipsa differentia passionum intelligamus, quid est « Illum oportet crescere, me autem minui. » Legimus Joannem passum, et martyrem pro Legis veritate, non pro Christi nomine. Non omnino pro ipso nomine Christi, quia non enim ideo decollatus est Joannes quoniam confessus est Christum, aut quoniam cogebatur negare Christum; sed quoniam monebat temperantiam, monebat justitiam, et dicebat Herodi : « Non tibi licet habere uxorem Philippi fratris tui[9], » ideoque occisus est. Si ergo occiditur non pro Christi nomine, tamen pro Legis veritate, quia veritas Christus est. Loquantur ergo istæ ambæ passiones : « Illum oportet crescere, me autem minui[10]. » Illum dicat in Cruce exaltari, se autem capite decollari. Ille crevit in ligno, hic est diminutus in gladio. Hæc amborum locutæ sunt passiones. Hoc mysterium loquantur et dies (5). Nascitur Christus, et augentur dies, nascitur Joannes, et minuuntur dies. Minuatur ergo honor hominis, et augeatur honor Dei, ut honor hominis inveniatur in honorem Dei.

SERMO LXVIII.

In Natali Joannis Baptistæ IV.

Hic sermo ex eodem cod. Cass. CXXIII, *fol.* 148, *erutus in multis sanctum redolet Augustinum, cui tribuitur sicut et præcedens. Nihil occurrit quod hujus authenticitati obstare videatur. Codex in pluribus deficiens deprehenditur; menda corrigere, ut licuit, tentavimus; Lector judicabit. Locus ejus post præcedentem cum numero in Natali Joannis Baptistæ* XI.

SYNOPSIS.

I. Joannes vox Domini in deserto. II. Vox parandas Dei semitas fortiter insinuans. III. Zacharias mutus ob incredulitatem, generata Voce, vocem recipit. IV. De Synagoga et Ecclesia mysterium.

I. « Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia[11]. » Vox Domini humanæ sapientiæ conterens cedros, de contractis seni visceribus, et vitio sterilitatis adustis, hodie in deserto (6) sonuit, quæ per sæculum totum viribus summis increpuit; et obsurdescentem mundum, atque terram marcore (7) solutam, nunc mellifluo pulsavit sonitu, nunc clamore fortissimo suscitavit. Hic est enim Joannes, de quo nuntians Propheta dicit : « Vox clamantis in deserto[12]. » O vastum sæculi desertum! O formidolosa utrobique viantibus solitudo! Nullus namque jam Hebræam terram Patriarcha, nullus Pro-

[1] Luc. I, 8-18. — [2] Ibid. 19 et 20. — [3] Luc. I, 43. — [4] Jerem. I, 5. — [5] Luc. III, 16. — [6] Joan. III, 30. — [7] Id. I. 15. — [8] Luc. III, 16. — [9] Marc. VI, 18. — [10] Joan. III, 30. — [11] Psal. XXVIII, 4. — [12] Isai. XL, 3.

(1) Vide Serm. CCXCI, n. 3. — (2) Vide Serm. CCXCIII, n. 1. — (3) Vide Serm. CCCLXXX, n. 7. — (4) Vide Serm. CCLXXXVIII, n. 3, et Serm. CCXC, n. 3, et Serm. CCCLXXX, n. 6. — (5) Vide Serm. CCLXXXVII, n. 4, et Serm. CXCVII Append. n. 2, et Serm. CCCLXXX, inter dubios, n. 8. — (6) Cod. male *indelectio.* — (7) Id. pessime *tenerum marco resolutum.*

pheta calcavit. Patulas fauces (1) ad perniciem Judæus paratus et itinera cruenta servabat, in quibus sæpe veridicos viatores oppresserat. Universa quoque Gentium terra sine rege Christo, sine accola Verbo, infœcundis lignis, et duris lapidibus abundabat, quia hoc erat quod colebat. Texerant eam undique sylvæ vitiorum, atque crescentium ex se criminum rupes. Terra aspera facie spinosæ fœditatis horrebat; non illa falcem legis senserat, non illi vomer cœlestis agricolæ sulcos rectiores induxerat. Nullum semen gratiæ Christi Salvatoris (2) fœcunda manus sparserat, sed sicut canitur in Psalmo: «Terra erat » deserta, et sine via, et sine aqua[1]. » Non enim erat apud Gentes antea, aut aqua, aut via, ubi homines falsus error, incerta semper confusus varietate fallebat; ubi nullus imber ardentia scelera undis succurrentibus restinguebat.

II. In hac ergo eremo Judæorum seu Gentium, senticosa vox (3) clamavit; Præco imminentis judicis venit (4) Salvatorem, et ipse occidendus, annuntians, homines ad viam disciplinæ melioris exhortans: « Parate, » inquit, viam Domino, rectas facite semitas Dei nostri; » omnis vallis implebitur, et omnis mons, et collis hu» miliabitur[2]; » id est, omnis humilis exaltabitur, et omnis altus elidetur (5), quia « Omnis qui se exaltat hu» miliabitur, et qui se humiliat exaltabitur[3]; » et « Erunt » quæ prava sunt in directa, et aspera in vias planas[4]; » scilicet ut quidquid tortuosi serpentis anfractuosus et lubricus error invexit, quidquid scabrosæ naturæ claudicosa (*sic*) durities operuit (6), rectæ et inoffensæ viæ, ac securioris semitæ fidelis planities adæquaret. Hoc ergo ista vox clamat, hoc universo mundo Præco tantus insinuat: « Parate, inquit, viam Domino, rectas facite se» mitas Dei nostri[5]. » Jam siquidem Maria Spiritu sancto ante conceperat; jam sine alieno semine impollutus Virginis venter excreverat. Jam hîc Evangelistarum currebat quadriga cadentis alvi plenum Deo cursum per orbem ducta, cantum resonabat (7). Ideo vox judicem, tuba præibat regem, ut seculum conveniret, et mundus totus audiret, terrificisque clangoribus surdas aures hominum sonus gravissimus aperiret.

III. Cum igitur sacerdos Zacharias astaret altaribus, annuntiato Christi Præcone, confestim incredulus pater obmutuit. Sensit vox genuina silentium, vetus lingua conticuit Judæorum. Zacharias sacerdos a sacrificio revertitur mutus, quia verus erat Sacerdos illico nasciturus. Torpuerunt in cubili suo membra verborum; vox in suis succisa radicibus aruit, atque in ipsis conatibus victa defecit; nihil aperto ore sonabat, quia intra cæcum uteri dehiscentis chaos absorptus et interceptus sermo perierat. Ante Verbum vox nascitur. Perdidit itaque Judæa sermonem patrum, et vis novæ vocis transivit ad filium, quia Joannes Christo erat exhibiturus obsequium. Verum incredulus ille pater, qui Gabrieli a thronis regalibus venienti noluit accommodare fidem, post incarceratam vocem, quam vasta faucium profunditas, et iulca viscerum secreta receperant, ubi mater naturæ vincula et nodosa uteri implicamenta resolvit, generata voce pater recepit vocem (8). Fundit novum partum anus sterilis, et soluta sunt ora patris. O mira rerum, et naturæ conversio! Hic residuo calore virescunt et mortua ævo viscera; hîc arescit lingua, hic concipitur vox. Sed cum nascitur quod concipitur, confestim solvitur quod ligatur.

IV. Ad mysterium (9) redeamus. Erat igitur Ecclesia priscis temporibus infœcunda, de qua dicitur: « Lætare » sterilis, quæ non paris; erumpe et clama quæ non par» turis, quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ » habet virum[6]. » Quæ posteaquam divino repleto munere salutis Spiritum parturivit, sicut scriptum est: « Propter timorem tuum utero accepimus et parturivimus » Spiritum (10) salutis[7], » obstupuit lingua quæ genuit, id est, Synagogæ propheticus sermo defecit: idcirco Judæus, quem incredulitas fecerat (11) mutum, vox nata perducit ad Verbum, ut in partu suo agnoscat fidem, qui noluit agnoscere annuntiatum sibi Dominum Salvatorem. Minuantur hinc dies, crescant noctes. Humilietur in carne Deus, excipiat tenebrosos in Cruce Judæos. Necesse est ut dies resurgendo iterum crescat in luce, et nox victa in sua permaneat cæcitate.

SERMO LXIX.

In Natali sancti Joannis Baptistæ V.

Eruitur hic sermo ex Bibl. Laurent., Plut. XIII, *cod.* VIII, *fol.* 199, *ubi nomen habet sancti Augustini. Memoratur pariter in Bibl. Venet. catalogo, cod.* LXIX, *fol.* 256. *Sit locus ejus post præcedentem cum numero in Natali sancti Joannis Baptistæ* XII.

SYNOPSIS.

I. Cur Patriarcharum et Prophetarum nativitas non celebretur. II. Joannes, celebratus a Christianis, Veteris Legis finis et Novæ exordium. III. Desertum est gentilis populus, in quo Sancti floruerunt, sicut lilia. IV. Ecclesia incœpit per verbum Dei positum in ore Joannis pœnitentiam prædicantis. V. Exhortatio ad pœnitentiam amplectendam.

I. Cum et Patriarchas pariter, et Prophetas, et universos denique Sanctos, qui sub antiqua Lege vixerunt, Ecclesia Christi sancto honore veneretur, scire vos convenit, dilectissimi, cur solius tantum Joannis Prophetæ nativitatis diem colat populus christianus, præsertim cum multos Prophetarum passos et interfectos pro Dei nomine atque honore manifestum sit, secundum illud Domini, quo per Stephanum Judæos increpat, dicens: « Quem » Prophetarum non sunt persecuti patres vestri[8]. » Cum ergo agnoscamus etiam tunc Sanctos Dei persecutionem sustinuisse atque martyrium, quid est quod Ecclesia Christi non defert his natalitiis solemnitatem, quorum suscipit atque amplectitur passionem? Illud est scilicet, dilectissimi, quia iidem populi dies illos, quibus Prophetas persecuti sunt et interfecerunt, tradere cultui et memoriæ noluerunt, scilicet ne religiosa posteritas, dum actiones Sanctorum coleret, scelus persecutorum semper horreret, et sic oblitterando martyrum dies, fecerunt memoriam Sanctorum natalium non esse diuturnam, dum timent recordationem malorum suorum esse perpetuam. Sed nihil etiam tamen egerunt hæc faciendo. Quid enim eis prodest, quod dies martyrii eorum ignoramus, dum ipsos Martyres novimus. Nihil ergo profecerunt. Natalis quidem omnium Sanctorum pro Christo passorum scire non possumus, sed tamen quotidie Prophetas, qui pro Deo passi sunt, honoramus; ac sic grandi compendio detrimenta exigua pensantur, cum, quibus singuli dies sublati

[1] Psal. LXII, 3. — [2] Luc. III, 4. 5. — [3] Id. XIV, 11. — [4] Id. III, 5. — [5] Luc. III, 4. — [6] Isai. LIV, 1. — [7] Id. XXVI, 18. — [8] Act. VII, 52.

(1) Cod. habet sine sensu *patulæ fauces.* — (2) Cod. *Christi talis.* — (3) *Senticosa* vox, id est aspera; sic apud. Lucil. *Senticosa verba.* Vide Serm. CXCVI, Append., n. 1. — (4) Cod. male *invenit.* — (5) Cod. *eliditur.* — (6) Cod. *aperiit.* — (7) Sic cod. Forte pro *alvi* legendum est *ævi*, et virgularum mutandus ordo; Lector viderit. — (8) Vide Serm. CCXC, n. 4. — (9) Cod. male *ministerium.* — (10) In Vulgata legitur: *Parturivimus Spiritum; salutes non fecimus in terra*, etc. — (11) Cod. *fecerit.*

sunt per oblivionem, omne tempus tribuitur per honorem.

II. Quid ergo est, cum hæc ita sint (1), quid est, quod natale tantum sancti Joannis, aut per odium, aut per negligentiam Judæorum, fidelibus non delevit oblivio? Illud est scilicet, quia ex tempore quo beatus Joannes passus et interfectus est, jam cœperat nasci populus christianus, et ideo cultum Martyris, quem neglectum Judæorum fecerat impietas, Christianorum pietas consecravit; maxime quia licet eum sub Veteri Lege Christus direxerit, non tam Judæorum Prophetam quam suum esse Martyrem indicavit, quia prædicans fidem Christi, ejus utique confessor fuit, cujus præcursor advenerat. Et jam doctrinam evangelicam prius inchoans, pro eo utique passus est martyrium, cujus annuntiavit adventum. Nec immerito Legem ac Prophetas usque ad Joannem Baptistam legimus[1]; quia in eo utique Lex Vetus desiit, atque prædicatio primum novella surrexit. Quod si vultis plenius intelligere, videte Evangelistam qui lectus est, principium sacræ Scripturæ beatissimi sancti Joannis prædicatione sumentem. Videte quam congrue usque ad Joannem Lex esse memoretur. Rectè finis esse Veteris Legis dicitur, quia exordium est Evangelii. Nec solum hoc. Quid enim Evangelista subjungit : « Fuit, » inquit, Joannes in deserto baptizans et prædicans[2]. »

III. Hoc quod in deserto sanctus Joannes scribitur prædicasse, notissimum est, dilectissimi. In deserto enim hoc, et in occulto, Gentilis populus designatur, qui utique adhuc tunc solitarius et sine Deo errans, ferino penitus ac belluino more vivebat. Joannes ergo missus ad prædicandum Verbum Dei, et ad annuntiandum omnibus fidem Christi, ideo civitates Judæorum reliquerat, secundum illud : « Lætetur desertum et floreat, sicut li» lium[3]. » In deserto ergo, ut diximus, dilectissimi, populus Gentilis, in liliis sancti quidem homines ac dilectissimi designantur. Et ideo, inquit, « Lætetur desertum, » et floreat, sicut lilium. » Bene lilio Sanctos Scriptura comparat; habentes utique nitorem et suavitatem ex mansione (2). Sancti enim quasi lilia sunt, dilectissimi, et odoris boni, et candoris eximii; candorem quidem habentes ex puritate, odorem ex suavitate, sicut Apostolus ait, quia « Christi bonus odor sumus Deo[4]. » Hæc ergo lilia in deserto, id est, in Ecclesia, Prophetis atque Apostolis inserentibus nata, mutuo sibi in pace et charitate conjuncta, coronam Christi candidam contexuerunt (3), secundum illud Apostoli, quo ait Sanctos coronam suam esse, dicens : « Fratres, gaudium et corona mea, » sic state in Domino[5]. »

IV. « Fuit ergo, inquit, Joannes prædicans in deserto. » Utique, sicut et alius Evangelista dixit : « Factum est » Verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in (4) » deserto[6]. » Bene Evangelista volens incipientis Ecclesiæ demonstrare primordia, licet prædicare in Jordane dixerit, Verbum tamen Dei in prædicantem venisse memoravit, ut intelligeremus scilicet Ecclesiam non tam ab homine quam a Divinitate cœpisse. « Factum est enim, inquit, » Verbum Domini super Joannem. » Ergo licet Joannes tunc prædicaverit, a Verbo Dei cœpit, significans Ecclesiam in Verbo Dei et fide Christi fundatam. « Fuit ergo, inquit, » Joannes prædicans baptismum pœnitentiæ. » Plenius hoc jam, dilectissimi, et apertius typus Ecclesiæ demonstratur. » Erat enim, inquit, prædicans baptismum » pœnitentiæ, et baptizabantur ab eo confitentes peccata » sua. » Visibiliter hæc quidem, dilectissimi, agi in Judæorum populo videbantur; figura tamen rei ipsius ad Ecclesiam pertinebat. Qui enim agunt pœnitentiam, nisi Ecclesiæ tantum filii et Christiani homines ab errore conversi? Numquid hanc confidis Judæis prodesse, qui non modo se ante errasse non pœnitet, sed quotidie errores suos augent? Quomodo namque peccatorum suorum pœnitentiam agunt, qui Christum hodie persequuntur? « Baptizabantur (5) ergo, inquit, confitentes peccata sua. » Judæos itaque populus tunc baptizabatur, sed terra jam sanctæ Ecclesiæ purgabatur.

V. Videmus (6) ergo, dilectissimi, hæc Christianis et Sanctis tantummodo convenire, qui peccata sua in baptismo confitentur et post baptismum emendare satagunt, quorum propositum pœnitentia est, quorum vita confessio, quia incessabiliter se purificantes, quotidiano baptismo lavantur; quod ut faciatis hortor et obsecro, et quasi præpositus vester salubriter admoneo, quasi pater amabiliter suadeo.

SERMO LXX.

In Nativitate sancti Joannis Baptistæ VI.

Legitur hic sermo in Bibl. Laurent., Plut. XIII, *cod.* VIII, *secunda parte, fol.* 203 *b, et Cod. Cass.* CXXIII, *fol.* 149, *cum nomine sancti Augustini. De eo fit etiam mentio in Bibl. Venet. catalogo, cod.* LXIX, *fol.* 258. *Stylus paulisper durus; hunc tamen sancto Augustino penitus abnegare non auderem. Locus ejus post præcedentem cum numero in Natali sancti Joannis Baptistæ* XIII.

SYNOPSIS.

I. Superstitiones in nativitate sancti Joannis Baptistæ. II. Christus et Joannes æquinoxiorum tempore concepti, et nati tempore solstitiorum. III. Pagani ad baptismum invitantur. IV. Christiani ad celebrandam baptismi memoriam.

I. Præstrasum habet hactenus error dubiæ vetustatis religionem divinam superstitionibus fingere, usu (7) simulare, rationem (8) decolorare, quin etiam mendaciis verisimilibus veritatem protegere (9). Nam ut nox prosequitur (10) diem, dies vicissim noctem suscipiens dissipat et excludit : ita remissam paululum veritatem densus error astrorum insequitur, humanis ingeniis tenebras infusurus; sed cum splendens refulsit (11) ratio, veritas propellit errorem. Nam hic vel maxime dies, cum Joannis Baptistæ natalis sit, tantis erroribus dehonestatur (12), et paganica credulitate (13) vana polluitur, ut sacri baptismatis indigeant vel etiam stagna vel flumina puritate mundari (14). O fama, quantum adjuvas fidem, quæ dum incognita pervagaris, natalem diem sancti Joannis Baptistæ Gentibus publicasti (15), et a nondum Christianis celebrari fecisti! Quid enim (16) tibi loquar, fama, nes-

[1] Luc. XVI, 16. — [2] Marc. I, 4. — [3] Isai. XXXV, I. — [4] 2 Cor. II, 15. — [5] Philip. IV, 1. — [6] Luc. III, 2.

(1) Cod. *sunt.* — (2) Sic cod. Forte legendum *ex religione*, nisi per *mansionem* intelligas *fortitudinem*, qua in Dei *manserint servitio.* — (3) Cod. *contexerunt.* — (4) Id. *in desertum.* — (5) Id. *baptizantur.* — (6) Id. *videns.* — (7) Cod. VIII *usu insimulare.* — (8) Cod. *ratione.* — (9) Deest hoc verbum in cod. CXXIII. — (10) Id. cod. *persequitur.* — (11) Cod. VIII *refulsisset.* — (12) Cod. CXXIII *oneratur.* — (13) Cod. VIII *crudelitate*; hoc phrasis membrum deest in cod. CXXIII. — (14) Cod. CXXIII *gestiant stagna vel flumina aquis puritatem mundare.* — (15) Id. male : *quantum truhas fidem, quæ dum in contagia pervagaris natalem diem sancti Baptistæ*, etc. — (16) Deest *enim* in cod. CXXIII.

cio (1), quæ res verisimiles compellis testimonium dicere veritati (2). Videmus usque diluculo, priusquam solis ortus irrumpat, redire nudosa (3) fontibus ephebos (4); videmusquoque (5) superstisiosis matrum manibus gestari velatis capitibus unctos infantes. Sic, catechumeni (6), temeratis quod sanctum (7) est! Sic, fideles, erratis! Ignosco Gentibus, quod ignorant; vobis autem non ignosco Christianis, quod optime scitis. Gentes enim quod nesciunt, simulant; vos quod colitis, profanatis (8). Apostolus Paulus (9) hoc dicit : « Gentes quæ legem » non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt : hujusmodi legem non habentes sibimetipsis sunt lex; » qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis; » testimonium sibi reddente conscientia sua[1]. » Populum autem christianum sic corrigit (10) ab errore : « Qui » abominaris idola, sacrilegium facis: qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras. » Nomen enim Dei per vos blasphematur in Gentibus[2]. »

II. Sed ut Baptistam Joannem hodie natum esse perdoceam, januas temporum et metas breviter explicabo. Duo sunt anni solstitia, æquinoxiis duobus interpositis separata. Unum solstitium hodie geritur; alterum autem (11) octavo Kalendarum Januarii (12) die similiter celebratur. Æquinoxium vero unum est octavo Kalendarum Octobris die (13); abud octavo Kalendarum Aprilis reperitur. His ergo quatuor anni cardinibus constitutis (14), Joannes et Dominus noster Jesus Christus singulis æquinoxiis concepti sunt (15), ut solstitiis singulis nascerentur. Utriusque autem conceptum (16) nativitas indicat singulorum. Nam Joannes hodie natus, octavo Kalendarum Octobris die videtur esse conceptus; Christus autem, Filius Dei, octavo Kalendarum Aprilis, verbo maritante, conceptus, ut octavo Kalendarum Januarii die legitime nasceretur. Tempora sunt obsecuta naturæ (17) pro meritis singulorum (18). Joannes cum dies inchoat (19) minui, natus est; ut Christus, Dei Filius, cum dies crescere incipit, nasceretur, eodem Joanne dicente : « Ipsum quidem oportet crescere, me autem minui[3]. » Recte Joannes Christum ut diem constituit, quem prior David propheta psalmographus diei comparavit : « Hic » est, inquit, dies quem fecit Dominus, exultemus et » jucundemur in eo[4]. » Dies quem memorat, Christus est; qui et natus est, et occisus est, et post obitum resurrexit.

III. Audite hoc, vulgi sapientes; si alia vobis temporum ratio est, nostræ tamen fidei rationem accipite. Baptistam Joannem nos hodie natum (20) colimus, cum (21) vos solem (22) miramini æquipondio contineri; et si vobis nulla (23) temporum ratiu rationi aut religio (24) religioni consentiat, audite vos (25) quoque, qui corpora vestra gurgitibus fluminum matutinis horis (26) lustratis. Nolite hoc in irritum (27) facere; nolite fingere, quæ nescitis. Quod si aliqua vobis hujus purgationis est fides, sacrosanctam Ecclesiæ aquam petite, errores abjicite, et accipite veritatem.

IV. Vos autem, Christiani, hunc diem non solum natalem (28) Joannis Baptistæ, sed natalem quoque baptismatis existimate (29). Joannes enim Baptista hodie natus est, a quo idem baptizatus est Christus (30). Magnus quidem iste (31), qui dare potuit baptismum; sed major est ille qui suscepit (32). Denique humilitatem dantis advertite, ut accipientis possitis agnoscere veritatem, eodem Joanne (33) dicente : « Qui post me venit (34), » fortior me est; cujus non sum dignus solvere corrigiam » calceamenti. Ego quidem baptizo vos in aqua; ipse autem baptizabit vos in Spiritu sancto[5]. » Postquam igitur venit Christus ad Joannem, idem Joannes hoc dixit (35) : « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic » est de quo dixi : Post me venit (36) vir, qui ante me » factus est, quia prior me erat[6]. » Et postquam (37) venit Jesus ad Jordanem, ut baptizaretur a Joanne (38), respondit ei Joannes dicens (39) : « Ego a te debeo baptizari, » et tu venis ad me. Et dixit ei Jesus : Sine modo; sic » enim decet nos implere omnem justitiam[7]. » Tunc deposuit illum in aquam (40), et baptizatus (41) Jesus » Ascendit (42) de aqua, et aperti sunt ei (43) cœli, et » ecce Spiritus sanctus descendit de cœlo tanquam co» lumba, et mansit super (44) eum, et vox de cœlo » audita est : Hic est Filius meus dilectus in quo mihi » bene complacui[8]. » Hic est ergo natalis dies Joannis, datoris sacri baptismatis (45), quem omnes Christianos decet honorare (46). Tenete, fratres, hanc fidem, et (47) ne aliquid (*sic*) dubitetis, estote Christianæ fidei subjecti, quod ipse præstare dignetur, qui vivit et regnat trinus et unus Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

[1] Rom. II, 14, 15. — [2] Ibid. 22-24. — [3] Joan. III, 30. — [4] Psal. CXVII, 24. — [5] Luc. III, 16. — [6] Joan. I, 29, 30. — [7] Matth. III, 14, 15. — [8] Ibid. 16, 17.

(1) Ambo codd. *non licent*. — (2) Cod. CXXIII *quæ rei verisimiles adisti testimonium dicere veritati*. Cod. autem VIII non habet vocem *veritati*, sed legit reliqua ut scripsimus. — (3) Cod. CXXIII *unctos*. — (4) De hac pagana superstitione loquitur sanctus Augustinus Serm. CXCVI, num. 4. — (5) Sic cod. VIII; *alii namque*. — (6) Cod. CXXIII *catechumeni*. — (7) Cod. VIII *scriptum*. — (8) Sic cod. CXXIII; cod. VIII male *vos colitis quos profanatis*. — (9) De hoc sancti Pauli testimonio vide lib. IV contra Pelag. n. 23. — (10) Cod. CXXIII *corrigite*. — (11) Cod. VIII male *ante*. — (12) Cod. CXXIII *kalendarum januariarum*; cod. VIII *kalendas* [illegible] *Domini celebratur similiter*. — (13) Cod. CXXIII *kalendarum octobrium*, ut non habet *die*; cod. VIII *kalendas*, et sic deinceps. — (14) Cod. CXXIII *constitutus*. — (15) Vide sancti Augustini Serm. CXCVI, num 4. — (16) Cod. CXXIII male *conceptus*. — (17) Sic cod. CXXIII; cod. VIII *tempora etiam obsequuntur*. — (18) Sic cod. VIII; cod. CXXIII *hæc sunt merita singulorum*. — (19) Cod. CXXIII *incipit*. — (20) Cod. CXXIII *tantum*. — (21) Codd. *quem*. — (22) Cod. CXXIII, *quem vos hodie natum solem*. — (23) Codd. *alia*. — (24) Cod. CXXIII *aut*; cod. VIII *arte*. — (25) Sic cod. CXXIII; cod. VIII *nos*. — (26) Cod. CXXIII non habet *horis*. — (27) Id. male *hoc irritum*. — (28) Deest vox *natalem* in cod. VIII, deest autem vox *Joannis* in cod. CXXIII. — (29) Cod. CXXIII *æstimat*. — (30) Deest vox *Christus* in cod. VIII. — (31) Deest *iste* in cod. CXXIII, qui deinde habet *baptisma*. — (32) Cod. VIII *sumpsit*. — (33) Id. *evangelista*. — (34) Id. addit *inquit Joannes*. — (35) Hic mendose habet cod. CXXIII *venit Johes*, *idem Johes* · *ecce*. — (36) Cod. CXXIII *veniet*. — (37) Id. *et paulo post*. — (38) Deest hoc membrum in cod. CXXIII, qui addit *et ante respondit*. — (39) Deest vox *dicens* in cod. CXXIII. — (40) Cod. CXXIII *in aqua*. — (41) Cod. VIII male addit *est*. — (42) Id. male *descendit*. — (43) Deest *ei* in cod. CXXIII, et deinde *sanctus*. — (44) Cod. CXXIII *in eum*. — (45) Cod. CXXIII *hic est ergo baptismatis sacri dies*. — (46) Id. male *deest adorare*. — (47) Cod. CXXIII *et ne aliquis vos a fide depellat ratione. Hic est, inquam, sacri baptismatis dies, quem vos omnes ignorantes aquis mendacibus exercetis. Det vobis sacrosancti baptismatis Dominus veniam, quia ignorantes quod verum sit, facitis simplicitate peccatis.*

SERMO LXXI.

In Natali sanctorum Apostolorum Petri et Pauli II.

Hic sermo legitur in tribus codicibus, nempe uno Cassinensi, CIX, *fol.* 30; *altero autem Bibl. Laurent., videlicet Plut.* XX. *cod.* II, *fol.* 119; *et ultimo Bibl. Ædil., cod.* CXLIII, *fol.* 199 *b. Omnes habent sancti Augustini nomen, et revera multa sunt quæ cum aliis ejusdem Doctoris sermonibus conformantur, ut suo loco quæque præsignantur. Sit ejus locus post sermonem primi nostri supplementi* LVIII *cum numero in Natali Apostolorum* VII.

SYNOPSIS.

I. Fides Petri. II. Petrus et Paulus, Apostolorum primus et novissimus, eodem die coronantur. III. Nomen eorum ubique, corpora Romæ.

I. Audiamus, fratres charissimi, hunc piscatorem principem omnium Apostolorum, qui fideli responso meruit janitorem esse regni cœlorum. Accepit solvendi ligandique potestatem, quia invenit latentem Domini majestatem. In persona hominis interrogat Dominus Christus Discipulos suos (1), quid de eo vulgi æstimaret opinio, dicens : « Quem dicunt homines esse Filium hominis[1]? » At ille divino ignitus Spiritu respondit, non quod fuerat interrogatus, sed quod desuper fuerat inspiratus : « Tu » es, inquit, Christus filius Dei vivi[2]. » Cui Dominus ait : « Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis » non revelavit tibi (2), sed Pater meus, qui in cœlis » est[3]. » Incarnationis mysterium et tam profundi altitudinem sacramenti humanus sensus et carnis sapientia non potest intueri, nisi a (3) Deo fuerit revelatum. Ecce, fratres, Apostolus humilis et pauper invenit investigabiles divitias Domini per confessionem nominis Christi. Invenit divitias cœlestes credendo, non discutiendo. Semper enim credidit, nec aliquando discussit, cujus fides tantam gratiam meruit, ut etiam per mare Dominum sequeretur. Quomodo (4) autem hic undam calcasset, si humanam rationem tractasset? quomodo liquido elemento vestigia solidæ carnis imprimeret, nisi verbis Domini credidisset? Non ergo discussit, sed credidit, et ideo illi alta (5) Dei mysteria revelata sunt. Revelavit Dominus Discipulis suis ineffabilia fidei (6) sacramenta, et manifestavit eis odorem notitiæ suæ. Manifestavit se piscatoribus Dominus, ut universus mundus Evangelii retibus caperetur. Ecce ubique docent piscatores sapientiam, et errant grammatici et oratores sequentes stultitiam. In simplicitate cordis Dominum quæramus, fratres, et ejus adventum tanquam quotidie (7) venturum esse credamus, ut correcti a vitiis, vanam spem sæculi relinquentes, ad palmam supernæ vocationis attingere mereamur.

II. Natalem igitur celebramus sanctorum Apostolorum primi et novissimi. Scio quidem vos scire quod dixi; sed numquid quia vos scitis, nos silere debemus? ut reddentibus vobis quod vestrum est, nos remaneamus innoxii. Vos enim reddidistis solemnem processionem, et nos debemus facere qualemcumque sermonem, ut omnes pariter celebremus sanctam devotionem (8). Petrus itaque primus est Apostolorum, et Paulus novissimus Apostolorum. Deus autem qui eos in (9) sua vocatione sanctificavit, ipse illos in passione coronavit qui est primus et novissimus[5]; primus, videlicet ante quem nihil, novissimus, post quem nihil (10); nec originem ejus aliquis antecedit, nec finem excedit. Origo ejus non habet initium, finis non habet finem. Ita ergo ille qui se primum et novissimum æternitate perpetua commendavit, ipse Apostolos suos primum et novissimum æqualiter coronavit. Vita eorum prædicat charitatem; mors eorum consecrat solemnitatem. Una dies illis occurrit coronandis, civitas una tamen laudandis. Non sunt in terris corpora eorum separata, quorum merita sunt in cœlis coæquata. Viventes in carne plantaverunt Ecclesiam sermone suo, morientes pro Christo rigaverunt sanguine suo, adjuvant nos orantes pro merito suo. Bene sibi occurrerunt ad unum diem; ut quibus fuit communis prædicatio civitatis (11), una esset sors individuæ charitatis. Sane (12) sicut traditum est habemus. Primus beatus Petrus passus est; oportebat enim vocationis ordinem et in morte servari, deinde beatissimus Paulus, novissimus quidem Apostolorum, sed magister Gentium. Paulus ergo parvus, tanquam Domini fimbria vestimenti, sed tamen quæ possit salvare tangentes.

III. Elegerunt ambo Romam, principem Romani nominis civitatem; Petrus, propter primatum Apostolorum; Paulus, propter magisterium Gentium; sed illic (13) tantum corpora posuerunt, ubique autem merita sua disperserunt, sicut modo cantavimus (14) : « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis » terræ verba eorum[4]. » Quicumque hominum in quacumque parte terrarum novit Jesum Christum Dominum nostrum, necesse est Petrum sciat et Paulum; hoc est « In omnem terram exivit sonus eorum. » Quocumque enim non venerint viventes pedibus suis, mortui pervenerunt litteris suis; ex quibus nobis quotidie apostolica verba recitantur, ut de ipsis instruantur Catholici, inde confutentur inimici. Quia ergo non potuimus ubique corpora eorum habere, eloquta eorum possumus tenere. Corpora enim (15) eorum necesse fuerat, ut uno loco componerentur (16), sed virtutes eorum ubique exercentur in Christo Jesu Domino nostro, qui vivit (17) et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

[1] Matth. XVI, 13. — [2] Ibid. 16. — [3] Ibid. 17. — [4] Apoc. XXI, 13. — [5] Psal. XVIII, 5

(1) Vide Augustin. Serm. LXXVI, num. 1. — (2) Vide Augustin. Serm. CCLXX, num. 2. — (3) Cod. II *a Domino*. — (4) Codd. *quando* et sic deinceps. — (5) Sic cod. II; cod. CIX male *ideo alia*. — (6) Sic cod. CXLIII; cod. CIX *Dei*, cod. II hoc omittit. — (7) Sic codd. CIX et CXLIII; hoc verbum in cod. II desideratur. — (8) Sic codd. CIX et CXLIII; cod. II non habet *sanctam devotionem*. — (9) Sic codd. II et CXLIII; cod. CIX non habet *in*. — (10) Vide Augustin. Serm. CCXCVIII, num. 4, et CCXCIX, num. 2. — (11) Sic codd. Forte legendum *veritatis*. — (12) Hæc et sequentia leguntur in cod. CIX, sed desunt in cæteris codd., usque ad hæc verba *elegerunt ambo*. — (13) Sic codd. CIX et CXLIII; cod. II *illi*. — (14) Sic cod. CIX; cæteri non habent *sicut modo cantavimus*. — (15) Sic cod. CIX; *enim* deest in cæteris. — (16) Sic cod. CIX; cæteri codd. *ponerentur*. — (17) Sic cod. CIX; cæteri nihil addunt.

SERMO LXXII.

In Natali sanctorum Apostolorum Petri et Pauli III.

Extrahitur hic Sermo ex Bibl. Laurent., Plut. XIII, *cod.* VIII, *cum nomine sancti Augustini, cui nihil vetat ne tribuatur. Laudatur etiam in Bibl. Venet., cod.* LXIX, *fol.* 269 *b, ut legitur in catalogo, fol.* 50. *Ejus locus post præcedentem cum numero in Natali Apostolorum* VIII.

SYNOPSIS.

I. Petrus et Paulus, merito pares, eodem die, licet non eodem anno, martyrium passi sunt. II. Mira Petri potestas et gloria. III. Pauli conversio et merita. IV. Conclusio.

I. Fortis et humilis, maximus et minimus, princeps et novissimus, Petrus et Paulus, facti sunt meritorum æqualitate consortes, Apostolatus honore pares, Christiani populi per Evangelium genitores, gregis Dominici pastores, in fide et prædicatione concordes, in virtute consimiles, et in morte victores. Approbat hoc, quod cum sit in eorum passione anni diversitas (1), est tamen in uno die geminata festivitas. Occurrit enim idem dies alteri ad pugnam, qui unum jam perduxerat ad coronam; ut et istum faceret dies ille victorem, et duo triumphis perillustres (2) communem sibi sacrarent diem, in quo vicerunt mundum, et regem secuti sunt Christum.

II. O mira potentia et ineffabilis gratia Salvatoris! Quis persecutorem Saulum martyrem crederet esse futurum? quis plebeium piscatorem Apostolorum fore (3) crederet principem, et regibus obsistere, reges sanctificare, regnis omnibus imperare, mundum sanare legibus, dæmones calcare sub pedibus, imperare virtutibus, cœlum hominibus aperire cum vellet, claudere cum placeret, immortale regnum conversis donare, negare perversis, merita mundi cognoscere, culpas et crimina hominibus relaxare? O inæstimabilis et immensa potestas! Hominem in terra positum, cœlum tenere. Ecce nunc ad nutum Petri, divini regni claustra patescunt. Accepit enim a Christo claves regni cœlorum, ut solutis vinculis delictorum, aperiret credentibus cœlum. O quam vicina et profunda remedia! Juxta se habet mundus Dei regnum, si currat ad Petrum: nullæ (4) machinæ quæruntur ad nubes, quia ascensum præparat sola fides. Non ad aures Domini longa est precantibus via, quia ipse Christus credentibus factus est via. Posuit ad vicem suam in sæculo cœlestis regni clavicularium Petrum, ne difficilem sibi aditum quispiam existimaret.

III. Paulus vero cœlesti voce prostratus, dum furit ad caulas, et lupina rabie, exosum sibi nomen innocentis agni persequitur; dum quærit discerpere aut vexare gregem, percussus est, et erectus, cæcatus est et illuminatus ab eo, qui « Erigit elisos, et illuminat cæcos[1]. » Factus est subito ex lupo agnus, ex persecutore Apostolus, ex prædone captivus. Cœpit prædicare Christum, cui antea resistebat; pati pro eo quem ante expugnabat; flagellorum ictibus verberari, duris lapidibus conquassari, bestiis subigi, ignibus abjici, catenis inseri, carceribus obserari, ad postremum suscepit pro eo mortem, pro quo aliis intulerat necem; et dum quærit minuere numerum Christianorum, etiam ipse accessit ad numerum confessorum. Dum intrat rapax stabula quieti corporis (5), subito et ipse factus est ovis.

IV. Quis nunc jam desperet de humilitate generis, aut de magnitudine criminis, cum videat sic mundasse cœlestis gratiæ fontem, ut et piscatorem regibus præponeret, et persecutorem Apostolibus coæquaret. Ille enim dum pauperiem suam curat, et alimenta quotidiani victus quærit in pelago, factus est dives in Christo, cui reges et nationes famulantur in sæculo. Paulus vero dum urget gladiis cœtum Sanctorum, fidei suscepit jugum, et magister factus est Gentium, forma martyrum, formido dæmonum, indultor criminum fonsque virtutum. Utrique igitur in sæculo victoriæ palmam, et gloriosam in cœlo meruerunt coronam.

SERMO LXXIII.

In Octava SS. Apostolorum Petri et Pauli IV.

Hic Sermo eruitur ex Bibl. Ædil., cod. CCXLIII, *ubi brevior est, et ex cod. Cassin.* CIX, *fol.* 57 *verso, ubi nomine sancti Augustini inscribitur, et longior est. Nil occurrit quod a sancti Doctoris sententiis dissonet. Hinc sit locus ejus post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Petri fides non defecit in mare. II. *Fides* tenenda. III. Pauli conversio.

I. Fratres charissimi, aut erroris est, aut delicti reus (6), qui Petro apostolo, hoc est, Ecclesiæ fundamento, aliquid infidelitatis ascribit; sicut (7) temerarium est enim (8), dilectissimi, eum incredulitatis urguere, cui solvendorum et ligandorum criminum potestas est pro meritis divinitus attributa. Aut quis potest alius erga timorem Dei (9) jam idoneus inveniri, si in (10) Apostolo culpa innuitur; si Petro præcipue, cui ipse Dominus testimonium perhibuit (11), quod sit culpabile (12) irrogatur? Multi enim sensu indociles (13), qui rei gestæ rationem ignorant, laqueos non minimæ offensionis incurrunt, ut credant hoc loco fidem certam et solidam (14) in Apostolo non fuisse, ubi et dicitur a Domino: « Modicæ fidei, quare dubitasti[2]? » Non considerantes magnitudinem ipsius fidei, qua dictum est a Petro: « Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas[3]. » Utique, qui dicit: « Jube, » credidit potestati. Ingens ergo huic (15) credulitas fuit, ut audaci saltu et de navi intrepido descensu, profundo se crederet elemento, et inusitatam gressibus viam securus intraret, non metuens, quod et onerosum esset (16) humani corporis pondus, et (17) liquidum maris solidum non

[1] Psal. cxliv, 14, et cxlv, 8. — [2] Matth. xiv, 31. — [3] Ibid. 28.

(1) Communis est sententia sanctos Apostolos eodem anno, sicut et eodem die passos fuisse. Vide tamen eamdem opinionem in Append. Serm. ccv, num. 4. — (2) Cod. *perhibentes.* — (3) Id. *facile.* — (4) Id. *non hæ.* — (5) *Forte pastoris.* — (6) Deest *reus* in codd. — (7) Cod. cix *sic.* — (8) Sic cod. cix; *enim* deest in cod. cxliii. — (9) Hæc verba *erga timorem Dei* desunt in cod. cix. — (10) Deest *in* apud codd. — (11) Sic cod. cix; cod. cxliii *reddidit;* deinde cod. cix male *quod ei.* — (12) Sic cod. cix; cod. cxliii *culpabilis.* — (13) Cod. cix male *indocibiles.* — (14) Sic cod. cix; hæc verba *et solidam* desunt in cod. cxliii. — (15) Sic cod. cix; cod. cxliii *hic.* — (16) Cod. cix addit *iterum et ante humani.* — (17) Cod. cxliii *in.*

portaret ingressum. Tantum enim fiduciæ Domini verbo conceperat dicentis : « Veni [1], » ut crederet vestigiis suis non pelagi infidam mobilitatem subditam, sed tanquam terrenam soliditatem esse subjectam. Nam cum Dominus supra mare iter ageret, ita ei (1) subditum pedibus obtemperabat elementum, ut nec se mare subtraheret, et venerandas Domini plantas non tangeret. Nec mirum, charissimi, si ei (2) natura æquoris serviebat, cujus est arbitrio et dispositione perfecta. Soli ergo Christo debitum erat, ut siccis per aquam vestigiis ambularet, et fragilitatis humanæ ratio postulabat, ut Petrum turbaret ventus, pluvia terreret. Inde est ergo quod ex parte aliqua mersus est, ne inter Deum et hominem nihil inciperet discrepare, essetque inter homines non minima dubitatio, si Petrum hic vidissent fecisse quod Christum; nec honor debitus Deo redderetur (3), quia non esset mirum a Deo gestum, quod et ab homine videbatur effectum.

II. Et quia in hoc sæculo tanquam in aliquo mari positi sumus, in quo utique et spiritualium nequitiarum turbines (4) sustineamus, omni sollicitudine naufragium declinantes, teneamus fidei nostræ solida et stabilita vestigia, ut sæculum hoc (5), quod Dominus noster Jesus Christus pedum suorum, hoc est, adventus sui virtute calcavit, nulla nos ex parte præcipitet vel demergat. Certe si aliqua nos velut ingruentia (6) periculorum tentare cœperit, exemplo Apostolorum clamemus ad Dominum, dicentes : « Domine, libera nos, quia (7) perimus [2]. » Melius enim est nobis interpellando Dominum (8) liberari, quam dissimulando et non orando periculum mortis incurrere. Sed ut ad cœpta redeamus, plurimum ergo sibi humana usurpatio licentiæ daret, si virtutem cum Deo cœpisset habere communem. Idcirco ergo Petrus apostolus visus est hominibus in fluctibus dubitasse, ut sciremus nihil dandum esse nostro actui, sed totum quod recte gerimus divinæ ascribendum esse virtuti.

III. Et quia dignum (9) et congruum est, fratres, ut gaudia nostra cum sanctis Apostolis conferamus, et his annuntiemus Dominicæ resurrectionis gloriam, qui consortes sunt Dominicæ passionis. Nam ipse quem vas electionis suæ esse dignatus est, et voluit magistrum Gentibus (10) dare, non solum fidelium animas a pietatis proposito revocavit, sed etiam nolentes a Christo discedere, lapidibus obruebat. Hunc nobis ipse Dominus Apostolum condonavit, tribuitque nobis ex Saulo Paulum, et ex apostata fecit Apostolum, et dedit Ecclesiæ ex persecutore doctorem. Amator passionis factus est, qui persecutionis auctor exstiterat, et qui in alienis afflictionibus prius gratulabatur, in suis postmodum persecutionibus lætabatur. Ipse qui tunc in Apostolo suo virtutem istam exercuit, ipse nunc de ipso inferorum conclavi, et ex ipsis draconum faucibus animarum nostrarum captivitatem eripuit, et nobis a tenebris ad lucem remeantibus, æternæ vitæ januas patefecit, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor, laus et gloria per infinita sæculorum sæcula (11). Amen.

SERMO LXXIV.

De Lapsu Petri II.

Sermo hic eductus ex quatuor codicibus, nempe : 1° ex Bibl. Laurent., Plut. XVII, *cod.* XLI, *fol.* 105; *2° ex eadem Bibl., Plut.* XXXI *sinist., cod.* XXXIII, *fol.* 54 *b*; *3° ex Bibl. Ædil., cod.* CXLIII, *fol.* 234; *4° ex Bibl. Fesulan., cod.* XXV, *fol.* 231, *in primo et tertio nomen habet sancti Ambrosii, in secundo autem et quarto nomen sancti Augustini. Cui ex duobus potius sit tribuendus non satis constat; sed alterutro dignus est. Unde propter horum nominum reverentiam, et dubium non prorsus inane ejus authenticitatis quod spectat ad Doctorem nostrum, non in appendicem rejiciendum illum putavimus, sed hic ponere operæ pretium duximus. Sit locus ejus post sermonem nostri primi supplementi* LX.

SYNOPSIS.

I. Petrus, ut Adam, a femina deceptus. II. Citius subventum Petro quam protoplasto. III. Petri lacrymæ. IV. Ejusdem in Christum amor.

I. Scimus, fratres, quod ad similitudinem Evæ, beatum Petrum ostiaria quoque (12) mulier deceperit (13), et sicut Adam (14) mulier circumscripsit, ita et Apostolum femina circumvenerit. Usitatus (15) enim ad decipiendum sexus est; fraudis suæ vasculum in ostiaria diabolus (16) recognovit. Fideles viros nonnisi per mulierem oppugnare consuevit. Ibi Adam per Evam superat, hic Petrum vincit per ostiariam. Fuit enim, sicut legimus, in Paradiso (17) deliciarum diabolus; nec defuit, sicut intelligimus, in prætorio Judæorum. Ibi minabatur (18) Satanas serpens, hic Judas coluber perurgebat. Est ergo eadem similitudo deceptionis in Petro, quæ in Adam fuit, quoniam eadem (19) est et similitudo mandati. Accepit (20) ergo a Domino uterque mandatum, Adam ne tangeret, Apostolus ne negaret (21); ille ne lignum scientiæ præsumeret, hic ne crucem sapientiæ præteriret. Sed transgrediens (22) uterque præceptum, rari (23) modo deliquit (24). Gustavit (25) ille quod non licebat, loquitur iste quod non decet; et tamen facilior negatio Petri, quam Adæ prævaricatio.

II. Citius enim Apostolo, quam protoplasto (26) subvenitur. Hunc enim Deus ad vesperum requirit errantem, illum Dominus pullorum cantu denegantem (27). Adam reus facti, nudus erubuit; Petrus conscius dicti (28), correptus ingemuit. Ille tanquam deprehensus confugit (29) ad latebras (30); hic tanquam emendatus prorupit (31) ad lacrymas. Illi velut latenti et celanti se a divinitate dicitur : « Adam, ubi es [3]? » non quod Adam a

[1] Math. xiv, 29. — [2] Id. viii, 25. — [3] Gen. iii, 9.

(1) Sic cod. CXLIII; cod. CXL et. — (2) Sic cod. CXL; cod. CXLIII et eius si. — (3) Sic cod. XXV; cod. CXLIII redderet. — (4) Cod. CXL turbidinem. — (5) Sic cod. CXLIII; cod. CXL solum hoc, quod et quodam modo admitti posset ex Cant. pro Carino cap. 3. — (6) Sic cod. CXL; cod. CXLIII ingruentium. — (7) Sic cod. CXLIII; cod. CXL perishmus. — (8) Sic cod. CXLIII; cod. CXL a Domino. — (9) Hæc et sequentia usque ad glorificationem non leguntur in cod. CXLIII. — (10) Cod. Gentium. — (11) Cod. CXLIII cui est honor et gloria in sæcula sæculorum, Amen. — (13) Sic cod. CXLIII; cæteri quoque. Ante cod. IV non habet beatum. — (14) Sic cod. IV; cæteri deceperit. — (15) Sic cod. CXLIII; cæteri in Adam. — (16) Sic cod. CXLIII; cæteri mutatum, et notea circumvenerit. — (17) Sic cod. IV; cæteri pessime Dominus. — (18) Sic cod. IV; cæteri paradisum. — (19) Cod. IV immunebat; cæteri minabatur. — (20) Sic cod. CXLIII; cæteri male eamdem. — (21) Sic cod. IV; cæteri acceperunt. Cod. XXU, accepit enim. — (22) Sic cod. CXLIII, hæc desunt in cæteris. — (23) Sic cod. IV; cæteri transgredientes. — (24) Sic cod. CXLIII; cæteri patti. — (25) Sic legendum; codd. delinquunt. — (26) Sic omnes codd., excepto cod. IV, qui habet gustat, et deinde licet. — (27) Sic cod. CXLIII; cæteri male protoplausto. — (28) Sic cod. IV; cæteri male illum Domino pullorum cantu denegaret. — (29) Sic cod. IV; deest vox dicti in cæteris. — (30) Sic omnes codd. excepto cod. XV, qui habet festinat. — (31) Sic cod. IV, cæteri latebram. — (32) Sic cod. IV; cæteri erupit.

conspectu Domini latere potuerit, sed (1) quod peccatrici conscientiæ nullus locus tutus certus sit (2), metuit deprehendi. Respexit Dominus, et apertis oculis, ejus emendavit (3) errorem. Recte oculis emendavit (4) Petrum, quia scriptum est : « Oculi Domini super justos, et » aures ejus ad preces (5) eorum[1]. »

III. Ergo Petrus prorumpit (6) ad lacrymas, et nihil voce precatur. Invenio enim, quod fleverit, non invenio quod dixerit. Lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego. Recte plane Petrus flevit et tacuit, quia quod defleri solet, non solet escusari; et quod defendi non potest, ablui potest. Lavant enim lacrymæ (7) delictum, quod voce pudor est confiteri. Lacrymæ ergo (8) verecundiæ pariter consulunt et saluti, nec erubescunt in petendo (9), et impetrant in rogando. Lacrymæ, inquam, tacitæ quodam modo (10) preces sunt, veniam non postulant, sed (11) merentur, causam non dicunt, sed (12) misericordiam consequuntur; nisi quod utiliores lacrymarum preces sunt, quam (13) sermonum; quia sermo in precando fallit forte, lacryma (14) omnino non fallit. Sermo enim interdum non totum profert negotium, lacryma semper totum prodit (15) affectum. Et ideo Petrus jam non utitur sermone quo (16) fefellerat, quo peccaverat, quo fidem amiserat, ne per id ei non credatur ad confitendum, quo usus fuerat ad negandum. Ac per hoc magis vult causam suam flere, quam dicere, et (17) quod voce negaverat, lacrymis confiteri. Invenio autem et aliud cur tacuerit Petrus, ne tam cita veniæ postulatio (18) per impudentiam plus offenderet, quam impetraret. Solet enim citius mereri indulgentiam, qui verecundius deprecatur. In omni igitur culpa ante flendum est, quam (19) precandum. Scimus autem (20) hoc jam exemplo (21), quemadmodum nostra peccata curemus. Ecce nihil nobis Apostolus nocuit, quod negavit, et plurimum profuit (22), quod emendavit.

IV. Denique imitemur eum dicentem alibi. Cum enim tertio interrogaretur a Domino : « Simon, amas me[2]? » respondit tertio : « Domine, tu scis quia diligo te. Ait » Dominus, Pasce oves meas[3]. » Et hoc tertio; quod dictum est (23), ad compensationem prioris (24) prolecit erroris. Qui (25) enim Dominum tertio negaverat, tertio confitetur; et quoties culpam delinquendo contraxerat, toties gratiam diligendo conquirit (26). Videte ergo quantum fletus profuerit (27) Petro; antequam fleret, lapsus est; posteaquam flevit, erectus est; et qui ante lacrymas prævaricator extitit, post lacrymas pastor assumptus est, et alios regendos accepit, qui prius se ipsum non rexit; ipso adjuvante, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXXVI.

In Solemnitate Martyrum Machabæorum.

Eductus hic Sermo ex Cod. Cass. XII *in omnibus sancto convenit Augustino, cujus præ se fert nomen. Locus ejus post sermonem Maurinensem* CCCI *cum numero in solemnitate martyrum Machabæorum* III.

SYNOPSIS.

I. Quos natura simul edere non potuit mundo, hi simul fide gignuntur cœlo. II. Machabæorum matris felicitas. III. Ejusdem fortitudo filios alloquentis. IV. Mirabilior adhuc in ultimo filiorum offerendo. V. Conclusio.

I. Si velimus, fratres dilectissimi, de singulis istis sanctis ac beatissimis septem fratribus, qui die una cum sua gloriosa matre passi sunt, laudes dicere, nec nos duramus loquendo, nec vos toleratis audiendo. Postremo, fratres, etsi vestra in audiendo persistat aviditas, nostra tamen dicendo fatigatur infirmitas. Quis enim, dilectissimi, sufficiat digne laudare, digne prædicare, etsi non die una natos, tamen per confessionem die una coronatos? Hoc eis sancta fecit confessio, quod non potest facere humana parturitio; hoc, inquam, fecit divina gratia, quod non potest humana natura. Non enim potest quæcumque mulier die una generare septem fratres, quomodo hæc beata et gloriosa Machabæa genuit Christo per fidem una die septem Martyres confessores. Gaudeamus, fratres charissimi, quia fides facit quod naturalis progenies nunquam fecit. Gaudeamus ad Dei mirabilia, lætemur ad Dei magnalia, quia quos (28) non potuit simul edere uterus carnis, simul coronavit hodie Dominus majestatis.

II. O felix mater quæ genuit tales, hoc est carne et charitate, mundo et Deo, sæculo et Christo, terræ et cœlo. Sed quos primo cum tristitia et gemitu carne generaverat, nunc sicut Abraham tanquam holocaustum Deo in ara fidei, cum lætitia singulos ad victimam offerebat. O felix mater, quæ nullum filiorum suorum Deum negantem, plane Christum, nullum titubantem aspexit, nullum dæmoniis sacrificantem congemuit. In singulis enim et ipsa patiebatur, sed in omnibus vincentibus pro se et pro illis magnifice lætabatur. O mulier bona, quæ facta est arbor bona; sic enim Dominus dicit : « Arbor » bona bonos fructus facit[4]. » Folia et fructus istius arboris, fratres, verba sancta et bona facta sunt. De tali sancta arbore dicit Propheta : « Filii tui sicut novellæ » olivarum in circuitu mensæ tuæ[5]. » Item, intenti estote, fratres; arbor olivæ in hyeme invenitur fructuosa, in æstate opaca; in hyeme agricolam pascit, in æstate ei refrigerium facit : oleo impinguat caput ejus, umbraculo defendit corpus ejus. Sic namque (29) dicit Propheta : « Impinguasti in oleo caput meum[6]; » et iterum orat et

[1] Psal. XXXIII, 16. — [2] Joan. XXI, 17. — [3] Ibid. — [4] Matth. VII, 17. — [5] Psal. CXXVII, 3. — [6] Id. XXII, 5.

(1) Sic cod. XV, qui antea ponit *certus*; sed evidenter *certus* bis repetitus hic est pro *sed*. — (2) Sic cod. XV; cæteri *nullus certus locus sit*. — (3) Sic cod. CXLIII; cæteri male *emendatum*. — (4) Sic cod. XV; et deinde omnes codd. male *Petrus*. — (5) Sic cod. CXLI et cæteri; cod. XV solus *in preces*. — (6) Cod. XV solus *prorupit*, et deinde *precatus*. — (7) Cod. XV solus *lavant enim lacryma*. — (8) Sic cod. XV; cæteri *enim*. — (9) Sic cod. XV; cod. XLI *impedenda*; cod. CXLIII *impendendo*. — (10) Sic cod. XV; cæteri *quemadmodum*. — (11) Sic omnes codd.; cod. XV *et*. — (12) Sic pro *non* legendum; codd. *et*. — (13) Sic cod. XV; cæteri male *tanquam*. — (14) Sic cod. CXLIII; cæteri *lacrymas*. — (15) Sic cod. CXLIII; cæteri male *lacrymas. perdit*. — (16) Sic cod. XV; cæteri *quod*. — (17) Sic cod. XLV bene; cæteri non habent *et*. — (18) Sic cod. XV, excepto quod habet *cito* pro *cita*; cæteri *cito... postulatione*. — (19) Sic cod. XV; cæteri *et sic*. — (20) Sic cod. XV; cæteri non habent *autem*. — (21) Sic cod. CXLIII; cæteri male *exemplum*. — (22) Sic cod. CXLIII; cæteri *profugit*. — (23) Sic cod. XLI et cæteri; cod. XLV non habet *est*. — (24) Codd. male *comparationem*. — (25) Sic cod. XV, qui male addit *a Domino*; cæteri non habent *a Domino*, et habent *apud*. Cod. CXLIII habet solus, *quod enim Domino*. — (26) Sic cod. XV; cæteri *conquiret*. — (27) Sic codd. omnes, excepto cod. CXLIII qui male habet *profuit*. — (28) Cod. *qui quod*. — (29) Id. *denique*.

dicit : « Ego autem sicut oliva fructifera in domo Do» mini [1]. » Hunc olivæ surculum columba invenit, et ad arcam tempore diluvii cum fructu revolavit(1). Isti ergo septem filii septem fructuosi sunt rami, qui tempore persecutionis inclinari non potuerunt.

III. Cum ergo videret filios suos pro fide torqueri, frigi, incendi, et sigillatim eorum membra abscindi, trucidari et in vento disseminari, non timuit, non expavit, non saltem palluit. Intrepide enim stabat, quam Deus pro sua lege pugnantem fortiter corroborabat. O quæ Deus huic beatæ mulieri concessit, fratres! quæ (2) nata est in ordine temporis prior filiis, simul cum eis juncta fuit (3) Angelis, et quæ fuerat mater, sancta est soror in agone certaminis; et quæ prior nata viderat solem, una die cum filiis passa, conspicit Salvatorem. Ideoque cum unus junior septem fratrum (4) remansisset, vocavit eum item perditus rex, et ei cœpit oblectando, multa etiam promittendo insidiari (5), ut a via recta eum traduceret, et a suis sanctis fratribus subdole separaret. Promisit primum divitias, honores, dignitates, promisit aurum, argentum, regnum, imperium. Ille (6) autem omnia irrisit, omnia conculcavit, quia Deum toto corde dilexit. Præparatæ sunt minæ, et cuncta genera tormentorum, nec sic timuit, nec ad munera declinare potuit, nec minas crudelissimi regis expavit. Cumque vidisset Antiochus rex ubique se victum et ab omnibus superatum, vocavit matrem pueri, ut persuaderet filio suo, ne et ipse sicut fratres ejus ad majora tormenta perveniret. Dixit mulieri ut persuaderet filio suo; sed quid habuit persuadere illi qui remanserat, nisi quod persuaserat illis, quos jam ad Dominum præmiserat. Jam enim primo dixerat filiis suis : « Filii, nescio quo» modo in ventrem meum apparuistis, nec ego spiritum » et animam dedi vobis, non vultus et membra plasmavi, » sed Deus, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia » quæ in eis sunt et omnium invenit originem (7), ipse » spiritum et animam donavit, ipse vultus et membra » plasmavit, et quia modo propter sanctas leges ejus » traditis corpora vestra, sed ipse iterum vos restituet in » sua misericordia [2]. » Mater enim erat, hoc noverat præstare filiis suis, quæ toto corde diligebat Deum.

IV. Si miramur, fratres, Abraham sanctum, qui Deo obtulit filium, quanto magis hæc mirabilior extitit, quæ una die septem filios martyres ad Deum cum tota devotione præmisit. Igitur et in isto minimo filio, qui remanserat, dicebat : Tu, fili, superes mihi, tu summa votorum meorum, tu postremus clausisti partus meos; rogo et obsecro, comple gaudium meum. Misericordia mihi, inquit, mi fili, quæ te in utero meo tot mensium spatio portavi; ne uno momento confundas senectutem meam, ne decolores tot fratrum tuorum trophæa, ne sacrum eorum comitatum relinquas, ne consortium deseras; aspice, inquit, fili, in cœlum, unde spiritum et animam accepisti; aspice in terram, quæ tibi alimoniam salutis subministravit; aspice fratres, qui collegam expectant; aspice matrem quæ tibi lac per triennium (8) dedit. Redde mercedem pii sanguinis; noli a fratribus separari, hortante (9), quæ te parturivit, matre debili. Rogo, fili, temporales tibi divitias promittit Antiochus rex, temporales honores, sed omnia vide et proba, quia vana sunt, temporalia et inania, et æterna non sunt; solus Deus æternus promittit, qui neminem decipit, neminem fallit. Fili, recordare verba Domini Dei tui, recordare, inquam, quæ legisti vel audisti, quid Deus dicat per Prophetam : « Vanitas vanitatum, omnia va» nitas [3]. » O fili, noli timere Antiochum regem, qui tuum corpus ad tempus occidit, sed time Deum tuum, qui corpus et animam cum tuis fratribus resuscitabit. Vos itaque mihi septem dierum lumina Deus dedit, jam sextum diem conclusi; quia sextum hunc fratrem (10) ad Dominum præmisi, et omnium opera valde bona vidi; debes et tu, fili, ut quæ in illis sex laboravi, in te septimo requiescam. Quia et Dominus Deus, ad quem curritis et pergitis, septimo die requievit ab omnibus operibus suis, et ego requiescam ab omnibus lacrymis meis. Tali ergo et isto materno hortamento (11) admonitus, repletus Spiritu sancto, ait : « Quem speratis? » quem sustinetis? non consentio neque obedio imperio » falsi regis, sed obedio Deo [4], » et cætera quæ audistis. Igitur et iste mundus et purus spiritum tradidit. Post omnes mortua est mater, mortua in mundo, sed vivit Deo; non enim mori potuit, quæ filios suos pro amore Dei martyrium perpeti fecit. Omnes enim vivunt sub ara cœlorum, quia non est Deus mortuorum, sed vivorum.

V. Ergo, fratres, antiqui justi pro illis divinis sacramentis passi sunt. Si tres pueros et Danielem laudamus et prædicamus, quia de mensa regis contaminari noluerunt, si istos Machabæos, de quibus tanta locuti sumus, et cum ingenti admiratione et fama proferimus, qui cibum vel escam, quibus nunc Christiani licite utuntur, ipsi accipere noluerunt, nos pro Christo, pro baptismo Christi, pro eucharistia Christi, et pro signo Christi, quæ pati aut quæ tolerare debemus? Nam (12) illæ fuerunt promissiones rerum complendarum, hæc sunt indicia completarum. Tunc enim erat fides occulta, modo manifesta. Nam eadem credebant, eademque sperabant omnes sancti et justi. Sustineamus ergo et nos, fratres, quæ illi pro Deo sustinuerunt, contemnamus quæ contempserunt, ut cum ipsis accipiamus vitam æternam quam speramus.

SERMO LXXVII.

In Natali Beati Laurentii Martyris I.

Erutus hic Sermo ex Cod. Casin. CIX, *fol.* 92, *et Bibl. Laurent., Plut.* XIII, *Cod.* VIII, *fol.* 226 *b, nihil habet quod sancto Augustino repugnet, cujus nomen præ se fert, imo et multas ejusdem sententias continet et dictiones. In Catal. Bibl. Venet. sancti Marci tom.* 2, *fol.* 51, *pariter indicatur, et asterisco distinguitur, tanquam nondum editus. Sit post sermonem Benedictinorum* CCCV *cum numero in Natali sancti Laurentii* V.

SYNOPSIS.

I. Sancti Laurentii victoria de mundo relata. II. Fortitudo ejus imitanda

I. Inter laurigeros confessores, quos ad cœlum provexit perennis gloria triumphatorum, sanctus Laurentius vario decoris fulgore coruscat; quoniam et leviticam candidam et martyralem sortitus est in passione coronam. Quosdam igitur sanguis roseus cruentavit, alios flamma tanquam in fornace succendit; in his (13) rutilus, in istis purpureus color refulsit. Inter omnes beatus Lauren-

[1] Psal. LI, 10. — [2] 2 Mach. VII, 22, 23. — [3] Eccli. I, 2. — [4] 2 Mach. VII, 30, etc.

(1) Cod. *revocavit.* — (2) Id. *et quæ.* — (3) Id. *fuisset.* — (4) Id. *fratres.* — (5) Deest vox *insidiari* in cod. — (6) Cod. *ita.* — (7) Cod. absque sensu *inquit saccum.* — (8) Cod. male addit *tempus.* — (9) Cod. *arcute.* — (10) Cod. *sextum hos fratres.* — (11) Cod. *ornamento.* — (12) Cod. *cum.* — (13) Sic cod. VIII, sed CIX *illis.*

tus palmis versicoloribus radiavit, sicque verbera, ignis, et gladius, et omnis officina sævitiæ laudis titulos martyribus pepererunt, quoniam non sunt in certamine victi sed ascenderunt e sæculo coronati. Quid igitur dolor? quid pœna? quid mors hominis terrestris? Vicit vos fides, superavit vos martyrum fortitudo. Jam non potestis timeri post finem. Provexistis martyres, non vicistis. Evanuit virtus vestra. Facta sunt de vobis lucrativa commercia, ut per vos iretur ad gloriam, quia tenuerunt Martyres in passione constantiam. « En (1) ubi est, mors, » victoria tua? ubi est, mors, aculeus tuus[1]? » Totum frangit qui mori (2) non timet; totum superat qui ad Christum moriendo festinat. Non enim potest formidare pœnam qui se scit a morte transiturum ad vitam. Quomodo (3) igitur beatus Laurentius illa supplicia, illa incendia superaret, nisi cuperet ad cœlorum palatia læta migrare? Noverat namque victurum (4) se esse post funus, post ignem refrigeria reperturum. Solvebatur namque corpus ejus, et defluebat ardentibus prunis; exustum ibat in cineres et favillas, quod de terra fuerat procreatum. Reddebat miseræ genitrici partum suum, refundebat limosæ matri vasculum suum. Quod de terra acceperat, terræ reddebat; quod de humo increverat, flamma conflabat. Quid igitur inter hæc tormenta spiritus faciebat, nisi ad cœli partes subvolabat (5)? Non enim poterat anima igne terreri, quia in carne non poterat superari. Vox ergo (6) omnium Martyrum illa est, quæ canitur in Psalmo: « Anima nostra sicut passer liberata est de » muscipula venantium. Muscipula contrita est (7), et » nos liberati sumus (8). Adjutorium nostrum in no» mine Domini, qui fecit cœlum et terram[2]. » Cremata igitur est angusta et fragilis corporis cavea, et sicut passer de vinculis evasit, Martyris anima liberata est, receptura in fine corpus suum, quia Deus artifex, qui dignatus est hominis annumerare capillos, spopondit nihil eidem ipsi corpori periturum: « Capillus, inquit, de » capite vestro non peribit[3]. »

II. Erubesce jam, incredule Manichæe, qui resurrectionem futuram esse diffidis. Christus dixit, Deus dixit (9), Veritas dixit, quæ (10) mentiri non potuit, hominis nequidem capillum esse periturum. Non potest discuti, quod Omnipotens voluit polliceri. Nec est animarum, ut Plato putavit, in alia corpora (11) transitus, quia non potest esse homo asinus aut camelus, sed (12) erit unusquisque hominum in suo corpore judicandus. Ut video, perfide, quia (13) non vis credere, times resurgere. Sed velis nolis, necesse est ut resurgas, et agnoscas vera esse quæ negas (14). Cedo paci ejus, præteriens contradictionis vetustissimam fecem. Tunc, homo, compendio vadis ad cœlum, si nolueris declinare martyrium. Seu velis, seu nolis, eris in isto sæculo moriturus. Quid igitur dubitas pati pro Christo, qui te nosti minime duraturum in mundo (15). Laudemus ergo, fratres charissimi, et honoremus Laurentium sanctum, qui pretiosam fidei margaritam etiam inter fumiferas flammas servavit illæsam. Omnes igitur divitiæ, et omnis census, gemmarumque decor et lapidum multicolor pulchritudo, aut ante mortem eripitur, aut certe, si usque ad mortem servatur, tamen in ipsa morte penitus non tenetur. Thesaurus vero fidei, cui nullæ opes potuerunt comparari, in baptismo acquiritur, in passione servatur (16), post passionem immortaliter possidetur. Hic igitur aurum, inter (17) tormenta si confessus fueris, perdis; si negaveris, servas. Ibi Christum inter uncatos torvosque (18) carnifices tunc perdis, si negaveris; si vero confitearis, acquiris (19) martyrii palmam.

SERMO LXXVIII.

In Natali Beati Laurentii Martyris II.

Idem dicendum videtur de hoc Sermone ac de præcedenti, utpote qui legatur in eodem Cod. Cass. CIX, *fol.* 93 *a tergo. Sit locus ejus post præcedentem cum numero in Natali beati Laurentii* VI.

SYNOPSIS.

Sancti Laurentii invicta fortitudo.

Post Apostolorum victoriam, lætus Laurentius aggressus est pugnam, et consecutus est coronam; erat enim in Ecclesia præditus officio Levitarum. Cum ei passionis gloriosum tempus advenisset, cumque ab eo sacrilegus judex opes Ecclesiæ inquireret deferendas, statim beatus Laurentius pauperes jussit adduci, quorum manus, collocato in cœlo thesauro, crebris transmissionibus adimplebat. Ille vero insaniæ suæ ira commotus, in auxilium sævitiæ suæ flammas advocat; et commenta perquirit, atque diversis pœnis affectum, ignibus beatum Martyrem præcipit concremari. Torquetur, tunditur, exuritur, et distentis membris crescit ad pœnam. Quid agis? quid laboras? quid æstuas, judex? Primum, si potes, animum qui ardet extingue, et tunc demum Martyris corpus incende. Quid carnem persequeris confitentis? Puni, si potes, fortitudinem tolerantis. Præstas, et nescis; consulis, et ignoras. Nam deposita sarcina corporis, Martyr noster expeditior volat ad cœlum, cui, dum caro paulatim absumitur, animi vires augentur. Adminiculum ergo Martyri præstas; namque optat deponere carnem, quam se novit cum mortalibus habere communem. Legimus autem, fratres charissimi, quod vasa figuli probat fornax[4]. Vere iste in se Christi fabricam custodivit, qui super fornacis incendia securus occubuit. Ardebat caro ejus, sed vigilabat interior spiritus ejus. Vas illud sanctum, quod hauserat de fonte secretum, etiam in igne gestabat. Nam dum se coctum ex una parte corporis prævidisset, et aliam validam offerre (20) festinabat. Cupiens videlicet per arma justitiæ dextra lævaque probari[5], sic ait: Girate me, et comedite, quia coctum est. Magna virtus fidei, fratres; sed intrinsecus forma charitatis ardebat, qui sic de incendio suo (21) illato ridebat. Nam attaminare non potuit persecutor, quod Dominicæ mensæ fuerat consecratum; et jejuna remansit impietas, quia Christi fidem eorum abnegaverat vanitas. Gloriosum autem et extremum cum fide direxit spiritum, quem passio atque victoria levavit ad Jesum Christum Dominum nostrum.

[1] I Cor. XV, 55. — [2] Psal. CXXIII, 7, 8. — [3] Luc. XXI, 18. — [4] Eccli. XXVII, 6. — [5] II Cor. VI, 7.

(1) Cod. VIII, heu! — (2) Sic cod. VIII; deest mori in cod. CIX. — (3) Cod. male quando. — (4) Sic cod. VIII; cod. CIX victurum. — (5) Desunt hæc in cod. CIX. — (6) Cod. VIII igitur. — (7) Id. muscipulæ contritæ sunt. — (8) V. de August. Enarrat. in Psal. CXXIII, num. 12, ubi eadem utitur versione. — (9) Desunt hæc in cod. VIII. — (10) Cod. CIX qui. — (11) Sic cod. VIII; cod. CIX corpora. — (12) Sic cod. VIII; cod. CIX sic. — (13) Cod. VIII qui. — (14) Desunt hæc in cod. VIII, et sequens sententia in cod. CIX. — (15) Cod. male mundum. — (16) Desunt hæc in cod. CIX. — (17) Sic cod. VIII; cod. CIX in. — (18) Cod. VIII inter uncos. — (19) Sequentia desunt in cod. VIII. — (20) Deest verbum offerre in cod. — (21) Forte sibi.

SERMO LXXIX.

In Decollatione Sancti Joannis Baptistæ I.

Sermo iste legitur in Cod. Cass. CXXIII, *fol.* 150, *sine titulo et sine nomine. Sed præcedens ad sanctum Augustinum refertur, et sequens qui idem argumentum cum eodem stylo iisdemque sententiis tractat, beato Doctori pariter tribuitur. Passim aliunde occurrunt sententiarum membra Augustiniano more inter se opposita, quanquam et quædam solito elegantiora hinc et inde appareant. Ancipites diutius hæsimus, utrum hunc fœtum Augustini diceremus necne; sed re attentius perpensa, propter locum quem in manuscripto occupat inter duos sancti Augustini sermones, eorumque similitudinem in scribendo, illum authenticum habere satius duximus, cum præsertim beato Doctore non indignis sententiis scaturiat. Mendosus codex et in multis corrigendus; quin et in aliquo deficiens. Locus ejus in editis post sermonem Maurinensem* CCCVIII *cum numero in Decollatione sancti Joannis Baptistæ* III.

SYNOPSIS.

I. Dies natalis Joannis potius quam Herodis. II. Convivii apparatus. III. Regis et ipsius convivarum turpis ebrietas. IV. Saltans Herodiadis filia caput Joannis abscindi procurat. V. Epilogus.

I. Natali autem facto Herodis (1), saltavit filia Herodiadis in medio, et placuit Herodi. Dies, qua genitus est, non ipsi sceleratissimo tantum grata fuit quantum Joanni Baptistæ, qui tum passus est. Plus est enim Deo renasci, quam diabolo generari. Non ergo fuit natalis regis impii, sed Prophetæ, quia illo die manifestum est Baptistam æternitatem consecutum fuisse, quo passus est, et Herodem mortem incidisse, quo natus est. Lugubris homini et acerba plurimum dies, quæ illum et in lucem primitus produxit, et usque ad id temporis reservavit, in quo non misericordiæ aut mansuetudinis honestaretur testimonio, sed horrendæ crudelitatis deformaretur exemplo. Incluso Joanne in carcere, tanquam injustæ increpationis persona religata, quia amara sunt male viventibus præcepta justitiæ, Herodes quia vetiti admissi nemo eum redargueret (2), lætabatur. Quis autem Propheta damnato, qui factum notabat illicitum, Tetrarcham superbum libere aut reprehenderet, aut admoneret, cum et pœna esset proposita libertati, et moris sit contra fas et decus etiam iniquis regibus adulari?

II. Nec longum tempus; ecce dies regii natalis adventat; gaudere Herodes, libenter accipere vitæ suæ cursum tendi, annorum spatia propagari. Nescia hominum mens, quæ dum aut præsentibus oblectatur, aut prosperis, nec futura prævidet, nec adversa. Continuo regali luxu splendida domus exornatur interius, ac mediis tectis cruenta convivia præparantur; velantur postes festis frondibus, pinguntur parietes floribus, et coronis renidebant atria funesta et horrida (3), virebant tecta nemorosa. Sic omnia vernabant composita per artem, ut naturalem gratiam mentirentur. Non fuerunt hæc deliciæ Herodis, sed Joannis. Hæc bene olentium florum amœnitas non regi procurata (4), sed martyri; instruit itaque (5) ample magnificeque triclinium Judaïcæ gentis tyrannus, ue tanto (6)... minus fieret jucunda solemnitas, si divitias suas atque opes detractasset publicare conviviis. Multa et lauta supellex constituitur in aspectu; stupendi quoque ponderis (7) et artificii vasa exponuntur (8), ut Herodes se non solum luxuriosum proderet, verum et ostenderet copiosum, nec solum amicorum et clientum suorum famem opimis eximeret alimentis, sed diversarum rerum pulchritudine oculos satiaret; tunc demum convivium probaretur, ubi et cibis expleretur corpus, et variis miraculis recumbentium pasceretur obtutus. Igitur ubi invitati frequentes per limina læta conveniunt solito maturius, quia et famem metiebatur diabolus, et humanum sanguinem sitiebat, discubuere cuncti, superbum et ostrum pictis promitur in thoris; inferuntur escæ officio ministrorum, mensæ dapibus onerantur, et quamvis nutritæ omnibus elementis epulæ non deessent, adhuc inopis Herodis convivium sordebat egenum, quia crudelitas quod devoraret aut ederet non habebat.

III. Jacet ipse rex inter primos alto strato recumbens, feralis prolixitate convivii cubito jam defesso, poculis ingurgitatus innumeris, in quo nec mens, nec pes suum officium gereret si consurgere voluisset. Omnes enim videntur bene sobrii dum recumbunt, venas corporis mero, non sanguine plenas gerentes, quorum hebetaretur sensus, et, vino oculis lacrymantibus, caligaret aspectus. Quis enim potest credere Herodem honestos habuisse consortes, cum alius e convivis regalem vomeret in mensam, alius esculentis frustis vinum redolentibus triclinium regis impleret, nonnulli jacerent sepulti somno et vino, nec mentis compotes, nec salutis; inter alios prælium gereretur pro ebrietatis victoria, non pro æmulatione virtutis; cum ille in amicum scyphum jaceret, hic adversus convivas magno cratere (9) pugnaret? Mirum est spectaculum certaminis vinolenti, non in domo regis, sed in popina cauponis. Credo, egregius judaïcæ gentis præpositus militibus suis hujusmodi concesserat potestatem, ut non telis dimicarent ipso præsente, sed poculis, et qui bellum hostile non noverat, domesticam sibi pugnam de temulentis civibus exhibebat. Quanta in illo convivio turpitudo? Quæ procacitas obscœna verborum, cum maderent pavimenta vino, et personarent omnia vocibus ebriorum? Quis enim conviva (10), quis famulus, aut regis meminisset, aut domini? Cum auctor verecundiæ dissolvitur in lasciviam, manifestum est quod nemo teneat disciplinam.

IV. Inter hæc inverecundiæ ludicra, filia Herodiadis ingreditur tota mollis, et fracta, ut non cohiberet luxuriam, sed doceret. Nihil ex matre adultera vel probum didicerat, vel pudicum. Rex virginem, etsi corpore, non pudore, adhortatur ut saltet, immemor regiæ gravitatis, paterni rigoris oblitus; cujus partes erant licentiam puellarem pro imperio coërcere, ipse dissolutionis faces et fomitem ministrabat, largiturum se cum juramento pollicens quod petiisset. Illecta præmiis puella, non differt; matre (11) connivente dissolvitur; statim torquetur ad insanos circuitus, celeres vertitur in rotatus (12), nunc flexo ad pedes latere (13) incurvata, nunc supino in tergum capite recurva, cum delicatos sinus, et vestem gereret corporis creditricem (14), per sublime alternatis brachiis cymbala rauca (15) circumferens, et vix loco staret, vix pedum vestigiis inhæreret, incompositos jac-

(1) Cod. male *Herodes*. — (2) Cod. male *redarguere*; legendum manifeste *redargueret*, nisi forte desit aliquod verbum, v. g. *redarguere audebat*. — (3) Cod. *horbida*; forte *herbida*. — (4) In cod. perperam; *desunt verba non regi*. — (5) Cod. male *instrui*, *ita quod*, etc. — (6) Deest verbum in manuscripto forte *ipsis*. — (7) Cod. *stupidi ponderis*. — (8) Hic sine ratione repetitur in codice *et ponderis*, quod evidenter amanuensis errore abundat. — (9) Cod. male *crate repugnaret*. — (10) Id. perperam *convivia*. — (11) Id. *patre*. — (12) Id. *irroratus*. — (13) Cod. male *flexos ad pedes lateres*. — (14) *Creditricem*; forte *redditricem*, id est, *quæ corporis formas ostentando reddebat* — (15) Cod. *racua*.

tata per motus. Infelis virgo, insana dementia cumprehensa, et mente insaniebat et corpore, quæ non ageretur propriu membrorum flexu, sed diaboli circumferretur instinctu. Nemo saltat sobrius, nisi forte insanit (1). Infinita Herodiadis (2) culpa; nisi fureus, filia ipsius non placebat. Exultat rex; in propriu dedecore lætatur. Ubi bouestates legum? ubi pudoris jura verecunda? In convivio regis laudem meretur omuium vitiorum comes extrema exaltatio; puella arte non placuit, sed furore: neque enim usus per intus (*sic*) insani tenax promissi rex, et conditiouis propositæ, fidei mercedem abjurare potuit consilium meretricis, tanquam si evaderet crimen, cum abstulisset uecessariæ increpationis auctorem (3). Aurum luxuriosa virgo uon postulat, cum utique melius conviviis paternis commendari posait. Ornata dum saltat, nihil de omnibus, nihil de facultatibus concupiscit. Cupiditatem avaritiæ atque ambitum puellarem crudelitas vicit, trauscendit immanitas. Igitur in Joanuis caput, humanum insidiatur (4) in sanguinem, eo quod gravis erat diabolo metator Christi, prædicator pœnitentiæ, petitor iucesti. Malurum veterum fama, uon emendatione aliqua extinguitur, sed atrociori scelere cumulatur. Haud (5) iuvitus Herodes consensit ad homicidium, quia cum uxore fratris temere meditabatur incestum. Solum, inquam, Joannis caput saltatris puella, instigata monitu matris, espostulat. Quid «caput viri qui Christus est,» luxuriosa insequitur Synagoga? Gladio spiculatoris abscissum Baptistæ caput ad triclinium carnificis affertur, adhuc quodammodo Christum prædicans, adhuc Herodem moribunda lingua castigans. Ictu subiti vulneris color confusus (6) errabat in vultu, nec totum ruborem viventis excluserat pallor occisi. Nam si iutegrum hominem repentina mors diripuerat, in ore Joannis non nihil residebat es vita.

V. O mensam execrabilem! o conviviumdetestandum, ubi hominis morte luditur, ubi Prophetæ iuternecione saltatur, et pretium voluptatis sanguis humanus est, Prophetæ caput ad epularum vicem convivantibus exhibetur, et sitiens non vino proluitur, sed cruore! Furiosa cæcitas! Joannes sanctus in hoc martyrio vitæ æternæ præmium meruit, et Herodes ad exolvenda Martyribus inflicta (7) supplicia, judicium Dei vivus incurrit.

SERMO LXXX.

In Decollatione Sancti Joannis Baptistæ II.

Hic sermo habetur in Cod. Cass. cxxiii, *fol.* 150, *cum nomine sancti Augustini episcopi. Accedit ad auctoritatem codicis, quod textus evangelici eodem modo, licet diverso ac Vulgata laudentur, et pares occurrant sententiæ de serpentibus et columba. Ejusdem aucteris esse ac præcedentem manifeste arguit cogitationum et styli conformitas. Ejus locus post præcedentem cum numero in Decollatione sancti Joannis* iv.

SYNOPSIS.

I. Christiani oves inter lupos. II Sanctus Joannes propter justam correptionem in carcerem dejicitur. III. Herodiadis filiæ voluptuosa saltatio. IV. Herodes erga puellam leno, erga Joannem homicida, divinis in mortem corripitur judicus.

I. Ita placuit Redemptori et Salvatori nostro Jesu Christo, nt non solum a morte nos liberaverit, sed etiam quemadmodum conversationem nostram custodiamus sacris eloquiis Evangeliorum suorum docuerit ac præceperit. Sic enim ait: « Ecce mitto vos sicut oves in medio luporum[1]. » Magna nostra felicitas quando Deus noster de nobis ita sensit, quod ovium simplicitatem, si recte Deo vivamus, habere possimus, quia ipse est pastor ovium et magister, sicut in alio loco testatur: « Ego sum pastor bonus; bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis[2]. » Merito itaque Discipulos propter innocentiam sanctæ vitæ ovibus comparavit; lupos autem eos significat, qui post passionem Domini (8) Apostolos, et universos fideles in Christo credentes crudeliter persecuti sunt. Inter quos qualiter ambulare debeamus, quasi pius pastor præmonet dicendo: « Estote, inquit, astuti sicut » serpentes, et (9) simplices sicut columbæ[3]. » Vult ergo Dominus (10), ut sicut columbæ sunt sine dolo et sine felle, nec meminerunt iracundiæ, sic et nos sine dolo malitiæ, et sine felle, quod est amaritudo peccati, obliti iracundiæ et injuriarum, in præsenti sæculo ita humiliter vivamus, ut promissa divina præmia merito capiamus. Et « Astuti, inquit, sicut serpentes[4]. » Astutia serpentis (11) cunctis hominibus cognita est. Nam si forte devenerit in manus volentis se occidere, totum corpus suum plagis et vulneribus tradit, et nihil aliud omni (12) astutia servat, nisi caput suum integrum custodiat (13). Ad quod exemplum astutiæ et nos provocamur, ut, si tempore persecutionis in manibus inimicorum devenerimus, pro capite nostro, id est, pro Filio Dei Christo Domino nostro totum corpus tormentis et suppliciis, etiam ipsi morti subjiciamus.

II. Denique sanctus Joannes Baptista, cujus etiam natalem adjuvante Christo hodie celebramus, cum tota membra corporis sui caput amitterent, gaudebat in sinu (14) perfectæ deitatis recumbere. Herodes namque cum ferarum ritu fraternum connubium ardore libidinis temerasset, tunc temporis veridicus sanctus Joannes non

[1] Matth. x, 16. — [2] Joan. x, 11. — [3] Matth. x, 16. — [4] Ibid.

(1) Cicer. in Orat. pro Murena: *Nemo fere saltat sobrius, nisi insanus.* — (2) Cod. male Herodis. — (3) Sic cod. in quo aliquid necessario desideratur. — (4) Cod. *instituator.* — (5) Id. male *aut.* — (6) Cod. *color non fusus.* — (7) Vox *inflicta* deest in codice, qui etiam habet *exolvendam.* — (8) In codice abrasa videntur: *Propter Filium Dei.* — (9) Hæc verba *astuti sicut serpentes* desunt in codice, sed contexto evidenter requiruntur. — (10) Vide Sermonem xxiv, n. 3 et 4, ubi textus iisdem verbis laudatur, et unde eadem recurrunt sententiæ. — (11) Hæc verba *astutia serpentis* desunt in codice, sed sensu ipso restituuntur. — (12) Cod. male *omni.* — (13) Videsis quæstionum xvii in Evangelium Matthæi libro, quæstionem viii. — (14) Cod. male *in se.*

hoc licere regi libere pronuntiavit. Quod rex lege sua prohiberet, admonuit eum ne faceret contra legem, ut sua ipse jura calcaret, ne ipsum potius leges et jura damnarent, si leges ipse (1) vel decreta sua damnaret. Illo ergo tempore, ne sancti Joannis publica, ac libera, ac justa contradictio staret, correptus jussione nefandi regis, in carcerem obscurum detruditur, ubi sola illum lex divina servaret. Accedit etiam quod erat ipsi (2) sacrilego regi natalitius dies, et accersendo proceres et potentes, sacrilegæ mentis sociis nefandum convivium apparavit (3), et fit circus domus regis, ut ita dixerim.

III. Filia regis ingreditur, quæ virgineum pudorem, membra dum frangeret, solvit. Jurat protinus pater per ebria discumbentium capita, suumque clypeum protestatur, ut inter ludicras saltationes et flexus quidquid filia postulasset, acciperet. At ecce, cum in pulvere adulterino inter infulas molles gestûs solutiones exprimeret, solvitur e capite compositus crinis; credo, ut disperso vel errante per genas (4) capillo, lugere prius disceret, quam ridere. In isto ergo suggestu saltatricis cantat organum, fistula sibilat; sonat tibia cum patris nomine, patris imbuta dedecore; teneris tamen vestibus nuda, quæ se dæmoniaca mente vestierat, ut colore vestis magis corpus pingeret, quo ludebat. Nunc arcuatum latus spectantium flectebat in oculos, nunc pectus, amplexu defectior (5), jactabat in viros, et per nauseam resupinæ cervicis collum discumbentibus præmittebat; nunc seipsa respiciens, nunc illum qui eam amplius respiceret, mirabatur; nunc elevatis oculis defluebat (6) in calces, nunc contrahebatur in rugam, et dum frontem detegit, brachium fastidiendo nudat. Mœchabantur, credite, discumbentes, qui cum flexu incurvatæ mulieris capita libidinosa quassabant (7). O mulier, o regis filia, quæ cum saltare virgo cœpisses (8), tantos in adulterio generis et pudoris per lenones oculos fecisti maritos, placuisti infelix omnibus vitiorum magistris, et quod est amplius prodiga sacrilegis amatoribus placuisti.

IV. Proh nefas! leno pater est, et nullus accusat. Accusant te leges, accusant te tormenta, vel quibus chara pudicitia est, vox accusat te mariti. Certe ut honestius aliquid sentiam, etsi filiam paterna reverentia turpiter non respexit, tamen quod saltavit, et leno pater, et incestus amavit. Mirum si castitas sic decorata est. O pater, amplectere uxorem fratris, parentem sanguinis libidini mancipasti. Docebat, inquam, te caput Joannis appetere, qui dicta Martyris respuebas, cui fida castitas non placebat. O genus, o mores, o nomen, o error insanabilis! Merito ergo te, sicut legimus in Scripturis divinis « Per » artus putribiles vermes depasti sunt[1]. » Filiam tuam glacies decollavit (9), uxorem proculam (10) cæcitas interfecit. Sic blasphemus eliditur, sic iniquitas sepelitur, sic sanctitas vindicatur (11). Nam nos, qui amatores sumus castitatis et pacis, rogemus omnes, ut ab omni nos illecebra custodire dignetur. Amen.

SERMO LXXXI.

In Natali Sanctorum Martyrum Felicis (12), et Adaucti (13) [1].

Hic sermo educitur ex Cod. Cass. xii, fol. 265, nihilque habet quod sancto repugnet Augustino. Locus ejus post præcedentem.

SYNOPSIS.

I. Felix vere felix. II. Omnem superavit mundi felicitatem.

I. Beatum martyrem (14) et inter suspendia fortem, et inter tormenta felicem, hoc merito, quod vocabulo, hoc nomine, quod honore, pio cuncti veneremur obsequio, et continuis studiis frequentius honoremus. Non hic auro vel argento censuque caduco felix, aut fastigiis potestatis; hic vere (15) sublimis. Non eum blattea (16) plura conspicuum, aut familiæ distinctæ greges, pompaque superba beatum, sed cruor pretiosum purpureumque fecerat, et cœlestis reddebat gratia candidatum. Vario igitur sancta anima pingebatur ornatu. Fulgebat Christus in capite. Roseus cruor non horrebat, sed micabat in corpore; pulchra reddebat membra martyris, non ungula carnificis, sed decor rubicundus, quia sævitia persequentis gloriam non potuit maculare Felicis.

II. Cedant (17) nunc insignes procerum trabæ, cedant lapidum pretia, cedat (18) turba gemmarum. Plus pensat cruor mundus (19) quam totus mundus. Amplius valet stilla fusi sanguinis pro nomine Salvatoris, quam tota sæculi magnitudo, cum regnis et apparitoribus suis. Appende nunc in statera justitiæ fragiles opes et Martyrum vires; evolantes fumos potentiæ sæcularis, et perennem gloriam confessoris. Ipsam dealbatæ prosperitatis faciem, nostræ causæ producimus testem; quæ nihil aliud appetit simulando veritatem, quam se ab omnibus prædicari felicem. Intuemur oculis, inter theatra plaudentia, dira certamina, quæ subrecti martyres turbis lacescentibus exhibebant. Non ibi ferarum classes, sed pios Christianorum greges (20) producebant ad pugnam. Laniabatur sine crimine corpus, et populus acclamabat insanus. Tendebantur equuleis membra pendentia, et cruenti carnificis manus fodebant prostratorum (21) ungulis latera. Torquebat hominem pœna, et non erat culpa. Quem ita reddiderit natura ferocem, ut cruciari cupiat innocentem?

[1] Act. xii, 23.

(1) Cod. perperam, *ipse*. — (2) Id. perperam *ipsi*. — (3) Id. *apparuit*. — (4) Id. *genus*. — (5) Phrasis ista difficilis et forsitan mendosa. Sensum eam exhibetim: *Amplexu in defectionem cadens*. Si quis meliorem invenial significationem, hanc libenter amplectemur. — (6) Sic cod. Forte quod melius: *Illos deflectebat in calces*. — (7) Cod. *mœchabatur... quassabat*; forte per scribentis errorem. — (8) Cod. *cœpis set*. — (9) Sic cod.; forte *decalvavit*. — (10) *Proculus* ille dicitur qui natus est patre absente, vel a patre progresso ætate. — (11) Hic error manifestus deprehenditur; tres enim fuerunt Herodes: primus quidem qui dicitur Magnus, et qui pueros Hebræorum occidi jussit, ut Messiam interficeret; hic vermibus corrosus interiit post annos regni quadraginta; secundus, qui cognominabatur Antipas, et qui Joannis Baptistæ interfector, Lugdunum postea relegatus, ibidem cum Herodiade misere defunctus est; tertius denique qui vocabatur Agrippa, et de quo loquuntur Apostolorum Actus, xii, 23. Hic autem ultimus sedulo distinguendus est ab eo qui Joannem Baptistam interemit. Error autem iste, non solum non obstat quin sermo noster S. Augustino tribuatur, sed potius ejus authenticitatem confirmat, cum de duobus Herodibus solummodo loquatur beatus Doctor, ut legere est in libro ad Donatistas, cap. xiii, n. 17. — (12) De Felice martyre multa habet Augustinus in Enarrat. in Psal. cxxvii. Sed hic non idem est ac ille de quo hic agitur, et qui Romæ tulit martyrium. Vide martyrologium Romanum ad 30 Augusti. — (13) Sic legendum; cod. male *Angdati*. — (14) Cod. *beatus martyr*. — (15) Cod. absque sensu *secrete*. — (16) *Blattea* vox derivata ex *blatta*, vermiculo quo purpura tingebatur, postea vero pro ipsa purpura, vel purpureo colore usurpata. Venantius Fortunatus, t. 1, f. 39, in notis studio P. Luchi editis. — (17) Cod. male *sedebant*. — (18) Id. *cedant*. — (19) Id. *mundum*, et antea *penset*. — (20) Id. *pus... gregibus*. — (21) Id. *fundebant prostratos*.

SERMO LXXXII.

In Natali Sanctorum Martyrum Felicis et Adaucti II.

Vide notam præfixam sermoni præcedenti, qui hunc ipsum antecedit in eodem cod. et eodem fol. Locus ejus post præcedentem.

SYNOPSIS.

I. Felicis nomen præscientia Dei Felici impositum. II. Felix ejus victoria.

I. Felix dies, inclyta et honorabilis, dies sæculis (1) celebranda, dies quæ cum nomine sacro concurrit, et Felicem coronando perfecit. Quid isto Felice felicius (2)? Quem cum materna viscera in istam infunderent lucem, tunc Christus adnotabat in cœlo felicem. Adumbratum est præsagium in vocabulo, claruit veritas in triumpho; et sic certum quia nostrum nihil deperit Deo, atque omne datum optimum, et omne donum perfectum[1] pendet ex illo. Ipse voluit appellari Felicem, quem prælegerat martyrem; ipse linguam parentum voluit prophetare, qui Felicem jam decreverat coronare. Sic Jeremias Deo natus, ante quam nativitatis sumpsisset initium. Laborat inter perfidos, periclitatur inter incredulos, affligitur inter impios; hos patitur cives ingratos, quos furibundos sustinet fratres. Et cum sic Judæa fremeret, et adversus Dei Prophetam (3) insaniret, rabidusque ut canis (4) æstuaret, non potuit delere Judæus quod scripserat Deus; nec (5) valuit subripere humana machinatio, quod divina fuderat (6) electio. « Priusquam te, inquit, » formarem, in utero novi te, et antequam exires de » vulva, sanctificavi te, et prophetam gentibus (7) po- » sui te[2]. » O divinæ voluntatis immutabilis ordo, et invicta potentia! Facit (8) esse, quod vult; eligit antequam formet; sanctificat antequam creet; placet instituere quod diligat; jubet nasci quod regat. Quid contra hæc cæca mens hominum mentitur? quid contra cœlum malitia debilis et infirma conatur? Patiebatur sanctus Jeremias inter propinquos cognatosque pericula, et divina non potuit immutari sententia.

II. Veniamus nunc ad fortem militem et felicem, in quo est divini forma judicii. Incertum igitur penes homines (9) erat, quod de illo tegerent æterni secreta consilii. Sæviebant frustra et persecutor et carnifex. « Qui » autem habitat in cœlis irridebat eos, et Dominus sub- » sannabat eos[3]. » Cruciabant (10) se furore suo insanæ mentes (11); internis doloribus laniabantur (12), quia confessorem Dei superare non poterant. Hinc pudor ungulas, inde flammas cordi furor admovebat (13). Torquebantur illi, qui se torquere putabant, et nodis indissolubilibus alligati, rabidis stridoribus infremebant, quia et faciebant Martyrem, et non poterant superare Felicem. Augebant gloriam, cujus excogitaverant pœnam; videbant fortem, quem putaverant debilem; agnoscebant illum non posse vinci, et se intrinsecus sauciari. O magni, regales tituli! o quam fortis, cœlestis inscriptio! æstimabant tunc perfidi, quod inter illa tormenta irasceretur Deus servo suo, cum ille maximam gloriam præparet Martyri suo; et illa putabatur a Christo desertus, quia finis latebat occultus. Sed quoniam jam oportebat, ut panderetur quod Dominus sanxerat, etiam nunc quidem profanus suam sentit et patitur pœnam, Felix autem raptus est ad coronam. Dicat nunc igitur beato Felici omnis chorus Martyrum sociorum. « Benedictus Dominus » qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. » Muscipula contrita est, et nos liberati sumus (14). Ad- » jutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum » et terram, mare et omnia quæ in eis sunt[4]. »

SERMO LXXXIII

In Natali Sancti Cypriani Martyris I.

Hic sermo eductus ex Cod. Cass. XII, *fol.* 270, *cum nomine sancti Augustini, sequitur in cod. sermonem qui legitur in edit. Benedict. cum numero* CCCLX; *unde nulla ratio dubitandi, quin ad eumdem sit referendus. Locus ejus post sermonem Maurinensem* CCCXIV *cum numero in Natali sancti Cypriani* VI.

SYNOPSIS.

I. Cyprianus martyr et sacerdos. II. Ejus prima confessio et exilium. III. Secunda confessio et martyrium.

I. Duplex gemma in sancto Cypriano præfulsit, fratres dilectissimi, Sacerdotum pariter et Martyrum (15), et invicem se decorant, dum in Episcopo clara est vita, et mors in Martyre pretiosa. Quam beatum gessit sacerdotium, qui conclusionem fecit dulce martyrium; et securitatem dedit victoriam triumphorum, ut qui antea pro populo sacrificium Deo offerebat, modo autem se ipsum offerret quod habebat! Advolans (16) Angelus redolente thuribulo (17), precum ejus offerebat incensum ad superum altare, ante sedentis (18) thronum, modo autem ipsum levavit in aulam cœlorum. Præcedunt cæteræ potestates Pontificem simul et Martyrem, ut quem circumdabat populus sacrificium offerentem, modo eum coronent Angeli confitentem.

II. O dedicata passio, et gloriosa confessio! Unus ictus gladii secantis separavit caput a membris, et junxit capiti Salvatoris. Absolvitur vinculo carnis, et cum triumpho in cœlum levatur ab Angelis. Interrogatus sub lenitate crudeliter, respondit sub patientia fortiter. Sacrifica, inquit, diis Romanis secundum præceptum Imperatoris. Ad hæc sanctus Cyprianus respondit: Christianus sum et Episcopus; et non cognovi alium Deum nisi unum et verum, pro quo paratus sum diversis pœnis judicari in sæculum, quo possim in futuram resurrectionem habere spem in perpetuum. Judex dixit: Vis ergo exul Curubim proficisci, an Romanas colere cæremonias (19)? Sanctus Cyprianus respondit: Proficiscor, ubi impellis, sed nego quod suades (20). Exilium meum comitabitur

[1] Jacob. I, 17. — [2] Jerem. I, 5. — [3] Psal. XXXIV, 16. — [4] Psal. CXXIII, 6-8.

(1) Cod. *sæculi*. — (2) Vide Augustin. Enarrat. in Psal. CXXVII, num. 6 de nomine Felicis, licet hic Felix non sit idem ac ille de quo hic agitur. — (3) Cod. male *Propheta*. — (4) Id. *ut dies immanis! æstuare*. — (5) Id. *ne*. — (6) Id. *fuderat*; forte *fundaverat*. — (7) Id. male *ingentibus*. — (8) Id. *fecit*. — (9) Id. male *pene hominis*. — (10) Id. *cruciabantur*. — (11) Id. *insana mentis*. — (12) Id. *laniabant*. — (13) Id. *ferus admovebant*. — (14) Vide Augustin. Enarrat. in Psal. CXXIII, num. 13. — (15) Sanctus Augustinus in hoc Sermone dupliciter ornatur Sanctum Cyprianum scilicet ut Sacerdotem et ut Martyrem, sicut in Serm. CCCIX, n. 4, quem et pro cæteris videas. — (16) Cod. male *assolens*. — (17) Id. absque sensu *venens de turabulo*. Videat correctionem lector et judicet. — (18) Id. *sedis*. — (19) Id. *Romanæ cæremoniæ*. — (20) Id. *suadis*. Legendum forte antea *quo impellis*.

Christus, qui est princeps Martyrum et pontifex Sacerdotum. Proficiscitur exul, sed virtus in Martyrem jam destinata non defecit in solitudine, quia Christum habuit comitem. Contempsit terrena, ut inveniret cœlestia; reliquit temporalia, ut possideret æterna. Stetit in prælio miles Christi, fidei armis indutus, et contra atroces hostes fortiter dimicavit. Fidei lorica vestitus, pugnavit et vicit, non feriendo, sed patiendo, vitamque moriendo quam optabat, accepit a Deo æterno. In precibus suis quotidie dicebat cum Propheta David : « Credo videre » bona Domini in terra viventium[1]. » Et iterum dicebat: « Quando veniam et apparebo ante faciem Domini[2]? » ut acciperet illud « Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod (1) præpara» vit Deus diligentibus se[3]. »

III. Revocatur ab exilio, ut audiretur (2) secundo. Erat in custodia carceris, et satagebat de custodia castitatis. Jubet sacras virgines custodiri, ne esset in illis observatio charitatis naufragium castitatis (3). Ante januam carceris jacebat populus Christianus excubias faciens (4), pro pastore minas contemnens (5), pro patre cupiens decollari (6), cum Martyre veneratus (7) Sacerdotem. Iteratur Episcopi audientia, ut possit consummari corona (8). Ægre judex loquitur, et Martyr fortissime confitetur. Scribitur in tabula sententia capitalis calamo crudelitatis, et corona ei reservatur in cœlis. Agit Deo gratias decollandus, eo quod de sæculo fuerat transiturus Clamabat turba fidelium dicens : Et nos cum eo decollemur, ut in die redemptionis cum illo inveniamur. Optabant filii in affectu charitatis perferre cum patre martyrium, sed non nisi ipse præcessisset (9) ad Deum. Cupiunt filii sequi patrem; cupiunt dulces ramusculi sequi radicem (10), et ad locum sententiæ cum lacrymis deducentes, extremum patris spiritum amore excipere cupientes. Expoliatur birrho (11), et vestitur martyrio (12). Fixit (13) passurus genua in terra, qui liber stetit (14) ante tribunal Christi, ut recipiat mercedem plenissimam pro sanguine, et repetat caput a capite.

SERMO LXXXIV.

In Natali Sancti Andreæ apostoli.

Hic sermo legitur in Cod. Cass. XII, *fol.* 283, *qui totus sancti Augustini sermonibus adimpletur. Nihil habet quod ejus authenticitatem possit infirmare. Locus ejus post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Petrus Apostolorum primus, secundus Andreas. Quare primus Petrus? II. Uterque piscator, non piscium, sed hominum. III. Ambo, relicto Joanne, Christum sequuntur.

« Ambulans autem Jesus juxta mare Galilææ, vidit » duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, et » Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare, » erant enim piscatores. Et ait illis : Venite post » me, faciam vos fieri piscatores hominum[4]. »

I. PRIMUS Simon qui dicitur Petrus, et Andreas frater ejus ordine Apostolorum, et meritum uniuscujusque illius fuit distribuere, qui cordis arcana rimatur. Primus scribitur (15) Simon cognomento Petrus, ad distinctionem alterius Simonis, qui appellatur Chananæus, de vico Galilææ Chana, ubi aquas Dominus vertit in vinum. Et Apostolorum paria juga consociat (16); jungit Petrum et Andream, fratres, non tam carne, quam spiritu. Simon porro mœrorem (*sic*), vel Obediens interpretatur eo quod obedivit voci (17) Domini dicentis ei cum Andrea : « Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. » Petrus Agnoscens interpretatur, eo quod agnovit, unde alii Discipuli dubitabant, Dominum interrogantem : « Vos » quem me dicitis esse[5]? » Ipse Petrus subripiens cogitationes Discipulorum, respondit : « Tu es Christus, filius » Dei vivi[6]. » Pro quo et nomen (18) hoc accepit; et Cappadociam, atque Galatiam, et Bithyniam (19) pariter et Pontum, provinciasque confines dum Judæis prædicans circuit, post iterum Romam illustraturus accessit.

II. Andreas græcum est nomen (20); latine Virilis dicitur, eo quod robustus in prædicatione, sive ad persecutiones pro justitia tolerandas fuit, et Scythis prædicavit. Isti primum vocati sunt ut Dominum sequerentur. Piscatores et illitterati mittuntur ad prædicandum, ne fides credentium, non virtute Dei, sed eloquentia atque doctrina fieri putaretur. Vocat quippe eos ut qui erant piscatores piscium, fierent hominum. Sicut enim pisces elevantur de profundo per rete, sic præcepto Dei homines, iisdem prædicantibus, de profundis sæculi erroribus redimuntur (21). Tres igitur Evangelistæ piscatores dixerunt; nominis immutationem (22) solus Joannes intulit. Merito ergo piscatores dixerunt, quibus officium piscandi Jesus adimit, et misit ut homines ad salutis credulitatem perducerent sua prædicatione, quia per Pro-

[1] Psal. XXVI, 13. — [2] Id. XLI, 3. — [3] 1 Cor. II, 9. — [4] Matth. IV, 18, 19. — [5] Id. XVI, 15. — [6] Ibid. 16.

(1) Cod. male *qua*. — (2) Cod. *auditus fuisset.* — (3) Vide S. Augustin. Serm. CCCIX, num. 4. — (4) Cod. *facientes.* — (5) Id. *omnium contemnentes.* — (6) Id. *cupientes decollare.* — (7) Deest *veneratus.* — (8) Cod. *consummare coronam.* — (9) Id. *processisset.* — (10) Aliqui autumant clericale esse indumentum aut Episcopale; alii vero communius quoddam usu vel apud profanos vulgare. Vide Montfaucon, *Antiquité expliquée*, et S. August. Serm. CLXI, num. 10, et CCCLVI, num. 13. — (11) Cod. *birrhum... martyrium.* — (13) *Fixis.* — (14) Id. *statuit.* — (15) Id *scribetur.* — (16) Id. *jugoque sociat.* — (17) Id. *vocem.* — (18) *homine.* — (19) Id. *Bithynia.* — (20) Deest *nomen* in cod. — (21) Cod. *redimerentur.* — (22) Id. *immutatione.*

phetam dictum fuerat de ipsis : « Mittam piscatores, et » piscabuntur eos[1]. » Totum ergo hoc in Apostolis completum est, qui ex piscatoribus effecti sunt piscatores hominum. Sicut enim pisces retibus de mare auferuntur, sic prædicatione apostolica homines de sæculo tolluntur, et perveniunt ad credulitatem Filii Dei.

III. « Altera die stabat Joannes, et ex Discipulis ejus » duo, et respiciens Jesum ambulantem, dicit : Ecce » Agnus Dei. Et audierunt eum duo Discipuli loquentem, » et secuti sunt Jesum[2]. » Istos duos Discipulos Joannis Andream et Philippum (1) fuisse manifestum est, qui ideo secuti sunt Christum Dominum (2), ut aliquid ab eo discerent. Quid eis ipse dicit? « Venite post me; » ac si apertius diceret : Credite et videte, id est, intelligite. Die quoque illo illuminati crediderunt Dominum Jesum Christum Deum esse. Quod dicit, « Hora erat quasi de» cima[3]. » quid aliud hora illa decima significabat, nisi finem Testamenti Veteris et initium Novi; quia et Joannes figuram Legis veteris gestabat, duo vero isti Discipuli dilectionem Dei et proximi figurabant. Relicto ergo Joanne, duo Discipuli secuti sunt Dominum, quia prætereunte Legis figura, advenit Novum Testamentum, quod est Evangelium Jesu Christi.

SERMO LXXXV.

In Natali Sancti Stephani.

Erutur hic sermo ex Cod. Cass. XII, *fol.* 33. *Omnia concordant ut sancto tribuantur Augustino. Nomen beati Doctoris habet; sententiæ non repugnant; dicendi modus illius stylo perfecte accommodatur. Locus ejus erit in editis post sermonem Maurinensem* CCCXIX *cum numero in Natali sancti Stephani* VII.

SYNOPSIS.

I. Sanctus Stephanus primus martyr cœli visione inter tormenta recreatus. II. Crudelis et impia exagitatur Judæa, quæ Martyrum agminibus nihil poterit respondere. III. Stephanus pro lapidantibus Deo supplicat.

I. STEPHANUM sanctum veneremur omnes, fratres charissimi, cui hodie faces erigimus et concursus lætissimos exhibemus. Nullus adhuc post Crucem Martyr, nemo fuerat Christum moriendo secutus (3). Adhuc tenebat Apostolos mundus; adhuc Saulus in Christianos sæviebat ut lupus, et jam coronabat Stephanum Christus (4). Necdum per campos et prata sæculi Confessorum flores eruperant; necdum sanguis Christi fusus in terram Martyres parturiebat. Sic Stephanus sanctus de semine radiavit, et flos primitivus statim surrexit, ubi Judæa Christi sanguinem fudit. Synagoga igitur recenti cæde ebria, cujus manus necdum a cruore sicca erat, in cujus adhuc ore rabido reatus mortis sub Pilato fervebat, non esse tulit Stephanum Christi testem, sed veluti domesticum mortui satellitem crucifixi, ita in eum grandines lapidum torsit, et hic Stephanus sanctus secutus est quem amavit. Interim subter manus lapidiferas constitutus, cum in eum dura supplicia pensarentur, cœlum vidit (5) apertum, et Filium hominis stantem a dextris Dei. Vidit miles stipendium suum; vidit divinum cœlestis athleta bravium suum; aspexit Martyr præmium jam paratum, et inter acies fumosas (6) extulit pectus accensum paratus ad mortem, quia palmiferam contemplat in cœlo salutem. Procul dubio, fratres, corporalibus oculis intuebatur cœlos, et Christum ad dexteram Patris stare gaudebat in throno; sub tales spectatores (7) pugnare fortiter non dubitavit. Judæi jaculabantur in Martyrem pœnas, et Christus mittebat desuper roseas suo sanguine candidato coronas. Quid te, o impia Synagoga, ista crudelitas juvat? Stephanum cum lapidas, plus honoras; cum occidis, plus erigis; cum in terra persequeris, ad cœlum nescia sæviendo præmittis. Jam mens Martyris, ore (8) fixa cœlo, non sentit supplicia tua, non curat arma tua, quia inter Angelorum constitutus est gaudia, et inter Archangelorum occupatus (9) agmina, nescit Confessor Christi sæculi formidare tormenta.

II. Hunc alloquitur Pater, hunc Filius consolatur, hunc Spiritus sanctus in sensibus fovet; huic cœlestia mysteria blandiuntur, et tanquam collibertum suum opibus divinis inebriant, ne sentiat mens Martyris quidquid fulminat lapis. Tu autem, impia Judæa, imples facinus tuum, perficis homicidium, et quæ modo occidisti Dominum, illico necas et servum, quasi ita possis abolere primum facinus, si iteres homicidium. « Ecce, » inquit Stephanus, video cœlos apertos, et Filium ho» minis stantem a dextris virtutis Dei[4]. » Vides-ne, crudelis Judæa, quod Christus in cœlo vivat, quem tu propria manu occideras? Scio quia fremis, et non vis audire vivum, quem putaveras mortuum? Nam ideo necas Stephanum, ut perhibere Christo desinat testimonium. Sed quid factura es contra tot exercitus Martyrum, quibus non vales imperare silentium? « Vidi, inquit Joannes, » et ecce multitudo magna, quam dinumerare nemo po» terat, ex omni natione, et tribu, et lingua, stantes in » conspectu Dei, indutos stolis albis, et palmæ erant in » manibus eorum[5]. » Ecce illi portant in manibus palmas, et tu es corde eructas flammas; illi exultant in gloria, et tu tuam vulneras conscientiam; illi regnant cum Christo, quem occidisti, et in te remansit sacrilegium, quod fecisti.

III. Denique audite, fratres, Martyrem pium, audite vere de sacro et divino convivio satiatum, cujus mens apertis cœlorum repagulis, audiebat dulce secretum. Denique cum Judæi solita impietate crudeles, corpus Martyris lapidibus conquassarent, ille, genu flexo, Regem Dominum sic adorabat dicens : « Domine, ne statuas illis » hoc peccatum[6]. » Supplicat ille qui patitur, et non pœnitet qui grassatur (10); exorat Martyr pro alieno peccato, et Judæos non erubescit in suo; non vult illis imputari quod faciunt, et illi sæviendo usque ad mortem persistunt. Quæ est ista rabies mentis, quæ vis inaudita furoris, magis ad cædem fervescere, quia videbant Martyrem supplicare, qua visione animos debuerant emollire? Recoluit igitur Martyr servus mortem Domini sui (11). Ille enim in cruce pendens, et proximus morti, Patri pro Judæorum scelere supplicabat; iste imitatus Christum inter tortuosos aggeres cædis, cum immolat sacrificium pietatis, consecutus est ad cœlum Dominum

[1] Jerem. XVI, 16. — [2] Joan. I, 35-37. — [3] Ibid. 39. — [4] Act. VII, 55. — [5] Apoc. VII, 9. — [6] Act. VII, 59.

(1) Cod. isto duo discipuli.. Andreas et Philippus. — (2) Id. Christus Dominus. — (3) Id. male securut. — (4) Vide Serm. CCLXXXIII, n. 1. — (5) Id. perperam vidi. — (6) Id. fumiosus. — (7) Id. persecutores. — (8) Id. aure. — (9) In cod. hic legitur est quod abundat. — (10) Cod. male crassatur. Grassari sæpe in latinis scriptoribus idem sonat ac impugnare. Vide Titum Livium, Suetonium, et alios. — (11) Vide august. Serm. CCCXIX, n. 5.

majestatis. Propterea et nos, fratres, ejus sanctis orationibus nos commendemus, ut cum ipso ad vitam æternam pervenire mereamur.

SERMO LXXXVI.

In Natali Sanctorum Innocentium I.

Nullus dubitandi locus, quin hic sermo ex Cod. Cass. XII, *fol.* 43 *erutus, ad sanctum Augustinum, cujus nomen habet, sit referendus. Codex in multis deficiens, stylum jam aliunde durum, difficiliorem adhuc reddit captui legentis, sed accedit ad auctaritatem manuscripti continua et solita verborum oppositio. Locus ejus post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Ex ore infantium occisorum laus Christi nascentis perfecta. II. Christi nascentis et parvulorum comparatio. III. Herodis delusi consummata malitia.

I. Bona semper est et inenarrabilis clementia Salvatoris. Propter indignum hominum genus, lutea se induit figura, qui sublimem cœli incolit cameram. Non enim coangustatum est intra angustum Virginis cubiculum Opifex Angelorum. Ut a nexu serpentis exolveret omnem mundum in retiaculo inimici detentum, natus est in mundo figulus mundi mundum pene deflexum eruere de peccati ruina, et restaurator factus est totius mundi Filius Dei, cui ætas tenera (1) infantium vocem laudis intonuit. De quibus Propheta David nobis hodie in Psalmo decantavit dicens: « Ex ore infantium et lactentium » perfecisti laudem[1]. » O Propheta laudabilis, qui laudem Dei, dum innotescit (*sic*) sæculis, futurum exitium parvulis demonstravit fieri pro Christo in novissimis. Sic enim prosecutus est laudem parvulorum, dum cantaret: « Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem. » Hic dicit in Christo, et hic laudat parvulos cum Christo. Laudem ipsorum proclamat, et futuram eorum passionem annuntiat. Sic enim actum est martyriale exitium, ut ii qui nullum senserunt pœnarum afflictum, Angelis in cœlo contulerint gaudium, et victoriam de mundo Regi omnium sæculorum. Supernæ Jerusalem rector et factor, ut nasceretur, intactum et incoinquinatum (2) partum Virginis demonstravit; et perturbata Jerosolyma cum Herode inauditum bellum in parvulis visa est peregisse, Magis adorantibus natum omni mundo Salvatorem. Multum quoque et eximium gaudium mundo, dum ululatus maternus transcendit in cœlum, et fit (3) parvulorum passio gloriæ decus omni lugenti. Jam mundus compatitur parvulis, et lætantur Archangeli; pœnam inermes a patribus suscipiunt filii, et sine actu doloris vim necis suscipiunt, qui cœlum (4) condigni mercimonio vitæ jam inventi sunt accepturi.

II. Lætare, Jerusalem, in Domino, quia Jerosolyma cum suis exactoribus perturbatur. O Jerusalem, Jerusalem, dudum Prophetarum sanguine jam ebria, caupones tuos cum iniquo discrimine accusasti, et nunc insana dicere Herodi de nece infantium omnimodis demonstrasti. Olim annuntiatores Christi necasti, nunc autem indignator inventus est pro munere Christi, dum jugulares parvulos, ipsius qui auxilio inventi erant muniti. O laudabile præmium! Unus ab uno perquiritur, et pro uno, a matribus rapti multi filii jugulantur. Unus venerat redimere mundum dum nascitur, et omnium patres (5) inauditum facinus committere invitantur. Modo processit de thalamo Virginis sponsus, et in adventum ejus ætas puerorum facta est holocaustum. Modo plasmator et (6) figulus luteum ex Virgine induitur corpus, et adversaria infert Herodes furente diabolo (7), in quo inquinato pulveri sanguinem commiscuit infantium. Modo ex arca Virginis mensurator natus sortis (8), et hic quasi ex gremio ab Herode cumulus erigitur carnis. Modo sanctum botrum in torcular inducitur mundi, et hic ubere matris improbe exprimitur (9), dum lancearum (10) cum sanguine commiscetur. Modo Agnus Dei ex sancto ovili (11) procedens, per pastores Herodem illusit, et propterea dolus factus est magnus, dum princeps insanus, lupi rapacis rabie captus, a matribus eduxit balatum, vere ut improbus falsarius (12).

III. Videns ergo Herodes, quia delusus est a Magis, vocavit Scribas, et inquisivit ab eis quo tempore Christus nascitur in Judæis redemptor captivitatis; qui, divino auxilio moniti, delegerunt ut a bimatu et infra ætas infantium necaretur (13), quam omnis creatura jugularetur. O Herodes, tua malitia terminum nescit habere, et Saulus Ecclesiam quam persequebatur, hodie inventus est venerasse, et qui olim Dei cultores insequebatur insaniens, nunc ipsam esse sponsam Christi veraciter proclamat dicens: « Sponsavi enim te uni viro virginem castam exhibere Deo[2], » per quem est Deo Patri honor, laus et gloria in Spiritu sancto nunc et in æterna sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXXXVII.

In Natali Sanctorum Innocentium II.

Legitur hic sermo tribus in codd., nempe 1° *Bibl. Laurent., Plut.* XIV, *Cod.* 1, *fol.* 54 *b;* 2° *Cod. Cass.* CVI, *fol.* 61; 3° *Cod. Cass.* CXVI, *fol.* 192 *a tergo. Ubique nomen habet sancti Augustini, cui abjudicandus non videtur. Locus ejus post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Invidia diaboli missus Herodes ad occidendos Innocentes. II. In quem sit Dei vindicta. III. Herodis timor ejusque causa.

I. Fratres charissimi, ait Spiritus sanctus per Salomonem: « Invidia, inquit, diaboli mors introivit in » orbem terrarum[3]. » Certum est, dilectissimi, quod ab initio diabolus sit magister zeli et invidiæ; unde manifestum est, quoniam omnis homo invidus et zelotypus, diaboli est discipulus. Unde apparet, multos qui invident et zelantur, quia diabolum imitantur (14), sicut scriptum est: « Imitantur autem illum, qui sunt ex parte » illius[4]. » Pars autem Domini Israël est spiritalis et sanctus, de quo dictum est: « Pars Domini Israël, hæredi-

[1] Psal. VIII, 3. — [2] 2 Cor. XI, 2. — [3] Sap. II, 24. [4] Ibid. 24, 25.

(1) Cod. male *tenua.* — (2) Id. *coinquinatum.* — (3) Id. *et sine fit.* — (4) Id. *mortis qui cælo.* — (5) Id. *ad inauditum : ad* videtur abundare. — (6) Id. male *effigulus.* — (7) Id. *adversario intra Herode, currente diabolo.* — (8) Id. *fortis.* — (9) Id. male *exprimuntur.* — (10) Cod. *lanciorum.* — (11) Id. *ovile.* — (12) Id. *saltarius.* — (13) Id. *necarentur.* — (14) Vide Augustin. de Peccator. Merit. et Remission. lib. I, num. 9.

» tas ejus[1]. » In hac hæreditate, ut jam diximus, invidus et hominis adversarius inimicus partem non habens, gentilem introducit in regnum, hoc est, Herodem tyrannum ex gentibus natum, ad exterminandum Dei populum, et vexandum insontem (1) turbam infantum, et (2) ad fundendum sanguinem parvulorum innocentum. Adversus quem nunc interpellantem audivimus in præsenti Spiritum sanctum, canentem atque dicentem : « Vindica » sanguinem famulorum tuorum, qui effusus est[2]; intret » in conspectu tuo gemitus compeditorum[3]. » Introivit plane (3) et manet in manu Dei usque ad diem Domini reservatus, id est, in die judicii ulciscendus (4).

II. An ignorat charitas vestra in Joannis Apocalypsi, ubi dicit : « Vidi animas occisorum sub ara Dei, propter » verbum Dei, et testimonium Jesu, clamantium et di» centium : Usquequo non judicas, et non vindicas sangui» nem nostrum de his qui in terris sunt[4]? » Vindica sanguinem nostrum a tua charitate nullo modo separatum, sicut in præsenti lectione ait : « Quis nos separabit a cha» ritate Christi? tribulatio, an angustia, an fames[5]? » Vindica sanguinem innocentium ab ubere matrum separatum, et tuæ charitati connexum. Vindica matrum labores, partus, gemitus, et dolores, fletus, lamenta (5), et ululatus, ubi nullus fuit consolator, sicut evangelica lectio demonstrans ait : « Vox in Rama audita est, fletus » et ululatus magnus; Rachel plorans filios suos, et no» luit consolari, quia non sunt[6]. » Et vere quia non fuerunt de sæculo, qui nativitate et ætate sodales erant Christo, quemadmodum Evangelista ait : « Misit quidem » Herodes rex, et occidit omnes infantes regionis, a bi» matu et infra, secundum tempus quod exquisierat a Ma» gis[7]. » Et quid cognoverat a Magis, nisi Christum verum regem Israël secundum carnem natum?

III. Audiens Herodes, magnum sibi computavit periculum, quia se regnare injuste cognoscebat super Dei populum. Intelligebat enim se refugam et alienigenam (6) non posse permanere in Israël, gente sancta, audiens regem natum, non a populo factum, sed a Deo Patre destinatum, quia (7) rex nasci debet, non fieri, dicente ipso Domino Christo : « Ego vero in hoc natus sum, et » ad hoc veni[8]. » Cujus nativitate gaudentes et exultantes per ipsum Deo Patri gratias referamus, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXXXVIII.

In Natali Sanctorum Cosmæ et Damiani.

Hic sermo habetur in Cod. Cass. XII, *fol.* 276, *quem nec in sancto Augustino, nec in aliis reperi, quamvis multæ legantur sententiæ, quæ legenti non videntur ignotæ. Nihil aliunde complectitur, quod beati Doctoris ingenio repugnet. Hunc locus ejus sit post sermonem Maurinensem* CCCXXV.

SYNOPSIS.

I. Beneficia divina a Martyribus collata. II. Hunc Martyribus sociemur, ut inferni mala evadamus. III. Martyres invocandi.

I. Beatorum germanorum Cosmæ et Damiani celebremus hunc diem non profanis ritibus Paganorum, sed tranquilla devotione fidelium; in quo alieni cives, nostri facti sunt patroni, quia qui misit primum Apostolos in carne, ipse nunc hos misit in spiritu viventes; quia illas terras in corpore illustrarunt, istas mortui (8) visitarunt; sed mortui non visitarent, nisi et mortui viverent. Ideo cinis latet, beneficia patent, et quia nos in grandi valetudine eramus, ideo tales medici missi sunt, qui nos et ab incursionibus diabolicis, et a morbi infirmitatibus liberarent. Nam divina potestas cum Discipulos post resurrectionem mitteret, hoc primum commendavit, ut in ejus nomine infirmos curarent, mortuos suscitarent, dæmonia ejicerent, cæcos illuminarent[9]. Semper de nostra infirmitate, ut potest misericors, et generis (9) sui curas gerens, tales (10) post suam ascensionem elegit, qui per artem (11) terrenam conferrent beneficia divina. Hoc utpote summa peragit (12) potestas, quia sua ineffabili voce pro infirmis et advenis se venisse (13) testatus est dicens : « Non est sanis opus medicus, sed male habentibus[10]; » nec veni vocare justos, sed peccatores ad (14) pœniten» tiam[11]. » Consideremus tamen quapropter talia Sanctis tribuit. Pacem dilexerunt, et ad pacis Dominum pervenerunt, de quo (15) dicit Apostolus : « Ipse (16) est » enim pax nostra, qui fecit utraque unum[12]. »

II. Beati igitur Cosmas et Damianus nec sibi vixerunt, nec sibi sunt mortui. Exemplum enim nobis reliquerunt, bene vivendo, conversationis, et moriendo (17) fortiter, passionis. Nam ideo Dominus per totum mundum diversis locis eos innotescere voluit, ut eorum precibus a diversis languoribus liberaremur; ut tanquam idonei testes nos præsentia quadam ad fidem exemplo suæ curationis urgerent; ut humana fragilitas, quæ prædicationis Dominicæ auditui longiori (18) vix credit, vel præsenti oculorum visu, istorum credat (19) mirabilia, qui commutaverunt artem medicaminum in preces (20), ut fide sola subveniant, qui ante per artem curabant. Non tamen de suo habuerunt, sed de ejus potestate (21) qui salus est mundi; et ideo immorantes subveniunt, quia salus mundi opitulatur eis. Nam cum omnes Sancti devotissime

[1] Deut. XXXII, 9. — [2] Apoc. VI, 10. — [3] Psal. LXXVIII, 11. — [4] Apoc. VI, 9, 10. — [5] Rom. VIII, 35. — [6] Matth. II, 18. — [7] Ibid. 16. — [8] Joan. XVIII, 37. — [9] Matth. X, 8. — [10] Id. IX, 12. — [11] Ibid. 13. — [12] Ephes. II, 14.

(1) Codd. absurde *immanem*. — (2) Sic codd. CVI et CXVI. Deest *et* in cod. I. — (3) Sic cod. CXVI; cæteri *valde*. — (4) Codd. *reservatum... ulciscendum*. — (5) Cod. male *lamentus*. — (6) Vide Augustin. de Civit. Dei lib. XVIII, cap. XLV, num. 3. — (7) Sic codd. CVI et CXVI; cod. I *qui*. — (8) Cod. male *mortuis*. — (9) Cod. *itineris*. — (10) Id. *et tales*. — (11) Id. *partem*. — (12) Id. *pergit*. — (13) Deest *venisse* in cod. — (14) Cod. *in pœnitentia*. — (15) Id. *de quo*. — (16) Id. *ipsa*. — (17) Id. *etsi curando*. — (18) Id. *auditu longiore*. — (19) Deest *credat* in cod. — (20) Cod. *medicaminibus ad preces*. — (21) Deest in cod. *de potestate*.

percolendi sint, sed specialiter hi venerandi a nobis, quorum pretiosas (1) reliquias possidemus. Illi enim nos orationibus juvant; isti etiam adjuvant præsentia(2), quorum nobis (3) familiaritas quædam est. Semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur; hoc est, et in corpore nos viventes curant, et de corpore recedentes excipiunt; hic ne peccatorum nos labes (4) absumant, et morbi afficiant, ibi ne inferni horrores invadant. Nobis ideo a majoribus, hoc est traditum, ut Sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, ut dum illos inferi tartara metuunt (5), nos pœna non attingat; cum Christus illos illuminat, a nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum sanctis ergo Martyribus quiescentes, evadimus inferi tenebras, si non propriis meritis, attamen consortii (6) sanctitate. Ait Dominus Petro: « Tu es Petrus, et super » hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ in» feri non prævalebunt adversus eam[1]. » Si ergo apostolo et martyri Petro inferi portæ non prævalent, quisquis sociatus fuerit Martyribus, tartari januis non tenetur. Martyres enim inferni portæ non possident, quoniam eos Paradisi regna suscipiunt. Nam videmus eos jam regnare. Cernimus enim ab his frequenter obsessos immundis dæmonibus homines liberari (7); ita ut cœlesti medicina, et captiva anima de diaboli laqueis eruatur, et ipse diabolus laqueis igneis alligetur (8). Producatur de sua captivitate captivus, ut qui prædam paulo ante cœperat, ipse subdatur in præda. Hæc et alia potiora mirabilia per Sanctos fieri omnibus notum est, nec cessant agere quæ gesserunt. Gestaverunt ferramenta, ut amputarent putredinem carnis; insistunt orationi, ut amputent animabus ferramenta (9). Posuerunt medicamina ab hominibus confecta, exhibent sanctitatem a Christo concessam. Præstiterunt temporalia, fruentur æternis (10); curaverunt in carne, curati sunt in (11) anima. Infirmos consolati sunt, fortes facti sunt; abjecti putati sunt, potentes inventi sunt. Ara terrena defecit, et sola fides permansit.

III. Et ideo, fratres charissimi, veneremur eos in sæculo, quos interventores habere possimus in futuro; et sicut eis ob sensum (12) amoris ad natalitia occurrimus, ita eis fidei imitatione jungamur. In nullo enim ab ipsis separari poterimus, si sociemur illis tam religione quam corpore, quod eorum (13) meritis mereamur adipisci a Domino Deo nostro. Amen.

SERMO LXXXIX.

De Trinitate.

Hic sermo, qui eruitur ex Bibl. Mugellan., cod. XVI, *fol.* 66, *non tam sermo dicendus est, quam sermonis quoddam fragmentum. Nihil aliud est quam lectio quædam officii nocturni. Sed cum gravissima proferat fidei mysteria, prætereundus minime visus est. Nomen præfert sancti Augustini episcopi, et nihil obstare videtur, quin illi tribuatur, quam error gravissimus, qui versus medium occurrit. Error autem ille ita clare amanuensi tribuendus apparet, ut hinc rejiciendi illius ansam arripere non æquum esse crediderim. Locus ejus post sermonem Benedictinum* CCCLXIII.

SYNOPSIS.

Spiritus sancti processio, Filiique nativitas, non autem Patris.

Hoc donum Dei, Spiritus sanctus, qui de Patre et Filio æqualiter procedit, ineffabiliter quædam Patris et Filii communio est; et ideo fortasse sic appellatur, quia Patri et Filio eadem quoque (14) appellatio convenit. Nam hoc ipse proprie dicitur, quod illi convenienter (15) dicuntur. Et Pater spiritus, et Filius spiritus, et Pater sanctus, et Filius sanctus recte dicitur. Ideo Pater missus non legitur, quia incarnatus non creditur. Congruentius ille missus dicitur, qui in carne apparuit. Forma igitur illa visibilis suscepta, Filii (16) persona est, non etiam Patris. Quapropter Pater invisibilis una cum Filio invisibili, eumdem Filium visibilem faciendo, eum misisse dictus est. Iste venit (17) accepta forma servi, ut maneret incommutabilis forma Dei. Qui autem in forma hominis (18) apparuit carnalibus oculis, ab invisibili sancta Trinitate factus (19) est. Sic ergo secundum illam divinitatem, qua unum sunt Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, neque Patrem natum credimus, neque Spiritum sanctum; sed solum Filium natum catholica fides et credit et prædicat. Neque enim in illa Trinitate proprium esset solius Patris, quia non est natus ipse, sed unum Filium genuit; neque proprium solius Filii, quia non genuit ipse, sed de Patris essentia natus est; neque proprium Spiritus sancti, quia nec natus est, nec genuit, sed solus de Patre Filioque procedit, si secundum naturam quidem divinam Deus Pater de nullo nasceretur Deo, secundum carnem tamen ipse nasceretur ex Virgine. Si enim Pater nasceretur ex Virgine, una persona esset Pater et Filius. Ipsa autem una persona pro eo quod non (20) de Deo, sed tantum de Virgine nasceretur, non Dei Filius, sed tantum hominis Filius veraciter diceretur.

[1] Matth. XVI, 18.

(1) Cod. *per fides.* — (2) Id. *in patsinae.* — (3) Id. *cujus autem.* — (4) Id. *labiis.* — (5) Id. *metuunt.* — (6) Id. *consortiis.* — (7) Id. *liberare.* — (8) Id. *alligatur.* — (9) Id. *testamenta.* — (10) Id. *aterna.* — (11) In cod. deest *in.* — (12) Cod. *optensum*, forte pro *ob sensum*, nisi legas *obtentu.* — (13) Id. *quorum.* — (14) Cod. male *eademque.* — (15) Id. *convenire.* — (16) Id. *hominis.* Videtur certum hic errorem amanuensis, non scriptoris irrepsisse, ex eo quod hinc ponitur vox *hominis* pro voce *filii*, et inferius vox *filii* pro voce *hominis.* Quod confirmat et ultima hujus Sermonis sententia, quæ huic errori directe contradicit. — (17) Cod. male *vero.* — (18) Id. *Filii.* — (19) Id. *factum*, et deinde *sicut.* — (20) Deest in cod. vox *non*, quam requirit sensus.

SERMO XC.

Expositio Fidei.

Valde obscurus hic sermo, forte propter menda a scribente sæpius intromissa, nomen habet sancti Augustini in Cod. Cass. CLXII, *fol.* 120, *unde educitur. Non sancto Doctori illum ascribere certius auderem, sed cum nomen ejus habeat, non illum etiam denegare præsumo. Sit locus ejus post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Filius unus cum Patre Deus. II. Divinitas Spiritus sancti. III. Tres personæ unus Deus.

I. Fides unius substantiæ Trinitatis, hoc est, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sine initio temporum, super sensum, et sermonem, et spiritum. Una virtus, unus Deus, tria vocabula (1). Nascitur de Virgine Maria, accipiens corpus animale, sed ipse sensus præcellens Dei Verbum, non comprehensus a carne sermo, sed in carne et super carnem, sicut Deus præscius, Dei virtus, Dei veritas; sed sermo Dei impassibilis (2) in passione quidem moritur, ut vivificaret protoplastum, qui ceciderat per inobedientiam. O homo, Deitatem quæris? vitupero te? Si credis (3), bene facis; si autem dicis (4): Pater quomodo? de lumine excidisti, et si dixeris, Quomodo Filius? similiter (5) excidisti de lumine. « Nemo enim novit » Patrem nisi Filius, neque Filium nisi Pater[1]. » Qui tres virtutes inducit, tres deos confitetur; nos autem credimus tres personas, unam vero virtutem, unam deitatem. Quando autem nominaveris Patrem, glorificas Filium, et quando nominas Filium, adoras Patrem. Si iterum unam personam Trinitatis dicimus, judaïzamus, quia Judæi unam personam dicunt et unum Deum confitentur. Si tres deos inducimus, similes sumus Gentilibus. Sed confitemur Patrem in Filio, et Filium in Patre cum Spiritu sancto. Non separatur, non dividitur deitas; Deus enim de Deo, virtus ex virtute, lumen de lumine, veritas ex veritate. Testis non est; non cœlum, non terra, non mare, non lux, non tenebræ, nec Angeli, neque Cherubim, neque Seraphim, sed « Erat in principio Filius apud Patrem[2]. » Nemo cognoscit innascibilem, nisi qui natus est, scit unde sit natus; neque nascibilem aliquem scit, nisi qui genuit; Pater scit qui generavit. Similis Genitus Genitori. Patris consilium et sapientia (6), una virtus, et una deitas. Nativitatem Filii Dei quæris? Recens propriam habuit (7) nativitatem ex Virgine Maria; sed nativitas Filii Dei « In principio apud Patrem » est. » Confiteor enim unum innascibilem, et unum natum; confiteor Patrem omnipotentem sine initio, sine fine, qui omnia tenet et a nullo tenetur; omnia gubernat et a nullo gubernatur, omnia videns, ipse autem invisibilis; confiteor Jesum Christum Filium Dei cum omni consilio et virtute paternæ deitatis. Quantam autem habet Pater virtutem, tantam et Filius. Non diminuitur Genitus eo qui est innascibilis, non factus, neque creatus.

II. Si autem Spiritum (8) dixero natum, duos filios statuo ex uno Patre, et non unum ex uno, aut solum ex solo. Est unus Pater, ex quo omnia, est unus Jesus Christus per quem omnia; et si dixero innascibilem, jam non unus Pater omnipotens innascibilis, sed duos omnipotentes statuo; et si dixero factum, gentiliter dico. Gentes enim facturas (9) manûs adorant, et non Factorem cœli et terræ. Quid ergo habeo dicere? Phantasma? absit, quoniam blasphemiam Christus non remittet (10). Quomodo enim si duo ligna conjuncta missa in fornacem ignis, et de duobus lignis procedat flamma inseparabilis, sic de Patris et Filii processit Spiritus sanctus, ipsam virtutem et deitatem habens (11).

III. Sicut beatissimus Apostolus Paulus posuit dicens: « Deus mediator Dei et hominum[3]. » Non Deus Dei mediator, unus est enim usque in Trinitate (12); sed accipiens corpus de Virgine Maria, et (13) induens veterem hominem, qui ceciderat per inobedientiam, mediator factus est carnis, Patris virtus (14), hoc est Jesus Christus. Quando autem assumpsit Apostolos, sicut Evangelia testantur, et ascendit in montem excelsum, et monstravit (15) virtutem deitatis, et ecce nubes candida cooperuit eum[4], nubes vero splendida virtutem Patris in eo ostendit, sicut quidam per vaniloquia docent, quomodo tres personæ in una substantia? Illi autem dicunt tres virtutes, nos autem audimus tres personas in una virtute, tria vocabula, sed unum Deum; tria vocabula unius vocis, Patris, et Filii, et Spiritûs sancti. Iterum illi dividentes virtutem et deitatem Trinitatis dicunt: Sicut Imperator, præfectus, et comes (16)? Absit. Non trado ego hanc doctrinam, aut istam expositionem, aut fidem, sed magis anathematizo. Scriptum est enim in divinis præceptis: « Visibilia enim hujus mundi invisibilibus comparantur[5]. » Terrenus imperator (17) de tribus constat, sed unum est imperium. Si deposuerit diadema a capite suo, Cæsar est, et non imperator perfectus; sic qui blasphemant Spiritum sanctum non sunt Christiani; et si purpuram deposuerit, vir solus est, sicut Judæi unam personam adorant. Nos autem confitemur quod sicut imperator terrenus, sic et cœlestis, homo in purpura, et purpura in homine; corona autem capitis continet purpuram, et in homine unum imperium ostendit (18). Sic Pater in Filio, et Filius in Patre, Spiritus autem sanctus conjunctio Deitatis, virtus et unitas Trinitatis.

SERMO XCI.

De Judicio extremo.

Educitur hic sermo ex Bibl. Sanctæ Crucis Florentiæ, Plut. XIX *dext., Cod.* X, *fol.* 459 *b. Nihil habet quod repugnet sancti Augustini doctrinæ, cujus nomen præ se fert. Sit post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Bonorum remuneratio. II. Condemnatio malorum. III. Conclusio.

I. « Cum autem venerit Filius hominis in majestate » sua, tunc sedebit in sede majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab in-

[1] Matth. XI, 27. — [2] Joan. I, 2. — [3] I Tim. II, 5. — [4] Matth. XVII, 5. — [5] Rom. I, 20.

(1) Intellige non vocabula vacua, sed reales indicantia personas, quod satis deinceps explicat scriptor. — (2) Cod. addit *est.* — (3) Id. *credes.* — (4) Id. *dicit.* — (5) Id. *similiter filium.* — (6) Id. *sapientiam*, et antea *Patri.* — (7) Deest *habuit* in cod. — (8) Deest *Spiritum* in cod. — (9) Cod. *fracturæ.* — (10) Id. *blasphemia... non remittetur.* — (11) Hic quædam videntur deesse. — (12) Cod. *ad Trinitatem.* — (13) Deest *et* in cod. — (14) Cod. *virtute.* — (15) Id. *monavit.* — (16) Vide Augustin. contra Serm. Arian., n. 13. — (17) Cod. *operator.* — (18) Hæc valde obscura videntur. Cod. *hominem.*

» vicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis; et statuet » oves a dextris, oves autem a sinistris. Tunc dicet eis qui » a dextris ejus erunt : Venite, benedicti Patris mei, per» cipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi[1], » ubi lumen indeficiens, ubi gaudium sempiternum, ubi vita perennis et immortalis, et lætitia sempiterna cum Angelis et Apostolis; ubi lux lucis et fons luminis, ubi civitas Sanctorum Jerusalem cœlestis, ubi conventus Martyrum et Patriarcharum cum Abraham, Isaac et Jacob, et Sanctorum omnium; ubi dolor nullus nec tristitia post gaudium; ubi nox effugiet, et senectus non apparebit; ubi charitas inexplebilis, ubi pax individua; ubi assistunt Ageli et universæ Potestates; ubi manna, id est, cibi cœlestes (1) et vita angelica; et ut infinita in brevi comprehendam, omnis dolor et omne malum non videbitur, et omne bonum non deesse unquam poterit. Tunc Justi ad hæc respondebunt dicentes : Domine, cur tantam et talem gloriam nobis præparasti? Tunc et ipse eis respondebit : Pro misericordia vestra et fide, pro charitate et patientia, pro longanimitate, et mansuetudine et justitia, pro continentia et humilitate, pro hospitalitate et affabilitate, pro gaudio ad peregrinos et ignotos, pro justitia et sanctitate, pro tristitia vestra in malo proximi, pro lætitia vestra in bonis ejus, pro gaudio vestro in his qui nec sermonem otiosum de ore suo proferunt, pro timore Dei in his qui nec transgrediuntur pactum, nec (2) iota unum aut unum apicem de lege Domini; pro eo quod non accepistis munera super innocentem, nec mendacium pro veritate; pro eo quod vitium cordis vestri necnon et corporis succidistis, et pro nihilo sæculum sprevistis, et non tantum Diabolo renuntiastis et operibus ejus, et sæculo huic et pompis ejus, sed et vobismetipsis (3), et tulistis crucem Jesu, et secuti estis eum. Tunc respondebunt Justi dicentes: Domine, quando in nobis bona ista vidisti, vel in proximo fecimus, quod ad tuam pertinet curam? Et dicet illis : « Amen dico vobis, » quandiu fecistis uni de minoribus his, et mihi fecistis[2], » et in conspectu meo. Et vos quod fecistis in abscondo, ego vobis reddam in palam.

II. Tunc dicet Rex his qui a sinistris erunt : « Ite, » maledicti, in ignem æternum, quem præparavit Pater » diabolo et angelis ejus[3], ubi erit fletus et stridor den» tium[4]; » ubi sunt oculi eorum lacrymæ, ubi mors optatur et non datur, ubi «Vermis eorum non morietur, et » ignis eorum non extinguetur[5]; » ubi aliud non paratur, nisi pœna; ubi nullus dominus super servum, nec senis reverentia, nec juvenis administerium (*sic*); ubi nullum gaudium nec lætitia post tristitiam; ubi nullus honor nec requies post pœnam; ubi tenebræ æternales, et horror pœnæ; ubi ardor sitis, et terra oblivionis; ubi ardor flammæ, et dolor vermium; ubi nihil videtur, nisi pœna, et nihil auditur, nisi gemitus; ubi nulla consolatio; ubi infernus et profunditas gehennæ, de qua Propheta dixit : « In inferno autem quis confitebitur » tibi[6]? » id est, nullus; in illo loco quis potest confiteri Domino? defecit ab eis omnis materia operandi : ubi erunt (4) diversa genera pœnarum; ubi est « Draco » quem formavit Dominus ad illudendum ei[7]. » Væ iis cum quibus est draco ille, quem Dominus in cruce triumphatum alligavit, ut passerem. Si homines in mundo principatum ejus ferre non poterant, quanto magis hi cum quibus est? Tunc respondebunt et ipsi dicentes : Domine, cur tantas (5) et tales nobis præparasti pœnas? Tunc et illis respondebit, dicens : Pro nequitia vestra, et dolo et malignitate; pro avaritia et iniquitate; pro injustitia (6) et fraude; pro furto et mendacio, pro usuris et cupiditate; pro homicidio et adulterio; pro ira et fornicatione; pro superbia et inani gloria; pro afflictione proximorum, pro tristitia quæ mortem operatur, pro eo quod non recepistis peregrinos, et læti fuistis in malis proximorum vestrorum, et tristes fuistis in bonis eorum; pro blasphemia et susurrationibus vestris, pro somnolentia et voracitate, pro incontinentia et verbositate, pro inani gloria et scurrilitate, pro impudicitia et iracundia vestra.

III. Pro talibus nempe malis et iis similibus ibunt peccatores et impii in ignem æternum[8]; Justi autem pro bonis operibus supradictis et his similibus ibunt in vitam æternam in sæcula sæculorum[9]. Amen.

SERMO XCII.

De Tribulationibus et pressuris mundi.

Hic sermo, qui notatur in Bibl. Venet., Cod. LXIX, *fol.* 46, *et eruitur ex Bibl. Laurent., Plut.* XII, *Cod.* XIV, *fol.* 166 *b*, *totum sapit Augustinum, cujus præ se fert nomen. Locus ejus post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Nostra tempora non sunt præteritis pejora. II. Quod exemplis confirmatur. III. Et experientia. IV. Qui sint dies boni.

I. Quotiescunque pressuræ seu tribulationis aliquid patimur, admonitiones sunt et simul correctiones nostræ. Nam et ipsæ sanctæ Litteræ nostræ non nobis promittunt pacem, securitatem et quietem, sed tribulationes, pressuras, scandala. Non tacet Evangelium : « Sed qui per» severaverit usque in finem, hic salvus erit[10]. » Quid enim boni aliquando habuit vita ista ab ipso primo homine, ex quo meruit mortem, ex quo maledictum accepit; de quo maledicto nos Christus Dominus liberavit. « Non » ergo murmurandum est, fratres, sicut quidam illorum » murmuraverunt, ait Apostolus, et a serpentibus pe» rierunt[11]. » Quid tale modo, fratres, genus humanum patitur insolitum, quod non patres passi sunt? Aut quando talia patimur, qualia illos passos fuisse cognovimus? Et invenis homines murmurare de temporibus suis. Et quando illa tempora bona fuerunt parentum nostrorum? Quid? si possint revocari ad tempora parentum suorum, et ibi murmurarent. Quæ enim putas tempora bona fuisse præterita? quia jam non tua sunt, ideo bona sunt. Tu (7) jam maledicto liberatus es, tu jam in Dei Filium credidisti, tu jam sacris Litteris vel imbutus, vel eruditus es. Miror quod putes (8) bona tempora habuisse Adam; et parentes tui Adam portaverunt. Certe ille est Adam, cui dictum est : « In sudore vultûs tui edes panem tuum, » et operaberis terram de qua sumptus es; spinas et tri» bulos pariet tibi[12]. » Meruit hoc; hoc (9) accepit; hoc de Dei justo judicio consecutus est.

II. Quid ergo putas præterita tempora fuisse meliora quam tua? Ab illo Adam usque ad hodiernum Adam la-

[1] Matth. XXV, 31-34. — [2] Ibid. 40. — [3] Ibid. 41. — [4] Id. VIII, 12. — [5] Marc. IX, 43. — [6] Psal. VI, 6. — [7] Id. CIII, 26. — [8] Matth. XXV, 46. — [9] Ibid. — [10] Id. X, 22. — [11] I Cor. X, 10. — [12] Gen. III, 18, 19.

(1) Cod. *coelestis*. — (2) Deest *nec* in cod. forte legendum *peccato uno*, etc. — (3) Cod. *vosmetipsos*. — (4) Id. male *erunt*. — (5) Id. *tanta*. — (6) Id. *justitia*. — (7) Cod. *tu* et sic deinceps. — (8) Id. *computes*. — (9) Deest secundum *hoc* in cod.

bor et sudor, spinæ et tribuli. Excidit uobis diluvium, excidere laboriosa tempora famis atque bellorum, quæ ideo scripta sunt, ne de præsenti tempore contra Deum murmuremus. Excidit tempus aliquid apud patres longe a nostris temporibus remotissimos, quando caput mortui asini tanto auro vendebatur[1]; quandu stercus columbinum nou parvo argento emebatur[2]; quando mulieres de comedendis infantibus suis pactæ sunt[3]; et cum unus occisus consumptus esset, et alia suum vellet occidere, talis causa ad judicem venit, ad regem venit, ubi se ipsum reum potius quam judicem invenit. Et quid sufficit commemorare illius temporis aut bella, aut fames? Qualia ergo illa tempora fuerunt! nonne omnes audita, omnes lecta perhorrescimus, ut habeamus potius unde gratulemur, quam unde de uostris temporibus murmuremus?

III. Quando ergo benefuit generi humano? quando non timor? quando non dolor? quando certa felicitas? quando uou vera infelicitas? Si non habes, ardes ut acquiras; si habes, times ne perdas; et quod est miserius, in illo ardore et in isto timore sanum te putas. Ducenda est uxor; si mala, erit pœna tua; si bona, væ ne forte moriatur! Filii non uati torquent doloribus, nati timoribus. Quam gaudentes facit uatus, qui continuo timetur ne plangatur elatus! Ubi erit vita secura? Nonne omnis ista terra quasi navis magna est, portans fluctuantes, periclitantes, tot procellis et tempestatibus subjacentes, timentes naufragium, suspirantes in portum (1), qui jam se intelligunt peregrinari? Ergo qui dies boni, dies incerti, dies prætervolantes, dies ante (2) finiti quam veniant, dies qui ideo veniunt, ut (3) non sint.

III. « Quis est ergo qui vult vitam, et diligit dies videre bonos[4]? » Hic autem nec vita, nec dies boni sunt. Dies (4) enim boni ipsa est æternitas. Dies sunt; sine fine dicti sunt dies. « Habitabo, inquit, in sæculum, » in longitudinem dierum[5]. » Item dictum est: « Quia » melior est in domo tua dies unus super millia[6]; » melior unus sine fine. Tale ergo aliquid desideremus; tale quiddam nobis promittitur usitatis nominibus, inusitatis rebus: « Quis est homo qui vult vitam? » Quotidie dicitur vita et vita; sed quid ad illam vitam? « Et diligit » videre dies bonos. » Quotidie dicuntur et dies boni; sed si discutiantur, non inveniuntur. Bonum diem duxisti hodie, si amicum tuum invenires; bonum eum duceres, si stare tecum vellet. Nunne semper homo queritur de amico suo, si eum videat, et prætereat? Talis ergo est iste dies bonus, qui te videt et præterit. Bonum duxi; ubi est? Duc illum ad me. Bonum diem duxi; quem gaudes ductum, plange transactum. « Quis ergo homo, qui vult » vitam, et diligit videre dies bonos? » Omnes respondemus: Ego (5); sed post istam vitam, post istos dies. Si ergo differimur, quid nobis dicitur, ut faciamus et perveniamus ad id quod differimur? Quid ergo faciam in hac vita qualicumque, ut veniam ad vitam et dies bonos? Quod sequitur in eo Psalmo: « Cohibe linguam tuam a » malo, et labia tua ne loquantur dolum; declina a malo, » et fac bonum[7]. » Fac ergo quod jubetur, et accipies quod promittitur. Si laboriosum putas, et dejiceris labore operis, erigere splendore mercedis.

SERMO XCIII.

De Pœnitentia,

ad quam se omnis Christianus, si post Baptismum deliquerit, pro animæ suæ remedio convertat.

Hic sermo, qui non adest in Bibl. Laurent. Bandinii, educitur ex Cod. Cass. CLXXIII. *fol.* 82, *cum nomine sancti Augustini. Locus ejus post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Utinam eadem sollicitudo adhibeatur ad sanandam animam, quam ad curandum corpus! II. Remedium animæ sauciatæ pœnitentia et confessio. III. Conclusio.

I. Optabile erat, fratres charissimi, continua corporis salute gaudere, et nullis morborum vitiis corrumpi, neque vulneribus sauciari. Nam quantum ad voluntatem sanæ mentis spectat (6), nemo est qui velit aut ferro se obtruncari, aut infirmitate aliqua detineri; et sicut ait Apostolus: « Nemo unquam carnem suam odit, sed nu» trit et fovet eam[8]. » Nam (7) si quando contra voluntatem evenerit, ut malo ægritudinis laboretur, aut incurratur in ictum teli, quo non vitalis pars, sed superficies corporis læsa (8) sit, continua sollicitudine omnia remedia conquiruntur, et ligaturis vulnus astringitur, ut illa quæ fuerint ferro abscissa, jungantur; colliguntur apta herbarum genera, quæ cum adhibita fuerint, possint mederi; et si quid curæ necessarium est, etiam de peregrinis petendum est. Non parcitur pecuniæ; non tenuitas paupertatis aspicitur. Ipsa vitæ subsidia pro vita impenduntur hominis; et quidquid vilius est sale, causa salutis impenditur; ac mixta cura providetur, ne per dissimulationem multiplicetur (9) infirmitas, et in pejus proficiat causa languentis. Ergo, fratres, non deest sollicitudo, ut, si amissa fuerit, corporis sanitas reparetur, et certe illius corporis quandoque perituri (10), quod pro conditione (11) sua in pulverem redigendum est. Et quamvis illud (12) spes resurrectionis maneat, prius tamen subjacet illi sententiæ: « Terra es (13), et in terram ibis[9]. » Quibus dictis vilitatem (14) ostendit materiæ temporalis, cui et egressum de terra, et regressum (15) in terram dicit futurum. Unde, fratres charissimi, hic affectus rebus inferioribus exhibetur? Inferius est enim corpus animæ dignitate. Nam anima veluti domina corporis, servitio utitur membrorum, et illa ad diversos, quos vult, appetitus sua (16) voluntate compellit. Illa quoque post administrationem subjecti sibi hujus mancipii, etiamsi resolvatur corpus, immortalis manet. Animæ enim conditio longe melior est corpore, cui etiam usu sermonis nostri testimonium perhibemus, cum dicimus plerumque: Propter animæ salutem hæc non vultis (17) operari? Itaque si et ratione, et communi omnium sententia honoris primatus ad animam refertur, quid nos non facere oportet (18), ut integrum et illæsum retineat, quod vel

[1] 4 Reg. VI, 25. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 28, et seqq. — [4] Psal. XXX, 13. — [5] Id. XXII, 6. — [6] Id. LXXXIII, 11. — [7] Id. XXXIII, 14, 15. — [8] Ephes. V, 29. — [9] Gen. III, 19.

(1) Cod. habet ipso in texto *suspirans in portu*, *alias in portum*, quod evidenter extra textum est ponendum. — (2) Cod. *autem*. — (3) Deest *ut* in cod. — (4) Cod. *boni*, *ut dies*. — (5) Vide S. Augustin. Enarrat. in Psal. XXXIII, num. 17, et Serm. XVI, num. 1, et seqq. — (6) Cod. male *expectat*. — (7) Id. *jam*. — (8) Id. *non vitalis partis, sed superficies corporis causa sit*. — (9) Cod. *multiplicet*. — (10) Id. *perituro*. — (11) Id. *perditione*. — (12) Id. *quamvis eum*. — (13) Hanc versionem reperies in Serm. CCCLXII, n. 2; Serm. CCCLXII, n. 16, et alibi. — (14) Cod. *utilitatem*. — (15) Id. *egressurum*. — (16) Id. *sui*. — (17) Id. *non veluti*. — (18) Id. *quod nos sole facere*.

a prima, vel a secunda nativitate suscepit, id est (1) vel gratiæ sanctificationem, vel innocentiam naturalem? In horum enim custodia consistit animæ pulchritudo; in his formæ integritas; in his mentis est sanitas; in his species collocatur (2); et sicut in corporibus illa sunt pulchra maxime quæ nullo nævo (3), nulla cicatrice, fœdantur, ita anima primæ beatitudinis decore gaudet, si nullis turpetur maculis, nullis peccatorum vulneribus asperetur.

II. Sed quia rara est apud homines ista felicitas, ut perpetuam animæ retineant sanitatem, ut inoffenso gradu vitæ iter peragant, ut (4) nullo involvantur ludibrio, adhibeatur saltem illa recuratio, quæ sanciatis corporibus exhibetur. Admoveatur (5) manus consilii animæ vulneratæ, et perfossam telo peccati, pœnæ medicina suscipiat; jacentemque ægram refoveant fomenta lacrymarum. Non crescat dissimulatione morbus, et noxia securitate geminetur. Non intercidat desperatio spem sanandi, et volentibus curari (6) ad sanitatem recursum (7), teste Propheta, qui dicit: » Numquid qui cadit non adjiciet ut resurgat, » aut qui aversus fuerit non revertetur[1]? » Nos ergo de stulta verecundia, qua cecidimus, resurgere Deo sectemur, nec jacere infeliciter libeat post ruinam. Non operiantur ulcera amictu pudoris, ne putredine latius irrepente (8), ad ipsa vitalia veniatur. Relevet spes (9) medendi ea quæ verecundia contegebat; quanquam stulta est ista contectio, cum oculos (10) ejus non possit effugere, cujus solius est notitia formidanda. Quid juvat hominibus abscondi, quod Dei conscientia continetur? Quod novit judex, quid prodest si ab aliis ignoretur? Ipse est judex de quo in Psalmo canitur: « Scrutans corda et re» nes Deus[2]. » Et ab Apostolo de eo dicitur: « Quia sit » discretor cogitationum et intentionum cordis[3]; » et quod « Nulla creatura sit invisibilis in conspectu ejus; omnia » enim nuda et patentia sunt in oculis ejus[4]. » Quid ergo miserabilis error latere se credit, cum ab hominibus abscondit peccatum suum, cum ita Dei oculis operire non possit? Perniciosius, fratres, cum anima agit, qui (11) suum aut non vult prodere, aut studet occultare delictum. Non potest sanari, qui testibus vulneribus optat salvum videri; illi vero proximus reditus (12) est ad salutem, qui abjicit inutilem pudorem, et currit ad medicum, et dicit: » Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum; » sana animam meam, quoniam peccavi tibi[5]; » qui revelat pudenda operum suorum, et in hac voce publicationis erumpit: » Delictum meum cognitum tibi feci, et » iniquitatem meam non abscondi. Confitebor adversus » me injustitiam meam, Domine, et tu remisisti impie» tatem peccati mei[6]. » Videte, charissimi, quis fructus confessionem (13) peccati, quæ utilitas consequatur. Dixit: « Confitebor adversus me injustitiam meam Domino; » et quid statim secutus est? « Tu remisisti impietatem » peccati mei. » Quam velox medicina! quam non tarda curatio! Ostendit vulnus medico, et confestim sanitatem recipit; indicat quod dolebat, et fugatur continuo vis doloris; ad vocem emissam confitentis, indulgentia non moratur. Quis talem medicum despiciat, qui sine ulla mora » Sanat contritos corde, et alligat contritiones eo» rum[7]; » qui nullum prætendit fastidium, nec aliqua accedentem ad se curationis difficultate deterret, sed ultro invitans, dicit per Isaiam prophetam: » Ego sum qui » deleo injustitias tuas, et non recordabor[8]. » Tu autem recordare: » Dic tu injustitias tuas prius, ut justificeris[9]. » O mira Domini bonitas! o mira clementia! Non pœnam post confessionem peccati, sed justificationem secuturam promittit. » Dic, inquit, injustitias tuas prius, ut justi» ficeris. » Quod merentur boni opere sanctitatis, hoc, inquit, confertur tibi per pœnitentiam peccatorum.

III. Amplectamur ergo, charissimi, tantam benignitatem invitantis nos medici, nec erubescamus erratorum nostrorum vulnera denudare, ut sanitatem recipere possimus, ut non dissimulatis, in longum protractis moribus, morbis (14), incipiamus ad mortis periculum pervenire, a quo nos liberare dignetur ille qui dixit: « Nolo » mortem peccatoris; tantum convertatur et vivat[10]; » cui est potestas omnis carnis. Ipsi gloria, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XCIV.

De Confessione.

Legitur hic sermo in Bibl. Laurent., Plut. XII, cod. XV, fol. 240 b, cum nomine sancti Augustini, nihilque occurrit, quod illum abjicere cogat. Hinc locus ejus post præcedentem.

SYNOPSIS.

I. Deus misericordiam impertiri volens hominibus, eos ad conversionem exhortatur, sed non auditur. II. Exhortatio ad relinquendam sæculi transeuntis vitam. III. Pœnitentiæ et conversionis excellentia demonstratur exemplo Jonæ et Ninivitarum. IV. Pœnitentia amplectenda, ut simus digni meritorum Christi passi pro nobis.

I. Omnipotentis Dei misericordia ab humano genere non deerit, si præceptis ejus mente credula obedierit. Donabit nobis Deus citu peccatum, si nos habeamus confitendi cor paratum. Cupit Deus semper delicti esse donator; sed non se sentiat (*sic*) malis operibus peccator. Clamat Deus prophetico carmine: « Ecce convertar ad vos, » si veniatis ad me[11]. » Misit præcones, et contemnuntur; hortatur ad se peccatores, et non convertuntur. Veniat dies judicii, ut petant et non audiantur. Dominus dicit: « Redite a malitiis vestris[12]; » illi dicunt: Permanebimus in nequitiis nostris. Jam utpote contemptores, reservantur judicio mortis. Dicat utique aliquis nostrum Domino: « Peccavi[13], » quia et ipse statim dicit: Ignovi. Consueta bonitate vult Dominus delinquentibus veniam tribuere; sed consueta iniquitate paratus est reus indulgentiam recusare.

II. Fons pietatis vivere volentibus patet. Fratres mei, vivamus, et bene vivamus; ista enim vita temporalis est, futura ab eo æternalis est. Sed vos istam vitam amare videmini, nihil aliud nisi ut Salomonis dicta sequamini: « Feci, inquit, mihi cantores et cantatrices, vini fuso» res et vini fusitrices[14], » et cætera; « et nihil melius in» veni, nisi quod manducavi et bibi[15]. » Hunc libenter amplecteris; quod postea loquitur, quare non sequeris? Quod enim sequitur: « Nihil melius inveni nisi quod

[1] Psal. xx, 9. — [2] Id. vii, 10. — [3] Hebr. iv, 12. — [4] Ibid. 13. — [5] Psal. vi, 3. — [6] Id. xxxi, 5. — [7] Id. cxlvi, 3. — [8] Isai. xliii, 25. — [9] Ibid. 26. — [10] Ezech. xxxiii, 11. — [11] Zach. i, 3. — [12] Ibid. 4. — [13] 2 Reg. xii, 13. — [14] Eccle. ii, 8. — [15] Id. viii, 15.

(1) Cod. *idem*. — (2) Sic opinando correximus. Cod. habet absque sensu: *In his decoris ex sanitatem venit species collocatus*. — (3) Cod. *nulla nova*. — (4) Id. *quod*. — (5) Id. *amovetur*. — (6) Id. *curandi*. — (7) Id. *recursus*. — (8) Id. *repente*. — (9) Id. *revelet*. — (10) Id. *oculis*. — (11) Id. *agitur quæ*. — (12) Id. *redditus*. — (13) Id. *confessionum*. — (14) Id. *dissimulatos... morbos*.

» manducavi et bibi, Et hoc, inquit, vanitas vanitatum[1]; » et vere, quia vanitas est. Vivere enim et bene agere, hoc est vivere; nam vivere et non bene agere, non est jam vivere. Ita hoc ipsum modicum vivamus, ut migrantes multum vivamus. In hac enim terra peregrini sumus; veniet dies ut hinc ambulemus; et suspirasti quasi nescias unde huc venisti. Caro tua mutuata est mundum, et anima tua carnem accepit domicilium. Caro enim propago est mundi, et anima advena est carni. Suscipit terra carnem tuam; suscipit cœlum animam tuam; quia « Quod na» tum est de terra caro est, et quod natum est de cœlo » spiritus est[2]. » Caro de terra est, et in terram ibit; spiritus de cœlo venit; absolutus iterum in cœlum (1) migrabit. Sed durus sermo est migrare; et ubi vadis migrare? De mundo in cœlum. Si ignotæ majoris personæ domum (2) ingredi metus est, cœlestes transgrediendi (3) scalas quæ facultas est? Et si terrenis in judiciis bene sibi conscii voces et officia timent judicis (4), quid facient (5) peccatores, quos Angelorum tantum terrent aspectus?

III. Ut arbitror, fratres mei, non indissonanter de hac re proposui comparationem, sed si espavit timendo cor nostrum, festinet orando os nostrum; et quod diuturno commisit ignorantia, in momentum perdeleat pœnitentia. Credite mihi, fratres, siquidem non mihi creditis, sed Domini præcepto creditis, quod audistis. Ninivitarum populus vivebat (6) quidem, sed non bene. Unde a Domino (7) Jonæ prophetæ dictum est: « Vade » ad civitatem magnam, et prædica in eam, quia ascen» dit clamor malitiæ eorum ad me[3]. » Missus est veluti humilis prædicator, et inventus est velut immanis contemptor. Ninive mittitur, et Tharsis invenitur. Contempsit Dominum et fugit ad navem, quasi Deus in mare non haberet potestatem. Fugitivus vero dormiens, utpote securus stertebat. Jactum fecerunt omnium vasorum, quæ in navi erant, et se miseri nautæ perituros lugebant. Surge, inquiunt, sciamus cujus beneficio (8) mala patimur. Sorte publicatus non negavit; sed suæ culpæ ipse sibi sententiam firmavit. « Tollite, inquit, et mittite me » in mare, et sedabitur tempestas a vobis[4]. » Prophetam desursum nauta (9) projecit, et cetus eum deorsum excepit. Piscem habuit in aqua tumulum, quem imputribilem custodivit in triduum. Ita ut suscepit integrum, ita rejecit illæsum. Tunc Jonas quod primo contemnendo non fecit, postea audiendo perfecit. Deinde populus et civitas agebat pœnitentiam cum lacrymis, et Jonas de longinquo expectabat interitum civitatis. Ignem missum ad combustionem Ninivitarum magnitudo extinxit lacrymarum. Deus populis delicta donavit, et Jonas statim mente doluit (10): Sciebam, inquit, Domine, quod cito misereris; propterea dimittens fugeram in Tharsis. Contristavit animum ejus modica fatigatio, et non est gavisus quia mutata est magna damnatio. Unde rediens cito dormiit, quod vidit cucurbitam magnam multiplici frondositate contextam, quæ etiam sole urente æstûs (11) impetum ab eo repellebât; quam Dominus sicut nasci jusserat antea, sic arescere fecit postea. Subito convaluit, et subito non paruit (12). Non erat necessitas, ut cucurbita nasceretur, nisi quia Dominus veniam promisit peccatoribus, ut converterentur (13). Sed ais mihi: Unde doces ista? Lege ipsum Jonam, et invenies cucurbitam plangentem; et cum secutus fueris, invenies Deum civitati parcentem. « Jona, inquit Dominus, tu doles super » cucurbitam, in qua non laborasti, quam neque plan» tasti, quæ sub una nocte nata est, et sub nocte periit; » ego autem non parcam Ninive civitati magnæ, in qua » sunt plus quam centum viginti millia hominum[5]? »

IV. Fratres mei, unum Ignosce multos liberat a morte. Sunt plures, imo quin (14) et innumerosi, qui utuntur perfidia loquacitatis: « Manducemus et bibamus[6], » quoniam hoc nobiscum portamus; nam sepulti nec vitam nec pœnam sentimus. Non sentis quidem pœnam, si convertaris ad veniam. Ante passionem Domini tui, non vidisti lamentationem patris tui? nescis prorsus, quoniam si Jesus Christus non veniret, Adam in inferno periret? Homo propterea Jesus Christus venit; contempsit se propter te, ut inveniret te. Primo ignorans peccaveras, et sanguine suo te mundavit; si admonitus iterum deliqueris, judicio suo te damnabit (15). Ergo, fratres mei, in iis omnibus obediamus præceptis ejus, ut participes inveniamur promisso (16) præmio ejus. Amen.

SERMO XCV.

De Reconciliandis pœnitentibus I.

Sermo iste et duo sequentes leguntur sub nomine sancti Augustini in Cod. Cass. CLXXIII, *fol.* 61 *a tergo. Pulcherrimas continent et aptime concinnatas sententias, quas non sine voluptate percurret lector. Allocutiones sunt presbyteri pœnitentes Episcopo offerentis, ac proinde huic tempori conveniunt, cum sanctus Augustinus coram Valerio prædicare consueverat. Locus ejus post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Pœnitentiæ vis. II. Precatio ad episcopum ut suscipiat pœnitentes. III. Ejusdem sequentia. IV. Conclusio.

I. IRREPARABILIS esset humana fragilitas, morsu peccati, tanquam serpentis ore, venenata, nisi pœnitentiæ medicina succurreret, et misericordiam Dei confessionis humilitas impetraret. Sicut autem in corpore putredinem vulneris medicinale ferrum exsecat, sic animam iniquitate sauciatam, pœnitentiæ recreat cruciatus, dolor magnorum dolorum amputator (17), et tribulatio salubris, et brevis amaritudo æternam dulcedinem comparans, pœna liberans a pœnis, et cura mater securitatis. Noluit enim Deus misericors mortem peccatoris, quantum ut revertatur et vivat[7]; et rursus noluit judex justus impunitum esse peccatum. Punit ergo se pœnitens, et Dei prævenit manum, ut subventura veniat, quæ damnatura veniebat. Qui conterendo spiritum suum in luctu et gemitu, dolore ac lacrymis, de se has peccatorum suorum exigit pœnas, Deo judici quod exigat non relinquit, et patri quod donet exponit (18). Hoc jam incipit operari justitiam, quia se odit primitus peccatorem. Consentit Deo, dum talis sibi displicet, qualis et illi displicet. Et quam parum est, quod sibi ingerit tormentorum! sibi irascitur, seque ipsum excruciat pœnitendo. Hoc enim quid est, quantum est, si æternis ignibus comparetur? Tantum

[1] Eccle. I, 2. — [2] Joan. III, 6. — [3] Jon. I, 2. — [4] Ibid. 12. — [5] Id. IV, 10, 11. — [6] Isai. XXII, 13. — [7] Ezech. XXXIII, 11.

(1) Cod. *in cœlo*, et sic postea. — (2) Id. *donum*. — (3) Id. *transgredere*. — (4) Id. *terreat habitus*. — (5) Id. *faciunt*. — (6) Id. *vivebant*. — (7) Id. *docenda Dominum*. — (8) Id. *beneficii*. — (9) Deest *nauta* in cod. — (10) Id. *mentem donavit*. — (11) Id. *æstuatus*. — (12) Id. *paruvit*. — (13) Id. *converteretur*. — (14) Id. *quia*. Legendum videtur *quin imo*. — (15) Id. *damnavit*. — (16) Id. *promisso*. — (17) Id. *malo amputatur*. — (18) Id. *opponit*.

tamen valet in tempore opportuno, ante quam veniat dies iræ et revelationis justi judicii Dei, si peccator sibi ipsi irascatur, si se ipsum doloribus pœnitentiæ, tanquam in catasta conscientiæ confixos, excruciet, ut non solum Deus talibus nulla indignatione succenseat, sed etiam gaudeat amplius de uno pœnitente, quam de nonaginta novem justis, quibus non est opus pœnitentia[1]. Tanto enim clementius pœnitentium reatum relaxat, quanto patientius damnationem peccantium differebat. Nam propterea « Facit solem suum oriri super bonos et » malos, et pluit super justos et injustos[2], » ut dum bonis non deficit miserando, mali erubescant perseverare peccando.

II. Proinde, venerabilis Papa, ecce non solum in conspectu Domini Dei sui, sed etiam ante tuos oculos prosternuntur, quos patientia illius ad pœnitentiam vocabat. Nec aversi thesaurizant iram, sed conversi poscunt misericordiam. Ecce jam petunt, quærunt, pulsant. Gratia plenus es, præsta pœnitentibus; lumine splendens, refulge quærentibus; claves habens, aperi pulsantibus. Moveant in te pastoralia viscera oves sanguine agni redemptæ, et occulto illius adjutorio a luporum dentibus erutæ. Ostendentes tibi vulnera sua, et ferinis morsibus cruentatas (1) conscientias reundantes intende et suscipe. Jam plagas suas non differunt prodere; noli differre diligentiam medicinæ. Hi sunt quibus in Ecclesia stantibus, tanquam in Paradiso constitutis, vetustus ille inimicus invidit. Ille pectore et ventre serpens, iterum incautis illapsus est, iterum fefellit, iterum captivavit. Sed et hi tandem respicientes et reformidantes antiquæ damnationis exemplum, non a facie Dei refugiunt, non se umbraculo excusationis occultant, non inani defensione verborum, tanquam infructuoso velamento foliorum[3], contegunt pudenda commissa, sed discindunt coram illo corda sua, effundunt animas suas, nec fugiunt timore, sed redeunt, et per intercessionem tuam Domino suo reddi desiderant. Tergantur eorum oculi a lacrymis, pedes colligantur a lapsu. Occurre revertentibus de longinquo. Habitat quippe in te, qui hoc fecit minori filio, cujus luxuriam, peregrinationis labor et egestas miserabilis subsecuta est[4]. Epulentur et isti de vitulo saginato; audiant, quia mortui erant et revixerunt; perierunt, et inventi sunt[5]. Moveant te pro eis fraterni fletus, et circumstantium gemitus, non pro suis sed pro alienis peccatis; nec penitus alienis, quia in uno corpore, et sub uno capite patientibus quibusdam membris compatiuntur. In spiritu enim lenitatis intendunt, ne et ipsi tententur. Nam quomodo non debent flere pro fratribus lapsis atque conversis, quos orare Christus docuit etiam pro inimicis.

III. Horum tu omnium gemitus adjuva, additis tuis, et merita tua longe majora, tanquam canos mentis tuæ, prosterne pro filiis tuis ante faciem Dei tui. Hac humilitate altior eris, hoc dolore lætaberis, hac servitute regnabis. Bonus es odor Christi; admoto igne pietatis, ad propitiandum Deum flagra. Pro miseris, misericodia plenum pectus in aram charitatis impone. Sede apostolica sublimatus es; hi jacent lapsu, descende tu affectu. Imitare Patrem, cujus voluntas est, ut non pereat unus de pusillis istis[6]. « Imitare Filium, qui, cum in forma Dei esset, formam servi accepit[7], veniens ministrare, non ministrari[8]. Imitare Spiritum sanctum, qui secundum Deum interpellat pro Sanctis[9]. Ipse enim et te pro istis excitat supplicare, per quem charitas in tuo corde diffusa est. Offer reconciliandos redeuntes, quos revocabas errantes; ora pro inventis, quos perditos inquirebas. Refugiendo veram vitam, in peccatis suis, portis appropinquaverunt inferorum, qui (2) non vincunt cujus cathedram tenes. Lazarum Dominus lapidea sepulcri mole coopertum, et quatriduano cadavere jam fœtentem excitavit a mortuis, et magna voce produxit e tumulo[10]. At ille jam quidem, jam vivus, sed adhuc funereis vinculis alligatus, nondum viventium consortio reddebatur: « Solvite illum, inquit, et sinite ire[11]; » ut divinum beneficium humano ministerio compleretur (3). Similiter et isti, in morte peccatorum suorum, sub duro pondere desperationis jacebant, et fœtida morum corruptione putruerant. Jam Dei virtute vivificati, de tenebris suis confitendo procedunt; sed adhuc reatûs obligatione involuti, a Sanctorum societate sejuncti sunt. Ab illo resuscitantur, sed tibi solvendi offeruntur, maxime quia in Apostoli throno sedes, cui dictum est: « Quæ solveris in terra, » soluta erunt et in cœlo[12]. » Viscera tua, sanctitatis et misericordiæ plena, nostris non indigent vocibus, et quod pro istis rogo, non tam mea deprecatione, quam tua paterna dilectione factum est (4). Nec tamen hoc quod exhibemus officium superflue deputabitur, quando hæc verba nostra istis efficiunt Dei munera chariora, cum per nos audiunt quid per tua merita consequantur. Nam et Pater qui est in cœlis scit quid nobis necessarium sit, priusquam petamus ab eo[13]; et tamen ut petamus hortatur, petentibusque largitur, ut amplius filii diligant Patrem, quem petendo senserint dantem, ne si omnia priusquam petant, acceperint, debita (5) sibi existiment non donata.

IV. Persolvi ergo officium meum qualicumque sermone, etsi vix digno tuis paternis auribus, serviendo tamen istorum fraternis vulneribus. Restat ut ipse jam facias, quod pastorali sollicitudine universo gregi debes, et confessioni jacentium, et mœrori stantium, et voci deprecantium, ut ipse Dominus Deus noster faciat quod promisit, accipiat pro sacrificio contribulatum spiritum istorum; cor eorum contritum et humiliatum non spernat[14]; gementes suppliciter, exaudiat misericorditer; emendatis in præsenti, parcat in futuro; solutos in terra, solvat in cœlo.

[1] Matth. xviii, 12. — [2] Id. v, 45. — [3] Gen. iii, 7. — [4] Luc. xv, 11, et seqq. — [5] Ibid. 24. — [6] Matth. xviii, 14. — [7] Philip. ii, 6, 7. — [8] Matth. xx, 28. — [9] Rom. viii, 34. — [10] Joan. xi, 1, et seqq. — [11] Joan. xi, 44, et seqq. — [12] Matth. xviii, 18. — [13] Id. vi, 8. — [14] Psal. l, 19.

(1) Cod. cruentas. — (2) Id. quam. — (3) Vide Serm. xxvii, num. 2, 3. — (4) Cod. factus es. — (5) Id. nota.

SERMO XCVI.

De Reconciliandis pœnitentibus II.

Locus ejus post præcedentem, cum numero de Reconciliandis pœnitentibus II.

SYNOPSIS.

I. Argumenta evolvuntur, quibus Episcopus ad dandam veniam compellatur. II. Decepti a diabolo pœnitentiam confitendo exposcunt. III. Preces et gemitus justorum pro peccatoribus.

I. « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies » salutis[1]; » movent te lacrymæ pœnitentium, sancte Papa, et indulgentiam desiderantium per te, ab illo qui habitat in te. Ad illum quippe veniunt, et prosternuntur, et plorant ante Dominum qui eos fecit, ut deleat quod fecerunt, et reficiat ipse quos fecit. Avertat faciem suam a peccatis eorum, non avertat ab eis. Non sit vultus ejus super eos mala facientes, ut perdat de terra memoriam (1) eorum[2]; sed oculi ejus super pœnitentes ac sitientes, et aures ejus ad preces eorum[3]. Per corpus peccarunt, corpus affligunt. De sua malitia exegerunt pœnam, de Dei misericordia exigunt veniam. Ut illum propitientur, irascuntur sibi; et ne puniat ille, se puniunt. Offerunt ei sacrificium, spiritum contribulatum, ut cor contritum et humiliatum non spernat[4], qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam[5]. Baptismus eos fecerat novos, sanet pœnitentis vulneratos. Non servaverunt quod professi sunt, non eis reservetur quod confessi sunt. Non exegerunt vindictæ debitum, non expendant; misericordiam præbuerant, misericordiam mereantur; dimiserunt, dimittatur eis; dederunt, detur eis. Mali terreni moles, qua in tenebris conscientiæ premebantur, voce Christi disrupta est; tanquam de sepulcro in hanc lucem, confitendo prodeunt. Solve illos, et sine ire. Habes enim claves, quibus quidquid in terra solveris, solvatur in cœlo[6]. Regnanti servierunt eorum membra peccato, nunc victrici justitiæ redduntur. Oculi quos illecebræ deceperant delictorum, nunc lacrymas fundunt. Aures quæ libenter patuerunt illicitis vocibus, nunc pro se flentium gemitu feriuntur. Lingua quæ perversa libertate superbiens gloriabatur, nunc humiliata deprecatur. Manus operatæ nequiter, quærunt supplices medicinam. Pedes qui cucurrere ad nefas, mutato jam itinere, quo venerint cernimus; totumque corpus obnoxium prius iniquitatibus, nunc prostratum videmus in fletibus. His exterioribus motibus, interius Christus victor apparet. Crucietur hostis expulsus. Fortior vasa fortis eripuit[7], qui ligato illo, solvi quos ceperat, imperavit. Dolor est in confessione pœnitentium, sed prope est Dominus his qui obtriverunt cor. Dolor iste medicinalis est, non pœnalis (2). Medici enim desiderabat manus, cujus illa vox est : « Ure renes meos et cor meum[8]. » Dolor iste putredini adversus est, non saluti. Non vult enim Deus mortem peccatoris, quantum ut revertatur et vivat[9]. » Nec bene valentibus opus est medicus, sed ægrotis[10]. Quoniam ille non venit vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam[11]; non ut peccatores se esse lætentur, sed magis lugendo, peccata fateantur. Oderint in se quod odit et Deus, ut ab eo salvi facti, oculis ejus placere mereantur. Sicut enim medicus non optat, sed curat ægrotum, sic Christus sanator est peccatorum, non amator. Pœnitentia est ergo peccatorum vindex, ut vindicta vitetur, et a pœnis liberans pœna; judicium præveniens judicem, et cruciatus propitians cognitorem; pronuntians adversus hominem quod fiat pro homine, et reum, ne damnetur, accusans.

II. Ille hostis antiquus amplius istis jam redemptis, quam illi nondum captivato primo homini, invidit. Astutiores in Ecclesia dolos, quam in Paradiso machinatus est. Ibi enim, ut facilius deciperet, nondum ruinæ hominis processerat quod caveretur exemplum, et mors inexperta, cito credita est non futura. Nunc vero, cum post illius lapsum, omnes ex illo ad mortem carnis nati fuerimus, etiam mortem spiritûs denuo noxius serpens, ut seduceret, incredibilem fecit, et ausus est iterum dicere : Si contra præceptum feceris, non morte morieris[12]. Ille homicida ab initio[13], talia iterum dixit; iterum est creditus; iterum percussit; iterum peccantes dejecit in mortem, pro quorum peccatis jam Christus vicit et mortem. Sed etiam isti prudentiori remedio reviviscunt, non excusando, sed accusando commissa. Neque enim fugiunt Deum, nec sterilibus verbis tanquam sylvis se (3) operiunt, sed fructuosis lacrymis aperiunt quod fecerunt, objicientes sibi ipsi crimina sua. Criminaturum inimicum præveniendo superant, non negando. Deus enim misericors mavult, interpellante (4) Christo, liberare confessos, quam, oppugnante diabolo, punire convictos (5). Audiant enim et faciant quod Propheta dixit : « Confitemini Do» mino, quoniam bonus est[14]. » Ad hoc quippe pertimescunt homines judici homini confiteri, quia illi confessionem damnatio consequetur; apud bonitatem autem Dei, ubi occultando negari nihil potest, totum potest confitendo purgari. Insiste in eis apud eum qui habitat in te, ut propitius fiat omnibus iniquitatibus eorum. Sanet omnes languores eorum; redimat de corruptione vitam eorum; erigat elisos, solvat compeditos, justificet injustos[15], ut diligat justos. Intercedat patrifamilias, qui sterilem arborem eradicare comminabatur. Non enim frustra excommunicando humilitatis fossam circumdedisti, ac sordes lugubres, sed tamen fertiles, tanquam cophinum stercoris adhibuisti (6). Gratulaberis in eis de fructu laboris tui, et de tua intercessione lætaberis.

III. Multa pro eis sacrificis, tot etiam circumstantium fratrum contribulati spiritus offeruntur, et pro baptismo, cujus fidem non servaverunt, multæ funduntur lacrymæ proximorum. « Qui enim stant, caveant ne cadant[16]. » Consociant illi mœrorem suum vulneribus istorum, ut sibi consocietur sanitas eorum. Illi inclinantur, ut erigant, quia isti prosternuntur, ut surgant. In omnibus Deus operatur, quoniam Deus charitas est. Omnium ergo te charitas moveat, quæ in te honoratius habitat, ut tuo interventu, et istorum pro suis, et illorum pro fratrum delictis, preces et fletus exaudiantur a Domino, ut sit omnium communis salus, quorum in communi delicto

[1] 2 Cor. vi, 2. — [2] Psal. xxxiii, 17. — [3] Ibid. 16. — [4] Id. l, 19. — [5] Jacob. iv, 6. — [6] Matth. xviii, 18. — [7] Id. xii, 29. — [8] Psal. xxv, 2. — [9] Ezech. xxxiii, 2. — [10] Matth. ix, 12. — [11] Ibid. 13. — [12] Gen. iii, 4. — [13] Joan. viii, 44. — [14] Psal. cxvii, 1. — [15] Id. cxlv, 8. — [16] 1 Cor. x, 12.

(1) Cod. *memoria*. — (2) Vide August. Enarrat. in Psal. cii, n. 5. — (3) Deest *se* in cod. — (4) Cod. *interpellando*. — (5) Id. *convinctos*. — (6) Vide August. Serm. lxxxii, 3.

communis est gemitus; atque in societate corporis Christi, sit omnium gaudium post dolorem, quorum non omnium vulnus, sed omnium dolor est propter individuam charitatem; per Christum Dominum nostrum, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XCVII.

De Reconciliandis pœnitentibus III.

Locus ejus post præcedentem cum numero de Reconciliandis Pœnitentibus III.

SYNOPSIS.

I. Pœnitentes adsunt gementes. II. Petitur Episcopi misericordia, quæ omnium lacrymis moveri debet. III. Pœnitentiæ et confessionis efficacia. IV. Allocutio ad pœnitentes. V. Et ad Episcopum.

I. Apostolicum pectus venerabilis sacerdotis, secundum misericordiæ domicilium, orari pro se desiderans, orat pro strata turba miserorum. Hanc tibi, beatissime Papa, gloriosam, redemptam, tanquam speculam pastoralem, Sanctus sanctorum, et Pastor pastorum Redemptor captivorum, inventor perditorum, sanator ægrotorum, de sua cœlesti sede concessit, non alta sapienti, sed humilibus consentienti[1]; non morbos omnium fastidienti, sed male (1) languidis paterna charitate servienti non ad jactantiam, sed ad medicinam; non ministrari, sed ministrare cupienti (2); non a quibus orari te delecteris, sed pro quibus orans exaudiri merearis. Intercessionem pro his apud te solemniter facio, loquens volenti, non extorquens neganti. Quos commendo sermone, prævenis pietate. Pro quibus nunc ad te (3) sonat os meum, pro his (4) cor tuum clamat ad Dominum. Adsunt squalentes, gementes, tanquam remota mole duritiæ, ab occultis suis, velut de sepulcro mortis, in manifestationem satisfactionis prodeuntes, sicut de Lazaro Dominus ait: « Solve illum et sine ire[2]. » Illius quippe magna voce commoti, noluerunt se peccatores defendendo interire, sed reviviscere (5) confitendo; ut de tenebris (6) mortuæ conscientiæ, reddita spei luce, procederent. Proinde vincula quibus ligata sunt detrahe, quoniam quæ solveris in terra, soluta erunt in cœlo[3], quo non audebat oculos levare ille peccator, qui percutiebat pectus suum dicens: « Domine, propitius esto mihi peccatori[4]. » Quomodo enim levaret oculos fidens (7), ubi nodos sui reatûs agnosceret? Et tamen descendit de templo justificatus, magis quam ille Pharisæus[5], merito humilitatis, non æquitatis suæ; et qui in templo Domini de longinquo stabat, ei potius ipse Dominus propinquabat. « Nos, » inquit Apostolus, templa Dei vivi sumus[6]. » Et si hoc de omnibus bonis fidelibus verum est, quanto magis de te, qui regendis fidelibus præsides, in eo præsertim loco (8), ubi præsedit ille cui dictum est: « Tibi dabo claves regni » cœlorum[7]. »

II. Adsunt ergo isti in templo Dei, id est, in Ecclesia Dei, de longinquo prostrati, desiderantes petere reconciliari Deo in corpore et sanguine Jesu Christi. Exaudiat eos de corde tuo, de templo sancto suo[8]. Afferunt ei sacrificia, non adipem arietum, nec carnes taurorum, nec multitudines caprorum pinguium, nec primogenita sua, fructus (9) ventris sui, pro peccato animæ suæ, sed spiritum contribulatum, cor contritum et humiliatum[9], quod non spernit. Hoc impone, Sacerdos bone, pro eis in ara mentis tuæ, quam superna flamma sanctæ dilectionis accendit, et da pro illis Domino odorem suavitatis de visceribus charitatis. Laboraverunt in gemitu suo; laverunt per noctes lectum suum; lacrymis stratum suum rigaverunt[10]; et nunc istam terram rigant, sociasque habent lacrymas eorum, cum quibus societatem non habent delictorum. Circumstant oculis tuis, isti pro sua, illi pro fraterna salute solliciti, non utrique confitentes, sed utrique plangentes. Quod enim membrum contineat unitas corporis, et non compatiatur alteri membro patienti, condoleat dolenti, consulat periclitanti, subveniat laboranti? « Qui enim se putat stare, vi» deat ne cadat[11]; » et intendat seipsum, ne et ipse tentetur[12]; ut alter alterius onera portantes[13], impleant legem Christi, qui peccata non fecit[14], peccatores vocavit, pro peccantibus oravit, peccata donavit. In ejus corpore membra sunt ista, illa jacent; alia jacentibus adhærent, alia, ut erigantur, sternuntur. Quis sapiens, cum homo sit, hominem cadere videat, et se stare superbiat? Non est in his et illis communis iniquitas; sed est communis infirmitas. Omnes petunt, ut hi accipiant; omnes pulsant, ut his aperiatur; omnes dolent, cum isti affliguntur; omnes gaudebunt, cum isti sanabuntur.

III. Occultus ille hostis cum Angelis suis, in istorum erectione torqueatur, sicut in elisione lætatus est; cui quidem isti consenserunt ut delinquerent, sed non consenserunt, ut cadentes etiam superbirent; consenserunt ut vulnerarentur, sed non consenserunt ut medicinæ reluctarentur; consenserunt ut a (10) Domino suo fugerent, sed non consenserunt ut ad Dominum non redirent. Proinde quem non vicerunt per continentiam, vicerunt per pœnitentiam; qua sola inimicus, etiam cum vicerit, vincitur; qua sola accusator non a negantibus, sed a confitentibus superatur. Pœnitentia est quæ dolorem doloribus eripit, et evadit vindicando vindictam. In se enim quisque vindicat, qui se ipsum cruciat pœnitendo, ut non jam vindicem judicem (11), sed patrem receptorem Deum reperire mereatur. Sic enim peccati sui ultor quodam modo fuit, atque in se ipsum asperam sententiam pertulit ille, qui rediens de longinquo dixit patri: « Jam » non sum dignus vocari filius tuus[15]. » Atque hoc enim pater filii honore præstitit dignum, quod se ipse filii nomine judicavit indignum. Tormentum cordis est pœnitentia, sed parvo tempore extinguit æterna tormenta. O ineffabilis benignitas Dei, ut qui eum negando fallere non potest, propitietur confitendo! Cui peccatum non occultatur si taceatur, ab eo tamen remittitur, si dicatur! Quoniam non quisque Deum docet indicando quod

[1] Rom. XII, 16. — [2] Joan. XI, 44. — [3] Matth. XVIII, 18. — [4] Luc. XVIII, 13. — [5] Ibid. 14. — [6] 2 Cor. VI, 16. — [7] Matth. XVI, 19. — [8] Psal. XVII, 7. — [9] Id. L, 19. — [10] Ibid. VI, 7. — [11] 1 Cor. X, 12. — [12] Galat. VI, 1. — [13] Ibid. 2. — [14] 1 Petr. II, 22. — [15] Luc. XV, 19.

(1) Cod. *sana.* — (2) Deest *cupienti* in cod. — (3) Cod. male *non a te.* — (4) Id. male addit *quibus.* — (5) Cod. *revivescere.* — (6) Id. male addit *et.* — (7) Cod. *fideret*, et prius *quo* pro *quomodo.* Forte legendum *quomodo enim levare oculos fideret?* — (8) Hæc insinuare viderentur pontificem Romanum. — (9) Cod. *fructu.* — (10) Deest *a* in cod. — (11) Cod. *judicet.*

fecit, sed quoniam non parum propinquare conatur illi, cui in se displicet, quod et illi. « Dixi, inquit, proloquar » adversum me delictum meum Domino meo, et tu re» misisti impietatem cordis mei[1]. » Et non utcumque proloquar, sed adversus me, inquit, proloquar delicta mea Domino. Hæc virtus est pœnitentiæ, ut cum loquitur ipse peccatur adversus se, tunc faciat pro se. Odit enim peccatorem Deus, ac per hoc qui se peccatorem odit, amat eum Deus, quia hoc odit, quod Deus.

IV. Bono animo estote, supplices Dei, recreamini et consolamini, firmate fidem, erigite spem, accendite charitatem. Donabit vobis peccata qui mortem suam nobis donavit sine peccato. Non permittet, ut pereatis, qui mori voluit ut vivatis. « Appropinquate Deo, et ap» pinquabit vobis[2]. Resistite autem diabolo, et fugiet a » vobis[3]. » Mementote vos ejus leonis rugientis dentibus eripi; mementote vos illi extorqueri, qui vos in æternum sperabat secum posse torqueri. Auribus percipit Dominus lacrymas vestras, habitans in ejus præsidentis corde pastoris; cujus mereantur preces fusæ pro vobis, quidquid minus valetis in vestris.

V. Gaude itaque, optime antistitum, quoniam filii tui, quos per Evangelium genuisti[4], jam mortui erant, et revixerunt, perierant, et inventi sunt[5]. » Conscindatur saccus eorum, et accingantur lætitia[6]. Redde illis epulas vituli saginati[7]; eximantur animæ eorum de morte, oculi eorum a lacrymis, pedes eorum a lapsu, ut placeant in conspectu Domini in regione vivorum[8].

SERMO XCVIII.

Sive Oratio de Spiritu sancto.

Eruitur hæc oratio pulcherrima, quam frustra quæsivi apud sanctum Augustinum, ex Bibl. Magliabec., cod. LXXXVI, *fol.* 73, *ubi nomen habet beati Doctoris. Locus ejus post Serm. Benedict.* CCLXXII.

SYNOPSIS.

I. Misericordiæ Spiritûs invocatio. II. Ejusdem continuatio. III. Precari pergit benignissimum Spiritum.

I. Deus meus, Spiritus sancte, timeo et desidero loqui de te pro me, quia de meo non habeo quid loquar de te; et quid loquar, nisi tu dederis mihi te, ut tibi de te loquaris pro me in me? Da ergo mihi te in principio, dator optime, et donum optimum, quia quantum ad te, tu meus es; nec potest aliquid meum esse, nec ego meus ero, nisi prius tu meus fueris. Esto meus, quia sic ero meus et sic tuus. Si vero non es meus, nil meum est. A quo ergo emam te, aut comparabo? Nullo, nisi a te. A necesse est igitur ut des mihi te, ut et te possim emere a te. Præveni igitur me, et præpara me ad recipiendum te, et receptus loquere tibi pro me et audi in me. Te pro me audi, benignissime, audi semel et ne irascaris. Vide quo spiritu loquar, quia ego nescio, sed bene scio quod loqui non possum, nisi tu des. Recolo quod tu aliquando adulterum et homicidam tetigisti, et psalmistam tu fecisti, Susannam innocentem liberasti, Magdalenam septem dæmoniis plenam respexisti, et multa dilectione repletam Apostolorum apostolam constituisti; Latronem in cruce visitasti, et socium Christi eadem die in Paradiso statuisti; flere fecisti apostatam, et eum ordinasti in summum Pontificem; vocasti Publicanum, et evangelistam consecrasti; percussisti persecutorem, et erexisti in summum doctorem; descendisti in tumidos Judæos, et omisisti eos audacissima doctrina inflammatos. Domine sancte, cum horum mente memnero, excitant me sic alloqui tibi, et scio vere quia tu docuisti me sic tibi respondere; et ob hoc ad te suspiro, ad te confugio. Audi, summa benignitas, et non incurrat indignationem tuam tua misera creatura. Si plura sunt scelera mea, quam omnium eorum, quos in exemplum tuæ misericordiæ revocavi, multo major est misericordia tua, quia infinita, quam iniquitas mea, cui æque facillime est remittere multa millia peccata, ut unum solum. Scio quod aliquis in suo mortali peccato decessit præscitus ad mortem, alius post mille peccata commissa reservatus est decedens tandem prædestinatus ad vitam. Et in his quid, dulcissime, nisi hinc tua misericordia, illinc tua justitia manifeste aperitur? Accidit in aliis duobus quod utrique post multa et magna peccata mortalia diutius reservati sunt, et in finem alter ad vitam, alter ad pœnam æternam? Quid enim, benignissime, in his, nisi tu tua benignissima misericordia in se uniformi (1), diversimode tamen operaris? Nec ergo dat certitudinem vitæ æternæ paucitas peccatorum, nec desperationem confert multitudo scelerum. Sed quoniam melior est misericordia tua super vitas, illam invoco, illam desidero, illi mihi adhærere bonum est. Da te mihi per illam misericordiam, et illam per te: illa sit mihi in te, et illa sit tibi via in me. Hæc dat mihi audaciam alloquendi tibi; hæc dat mihi fiduciam invocandi te; hæc erigit mentem meam; habens ipsam, habet te. Nihil ergo peto, nisi te, quia tu es doctor et doctrina, medicus et medicina, prospector et præparator mentis, amor et amator, tu es vita et vitæ conservator. Quid plura? Tu es quidquid dicitur boni esse (2). Tua enim misericordia, quia (3) non sumus consumpti: ipsa sola nos sustinet expectando, conservat non damnando, revocat non improperando, dimittit non judicando, gratiam confert non repetendo, salvat perseverando.

II. Surge ergo et erige te, anima mea peccatrix, intende tanto auditui, tanto auxilio tuæ reformationis. Vide quia ista persona indiges (4) sola ad restaurationem tui. Erige te tota, mens mea, et huic qui tota salus tua est cum omnibus viribus tuis intende, et præpara te ipsi; recipe eum in te, ut recipiat te in se. Veni ergo, dulcissime, extende digitum tuum et erige me; veniat ille sanctus digitus tuus, adducat me ad te, et ponat se in vulnera mea et sanet ea. Pungat in me inflationem superbiæ, ejiciat putredinem iræ, reprimat venenum invidiæ, resecet carnem mortuam acediæ, mitiget dolorem cupiditatis et avaritiæ, purget superfluitatem gulæ, et odoriferis unguentis pulcherrimæ castitatis fuget fœtorem luxuriæ. Tangat me digitus ille, qui distillat vinum, et oleum, et myrrham probatissimam. Tangat me digitus tuus, benignissime Domine, ut sublata corruptione, ad integritatem me restituere digneris, ut tu cum veneris manere in me saccum perforatum, invenias integrum habitaculum, in veritate fidei fundatum, in certitudine spei erectum, cum fervoris charitate completum. Veni, veni, hospes jucundissime, quamvis non diu desideratus. Mane nobiscum, quia nisi manseris, advesperascet et inclina-

[1] Psal. xxxi, 5. — [2] Jacob. iv, 8. — [3] Ibid. 7. — [4] 1 Cor. iv, 15. — [5] Luc. xv, 24. — [6] Psal. xxix, 12. — [7] Luc. xv, 23. — [8] Psal. cxiv, 8, 9.

(1) Cod. *uniformis*. — (2) Cod. *est*. — (3) Id. iterat male *enim*. — (4) Id. *indigens*.

bitur dies[1]. Pulsa et aperi, quia si aperis, nemo claudit; ingredere et claude post te ostium, et nemo aperiet[2]; in pace sunt omnia quæ possides[3], et sine te nulla est pax. Tu (1) laborantium es requies, prœliantium pax, dolentium jucunditas, languentium consolatio, æstuantium temperies, flentium risus, cæcorum lux, dubitantium dux, timentium audacia; nullus enim quiescit, nisi qui pro te laborat. Solus pugnans pro te, pacem habet. Pro te dolere summa jucunditas est, et lugere consolatio. Cum flet anima mea pro te, tunc bene ridet. O quanta benignitas! non potes sustinere quod aliquis doleat pro te, nec quod fleat aut laboret. Simul enim incipiunt labor et requies, pugna et pax, dolor et jucunditas, fletus et risus. Esse in te, est esse in æterna felicitate.

III. Tange, dilectissime, tange animam meam quam creasti, animam quam per lavacrum inhabitasti; at (2) heu! ejectus millies turpiter fuisti et injuriose a domu tua propria, et ecce misera hospita tua clamat post te; pessime est enim ei sine te. Revertere, benignissime, et miserere ejus quæ te seditiose expulit a se. Nunc, nunc bene recordatur, quod bene erat ei prope te; venerunt enim omnia bona pariter propter te[4], et post recessum tuum spoliaverunt eam inimici ejus, et omnia bona ejus quæ primo dedisti, asportaverunt, et insuper plagas crudelissimas imposuerunt, et vix semivivam reliquerunt[5]. Redi ergo, dilectissime Domine, et descende in domum tuam, priusquam moriatur fatua hospita tua. Nunc video, nunc sentio quam male est mihi sine te; erubesco et confundor vehementer quod recessisti a me, sed defectus tam graves pro absentia tua compellunt me revocare te. Veni in domum miseræ Marthæ tuæ[6], custos optime, et custodi eam in veritate, « Ne de cætero obdormiat in morte, ne quando dicat inimicus: Prævalui » adversus eam[7]. » Qui tribulant me, exultabunt, si mota fuerit[8]. Sed ego te adjuvante, in misericordia tua sperabo, illam amplectar, in ea confidam, illa erit portio mea, et sic non timebo quid faciat mihi caro[9]. Non potes non facere misericordiam, quia tibi consubstantialis est. Vide paupertatem meam, vide instantem necessitatem meam; secundum tuam magnam dignitatem miserere, non secundum meam iniquitatem. Ostendat misericordia quod super omnia opera tua est[10]. Non prævaleat malitia peccati adversus magnitudinem bonitatis tuæ. Secundum misericordiam tuam dicis: « Nolo mortem peccatoris, » sed ut convertatur et vivat[11]. » Diligis enim misericordiam plusquam sacrificium[12]. Largitor largissime, extende illam sanctam dexteram tuam, quæ nunquam vacua est, denegare nescit, indigenti dare non cessat; extende ergo, dator optime, manum istam omni bono repletam. Ipsa est manna pauperum, da pauperi tuo, ima ipsi paupertati, arma sive bona illa, quæ pauperem ditant sine defectu. Confirma ergo, Deus, quod operatus es in nobis[13], quia nunc video quod non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, salvas nos, sed secundum tuam misericordiam[14]. Ergo, sanctissima communicatio (3), donum pietatis mihi concede, cui proprium est mitem facere, et conservare, et reddere illum, cui se tribuit, immunem ab omni munere, ut possimus dicere cum apostolo Petro: « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti » sumus te[15]. » Quibus omnibus despectis mundanis et transitoriis, Spiritus tuus bonus deducet nos in viam rectam[16], et in terram viventium, affectu (4) pietatis nos inducet, ubi te possimus perenniter frui per infinita sæcula sæculorum. Amen.

[1] Luc. XXIV, 29. — [2] Apoc. III, 7. — [3] Luc. XI, 21. — [4] Sap. VII, 11. — [5] Luc. X, 30. — [6] Ibid 38. — [7] Psal. XII, 5. — [8] Ibid. — [9] Id. LV, 5. — [10] Id. CXLIV, 9. — [11] Ezech. XXXIII, 11. — [12] Matth. IX, 13. — [13] Psal. LXVII, 29. — [14] Tit. III, 5. — [15] Matth. XIX, 27. — [16] Psal. CXLII, 10.

(1) Cod. *tu qui*. — (2) Id. *et*. — (3) Vide lib. Medit. num. 9. — (4) Cod. *affectum*.

SANCTI AURELII

AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

TRACTATUS.

LIBER

De Spirituali certamiue.

Editur hic tractatus, sive sermo, qui tamen a manuscripto dicitur liber, in Bibl. Sanctæ Crucis Florentiæ, Plut. XVII *dextr., cod.* IX, *fol.* 158 *b. Hanc frustra quæsivi apud sanctum Augustinum, cujus nomen habet in codice.*

SYNOPSIS.

I. Christiani boni ex Ægypto in terram promissam adducti sunt. II. Non otio tamen indulgendum, sed pugnandum contra vitia. III. Quæ delenda, ut gentes quas Israëlitæ destruere jussi fuerunt. IV. Quam damnanda monachorum segnities. V. Profectus spiritualis argumenta. VI. Cur Deus nos sine certamine vincere adversarios non vult. VII. Finalis adhortatio ad monachos.

I. Si diligenter considerare volumus, fratres charissimi, unde venimus, et quo vocamur, nullæ vires in nobis sunt, quibus ad reddendas Deo gratias sufficere valeamus. Nos enim filii Israël sumus, qui Pharaoni in Ægypto servivimus, qui gravissimo superbi regis imperio premebamur. Gaudebat aiquidem Princeps mundi hujus sub feroci servitutis jugo nos indesinenter atterere, ut servilium operum semper officiis occupare. Cogebat nos lateres coquere, nec (1) ex pretiosis virtutum lapidibus templum Deo construere, sed terrenum potius sibi dictabat ædificium fabricare. Sed ecce jam Deus patrum nostrorum, Deus benedictus in secula, ex Ægypto nos, id est, de tenebris vitæ veteris eruit, de vinculo tyrannicæ dominationis absolvit, atque in terram nos promissionis fideliter introduxit. Terram namque repromissionis ex eo jam ingressi sumus, ex quo, spreto mundi desiderio, firmæ spei fiduciam in æternitate posuimus, et jam in spe possidemus, quam in re postmodum habituri per Dei gratiam sumus. In hanc videlicet terram jam illi spei gratia (2) introducti fuerant, quibus Petrus aiebat : « Vos » autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, » populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus qui » de tenebris nos vocavit in admirabile lumeu suam[1]. »

II. Sed quia in hanc terram, duce divina gratia, sumus ingressi, non (3) nobis vacandum est otio, non torpori vel desidiæ cedere, non somno vel incautæ securitati sanum est indulgere. Expedit itaque ut virtutum armis semper accincti, ad custodiam nostri jugiter excubemus, et adversus immanissimos hostes nostros acriter dimicemus; per bellum namque pariter ad pacem, per laborem transitur ad requiem. Non enim est sine pugna victoria, non absque victoria pertingitur ad coronam. Intestinos autem hostes habemus, cum quibus si perire nolumus,

[1] 2 Tim. II, 6.

(1) Cod. male *penetrabilibus*. — (2) Cod. *hoc*. — (3) Deleta sunt quædam in cod.

infatigabiliter et sine ulla prorsus intermissione pugnare compellimur. Hostes nempe nostros, adversus quos in acie semper assistimus, non a nobis interjecti aggeres dividunt, non mœnia turrita secernunt, non profundi amnes interfluunt, non prærupti montes, ne quo minus congrediantur, obsistunt. Nobiscum semper sunt, quia in nostræ mentis penetralibus (1) degunt. Septem namque principalia vitia sunt, ex quorum vipereo semine cæteræ vitiorum pestes, quasi venenatæ nihilominus soboles oriuntur. Quæ nimirum sunt: superbia, avaritia, inanis gloria, ira, invidia, luxuria, tristitia. De quibus nos idcirco disputare diligenter omittimus, quia plerosque tractatores sacri eloquii multiplices super his reliquisse sententias invenimus. Hoc tantum nunc affirmare sufficiat, quia quisquis adversus ista confligere, quisquis hæc (2) cum Dei adjutorio neglexerit superare, nunquam in militia spirituali victor existere, nunquam ad coronam poterit victoriæ pervenire. « Non » enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit[1]. »

III. Hæ sunt denique gentes quas Israëlitico populo Moyses præcipiebat... (3) a facie terræ absque ulla fœderis interpositione delere. « Cum traduxerit te, inquit, » Dominus Deus tuus, in terram, quam possessurus ingrederis, et deleverit gentes multas coram te, Hethæum, » et Gergesæum, et Amorrhæum, Chananæum et Pheresæum, et Hevæum, et Gebusæum, septem Gentes » multo majoris numeri, quam tu es, et robustiores te, » tradideritque eas Dominus Deus tuus tibi (4), percuties eas usque ad internecionem. Non inibis cum eis fœ» dus, non misereberis earum[2]. » Ecce audistis, fratres charissimi, quia gentes nobis infestas nostris manibus Deus omnipotens tradidit, easque jam a facie nostra in suæ providentiæ dispositione delevit. Cur ergo degeneri languore torpescimus? cur collatam nobis cœlitus victoriam non arripimus? cur ex eo quod in superno jam examine constitutum est, id solum quod ad nos pertinet non implemus? Nam si ipsam verborum seriem ante perpendimus, jam ipsas gentes apud divinam sententiam prostratas aspicimus, quas ipsi percutere et delere jubemur. Cum enim dicitur: « Cum introduxerit te Deus » Dominus tuus in terram, quam possessurus (5) ingre» deris, et deleveris gentes; » atque paulo post adjungit: « Percuties eas, » luce clarius constat, quia adversarios nostros in sua præscientia jam omnipotens Deus extinxit, quos nos ut (6) extingueremus, instituit. Ipse pugnat, et ut nos vincamus invitat. Ipse hostium vires destruit, et nobis victoriæ nomen ascribit. Vult nos fieri sua virtute victores, ut valeat myrto coronare triumphantes. Nulla nos ergo desperatio frangat, quos ad fortiter agendum supernæ virtutis adhortatio provocat. Nulla infirmitas humanæ conditionis obsistat, ubi ad confligendum divinæ jussionis auctoritas roborat. Audiamus et nos quod illis dictum est: » Si dixeris in corde tuo: Plures » sunt gentes istæ quam ego, quomodo potero delere eas? » Noli metuere, sed recordare quæ fecerit Dominus Deus » tuus Pharaoni et cunctis Ægyptiis, plagas maximas, » quas viderunt oculi tui, et signa atque portenta, ma» numque robustam, et extentum brachium, ut educeret » Dominus Deus tuus. Sic facies cunctis populis quos » metuis[3]; » et ut quid ergo ex nostra infirmitate diffidimus, qui ipsum virtutis auctorem, prævium ac ducem nostræ congressionis habemus? Et ille tenetur ex promissione victoriæ, qui dux et auctor est pugnæ. Accendatur igitur mens in amorem certaminis, ut in campum pugnatura procedat ad debellandum hostium cuneos, cum desides incalescant. Nullum inter nos atque adversarios fœdus interveniat; nulla nos sequestræ pacis vincula (7) componant.

IV. Non ire namque ad prælium inglorium est; ire autem et segniter agere, mortis omnino periculum. » Me» lius est enim non agnoscere viam veritatis, quam post » agnitionem retrorsum reverti[4]. » Nonnulli enim post arrepta sacræ rudimenta militiæ, in tantam se mollitiem, animo tepescente, resolvunt, ut si valeant (8) mala non agere, nullis tamen studeant animæ suæ profectibus insudare. Hi nimirum non famem inedia vincere, non oblatis epularum suavitatibus repugnare, non frigoris asperitatem ferre, non communes satagunt vigilias prævenire. Qui videlicet, etsi usurpare illicita renuunt, his tamen, quæ licita sunt, perfruuntur. Hi profecto intra sacram militiam constituti sunt, sed quod spirituale certamen sit nesciunt; intra militum numerum censentur ascripti, sed militaris officii probantur ignari; siquidem inter armatos non verentur inermes incedere, inter loricatas bellatorum acies non erubescunt discincti segniter ambulare (9), atque idcirco ad primum vibrati cujuslibet jaculi ictum corruunt, quia nullo cautæ circumspectionis clypeo muniuntur; meliusque fuerat intra septa domus ignobiliter vivere, quam imbelles inter cellas (10) sine ullis meritorum (11) titulis mori (12). Enim vero qui in monastico habitu carnis delectationem quærunt, ex arido ligno succum exprimere gestiunt. Ex qua nimirum mollitie ac remissione vivendi plerisque contingit, ut cum multa sciant, se nesciant, et quid districtionis ipsi pati possint, quidve non possint, pleniter non agnoscant; sicque fit, ut quibus datum est exteriorem militiam (13) cognoscere, adhuc ad cognoscendum semetipsos videantur probationibus indigere. Plerosque enim vidimus jamdudum in sacro ordine constitutos, qui necdum nossent quid in jejuniis, quid in vigiliis, quid in reliquis cœlestis disciplinæ studiis ferre potuissent; et cum Scriptura dicat: » Qui ignorat, ignorabi» tur[5], » quo pacto, vel a Deo cognosci, vel Deum mereatur ipse cognoscere, qui semetipsum in ejus obsequio convincitur ignorare? Porro autem fervidus bellator qui mœnia obsidione circumdat, appropinquare aggeribus nititur, occupare vallos attentat, atque inter ipsas crebrescentium missilium grandines, quousque violenter irrumpere possit, explorat. Qui semetipsum ergo vult vincere, in mensuram suarum virium, turpe est notitiam sui non habere. Hinc est enim quod Dominus dicit: « Contendite intrare per angustam portam[6]. » Necdum autem experimentum sui ille Dei miles acceperat, de quo Scriptura dicit: » Quia imposita galea ærea super caput » ejus[7], » et cætera. Jam autem idem se docte probaverat, cum « Gladium Goliath Philistæi[8], » et cætera.

V. In hoc autem probatio est, quia quisquis in militiæ spiritualis agone profecerit, si jamjam debiliorem contra se vitiorum contumaciam sentit, si insurgentes in se motus carnis facile reprimit, si tumultuantium cogitationum strepitum minori jam labore compescit; si nascentes carnalis (14) illecebræ spinas, mox ut oriri cœperint, resecat, si tumentia superbiæ, luxuriæ, cæterorumque vitiorum colla, gladio protinus divini timoris obtruncat.

[1] 2 Tim. ii, 5. — [2] Deut. vii, 1, 2. — [3] Ibid. 17-19. — [4] 2 Petr. ii, 21. — [5] 1 Cor. xiv, 38. — [6] Matth. vii, 13. — [7] 1 Reg. xvii, 38. — [8] Ibid. 51.

(1) Hic vox quædam deest in cod. quam supplevimus addendo nec. — (2) Cod. gentrum. — (3) Id. male jam. — (4) Id. male addit et; deinde percutie. — (5) Cod. male addit est et deinde habet deleverit. — (6) Deest ut in cod. — (7) Cod. mna. — (8) Id. videant. — (9) Est verbum hic deficiens in cod., quod supplevimus, apposita voce ambulare. — (10) Cod. cella. — (11) Id. peccatorum. — (12) Id. absque sensu et fatuitatis umbra mira. — (13) Id. exterior militia. — (14) Id. carnales.

Cæterum quid prodest diu quempiam sacræ interesse militiæ, quem velut sub ipsa primi tyrocinii rudimenta remissis manibus, et tenero (1) adhuc puplite (2) videas claudicare? A qua nimirum negligentiæ dissolutione, prædicator egregius discipulos suos prohibet dicens : « Remissas, inquit, manus et dissoluta genua erigite, et » gressus rectos facite pedum vestrorum, ne claudicans » quis erret[1]. » Docta manus ad prælium, facile pervenit ad triumphum. Corpus aptum loricæ, promptum fertur in pugnam. Monacho nempe, cui adhuc impossibile est superbiam premere, avaritiam cohibere, invidiæ faces extinguere, mundam mentem a luxuriæ petulantia custodire, qui virusmalitiæ adversus offendentem nequit expellere, qui pro servanda censura justitiæ, succumbit iojuriam sustinere, quid aliud dicendum est, nisi quia quantum ad professionem quidem, jam in sacra militia nomen dedit, sed quid sit spiritale certamen, adhuc penitus non agnovit? Imo ad perfectionem tendentibus, hoc est totis viribus annitendum, ut salubriter rigidi magis discant (3) ista nescire quam vincere; pudeatque iis, qui se mortuos profitentur esse cum Christo, rebelles motus carnis et passiones animorum adhuc in se procaciter vincere, adversus quæ, velut sub ipso congressionis initio, necesse sit repugnare; ne cum tempus sit ut jam jure quiescere permittantur emeriti, adhuc versentur inter (4) belli tirones. Discat igitur miles Christi, dum adhuc novus est, manus conserere, discat emergentibus quibusque vitiis, prout res dictaverit, obviare. Huc illucque se, circumductis vivacis experientiæ oculis providus vertat, et singulis quibusque jaculis, quæ mittuntur, congruædefensionis tegmen (5) opponat, ut superbiam humilitate dejiciat, gulam sobrietate restringat, mansuetudine iracundiam calcet, avaritiam largitate refrenet, ardorem libidinis terrore perpetui ignis extinguat, odii trabem flamma suavissimæ charitatis exurat. Delectatur Deus isto certamine, qui subtiliter ac profunde considerat totum quidquid illud est, quod versatur in mente. Gratulantur Angeli ad tale spectaculum, videntes quod humana natura in eo quod contra semetipsam (6) pugnat, ad eorum se consortium, unde fuerat ejecta, reformat; et sic (7) rixando, ad veram proculdubio pacem tendit, quam olim sibimet male consentiendo, quia nuu repugnavit, amisit.

VI. Nec conqueramur, fratres mei, si ad votum mox cuncta nuu vincimus, si hujus conflictatione certaminis ærumnas, labores, angustias, et gravissimum sæpe fluctuans animæ tædium sustinemus. In hoc enim divina nobis dispensatione prospicitur, ne repentina victoria in arrogantiam noster animus extollatur, et de altitudine sua profundius corruat, nec (8) auctori Deo, sed sibi victoriæ suæ vires ascribat. Hinc est enim quod Israëlitico populo per Moysen dicitur : « Postquam afflixit te Dominus et » probavit, ad extremum misertus est tui, ne diceres in » corde tuo : Fortitudo mea, et robur manûs meæ, hæc » omnia mihi præstiterunt, sed recorderis Domini Dei » tui, quod ipse tibi vires præbuerit[2]. » Hinc est etiam quod sæpe mens, quæ multa in se et fortia vicit (9), unum quid fortasse minimum, quamvis solerter invigilet, non expugnat; quod nimirum divina dispensatione agitur, ne humana conditio undique virtutibus splendens in elatione sublevetur; ut in eo quod se superasse fortia quæque considerat, dum parvum quid non potest diu conando subigere, non sibi, sed illi victoriam tribuat, cujus munere potuit, quæ subacta sunt, superasse. Unde illic dicitur : « Hæc sunt gentes, quas Deus » dereliquit, ut erudiret in eis Israëlem[3]. » Israël namque reservatis gentibus eruditur, dum mens nostra in pravis sibi resistentibus discit, quia nequaquam ex se majora subjecit.

VII. Hæc totius negotii summa est, fratres charissimi, quare mundum reliquimus; hic tota debet versari intentio nostra, quia ad sacrum ordinem nos venisse gaudemus; videlicet ut mens nostra, virtutum armis accincta, in spirituali certamine se semper exerceat, et vitiorum portenta, quæ circa nos miscere gestiunt, fervido spiritu debellare contendat. Quid enim profuisset Israëlitico populo Ægyptiaca tantummodo rura relinquere, nisi cervices hostium bellica valuisset (10) strage percutere, ut terram optimam quieto postmodum posset otio possidere. Quis (11) denique profectus esset, si Pharaonis jugum, sub quo qualitercumque vivere sinebantur, effugerent, si Chananæorum enses in proprios jugulos per torporis (12) incuriam provocarent. Excutiamus ergo, fratres charissimi, degenerem marcidæ dissolutionis inertiam, qui per fortitudinem strenue dimicandi pervenire volumus ad coronam. Parati simus semper irruentes vitiorum cuneos, ac frementes bestias de agro nostri cordis ejicere, nullumque eis in ea, quæ nostri juris sunt, permittamus locum perversæ dominationis habere. Non videant nos inimici nostri, quod absit, enerviter cedere, ne mox sibimet applaudentes de nostris valeant recessibus exultare. Invictum namque militiæ nostræ ducem habemus, cui fiducialiter dicimus : « Judica, Domine, nocentes me, » expugna impugnantes me; apprehende arma et scutum, » et exurge in adjutorium mihi[4]. » Felix spiritualis ille bellator, qui talem sequitur in prælio ducem, qui talem meretur habere suæ congressionis auctorem, qui et præsumenti præbet audaciam, et pugnanti victoriam, et victorem vehit ad coronam. Quin potius ipse est militantibus donativum, emeritis municipium, triumphantibus præmium sempiternum, ipse Deus benedictus in sæcula.

LIBER

De Pugna vitiorum.

Hic tractatus, qui ad eumdem scriptorem pertinere videtur ac præcedens, et ejus esse complementum, legitur in eodem cod. IX, *Plut.* XVII *dextr., Bibl. Sanctæ Crucis Florentiæ, fol.* 135 *b. Non sine voluptate percurret illum, qui voluerit. Quæsivi eum, sive apud sanctum Augustinum, sive alibi, nec inveni.*

SYNOPSIS.

I. Diabolus præcipue incipientibus insidiatur, cui non cedat Christi miles. II. Tres sunt virtutes, quæ magis eremiticæ vitæ congruunt. III Vitæ hujus encomium. IV. Ejusdem argumenti continuatio. V. Item. VI. Item. VII. Item.

I. Quisquis (igitur) cellulam cum diabolo dimicaturus ingreditur, et in area spiritualis prælii, ferventis animositate pectoris incitatur, ad hoc totam suæ mentis inten-

[1] Hebr. XII, 12. — [2] Deut. VIII, 16-18. — [3] Jud. III, 1. — [4] Psal. XXXIV, 1, 2.

(1) Cod. *teneros* — (2) Id. *poplice*. — (3) Id. *discat*. — (4) Id. *iter*. — (5) Hæc vox dimidiata legitur in cod. ita *gmen*. — (6) Cod. male *semetipsum*. — (7) Id. male *si*. — (8) Id. absurde *sine*. — (9) Id. *si* pro *vicit*. — (10) Id. *ferbuisset*, et deinde *possent*. — (11) Id. *qui*. — (12) Cod. *corporis*.

tionem dirigat, ut delectationem carnis; vel ad momentum quidem jam ultra non sentiat, sed sibimet simul et mundo mortuus vivat. Ad tolerandas itaque calamitates atque miserias animum præparet, morti se pro Christo devoveat, diversis virtutum telis lumbos mentis accingat, omnia sibimet aspera et dura proponat, ut cum acciderint, non improvidus eneriter concidat, sed omnia æquanimiter ferat. Plane sicut fluvius ex sui fontis origine perexiguus oritur, sed processu longioris declivii rivis hincinde confluentibus dilatatur, sic interior homo noster in sanctæ conversationis itinere tenuis et velut aridus incipit, paulatim vero per incrementa virtutum, quasi rivis undique concurrentibus convalescit. Quisquis ergo nititur amnis fluenta restringere, juxta fontis aditum necesse est satagat obstacula convectare, ut ubi nondum amnis, sed adhuc rivus cernitur, illic obicibus impactis facile reprimatur. Qui ad aulam quoque regiam properare disponit, in ipso quidem expeditionis exordio, cum paucis egreditur, confluentis autem subinde numerus societatis augetur. Quisquis denique huic struit insidias, non procul a domo quoad (1) egrediatur dilatat, ut, necdum constipatus multitudine commeantium, repentinos impetus non evadat. Tunc autem veraciter ad regem nostrum properantes iter incipimus, cum rudes adhuc novique tirones in spiritualis militiæ sacramenta juramus; sed quia nondum spiritualium studiorum agmine circumfundimur; necdum perfectionis virtutibus roboramur, tunc veterator (2) hostis ante ipsum egressionis nostræ vestibulum insidias præparat, ubi versutiæ suæ dolos, ubi malignitatis artes et laqueos, ubi deceptionum machinas, et omnia pestiferæ calliditatis argumenta concinnat; quatenus rivum adhuc tenuem boni operis obstruat, et gradientem, antequam commeantium agmine fulciatur, extinguat. Sed inter has jaculorum crebrescentium grandines, inter istas bellorum ingruentium tempestates, Christi miles non formidine contabescat, non fractus labore deficiat, sed invictæ fidei clypeo præmunitus, quo acriora infestantium dictatorum certamina tolerat, eo certius diutina Dei auxiliantis aspirationi confidat, nec prorsus addubitet, quod si (3) primæ tentationis articulum illæsus evaserit, paulo post roboratus et validus, terga vertentibus ac succumbentibus suis adversariis prævalebit. Idcirco nempe insidiator spiritus totum fel suæ nequitiæ circa novitios evomit; ideo omne virus artificiosæ et deceptoriæ calliditatis effundit, quia non ignorat, quoniam si tunc officium perversi conatus amiserit, opportunitatem lædendi postmodum non habebit. Imo qui supplantare non potuit, ruinæ postmodum turpiter subjacebit, et qui rudi non prævalet, exercitato succumbet.

II. Notandum autem, quia cum omnibus ad æterna festinantibus universæ virtutes animi sint habendæ, solitariæ vitæ proposito tria sunt, ex cæteris videlicet præcipue congrua, et spirituali præ cæteris observatione tenenda: quies scilicet, silentium, atque jejunium (4). Cætera siquidem instrumenta justitiæ in sola plerumque devotione vel habitu, istæ autem in exercitio debent familiari quadam sedulitate versari. Sicut enim sacerdotis est proprium sacrificiis offerendis insistere, doctoris prædicare, ita nihilominus eremitæ officium est in jejunio silentioque quiescere. Unde non frustra repetitur ab antiquis vitæ hujus institutoribus dictum: « Sede in cella tua, et retine linguam et ventrem, et salvus eris. » Venter siquidem reprimendus est, ne dum ipse immoderate repletur cibis, cætera quoque membra inficiat vitiis. Lingua vero restringitur, quia indisciplinate laxata supernæ gratiæ vigore animam vacuat, et a statu salutiferi vigoris enervat. Verumtamen modus atque discretio in talibus est adhibenda, ne quod indifferenter agitur, velut onus importabile per intolerantiam pusillanimiter deponatur.

III. Sed inter hæc libet de singularis vitæ meritis pauca perstringere, et quid de tantæ virtutis culmine sentiam laudando bonum (5) eremiticæ vitæ potius quam disputando breviter intimare. Solitaria sane vita cœlestis doctrinæ schola est, ac divinarum artium disciplina. Illic Deus est, a quo (6) discitur via; qua (7) tenditur atque ad summæ veritatis notitiam pervenitur. Eremus nempe est paradisus deliciarum, ubi tanquam redolentium species pigmentorum, vel rutilantes flores aromatum, sic et fragrantia spirant odoramenta virtutum. Ibi siquidem rosæ charitatis igneo rubore flammescunt, ibi lilia castitatis niveo decore candescunt, cum quibus etiam humilitatis violæ, dum imis contentæ sunt, nullis flatibus impelluntur. Ibi myrrha perfectæ mortificationis exundat, et thus assiduæ orationis indeficienter emanat. Et cur singula quæque commemorem, quandoquidem omnia illic sanctarum virtutum germina diversis venusta coloribus rutilant, et perpetuæ viriditatis gratia incomparabiliter vernant. O eremus sanctarum mentium delectatio, et intimi gustus inexhausta dulcedo; caminus ille Chaldaicus, ubi sancti pueri furentis incendii vires orationibus reprimunt, et ardore fidei crepitantium circa se flammarum globos extinguunt, ubi scilicet et vincula exuruntur, et ardorem membra non sentiunt, quia et peccata solvuntur, et in hymnum divinæ laudis anima provocatur dicens: « Dirupisti, Domine, vincula mea; tibi sacrificabo hostiam laudis[1]! » Tu fornax, ubi superni regis vasa formantur, et ad perpetuum nitorem, malleo pœnitentiæ percussa, atque lima salutiferæ correptionis erasa perveniunt; in qua nimirum abolita (8) animæ rubigo consumitur, et scabiei (9) peccatorum scoriæ deponuntur. Vasa siquidem figuli probat fornax, et eremitam jugis cellæ tentatio. Cella negotiatorum cœlestium apotheca, in qua videlicet illarum mercium summa reconditur, quibus terræ viventium possessio comparatur! Felix commercium, ubi terrenis cœlestia, transitoriis mutantur æterna! Felices, inquam, nundinæ, ubi venalis æterna vita proponitur, ad quam emendam, etsi minimum quid, solum sufficit quod habetur; ubi levis afflictio carnis emit cœleste convivium, et exiguæ lacrymæ risum pariunt sempiternum; possessio terrena distrahitur, et ad æternæ hæreditatis patrimonium pervenitur! O cella, spiritualis exercitii mirabilis officina, in qua certe humana anima Creatoris sui in se restaurat imaginem; et ad suæ redit originis puritatem; ubi sensus obtusi ad subtilitatem sui acuminis redeunt, et vitiata natura ad azyma sinceritatis reparatur. Tu das ut jejuniis videantur ora pallentia, et mens divinæ gratiæ sit pinguedine saginata; tu das ut homo mundo Deum corde conspiciat, qui suis obvolutus tenebris, et se ipsum prius ignorabat. Tu hominem ad suum facis redire principium, et de exilii dejectione ad antiquam dignitatis revocas celsitudinem. Tu facis ut homo in mentis arce constitutus, cuncta a se (10) videat terrena defluere, semetipsum quoque in ipsa rerum labentium prospiciat decursione transire.

[1] Psal. cxv, 17.

(1) Cod. unde. — (2) Id. veternosus. — (3) Id. quasi. — (4) Id. male et cætera siquidem. — (5) Cod. laudando laus. — (6) Id. quo. — (7) Id. vero qua. — (8) Id. abolitæ. — (9) Id. scabiem. — (10) Id. se.

IV. O cella, sacræ militiæ tabernaculum, procinctus triumphatoris exercitus, castra Dei, turris David, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex te, omnis armatura fortium! Tu campus divini prælii, spiritualis arena certaminis, Angelorum spectaculum, palestra fortiter dimicantium luctatorum, ubi spiritus cum carne congreditur, et fortis ab infirmitate superatur. Tu vallum in expeditione currentium, tu munitio fortium, tu præsidium cedere nescientium bellatorum. Fremat hostium circumfusa barbaries, accedant cum (1) phalaricis, missilia jaculentur, vibrantium gladiorum sylva densescat; qui vitæ sunt eremiticæ, lorica fidei præmuniti, sub imperatoris sui invicta protectione tripudiant, et de hostium suorum certa jam dejectione triumphant. Quibus nimirum dicitur: « Dominus pugnabit pro vobis, » et vos tacebitis[1]; » vel si unus est: « Noli, inquit, ti» mere; plures enim nobiscum sunt, quam cum illis[2]. » O eremus, mors vitiorum, ac procul dubio fomes et vita virtutum! Te lex attollit, te prophetia miratur, et quicumque ad perfectionis cumulum pervenerunt, tuum novere præconium. Porro tibi Moyses debet legis bis acceptæ decalogum; per te Elias agnovit Domini pertranseuntis excursum; per te Eliseus duplicem magistri sortitus est spiritum; et quid amplius dicam, quandoquidem Salvator mundi in ipso redemptionis humanæ primordio præconem suum tui (2) accolam fecit, quatenus sub ipsa jam sæculi venientis aurora, ex te lucifer veritatis erumperet, post quem (3) plenus sol veniens mundi caliginem splendoris sui radiis illustraret? Tu scala Jacob, quæ homines vehis ad cœlum, et Angelos ad humanum deponis auxilium. Tu via aurea, quæ homines reducis ad patriam; tu stadium, quod bene currentes provehis ad coronam. O vita eremitica, balneum animarum, mors criminum, purgatorium sordidorum. Tu mentium secreta purificas, squalores scelerum diluis, atque ad angelicæ nitorem munditiæ pervenire animas facis. Cella nempe est conciliabulum Dei, et hominum compitum in carne degentium et spirituum supernorum. Illic siquidem superni cives ad colloquia humana conveniunt, ubi non tam linguæ carnis verba componunt, quam (4) sine vocis strepitu facunda mentium arcana patescunt. Cella denique conscia est secreti consilii, quod habet cum hominibus Deus. Quam pulchra rerum species, cum frater in cella constitutus nocturnas peragit psalmodias, et quasi pro divinis castris militares custodit (5) excubias! Contemplatur in cœlo cursus siderum, decurrit (6) etiam per os ejus ordo psalmorum; et sicut præcedentes ac subsequentes stellæ ad diem suas vicissitudines alternando perveniunt, ita psalmi ex ore ejus tanquam ex quodam oriente procedunt, et ad suum finem paulatim velut parili cum sideribus æquatione (7) decurrunt. Iste suæ servitutis exhibet ministerium, illæ delegatum sibi exequuntur officium. Iste psallendo intrinsecus ad lucem tendit inaccessibilem, illæ sibi invicem succedendo ejus exterioribus oculis visibilem reparant diem; et dum utraque ad suum finem diverso itinere properant, servo Dei quodammodo et ipsa elementa subserviendo concordant. Cella denique testis est, quanto divini amoris igne cor ferveat, et utrum perfectæ devotionis instantia quis Dei faciem quærat. Novit cum mens hominis cœlestis gratiæ rore perfunditur, et per compunctionis fletum lacrymarum inundantium imbribus irrigatur; ubi, etsi ex carneis oculis lacrymæ non erumpunt, ipsa tamen amaritudo cordis a lacrymarum fructibus non elongat; quia quod ex ramo exterioris arenti (8) non colligitur, in ipsa humidi cordis virenti semper radice servatur. Sufficit enim, si mens sit flebilis, etiamsi jugiter flere non possit. Cella est ergasterium, ubi pretiosi lapides poliuntur, quatenus in structura templi postmodum sine ullo cudentis mallei sonitu disponantur.

V. O cella, Dominicæ sepulturæ propemodum æmula, quæ in peccato mortuos suscipis, et per afflatum sancti Spiritûs Deo reviviscere facis! Tu es ab hujus vitæ turbida vexatione sepulcrum, sed cœlestis vitæ pandis introitum. Te portum tranquillitatis inveniunt, qui naufragium mundani fluctûs evadunt. Te potentis medici conclavem decernunt, qui vulnerati in prælio hostiles manus effugiunt. Mox enim ut tui culminis umbræ perfecto corde succeditur (9), omnis sauciatæ animæ livor, omnis certe interioris hominis plaga curatur. Te Jeremias aspexerat, cum dicebat: « Bonum est, inquit, præstolari » cum silentio salutare Domini; bonum est viro cum por» taverit jugum ab adolescentia sua; sedebit solitarius et » tacebit, quia levavit se super se[3]. » Habitator etenim tuus se elevat super se, quia dum esuriens anima a terrenarum se rerum obtutibus erigit, et in divinæ se contemplationis arce suspendit, a mundi se actionibus segregat, atque se in altum cœlestis desiderii pennis librat. Cum illum qui est super omnia conspicere satagit, semetipsum quoque homo cum reliqua mundanæ vallis dejectione transcendit.

VI. O cella, spirituale prorsus habitaculum, quæ de superbis humiles, de gulosis sobrios, de crudelibus pios, de iracundis mites, de odiosis reddis in superna charitate ferventes! Tu otiosæ linguæ frenum, tu luxuriosis renibus nitidæ castitatis adhibes cingulum. Tu facis ut leves quique ad gravitatem redeant, ut jocosi scurrilitatibus parcant, ut vaniloqui se sub districta silentii censura constringant. Tu jejuniorum ac vigiliarum victrix; tu patientiæ custos; tu purissimæ simplicitatis magistra, ac omnino fraudulentiæ et (10) duplicitatis ignara. Tu facis ut vagos quosque Christi catena coërceat; ut indisciplinati moribus a sua se pravitate compescant. Tu nosti homines ad perfectionis culmen evehere, atque ad consummatæ sanctitatis fastigium sublimare. Tu facis ut homo sit hilaris atque jucundus, ac nulla a semetipso morum sit inæqualitate diversus. Tu hominem facis lapidem quadrum, construendis videlicet cœlestis Jerusalem mœnibus aptum; qui nimirum non ex levitate morum se versatilem præbeat, sed fixus semper in sanctæ religionis gravitate persistat. Tu homines a semetipsis (11) extraneos reddis, et vasa vitiorum florere virtutibus facis. Tu « Nigra, sed formosa, sicut tabernaculum Cedar, » sicut pellis Salomonis[4]. » Tu lavacrum tonsarum[5], tu sicut piscina in Hesebon[6]. Oculi tui sicut columbæ super rivos aquarum quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluenta plenissima. Tu namque es speculum animarum, ubi se mens humana perspicaciter intuens, quod minus est impleat, quod superfluum respuat, quod obliquum est dirigat, quod deforme componat. Tu nuptialis es thalamus, in quo sancti Spiritûs arrha tribuitur et cœlesti sponso felix anima fœderatur. Recti diligunt te, et qui te fugiunt veritatis luce privati, quo gressus ponere debeant, non agnoscunt. « Adhæreat lingua mea faucibus

[1] Exod. XIV, 14. — [2] 4 Reg. VI, 16. — [3] Thren. III, 26-28. — [4] Cant. I, 4. — [5] Id. IV, 2. — [6] Id. VII, 4.

(1) Cod. absque ullo latinitatis colore *vine*. — (2) Cod. male *cui*. — (3) Id. *postquam*. — (4) Cod. *quæ*. — (5) Id. *custodiunt*. — (6) Id. *decursum*. — (7) Id. *quatione*. — (8) Id. absque sensu *accidentiæ*, quod opinando corrigere tentavimus. — (9) Id. *succenditur*. — (10) Deest *et* in cod. — (11) Id. pessime *a semetipsos*.

» meis, si non meminero tui, si non proposuero te in principio lætitiæ meæ[1]. » Illud etiam de te cum eodem Propheta alacri libet voce cantare : « Hæc requies mea » in sæculum sæculi ; hic habitabo quoniam elegi eam[2]. » Quam pulchra es, et quam decora, charissima, in » deliciis[3]. » Sub figura tui Rachelem venustus vultus (1) ornavit[4], et « Maria optimam partem, quæ nunquam » auferetur, elegit[5]. » Tu areola aromatum, tu fons hortorum, tu malum punicum. Licet enim nescientibus amara videaris in cortice, sed magnum est quod intrinsecus latet, cum perventum fuerit ad suavitatem medullæ.

VII. O eremus, mundi persequentis effugium, laborantium quies, mentium consolatio, ab æstu sæculi refrigerium, peccandi repudium, libertas animarum! Te David petiit cum mundi mala perferret, cum timidi et tenebrosi cordis tædium sustineret. « Ecce, inquit, » elongavi fugiens, et mansi in solitudine[6]. » Et quid alios memorem, quandoquidem ipse Redemptor hominum in exordio suæ manifestationis, invisere, ac propria te (2) dignatus est habitatione sacrare? Postquam enim baptismatis aquam (3), qua lotus est, lavit, ut Evangelista testatur, statim « Spiritus expulit eum in desertum, et erat » in deserto quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, et tentabatur a Satana, eratque cum bestiis[7]. » Debitorem ergo se tibi mundus agnoscat, unde prædicaturum ac miracula facturum suscepisse se Dominum non ignorat. O eremus, terribile malignis spiritibus habitaculum, ubi cellæ monachorum velut tentoria ordinata castrorum, quasi turres Sion, et quasi propugnacula Israël, eriguntur adversus Assyrios, et contra faciem Damasci! Imo cum in eisdem cellulis uno spiritu diversa geruntur officia, dum videlicet hic psallitur, illic oratur, in illa scribitur, in aliis vero operibus variis manuum insudatur, quis non hæc divina verba eremo congruere (4) videat, quibus dicitur : « Quam pulchra tabernacula » Jacob et tentoria Israël! ut valles nemorosæ, ut horti » juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas[8]! » Et quid amplius dicam de te, o vita eremitica, vita (5) sancta, vita angelica, vita benedicta, vivarium animarum, exedra gemmarum cœlestium, curia spiritualium senatorum. Odor tuus cunctorum aromatum flagrantiam superat; sapor tuus super distillantes favos, super omnia mella guttur illuminati cordis obdulcat; atque ideo quidquid est quod de te dicitur, dignitatis tuæ meritis non æquatur, quia lingua carnis nullatenus exprimere sufficit quod spiritus invisibiliter sentit; et quod tu sapis in interiori gustu atque in medulla cordis, nunquam plene explicat corporalis organum vocis. Illi te noverunt, qui te diligunt; illi præconia tuæ laudis agnoscunt, qui in tui amoris amplexibus delectabiliter requiescunt. Cæterum qui ignorat se, quomodo prævalet nosse te? Me etiam nihilominus tuæ laudis imparem fateor; sed unum pro certo scio, o vita benedicta, quod de te indubitanter affirmo, quia quisquis in amoris tui desiderio perseverare studuerit, ipse quidem habitator est tuus, sed ejus inhabitator est Deus. Diabolus illi suis tentationibus servit, atque illuc eum tendere, unde ipse dejectus est, gemit. Victor itaque dæmonum, socius efficitur Angelorum; exul mundi, hæres est paradisi; abnegator sui, sectator est Christi; et quia per ejus nunc vestigia graditur, peracto cursu sine dubio ad societatis ejus gloriam provehetur. Atque ut ipsum fidenter dicam, qui singularem vitam usque ad finem vitæ pro divino amore tenuerit, de habitaculo carnis egressus, ad ædificationem perveniet, domum non manufactam æternam in cœlis[9]. »

EPISTOLA

De septem petitionibus in *Pater noster*.

Hæc adhortatio, seu potius epistola, aut quovis hanc alio nomine nuncupari volueris, extrahitur ex Cod. Cass. CCCLXXXVII, *fol.* 189. *Non dissentit a doctrina, quam innuit breviter sanctus Augustinus in lib.* II *de Sermone Domini in monte, num.* 38, *ubi pariter septem petitiones Orationis Dominicæ confert cum septem donis Spiritûs sancti et septem Beatitudinibus.*

SYNOPSIS.

I. Quinque septena in Scripturis. Quæ? II. Septem vitia sunt principalia. III. Septem pariter petitiones contra hæc septem vitia, quibus conveniunt septem dona Spiritûs sancti, et septem beatitudines. IV. Prima petitio contra superbiam. V. Secunda petitio contra invidiam. VI. Tertia petitio contra iram. VII. Quarta petitio contra tristitiam. VIII. Quinta petitio contra avaritiam. IX. Sexta petitio contra gulam. X. Septima petitio contra luxuriam.

I. Quinque septena, frater, in sacra Scriptura inveni, quæ volo si possum, sicut postulas, prius singillatim enumerando ab invicem distinguere, postea vero quam inter se convenientiam habeant (6), eadem per singula conferendo, demonstrare. Primo loco septem ponuntur vitia, prima superbia, secunda invidia, tertia ira, quarta tristitia vel acedia, quinta avaritia, sexta gula, septima luxuria. Contra hæc secundo loco constituuntur septem petitiones, quæ in Dominica oratione inveniuntur, prima, qua dicitur Deo : « Sanctificetur nomen » tuum[10]; » secunda, qua dicitur : « Adveniat regnum » tuum, » et sic de cæteris. Tertio loco sequuntur septem dona sancti Spiritûs, primum spiritus timoris Domini; secundo spiritus pietatis; sic de aliis. Deinde quarto loco succedunt virtutes septem, prima paupertas spiritûs, id est, humilitas; secunda mansuetudo sive benignitas; tertia compunctio, sive dolor; quarta esuries justitiæ, sive desiderium bonum; quinta misericordia; sexta cordis munditia; septima pax. Novissime quinto loco disponuntur septem beatitudines, prima regnum cœli cœlorum; secunda possessio terræ; tertia consolatio; quarta justitiæ saturitas; quinta misericordia; sexta visio Dei; septima filiatio Dei. Hæc ita distingue, ut intelligas ipsa vitia esse languores animæ; ipsum vero hominem ægrotum; medicum Deum; dona Spiritûs sancti antidotum; virtutes, sanitatem; beatitudines scilicet intelligas felicitatis gaudium.

II. Sunt ergo septem principalia vitia, e quibus quasi ex fontibus universa vitia oriuntur, de quibus flumina Babylonis exeunt, et in omnem terram adducta stillicidia iniquitatum diffundunt. Et Psalmista : « Super flumina » Babylonis, etc.[11]. » De his ergo septem vastatoribus, et universam naturæ integritatem corrumpentibus, simulque malorum omnium germina producentibus loquamur. Sep-

[1] Psal. cxxxvi, 6. — [2] Id. cxxxi, 14. — [3] Cant. vii, 6. — [4] Gen. xxix, 17. — [5] Luc. x, 42. — [6] Psal. liv, 8. — [7] Marc. i, 12. — [8] Num. xxiv, 5, 6. [9] 2 Cor. v, 1. — [10] Matth. vi, 9-13. — [11] Psal. cxxxvi, 1.

(1) Cod. *Rachelem venusti vultus ornavit.* — (2) Id. male *proprietate.* — (3) Id. *aqua.* — (4) Cod. male *arguere.* — (5) Deest *vita* in cod. — (6) Deest vox *habeant* in cod.; sed hanc requirit sensus.

tem ergo sunt, et ex his tria hominem expoliant; quartum expoliatum flagellat; quintum flagellatum ejicit; sextum ejectum seducit; septimum seductum servituti subjicit. Superbia enim aufert homini Deum; invidia proximum; ira seipsum; tristitia spoliatum flagellat; avaritia flagellatum ejicit; gula ejectum seducit, luxuria seductum servituti subjicit. Superbia namque est amor propriæ excellentiæ, quoniam mens singulariter diligit bonum quod habet, et sine eo a quo bonum accepit. O pestifera superbia, quid agis? Cur suades radio ut a sole se separet, et rivo ut a fonte divertat cursum, nisi ut et ille dum infundi desinit (1) arescat, et iste dum ab illuminante se avertitur, tenebrosus sit. Utrumque vero dum accipere cessat id quod nondum habet, continuo illud etiam quod habet amittit. Sicut enim omne bonum veraciter a Deo est, ita nullum bonum extra Deum utiliter haberi potest, et idcirco superbiam semper invidia sequitur, quia qui illic amorem non figit, ubi omne bonum est, quantum de suo perverse extollitur, tanto gravius de alieno bono torquetur. Suæ igitur elationi justissime pœna deputata est ipsa, quam de se gignit invidia, quæ quia omnium bonum diligere noluit, recte nunc boni alieni livore tabescit, quia profecto alienæ felicitatis successus non ureret, si illum a quo est omne bonum possideret per amorem. Neque enim alienum a se judicaret bonum alterius, si ibi diligeret, ubi suum et alterius bonum possideret. Nunc ergo quantum se per elationem contra Creatorem extollit, tantum per livorem sub proximo cadit; et quantum ibi fallaciter erigitur, tantum hic veraciter præcipitatur. Sed neque hic sesistere potest semel incœpta (2) corruptio. Mox enim ut de superbia nata fuerit invidia, iram ipsam de se parit; atque ideo id etiam quod habet sibi displicere incipit, quoniam in alio id quod habet non potest agnoscere. Quod ergo tutum per charitatem in Deo habere potuit, quod (3) etiam per elationem extra Deum habere conabatur, perdit. Per invidiam perdit proximum, et per iram semetipsum. Quia igitur omnibus amissis, nihil est unde gaudeat infelix conscientia, per tristitiam in semetipsa colliditur, et quod alieno bono pie lætari noluit, de suo malo juste cruciatur; post superbiam ergo, invidiam et iram, quæ hominem spoliant, continuo tristitia sequitur, quæ nudatum flagellat, cui dum succedit avaritia quæ flagellatum ejicit, quia æterno gaudio amisso, foris consolationem quærere compellit, postea accidit gula, quæ ejectum seducit, quia animum exterioribus inhærentem (4) hoc vitium, quasi e vicino tentans, per ipsum naturalem appetitum ad excessum seducit: postrema luxuria, quæ seductum violenter servituti subjicit, quia postquam caro per crapulam inflammata est, ardore libidinis superveniente molliter atque enerviter resolutus animus incedere non potest. Servit igitur sævissimæ dominationi mens turpiter subacta, et nisi adveniat Salvatoris exorta pietas, non erit jam unde capta restituatur libertas.

III. Sequuntur ergo septem petitiones contra septem principalia vitia, quibus ille oratur ut subveniat qui et nos orare docuit, et Spiritum bonum orantibus se daturum repromisit. Per superbiam igitur cor inflatur; per invidiam arescit; per iram crepat; per tristitiam conteritur et quasi in pulverem redigitur; per avaritiam dispergitur; per gulam inficitur et quasi humectatur; per luxuriam conculcatur et in lutum redigitur, ita ut jam miser dicere possit: « Infixus sum in limo profundi[1]; » ex quo limo evelli non potest, nisi ad illum clamet, et ejus auxilium postulet, de quo Psalmus: « Expectans expectavi Dominum, et respexit me, et eduxit me de lacu miseriæ et de luto fæcis[2]. » Propterea igitur nos orare docuit, ut totum bonum nostrum ab ipso esse intelligamus.

IV. Prima igitur ejus petitio est contra superbiam, quando Deo dicimus: « Sanctificetur nomen tuum; » hoc enim petimus, ut det nobis timere et venerari nomen suum, quatenus ei per humilitatem subjecti simus, qui per superbiam rebelles et contumaces extitimus. Huic petitioni datur donum spiritûs timoris Domini, ut ille ad cor veniens virtutem in eo 'cremet humilitatis, quæ superbiæ morbum sanet; quatenus ad regnum cœlorum quod angelus superbus per elationem perdidit, homo humilis pervenire possit.

V. Secunda petitio est contra invidiam qua dicitur: « Adveniat regnum tuum. » Regnum siquidem Dei est salus hominum; quia tunc in hominibus regnare dicitur, quando ipsi homines Deo subjiciuntur, modo per fidem adhærendo, et post mirando ad faciem (5). Qui ergo petit, ut regnum Dei adveniat, profecto salutem quærit hominum, ac per hoc dum communem hominum salutem postulat, livorem sævientium se reprobare demonstat. Huic petitioni datur spiritus (6) pietatis, ut ipse ad cor veniens ad benignitatem illud accendat, quatenus ad eamdem homo æternæ hæreditatis possessionem, ad quam (7) alios pervenire cupit, ipse perveniat.

VI. Tertia petitio est contra iram, qua dicitur: « Fiat voluntas tua. » Non enim vult contendere, qui dicit: « Fiat voluntas tua. » Sibi placere indicat quidquid voluntas Dei vult in se, vel in aliis. Huic ergo petitioni datur spiritus scientiæ, ut ipse ad cor veniens, erudiat illud, et salubriter compungat intus, ut sciat homo malum quod patitur ex culpa sua provenire, si quid autem boni habuerit ex misericordia Dei procedere, ac per hoc discat in omnibus quæ patitur prosperis sive adversis contra Creatorem non irasci, sed se ad omnia patientem (8) exhibere. Optime ergo per compunctionem cordis quæ, spiritu scientiæ operante, mentis ex humilitate nascitur, ira et indignatio animi mitigatur, quia e converso stultum ira interficit. Hanc autem virtutem, id est, compunctionem, sine dolore præmium consolationis sequitur, ut qui se hic sponte coram Deo per lamenta affligit, illic verum gaudium et lætitiam invenire mereatur.

VII. Quarta petitio est contra tristitiam, qua dicitur: « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. » Tristitia namque tædium est animi marcidi (9), quando mens quodam modo tædio affecta, et vitio suo amaricata, bona interna non appetit. Propterea ad sanandum hoc vitium deprecari potest misericordiam Domini, ut in se solita pietate, animæ tædio suo languenti, internæ refectionis pabulum admoveat, ut quod ipsa absens nescit appetere, gustu præsentis admonita incipiat amare. Datur ergo huic petitioni spiritus fortitudinis (10), ut fatiscentem animam erigat, quatenus ille, pristini vigoris virtute recepta, ad desiderium interni saporis convalescat. Creat ergo fortitudo in corde famem justitiæ, ut dum hic per desiderium pietatis fortiter accenditur, illic pro præmio plenam beatitudinem consequatur.

VIII. Quinta petitio (11) est contra avaritiam, qua dicitur: « Dimitte nobis, » et cætera. Justum est, ut in

[1] Psal. LXVIII, 3. — [2] Id. XXXIX, 2, 3.

(1) Cod. *desinat*, et prius desunt quæ de rivo dicuntur. — (2) Id. *semel corrupta*. — (3) Id. *et*. Deinde deest *perdit*. — (4) Sic corrigendum duximus; cod. *inerantem*. — (5) Cod. *merendo per speciem*. — (6) Id. male *scilicet*. — (7) Id. *quod*. — (8) Id. *patientiam*, et non habet *sed*. — (9) Id. *cum mercede*. — (10) Id. male *scilicet fortis*. — (11) Id. male *proprie*.

reddendo debita non deberet esse anxius, qui in exigendo noluit. Atque cum a nobis per Dei gratiam vitium avaritiæ tollitur, qualiter a nostro debito absolvi debeamus ex proposita salutis conditione donatur. Huic ergo petitioni datur spiritus consilii, qui doceat nos in hoc sæculo libenter peccantibus in nos misericordiam impendere, ut in futuro cum pro peccatis nostris rationem reddituri sumus, mereamur misericordiam invenire.

IX. Sexta petitio est contra gulam, qua dicitur : « Ne » nos inducas in tentationem, » id est (1) induci permittas in tentationem. Hæc est tentatio, qua nos illecebra carnis, per (2) naturalem appetitum ad excessum trahere nititur, et latenter voluptatem subjicit, dum manifeste nobis de necessitate blanditur. In quam (3) profecto tentationem tunc nequaquam inducimur si sic studemus, secundum mensuram necessitatis naturæ subsidium impendere, ut tandem semper meminerimus appetitum ab illecebra carnis coërcere. Quod ut implere valeamus, datur nobis spiritus (4) intelligentiæ, ut interna refectio verbi Dei appetitum exteriorem cohibeat et mentem spiritualiter roboret, ne valeat corporalis egestas frangere, neque (5) carnis voluptas superare. Propterea namque ipse Dominus tentatori suo respondit : « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod » procedit de ore Dei[1], » ut aperte monstraret quia, cum mens illo interiori pane reficitur, non magnopere curat si foris ad tempus carnis famem patiatur. Datur ergo contra gulam spiritus intelligentiæ, sed ille ad cor veniens emundat illud atque purificat, et illum interiorem oculum cognitione verbi Dei, quasi quodam collyrio sanans, eo usque luminosum efficit, ut ad deitatis ipsius claritatem contemplandam prospicax fiat. Contra vitium igitur gulæ remedium opponitur spiritus (6) intelligentiæ, ex quo nascitur cordis munditia. Munditia vero cordis visionem Dei promeretur, sicut scriptum est : « Beati mundi corde, » quoniam ipsi Deum videbunt[2]. »

X. Septima petitio est contra luxuriam, qua dicitur : « Libera nos a malo. » Convenienter sane servus libertatem petit, et ideo huic petitioni datur spiritus sapientiæ, qui amissam captivatis (7) libertatem restituat et jugum iniquæ damnationis evadat. Sapientia namque a sapore dicitur, cum mens gustu æternæ dulcedinis tracta (8), jam se per desiderium colligit intus, nec foris in carnis voluptate enerviter dissolvitur. Spiritus ergo sapientiæ cor sua dulcedine tangens, et foris concupiscentiæ ardorem temperat, et, sopita concupiscentia, intus pacem creat, quatenus dum mens tota ad internum gaudium colligitur, plane ac perfecte homo ad imaginem Dei reformetur, sicut scriptum est : « Beati pacifici, quoniam » ipsi filii Dei vocabuntur[3]. » Quod nobis ipse præstare dignetur, qui hoc præcepit Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia secula sæculorum. Amen.

[1] Matth. iv, 4. — [2] Id. v, 8. — [3] Ibid. 9.

(1) Cod. male *idem*. — (2) Id. male *sepe*. — (3) Id. male *qua*. — (4) Id. male *scilicet*. — (5) Id. male *nisi*. — (6) Id. *scilicet*. — (7) Id. male *quia mittam captivatis*. — (8) Id. male *tractate*

APPENDIX

SERMONUM INEDITORUM

SANCTI AURELII

AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

CLASSIS III.

SERMONES

DE SANCTIS.

SERMO XXXIV.

In Cœna Domini I.

Rejicitur hic sermo in appendicem propter rationes sæpius memoratas, cum extrahatur ex cod. x, *fol.* 17 *b*, *Bibl. Ædil. Locus ejus post sermonem* CXLIX *appendicis cum numero in Cœna Domini* II.

SYNOPSIS.

I. Christus per novum Pascha, Pascha vetus finit. II. Corpus et sanguinem dedit Christus sub panis et vini figura. III. Christus hæc symbola adhibuit, ne homines a carnis sumptione abhorrerent. IV. A solis sacerdotibus, bonis aut malis, conficitur Eucharistia, quæ sæpius propter peccata nostra iteratur. V. Panis specie charitas commendatur. VI. Unusquisque se probet antequam accipiat corpus Domini. VII. Nemo accedat cum odio ad sacramentum charitatis. VIII. Pacis commendatio et encomium.

1. Imminanta, fratres charissimi, Domini passionis circulo, quoniam jam erat in ipsa traditione ipse Deus et homo, qui prius legales observantias et sacrificia tenuerat,

quæ omnia fuerant figura passionis et incarnationis ejus; se, ipso veniente, noluit liberum dimittere ab (1) aliqua lege. Voluit tamen Deus et homo perfectus agnum figurasum comedere et immolare, et umbram rei futuræ tamdiu servare, donec immolatio sui fieret. Itaque, fratres, ante tempus suæ passionis voluit Pascha vetus cum Discipulis celebrare, et agnum comedere, quem tamen nunquam antes (2) Salvatorem comedisse meminimus; deinde veteribus figuris fidem dare. Post cœnam igitur agni, corpus suum et sanguinem Apostolis suis distribuit; si enim corpus suum prius dedisset, deinde agnum comedisset cum Discipulis, non jam (3) fuisset vetus Pascha finitum per novum.

II. Accepit itaque panem, et benedixit, et dedit illis; deinde calicem. Attendite, fratres, quod tota natura humana in anima et in corpore corrupta erat; ideo necesse erat, ut anima per animam, et corpus per corpus liberaretur. Ideo etiam in altari ad utrumque repræsentandum panem et vinum apponimus, ut per panem, corpus Christi factum, et a nobis digne acceptum, corpus nostrum corpori Christi immortalitate et impassibilitate quandoque conformandum credamus; et similiter per vinum in sanguinem conversum, et a nobis acceptum, animas nostras animæ Christi credamus conformes fieri in mundo, dum vivimus, et in gloria, dum resurgemus. Et cum anima ibi (4) per aliquod corporeum, sicut corpus, repræsentanda esset, nihil animæ (5) inventum est in omnibus creaturis vicinius, per quod repræsentaretur, quam per sanguinem, qui sedes ipsius animæ dicitur. Sed quia sanguinem quasi horribile naturæ humanæ sumere videbatur, ideo vinum pro sanguine positum est ad significationem animæ. Nec intelligendum quod (6) in sanguinis acceptione solam animam et non corpus, vel in acceptione corporis solum corpus et non animam accipiamus, sed in acceptione sanguinis totum verum Christum Deum et hominem, et in acceptione corporis similiter totum. Licet enim separatim corpus, separatimque sanguinem sumamus, non tamen bis, sed semel Christum sumimus. Ideo tamen modum istum (7) sic accipiendi servamus, quia hoc Dominus sic in cœna constituit. Sed dicet quis: Etiam postquam cœnavit, Apostolis corpus et sanguinem dedit. Quare et nos hoc servare negleximus? cujus causa est, quia licet ipse hoc pro tunc fecerit, non tamen amplius faciendum (8) reliquit. Aqua etiam poni debet cum vino, ut aqua cum sanguine, qui de latere Christi fluxit, repræsentetur; quæ aqua figurat populum, vel baptismum, in quo populus per effusionem sanguinis Christi mundari debebat.

III. Nec dubitare debetis, fratres, quod res (9) per verba sacra sacerdotis et benedictionis in verum Christi corpus convertatur, ita ut panis substantia non remaneat; sed colorem et saporem panis tantum voluit remanere, et sub illa specie veram substantiam corporis Christi latere, ne si in ea qualitate, qua revera est, appareret, verum hominem animus hominis assumere abhorreret. Unde dum Dominus dixit: « Nisi manducaveritis carnem filii hominis et sanguinem biberitis (10), non habebitis vitam in vobis[1], » hoc audientes ex Discipulis quidam abierunt retrorsum, abhorrentes, et putantes quod (11) eum sub specie, qua eis apparebat, juberet comedi. Ideo Dominus cupiens nos non abhorrere, sub specie panis corpus sumendum (12) fidelibus dereliquit. Credere namque debemus, quod per manus cujuslibet sacerdotis, non tamen alterius... (13), quia nulli (14) alteri gratiam concessit Deus. Sacerdotes vero, sive boni, sive mali sint, æqualiter per verba potestativa benedictionis, panem in corpus Domini possunt consecrare, et tunc Spiritum sanctum in illa consecratione esse non est dubitandum. Circa etiam sacerdotem Angelorum choros esse omnino (15) est æstimandum. Hæc namque oblatio Christi corporis ideo quotidie reiteratur, licet (16) Christus semel passus sit, quia (17) quotidie cadimus in peccatis, sine quibus mortalis infirmitas vivere non potest, ut peccantes sive mortaliter, sive venialiter, videndo Christi corpus, petant gratiam, et petendo etiam gratiam per gratiam obtineant.

V. In specie vero panis sumi voluit Christus, quia ipse est « Panis qui de cœlo descendit[2], » et unionem corporis cum capite voluit designare. Sic ait Apostolus: « Unus Panis et unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus[3]. » Sicut enim ex diversis granis unus panis fit, sic ex diversis membris nos unum corpus Christi in nomine spei, fidei et charitatis efficimur. Itaque qui corpori Christi sicut membrum uniri vult, pani cœlesti cum aliis participet. Fregit enim Dominus panem, et dedit, quia, quod unum est, ab omnibus voluit participari, dicens: « Accipite » per conformitatem, « et comedite » ipsum sacramentum; « hoc facite in meam commemorationem[4]; » ut accipiendo corpus ejus et sanguinem, habeamus passionis ejus memoriam, ut sicut pro nobis mortuus est, ita et nos moriamur in mundo, si necesse fuerit. Et de calice similiter, quem vocavit « Novum Testamentum[5], » id est, novam promissionem, quia ipsum digne sumentibus non temporalia promittebat, sed æterna. Ideo « Calix Novi Testamenti » dicitur, quia promissio per illum data est nobis. Hæc enim Domini commemoratio debet fieri, donec veniat ad judicium.

VI. Attendite ergo, fratres, quod ait Apostolus nobis: « Quicumque manducaverit panem, vel biberit calicem Domini indigne, ad judicium sibi erit et non ad salutem[6]. » Ideo « Homo primo se ipsum probet[7], » ante quam accedat, utrum in criminali peccato ligatus sit, vel in voluntate faciendorum (18) sit, vel in odio proximi sui sit, vel si proximum diffamaverit, vel si alienum rapuerit, vel si sanguinem effuderit; sic enim probet se ipsum homo, et si in cunctis peccatorem invenerit, doleat de præteritis, et caveat de futuro. Sed dolere tantum non sufficit, nisi et opere compleamus. O peccator, offendisti Deum; effunde lacrymas, proba te ipsum antequam ad sacramentum accedas. Ora, jejuna, fac eleemosynas, ut per orationem placeas Deo, per eleemosynas possis placare proximum, per jejunium evitare possis futura mala. Si hoc autem feceris, si contritionem et dolorem habueris, si confessionem et satisfactionem, ut poteris, perfeceris, sic ergo primo proba te ipsum. At sic (19) dicet quis: Alienum rapui, nec reddere (20) possum. Quid ergo, homo? graviter peccasti; ingemisce, percute pectus, effunde lacrymas; habeto voluntatem reddendi, si possis (21), sed si possibilitas non fuerit, ut asseris, sufficit bona voluntas. O fratres, cavete a rapina, ne submergamini in infernum. O quantum dulce est alienum sine magno labore rapere! o quam forte, o quam difficile, o quam quasi impossibile est bene omnia rapta reddere, ut debemus! Omnia tamen acquiruntur cum pœna et labore, sed longe fortius amittuntur cum dolore. Probet ergo se ipsum homo, et si sic de peccatis doluerit, secure accedat; de pane illo edat, et de calice bibat. Probet ergo se ipsum homo, ante semper quam accedat. Non comparatione aliorum, sed pro se solo, qualis sit vel fuerit, consideret, quia « Qui manducat et bibit indigne, in judicium sibi erit. » Ideo, ut ait Apostolus, « Inter nos multi infirmi et imbecilles dormiunt[8] » in damnatione mortis, qui ad hoc sacramentum indigne accesserunt, quorum

[1] Joan. VI, 54. — [2] Ibid. 51. — [3] I Cor. X, 17. — [4] Luc. XXII, 19. — [5] Matth. XXVI, 28. — [6] I Cor. XI, 27-29. — [7] Ibid. 28. — [8] I Cor. XI, 30.

(1) Cod. *ut liberam dimittere in aliqua lege.* — (2) Cod. *carnes*, pro qua voce legendum forte *antea*, nisi legas *cujus tamen nunquam carnes.* — (3) Cod. *enim.* — (4) Id. *ubi.* — (5) Id. *nihilominus.* — (6) Deest *quod* in cod. — (7) Cod. *modus iste.* — (8) Id. *fiendum.* — (9) Id. *quare.* — (10) Cod. *bibetis.* — (11) Deest *quod* in cod.; forte legendum *se* pro *eum.* — (12) Cod. *sumere dum.* — (13) Hic una deesse videtur linea, nempe *corpus et sanguinem Christi suscipimus.* — (14) Cod. *nullis.* — (15) Id. *male omni non.* — (16) Id. *quia licet.* — (17) Id. *sed quia.* — (18) Nempe *peccatorum*, nisi legas *facinorum.* — (19) Cod. *et si.* — (20) Id. *dicere.* — (21) Id. *renddendi, si posses.*

etiam mortem et damnationem in præsenti vita super tales (1) advenisse jam cernimus, dum febribus et aliis multis necessitatibus puniuntur.

VII. Itaque, fratres, pacem habeamus, ut (2) corda nostra ab omni malo mundantes, securo accedere possimus ad corpus Christi et sanguinem. Itaque, fratres mei, cum ad unitatem custodiendam voluerit (3) Dominus corpus suum assumi et participari a nobis, si aliquis a pace et unitate discedat per iram, vel discordiam, vel odium, non digne accipiet corpus Domini, nec participatione ejus poterit cum Christo uniri. Sicut enim charitatis vinculum plures unit, ita discordia et odium, quod unum est dividit. Videte igitur, fratres, ne venenum discordiæ inter vos odium generet, et ne dulcedinem charitatis in vobis corrumpat. Respicite caput nostrum, respicite causam redemptionis nostræ. Ex sola enim dilectione salvavit nos Christus. «Deus enim qui dives est per omnia propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, cum essemus mortui »peccatis, vivificavit nos; gratia enim ejus salvati sumus[1].» Itaque «Cum inimici essemus, sumus reconciliati Deo per »mortem ejus[2]. Majorem hanc dilectionem nemo habet, »ut animam suam ponat quis pro amicis suis[3]; »et tamen Christus majorem habuit, quia (4) cum adhuc infirmi essemus, reconciliati sumus Deo per mortem ejus, et sic pro impiis tempore (5) mortuus est. Hanc dilectionem nemo alius habet, ut pro inimicis moriatur. Quis enim fidelium audet pro bono aliquid mali pati? quis sponte hodie inimico parcit? quis alapam inimico non (6) præparat? quis verbum injuriosum sustinet? quis debitoribus parcit? quis pro Christo hodie audet? O fratres, ubi Patriarcharum charitas? ubi hodie Prophetarum reprehensionis assiduitas? ubi Apostolorum labor et mendicitas (7)? ubi Martyrum aviditas? ubi Confessorum et Virginum perseverantia et longanimitas? ubi sanctarum Monacharum et Viduarum orationum et eleemosynarum firmitas? Non est hodie pax in terra nostra; non est jam hodie in terra qui bene faciat; non est qui pacem inquirat cum proximo; non est hodie in terra charitas, quoniam superabundavit iniquitas, imo charitas multorum refrigerata est[4]. Quid ergo, fratres, faciemus, si pacem et dilectionem cum proximo non habuerimus? Nam sine pace et dilectione beati esse non poterimus, nec beatorum regnum quis unquam intravit cum odio.

VIII. Quod si illud, o peccator, obtinere cupis, semper pacem habere memento, cum uil pace et dilectione perfectius. Hæc est illa summa virtus et beatitudo, quam Angeli cupiunt, quam Sancti affectant, quam dæmones odiunt. Hæc est Paradisi porta, scala virtutum, morum disciplina; hæc est Christianorum vita, Paganorum quies, Judæorum expectatio; hæc est Beatorum solatium, Medicorum salus, Perfectorum refugium; hæc est Christi mater et doctrina, ad quam semper Apostolos invitavit, ad quam dulciter conduxit, ad quam fortiter inflammavit in cœna hodierna die solemniter celebrata, ut eorum animo firmius tanquam testamentum maneret relinquens, exemplo et dictis seminans, dicens: «Pacem relinquo vobis, pacem meam do »vobis, non quo modo mundus dat, ego do vobis[5].» Numquid non (8) sæpe mundi pax mala est, sæpe falsa est, sæpe ficta est, sæpe deceptibilis est, et non diu mansura? Hanc autem pacem vobis non relinquo, quoniam mea non est; sed illam vobis do et assigno, et pro testamento relinquo, quæ exsuperat omnem sensum. Ipsa ergo pax, fratres mei, custodiat corda vestra in Christo Jesu Domino nostro, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXXV.

In Cœna Domini II.

Ex Bibl. Ædil., cod. x, *fol.* 18, *eductus hic sermo, ponatur post præcedentem cum numero in Cœna Domini* III.

SYNOPSIS.

I. Christi humilitas lavantis pedes Discipulorum. II. Humilitas et Petri. III. Sic pastores lavent in subditis pedes corporis et mentis. IV. Petrus vult abundantius lavari, ne partem cum Christo perdat. V. Exhortatur Discipulos Christus ad charitatem et pacem.

I. «Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit »ejus hora, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum di»lexisset suos, in finem (9) dilexit eos[6].» Discessurus enim a Discipulis ad tempus, qui remanebant in mundo, ne tribularentur ad invicem, nec etiam dividerentur, in fine specialiter ostendit eis signum amoris, ne eum propter timorem relinquerent (10) animo. Invitavit enim eos ad concordiam inter cætera, quæ est summa fidelium victoria, per quam diabolus debellatur. Quibus invitatis, «Surgit a »cœna et deposuit vestimenta sua, et cum accepisset lin»teum, præcinxit se: deinde mittens aquam in pelvim, cœ»pit lavare pedes Discipulorum, »et manus mulierum (*sic*), ut ait sanctus Cyprianus martyr, «et extergere linteo, »quo erat præcinctus[7].» Quam humilitatem cum Petrus videret, exclamavit coram illa multitudine Apostolorum et Discipulorum, dicens: «Tu mihi lavas pedes[8]? Absit, Domine, non fiet istud. Numquid non (11) tu Magister et ego Discipulus? numquid non ego malus et tu bonus? numquid non tu Pater cunctorum, et ego pauper piscator? numquid non tu dives et ego pauper? numquid non tu sapiens et ego grossissimus virorum? numquid non tu David filius, et ego Joannis Cromani (12) piscatoris filius? Cur ergo, Domine, vis mihi pedes lavare? tu Deus et ego homo, tu Creator et ego vilis creatura; tu sedes super thronum Angelorum, et ego miser sum constitutus in terra. Tu ergo mihi lavas pedes? tu palmo cœlum et terram concludis, et ego tantum sine te ignoro remigare. Magister, tu ergo mihi lavas pedes? Absit. «Domine, non lavabis mihi pedes in »æternum[9].» Et tunc cœlorum Deus, ante (13) piscatorem semper genibus flexis, serena et jucunda facie in quam desiderant Angeli respicere, dixit: Petre, «Quod ego facio, »tu nescis modo; scies autem postea[10].» Nam bene Magister postea Petro et cæteris Discipulis, postquam eorum pedes lavit, dixit: «Scitis quid fecerim vobis? Ego Do»minus et Magister lavi pedes vestros, et vos etiam debetis »alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, »ut et vos similiter faciatis[11].»

III. Attendere namque debent Pastores, ut lavent pedes suorum subditorum, non solum corporis, sed etiam mentis; ne velut iofecti et putridi Pastores cum ovibus in æterna vita sordescant. Attendite, o vos, Ecclesiarum Pastores et agnorum Christi; ecce ad perfectam suam humilitatem et dilectionem hodierna die singulos invitavit; ne aliquis ex vobis erubescat facere, quod ipse cunctorum Magister facere demuostravit. Et certe vilissimum (14) hactenus vide-

[1] Ephes. II, 4. — [2] Rom. v, 10. — [3] Joan. xv, 13. — [4] Matth. xxiv, 12. — [5] Joan. xiv, 27. — [6] Id. xiii, 1. — [7] Ibid. 4, 5. — [8] Ibid. 6. — [9] Ibid. 8. — [10] Ibid. 7. — [11] Ibid. 14, 15.

(1) *Quorum super tales*, locutio dura, quasi vellet auctor dicere *quorum super quosdam*. — (2) Cod. *et*. — (3) Id. *volnit*. — (4) Id. *qui*. — (5) Forte *amore*. — (6) Deest *non* in cod. — (7) Cod. pessime *mendacitas*. — (8) Deest *non* post *numquid* more solito. — (9) Cod. *in fine*. — (10) Id. *reliquerent*. — (11) Deest *non* in cod., juxta morem, et sic deinceps. — (12) Sic cod. Unde illud sumpserit auctor, nescio. — (13) Cod. *quando*. — (14) Cod. *ut ille et vilissimus*, absque sensu.

bator potenti personæ, fœdes alicujus pedes lavare; quod etiam sanctus Abraham propria manu non dignabatur[1], sed servos ad hoc deputatos in domo pro transeuntibus cum magno fervore tenebat. Sed modo, o quam gloriosum, o quam decorum, o quam ineffabile pedes infectos lavare mentis et corporis! o quanti meriti, o quanti lucri est, proximi pedes mentis a sordo peccati abluere! Vade ergo, o Pastor, lava pedes camelorum tuorum, ut ambulare possint ad montem Dei Oreb; nam debiles sunt; adjutorio indigent. Lava ergo eos, infunde in pedibus (1) mentis Christi humilitatem; fac quod Christus fecit; nam propter te hoc fecit. Sequitur, fratres: nunc audite quod locutus fuerit Christus piscatori. Ait enim Magister humilitatis: «Si »non lavero te, non habebis partem mecum[2].»

IV. Quo verbo prolato, altius clamat Petrus, pedes parat, manus festinat, pectus discooperire accelerat, caput inclinat, corde et membris ante Salvatorem se inclinat, et dicit: «Domine, non tantum pedes meos, sed et manus, »et caput[3],» ut non expellas me ab expectatione mea. Et quid mirum, fratres, si Petrus hoc dicebat? Nam tantam lætitiam, tantam gloriam, tantum gaudium (2) in transfiguratione Petrus viderat, quod sine Christo vivere se posse (3) non credebat.

V. Et lotis Discipulis, cœpit eis dicere et ad dilectionis vinculum exhortari: «Quo ego vado, vos non potestis modo »sequi[4];» et necesse est, ut vos corpore relinquam; ideo «Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem: in hoc »enim agnoscent quia mei estis discipuli, si dilectionem »habueritis[5].» Discessurus sum a vobis ad tempus, et vado ad Patrem, et parabo vobis viam, et murum qui est inter vos et Patrem obruam; ideo «Non potestis venire modo.» Desero ad præsens; ideo rogo, ut nulla dissensio sit inter vos; non solum rogo, sed et mandatum facio; nec ullus audeat ipsum transgredi, hoc enim mandatum novum voco, quod tamen vetus est, sed novum voco, ut in vobis semper renovetur. Ideo specialius hoc mandatum vobis facio, quia «In hoc cognoscent omnes, quod mei estis discipuli, si »dilectionem habueritis.» Certæ enim virtutes possunt esse communes tam bonis quam malis; sed dilectio tantum Christianis debita est. Ecce signum bonorum Christianorum, si pacem habent ad invicem, si pacem amant et quærunt, si pacem tanquam divitias amplectuntur: isti sunt prædicandi et dicendi beati, qui totis affectibus pacem concupiscunt. Ipsi veri filii Dei sunt, ipsi cives cœlorum, ipsi Angelorum socii, ipsi Sanctorum delectatio. Soli pacifici filii Dei vocati sunt[6]. Qui vere pacem amat, Dei filius est: qui vere pacem frangit vel impedit, ex patre diabolo est, et antichristus est, et perditionis filius[7] est. Quam autem dilectionem debeamus habere, exponit Dominus cum ait: «Sicut dilexi vos[8].» Non enim dilexit nos Dominus dilectione, qua diligunt homines, nempe (4) homines facientes et operantes iniquitatem, sicut cupidus pecuniam, sicut luxuriosus fœminam, sicut hypocrita gloriam. Ista dilectione non dilexit nos Dominus; ideo non tali dilectione debemus diligere homines, sed qua dilexit nos, sicut homo homines; sed propter utilitatem nostram dilexit nos, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus[9]; quod faciat et concedat ipse qui est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XXXVI.

In Cœna Domini III.

Sermo iste eductus ex Bibl. Ædil., cod. x, fol. 19, ut præcedentes, rejicitur in appendicem, non solum propter easdem rationes, sed quia plura continet satis temerarie dicta, et quæ aliquando sanæ doctrinæ non congruentia videntur, licet et alia multa habeat quæ utiliter colligi possunt. Locus ejus post præcedentem cum numero in Cœna Domini IV.

SYNOPSIS.

I. Relictis presbyteris et Valerio episcopo, orator Evangelium venit prædicaturus in eremo. II. Christus multa fecit ad Judæ procurandam conversionem. III. Pedum lavatio quo ordine facta. IV. Quid sit, *Non indiget nisi ut pedes lavet*, et de exemplo dato a Salvatore. V. Judas proditor indicatur. VI. Satanas intrat in Judam, qui nocte exit ingratus ad crimen perpetrandum. VII. Christus undecim hortatur ad charitatem, cujus ordo demonstratur. VIII. Pax mandatum novum cœlestis civitatis. IX. Pulso odio, pax sectanda. X. Simplicii miseranda defectio, pro quo facienda oratio.

I. Audivimus, fratres charissimi, quod «Cum Dominus »intinxisset panem, et daret Judæ, post (5) buccellam »panis intravit in eum Satanas, et ait: Quod facis fac ci»tius. Cum ergo accepisset illam buccellam, exivit conti»nuo: erat autem nox. Cum autem exiisset, ait Dominus »Discipulis suis:» Surgite (6). Et postea: «Filioli, adhuc »modicum vobiscum sum;» ergo antequam a vobis recedam, «Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, »sicut dilexi vos[10].» Satis enim novit Charitas vestra quod tota perfectio vitæ et ædificationis nostræ ex Evangelio accipitur, cujus verba a summo nostro Magistro data sunt; ideo pretiosiora sunt, et satis nos hortantur et ædificant quotidie, ut ea vobis quotidie repræsentamus, et ad memoriam vobis reducimus, non quia non bene intelligatis, licet in eremo permaneatis et segregati sitis a gentibus; at (7) hactenus, antequam essem Presbyter et Episcopus (8), pariter me videre potuistis; sed ideo vobis ad memoriam reduco, non ut vos (9) doceamus, sed utut me et vos, fratres, moneamus. In Evangelio quidem quod ad præsentem diem pertinet, de patientia, et dilectione, et humilitate instruimur. Ideo, fratres, ut ego valeam una vobiscum corrigi et doceri, relinquere volui Presbyteros meos, quorum vita vestra et apostolica norum una est; et sanctum senem Valerium etiam corpore hodierna die relinquere non curavi, cupiens vos docere et a vobis doceri, ut fructum aliquem Deo in die tantæ solemnitatis digne pariter offerre possimus.

II. Ideo, fratres, ad expositionem sancti Evangelii accedentes, primo audire et scire vos volo quod Dominus Jesus discipulum Judam multis modis, minis, sacramentis et exemplis, et planctu volens (10) corrigere, et prædictis modis ad correctionem eum invitare (11), ad ultimum eum indicavit (12) in damnationem et ruinam jam esse paratum, dum in cœna dixit: «Qui intingit manum mecum in parapside (13), hic me tradet[11].» Cum enim Judas pravam suam

[1] Gen. xviii, 4. — [2] Joan. xiii, 8. — [3] Ibid. 9. — [4] Ibid. 33. — [5] Ibid. 34, 35. — [6] Math. v, 9. — [7] Joan. xvii, 12. — [8] Id. xiii, 34. — [9] Ephes. i, 4. — [10] Joan. xiii, 26-34. — [11] Math. xxvi, 23.

(1) Melius legeretur *pedes*. — (2) Cod. *tanta lætitia, tanta gloria, tanto gaudio*. — (3) Desunt hæc duo verba in cod. — (4) Cod. *nam*. — (5) Id. male iterat *quod* ante *post*. — (6) Vox *surgite*, non legitur in Evangelio Joannis. — (7) Cod. *ut*. — (8) Cod. *presbyter episcopus*, sine particula *et*. — (9) Deest *vos* in cod. — (10) Cod. male addit *eum*. — (11) Cod. *invitasse*. — (12) Id. *unitavit*. — (13) Id. *parasside*.

voluntatem nulli patere voluisset (1), Magistrum audiendo erubuit, sed non pœnituit. Multo enim ante passionem dixit: « Nonne (2) duodecim elegi? et unus ex vobis diabolus est[1]. » Et post cœnam ait : « Vos mundi estis, sed non omnes[2]. » Hoc autem Magister dicebat, volens Discipulum verbo corrigere; ecce quomodo eum (3) verbis timoris corripuit (4). Sed videns Dominus quod verbis eum corrigere, ipso nolente, non poterat, studuit eum corrigere (5), et illi (6) timorem æternum incutere, dum ait : « Væ homini illi per » quem tradar ego; melius enim fuisset, si natus non fuis» set[3]. » Sed videns Dominus cor Discipuli nequiter induratum, ad dilectionem sacramenti eum dulciter invitavit, dicens illi post Petrum et cæteris : « Accipite et manducate: » hoc est corpus meum[4]. » Sacramentum enim illud ideo hominibus datur, ut corpus Ecclesiæ capiti coadunetur. Sicut enim multa grana unum panem conficiunt, et ex multis racemis unum vinum extrahitur, sic ex multis hominibus Christi corpus constituitur. Obtulit autem Dominus Discipulo sacramentum unitatis, ut eum invitaret ad unitatem dilectionis. Licet etiam propter alios Discipulos humilitatis exemplum præbuerit, tamen ovem perditam recuperare valde cupiebat.

III. Sed videns eum nequiter obstinatum, surgit a cœna, vestimenta deponit, linteo se præcinxit[5], et ad principem Apostolorum, fratres, ut arbitror, primo pervenit, ante eum se genuflexit Deitas incarnata, Deus ante hominem, Creator ante creaturam, Magister ante discipulum, Rex ante piscatorem, doctus ante indoctum, sapientia ante ignorantiam, pulchritudo ante deformitatem. Ideo Petrus Deitatem incarnatam videns ante se inclinatam, expavit, exhorruit, per cœnaculum velut insensatus cucurrit (7), et clamavit : « Non lavabis mihi pedes[6]. » Nam, inquit Petrus, Domine, jam dixi quod eras Christus Filius Dei[7], et tu mihi lavas pedes? Sed notare debetis, fratres, qui in eremo habitatis. Cur, inquit, « Cœna facta[8] » dicitur, cum post ablutionem pedum dicatur buccellam panis Judæ Dominum porrexisse[9]? Non debemus intelligere cœnam finitam, cum dicatur adhuc panem esse super mensam : adhuc enim cœnabatur, quando Dominus a mensa surrexit, et tamen cœna jam facta dicitur. Intelligere hic namque debetis, quod non facta erat, sed parata : ad convivandum mensæ jam (8) superducta. Ideo Joannes, aquila grandis, in eadem cœna omnia diligenter attendens, prius nostri Salvatoris celsitudinem voluit commendare, dum ait : « Sciens Jesus quia omnia Pater dedit ei in manus, et quia » a Deo exivit, » et venit in mundum, » et ad Deum vadit[10]. » Magnam Christi potentiam exprimit Joannes, cum omnia Patrem ei dedisse affirmat : magnam celsitudinem Christi prædicat, cum eum a Deo exiisse asserit. Et tamen hodie audimus, quod ille, qui omnia habet in manu, vestimenta deponit. Sed quid mirum, si pro Discipulis vestimenta deponit, qui (9) etiam carnem pro inimicis assumpsit? Et quid mirum, si more famuli præcinxit se linteo, qui formam servi accipiens, habitu invenitur ut homo[11]? Quid mirum si fudit aquam in pelvim, qui dignatus est sanguinem fundere pro nostra redemptione? Et ait Joannes : « Venit » ergo ad Simonem Petrum[12]. » Videtur denique quibusdam, sicut fuit ille sanctissimus martyr et doctor Cyprianus, ante Petrum Judam lavasse, volens Dominus perditum Discipulum revocare, sed non videtur ratio ponderosa. Ex quo enim jam Petrum cunctorum caput fecerat, accessit primo in honore, ut cæteri postea simile facerent. Ideo sic intelligendum est : cum summam (10) rei bene transcurrisset dicendo : « Cœpit lavare pedes, et linteo tergere[13]; » redit postea ad ordinem rei, ostendendo dicens : « Venit » ergo ad Simonem[14]. »

IV. Quid est ergo quod postea dicit Dominus : « Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus » totus[15]. » Si est mundus totus, quare necesse est ut pedes lavet? Ideo, fratres, attendere debetis quod hic facit mentionem Dominus de ablutione baptismatis. Qui ergo lotus est in baptismate totus, non est necesse, nisi ut lavet pedes venialium peccatorum, a quibus peccatis humana mens stare non potest immunis (11), nec infans cujus unius diei vita regnat[16]. Paratis denique et consummatis sacræ cœnæ sacramentis, factis et ordinatis Apostolis sacerdotibus, communicatis, et lotis eorum pedibus, iterum intravit mensam et ait : « Scitis quid fecerim vobis? Si ergo ego Deus » et Magister lavi pedes vestros, et vos debetis alter alterius » lavare pedes[17]. » Si sum Magister, discite a Magistro; si Dominus, erubescat hoc despicere servus; si jam peperci proditori, et vos parcere studeatis; si ante eum genuflexi, humiles contra adversarios studeatis esse; si me ab eo permisi osculari, et vos maxillas præbere[18] dignemini; si amicum proditorem vocavi, et vos amicum inimicum vocare non dedignemini corde et ore, quia « Non est servus major » Domino[19]. »

V. Et post pauca de filio perditionis[20] dolorem ostendens et dolens, turbatus est in spiritu, et conturbatus ait : « Unus » vestrum me tradet[21]. » Oh! quantum doluit Dominus de Discipulo perdito! Oh! quantum studuit eum ad se revocare! Doluit, quia non potuit eum corrigere; doluit quia obstinatum esse cum diabolo cognoscebat, quia supereum sententiam æternæ damnationis daturus erat. Et videntes Discipuli faciem, quam « Angeli aspicere desiderant[22], » esse turbatam, dixerunt : Quis est iste[23]? quærentes etiam quis eorum esset major[24]. Sed quare hoc, nisi quia arbitrati sunt (12) ut homines? Ille qui major est, ut dominetur, Magistrum perdere procurat, aliique (13) fortiter de Petro suspicabantur, quia plus et plura se facturum promiserat pro Magistro, suspicantes quia ficto corde toties loqueretur : « Tu es Christus Filius Dei[25]. » Sed quia Petrus in necessitate se sciebat, innuit Joanni ut peteret. Cui Dominus : « Cui panem intinctum porrexero, ille est[26]; » sed cave ne nemini dicas. « Et cum intinxisset Jesus panem, » dedit Judæ[27]. » Non est credendum, quod Dominus alta voce dixerit, quia Petrus si hoc scivisset, dentibus proditorem dilacerasset (14); nec etiam putandum quod Judas tunc Christi corpus sumpserit, quia jam Dominus omnes Discipulos communicaverat et Judam, sicut Lucas evidenter ostendit; panem intinctum tamen Dominus porrigere Discipulo voluit, ut cor illius intinctum (15) veneno significarat.

VI. « Et post buccellam intravit in eum Satanas[28]. » Numquid Satanas non (16) ante corpus ejus intravit? Omnino, fratres, Satanas cor Judæ intravit ante buccellam, sed affectu et voluntate tantum, sed post buccellam intravit effectu et opere : tamen bona fuit buccella, quam Christus Discipulo dedit, bonum etiam sacramentum quod ei tribuit; sed aliquando bona obsunt, et mala prosunt quandoque. Corpus enim Domini, quod bonum est, malis malum est; et carnis stimulus, qui malus est (17), tamen Paulo bonus

[1] Joan. vi, 71. — [2] Id. xiii, 10. — [3] Matth. xxvi, 24. — [4] Ibid. 26. — [5] Joan. xiii, 4, et seqq. — [6] Joan. xiii, 8. — [7] Matth. xvi, 16. — [8] Joan. xiii, 2. — [9] Ibid. 26. — [10] Ibid. 3. — [11] Philip. ii, 7. — [12] Joan. xiii, 6. — [13] Joan. xiii, 5. — [14] Ibid. 6. — [15] Ibid. 10. — [16] Job. xxv, 4, juxta 70. — [17] Joan. xiii, 14. — [18] Matth. v, 39. — [19] Joan. xiii, 16. — [20] Id. xvii, 12. — [21] Id. xiii, 21. — [22] I Petr. v, 12. — [23] Luc. xxii, 23. — [24] Ibid. 24. — [25] Matth. xvi, 16. — [26] Joan. xiii, 26. — [27] Ibid. — [28] Ibid. 27.

(1) Cod. *potuisset*. — (2) Cod. *non*, sine interrogationis nota. — (3) Id. *cum*. — (4) Id. *corrupit*. — (5) Forte *exterrere*. — (6) Cod. *ubi*, et sic deinceps. — (7) Hæc longe distant ab Augustini gravitate. — (8) Cod. *unum perducta*. — (9) Id. *quia*. — (10) Cod. *summa*. — (11) Deest *immunis* in cod. Hic graviter errare videtur auctor, supponendo venialia peccata post baptismum perstare in infantibus vel unius diei, quod fidei catholicæ repugnat. — (12) Id. est *cogitaverunt*. — (13) Cod. *alii qui*, nisi legas *alii erant qui*. — (14) Hæc parum accurate dicta videntur, nec erga Petrum satis reverenter. — (15) Cod. *intincto*. — (16) Deest *non* post *numquid* in cod., et sic deinceps. — (17) Hæc verba *qui malus* desunt in cod., qui male addit *et ante tamen*.

est : et quod malum est, ipsi profuisse cognoscimus. Sic, ut supra diximus, fratres, panis iste porrectus sancte fuit (1) a Christo, et a Juda indigne receptus. Fecit ex merito Christus, ut major esset licentia diabolo super eum, et (2) post manifestationem, graviorem vindictam in eum fecit. Subtracta enim gratia, eum Dominus ad malum agendum dimisit, et « Dimisit eum secundum desideria cordis sui, et » ivit in adinventionibus cordis sui [?], » et prætermittens eum in propria voluntate et arbitrio, ait Discipulo : « Quod (3) » facis fac citius [?], » quasi dicat Dominus quia non possum te revocare timore verecundiæ nec mortis æternæ, nec amore, do ergo tibi potestatem, ut ages facto, quod jam voluntate fecisti. O Juda, attende quod facis, antequam facias. Nam post factum, gratiam forte pœnitendi habere non poteris (4). O Juda, cupis tradere, qui multa peccata tibi pepercit (5) ! Numquid non a morte te sæpe liberavit? numquid non tui amore patrem tuum a lepra liberavit, et matrem, cum qua concubueras, a paralysi etiam liberavit (6) ? numquid non te discipulum constituit ? numquid non te bursarium fecit? numquid non in furto te sæpe invenit, et semper tibi pepercit ? numquid non te post Petrum ut plurimum honoravit (7)? numquid non Christus semper te juxta se habere voluit ? numquid non ad pacem, postquam te eum proditurum cognovit, sæpe revocavit ? numquid non tibi sacerdoti suum corpus donavit? numquid non ante te se genuflexit ? numquid non pedes lavit? numquid non et eos osculatus est ? Cur ergo prodis (8) Magistrum, a quo tot dona recepisti? Sed hæc omnia non considerans, recepta buccella, exivit continuo. Et bene, fratres, exivit, quia vere a Deo et consortio Discipulorum exivit. Et « Erat, inquit Evangelista, autem nox [1]. » Merito nox Discipulo proditori data erat, quia cæcitas ejus mentem caligaverat.

VII. Qui postquam Discipulos ab eis nocte recessit, mox Magister undecim congregavit, et ait : « Filioli mei, modi» cum tempus adhuc vobiscum sum ; ideo mandatum no» vum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos [2]. » Novus enim erat homo, quia cum quatuor modis generentur homines, aut sine matre, ut Eva; aut sine patre et matre, ut Adam ; aut ex patre et matre, ut homines ; aut sine patre, ex matre tantum, ut Christus ; bene ergo novus erat, quia Deus et homo erat. Novum etiam regnum promittebat, quod nemo promittere ausus fuerat, scilicet cœleste regnum. Ideo novum mandatum dedit. In Lege namque veteri dictum fuerat : « Diliges (9) amicum tuum, et » odio habebis inimicum tuum [3] ; » sed Christus novum mandatum dedit, quia amicos et inimicos diligi mandavit. Cæteræ namque virtutes, scilicet fides, spes, oratio, eleemosyna, virginitas, ac cæteræ aliæ virtutes, communes etiam et infidelibus esse possunt, sed inimicos diligere tantum Christianorum virtus est; et ideo Magister veritatis dicit : « In hoc cognoscent homines quod mei estis Discipuli, » si dilectionem ad invicem habueritis [4]. » Scitote tamen, fratres, quod talis ordo in diligendo servandus est : primo namque (10) super nos et super omnia Deum diligere debemus, deinde animam nostram quæ nostra proxima est, deinde corpus quia factura Dei est. Ideo Apostolus dicebat : « Nemo » carnem suam odio habeat [5]. » Ideo nutrire debemus corpus, nec ipsum occidere, sed sustentare ipsum debemus cibo et potu, quantum valetudo permittit. Sic enim vult Deus, sic vult Apostolus, sic et vobis, fratres mei, præcipio. Ideo, fratres, hortor vos et moneo, atque nunc præcipio, ut tantum carnem vestram dometis, quantum natura portare potestis. Nam cum videam inter vos quosdam sexagenarios, quosdam centenarios (11), videns eos Dei amore ferventes, corpora eorum crucifigentes, vinum etiam non bibentes, timeo ne potius Deum offendant, quam illi placeant. Talibus stricte in Christi nomine præcipio, ut saltem diebus solemnibus vinum vel cervisiam bibant. Juvenes autem qui fortes sunt, et jam de inimico triumphare cœperunt, in nomine Christi pœnitentiam agant, ne devincantur ab hoste. Sic enim volo ; sic et sæpe observari præcepi ; sic non occidemus corpora nostra, sed servient (12) suo Creatori. Deinde diligere debemus proximum, scilicet fratrem nostrum, amicum vel inimicum. Ideo attende : « Si inimicum videris » esurire, ciba illum, da illi potum [6], cooperias eum, et car» nem tuam ne despexeris [7]. » Dilectio enim spiritualis bonorum est, quia omnis habens eam bonus est. Numquid etiam cum odio Paradisum quis intravit? Ad infernum sæpe descendisse memini, sed ad cœlum nunquam volare concedam.

VIII. Cupimus ergo, fratres, esse cives civitatis cœlestis? Illa, inquam, civitas habet pacem, et ideo servemus novum mandatum novæ civitatis. Præcipit enim Christus, rex illius civitatis, pacem, et diligit diligentes pacem. « Sequamur ergo pacem, sine qua nemo Deum videre po» test [10]. » Quæramus ergo pacem, et postea sequamur pacem ; in ipsa Deus habitat, in ipsa quiescit et pausat, quia « Factus est in pace locus ejus [11]. » Non ergo habeamus cor intinctum odio, ne filii Judæ proditoris simus, ne cum eo suspendamur, et a diabolo ad infernum pariter cum eo trahamur. Qui enim odium in corde semper portat, secundus diabolus est, et qui pacem impedit, Antichristus est, et qui pacem inter fratres ponere ordinat, vere Dei filius est. Attendite, fratres, Mariam, quoniam « Multum » dilexit, et ideo dimissa sunt ei peccata multa [12] ? » Quid etiam Petro Deus dixit, nisi : « Petre, amas me [13] ? » Et quia amavit, meruit et amari, meruit et audire : « Pasce oves » meas, pasce agnos meos [14]. » Quid etiam Discipulo ait qui diligebat Jesum, et quem Jesus diligebat ? « Dilecte mi, veni [15] ad me, quia tempus est ut epuleris. » Pacem ergo habeamus, fratres, si pacem cum Christo habere volumus. Si vis amari a Christo, ama inimicum propter Christum. Si ergo vis amari, ama : hanc amplectimini, hanc diligite, hanc pacem et concordiam servate usque ad mortem, si vultis cum Deo pacem habere. Pax enim omnium custodia et cura virtutum est ; hanc pacem in suo ortu Angelis præcepit, pacem sæpe annuntiavit Apostolis, pacem prædicari præcepit hominibus, pacem pro testamento Apostolis dereliquit, pacem in cruce pendens postulavit, pacem in sacrificio toti populo prænuntiari voluit ; nulla denique dabitur venia, nisi pacifico viro.

IX. Pellite ergo a vobis hoc odium, mortiferum venenum. Pacem inter vos habete, quia fratres estis ; uno enim pani, indumento uno nigri coloris (13), uni aquæ omnes participamus. Revocemus (14) igitur, fratres, ad nostram memoriam quod Dominus ab inimico osculatus est, et tamen amicum vocat illum proditorem. « Amice, inquit, ad » quid venisti [16] ? » Date igitur reconciliationis pacem, sed non osculum proditionis ; qui enim ficte inimicum osculatur, vel verbo blanditur, Judæ proditoris fratrem esse et socium quis dubitabit ? sed qui amore Christi, filius Christi est. Vos enim, fratres, quorum vita lux mundi [17] ; licet mundus vos non videat, tamen lucem mundi vos appello et saluto ; ideo quia lux estis, « Luceant vestra opera » bona [18]. » Nos qui videmur gerere in corporis nostri habitu figuram crucis, et nomen sanctæ religionis habemus, nigram etiam vestem humilitatis portamus, zonis etiam pelliceis præcincti apparemus, caveamus ne « Similes simus » sepulcris dealbatis, quæ foris pulchra et speciosa appa» rent, sed intus plena sunt ossibus mortuorum [19]. » Provi-

[?] Psal. xxxv, 13. — [1] Joan. xiii, 27. — [2] Joan. xiii, 30. — [3] Ibid. 33. — [3] Matth. v, 43. — [4] Joan. xiii, 35. — [5] Ephes. v, 29. — [6] Rom. x, 20. — [7] Isai. lviii, 7. — [10] Hebr. xii, 14. — [11] Psal. lxxv, 3. — [12] Luc. vii, 47. — [13] Joan. xxi, 17. — [14] Ibid. 16, 17. — [15] Apoc. xxii, 17. — [16] Matth. xxvi, 50. — [17] Id. v, 14. — [18] Matth. v, 16. — [19] Id. xxiii, 27.

(1) Hæc verba *sancte fuit* desunt in cod., et illa opinando adjecimus. — (2) Deest et in cod. — (3) Cod. *quod*. — (4) Duriora hæc verba, nisi intelligantur de impossibilitate morali, non de impossibilitate absoluta. — (5) *Parcere peccata*, loquendi modus omnino barbarus, sicut et deinceps vox *bursarium*. — (6) Opinio ista de patre et matre Judæ, ejusdemque atroci facinore a doctis plerisque inter fabulas amandatur. — (7) Hoc factum nullibi reperitur, nisi in fabulosis. — (8) Cod. *prodens*, aut *proderes*. — (9) Cod. male *dilige*. — (10) Cod. *denique*, et deinde *super se*. — (11) Id. *centenarios*. — (12) Id. *servient*. — (13) Id. *nigro colore*. — (14) Id. *redeamus*.

deamus ne nobis dicatur : « Væ vobis, qui clauditis regnum « cœlorum ante homines. » Timeo enim satis, ne » Nec (1) « Paradisum intremus, nec alios permittamus intrare[1]. »

X. Hoc autem quare dico? Non quod credam, fratres, vos malos esse, sed quia doleo de fratre vestro perdito Simplicio, qui ad hanc sanctam congregationem cum tanto fervore pervenit, et audiens patrem interfectum esse, a vobis recessit, et mundum reintravit (2), ut patris mortem vindicare posset. « Qui ergo existimat se stare, attendat et « videat ne cadat[2] ; » et sic hominibus videntibus eos (3), qui columnæ sanctitatis esse videbantur, tam nequiter cadere, non solum sibi ipsis regnum cœlorum claudunt, sed etiam illis qui in sæculo demorantur. Nobis denique, fratres, qui nomen et habitum sanctæ religionis assumpsimus, vita mala periculosior erit quam in sæculo demorantibus. Ploremus ergo peccata nostra, fratres, et fratris amissi. Diligamus et nos invicem, quia « Charitas ex Deo est[3]. » Non erubescat alter ab altero veniam postulare, quia non erubuit Christus inimicos invitare ad pacem, ad pacem (4) in cruce revocare : non erubescat facere servus, quod prius fecit Dominus. Deus autem « Qui inhabitare facit unius « moris in domo[4], qui est vera pax, qui fecit utraque unum[5], » nos in vera pace perseverare faciat. Amen.

SERMO XXXVII.

De Passione Domini I.

Sermo iste qui eruitur ex quinque codicibus Florentinis, nempe Bibl. Laur., Plut. XVII, *cod.* XXXIX, *fol.* 61 ; *Plut.* XXX *sinist.*, *cod.* II, *fol.* 16, *Plut.* XXXIII *sinist.*, *cod.* IV, *fol.* 130 *b*; *Bibl. Ædil.*, *cod.* CXLI, *fol.* 2, *et cod.* CXLIII, *fol.* 201 ; *tantis abundat ridiculis sententiis, ut rhetori cuidam, non autem sancto Augustino tribuendus videatur, quamquam ejus nomen ubique habeat. Sit in appendice post sermonem appendicis* CLVI, *cum numero de Passione* VIII.

SYNOPSIS.

I. Christus in meridiano patitur. II. Mundus, Christo moriente, tenebris obruitur. III. Christi resurrectio et ascensio.

I. Sapientissimus Salomon, fons sapientiæ, censor justitiæ et magister disciplinæ, in Canticis canticorum sic affatus est dicens : « Ubi pascis? ubi manes? in meridiano[6]. » Quis interrogabat, et quem interrogabat? Vox est Spiritus interrogantis Dominum Christum. « Ubi pascis? ubi manes? » Et ille : « In meridiano. » Et miramur, fratres charissimi (5), quod interrogat Spiritus sanctus, eo quod (6) non habet corpus, cujus totus est (7) mundus; qui ante (8) tempus fuit, nec initium habuit, sic nec aliquando finem habebit. Neque æternitas habet ætatem, aut aliquando finem, quæ (9) nescit originem. Sed ad hoc Spiritus sanctus cogit de passione sua Dominum Christum dicere, ita ut (10) populus qui ignorabat, possit audire : « Ubi pascis? » id est, ubi pastaris? Et Dominus respondet (11) : « In meridiano. »

II. Cum in sexta hora per medium cœli spatium sol igneus in sua libra penderet, et nec flammigero divisa mensura cœli, subjectas umbras clypeo vibrante (12) colligeret, cum mundi penderet umbra, et inferi simul in nocte (13), sic omnis Judæa vestita est cæcitate, quando furibundo impetu clamabat (14) : « Crucifige, crucifige[7]. » Sicut omnia creatura sexta hora non vidit solem, sic quidquid sub cœlo jacebat didicit majestatem. Parva enim dico; sic lumen Christi, qui « In sole posuit tabernaculum suum[8], » universas gentes collegit, et conscientias nostras temporum nocte (15) totus intravit. Pependit in cruce sexta hora Dominus Christus, et sol pependit, ut famulus. Cum latus Christi lancea perforatur, « Ab hora sexta usque in horam nonam[9], » solis claritas jugulatur. Luget cœlum auctorem, perdidit (16) oculum dies, et orbatus facula cœli, velut nox factus (17) est dies, et subito adveniens nox excæcat claritatem. Propterea in passione Domini Christi velut nox facta est dies, quia in ejus resurrectione nox inclaruit (18) ut dies, sicut scriptum est : « Quia (19) tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur[10]. » Peccaret (20) enim creatura, si non lugeret Creatorem, vel si dies suam non conscinderet (21) vestem. Judæa jure admisisset (22) sacrilegium, si non in crimine suo sexta hora palparet, et solis cæcitas testimonium perhiberet. Antecedit Dominum ad inferos dies. Nox æterna (23), quod ignorabat, didicit; dies noctem, quam nesciebat, expavit, dicente David : « In sole posuit tabernaculum suum. » Bene ostendit tabernaculum suum Christus crucem, hospitium corporis sui, in qua unius machina materiæ (24) jugulati sunt inferi. Adhuc pendet in materia Christi (25) corpus, et jam (26) debellatur (27) infernus. Timent terrorem Tartara majestatis (28). Peregrina mors ad inferos, dum decipit, fugit; a suis sedibus mors exclusa, currit ad cœlum; cœlum (29) videt, quam (30) non noverat, noctem. Pallent astra, tremit (31) terra, turbantur elementa, procedunt ex suis tumulis funerata (32). Neque enim sepulcra aliquam partem corporis tenere potuerant, quando gehenna simul crepuerat (33) tota.

III. Ad hoc enim (34) reversus est dies ad proprium statum, quia ad verum (35) diem reversus est auctor qui fecit hunc diem, sicut scriptum est : « Hæc est dies, quam fecit Dominus[11]. » Propterea elementa recipiunt speciem suam, quia, si omnia cum ruina mundi perirent, hodie non esset (36) qui timeret. Et ideo in fide Christi totus mundus unus est locus; adeo (37) hoc nomen per terras volavit. Navigavit per undas, quia Spiritus non habet iter, nec fides (38) aliquando quærit vectorem. Quid dictura est Judæa adversus Dominum Christum, quem natum stella flammigera demonstravit, et (39) passum solis cæcitas declaravit? Jam perdidit æstimationem suam humana perfidia, quia natum Dominum audivit, passum vidit. Expavit populus post resurrectionem, videndo novum, post inferos sanum. Et post clavos et mortem, ipsum iterum ad Patrem vehiculo (40) lucis usque ad cœlos volantem (41) populus supinis vultibus adorabat. Et ne totus abiret, per sacramentum corporis in nostris cordibus (42) sese dividit (43), dum eum intra conscientiam nostram per fidem portamus.

[1] Matth. xxiii, 13. — [2] I Cor. x, 12. — [3] I Joan. iv, 7. — [4] Psal. lxvii, 7. — [5] Ephes. ii, 14. — [6] Cant. i, 6. — [7] Luc. xxiii, 21. — [8] Psal. xviii, 6. — [9] Matth. xxvii, 45. — [10] Psal. cxxxviii, 12. — [11] Psal. cxvii, 24.

(1) Deest *nec* in cod. — (2) Cod. *reiteravit* — (3) Cod. *homines videntes.* — (4) In cod. non iterantur voces *ad pacem.* — (5) Cod. CXLIII *dilectissimi.* — (6) Sic cod. CXLIII; cod. XXXIX *eoque.* — (7) Cod. CXLI *in cujus potestate totus est.* Cod. IV *cui totus natus est.* — (8) Sic cod. CXLIII; cod. XXXIX *quia an.* — (9) Sic cod. II; cod. XXXIX, *qui.* — (10) Sic cod. IV; in cæteris deest *ita* — (11) Codd. *respondit.* — (12) Cod. II *brevante.* — (13) Sic codd. : Qui potest capere, capiat. — (14) Sic cod. IX; cod. XXXIX *clamabant* — (15) Sic cod. XXXIX; cod. CXLIII *temporum noctes.* Neutrum captu facile; forte legendum *tempore noctis.* — (16) Sic cod. XXXIX; cod. II *perdit.* — (17) Codd. *facta est.* — (18) Cod. XXXIX *declaravit*; cod. II *declaruit*, pro quo posuimus *inclaruit.* — (19) Sic cod. CXLIII; cod. XXXIX *qui.* — (20) Sic cod. II; cod. XXXIX *peccaverat.* — (21) Sic cod. CXLIII; cod. CXLI *scinderet*; cod. XXXIX *consideret.* — (22) Codd. *admiserat.* — (23) Sic cod. XXXIX; cod. IV addit *est.* — (24) Sic cod. II; cod. XXXIX *unius materiæ destina*; cod. IV *materies destinata.* — (25) Deest *Christi* in cod. CXLIII. — (26) Sic cod. II; cod. XXXIX *etiam.* — (27) Sic cod. CXLIII; cod. XXXIX *debellatur.* — (28) Sic cod. II; cod. XXXIX *Tartara majestatem*; cod. IV *tamen terrore Tartari majestate peregrina. Mors, etc.* — (29) Hanc vocem addidimus, sine qua nullus est sensus. — (30) Sic cod. II; cod. XXXIX *quem.* — (31) Sic cod. II; cod. XXXIX *tremet.* — (32) Sic cod. II; cod. XXXIX *funera.* — (33) Sic cod. XXXIX; cod. II *excrepuerunt.* — (34) Deest *enim* in cod. II. — (35) Sic cod. CXLIII; cod. XXXIX *adventum.* — (36) Codd. *erat.* — (37) Sic cod. II; cod. XXXIX *a Deo.* — (38) Deest *fides* in cod. XXXIX. — (39) Sic cod. CXLIII; cod. XXXIX *ut.* — (40) Sic cod. CXLIII; cod. XXXIX *vehiculos.* — (41) Sic cod. II; cod. XXXIX *ipse.. volare*; cod. IV *evolare.* — (42) Sic cod. XXXIX; cod. II *corporibus.* — (43) Sic cod. XXXIX; cod. IV *se induit.*

Martyria per sanguinem, virginitas per pudorem, totiusque (1) populi cœtus adorabant (2), non flentes, sed gaudentes, quia ostendit nobis breve (3) iter ad cœlos Dominus Christus qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXXVIII.

De Passione Domini II.

Hic sermo eruitur ex cod. Cassin. CCCLXXXVII, *fol.* 115. *Nomen auctoris nullum præfert; sed sancto Ambrosio potius quam sancto Augustino videtur tribuendus, utpote qui longioribus et numerosioribus periodis conflatur. Sententiarum nobilitas cum styli dignitate apprime concordat. Locus ejus post præcedentem cum numero de Passione Domini* IX.

SYNOPSIS.

I. Christus vera hostia veterum figurarum impletiva. II. Christus hirco, vitulo, et vitulæ rufæ merito comparatur. III. Passionem dominicam summa cum devotione celebrent Christiani.

« Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per » amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, » id est, non hujus creationis, neque per sanguinem » hircorum et vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione » inventa, » *et reliqua* [1].

I. Doctor gentium in fide et veritate, Paulus apostolus in legitimis cæremoniis et sacrificiis ab ipsis incunabulis enutritus, et in Legis scientia super suos coætaneos eruditus, novissime legalium sacrificiorum mysteria Spiritu revelante cognoscens (4), amoto cortice litteræ occidentis, ad spiritualis intelligentiæ medullam se transtulit; ostendens sanguinem Christi ad remissionem peccatorum, ad emundationem scelerum majoris esse efficaciæ et virtutis quam fuerit hircorum et taurorum sanguis, qui de mandato Legis populi inquinamenta mundabat. Unde et idem Apostolus adjungit: « Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis » vituli inquinatos emundat, quanto magis sanguis Christi [2]? » Animalium enim sanguis, qui effusionem sanguinis Christi significabat, poterat quidem inquinatos a lepræ macula emundare, poterat populum a maledicto Legis absolvere, sed peccatorum veniam præstare non poterat. Sed sanguis Agni immaculati, qui per Spiritum sanctum semetipsum Deo Patri hostiam obtulit, totius mundi peccata abstulit, ab operibus mortuis nostras conscientias emundavit, et populum a maledicto Legis seu maledictione absolvit. « Christus enim, ait Apostolus, pro nobis maledictum crucis factus est (5), ut nos de maledicto Legis liberaret [3]. » Unde et in hujus veri sacrificii significatione multæ in Veteri Testamento hostiæ sunt oblatæ, ut effusio sanguinis Christi non putaretur inefficax, non videretur inutilis, quæ Prophetarum vocibus longe fuerat ante prædicta, et tot legalibus hostiis præsignata, ut novissime in fine sæculorum prophetia in locum, umbra in veritatem, Lex in Evangelium verteretur, ut multiplici victimarum veterum cessante mysterio, singularis et nova hostia novo imponeretur altari.

II. Inde est quod in hujus veræ hostiæ præfiguratione, quandoque hircus, quandoque vitulus, quandoque vitula rufa in Lege jubetur offerri. Hircus autem in Scripturis, quia immundum est animal, pro peccato sæpe accipitur. Et Christus pro nobis hircus factus est, dum in similitudine carnis peccati apparuit, ut « De peccato damnaret peccatum [4], » ut opus diaboli, de diaboli opere solveretur. Ipse est etiam vitulus, qui pro nobis in ara crucis Deo Patri oblatus, humani generis debitum solvit, et antiqui facinoris cautionem pio cruore delevit. Ipsa est etiam vitula rufa, cujus cinis aspersus inquinatos sanctificat: unde et in Levitico (6) ad Moysen dicitur: « Accipient, inquit, a te vitulam rufam sine vitio, et cui non sit impositum jugum, » et dabis eam ad Eleazarum sacerdotem, et ejicient eam » extra castra in locum mundum, et occident eam in conspectu ejus, et Eleazar asperget contra faciem tabernaculi » Testimonii de sanguine ejus septies, et cremabunt eam in » conspectu ejus; et pellis, et caro, et sanguis cum stercore ejus cremabitur [5]. » Hæc autem quæ scripta sunt, dilectissimi, « In figura contingebant illis, sed scripta sunt » propter nos, in quos fines sæculorum devenerunt [6]. » Christus enim secundum infirmitatem assumptæ carnis est vitula. Nam per vitulam, quæ sexûs feminei est, Dominicæ Incarnationis infirmitas figuratur. Christus enim mortuus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute. Hæc autem vitula rufa est, sanguine scilicet passionis cruentata; ex Salvatoris enim latere diro mucrone lanceæ vulnerato, nostræ salutis pretium emanavit, et immaculati Agni candida membra roseo rubore perfudit; unde et in Canticis dicitur: « Dilectus meus » candidus et rubeus [7]; » candidus quidem ex divinitate, rubeus ex sanguine passionis. Et per Prophetam ei dicitur: « Quare rubra sunt vestimenta tua quasi calcantium in torculari [8]. » In torculari enim crucis positus, et passionis dolore, quasi quodam lapide pressus, assumptæ humanitatis vestimenta, effusione sui sanguinis rubere fecit. Hæc etiam vitula, quæ sine vitio esse debet, et cui non sit superpositum jugum, illum profecto significat, « Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus [9], » cui quidem peccati jugum nullatenus fuit impositum. Ex carne quippe humana sine peccati delectatione conceptus ab immaculatæ matris utero exiit alienus a culpa, et ab omnis peccati jugo factus est liber. Hæc autem vitula extra castra educta debebat in conspectu omnium immolari. Christus enim extra civitatis mœnia ob culpas suorum facinorum diruendæ, ad crucis supplicium est deductus, ut in conspectu totius populi immolatus. Dignum quippe erat, ut in conspectu omnium pateretur, qui pro salute omnium erat moriturus.

III. Vos igitur, dilectissimi, quos non « Taurorum et » hircorum sanguis emundat, » quos non « Cinis vitulæ aspersus sanctificat, » sed Agni immaculati impollutus sanguis effusus, a jugo vetustæ servitutis absolvit, recurrentia Dominicæ passionis tempora cum summa devotione suscipite, pretium sanguinis Christi, qui pro vobis effusus est, agnoscite, Christum pro vobis in ara crucis positum, oculis mentis aspicite, et ei qui pro vobis passus est, afflictione corporis membra vestra cum vitiis et concupiscentiis mortificantes, vitiorum mortificatione compatimini. Si enim compatimini, et conregnabitis. Veterem hominem cum suis actibus in crucis ligno confixum reviviscere non sinamus. Omne peccati corpus destruamus in nobis, ut ultra non serviamus peccato. Mutatione vitæ sepeliamur cum Domino, et cum eo in vitæ novitate resurgamus. Si enim mortui sumus cum Christo, credimus quia simul vivemus cum illo, qui vivit cum Patre per omnia sæcula sæculorum. Amen.

[1] Hebr. IX, 11, 12. — [2] Ibid. 13. — [3] Galat. III, 13. — [4] Rom. VIII, 3. — [5] Num. XIX, 1-6. — [6] 1 Cor. X, 11. — [7] Cant. V, 10. — [8] Isai. LXIII, 2.
[9] Isai. LIII, 9, et 1 Petr. II, 22.

(1) Sic cod. II; cod. XXXIX *totusque*. — (2) Sic cod. II; cod. XXXIX *adorabat*. — (3) Cod. XXXIX addit *tempus*, quod deest in cod. IV, ubi nec legitur *breve*. Cod. CXXI *quod ostendit*. — (4) Cod. male *cognoscas*. — (5) Legitur in Vulgata: *Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum*. Sermonis auctor ubique sensum potius Scripturæ affert quam verba. — (6) Hæc verba in Levitico non reperiuntur, sed sunt ex Numeris deprompta, non ad verbum, sed quantum ad sensum attinet. Vide super hanc compositionem benedictionem cerei in Sabbato sancto, quæ S. Ambrosio tribuitur.

SERMO XXXIX.

De Passione Domini III.

Habetur hic sermo in Bibl. Ædil., cod. x, fol. 1; sit in appendice, propter easdem rationes, ac illi qui superius leguntur, post sermonem præcedentem cum numero de Passione Domini x.

SYNOPSIS.

I. Christi quanta improperia. II. Non delectemur in carne. III. Portanda cum Christo improperia. IV. Eliseus imago Christi, cum a pueris contemnitur. IV. Sic et Noe a Cham filio inhonoratus. V. Exhortatio moralis.

I. Quanto enim (1) beneficium sæpius, fratres, memoratur, tanto plus animus in amorem benefactoris inflammatur. Recordari igitur, fratres, sæpe debemus, quantum improperium pro nobis passus sit Dominus, qui, cum ad turpem mortem duceretur, quasi vilissimus virorum, extra civitatem ejectus est, crucem portans, quam duo fere homines, ut arbitror, portare minime potuissent, et inter latrones crucifixus est, in (2) loco Calvariæ, in quo loco, ut ait sanctus martyr Cyprianus, Abraham immolavit Isaac. Sic enim immolatus est Christus, ut latro credetur (3). Sicut stultus, veste alba indutus est; sicut homo, barba pilatus est; sicut latro, cum latronibus deputatus est, in tantum ut non homo, sed «Opprobrium hominum et abjectio plebis[1]» videretur. Licet tamen Judæi prava intentione hoc fecerint, prius tamen Dominus magna dispensatione hoc fieri voluit. Non solum enim in hoc genere mortis redemptionem voluit hominibus dare, sed etiam vitam nostram informare: non enim sine causa voluit crucifigi potius quam lapidari, vel alio genere supplicii puniri.

II. Quod ut nos debeamus (4) intelligere, Apostolus docet: «Exeamus ad eum extra castra[2];» videamus, fratres, quomodo debeamus exire, ex (5) quibus castris, et quod improperium portare debeamus (6). Quamdiu enim, fratres, «In hoc mortali corpore vivimus, a Deo peregrinamur[3].» Sumus enim in his corporibus quasi in castris, bellantes contra spiritualem inimicum. Sed in his castris, scilicet in carne, non est delectandum, quia «Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus, quia si secundum carnem vixeritis, moriemini[4].» Exeamus ergo ab his castris, ut non subjiciamur carni. Debet enim caro servire, non imperare, quia «Væ civitati cujus servus dominabitur[5].» Castigare igitur carnem debemus, et in servitutem redigere, id est, ut serviat animæ. Qui ergo vult ire post Christum, «Abneget semetipsum[6],» scilicet propriam corporis voluntatem. Nam «Si oculus tuus scandalizat te, erue eum[7];» non gladio, sed mente eum et facto fortiter claude, ne quæ placita sunt ei videat. Sic etiam abscindere pedes debemus, ne discurrant, et manus[8], ne illicita tangant. Sic et aures ne nequam (7) audiant; et sic extra castra, scilicet extra carnem nostram, exibimus.

III. Audivimus modo, fratres, quomodo debeamus exire, audiamus nunc quomodo debeamus improperia portare. Ait enim Veritas incarnata: «Tollat crucem suam et sequatur me[9].» Quid est enim tollere crucem, nisi pœnitentiam agere? Hoc tormentorum genus Dominus tollere voluit, ut inde formam vivendi tollamus. Aspicite ergo in cruce pendentem; nam ipsum videmus impotentem propter nos membra sua ad aliquas actiones dirigere, qui solo verbo cuncta creavit; eodem et nos (8) modo debemus crucifigere, ut nec pedes, nec manus, nec aliquod membrum corporis aliquam nequitiam possit agere, nec cogitare eum sensu. Tollamus ergo crucem pœnitentiæ, vitia crucifigentes. Duobus enim modis tollitur crux, vel cum caro propter pœnitentiam maceratur, vel cum proximo patienti compatimur (9). Sed non sufficit tollere crucem, nisi sequamur eum; ideo ait Dominus: «Et sequatur me.» Non enim omnis qui portat crucem, sequitur Christum; nam latro crucem portavit, et reus extitit. Ille vero Deum sequitur, et Domini crucem vere portat, qui vitia carnis optime conculcat sponte: hic vere (10) moritur mundo, hic vere crucifigitur mundo. Talis fuit Apostolus qui dicebat: «Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo[10].» Scire namque, fratres, vos credo, quod duos legimus crucem Christi portasse; scilicet portavit Simon Cyrenæus veniens de villa[11], sed primo Christus sponte portavit, et mortuus est in ea. Simon significat illos, qui sponte non agunt pœnitentiam, et ideo coacti in bono, cum Christo in cruce mori (11) non possunt; isti sunt velut Simon, qui non sponte crucem Christi portavit, nec in ipsa mortuus est.

IV. Audivimus, fratres, jam Christi improperium, audiamus modo quomodo fuerit præfiguratum. Legitur enim de Eliseo propheta, quod dum ascenderet in montem sequebantur eum quidam pueri clamantes ut vituperantes eum, et dicentes: «Ascende, calve[12].» Sed oratione sancti viri facta, venerunt duo ursi de sylva et devoraverunt illos. Eliseus, fratres, Christus est, qui calvus est, ut omni peccato privatus; capilli enim membra sunt hominis absque sensu, per quos superflua significantur; pueros vero Judæos esse intelligo, qui Eliseum, Christum deridebant in monte Calvariæ ascendentem: tamen duo ursi venerunt de sylva Romanorum, scilicet Vespasianus et Titus de gentilitate, post mortem Christi annis quadraginta, et devoraverunt pueros Judæos.

V. Igitur, fratres, cavere debemus ne Christum deludamus in membris, scilicet in suis fidelibus, ne maledictioni Cham subjaceamus. Legitur enim quod Noë tres filios habuit, scilicet Sem, Cham et Japheth. Noë plantavit vineam, et de vino illius inebriatus est, dormiitque in tabernaculo, detectis virilibus[13]. Videns autem Cham filius Noë patrem suum detectum, derisit et denuntiavit fratribus. Duo vero fratres hoc audientes, processerunt cum pallio versa facie pergentes, ne patris turpitudinem viderent. Pater vero cum didicisset (12) hæc, maledixit non Cham, sed Chanaan filium ejus, et ait: «Maledictus sit Chanaan; servus sit fratrum suorum[14].» Noë, qui quies interpretatur, Christum significat. Vineam quam plantavit significat Judæos, qui dederunt illi (13) vinum passionis; obdormivitque in cruce, et tunc discooperta sunt et denudata membra ejus. Duo fratres sunt duo populi, Judæus scilicet et Paganus, qui videntes patrem in cruce denudatum, unus accessit ad Pilatum, ut de cruce elevaretur, et alter linteamina candida detulit (14), ut eum involverent et eum cooperirent.

V. Oh! quid ergo, fratres, faciemus, si crucem Christi non portamus? Sunt enim quidam ex nobis, qui in castris suis nimis periclitantur, quia in castro carnis nimis delectantur, quidam circa divitias, quidam circa libidinem, quidam circa gulositatem, quidam circa gloriam mundi hujus. Tales Christi crucem non portant, tales Christi passionem non plorant, tales Christum velatum, consputum, derisum, ligatum, flagellatum, alapatum, spinis co-

[1] Psal. xxi, 7. — [2] Hebr. xiii, 13. — [3] 2 Cor. v, 6. — [4] Rom. viii, 12, 13. — [5] Eccle. x, 16. — [6] Luc. ix, 23. — [7] Matth. v, 29. — [8] Ibid. 30. — [9] Luc. ix, 23. — [10] Galat. vi, 14. — [11] Luc. xxiii, 26. — [12] 4 Reg. ii, 23. — [13] Gen. ix, 20, et seqq. — [14] Ibid. 25.

(1) Ex hoc voce credendum est hunc sermonem esse alterius sequelam. — (2) Cod. et in. — (3) Id. velatur. — (4) Cod. quod aliud nos debemus. — (5) Id. et. — (6) Id. debemus. — (7) Id. ne nequa. — (8) Id. denique. — (9) Id. compatiamur. — (10) Id. vero, et sic deinceps. — (11) Id. mori. — (12) Cod. didicerit. — (13) Id. sibi. — (14) Deest verbum detulit in cod.

ronatum, clavis perforatum, aceto et felle potatum, lancea perforatum non considerant. O divites, quid agitis? cur superbitis? cur vos extollitis putantes vos esse beatos? an ignoratis, quod nihil infelicius felicitate peccantium? Audite quod dictum est diviti ardenti in flamma : « Recordare « quod recepisti bona in vita tua[1]. » Credite ergo, fratres, credite quod hic et in futuro gaudere non potestis. Sunt etiam et alii inter nos, qui, licet divites non sint, divites esse cupiunt. Tales consueti sunt dare ad usuram et rapere; tales miseri sunt in præsenti, et miseriores erunt in futuro; qui licet deprædando et usuram faciendo videantur ditari, de malis tamen acquisitis fere gaudere poterit tertius hæres. « Væ, væ, qui deprædaris, quia et tu nequius deprædaberis[2]. » Væ qui in præsenti lupus factus es, quia et in futuro esca luporum eris. Tales non solum homines, sed etiam Deum deprædari conantur, ecclesias expoliantes et incendentes. Surgat contra istos Apostolus, et dicat : « Qui « violaverit (1) templum Domini, disperdet eum Dominus[3]. » Tales, sive clerici, sive laici sint, lupi rapaces[4] appellandi sunt, et tanquam lupi a consortio ovium expellendi; « Ne etiam tanquam leo rugiens[5], » devorent perseverantes in fide; a quibus nos liberet ipse, qui hodie pro salute mundi mori dignatus est. Amen.

SERMO XI.

De Passione Domini IV.

Idem ejus sermonis fons, ac præcedentium, nec dissimiles illum rejiciendi in appendicem rationes. Legitur enim in Bibl. Ædil., cod. x, *fol.* 22. *Locus ejus post præcedentem cum numero de Passione Domini* xi.

SYNOPSIS.

I. Caro ancilla, animæ dominæ vult dominari. II. Quinque ministros habet, qui sunt quinque sensus, quos vicit Christus in cruce. III. Argumento adaptatur Gabaonitarum historia. IV. Et postes agni pascalis sanguine linitæ. V. Et Petro demissum linteamen. VI. Nunquam deest persecutio.

I. Ante Christi passionem, fratres dilectissimi, hostem pessimum (2) habebamus, qui totum orbem subverterat, et cum ancilla esset, dominam (3) tamen inservire cogebat. Et quæ erat hæc ancilla, nisi Agar caro, quæ semper concupiscebat adversus spiritum? Ideo, fratres, bene dicebat Paganus ille, qui dicebat : « Nulla pugna gravior « illa scilicet quæ inimicum suum portat et pascit, quando « etiam ei omnia bona facit, et ipse mala pro bonis semper « retribuit. » Talis inimica caro nostra est, quæ quanto magis nutritur, tanto magis gloriatur; quæ quanto magis ei blanditur, tanto magis inflatur, et adversus animam insurgit.

II. Quinque enim ministros caro nostra miserrima habet, quibus anima nostra ducitur captivata. Quando enim aliquis peccat, vel videndo capitur, vel audiendo attrahitur, vel odorando allicitur, vel comedendo delectatur, vel tangendo male operatur. Isti enim sunt quinque carnis ministri, qui primum hominem deceperunt in Paradiso, sed prius a debiliore inceperunt, scilicet a muliere, ut parte debiliore. Audite, fratres, audite quomodo mulier quinque sensibus peccavit in Paradiso : primo enim auribus diabolo persuadendo (4), qui ait : « Eritis sicut dii[6]. » Ecce quomodo per auditum succubuit. Cum enim vidit quod bonum esset lignum et ad vescendum suave, ecce quomodo capta est odoratu. Cum aspexit pulchrum oculis, ecce quomodo illaqueata est visu. Cum enim tulit de fructu et comedit, ecce quomodo manus tetigit, et os comedit. Tactus igitur ministravit, et gustus peccatum consummavit. Prostratum igitur ab origine (5) ministri carnis totum mundum subjugaverunt. Sed videns Redemptor humani generis, quod caro tam crudeliter pugnabat adversus (6) mundum, quia ipsa ancilla subjugaverat dominam, habuit cum misericordia consilium, ut (7) ab hac captivitate mundum liberaret, tunicam nostræ mortalitatis induens, ut eam expugnaret et opprimeret, quinque suos ministros debilitaret, ut deinceps posset illi (8) resisti, et domina famulam suam, ut decet, castigaret, elegitque acerrimam pœnam in qua hostem nostrum vincere posset, ipsumque crucifigeret et ligaret, et nostros quinque sensus puniret. Oculi sole lucidiores caligati et velati sunt, turpitudinem pœnæ et insultantes viderunt, et tenebras mortis senserunt. Aures opprobria audierunt. Os dulcissimum locutum est : « Sitio[7]; » et aceti et fellis amaritudinem grandem gustavit. Manus quæ cœlum plasmaverant, in cruce extensæ, perforatæ sunt. Ibi denique tota Christi caro passa est, ubi tota caro Adæ delectata fuerat. Ecce quomodo caro Christi in cruce debilitata est, ut nostra posthac caro non domina, sed ancilla reputaretur. Ecce quomodo non (9) habemus amplius causam peccandi; ecce quomodo caro ancilla flagellata est; ecce quomodo vetus homo noster crucifixus est. Rogo ergo vos, o fratres, ut ne iterum carnem impinguetis, ne iterum in peccatis alliciat, ne iterum consentiendo ad Tartara deducamur. Ideo Christus eam crucifixit, ut, destructo corpore, amplius non serviamus peccato. Hæc est enim victoria nostra, hæc est lætitia nostra et sempiterna festivitas, ut carnem nostram cum Christo crucifigamus.

III. Hæc crucifixio designata est per Josuë. Legitur enim, quod mortuo Moyse, Josuë, qui in (10) terram promissionis populum Judaïcum introduxit, gentes (11) illius regionis alias destruebat, alias a se (12) timore avertebat (13). Contigit tamen quod populus cujusdam magnæ civitatis, quæ Gabaon (14) vocabatur, cum Josuë fœderatus est. Audientes autem quinque reges illius regionis, quod Gabaonitæ cum Josuë fœdus fecissent, ascenderunt ut expugnarent. Miserunt ergo Gabaonitæ ad Josuë, ut mitteret eis præsidium. Quo audito, aggressus est Josuë quinque reges, et conturbavit eos Dominus a facie Israël. Misit ergo Dominus de cœlo lapides magnos super eos, et multi mortui sunt lapidibus grandinis. Oravit etiam Josuë ut « Sol « contra Gabaon staret et luna, et non moverentur donec « filii Israël se plenarie de hostibus suis vindicarent; stetit- « que sol in medio cœli et non festinavit occumbere spatio « unius diei, nec fuit ante nec postea tam longa dies, obe- « diente Domino voci orantis hominis in terra. Fugerunt « enim quinque reges et absconderunt se in spelunca : nun- « tiatum est igitur Josuë, quod in spelunca reges fugientes « latitaverant cum cæteris fugientibus; præcepitque Josuë « reges extrahi de spelunca, et ait ad principes exercitûs sui : « Ite et ponite pedes super colla regum istorum, quo facto « suspendite eos in quinque stipitibus; et interfecit eos, « fueruntque suspensi usque ad vesperam. Cumque occum- « beret sol, præcepit Josuë ut deponerentur a patibulis, et « projecta sunt horum regum corpora in spelunca, in qua « latitaverant, et posita sunt saxa magna super cadavera[8]. » Hæc enim figura pugnæ nostræ, fratres charissimi, est, quia Josuë Christus est, populus Israël fideles sunt, quos Dominus introduxit in terram viventium, quando venit in mundum : tunc inimicos nostros debellavit. Gabaonitæ fideles sunt, qui per fidem Christo associati sunt; quinque reges, quinque sensus sunt, qui animas fidelium subjugare conantur; sed ut fideles Gabaonitæ pugnam sentiunt, ad

[1] Luc. xvi, 25. — [2] Isai. xxxiii, 1. — [3] 1 Cor. iii, 17. — [4] Matth. vii 15. — [5] 1 Petr. v, 8. — [6] Gen. iii, 5. — [7] Joan. xix, 28. — [8] Josuë. x, 12-27.

(1) Cod *violaverit.* — (2) Cod *proximum.* — (3) Id. *Domina.* — (4) Id. est *credendo.* — (5) Id. *prostrata igitur origine.* — (6) Deest *adversus* in cod. — (7) Cod. *quod.* — (8) Id. *sibi.* — (9) Deest *non* in cod. — (10) Deest *in* in cod. — (11) Cod. *et gentes.* — (12) Id. *sibi.* — (13) Id *advertebat.* — (14) Cod. male *sabaon*, et deinceps *sabaonitæ.*

auxilium Josuë, scilicet Christi confugiunt; Christus vero per suos prædicatores quinque reges, scilicet quinque corporis sensus, aggreditur præstando auxilium resistendi et vincendi; lapides vero qui de cœlo descendebant, quid aliud sunt quam flagella quibus Deus homines corrigit, carnem domat, et sensuum voluptates comprimendo debilitat? Sol et luna steterunt spatio unius diei, quia antequam Christus in mundum veniret, luna, scilicet Ecclesia, deficiebat, et non ad occasum tendebat, quia pauci erant Christi fideles. Sol, id est, Christus, transibat, quia (1) peccaverunt. Tempore gratiæ stetit ipse sol justitiæ, dum montem suorum ardore fidei suæ inflammavit, et status ille erat unius diei, id est, toto tempore gratiæ. Quinque enim reges latuerant in spelunca, quia quinque sensus semper infra terram demerguntur; sed Deus extraxit eos a terrenis, et suspendit eos in patibulo crucis pœnitentiæ. Tunc bene præcepit Josuë, Christus, ut colla pedibus conculcentur, quando vitia carnis in cruce pœnitentiæ conculcantur. Sed circa vesperam de patibulis deponuntur, et in spelunca ponuntur, quia post crucis pœnitentiam quinque regum cadavera, scilicet quinque corporis sensus, sic in spelunca Ecclesiæ lapidibus Christi obtusi et cooperti sunt, ut non viventes, sed quasi mortui existimati sint.

IV. « Absit ergo, fratres, gloriari nisi in cruce Domini « nostri Jesu Christi[1], » in quo est salus et vita nostra. Claude ergo ista quinque ostia, si vis amplecti Christi crucem; aspice crucem, salutis nostræ vexillum. Hæc est clavis, qua omnia ostia claudere poteris; sic ergo ista te semper munias, o peccator. Ideo figurative legimus, fratres, quod Moyses in Ægypto præcepit sanguine agni liniri (2) et ungi duos postes, et super eliam liminare, ne Angelus exterminator intraret[2]. Duo postes, fratres, corpus et anima sunt, quæ sunt sanguine Christi, id est, signo crucis, munienda; corpus muniendum est per sacramenti assumptionem, et anima per conformitatem. Superliminare frontem nostram intelligo, quæ semper signo crucis debet muniri. Quod si sic fecerimus, fratres, exterminator Angelus ad nos non perveniet. Ad hanc arborem crucis cupiens Dominus ascendere, in Jerusalem ascendit in Dominica Palmarum cum lætitia. Eamus ergo et nos cum eo, et crucifigamus carnem nostram. Eamus denique cum lætitia, et suscipiamus improperium mundi pariter cum eo. Moriamur peccatis pro eo, sicut ipse pro peccatis nostris mortuus est.

V. Ideo dictum est Petro in visione, in qua linteamen plenum immundis animalibus sibi oblatum est: « Surge, « Petre, macta, occide et manduca[3]; » quasi dicatur: Tu pastor es, et ideo animalia quæ sunt in linteamine Ecclesiæ, quæ immunda sunt, occide ea et macta crucis pœnitentia, et fac ea tibi similia. Crucifigamus ergo nos ipsi (3) plorando et gemendo vitia et peccata.

VI. Sed dicet quis: Mori pro Christo cupio, sed nullum habeo persecutorem; tempus pacis adesse prospicio: omnes Christum in Africa publice confitentur. O fidelis, numquid adhuc secura vivis? numquid caro non (4) stimulat? numquid mundus non te semper vocat? numquid diabolus ad illicita non provocat? Quomodo ergo persecutores modo non sunt? Sed tamen dicendum est, quod duo sunt martyrii genera, unum siquidem occultum, aliud manifestum. Quod bene ostensum est duobus filiis Zebedæi, quibus dictum est: « Calicem meum bibetis[4]; » Et Jacobus gladio mortuus est, quod fuit manifestum martyrium, et Joannes in pace vitam finivit, sine sanguinis effusione, et tamen jejunando, discurrendo, prædicando et laborando, occultum martyrium perpessum fuisse non dubitamus. Semper ergo martyrium est, semper Christi crux parata est. Qui ergo vult Christum sequi, abnegat semetipsum, id est propriam carnis voluntatem; et istud est Christi crucem tollere et portare; et istud est ille (5) calix passionis quem David accepturus dicebat: « Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo[5]; » cujus calicem nos Dominus (6) faciat capere, qui pro salute mundi hodie pependit in ligno Jesus Christus Dominus noster. Amen.

SERMO XLI.

De Passione Domini V.

Ex eodem cod. x, *Bibl. Ædil., fol.* 22 b *educitur hic sermo de quo nihil aliud dicendum occurrit ac de præcedentibus, nisi quod auctor clarius docet semipelagianam doctrinam, quando Latronem gratiam conversionis meruisse asserit aut per se aut per parentum merita. Sit in appendice post præcedentem cum numero de Passione Domini* XII.

SYNOPSIS.

I. Christi patientis ad populum suum querelæ. II. Crucifixionis Christi modus. III. Christi derelictio. IV. Duplex voluntas, naturalis et spiritualis. V. Passio Christi per Joseph figurata. VI. Judicium Christi erga Latrones. VII. Joseph honorum gloriæ Christi figura. VIII. Pœnitentia facienda per orationem et confessionem.

I. Diu, fratres charissimi, toleravit nos Dominus, et sustinuit, distulitque pœnam inferre; sed videns se (7) frustra nos expectare, prospiciens corda nostra lapidibus duriora perseverare, cupiens *nos tamen* (8) corrigi, clamat et causam tantæ indurationis *quærit:* Popule meus, quid feci tibi? cur me reliquisti? *cur me captivum* dimisisti? cur me velatum non aspexisti? *cur me* ligatum non dissolvisti? cur me famelicum *non pavisti?* cur mihi sitienti potum non tribuisti? *cur me incarceratum* non visitasti? cur meum caput *ad terram inclinatum* non tenuisti? cur me vulneratum (9), mea vulnera non fasciasti? cur matrem meam fere a cunctis relictam, ad crucem non associasti? Nihil mali feci tibi, nec in aliquo tibi molestus fui. Numquid non eduxi te de terra Ægypti? numquid non (10) de terra tenebrarum liberavi te? numquid non de servitute Babylonis et diaboli, qui a patria expulerat, extraxi te? Quid ergo nunc nisi, ut me crucifigas? Dic, si habes aliquid contra me; arguas me, si non feci quod facere debui[6]. Numquid mortuos non tibi resuscitavi? numquid leprosos non (11) mundavi? numquid cæcos non illuminavi? numquid et dæmoniacos non liberavi? numquid non socrum (12) Simonis a febribus sanavi? numquid non paralyticum? numquid non hydropicum? numquid non hominem languidum per annos triginta octo in momento liberavi? numquid non filium Reguli? numquid non servum Centurionis? numquid non de quinque panibus et duobus piscibus quinque millia hominum satiavi? numquid non regem me facere voluisti? Quid ergo facere tibi potui, et non feci? Responde mihi. Si quid tamen boni feci, non propter meritum tuum hoc feci, nec parentum tuorum, quia pater tuus, primus homo peccavit, et doctores tui sæpe prævaricati sunt in me.

II. Et licet Dominus in sua passione « Non aperuit os « suum, sicut ovis ad occisionem[7], » tamen hæc verba quæ supra diximus et similia dicere potuisset, dum per viam angariatus esset illa ponderosissima cruce; et sic dicendo

[1] Galat. VI, 14. — [2] Exod. XII, 7-13. — [3] Act. X, 13. — [4] Matth. XX, 23. — [5] Psal. CXV, 4. — [6] Isai. V, 4. — [7] Id. LIII, 7.

(1) Hæc vox, et vox *montem*, quæ deinde sequitur, vix apparent in cod., et quasi opinando restituuntur. — (2) Cod. *liniari*. — (3) Cod. male *ipsos*. — (4) Deest *non* post *numquid*, et sic deinceps. — (5) Hæ voces quasi abrasæ in cod., sic videntur restituendæ. — (6) Idem dicendum et de istis *nos Dominus*; forte legendum *quem* pro *cujus*. — (7) *Se* deest in cod. — (8) Hæ voces *nos tamen*, et cæteræ quæ italicis distinguuntur, opinando restituimus, utpote quæ vetustate sunt deletæ. — (9) Cod. *vulneratum*. — (10) Deest *non* post *numquid*, et sæpius deinceps. — (11) Cod. *Christi*. — (12) Cod. male *socerum*.

pervenerunt ad locum supplicii, et ibidem, fratres, ut arbitror, fixerunt in montis cacumine crucem. Et, ut sanctus martyr Cyprianus dicit, in proprio loco ubi sepultus fuerat pater Adam, et tribus scalis præparatis, quarum una appodiata erat ad partem dexteram crucis, altera quoque ad sinistram; alteram vero ante faciem crucis paraverunt: et ascendentibus latronibus, uno scalam dextram, et altero sinistram, ministri qui Christum ligatum adhuc juxta crucem tenebant, Christum coram omni multitudine expoliaverunt, et denudatæ sunt carnes Salvatoris tui. Mater vero dolorosa aderat, nec carnem filii cooperire poterat, nec ipsi loqui, nec amplecti, nec cum osculari, sicut pia Mater, videns Filium mori, *facere debebat.* Pensate, fratres, quantus dolor fuit Matris, *cum ita vidit* Filium pertractari. Et capientes Christum Nazarenum, *medianı hanc* scalam sic denudatum ascendere fecerunt. *Latro*, qui a dextera parte stabat, accepit manum, quæ cœlum et terram formaverat, et extendens eam, clavum accipiens, *infixit eum*, ut credo, sicut moris erat, et multis ictibus manum Dei perforavit; quod et sic fecit postea et alius. *Tunc ministri*, fratres, scalam, in qua pedes Christi quiescebant, levaverunt (1), et sic corpus ponderosum pro nobis peccatoribus in cruce pendebat. Videntes autem Judæi quod *ad paratum locum* pedes (2) non veniebant, ligaverunt funibus *illos, et* corpus extendentes, fixerunt *eos clavis* ad terminum, quem voluerunt.

III. Tunc enim *dinumerata sunt* omnia ossa ejus[1]. Tunc etiam (3), ut arbitror, ait Christus *voce magna:* « Deus, » Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? Deus » meus, clamabo per diem, et non exaudies[2]. » Sed *quomodo fit ut* Filius Dei dicat se derelictum a Patre, qui est ei *unigenitus et* consubstantialis. Ideo, fratres, scire debetis, quod Deus antiquis *possessionem* temporalium tantum conferebat, copiam scilicet olei, vini et frumenti, et victoriam de inimicis; sed Deus in mundo veniens alia bona promittens, quæ genus humanum per culpam amiserat (4), ut ostenderet verbo et exemplo ista temporalia non esse bona, ideo voluit in mundo esse pauper, in tantum ut non habuerit ubi reclinaret caput[3]. Numquid non et fœminæ aquam petiit, ut biberet juxta puteum[4]? Bene ergo, fratres, derelictus videbatur a Deo, qui egere, et tribulari, et despici videbatur; ideo ait: « Deus meus, respice in me; » ideo robora me, ut non deficiant membra tua, scilicet Discipuli videntes in me hanc magnam tribulationem, in qua videor derelictus a Deo. « Quare me dereliquisti? » id est, derelictum me ostendisti? Alii nesciunt, sed ego agnovi; ideo necesse erat in vita et in morte mea ut a te (5) derelictum ostenderes. Verba ergo, Pater, derelictorum filiorum meorum clamant, ut interficiar: clamant, ut tanquam vermis conculcatus sim, et vilis reputatus; ideo « Non homo, sed abjectio plebis[5]. »

IV. Ideo scitote intelligentes, quod nunquam iste mundus liber extitisset, nisi Deus ut vermis et opprobrium hominum reputatus fuisset. « Deus meus, clamabo per diem et non » exaudies. » hoc modo est intelligendum. Duplex est enim voluntas, quarum una est naturalis, et altera spiritualis. Naturalis voluntas est diligere præsentem vitam, mortem abhorrere, prospera adamare, quæ tamen non est peccatum si voluntati spirituali consentiat. Voluntas vero spiritualis est amare cœlestia, adversitates non timere, nec etiam mortem. Utramque enim voluntatem Christus habere voluit, ut nos doceret, quomodo utraque habenda erat. Timuit enim ex natura carnis mori quando dixit: « Tristis » est anima mea usque ad mortem[6], » sed naturalem per spiritualem superavit, quia cum oraret pro prosperitate non est exaudita; cum autem pro (6) adversitate et redemptione (7) mundi exaudita est. Et hoc est: « Deus meus, clamabo per » diem, et non exaudies. » In prosperitate clamavit, quando satiavit quinque millia hominum de quinque panibus et duobus piscibus; propterea populus voluit eum constituere regem. Vellet hoc caro, sed voluntas spiritûs superavit, quia cum vidisset populi voluntatem, fugit ad montem; voluit itaque caro, et non est exaudita. Et iterum: « Cla» mabo per diem et non exaudies. » In nocte clamavit cum ait: » Pater, transeat a me calix iste[7], » scilicet passio ista; hoc oravit caro, et non est exaudita mortem timens et ab» horrens; sed spiritus oravit: « Non, Pater, sicut ego volo, » secundum carnem, « sed sicut tu[8] » et ego volumus secundum spiritum. Timere namque voluit caput, ne deficerent membra; timere voluit dominus, ne servi desperarent; timere voluit, ne Martyres deficerent, cum ex lege naturæ mortem timerent. Nisi primo caput Martyrum timuisset, forsitan membra dicerent et dixissent: Non sumus de capite, quia moriendo caput nostrum non timuit. Ideo timere voluit caput, ut securaret membra; timere voluit, ut eum hominem esse non dubites; timuit ergo, ut et membra doceret non esse peccatum mori timere.

V. Sic enim passus fuit Dominus, cujus passio figurata fuit et traditio in Joseph. Jacob enim habuit duodecim filios; super omnes tamen Joseph plus dilexit. Cum venisset Joseph in Dothaïm ad fratres suos, dixerunt fratres jam inflammati veneno invidiæ: « Ecce somniator venit, venite » et occidamus eum; incusaverat enim fratres suos apud » patrem peccato (8) pessimo[9]; » quia eos viderat agere non solum ad se invicem, sed etiam cum bestiis, quas pascebant. Tandem compellitur Joseph agere a fratribus, agere cum fratribus; sed omnino agens et patiens renuendo, consilio Judæ fratris sui venditur Ismaëliticis; accipientes tunicam sanguine cruentatam miserunt Jacob. Deprecabatur tamen Joseph fratres, ut non facerent hoc; tandem venditur et ducitur in Ægyptum. Hæc omnia, fratres, mystice de Christo dici possunt; nam quid per Jacob figuratur (9), nisi Deum Patrem, qui misit Filium suum Joseph, qui Salvator mundi interpretatur? Misit eum in Dothaïm, id est, in mundum, ad visitandum fratres suos Judæos, ut videret quid agerent ipsi et greges sibi commissi. Dothaïm enim interpretatur Defectus, ad quos conculcandos Joseph Salvator est missus a Deo Patre. Fratres enim Joseph erant in Dothaïm pascentes greges suos nequitiis et dolositate. Ideo ipsi Christum videntes et audientes, quæ in cœlesti curia audierat, somniatorem existimabant, quia cum inaudita eis Dominus prædicaret, quasi somnia reputabant. Manipulus Joseph, est fidelium congregatio, qui fideles, velut manipulus fructificans, adorabant (10) Joseph; sol, et luna, et stellæ Christum adorant et benedicunt. Venditur etiam Christus a Juda, quia venditur Joseph Ismaëlitis a Juda fratre suo; Ismaëlitæ Judæi interpretantur, et Judæi sanctæ Legis auditores fuerunt, sed non factores. Isti enim fuerunt Ismaëlitæ qui duxerunt Joseph in desertum, id est, in tenebras mortis Christum duxerunt. Et cum adamasset eum mulier, voluit eum tenere, sed fugit; ipsa enim mulier accusavit eum apud Pharaonem. Quæ namque, fratres, est hæc mulier quæ Joseph Christum tenere voluit, nisi Judæorum synagoga, quæ Christum allicere voluit, dum sibi similem in Legis intelligentia facere studuit? Adamasset Christum Judæorum synagoga, si Christus Legem litteraliter tenuisset. Sed ipse prædicans non littera, sed spiritu, fugit ab ea Christus, tanquam eam despiciens. Quapropter accusavit eum synagoga ad Dominum suum, scilicet Herodem et Pilatum, quasi cupientem Legem solvere; et damnatus est per eam suspendi cum duobus latronibus, quorum unus ait: « Memento mei, Domine, cum (11) veneris » in regnum tuum[10]. » Et ait Dominus ei: « Amen dico tibi: » Hodie mecum eris in Paradiso[11]. »

[1] Psal. xxi, 18. — [2] Ibid. 2, 3. — [3] Luc. ix, 58. — [4] Joan. iv, 7. — [5] Psal. xxi, 7. — [6] Matth. xxvi, 38. — [7] Ibid. 39. — [8] Ibid. — [9] Gen. xxxvii, 2-19. — [10] Luc. xxiii, 42. — [11] Ibid. 43.

(1) Cod. *elevaverunt.* — (2) Id. *pedum.* — (3) Id. *enim.* — (4) Id. *admiserat.* — (5) Id. *te* sine voce *a.* — (6) Id. *ita.* — (7) Id. *adversitatem et redemptionem.* — (8) Id. *pexime.* — (9) Deest *figuratur* in cod. — (10) Cod. *adornabat.* — (11) Id. *dum.*

VI. O Christi mansuetudo! o Dei benignitas! o vere inaudita dilectio! Moritur Christus, nec miserer obliviscitur Christus; pendet in cruce Christus, et oculum pietatis Latroni porrigit Christus; despicitur in cruce Christus, et tamen flectit ad Latronem caput; sitit in cruce Christus, et tamen Latroni loquitur Christus: Hodie eris in loco parata tibi rerum, quia ubi ego ero, ibi et tu eris; quia ubi ero in Paradiso, eris. Alter vero latro damnatus est. O quam dissimilia merita istorum latronum! Christus in medio duorum latronum pendet, et tamen eorum corda discernit, et aperte intuetur. Sed numquid « Personarum acceptor Dominus[1], » qui uni vitam et alteri mortem donat? Quid enim meruerat ille, cui vita æterna data est? Numquid pro Christo credidit? numquid eum excusavit? Absit; et tamen vita ipsi (1) datur. De latrone, Christi socius efficitur; de alieno, domesticus; de alienigena, civis Sanctorum et domesticus Dei[2]. Numquid tamen acceptor personarum Deus? absit. Quid ergo fecerat Latro? quid boni commiserat, propter quod vita æterna ipsi datur? O fratres, sæpe et frequenter diximus, quod nullum malum impunitum, et nullum bonum irremuneratum. Fecerat enim hic Latro vel parentes ejus bonum aliquod (2): licet ipse in gratia non fuerit, tamen illud bonum quod fecit (3), via fuit prævia ad merendam gratiam. Licet nobis occultum sit, Deo soli tantum notum est; ideo grave valde est secundum exteriora judicare. Pendet ergo Christus hodie in medio duorum latronum; quod judicium futurum significat, in quo per crucem quosdam damnaturus, quosdam salvaturus est. O quam diversæ viæ, fratres! Alius ascendit in cœlum, alius descendit ad infernum; pœna similis, sed dissimile præmium. Non ergo pœna, sed causa martyrem beatum facit. Aspicite, o vos peccatores, Latronem in cruce pendentem; capiatis ab eo exemplum qui in articulo mortis positus sit: « Memento mei, Domine, cum (4) veneris in regnum tuum[3]. » Et quia corde hoc primum dixit, et ore idem complevit, meruit audire per gratiam: « Hodie mecum eris in Paradiso. » Timete, o vos, pœnitentes, et considerate, ne desperetis. Aspicite Latronem, et eum imitemini, et (5) si non tempore juventutis, saltem tempore senectutis dicite: « Memento mei, Domine. »

VII. Hac autem hora, fratres charissimi, Adam exivit de Paradiso, in qua Latro intravit et stetit, quousque Dominus ascendit in cœlum. Solvitur autem postmodum Joseph a carcere, et efficitur dominus Ægypti; quod ad resurrectionem Domini pertinere videtur, qui post mortem Dominus factus est habens potestatem in cœlo et in terra solvendi atque aperiendi librum et solvere signacula[4]. Tunc dicitur Mariæ post resurrectionem Filii, sicut dictum fuit Jacob: « Filius tuus vivit, et ipse dominatur in universa terra Ægypti[5]. » Tunc oblita erit Maria amplius dicere: « Fera pessima (6) devoravit[6] » Filium meum. Tunc enim ipsi dicetur per Joannem vel Jacobum: « Aspice an (7) tunica filii tui sit[7]. »

VIII. Festinemus ergo, fratres, pœnitentiam agere, et a Domino veniam postulare, per quam David salvatur, per quam Maria liberatur, per quam Latro in Paradisum reelpitur. Non est, fratres, qui non peccet[8]; ideo omnes oratione et confessione indigemus. Hæc est ultima Christianorum medicina, confessio; hæc est turris fortitudinis Sion, « quo omnes oppressi sanantur et defensantur: hæc est medicina, ad quam vulnerati fugientes sanantur; per hanc Petrus apostolatum recuperavit. Hæc autem utilitas sola ex Dei bonitate est, quia « Suavis est, et misericordia ejus super omnia opera ejus[9]. » Non ergo est differenda confessio et pœnitentia, fratres, quia præsens vita nullis (8) promissa est. Clamat in cruce Dominus, brachiis extensis, capite inclinato, manibusque et pedibus perforatis: Confitemini, filii convertentes vos, et ego sanabo vos. Nam propter vos sic affixus sum cruci; inclino ad vos caput invitans vos ad pacem. Currite igitur, fratres, ad sacerdotes, et confitemini, et facite pacem cum Deo non cras, sed hodie, quoniam « Jam posita est securis ad radicem arboris[10], » ut feriat, nisi vos properetis emendare. Non desperet aliquis de tam (9) piissima misericordia; non est enim aliqua tam gravis culpa, quæ non habeat veniam. State ergo, fratres, in confessione, quia hinc dæmones, hinc caro, hinc mundus nos expugnant. Impii autem prospera diligunt, labores pœnitentiæ vitant, vitiis non resistunt. Tales Christum pacificum non videbunt. O miseri, divitiæ mundi vos excæcant. In hoc enim apparet, quod longe estis a Deo, quia plus divitias quam Deum amatis. Relinquetis (10) divitias vestras alienis, et sepulcra domus vestræ (11) erunt in æternum[11]. Thesaurizate vobis, o divites, thesauros virtutum in cœlo, facite cum Deo usuram, ut in æternum florentes, recipiatis fructum in tempore suo. Amen.

SERMO XLII.

De Passione Domini VI.

Educitur hic sermo, ut præcedentes ex Bibl. Ædil., cod. x, *fol.* 28 *b. Multa continet incerta et temerarie dicta, præsertim de Beata Virgine, quæ sancto Augustino minime conveniunt; aliunde idem est codex, de cujus auctoritate nulla haberi potest ratio. Plura tamen complectitur pie et sancte dicta, quæ non sine jucunditate et profectu possunt perlegi. Locus ejus post præcedentem cum numero de Passione Domini* XIII.

SYNOPSIS.

I. Gaudentibus Judæis in passione Christi, queritur a sanctis mulieribus mater Salvatoris. II. Mariæ dolor, quæ Pilati uxorem pro filio deprecatur. III. Maria dolendo non peccavit. IV. Maria Christo fit obvia. V. Matri et sanctis mulieribus loquitur Christus in via. VI. Crucifigitur in conspectu Matris, quam de cruce alloquitur. VII. Et dilectum Discipulum, cui pro matre Maria datur. VIII. Christo mortuo, plangit Maria, quæ domum reportatur.

I. Fratres, scilicet, ut arbitror, numquam Judæi in exitu Israel de Ægypto[12] tantum gavisi sunt, quantum in passione Domini gaudium fecerunt; quorum clamor gaudii et exultationis, non solum per civitatem Jerusalem audiebatur, sed, ut puto, etiam per alias Jerosolymorum regiones, maxime dum Christum Jerosolymam captum et ligatum de horto duxerunt; quorum clamores audientes sanctæ mulieres, quæ per gyrum Jerosolymæ civitatis habitabant, nobiles matronæ ad sciendum quidnam esset, dubitantes ne Magister jam captus esset, Jerosolymam festinantes miserunt dicentes: « Adjuro vos, o filiæ Jerusalem, ut nuntietis ubi jam sit dilectus, ubinam cubet, ubi quiescat, quem si nullatenus invenire poteritis, circuite vias Jerusalem, et invenietis[13] domum Lazari, Mariæ et Marthæ sororum ejus; ibidemque adhuc quiescit mater sponsi et dilecti nostri Salvatoris; more angelico ei dicite: Dic, o pulcherrima mulierum, quo abiit dilectus tuus? » Cumque sanctæ istæ matronæ (12) Jerosolymam intrassent, ad eas cucurrit Maria illa soror Lazari crinibus dissolutis, bre-

[1] Act. x, 34. — [2] Ephes. II, 19. — [3] Luc. XXIII, 42. — [4] Apoc. V, 2. — [5] Gen. XLV, 26. — [6] Id. XXXVII, 20. — [7] Ibid. 32. — [8] 3 Reg. VIII, 46. — [9] Psal. CXLIV, 9. — [10] Matth. III, 10. — [11] Psal. XLVIII, 12. — [12] Id. CXIII, 1. — [13] Cant. III, 2.

(1) Cod. *sibi*. — (2) Hæc verba Pelagianam doctrinam aperte sapiunt, et declinant a vera fide. — (3) Cod. *fuit*. — (4) Id. *dum*. — (5) Id. *ut*. — (6) Id. *pessima*. — (7) Id. *ut*. — (8) Id. *ullis*. — (9) Id. *tui*. — (10) M. *relinquitis*. — (11) Id. *eorum*. — (12) Id. *matronæ*.

chiisque et vocibus elevatis, dicens : « O vos omnes, qui « transitis per viam[1], » an ignoratis quis jam mortuus est Abimelech maritus Noëmi? Et sic dicendo ad Mariam matrem Salvatoris pervenerunt, inveneruntque eam juxta portam templi, expectantem si jam filium videre posset. Stabat ergo Maria multitudini (1) Judæorum sociata; aliqui deridentes, aliqui ipsi (2) compatientes.

II. Stabat ergo Maria brachiis elevatis, crinibus dissolutis, pectore dilaniata, facie jam *dolore denigrata* (3), faucibus jam irraucata, vestibus *dilacerata*, quam Matrem sic sanctæ matronæ aspicientes *lacrymabantur, tristes in* voces prorumpentes. Omissa enim salutatione, dixerunt: « O jam non pulcherrima mulierum, sed Noëmi *appellata*, quid ploras? Quo abiit dilectus tuus, quo abiit *princeps* Angelorum et Dominus? » Quibus Maria ait : « O sponsæ dilecti mei, vere non pulcherrimam mulierum amplius me vocate, quoniam omni turpitudine et obscuritate hodie vallata sum. O filiæ Jerusalem, aspicite et videte dolorem meum. » Aspice, o anima christiana, et statim videbis Salvatorem tuum, facie consputa et denigrata, barba pilata, spinis coronatum, cruce angariatum, veste fatuorum indutum. Aspicite, et mox videbitis Filium dolentis Mariæ exeuntem de templo sic ornatum, sic decoratum, ad domum Caiphæ (4) vel Pilati. Cumque Maria hæc loqueretur, ecce (5), ut arbitror, uxor Pilati, quæ primo ad eum miserat, ut Christum dimitteret, et videns quod verba sua Pilatus non curaverat, adhæsit ipsa, diabolo instigante, volens Christi mortem per fœminam impedire. Quam Maria aspiciens dicentem: « Multa passa sum ista nocte per visum[2], » eam amplectitur, reveretur eam, humiliter eam deprecatur, ut procuret cum viro suo quod Filius non occidatur (6).

III. Sed quis dicere posset : Numquid et Maria et Apostoli doluerunt de morte Christi? Omnino sic credimus; omnino sic et prædicamus. Doluit ergo Maria super omnes matres; doluerunt et Apostoli. Ploremus hodie et tristemur nos. Cum ergo dolor sit causa de nolentibus (7), ergo Maria, in qua peccatum non fuit, peccavit dolendo de morte Christi! ergo et nos peccamus plorando, tanquam de morte Christi dolentes! Sed dicat quis : Tenemur innocentem liberare a morte, vel dolere saltem si non possumus liberare, quia consentire malum volentibus (8), malum est. Sed qui consentiebat Judæis, consentiebat malo volentibus; ergo Christum dolere debemus. Scire tamen debemus, fratres, quod Maria et Sancti sciebant Deum velle pati, quia per Scripturam saltem hoc sciebant. Ideo Christo Petrus dicens : « Absit, Domine; non fiat istud[3], » volens ipse Christi passionem impedire, Satanas appellatus est[4]. Passionem tamen Christi considerare possumus, vel secundum se et absolute, in quantum est passio, vel in comparatione ad finem. Primo modo, fratres charissimi, habet rationem mali per comparationem ad nocumentum naturæ patientis; et sic noluit Maria, et sic noluerunt eam Sancti; sic nec et nos velle debemus. Ideo ploravit et doluit isto modo Maria, et Sancti, et nos. Per comparationem (9) ad finem Christi passio habet rationem boni, quia ad redemptionem mundi, quia ad gloriam. Sic voluit eam Maria, sic et Sancti, sic et fideles omnes. Et sic non (10) voluit Judæorum synagoga; sic nec diabolus, ne (11) per mortem ejus amitteret mortis imperium. Sic audistis, fratres, et quomodo pati Christum dolere, et quomodo gaudere debeamus. Sic etiam Angeli doluerunt et lætati sunt, quia licet ipsi impassibiles sint, non tamen incompassibiles. Redeuntes autem *revertamur* ad ea quæ supra diximus.

IV. Cum Maria mater Salvatoris uxorem Pilati sic alloqueretur, ecce (12) portæ templi apertæ sunt, et prospiciens Maria, quia præ multitudine appropinquare non posset, Filium suum vidit in medio Judæorum, cruce ponderosissima angariatum, spinis usque ad cerebrum coronatum, pilis barbæ privatum, genis et facie inflatum; eam talem alapam in domo Annæ receperat ab illo cui auriculam sanaverat (13), quod maxillæ dentium omnes movebantur. Et quid miraris ex hoc; quia caro Christi tenerrima, quam ille crudelis percusserat (14), quia manus fortis erat et forte ferrea chirotheca armata. Sic angariatur; sic livido et sanguineo colore ornatur; sic sputis inquinatur; sic veste alba desuper induitur, cujus per scissuras (15) brachia nuda et genua Salvatoris videbantur. Quem sic Mater doloris aspiciens, alte clamare non satiabatur, dicens : « O fili mi, Caiphas te percussit ut puerum, te ut latronem ligavit, te derisit ut fatuum, te velavit et conspuit ut leprosum. Annas te percussit alapa, et ecce nunc Pilatus te expoliavit, te verberavit et ad columnam ligavit in tantum quod undique video sanguinantem, quem tantum aspicio ego misera mater : et ecce modo te ad crucem cum latronibus video deputari. Heu, fili mi, a cunctis derelictus! » Tu vero anima christiana, « Respice in faciem Christi tui[5], » et considera qualis erat facies Christi tui ante passionem, et qualis hodie facta est, ut opposita juxta se posita magis elucescant. Lego enim ego, o bone Nazarene Jesu, ante passionem, faciem tuam splendere luminosam, amore desideratissimam. Numquid, o bone Jesu, non (16) in facie tua relucebat sapientia? numquid non splenduit facies tua super, sicut sol? numquid non propter claritatem vultûs tui ejecisti vendentes et ementes de templo? Aliquid enim igneum et sidereum divinitatis tuæ, in oculis tuis apparuit; propter quod nemo vendentium et ementium tibi resistere potuit[6]. Mensas pecuniæ evertisti, nec ausus fuit quisquam tibi resistere. Bone Jesu, sonare consueverat vox tua in auribus tuorum, et ecce hodie mutus factus es. Facies ergo tua plena gratiarum, hodie Judæorum sputis maculatur. Non amplius dicet tibi Mater tua : « Domine, ostende mihi « faciem tuam decoram[7], » et salvi erimus, quoniam multo opprobrio repleta est. Quidquid enim desideravi poteret, quidquid salutis vel gratiæ, in facie tua inveniebatur, o bone Domine, antequam anima tua esset tristis usque ad mortem[8], antequam tædere et pavere cœpisses[9]. Sed heu! Domine, quia pro nobis a crucifixoribus illa facies pulchra præ filiis hominum, velatur contra claritatem, inflatur contra speciositatem, conspuitur contra desiderabilitatem. O Judæe perfide, cur faciem Christi velas? An forte, ut non videas eam, an forte ut non videaris ab ea. Illa enim facies tantæ reverentiæ erat, quod nisi illam (17) velassent, nullatenus eam verberare vel conspuere potuissent.

V. Velaverunt ergo faciem ejus, percusseruntque ducentes eum festinanter ad crucem; et dum sic cruce angariaretur et duceretur, ut latro, audiens super omnes vocem Matris lamentantis, volens se Matri demonstrare, volens eam intueri et consolari, ut poterat, cum maxima difficultate *convertit* se ad Matrem cruce sic angariatus, et ait cæteris mulieribus : « Filiæ Jerusalem, nolite flere super « me[10]; » Matri vero quid aliud dicere poterat, nisi : « O Mater, jam non mater, aspice faciem Filii tui? Aspice si sum

[1] Thren. I, 12. — [2] Matth. XXVII, 19. — [3] Id. XVI, 22. — [4] Ibid. 23. — [5] Psal. LXXXIII, 10. — [6] Matth. XXI, 12, 13. — [7] Cant. II, 14. — [8] Matth. XXVI, 38. — [9] Marc. XIV, 33. — [10] Luc. XXIII, 28.

(1) Cod. *multitudine*. — (2) Id. *sibi*. — (3) Voces omnes, quæ italicis distinguuntur, opinando restituimus, utpote quæ diuturnitate temporis fuerint consumptæ. — (4) Cod. *templi*. — (5) Id. *et ecce*. — (6) Hæc irreverenter de Maria dicta sunt, quæ juxta sanctum Bernardum et alios doctores in morte Christi consensit, et de ea dici potest : *Sic Maria dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret*. Idem dicendum et de pluribus sequentibus. — (7) Sic cod. dictione multum incorrecta, qua auctor videtur intendere, quod *dolor sit ex eo quod rem noluerimus esse, de qua dolemus*. — (8) Cod. male hic iterat *malum*. — (9) Id. male *compassionem*. — (10) Deest *non* male in cod. — (11) Cod. male *nec*. — (12) Id. *et ecce*. — (13) Hæc videntur inter fabulas amandanda, aut saltem inter incertas historias. — (14) Cod. *percutiens*. — (15) Has voces addidimus *per scissuras* ad complendum sensum. — (16) Deest *non* in cod. post *numquid*, et sic semper. — (17) Cod. *ubi etiam*.

illo, quem in ventre portasti; aspico si sum primogenitus tuus, quem in præsepio reclinasti; aspico, o Mater, jam non mater, indutum me non tua tunica, quam in pueritia mihi texuisti; sed super illa indutus sum veste, quam synagoga mihi præparavit. »

VI. Et sic ductus est Christus ad locum passionis, et in præsentia Matris, ut latro, expoliatur, nec Mater valet Filium cooperire; manibus ligno affigitur, nec valet Matris auxilium postulare; corpus in cruce pendet, nec valet mater substentare; corpus in cruce per pedes trahitur, nec valet pia Mater Judæos, ut Filio parcant, deprecari. Sic enim crucifigitur Jesus, sic suspenditur ille, qui peccatum non fecit; et dum sic in cruce penderet, aperiens oculos, prout poterat, recognovit inter omnes piam Matrem condolentem; et si non dixit, tamen hæc verba dicere poterat: « O fœmina, testamentum meum feci; Petro apostolatûs curam, Apostolis pacem, Mariæ peccata dimisi, Judæis corpus, Discipulo damnationem, Deo Patri spiritum, dæmonibus ligationem; tibi vero fidem meam, ut columna sis in templo meo, quæ certior cunctis creaturis me Deum esse novisti. Tu vero fidelius(1) credidisti, tu ferventius dilexisti, tu adhæsisti constantius, tu doluisti intensius; tu ergo scis arcana secretorum Dei, tu sola turris fortitudinis[1] et clypeus fidei meæ, licet nepotem (2) tuum Joannem juxta stare videam. Ideo rogo te, o fœmina, ut ipsum in filium recipias. « O mulier, ecce Filius tuus[2]. » Nec tu turberis, si te matrem non voco, quoniam non dicitur mater, nisi sit alicujus mater. Cum jam mori me (3) videas, appellare te matrem non audeo, quoniam cito me es amissura. Non etiam matrem te voco, ne dolorem super dolorem tibi addam. Non voco te matrem, quia materna opera in Filium non amplius vales exercere; nam mater dum videt filium expoliari, consuevit induere; dum videt filium vulnerari, consuevit vulnera fasciare; dum audit filium incusari, solet mater excusare. Hæc autem omnia mihi Filio facere non vales. Me denique vidisti conspui, et faciem meam non potuisti lavare; me vidisti vulnerari (4), nec potuisti fasciare; me vidisti cruce angariatum, nec potuisti me juvare; me vidisti sitibundum, nec potuisti mihi porrigere potum; me vides capite inclinatum, nec vales ipsum sustentare; me jam mori vides, nec potes me tangere vel osculari. Non ergo turberis, si fœmina appellaris. « Stabat ergo Maria juxta » crucem Filii[3], » stabat et aspiciebat Filium jam migrare; stabat Maria immobilis perseverans; stabat et expectabat Filium, si Filius diceret: « Mulier, veni ad crucem, ut sicut viximus una vita, una tranquillitate, ita una morte moriamur. » Stabat igitur Maria, non amplius pulcherrima mulierum, juxta crucem Jesu, ut si Angelus, vel aliquis *propheta diceret*: « Filius tuus non sufficit ad salutem humani generis, *nisi et tu ascendas* super crucem, ut moriaris ibidem. Stabat ergo *ut et ipsa* crucem ascenderet, si necesse fuisset: stabat *immota mater* et Filium deprecabatur: « O Fili, agnosce me miseram matrem, voca me ad te, ut saltem valeat mater Filium *osculari moriendo*. O bone Jesu, o Nazarene Jesu, cur non permittis matrem tuam simul tecum crucifigi? Cur permittis matrem tuam vivere post mortem Filii? Jube, Domine, ut in te requiescat mater; jube ut tollatur mater, et ut requiescat cum Filio. Noli ergo parcere matri. »

VII. Deinde ait Discipulo: « Ecce mater tua[4]. » O sancte Joannes, aspice quid recipis, considera quid tollis, animadverte quid amplecteris. Nam si aspicis quod recipis, quid aliud invenies recepisse quam Matrem Dei, qua nihil charius, qua nihil dulcius, qua nihil sanctius inveniri potest? Recipe ergo Matrem Dei, ut vere sis filius Dei. Considera, o sancte Joannes, quid tollis (5), de qua coram geris, pro quo ipsi (6) daris. O sancte Joannes, animadverte, et cum tremore Mariam amplecti festina, reginam Paradisi, scalam virtutum, Angelorum dominam, fidei fundamentum. Quid recipis, o sancte Joannes? Quod donum, quod sacramentum, quod mysterium mirabile! Petro datur Ecclesia, tibi vero mater Ecclesiæ; illi datur labor, tibi requies: illi conceditur peccatorum remissio, tibi vero ignara omni peccato. O sancte Joannes, amplectere Matrem Dei omni reverentia, omni sanctitate, omni claritate plenam (7); et pro quo Mariæ datus sis aspice. Nam traditur Mariæ pro Jesu Joannes, servus pro domino, discipulus pro magistro, homo pro Deo, filius Zebedæi pro Filio Dei (8), piscator pro rege, creatura pro Creatore.

VIII. Post hæc autem Jesus, emissa voce et inclinato capite, circa horam nonam (9) emisit spiritum[5]. Et dum Mater vidit Filium exaltari (10) a terra, et ipsa cecidit in terram velut mortua (11); et cum excitata quasi a morte fuisset, Judæos alloquitur, dicens: « Obsecro vos, o Judæi, ut amodo Matri Christi non parcatis; suspendite me cum prole; non pepercistis Filio, non parcatis et matri. » Dum Maria hæc loqueretur, ecce (12) Joseph ab Arimathea civitate cum Nicodemo viro sapientissimo, et pluribus aliis Discipulis plorantibus, ad deponendum corpus Jesu venerunt. Quo deposito, Mater irruit super eum in tantum ut fere potuerunt eum sepelire. Tandem sepulto (13) Domino, inter brachia Discipulorum Maria portatur, et dum sic deportaretur voce rauca loquebatur, dicens: « O filiæ Jerusalem, aspicite me privatam sponso, desolatam patre, orbatam Filio; flete igitur mecum, flete cum Maria desolata et privata omni gaudio. » Et omnes qui Mariam videbant, tam fideles, quam infideles, cum Maria lacrymas continere non poterant. Sic denique domum Lazari (14) vel Joannis intravit, et ibidem cum dolore remansit quousque ipsi (15), ut arbitror, primo resuscitatus apparuit, ut firmiter credo, et nullatenus dubito (16), volens per omnia Legem adimplere dicentem: « Honora patrem tuum et matrem tuam[6]. » Quo modo autem ipsi apparuit, et quando ipsi apparere voluit, credo, donec donet nobis Dominus gratiam, ut in die resurrectionis explicare et audire mereamur. Amen.

SERMO XLIII.

De Passione Domini VII.

Hic sermo eductus ex eodem cod. x, *Bibl. Ædil., fol.* 24, *non est sancti Augustini, sed sancti Chrysostomi, partimque reperitur in serm.* CLV *appendicis. Cum autem in pluribus differat sive ab eo qui legitur in appendice, sive ab eo qui habetur in editionibus sancti Chrysostomi, et esse videatur antiqua versio, operæpretium est illam conservare. Unde sit post præcedentem cum numero de Passione Domini* XIV.

SYNOPSIS.

I. Lætitiæ causa in Christi passione. II. Christi Dei et hominis sacrificium. III. Ejusdem effectus.

I. Hodierna die, fratres charissimi, Dominus noster pependit in cruce: et nos festivitatis eximiæ lætitiam celebremus, ut discamus crucem Domini et spiritualis congratulationis esse substantiam. Etenim ante Domini passionem vocabulum crucis pœnam significabat, sed nunc ad gloriam

[1] Psal. LX, 4. — [2] Joan. XIX, 26. — [3] Ibid. 25. — [4] Joan. XIX, 27. — [5] Matth. XXVII, 46 et seqq. — [6] Exod. XX, 12.

(1) Cod. *fidelis*. — (2) Quid significet *nepotem* non satis patet. — (3) Cod. male *non*. — (4) Id. *vulnerare*. — (5) Deest *tollis* in cod.; et deinde habet *de quo*. — (6) Cod. *sibi*, et sic deinceps, ubi de Petro. — (7) Id. *plena*. — (8) Vide S. Bernard. de 12 Prær. B. M. n. 15. — (9) Cod. *nonæ*. — (10) Cod. *exaltare*. — (11) Hoc contrarium est Evangelio dicenti: *stabat*; cætera quoque repugnant sanctæ Matris fortitudini. — (12) Id. *et ecce*. — (13) Id. *insepulto*. — (14) Hæc dubitatio contradicit Evangelio, ubi dicitur *et ex illa hora accepit eam Discipulus in sua*. — (15) Cod. *sibi*, et sic deinceps. — (16) Credit hoc auctor, de quo valde dubitandum ex Evangelio dicente: *Apparuit primo Mariæ Magdalenæ*.

nuncupamus. Ante condemnationis (1) ferebat horrorem; sed nunc indicium et principium salutis est. O crux, totius beatitudinis causa! Hæc est quæ nos a cæcitate liberavit erroris; hæc est quæ nos de tenebris dedit luci; hæc est quæ debellatos nos quieti sociavit; hæc est, quæ alienatos Deo conjunxit et longe constitutos proximos præsentavit; hæc peregrinantes, cives ostendit; hæc est discordiæ amputatio, hæc est pacis firmamentum, hæc est bonorum omnium abunda largitio. O crux, orbis terræ cautela, templorum destructio, idolorum subversio, perditio impiorum, scandalum Judæorum, invalidorum virtus, ægrotantium medicus, curatio leprosorum, paralyticorum requies, esurientium panis, sitientium fons, invidorum protectio, eremitarum gloria et cunctorum fidelium lætitia. Per hanc demonstrantur Angeli, per hanc regalis aula intrare compellimur, per hanc diaboli sagittas despicimus, per hanc flammas ejus extinguimus, per hanc fortificamur in cunctis. « Induamur ergo arma lucis[1], » quia sponsus expectatus advenit. Lupum jam non possumus formidare, quia bono ac diligenti muniti hodie sumus pastore. Nolite, o peccatores, jam timere, sed magnoti Regis stigmatibus adhærere. Aspicite ergo, ut vexillum, crucem pro nobis hodie in monte explicatum, in quo salus nostra pependit, in quo resurrectio nostra refulget, in quo vita nostra consistit. Denique ibi (2) peccatorum nostrorum immolatio et amputatio, ibi Domini reconciliatio, ibi remissio peccatorum, ibi festivitas et gratulatio bonorum.

II. Immolatur ergo hodie ille sacerdos magnus, immolatur in celsa cruce, in altari noviter constituto (3), quia sacrificium novum et inopinatum; nam et ipse et sacrificium fuerat et sacerdos; sacrificium secundum carnem et Sacerdos secundum spiritum sanctitatis. Idem ipse offerebat et offerebatur: offerebat secundum spiritum, et offerebatur (4) secundum carnem. Unde necesse erat quod ipse haberet aliquod, quod offerret, sacramentum. Ecce se hodie offert, quia et ipse oblatus multorum abstulit peccata[2]: ecce hic oblatus, ibi se obtulit: ecce quomodo fuit Sacerdos, ut Deus: ecce quomodo fuit sacrificium, ut homo. Nam nisi homo fuisset, immolari non potuisset; necesse etenim fuit ut homo esset et Deus; ut hoc sacrificium non solum diabolo, sed etiam homini occultum esset, et revelatum, cum placuisset. Nam necesse erat Christum pati; expediebat enim quod occideretur. Et licet Judæi Messiam expectarent, et videntes signa quæ Christus in populis faciebat, judicarent (5) ipsum esse Prophetam, et super omnes, virtutes operaretur; videntes tamen (6) quod cum Publicanis et peccatoribus manducaret et biberet[3]: « Numquid et ipse Messias est ille, quem expectamus, dicebant? Numquid et ipse patrem et matrem in terris habebit? Adest istius pater Joseph; ecce stat Maria ejus mater[4]. Scimus enim unde est, et ubi natus est, et tamen Filium Dei se esse facit; « Venite, occidamus eum[5], et videamus utrum Deus sit. » Et ecce his eum occidentibus (7) terra per totum mundum mota est, petræ ubique scissæ sunt, sol per totum mundum obscuratus est, sepulcra ubique aperta sunt[6], et tamen Judæi lapidibus duriores non crediderunt ipsum esse Deum; quem si Deum credidissent, minime eum crucifixissent[7]; per ignorantiam illum crucifixerunt, ut ait Apostolus. Non tamen in templo Salvator crucifixus est, non in Sancta sanctorum immolatus est, non in templo oblatus est, sed foras civitatem, et inter iniquos reputaretur, ut adimpleret omnia. Extra enim voluit mori (8), et a cunctis voluit videri, sicut pro cunctis dignabatur occidi: in excelso enim monte, in ligno altissimo voluit immolari, ne post resurrectionem dicerent: « Ipsi (9) mortem pepercimus, fiximus ipsi manus et pedes; ipsi postmodum compatientes et Matri, mortem pepercimus, mox eum deponentes de ligno. » Non etiam sub tecto immolari voluit Salvator, ut aëris naturam mundaret, et terram etiam sanaret suo sanguine irrigatam. Non ergo tantum hominibus Christi passio profuit, sed et elementa purificavit patenter; et sic (10), Christo adveniente, omnia purgantur, omnia loca orationis et sacrificii deputantur. « Volo, inquit Apostolus, orare » viros in omni loco levantes manus suas[8]. » Ecce totus mundus hodie purgatus est, elementa purgata sunt, et omnis terra Sanctorum terra (11) sanctior est. Nam ibi pecus irrationale immolatum est, et tanto majus est sacrificium, quanto major (12) sanctitas de sacramento profertur. Hac de causa, nostra lætitia crux est.

III. O quantum nobis crux profuit! Paradisum annis quinque millibus et amplius clausum fuerat, sed hodie Latroni promittitur. Hac enim die, hac hora Christus introduxit Latronem in Paradisum, qua Adam de Paradiso expulsus fuit, et ejus amœnitates Latroni ostendit, et in eisdem eum collocavit usque ad diem sanctæ Ascensionis. Hodie denique, fratres, duo beneficia videmus nobis esse concessa, unum quod Paradisus patefactus (13) est, aliud quod non tantum justis, sed latronibus promittitur. Hodie itaque, fratres, patria redditur; hodie nobis civitas cœlestis ostenditur; hodie paterna domus volentibus redonatur; hodie namque ait Agnus ille in cruce pendens: « Hodie » mecum eris in Paradiso[9]; » quia, expoliato inferno, Patres sanctos in Paradiso cum Latrone collocavit, et ibidem Salvator humani generis cunctis se patefecit. Bene ergo ait Salvator: « Hodie mecum eris in Paradiso. » O serene, o Nazarene Jesu, clavis affixus es, blasphemaris, sitis, deluderis, exprobraris; et tamen cunctarum pœnarum oblitus ais (14): « Hodie mecum eris in Paradiso. » Non enim hodie mortuos reddidit luci, nec maris fluctus compescuit (15), nec minatus est dæmonia, sed in cruce suspensus, clavis affixus, omnibus vallatus injuriis, totus delusus, totus vulneratus, et tamen ait Salvator: « Hodie mecum eris in Paradiso. » Hodie namque Matri fidem reliquit, Apostolis pacem, Mariæ peccatorum remissionem, Judæis corpus, terræ novitatem motûs, soli eclipsationem, mortuis resurrectionem, peccatoribus remissionem, cæteris Discipulis carnis resurrectionem, aëri obscuritatem, aquæ amaritudinem, igni reflexionem. Hæc omnia Salvator Jesus omnibus creaturis suis in sua passione donavit et tribuit; ut omnis creatura suum agnoscat Creatorem tam crudeliter pati. Omnis enim creatura mœrorem in Creatoris passione ostendit; omnis lamentum assumpsit; sed in resurrectione omnis creatura exultationem accepit, sed super omnes ille cui dictum fuerat: « Mecum hodie eris in Paradiso. » Amen.

[1] Rom. XIII, 12. — [2] Hebr. IX, 28. — [3] Marc. II, 16. — [4] Luc. IV, 22. — [5] Matth. XXI, 38. — [6] Id. XXVII, 51, et Luc. XXIII, 45. — [7] 1 Cor. II, 8.
[8] 1 Tim. II, 8. — [9] Luc. XXIII, 43.

(1) Cod. *condemnationem*. — (2) Deest *ibi* in cod. — (3) Cod. *in altare noviter constitutum*. — (4) Id. *offerebat*. — (5) Cod. *judicabant*; et deinde *operabatur*. — (6) Id. *sed videntes*. — (7) Id. *ecce occidentes*. — (8) Deest *mori* in cod. — (9) Id. *diceret sibi*; et sic deinde iteratur *sibi*. — (10) Id. *si*. — (11) Deest *terra* in cod. — (12) Deest *major* in cod. — (13) Cod. *Paradisum patefactum*. — (14) Cod. *ait*. — (15) Deest *compescuit* in cod., ubi solum legitur *nec mare fluctus*.

SERMO XLIV.

De Passione Domini VIII.

Hic sermo, qui legitur, ut præcedentes, Bibl. Ædil., cod. x, *fol.* 25, *partim educitur ex sermone sancti Chrysostomi* de Zelo et Pietate, *partim de illo stampato inter Augustinianos supra*, *Serm.* de secunda Feria Paschæ. *Hinc locus ejus post præcedentem cum numero de Passione Domini* xv.

SYNOPSIS.

I. Laus crucis, qua erecta, fiunt tenebræ. II. Latronis et Adæ comparatio. III. Duo Latrones Paganos et Judæos repræsentabant. IV. Latro primus habuit promissionem Paradisi. V. Cur tali gloria donatus est. VI. Conclusio.

I. Hodie, fratres charissimi, crux Christi in terra fixa est et sæculum sanctificatum est; hodie crux fixa est, et infernus apertus est; hodie crux fixa est, et dæmones dispersi sunt; hodie crux fixa est, et mors subversa est; hodie crux fixa est, et mors victa est; hodie diabolus victus est, et homo salutus est; hodie homo sanctificatus est, quia est Deus homo crucifixus; hodie Judæi audacia grandi Deum occidunt, in cujus occisione petræ scissæ sunt; hodie amabilis pietas Dei universum concussit orbem; decebat enim cum pietate carnem (1) conjungi, sicut David dicebat: « Dirupti sunt, nec sunt compuncti[1]. » Hodie namque non solum apud Judæos ab hora sexta usque ad horam nonam sol obscuratus est; terra ubique mota est, velum templi scissum est, et omnis terra tremuit, quia non poterat ferre creatura sui Creatoris injuriam. Sol retraxit radios suos, ne videret Judæorum scelera; non quod injuria Deitatem tangeret, sed quia quæ audaci superbia fiebant, in contumeliam ejus computabantur. Hodie per totum mundum tenebræ factæ sunt, sed hodie apud nos tenebræ in diem conversæ sunt (2). Etenim hoc pietati proprium est ut in tenebris fulgeat: impietas autem, etsi in lumine fuerit, tenebrescit. Fidelibus nox in diem mutata est, infidelibus autem et lux obtenebrescit, quia palpabunt sicut cæci ad parietem, et ambulabunt in meridie, sicut in medio noctis[2].

II. Hodie, denique, fratres, Adam ejectus est de paradiso, sed hodie Latro paradisum ingreditur (3); exivit fur, intravit fur; exivit prævaricator, et intravit Latro; exivit contemptor verbi, et introivit confitens verbum; exivit contemnens salutem, et intravit de cruce mercans salutem; exivit superbus, et intravit humilis; exivit malus, et intravit bonus; exivit ignarus, et intravit doctus (4). Ille latro furatus est de ligno damnationem; et iste Latro furatus est de ligno crucis salutem; ille furatur de ligno spinas et tribulos, et iste pacem et unitatem; ille furatur dolorem mortis, et iste furatur sempiternam vitam; ille socius efficitur dæmoniorum, et iste socius efficitur Angelorum; ille in ligno furatur panem dolorum, et iste in ligno furatur panem Angelorum; iste Latro mercator de ligno salutem et furatur cœleste habitaculum. « Regnum enim cœlorum » vim patitur, et violenti diripiunt illud[3]. »

III. In cruce enim duo latrones erant, pari pœna puniebantur, et tamen unus malus, alius bonus efficitur. Non ergo pœna, sed causa Martyrem facit beatum. In cruce imago Judæorum et Gentilium. Latro enim qui pœnitet, imaginem Paganorum gerit, qui prius in errore ambulantes, videntes signa in cœlo et in terra, dicebant: « Vere » Filius Dei erat iste[4]; » et pectora percutientes, dicebant cum Latrone: « Memento mei, Domine, cum (5) veneris » in regnum tuum[5]. » Imaginem vero Judæorum ille latro gerit, qui usque ad finem perseverat latro impœnitens. Primo ostenditur via salutis, et secundo perditionis. In cruce denique Latro didicit veram (6) differentiam viarum; propter unum peccatum damnatur Adam, et propter unam fidei vocem salvatur Latro; unum peccatum ejecit illum, et una voce salvatur iste.

IV. O admiranda rerum materies (7)! nec Abrahæ per vocem data est promissio Paradisi, sed per fidem hæreditavit. Sed ante Latronem nemo Paradisi hæreditatem accepit. Perscrutemur ergo, fratres, Novum ac Vetus Testamentum, nullum invenire poterimus ante Latronem Paradisi repromissionem meruisse. Nam vocavit Deus Abraham dicens: « Exi de terra tua et de cognatione tua[6]; » et non dixit hæreditatem Paradisi, sed « Veni in terram quam » monstrabo tibi[7]. » Moyses quidem Legem Domini accepit et per repromissionem observantiæ Legis, audivit: « Bona » terræ comedetis[8]. » Non etiam Isaias, non Jacob audivit velut Latro: « Mecum eris in paradiso. »

V. Sed necesse est quærere cur huic ante alios Paradisi hæreditas promittitur, cujus causam assignare præsumo. Nam « Abraham credidit Deo[9], » et credidit illi de cœlo loquenti, et per Angelos sermones proferenti, sed non sic vidit Latro. Credidit et Isaias, sed in gloria consistenti, quia vidit eum sedentem super thronum excelsum[10]; sed non sic Latro. Credidit Ezechiel, sed Deum super Cherubim contemplatus est[11]. Crediderunt et omnes sancti Prophetæ, qui et plurimum tanquam Deum gloriosum intuebantur, sicut possibile hominibus Deum videre erat. Credidit et Moyses, sed de medio ignis gloriosa sibi loquenti. Sed iste Latro quomodo eum videbat? Non super thronum regale, nec sedentem super Cherubim, non loquentem de cœlo, non Angelis sociatum; sed cum latronibus in cruce pendentem, manibus ac pedibus perforatum, latere apertum, spinis coronatum. Sic ergo nudatum, sic honoratum, sic decoratum, sic despectum, sic dilaceratum, sic tormentatum, tanquam Deum adorat, dicens: « Memento mei, Domine, cum veneris in » regnum tuum. » O magna fides! o admiranda constantia! o magnifica Dei gratia! Videt in cruce Latro Salvatorem hominem, et rogat quasi in cœlis sedentem; videt condemnatum, agnoscit (8) in cunctis beatum; videt crucifixum, et tanquam Deo (9) deorum clamare non cessat: « Memento mei, Domine, cum (10) veneris in regnum » tuum. » O Latro, jam non latro, in ligno pendere cernis, et cœlorum regna meditaris. O admiranda Latronis conversio! Numquid Scripturas legerat? numquid prophetias intellexerat? numquid doctus ante fuerat, quod hic esset Filius Dei? unde eruditus es (11), Latro? quis te in sylva talia docuit? quis te sic cito illuminavit? Quis tibi os et cor tam bene aperuit? quis te docuit talia de Christo fari? Judæi crucifixerunt, qui leges per Prophetas perlegerunt, et tu harum ignarus Deum vocas; condemnatum et crucifixum adoras. Quis te erudivit, o Latro? Dic, dic. « Non me Lex, sed Legis Doctor et Factor. Vidi enim crucifixi potentiam, non humanam, sed potius divinam, quia in cunctis « Non aperuit os suum[12]. » Vidi terræ motum et sensi, et elementa mutata intellexi. Petræ quidem scindebantur, sed Judæorum corda non mutabantur. Terra igitur mota est, sol fugit, petræ scissæ sunt, mortuorum corpora apparuerunt (12) super terram viventia, sed super omnia, quod me moveat, est ejus patientia, quia alta voce clamare non desistit: « Pater, ignosce illis[13]. » Hoc video,

[1] Psal. xxxiv, 16. — [2] Job. v, 14. — [3] Matth. xi, 12. — [4] Id. xxvii, 54. — [5] Luc. xxiii, 42. — [6] Gen. xii, 1. — [7] Gen. xii, 1. — [8] Levit. xxvi, 6. — [9] Gen. xv, 6. — [10] Isa. vi, 1. — [11] Ezech. x, 4. — [12] Isai. liii, 7. — [13] Luc. xxiii, 34.

(1) Cod. *quod pietate carne*. — (2) Id. *tenebra in diem conversa est*. — (3) Vide supra inter Augustinianos Serm. de feria secunda Paschæ, ubi eadem fere leguntur. — (4) Deest *doctus* in cod. — (5) Cod. *dum*. — (6) Id. *viam*. — (7) Hæc quasi ad verbum leguntur in Sermon. supra citato, nempe *Serm. de secunda feria Paschæ*. — (8) Cod. *quasi*. — (9) Id. *Deum*. — (10) Id. *dum*. — (11) Id. *est*. — (12) Id. *apparent*.

Hoc audio; et quid aliud dicere possum, nisi : « Memento » mei, Domine, cum veneris in regnum tuum[1]? » Et ait Salvator serena facie : « Amen dico tibi : Hodie mecum eris » in paradiso[1]. »

VI. Non ergo timere debemus, fratres, ut si non in sanitate, saltem in ultima infirmitate ad Deum redire festinanter debeamus (1). Ecce enim Latro clamat in morte, et vita ipsi (2) donatur. Amen.

SERMO XLV.

De Passione Domini IX.

Imitatio est quædam, vel libera versio duarum homiliarum sancti Chrysostomi de Proditione Judæ. *Cum vero in quibusdam duæ illæ homiliæ, licet easdem fere sententias complectantur, inter se differant, non inutile erit legere antiquam versionem, quæ et ab iis duabus iterum differt, et quoad ordinem rerum, et quoad ultimam partem, quæ omnino dissimilis est. Legitur in Bibl. Ædil., cod. x, fol. 26 b. Locus ejus post præcedentem cum numero de Passione Domini* XVI.

SYNOPSIS.

I. Lugendus non traditus, sed traditor, quem luget Christus. II. Inimicis, exemplo Christi, parcendum. III. Maria Magdalene redit ad virtutem, dum pergit Judas ad crimen. IV. Crimen Judæ voluntarium et pessimum. V. Nec desperandum, nec præsumendum. VI. Cupiditatis funesti effectus. VII. Christus non invitos peccatores retrahit a vitio. VIII. Christo nullum domicilium. IX. Christus osculo traditur. X. Exhortatio ad fiduciam.

I. Hodie, dilectissimi fratres, Dominus a Judæis captus est, et a discipulo traditus est; nam proximante vespera Judæi eum acceperunt. Sed non te contristet (3) verbum traditionis. Nec (4) cum perceperis, quod Dominus traditus est, dolore moveris, quia necesse erat Christum pati. Imo ut doleas suadeo et prædico, ut ut lacrymæ ab oculis non deficiant exhortor. Non tamen traditum lugeas nec fleas, sed factum proditoris ingemiscere non cesses, et futura ejus lamentari (5) supplicia non desistas. Ait enim Salvator plorans discipuli perditionem : « Tristis est anima » mea usque ad mortem[2]. » Nam proditus Christus orbem liberavit universum, at tamen gehennam ille meruit possidere. Traditus in cœlo sedet in dextera Patris, sed traditor apud inferos collocatur. Ideo Dominus ejusdem discipuli perditionem ingemuit, quia, cum vidisset eum, turbatus est, et ait cupiens corrigere eum : « Unus vestrûm » me tradet[3]. » O quanta Domini misericordia! nam discipulo multa mala pepercerat (6); nam latro semper fuerat (7), patrem occiderat, matrem violaverat, homicidia et proditiones multorum commiserat, ut ait sanctus martyr Cyprianus, et tamen non tantum Dominus discipulo parcit, sed pro eo adhuc dolet, adhuc proditus pro proditore turbatur, adhuc minis et blanditiis eum revocare conatur, dicens : « Unus ex vobis me tradet. » Simul enim et suæ misericordiæ potestatem ostendit, et nos docet (8) non eos qui mala patiuntur, sed eos qui mala committunt, debere miseros et dignos fletu existimari (9). Hoc enim pejus est; imo (10) illud penitus malum non est; nam malum pati, malum non est; sed malum facere, malum est. Ideo malorum sustentatio cœlorum regna nobis pollicetur, malorum vero commissio gehennam minatur et tormenta promittit. « Beati, » inquit (11), qui persecutionem patiuntur propter justi- » tiam[4]. » Videte ergo, fratres, quod regnum cœlorum recipiunt, qui persecutionem patiuntur, et accipiunt illud.

II. Attendite igitur, fratres, quod, ut vobis diximus, omnis Christi actio, nostra est instructio. Nam solo verbo poterat se juvare. Numquid et ipsi Judæi non (12) ceciderunt retrorsum? Noluit enim se juvare, nos docens per hoc ut nos circa adversarios nostros iracundiam temperemus (13), et eorum mala doleamus ut propria. Illi enim vere mala patiuntur, qui nobis in mente insidiantur adversa; sed pro illis divinam clementiam exorare debemus, ut simus filii patris Jesu Christi. Assidua enim persuasione verba mea, quæso, cordibus vestris inhæreant (14), ut continuatione sermonis, in pectoribus vestris ira sublata, furor benignitatis (15) remedio temperetur. Nam Christus non tantum inimicis nostris consuluit, sed et nobis voluit esse consultum, cum jussit ut (16) adversariis nostris peccata laxemus. Audi Heli dicentem ad filios suos : « Si peccaverit homo in » hominem, orabunt ad Dominum; si vero (17) ad Deum » peccaverit, quis orabit pro eo[5]? » Dimittite, fratres, centum denarios in præsenti, ut in futuro decem millia talenta vobis dimittantur.

III. Sed nunc, fratres, si placet, ad passionem Christi redeamus. Nam cum Dominus in domo Simonis recumberet, qui annis triginta tribus leprosus fuerat, accessit illa meretrix Maria, soror Lazari, quæ licet ditissima esset, erat tamen in civitate peccatrix, in tantum quod publice prostituta, vili contenta nobilium pretio, mollia sui corporis peteretur (18). Ditissima quippe erat, sed minime satiata; prodiga erat, quia si recipiebat, longe plus retribuebat. Accessit ergo hæc meretrix, alabastrum (19) in manibus portans, et caput, postquam ad pedes fleverat, optime unxit. Non hoc semel fecisse credendum est, sed et sæpe. Grandem fidem, multam reverentiam, et mirandam correptionem Maria ostendit. Paulo ante meretrix fuerat, et subito pudica processit, et curva, verecundia plena, domum convivantium intrans, ad portum serenitatis pervenit, ad pedes retro se prostravit, capitis pedes extergere cœpit (20), et sic Magistrum pascebat, sic eum consolabatur. Dum enim hæc mulier lupanar exivit, tunc discipulus infernum intravit. Dum enim meretrix mercedem corporis capiebat, tunc discipulus pretium sanguinis jam expectabat; dum illa pedes osculabatur, ut veniam reciperet, tunc discipulus osculabatur, ut proderet. Ideo dixi, « Tunc, » ut non Magistrum infirmitatis accuses, quando discipulum reperis proditorem. Magister enim virtutem doctoris ostendit, qui etiam (21) meretrices ad obediendum suo magisterio convolare profecit. Meretricis enim morem voluit mutare, sed discipulum non potuit retinere, quia voluntas creata in nulla sui actione potest moveri ab aliquo, nec a Deo (22), stante libero arbitrio. Non enim potuit discipulum liberare, quia discipulus noluit; voluit meretricem liberare, quia ipsa se sponte obtulit et voluit.

IV. Abiit ergo latro ille videns unguenti perditionem. Non invitatus, non coactus, non adulatus, non minatus, non necessitate constitutus, sponte processit ad sacerdotes. Clam procedens intravit; propria malignitate consilium eorum fortificavit dicens, omnino esse possibile Christum capi; dicens, ut arbitror, fratres : » Quid vultis mihi

[1] Luc. XXIII, 43. — [2] Matth. XXVI, 38. — [3] Marc. XIV, 18. — [4] Matth. V, 10. — [5] I Reg. II, 25.

(1) Cod. *debemus.* — (2) Id. *sibi.* — (3) Id. *contristetur.* — (4) Id. *nam.* — (5) Id. *lamentare.* — (6) Id est *condonaverat.* — (7) Hæc desunt in Chrysostomo, et a translatore fuerunt male superaddita. — (8) Cod. *docens.* — (9) Id. *extimari.* — (10) Id. male *hoc enim prius est Jesus.* — (11) Id. *denique.* — (12) Deest *non* in cod. juxta morem. — (13) Cod. *temperemur.* — (14) Id. *inhæreat.* — (15) Id. *furoris benignitas.* — (16) Hæc verba *jussit ut*, desunt in cod. — (17) Hæc ultima verba *si vero* etc. desunt in cod. — (18) Cod. *patiebatur.* — (19) Id. *vas alabastrum.* — (20) Id. absurde *cymbalum Petrus percutere fecit*; nisi supponas legendum contra omnem Scripturæ rationem, *cymbalum plectro percutere fecit*, aut *cœpit.* — (21) Cod. *qui enim.* — (22) Hæc prorsus falsa sunt, quia Deus per gratiam mutare potest cor peccatoris, quin liberum destruatur arbitrium. Facere poterat, ut quod nolebat discipulus, attractus gratia libentissime vellet; nec voluit meretrix, nisi quia gratia fuit attracta. Hæc in Chrysostomo non leguntur.

» dare[1]? » Dic, o Judas proditor, quis te hoc facere docuit? quis doctorum hoc tibi demonstravit? quis discipulorum Christi hoc ostendit? numquid et Magister divitias te contemnere non prædicavit? numquid non cuncta despicere te docuit? numquid non aurum et argentum portare te docuit? Cur ergo Magistrum vendis? Numquid malum tibi fecit? numquid non sæpe te excusavit? numquid non multa mala tibi dimisit? Semper enim te super alios admonebat, quia plus et super alios indigebas; semper suadebat, semper omni studio sanare te cupiebat; at tu dicis tanquam Legis zelator: Occidatur Magister, quia malus est. Sub hac specie intravit ad eos, ostendens se esse zelatorem Legis; et subjunxit: « Quid vultis mihi dare, et ego eum vobis tra» dam? » O verbum toties superbi! et tradis eum qui cuncta creavit et conservat; tradis eum, qui omnia ligat; tradis eum, cui omnia obediunt; tradis eum qui dæmonibus imperat, cui obtemperant maria, cui omnes subjacent potestates.

V. Omnia enim verba Magistri respuit, omnes Domini sermones contempsit. Christus enim cautio est, et meretrix testis est, quæ de sua fuit liberatione sollicita. Non enim de tua liberatione desperare adhuc debebas (1), o proditor; nam paulo ante meretricem videras, et septem dæmonia ob ea expulsa audieras. Cur ergo ad pietatis fontem redire timebas? Utrumque enim, fratres, periculosum est et confidentia et desperatio; nam confidentia scilicet (2) stantem evertit, et iterum desperatio post lapsum non permittit (3) consurgere. Ideo « Qui putat se stare, caveat ne » cadat[2]. » O homo, debes exemplum utriusque personæ aspicere. Discipulus enim putabat se stare, et ecce quomodo cecidit; meretrix cecidisse arbitrabatur, et ecce quomodo surrexit. Non ergo de bonis præsumere debemus, nec de malis desperare.

VI. « Quid vultis mihi dare? » O mercator pessime (4), cur non recordaris, quid fecit Magister languentibus? cur mortuorum resuscitationem non recordaris? cur beneficiorum tibi illatorum non meministi? Has vices persolvis? hæc beneficia Magistro recompensas? huc ipsi (5) persolvis? « Quid vultis mihi dare? » O falsa cupiditas proditoris! Cuncta enim mala cupiditas procreavit. Hac affectata, Magistrum tradidit Judas; nam cupiditas hujusmodi sortita est naturam; captas animas retinet, et omnibus alligatas nodis astringit, et Dei (6) in cunctis oblivionem ponit, et alienationem mentis die noctuque imponit. Et Judas captus cupiditate, beneficia cuncta respuit, et gratiæ (7) apostolatûs oblitus est, phrenesi impeditus cupiditatis. Et ideo Paulus radicem omnium malorum cupiditatem merito appellavit[3]. Sic enim per avaritiam proditur (8) Dominus; sic in horto capitur, ut peccatum quod in horto Paradisi Adam commisit, sua captione deleret (9).

VII. Sed dicet quis: Cur Deus a tanto vitio non retraxit Discipulum? quia, ut diximus, non potuit ipsum retrahere invite (10). Ipse enim Deus bona et mala in nostram potestatem et electionis liberum donavit arbitrium. Ideo invitos non cogit, sed volentes amplectitur. Quis ergo Christum accusare præsumet, quia Judæ cogitationem non mutavit adversam? Nam mentis malitiæ necessitate non tollitur, si sponte omnia quæ meliorare animam possunt, odisse cognoscitur. Et si remedium respuit, non medici culpa (11), sed vitium est languentis. Dixerat enim Discipulis Medicus animarum, quomodo eum tradere debebat. Infernorum tormenta sæpe prædixit, et cælorum regna sæpe repromisit; pedes post Petrum ipsi (12) lavit, ante ipsum se genuflexit, quos etiam pedes osculatus fuit; ad mensam eum secum vocavit, nihil omnino (13) Magister prætermisit, nihil omnino pro Discipuli salute faciendum (14) reliquit; sed omnibus admonitionibus conculcatis, proditor ille malignus emersit.

VIII. Et dum iret ut proderet eum, et Discipuli dixerunt: « Ubi vis paremus tibi edere pascha[4]? » Isti solliciti erant parare, et ille sollicitus erat prodere; ipsi cupiebant comedere agnum, et ille cupiebat prodere Agnum; isti festinabant congregari, et ille disgregare eos cupiebat; ipsi boni, et ipse pessimus. Dicunt ergo Discipuli: « Ubi vis ut » paremus tibi comedere pascha? » Non enim Salvator domum propriam habuit, ubi caput reclinare posset[5]; ideo dicebant Apostoli: « Non habes domicilium; non habitaculum, non susceptaculum tibi est. Ubi ergo vis, ut paremus tibi? » O Christiani, attendite; o divites et potentes, quibus in domibus deauratis cura est habitare, attendite et considerate, utrum filii Christi et discipuli. Ecce enim qui cuncta creavit propriam domum in mundo non dignatur habere, et nos miseri non solum domos, sed alta palatia; non solum palatia, sed turres excelsas petris quadratis et auro a foris perornatas. Numquid et sic Christus? Cognoscite ergo Christum omnium Dominum, qui locum ubi caput reclinaret non habuit. Omnes enim illi qui paupertatem Christi non amant, regnum cælorum non consequentur.

IX. Paraverunt ergo Discipuli, Petrus et Joannes (15), in cœnaculo David prophetæ, et consummata cœna (16), recessit proditor a fidelibus, et docuit Judæos (17) quomodo eum caute ducerent, cum facculis, et fustibus et lanternis tanquam latronem (18). Occurrit ei Dominus, et ait: « Quem » quæritis[6]? » Accessit ergo filius iniquitatis, et osculatus est eum. O vitanda proditoris perversitas! o detestanda iniquitas! o nefanda fraternitas! o pessima (19) libatio, in qua sub vultûs hilaritate palliatur iniquitas! o nefanda fraternitas! Tales sunt sacerdotes et pastores qui præsumunt Christum osculari in altari, quibus labiis osculantur labia fœminarum. Isti sunt intimorati Israëlitæ, quorum falso testimonio Naboth[7] injuste lapidatur (20); isti sunt senes pessimi (21), diebus malis veterati, sanguinem justum condemnantes[8]. Tales Christum capiunt, et faciem ejus conspuunt; tales etiam sunt, qui præsentiam gratiæ ejus respuunt, colaphis eum cædunt, qui suos honores ei præferunt. Qui sunt enim illi, qui Christum percutiunt, nisi qui honoribus ecclesiasticis illicite præsunt? Tales clamant: « Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit[9]. » Tales proximum percutiunt, Christum tradunt, Christum vulnerant, ejus pallium rapiunt. Tales appellantur custodes murorum; isti prælati sunt super muros Jerusalem positi, ut custodiant, nec taceant laudare nomen Domini: et ecce non laudant, sed blasphemant; non custodiunt, sed dormiunt; non claudunt, sed aperiunt; isti sunt, qui Christum percutiunt, honores ecclesiasticos procurantes; non prodesse, sed præesse obsequiis indignis, precibus inhonestis, imprecationibus iniquis usurpant et rapiunt. Sed percussum vulnerant, dum indigne ministrant. Tunc pallium auferunt, dum indigni (22) Christi patrimonium illicite expendunt; pallium enim breve est, et utramque partem corporis fere cooperire potest; sic enim Christi patrimonium expendunt. Non enim sufficit parentibus, divitibus et pauperibus, sustentandis. Patienter tamen Dominus tales sustinet, et patienter adhuc, ut convertantur, amicos eos vocat, dicens: « Amice, ad quid venisti[10]? »

X. Ecce Verbum mansuetum; proditorem amicum vocat. Sed quare amicum vocat, nisi ut non desperetur? Quasi dicat Salvator: « O discipule, ecce jam pecuniam recepisti; ecce jam me in manibus peccatorum posuisti; ecce jam obviam tibi veni, amicum adhuc te voco (23), in

[1] Matth. xxvi, 14. — [2] I Cor. x, 12. — [3] I Tim. vi, 10. — [4] Matth. xxvi, 17. — [5] Id. viii, 20. — [6] Joan. xviii, 4. — [7] III Reg. xxi, 5, et seqq. — [8] Dan. xiii, 5, et seqq. — [9] Matth. xxvi, 68. — [10] Ibid. 50.

(1) Cod. *sed desperatione debeas.* — (2) Id. *displicet.* Forte melius legendum *virum bene stantem.* — (3) Id. *permisit.* — (4) Id. *pessime.* — (5) Id. *sibi.* — (6) Id. *Deum.* — (7) Id. *gratia*, et deinde *cupiditate.* — (8) Id. *perditur.* — (9) Id. *deleret.* — (10) Vide dicta superius; *non potest retrahere invite, sed fuerre potest ut velit.* — (11) Deest *culpa* in cod. — (12) Cod. *sibi.* Hæc non leguntur in sancto Chrysostomo, sed *pedes ejus ut et aliorum abluit.* — (13) Cod. *nihilominus* et sic deinceps. — (14) Id. *faciendum.* — (15) Hæc et cætera apud Chrysostomum non leguntur. — (16) Cod. *mala a cœna.* — (17) Id. *et doctis Judæis.* — (18) Id. *ad latronem.* — (19) Id. *pessima.* — (20) Id. *lapidatus.* — (21) Id. *pessimi.* — (22) Id. *indigne.* — (23) Id. *volo.*

amicum te habere desidero; plus doleo de tua perditione, quam de mea passione. Obsecro te, deprecor te, ut revertaris ad me, quia « Amore tui langueo[1], » amore tui affligor, amore tui contremiscere non fatiscor. » Sed quia noluit benedictionem, « Abiit, et laqueo se suspendit[2]. » Jesum autem capientes, cum crucifixerunt, cujus patientiæ et passionis participes nos faciat ille qui regnat in æternum. Amen.

SERMO XLVI.

De Cruce.

Educitur hic sermo ex Bibl. Ædil., cod. x, *fol.* 26. *Qui ante et postea leguntur, licet habeant sancti Augustini nomen, ad sanctum pertinent Chrysostomum. Hunc autem apud eum non inveni. Sit tamen propter codicis minimam auctoritatem in appendice post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Christus moriens nobis spem resurrectionis attulit. II. Crux arbor sancta et fœcunda. III. Est et scala sancta, quæ per mysticos gradus ducit ad cœlos. IV. Non desperandum, modo adsit bona voluntas.

I. Hodie memoria fidelissimæ crucis, fratres charissimi, per totum mundum recolitur, quia totus mundus per crucem magnifice liberatur, et quidquid in laude crucis canitur, Christi præconium efficitur. Qui enim Christi crucem digne laudat, Christum in ea passum digne prædicat. Recte crux ista fidelis est, et spes resurgendi nostra est. Descendit igitur Deus naturam humanam assumendo, ut naturam humanam per crucem redimeret. Si Angelos redimere voluisset, angelicam naturam utique assumpsisset; sed quia solos homines dignos redemptione cognovit, ideo per gratiam suam, naturam humanam et servilem personam rationabiliter assumpsit, ut ita (1) morte destructa, nos per crucem salvaret. Cum enim audio Christum ad mortem crucis descendisse, et tertia die resurrexisse, o quam grandis spes resurrectionis in me roboratur? Sed dicet aliquis, quia Deus omnia facere poterat, ideo resurgere optime, quando voluit, potuit; sed ego fragilis et carnis conditione prægravatus, quomodo, si mortuus fuero, resurgam? O homo, qui talia loqueris vel cogitas, scias quod hanc debilitatem (2) cunctis fidelibus Salvator abstulit, carnem fragilem assumendo; nisi enim Salvator in corpore meo hostem meum debellasset, nullam fiduciam mihi contulisset. Numquid Christo resurgente, multa corpora Sanctorum non (3) resurrexerunt? numquid non et multis apparuerunt?

II. Ergo Christi crucem prædicemus, et laudemus, et tanto sacramenti signo nostra corda muniamus. Sive comedamus, sive bibamus, sive loquamur, sive dormiamus, sive vigilemus, sive pergamus, sive stemus, in cunctis quæ agimus, semper Christi crucem feramus, et sic armati defensemur ab hoste maligno. In illo denique ligno agnus ille decoctus fuit; ideo arbor alta et bona fuit: bona quippe foliis, bona floribus et optima fructibus. Folia enim crucis verba sunt evangelica. In his enim verbis invenimus, quod quacumque hora peccator ingemuerit, misericordiam consequetur. Ecce quam pretiosa sunt hujus arboris folia. Istud est illud folium quod non fluet in æternum. Nos folia hujus arboris sumus quamdiu vixerimus, et in cruce perseverantes, per opera ad fructum, qui est Christus, pervenimus; non tamen nostris meritis quibuscumque ornati sumus, sed solum per gratiam. Hæc igitur vere est arbor grandis, et ornata foliis, floribus et fructu suavissimo. Hæc virga vespere arida, id est (4), in antiqua Lege arida, sed mane, cum (5) Filius Dei descendit ad nos, fronduit, floruit et fructum fecit amygdala (6); in tantum ut hæc virga tempore passionis aruerit, ut non esset in ea species neque decor[3]; sed frondes protulit, cum Apostolis resurrectio Christi nuntiata fuit; floruit, cum Christus suis (7) Apostolis apparens corporali præsentia eos lætificavit; peperit amygdala, quando Spiritus sanctus super eos descendit.

III. Hæc igitur est scala peccatorum, per quam Christus rex cœlorum ad se traxit omnia; hæc est scala per quam Christus cœlos ascendit. Sed quibus gradibus videamus; utique paupertate, patientia, humilitate, obedientia, ut sua paupertate nostram miseriam debellaret, sua patientia ad mansuetudinem nos provocaret, sua humilitate (8) nostram superbiam confunderet, sua obedientia primi parentis inobedientiam deleret. Nos igitur, fratres, caput nostrum intueamur, et « Sicut ipse ambulavit, sic et nos ambulemus[4]. » Plures enim gradus in hac scala Deus Pater locavit, per quos ascendere possunt fortes et debiles, juvenes et senes, donec Deus deorum in Sion videre mereantur[5]. Si quis enim fervens vel robustus est corpore, in ordine duodecim gradus ascendere debet, quoadusque perveniat ad illam « Perfectam charitatem, quæ foras mittit timorem[6]; » qui vero carnis pondere prægravatus, istos ascendere nequit, saltem octo ascendat, quos Sanctus ille Ezechiel proposuit[7]. Sed si quis istos ascendere non potest, saltem quatuor, quos David insinuat, dicens: « Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus[8]? » Sed ecce quos quatuor gradus tibi assignat. Primus est, « Mundo corde; » secundus, « Innocens manibus; » tertius, « Qui non accepit in vanum animam suam, » sed fructificando de virtute in virtutem; et quartus est, « Qui non jurat in dolo proximo suo[9]. » Conqueritur etiam quis, et excusat se adhuc non posse istos ascendere. O peccator, saltem duos ascendere, si vis ad vitam ingredi, tibi necesse est; scilicet « Diliges Dominum Deum tuum, et proximum tuum, sicut te ipsum: hoc fac et vives[10]. »

IV. Sed adhuc dicet quis: Ego miser corporea infirmitate gravatus sum, in decrepitate positus sum, amisi florem juventutis meæ, Deum in nullo cognovi, totum tempus meum consumpsi luxuriose vivendo; nihil aliud mihi restat, nisi ut moriar, et « Descendam in profundum quasi lapis[11]; » quomodo ergo Deum diligere possum? quomodo proximum sicut me ipsum? numquid ad Deum diligendum (9) sufficit tantum credere? Quid enim est Deum diligere, nisi amore sui omnia contemnere? ut quod (10) amatur, ametur in Deum? quid est Deum diligere, nisi omnia, quæ præcipit, observare? Sed ego miser infirmitate gravatus, operari aliquid quomodo possum? Nihil jam mihi remansit, nisi tantum voluntas. Quid ergo de me esse poterit, nisi quod sine redemptione ad Tartara descendam? O homo, obsecro, ne diffidas, ne desperes. Deprecor te, ne excidas (11) ab omni expectatione. Cupio autem (12) et hortor, ut etiam (13) sic ex infirmitate gravatus, non pergas (14) hæc omnia dicere. Peccata tua confiteri, obsecro, ne graveris, quia ecce jam tempus amissum recuperas confitendo peccatum. Ovem perditam jam invenisti (15), cœlorum civis jam factus. Deus qui te sanguine suo pretioso redemit, licet offensus fuerit per te, tamen adhuc pulsat ad te, adhuc interpellat ad Patrem pro te, adhuc valde diligit te, adhuc desiderat te. Cave igitur et vigilanter attende, ne diffidas ab eo. Ecce jam brachia extendit

1 Cant. II, 5. — 2 Matth. XXVII, 5. — 3 Isai. LIII, 2. — 4 I Joan. II, 6. — 5 Psal. LXXXIII, 8. — 6 I Joan. IV, 18. — 7 Ezech. XL, 31, et seqq. — 8 Psal. XXIII, 3. — 9 Ibid. 4. — 10 Matth. XXII, 37-39. — 11 Exod. XV, 5.

(1) Cod. *in*. — (2) Id. *dilectionem*. — (3) Deest in cod. *non* post *numquid*, et sic deinceps. — (4) Cod. *et*. — (5) Id. *dum*, et sic inferius. — (6) Id. *amindola*, et sic deinceps. — (7) Id. *ait*. — (8) Id. male addit *ut*, et sic deinceps. — (9) Id. *Deum diligere*. — (10) Id. *et quid*. — (11) Id. *confidas te*. — (12) Id. *tamen*. — (13) Id. *dum*, et deinde *in* pro *ex*. — (14) Id. *quiescas*. — (15) Forte *ovis perdita, jam inventus fuisti; cœlorum civis jam factus es*.

ad te, jam caput inclinat ad te, jam manus perforatas et pedes et latus habet pro te; multa enim passus est pro te. Numquid cupit dimittere te? Absit. Ecce, ut asseris, nihil tibi remansit, nisi tantum voluntas. Confido; adhuc magnam habes hæreditatem, magnam habes possessionem. Esto vir fortis; nihil enim Latroni in cruce pendenti jam remanserat, nisi voluntas, et ecce quam dulciter ipsi (1) Paradisus donatur. Solummodo bona voluntas tibi infirmanti requiritur. Sufficit enim bona voluntas cum confessione et peccatorum dolore, quam si quis habuerit, ad salutem ipsi sufficere poterit. Ascendamus ergo, fratres, dum vivimus, gradus crucis et bonorum operum; ascendamus ad pœnitentiam, dum tempus habemus, quia nescimus utrum juvenes vel senes mori debeamus, subito vel mora, in lecto vel in campo, in igne, vel in aqua, vel gladio. Ergo ascendamus, in bono opere perseverando; et qui laborare non potest, saltem in bona voluntate permaneat, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XLVII.

In die Paschæ III, de Resurrectione Domini.

Hic sermo, præterquam quod educitur ex Bibl. Ædil., cod. x, fol. 30 b, multa continet temere dicta, quæ sancto Augustino nullatenus conveniunt. Ponatur in appendice post sermonem supplementi primi xv, *cum numero in die Paschæ* xv.

SYNOPSIS.

I. In festo Paschæ nobis lætandum. II. Apparet primo Matri, mæstorum consolatio. III. Et Jacobo jejunanti. IV. Et Mariæ peccatrici. V. Et peccatori Petro. VI. Confidant et imitentur peccatores.

I. Gaude et lætare, o alma mater Ecclesia, et per omnes vicos tuos festivum Alleluia solemniter decantetur[1], quoniam « Resurrexit Dominus vere[2], et stetit in medio » Discipulorum suorum, et dixit: Pax vobis[3]. » Lætare ergo, o Jerusalem, et (2) conventum lætitiæ facite omnes qui diligitis eam. Gaudete in lætitia omnes, qui in tristitia fuistis, et fugiat a vobis omnis dolor, quoniam dies boni nuntii jam advenit, in quo Deus et homo, morte destructa, resurrexit a mortuis. Vide ergo, o anima, ne fleveris, quia ecce « Vicit (3) leo de tribu Juda, et radix David[4]. » Hæc est enim dies in qua est nostra salus consummata. « Exultemus » ergo et lætemur in ea[5]. » Hæc est enim dies, quam Deus nobis exhibere dignatur. Hæc est enim dies fontalis benevolentiæ (4), triumphalis victoriæ, præcordialis lætitiæ, spiritualis intelligentiæ. In hac enim die collatum esse cognoscimus sublevamen peregrinantibus, propositum adjuvamen decertantibus, propalatum solamen laborantibus, et amotum (5) velamen aberrantibus. Gaudete et lætamini, et per omnes vicos Jerusalem festivum Alleluia cantetur, o peregrinantes, quia hodie recepistis fiduciam, decertantes constantiam, laborantes perseverantiam, contemplantes refulgentiam. Accedant peregrinantes ad fontem benevolentiæ, ut omnes refocillari valeant in sua peregrinatione, quia hodie resuscitatus apparuit homo ille veniens die tertia de castris Saul, veste carnis conscissa, et pulvere humanitatis aspersus caput. Hic est enim ille Sanctus sanctorum, mæstorum consolatio, afflictorum recreatio, peccatorum confortatio, pupillorum solidatio. Ad quod designandum hæc est dies, festum frondosæ devotionis, sacræ communionis, cerei magnæ illuminationis.

II. Hauriant igitur mæsti aquas cum gaudio de fontibus Salvatoris[6], quia hodie resurrexit mæstorum consolatio; nam Mater mæstissima ex Filii visione hodie consolatur. O quanta suavitate et hilaritate Salvator primo illi (6) apparuit. Nam ut opinor, fratres, quamdiu Christi corpus quievit in monumento, tamdiu Mater ejus Maria singultibus et suspiriis satiata est, et (7) sine potu et cibo, donec Filium resurrexisse vidit, perseveravit. Et dum sic anxie persisteret Mater (8) redemptoris, ecce mane diluculo Filius Dei et Virginis, sole splendidior, nive candidior, cunctis fecundior, tanquam victor de bello, crucis vexillum manibus bajulans, domumque Virginis januis clausis intrans, eam reverenter salutans ait: « Ave Redemptoris Mater et Virgo, quæ sola prima digna fuisti videre cœlorum Regem et Dominum resurrexisse a mortuis. » Quem Mater Filium intuens, expandens manus et brachia, clamare præ gaudio cœpit: « Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitavit et fecit » redemptionem plebis suæ[7]. » Agite ergo, o devoti fideles, et fiducialiter adventum sponsi in hac valle miseriæ præstolemini (9), quia Rex regum, primogenitus mortuorum[8], in hoc paschali gaudio gaudere facit (10) exulantes. Expectent cum patienter pariter et ardenter aliquantulum cum Maria, quia festinus occurret eis (11) sponsus, iterum aspectibus angelicis consolando, ut lapidem corporalis obstaculi amovendo, quia hodie Christus resurrexit a mortuis, primitiæ dormientium[9].

III. Hauriant afflicti in fornace ferrea recreationem, quia afflictorum consolator et tribulatorum advenit. Voverat enim Jacobus, frater Domini, se non comesturum donec a mortuis resurgeret (12). Cui afflicto et famelico Dominus apparuit et dixit: « Epulare gaudens, frater mi, quia Filius hominis jam resurrexit. » Hæc est enim dies clarior cunctis, sanctior universis, de qua Dominus Discipulis ait: « Plorabitis et flebitis (13) vos, et iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum[10]. » Hæc est enim dies, in qua spoliatur Ægyptus, Hebræi liberantur de fornace ferrea, quibus in arido constitutis, opus erat servitutis lutum, later et palea in medio terræ. Igitur Dominus egreditur Ægyptum resuscitatus, et sic Moyses assumptus de aquis Pharaonis prostravit exercitum.

IV. Hauriant peccatores spem et fiduciam, quia eorum confortator jam Mariæ peccatrici apparuit; quæ, ut diximus, vere peccatrix erat, in tantum ut publice prostituta, vili contenta pretio, mollia et sordida in corpore sæpe, licet non semper pateretur (14), a qua etiam septem dæmonia ejecerat[11]; et tamen publice primo illi (15) apparuit. Voluit Deus per mulierem vitam denuntiare, sicut et ipsa primo denuntiatrix extitit mortis. Sciebat enim Dominus quod mulieres secreta male tenere possunt; et si secretum est, mox prædicatur super tecta. Volens ergo Dominus suam resurrectionem cito propalare, mulierem peccatricem, jam non peccatricem præconizantem fecit.

V. Sed numquid et hæc sola peccatrix extitit, cui Dominus apparuit? Numquid et Petrus peccator non (16) fuit? numquid et non uxores plures ante Apostolatum habuerat (17)? numquid non et ad vocem ancillæ per Deum cœli juraverat, quod Jesum non noverat[12]? numquid non et per

1 Tob. xiii, 22. — 2 Luc. xxiv, 34. — 3 Joan. xx, 19. — 4 Apoc. v, 5. — 5 Psal. cxvii, 24. — 6 Isai. xii, 3. — 7 Luc. i, 68. — 8 Coloss. i, 18. — 9 I Cor. xv, 20. — 10 Joan. xvi, 22. — 11 Luc. viii, 2; Marc. xvi, 9. — 12 Matth. xxvi, 69, et seqq. —

(1) Cod. *sibi*, et sic deinceps. — (2) Id. *in*. — (3) Id. *venit*. — (4) Id. *benivolentiæ*, et sic infra. — (5) Id. *admotum*. — (6) Deest *illi* in cod. Non juxta Scripturarum testimonium asserere videtur scriptor, Christum Matri primo apparuisse, ut videre est supra. Cætera mera sunt pia mentis somnia. — (7) Deest *et* in cod. — (8) Cod. *anxie*; et deinde *et ecce*. — (9) Id. *præstolantes*. — (10) Id. *faciat*. — (11) Id *et*. — (12) Hæc non majorem habent auctoritatem ac præcedentia. — (13) Id. *videbitis*. — (14) Id. *patiebatur*. — (15) Id *sibi*. Videtur oblitus auctor se paulo antea dixisse Christum primo sanctæ Matri apparuisse. — (16) Deest juxta morem *non* in cod., hic et infra. — (17) Hæc calumnia est dicta in sanctum Petrum, de quo nihil tale nobis transmisit certa traditio.

illum qui Legem Moysi dederat, quod non noverat hominem? Et tamen tribus annis cum Christo jam steterat. Ideo Judæi jam credebant Petro, ex quo tam fortiter jurare cœpit; ideo Petrus securitate armatus, quia negando clamaverat, ut eum omnes bene audirent, ausus fuit intrare, ubi Deus erat. Et tunc Dominus aspexit Petrum, corde ipsi dicens: «Petre, aspice utrum me cognoscas; non enim te negavi, dum esses in mari.» Et tunc Petrus exivit, et flevit amare[1]. Sed gaude, o peccator, quia licet Petrus peccaverit, et multa mala commiserit, hodie tamen inter cæteros, et super cæteros, a Salvatore nominatur: «Dicite, inquit (1) Discipulis et Petro[2],» qui caput est Apostolorum, quod non desperet de peccato nuper commisso.

VI. Ecce enim, fratres, duo peccatores, quorum quilibet gratiam magnam recepit: nam Maria videt et denuntiat, sed et Petrus se nominari æstimat. Eia ergo, o peccatores, quid agitis? quid amplius dormitis? cur pigrescitis? Ecce enim Salvator pro vobis (2) mortuus est. Hauriatis ergo spem, hauriatis aquas; flete amare cum Petro, rigate Christi (3) pedes cum Maria. Faciamus quod Maria fecit: emit enim aromata, et venit ungere Jesum[3]. Numquid venit, ut resuscitaret? Scimus enim, quod resuscitare nostrum non est, sed bene ungere nostrum est. Emamus enim aromata cum tribus mulieribus; tres enim mulieres sunt mens, manus et lingua. De his enim, ut arbitror, Petrus a Domino mandatum recepit: «Pasce, inquit, mente, pasce ore, pasce manu (4), id est, opere.» Pasce te ergo animum tuum et proximi, oratione, pasce verbo et exhortatione, pasce exemplo et exhibitione. Quærat ergo mens vestra aromata compassionis, quærat aromata rectitudinis et justitiæ, quærat etiam aromata discretionis et perseverantiæ. Sic enim fecit Maria; sic et perseveravit; et perseverando vidit et invenit, quod (5) concupivit; quem etiam videre nos ipsos ipse idem faciat qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XLVIII.

In die Paschæ IV, de Resurrectione Domini.

Educitur ex ejusdem Bibl. Ædil. eodem cod. x, *fol.* 31. *Sit hic sermo cum cæteris in appendice, post præcedentem, cum numero in die Paschæ* xvi.

SYNOPSIS.

I. Festi Paschalis lætitia. II. Postquam quinquies apparuisset Christus, sexta vice Thomæ se manifestat. III. Cur Christus voluit se tangi a Thoma, non autem a Maria Magdalene? IV. Qui sunt hi ad quos Dominus dignatur intrare? V. Apostolos imitemur.

I. Omnia, fratres charissimi, omnia quæ leguntur, omnia quæ prædicantur, cum omni lætitia audienda sunt, quia ecce jam «Vetera transierunt, et ecce nova facta sunt omnia[4].» Hæc est enim dies magnæ novitatis, quæ non inveterascit. Ideo dies Paschæ dies boni nuntii est; ideo, fratres, hodie silendum non est. Sed si tacere voluerimus, merito arguemur. Nam hodie locuti sunt cœlorum cives, terra tremuit præ gaudio et exultavit, mortui resurgentes resurgentem crucifixum magnificant; sol clarior apparuit; Inferons ululando, quod suum non est, emittere valde festinat. Omnia enim creaturæ Creatorem hodie resurrexisse a mortuis manifestat. Numquid et nos tacere debemus?

II. Annuntiavimus (6) enim hodie quinquies Dominum nostrum apparuisse secundum Evangelii verbum: primo Mariæ[5] flenti ad monumentum (7), secundo eidem et aliis duabus mulieribus, nuntiantibus et redeuntibus a monumento ad Discipulos; tertio Petro; quarto Discipulis euntibus in Emmaüm; quinto ipsis reversis in Jerusalem, absente Thoma[6]. Sed quia hodie satis de his audistis, ideo de sexta apparitione dicere non pigrescat. Nam post dies octo in Jerusalem Discipulis apparuit, Thoma præsente, et «Intravit januis clausis, et stetit in medio eorum, et dixit: Pax vobis[7].» Sed si quis philosophorum, inimicus virtutis, præsumpsit potere, quomodo Christus januis clausis ad Discipulos intrare potuit, dicat, obsecro, mihi paganus ille, quomodo et idem Deus et homo supra mare siccis pedibus ambulavit. Numquid non (8) et mare et omnia obediunt, tanquam factori et creatori cunctorum? «Intravit enim januis clausis, et stetit in medio, et dixit: Pax vobis.» Porrexit et dedit id, quod est summum bonum bonorum. Deinde ait Thomæ: Accede, et «Mitte manum tuam in latus meum, et vide[8],» et palpa, si sum ille, qui te elegi de mundo. Et ait Thomas: «Deus meus, et Dominus meus[9].»

III. Sed dicet quis: Cur permisit se tangi a Thoma, et a Maria se tangi non permisit? Cujus rei causam hanc esse decerno. Nam Maria abundavit in fide; statim audiendo in horto vocem Domini, dixit illa: «Vox Domini est;» statim videndo cognovit, et præ gaudio eum amplecti et stringere voluit, non quod dubitaret, sed ut consolaretur tactu, sicut consolabatur auditu et visu. Vel aliter, quia omnia Christi actio nostra est institutio, noluit tangi a fœmina, ut et nos ipsos tangi ab eisdem non permittamus, quousque ascenderimus ad Patrem in cœlum. Pingatis enim fœminas omni sanctitate, ornetis et homines omni virtute; nil pejus, nil magis dubium, nil imperfectius, nil mortiferius volentibus caste vivere, quam habere consortium fœminarum. Noluit ergo Dominus tangi a Maria, ut nos doceret; voluit tamen tangi a Thoma, ut eum et nos illuminaret, quia non erat fidelis, sed satis incredulus. Sed postquam tetigit, clamavit et dixit: «Deus meus, et Dominus meus.»

IV. Nos autem, fratres, discutiamus et cogitemus, quod (9) jam Dominus intrare dignatur ad nos; non enim visitare et intrare ad omnes dignatur, sed ad bene operantes et perseverantes. Tales erant Apostoli, quia «Cum esset sero die illa[10],» etc. (10) «Quid per Sero, nisi tota vita hominis designatur? Nam sicut per mane, principium operis, per meridiem medium opus, sic per Sero finis operis designatur, et tempus recipiendi mercedem est. Ad sic perseverantes Christus festinanter advenit; tales visitat, tales confortat, talibus se sic manifestat. Intrat et venit Salvator ad quiescentes, quia «Una sabbatorum[11]» Apostoli quiescebant; sic quiescentibus intravit ad eos; sic sedentibus, Spiritum sanctum misit ad eos. Nemo enim Christum videre poterit, nemo Spiritum sanctum recipere, nisi fuerit mente quietus. Intrat Salvator, et visitat reclusos (11), quia januis clausis intravit. Tu ergo claudas portas corporis tui, oculos ab illicita visione, manus a prava operatione, aures ab omni mala auditione. Fuge ad eremum, si in (12) mundo hæc facere pertimescis, et ibidem hostus a Christo poteris (13) visitari, et Paulus eremitarum pater. Intravit Salvator, ut visitavit congregatos. Nam qui bene fortes non sunt, ad eremum fugere periculum est, si soli

[1] Matth. xxvi, 75. — [2] Marc. xvi, 7. — [3] Ibid. 1. — [4] 2 Cor. v, 17. — [5] Joan. xx, 11, et seqq. — [6] Luc. xxiv, 1, et seqq. — [7] Joan. xx, 26. — [8] Ibid. 27. — [9] Ibid. 28. — [10] Ibid. 19. — [11] Ibid.

(1) Cod. *quos dicens.* — (2) Id. *nobis.* — (3) Id. *sibi.* — (4) Unde hæc auctor mutuatus fuerit, pronus nescio, nisi quod sic triplicem Christi vocem velit interpretari. — (5) Forte *quem*, ut recte dicta concordent. — (6) Cod. *annuntiavimus.* — (7) Legitur hic *lumine ultimo*, aut potius *Luce ultimo*, quæ verba nihil aliud esse videntur, quam indicatio quædam capitis, a quo hæc fuerunt decerpta. Prima tamen apparitio narratur apud Joannem. — (8) Deest in cod. *non mare subito*, et deinde *sibi* pro *ipsi*. — (9) Cod. *sed.* — (10) Id. *et quid*, pro *etc. quid.* — (11) Id. male *ad reclausos*; et inferius pariter *reclausos* habet pro *reclusos.* — (12) Deest *in* apud cod. — (13) Cod. *Beati... poteritis.*

ibidem permanserint; quod si ceciderint, non habent qui sublevantem[1]: perfectorum igitur est solus in solitudine habitare. Congregemur ergo simul in unum, si de numero perfectorum non sumus, et sic viriliter præliemur. Una enim candela cito satis extinguitur, sed si multæ simul (1) accensæ fuerint, de levi sic extingui non possunt; et si oves congregatæ non fuerint, facilius capiuntur a lupo. Intrat Salvator et visitat timoratos; nam timidi erant, quia » Propter metum Judæorum[2] » valde timebant. Oportet igitur nos in cunctis Deum timere, quia qui sine timore est, numquid justificari poterit? Per timorem enim concipimus sancta desideria, protulimus sancta suspiria, et parere possumus bona et perfecta opera.

V. Ergo, fratres mei, sanctos istos Apostolus sic timoratos, sic reclusos, sic perseverantes, sic fide ferventes, studeamus sequi et imitari. Nulli jam nostrum, de cætero, veritatis dubium relinquatur, vel ignorantiæ locus, vel erroris casus. Comedit et bibit, stetit et ambulavit, loqui et tangi voluit. Omnes ergo sanctam fidem catholicam confiteamur, agnoscentes, amplectentes et observantes, clamantes: » Deus meus et Dominus meus! » quem videre nos faciat ille, qui pro nostra salute mori et resurgere dignatus est. Amen.

SERMO XLIX.

In die Paschæ V.

Habes hunc sermonem in Bibl. Ædil., cod. x, *fol.* 31 *b, de quo satis dictum est. Accedere videtur hæc homilia ad Origenis methodum et dictionem. Sit in appendice post præcedentem, cum numero in die Paschæ* XVI.

SYNOPSIS.

I. Quomodo vetus Pascha celebrabatur. II. Christus verus agnus paschalis, cujus sanguine salvatur homo, et carne nutritur. III. Cum pœnitentia et bonis operibus accedendum. IV. Agnoscenda Christi divinitas, simul et humanitas. V. Vitia restringenda, mandataque Dei festinanter adimplenda. VI. Sic pervenitur ad veram felicitatem.

I. Audistis, fratres charissimi, quod ille sapiens Architectus, vas electionis, veritatis prædicator, et doctor universi mundi, et turris fortitudinis Sion, nobis prædicavit quomodo in nostro Pascha Agnus immolatus est. Pensare ergo debemus, fratres, quid de Pascha Lex loquatur, ut videamus subtilius, an de Christo dicta videantur. Moyses quippe ait: » Sument de sanguine agni, et ponent super » utrumque postem, et in superliminaribus domorum, in » quibus comedent illum, et edent nocte illa carnes assas » igni. Caput cum pedibus ejus et intestinis vorabitis, nec » remanebit ex eo quidquam usque mane. Si quid residuum » fuerit, igne comburetis[3]. » Ubi et additur: « Sic comedetis illum: renes vestros accingetis, et calceamenta ha» bebitis, habentes baculos, et comedetis festinanter[4]. » Hæc autem cuncta magnam ædificationem pariunt.

II. Quis namque sit sanguis agni, non audiendo, sed bibendo didicimus; qui sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed cordis recipitur. In utroque enim poste sanguinem agni ponimus, quando sacramentum passionis illius mente et corpore digne suscipimus. Ideo in superliminaribus domorum poni debet. Et quid est, fratres, domus? nisi mens nostra designatur, cujus domûs superliminare est ipsa intentio, quæ præeminet actioni? Qui igitur intentionem suæ cognitionis ad imitationem Dominicæ passionis dirigit, in superliminare (2) domûs sanguinem agni ponit. In nocte quippe agnum comedimus, dum in sacramento Domini passionis corpus accipientes, adhuc invicem nostras conscientias non videmus; quæ tamen carnes igne assandæ sunt, quia dissolvuntur carnes quas decoxerit aqua; sed si assantur, roborantur. Sic enim carnes nostri Redemptoris assatæ fuerunt in ara crucis, et aruerunt tanquam testa[5]. Quid namque testa, nisi molle lutum? Sed igni ponitur, ut solidetur. Virtus ergo humanitatis Christi, velut testa exaruit, quia ab igne passionis usque ad virtutem incorruptionis crevit.

III. Sed sola Redemptoris nostri percepta sacramenta ad veram puritatem mentis non sufficiunt, nisi et bona opera conjungantur. Quid enim prodest homini corpus Domini percipere, et mores malos non corrigere? Ideo subdit: » Azymos panes cum lactucis agrestibus[6]. » Vere azymos panes illi comedunt qui recta opera sine vana gloria faciunt. E fermento namque Deo sacrificium immolat qui sacrificium de rapina parat, vel qui sacrificium Deo cum odio ministrat, vel cum intentione redeundi ad peccata consistit. Tales vero comedunt panem supramodum fermentatum, de quo ait Apostolus: « Modicum fermentum totam » massam corrumpit[7], » quia « Qui peccat in uno factus est » omnium reus[8]. » Attendite igitur, fratres, a tali fermento Pharisæorum, ne cum eisdem demergamini in profundum maris. Lactucæ vero agrestes valde amaræ sunt, quæ apud Romanos indivis (*sic*) nuncupantur; carnes vero agni cum lactucis agrestibus edendæ sunt. Et quid per lactucas, fratres, nisi amara pœnitentia designatur? Hæ enim lactucæ corpus refrigerant, sed et pœnitentia animam purgat; lactucæ hepar emundant, sed et pœnitentia animam lætificat. Comedendus est igitur agnus cum lactucis agrestibus, ut ipsum digne sumere valeamus.

IV. Sed agni caro nec cruda sumenda est, nec cocta in aqua, quia ipse Redemptor noster nec purus homo existimandus est, nec per humanam sapientiam qualiter incarnari potuit est disputandum. Hoc autem volens Arianus investigare, inter cætera mala, dixit factam esse animam hominis ex substantia Dei; quod falsum esse omnino putamus; nam Dei substantia non mutatur, anima vero hominis de bono in melius, et de malo in pejus quotidie mutari videmus. Pereat intentio illa, quæ in sacra Scriptura fundatur (3), scilicet: » Spiravit in faciem ejus[9]. » Licet enim Deus in faciem hominis inspiraverit, hunc (4) flatum in eum posuit, non tamen anima de substantia Dei est, sed infundendo creatur, et creando infunditur (5). Nolite ergo sapere, nisi in quantum necesse est sapere. Omnis enim qui Incarnationis mysterium (6) juxta humanam sapientiam quærit et studet investigare, carnes in aqua vult coquere, et dispensationis ejus mysterium per vanam scientiam penetrare, ad quam attingere non potuerunt naturales philosophi, sed aperta fuit humilibus piscatoribus. Homo (7) igitur, fratres, per mundanam sapientiam profunditatem Incarnationis penetrare non præsumat, sed assas carnes ejus comedat, ut dispensari omnia per Spiritûs sancti potentiam sciat: de quo adhuc recte subjungitur: « Caput cum » pedibus et intestinis vorabitis[10]. » Caput enim agni vorare est divinitatem ejus percipere: pedes vero vorare, est vestigia ejus humanitatis amando et imitando perquirere. Quid etiam per intestina, nisi verborum illius occulta et mystica mandata, quæ tunc voramus, cum verba vitæ cum aviditate sumimus? Sed quia nullus sufficit, ut omne sacrum

[1] Eccle. IV, 10. — [2] Joan. XX, 19. — [3] Exod. XII, 7, et seqq. — [4] Ibid. 11. — [5] Psal. XXI, 16. — [6] Exod. XII, 8. — [7] I Cor. V, 6. — [8] Jacob. II, 10. — [9] Gen. II, 7. — [10] Exod. XII, 9.

(1) Cod. *insimul*. — (2) Cod. non habet *in*. — (3) Id est *fundari dicitur, quam hæretici in sacra Scriptura fundare frustra nituntur*. — (4) Cod. *hoc flatum*. — (5) Sic evidenter legendum; cod. male *in creando creatur, et creando informatur*. — (6) Cod. male *ministerium*, et sic deinceps pluries. — (7) Deest *homo* in cod.

eloquium intelligere possit, et mysterium sacrarum Scripturarum penetrare? » Sed si quid ex eo remanserit, igne » comburetur[1]; » tunc enim vere si quid ex agno remanet, comburimus, quando hoc quod de mysterio Trinitatis intelligere et penetrare non possumus, potentiæ sancti Spiritûs, qui ignis est, humiliter reservamus: vere hoc quis (1) igni tradit, quando Spiritui sancto reservat.

V. « Sic enim comedetis illum: Renes vestros accingetis[2]. » Et quid est renes accingere, nisi lumbos restringere? Ideo qui agnum comedere cupit, primo renes præcingere debet, ubi est continua pugna, sed raro satis victoria. Calceamenta (2) etiam in pedibus tenere debemus. Quid enim per pedes, nisi opera? quid per calceamenta, nisi mortuorum vitam conspicere, et vulnera peccatorum non tergere (3)? quid enim per baculum, nisi pastoralis custodia designatur? Attendere namque, fratres, debemus, quod primo præcipitur renes præcingere, postmodum baculum in manu tenere. Nullo enim modo debent baculum pastorale suscipere, qui nesciunt fluxum luxûs edomare. Bene etiam subditur: » Comedetis festinanter[3]; » mandata enim Dei ad cor festinanter mittere debemus. Licet enim, fratres, hodie bene agere possimus, sed utrum cras liceat ignoramus. Nemo enim Dei mandata vorare differat, ne in patria locum amittat.

VI. Devoremus enim Dei mandata, et devorantes perseveremus, et perseverantes ad cœnam Agni ibimus lætantes. Ibi namque non amplius erunt lactucæ agrestes, quia omnis dulcedo ibi aderit; ibi non occidetur Agnus, quia semel occisus est; ibi non expedit, quod renes accingamus, quia ibi luxuria nulla erit. Tunc enim satiabimur, tunc festinabimus, tunc nobis æternum Pascha erit, dum nobis apparuerit gloria ejus, ad quem perducat nos ipse Christus per gratiam. Amen.

SERMO L.

De Peregrino, feria secunda festi Paschæ.

Sermo hic eductus ex Bibl. Ædil., cod. x, *fol.* 30, *propter sæpe allatas rationes in appendicem amandatur; sit locus ejus post sermonem præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Christus vere peregrinus. II. Discipulis inter cœnandum manifestatur, ad quem videndum peccata vitanda. III. Contra falsam philosophiam. IV. Vera scientia cognitiosa sacrarum Scripturarum.

I. Audistis, fratres charissimi, quod dum essent (4) illi Christi Discipuli euntes in castellum, Cleophas videlicet et Lucas, perfectus Dei Matris Notarius, virgo a Deo electus, qui etiam crucis mortificationem in suo corpore pro Christi nomine portavit[4] lætanter; euntes denique in castellum, et confabulantes, de iis quæ acciderant dolentes, et quasi de eorum Redemptore diffidentes; apparuit in medio eorum peregrinus ille, qui solus fuit Dei Patris Filius, solus Virginis primogenitus, solus sine peccato genitus, solus sine macula triginta tribus annis in sæculo conversatus, solus nostros languores sanans (5), solus animas suorum inflammans, solus animas abluens, solus peccata concalcans, solus tentamenta pro nobis portans, solus ad mortem pro nobis se præparans, solus clauso sepulcro resuscitans, solus ad Discipulos januis clausis penetrans. Fabulantes ergo Discipulos interrogat: « Qui sunt hi sermones, quos confer» tis adinvicem ambulantes, et estis tristes? Et ait Cleophas: » Tu solus peregrinus[5]? » Vere solus peregrinus, cui (6) secundum sæculum habere non potuit; vere peregrinus et advena, vere viator pro nobis factus est; vere peregrinus in præsepio, vere peregrinus in templo, vere peregrinus in cœnaculo, vere peregrinus in mundo; vere peregrinus in patibulo, vere peregrinus in sepulcro. « Vulpes autem foveas » habent et volucres cœli nidos; » solus autem peregrinus » non habuit ubi caput reclinaret[6]. » Erubescamus ergo nos qui divites et cives magnarum civitatum esse cupimus. Ecce enim Salvator noster, qui cuncta ex nihilo fecit, quando voluit, et tamen advena et peregrinus est in domo nostra.

II. Iste enim peregrinus, sociatus suis Discipulis, « Aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas. Et appro» pinquaverunt castello[7], » et compellentibus (7) eum, intravit cum illis, et cum recumberet cum eis, aspicientes in faciem sole clariorem, intuentes manus perforatas, panes frangentes (8), cognoverunt eum. Et volentes eum tenere, amplecti, et pedes osculari, « Et ipse evanuit ab » oculis eorum[8]. » Nos autem, fratres, si Christi discipuli esse cupimus, si vere eum tenere cupimus, si vere cum eo pergere, loqui et cœnare optamus, si volumus quod nobis frangat panem, si eum videre cupimus et agnoscere, studeamus fidem habere, odium deponere, caste vivere, avaritiam devitare, mendacia præcavere, gulam devitare, frequenter orare, societatem malam fugere, frequenter mala sacerdoti propalare, Dei verbum libenter audire et frequenter illud tenere, de Deo semper loqui: et sic merebimur per gratiam Christo associari, cum Christo cœnare, cum Christo ambulare.

III. Sed aliqui sunt, fratres mei, de Christo non curantes, sed in propriis facultatibus et viribus confidentes. Tales sunt illi qui philosophiam magis quam Scripturam sacram apprehendere conantur; isti sacram Scripturam timentes, eam destruentes, eam deridentes, eam ad beneplacitum exponentes. Isti sunt pigri, qui timent ne sciant viam pœnitentiæ; isti sunt superbi, putantes verum falsum et falsum verum; isti sunt hæretici, qui eam destruere conati sunt. O philosophi, utinam vere philosophi! Veniet dies qua dicetis: « Melius fuisset viam scientiæ non agno» scere, quam post agnitam retroire[9]. » Aperientur tunc libri vestri, et, clausa janua, vobis dicetur: « Nescio vos[10]. » Quæ est enim major scientia, quam scire quæ Dei sunt, et quomodo incarnatus est, quomodo conversatus, quomodo passus et resuscitatus. Hæc est scientia vera, non res per causas cognoscere, non per sophismata hæc illa probare. Qui hoc enim apprehenderit, apprehendet ruinam, et ligno in fornace ponet, ut ardeat in die novissimo, quoniam scientia « Impinguatus, dilatatus, recalcitravit[11]. » Ideo « Li» gatis manibus et pedibus projicientur in tenebras exte» riores[12]. » Igitur, fratres, hæc (9) superflua sunt, et ideo dimittenda sunt. Epulemur enim quotidie splendido in mensa sacrarum Scripturarum, et in ipsa pacem et saturitatem invenientes, » In labore hominum non erimus, et » cum eis non flagellabimur[13]. » Qui vero contrarium faciunt, falsi Christiani dicendi sunt, et patrimonium Christi vendentes demerguntur in infernum. Amplectamur ergo hanc Scripturam, quam Discipuli hodie cognoverunt in fractione panis; nam alta est, profunda est, humilis est et plana. Loquamur ergo de ea, pergamus cum ea, accipiamus et conemur eam apprehendere; nulla enim major est, nulla

[1] Exod. xii, 10. — [2] Ibid. 11. — [3] Ibid. 11. — [4] 2 Cor. iv, 10. — [5] Luc. xxiv, 18. — [6] Id. ix, 58. — [7] Luc. xxiv, 27, et seqq. — [8] Ibid. 31. — [9] 2 Petr. ii, 21. — [10] Matth. xxv, 12. — [11] Deut. xxxii, 15. — [12] Matth. xxv, 30. — [13] Psal. lxxii, 5.

(1) Cod. *tunc*. — (2) Id. *calciamenta*, et sic deinceps. — (3) Sic cod., non satis clare. Forte legendum, *nisi sanctorum vitam conspicere, et vulnera peccatorum abstergere?* — (4) Desunt hæc verba *dum essent* in cod., qui nominativum absolutum, hic et alias, adhibet. — (5) Cod. *sanat.., inflammat*. — (6) Id. *quod*. — (7) Id. *compellentes*. — (8) Id. *frangente*, nisi mavis addere *panem ipso frangente*. — (9) Id. male *hæc enim*.

profundior est, nulla sanctior est. Nam per naturam ascendere ad eam non possumus, sed per gratiam. Non enim Plato eam rapuit, sed Petrus; non Cicero, sed Andreas; non Aristoteles, sed Joannes, Petrus et Andreas piscatores. Devote enim mente peregrinum nostrum hodie deprecemur, ut in mensa suæ sapientiæ dignetur nos reficere in præsenti, et in futuro gubernare per gratiam. Amen.

SERMO LI.

In diebus Paschalibus I, de Resurrectione Domini.

Non ad sanctum Augustinum tribuendus iste sermo, propter easdem rationes ac multi præcedentes, utpote qui eruatur ex Bibl. Ædil., cod. x, *fol.* 50. *Locus ejus post præcedentem, cum numero in diebus Paschalibus* 1.

SYNOPSIS.

I. Communicatori pacem habenti in corde. II. Sancte suscipiendum est sacramentum, quod Christus est. III. Solvitur objectio contra eos qui vindictam nutriunt. IV. Maledicti qui non accedunt, et qui male accedunt; sed benedicti, qui sancte Christum suscipiunt. V. Conclusio.

I. Audistis, fratres charissimi, in his sanctis diebus, quod cum Dominus cum Discipulis cœnaret, accepit panem et fregit dicens : « Hoc est corpus meum, quod pro vobis « tradetur[1]. » Agnoscite ergo vos, qui in hoc sacro Pascha Dominum sumpturi estis, quæ sint istæ (1) carnes, quas primo sumere debetis; istæ sunt carnes, quæ reficiunt mentem, sed non ventrem. Sed postquam refeceritis mentem, secure pascatis et ventrem. Agnoscere ergo vos primo volo, qui divino signo estis circumdati, et divinis mysteriis consecrati, ne velut Judas, odium in corde habentes, Christum indigne sumatis. Nam præsens fuit ipse in cœna, et Christi corpus cum cæteris manducavit; ideo non ad salutem, sed ad judicium sibi fuit sempiternum, quia pacem non habebat in corde.

II. Sed hodierna die, Salvator ille te invitat (2) qui de castris Saül venit veste conscissa, et pulvere aspersus caput[2]; hic est ille Salvator, qui tertia die apparuit tibi, et te ad mensam suam invitat : cum debita reverentia et congrua vigilantia te opportunum tempus invitat. Nullus ergo nostrûm, velut Judas, in hoc convivio reperiatur. Nullus impinguatus veneno appareat, nullus luxuria ponderatus, ne forte dicat : « Amice, quomodo huc intrasti[3]? » Non enim solum (3) homo est ille, ad cujus cœnam intrare debemus, sed Deus. Ipse cordis abscondita novit; ille idem est, qui crucifixus est; ipse enim sacerdos est, qui cunctis aliis iterum (4) præcepit dicere : « Hoc est corpus meum[4]. » Sacerdotis ore verba proferuntur, et Dei virtute consecrantur. « Hoc est enim, ait, corpus meum. » Hoc enim verbo proposita consecrantur, et sicut illa vox, quæ dixit : « Crescite « et multiplicamini, et replete terram[5], » semel tantum dicta fuit, sed cum tempore sortita est (5) effectum ad generationem, operante natura; ita et vox illa semel dicta per omnes mensas Ecclesiæ usque ad ipsius Christi adventum, dum venerit judicare, præstabit et præstat sacrificio firmitatem. Nullus igitur fictus accedat; nullus hypocrita venire præsumat; nullus irato animo tantis audeat appropinquare mysteriis, ne condemnetur, et sententiam mereatur, et (6) quod Judas sustinuit, patiatur. Nam sicut in illum diabolus post communionem intravit, non quia contempserit corpus Domini, sed quia malignitate infectus, sic et intrat indigne sumentibus. Nemo ergo sit Judas indigne sumens; nam sicut cibus cum ventrem invenerit adversis humoribus occupatum, amplius lædit, magis ac magis nocet, et nullum præstat auxilium; ita et iste spiritualis cibus, si aliquem repererit malignitate pollutum, magis et omnino obest, quam proficit. Pura sit ergo nostra intentio, pura sit cogitatio, pura sit nostra locutio, sicut et purum est sacrificium. Solve iram, conculca superbiam, despice luxuriam, depone gloriam, erubesce peccata, depone vestimenta curiosa, asperge caput cinere, induere sacco, et sancti terribilis sacramenti arcana considera; considera recipientem (7) et receptum, considera parvissimum (8) et infinitum, considera creaturam et Creatorem : vocifera ergo corde et ore, et dic : « Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum[6]. »

III. Sed dicit unicus nepos meus Severus : « Ab inimico fraudatus sum, vulneratus sum, magnis me onerávit dispendiis; » et ut scitis omnes, verum dicit. O Severe frater, quid dicis? An ignoras, quod Deus animam suam pro te dedit? Judæis pepercit, et tu iniquus in ira perduras? Ille mori pro te non recusavit, et tu irato tuam pro tua liberatione et salute concedere non dignaris? Numquid te crucifixit, sicut Judæi Christum? Et tamen ille crucifixus, verberatus, spinis coronatus, sputis maculatus clamabat : « Pater, ignosce illis[7]. » Merito ergo, fratres, reconciliationis causa hoc sacramentum institutum est, et (9) si sacrificii præcepta contempseris, sacrificii remedia sentire non poteris. Ideo Salvator advenit, ut hominem ostensum per sacrificium Deo reconciliaret.

IV. Sed aliqui sunt, qui ad sacrificium Domini non accedunt. Tales sunt maledicti, qui declinant a mandatis Dei (10). Isti sunt fœneratores, quorum pater diabolus est, quorum anima abominata est hanc escam, quia jam appropinquaverunt usque ad portas mortis[8]. Talibus Pascha non est; tales exclusi sunt ab omni Ecclesiæ oratione; tales participes non sunt bonorum. Caveant omnino tales, ne ad mensam Christi hodie veniant, nisi pœnituerint, et integre reddunt, quia non dimittetur eis peccatum, nisi omnino restituatur ablatum. Aliqui sunt qui ad mensam Domini veniunt (11), et postquam saturati fuerint, tergum Domino vertunt. Tales sunt, qui ad tempus boni sunt, sed post Pascha statim revertuntur ad vomitum, ut canes[9]. Aliqui sunt boni perseverantes in bono, pro quibus Dominus sollicite Patrem rogat, ut eos conservet in nomine suo. Istis Dominus vere apparuit; isti vere Domini corpus recipiunt; isti Pascha et festum habent; isti gaudent et lætantur, sive bonum sive malum eis fiat. Omnia enim sustinent, omnia patienter portant, omnia sufferunt in Christi nomine, de quorum numero nos faciat ille qui pro nobis mori et resurgere dignatus est. Amen.

V. Vellem adhuc, dilectissimi fratres, de prædicto mysterio plura tractare, et longiori sermone in die tantæ solemnitatis moram protrahere, sed hæc sufficiant, et utinam dicta perficere valeatis. Ad mensam ergo Domini singuli accedatis devoti, et postquam sacra communione refeceritis mentem, secure postmodum pascatis et ventrem, omnia tamen cum pondere et mensura sumentes, ut mente et corpore sani permaneatis. Amen.

[1] Matth. xxvi, 26. — [2] 2 Reg. i, 2. — [3] Matth. xxii, 12. — [4] Id. xxvi, 26. — [5] Gen. i, 28. — [6] Matth. viii, 8. — [7] Luc. xxiii, 34. — [8] Psal. cvi, 18. — [9] Id. cvi, 18. — [10] Prov. xxvi, 11.

(1) Cod. *quod istæ sunt.* — (2) Id. *in vita, nec habet te.* — (3) Id. *solus.* — (4) Id. *iterum.* — (5) Id. *sortitus.* — (6) Id. *quod et.* — (7) Id. *recipiens; nec iterat antea considera.* — (8) Id. *altissimum.* — (9) Id. *ut.* — (10) Id. *omnium vias.* — (11) Cod. *veniens.*

SERMO LII.

In diebus Paschalibus II, de Resurrectione Domini.

Educitur ex eodem Cod. x, fol. 3a b, Bibl. Ædil. Locus ejus in appendice post præcedentem cum numero in diebus Paschalibus II.

SYNOPSIS.

I. Veram Christus suam mortem resurrectionemque probavit. II. Comparatur Jonæ, Judæ, Samsoni et Jacob. III. Gaudendum, et in novitate vitæ ambulandum. IV. Facere primum debent pastores, et postea docere. V. Qui ad sacrum ministerium eligendi. VI. Conclusio.

I. Hodie, fratres charissimi, apparuit Dominus decoratus stola immortalitatis, timeamus; apparebit in forma majestatis, paveamus. Apparuit igitur gratia Salvatoris nostri, ut abnegantes (1) impietatem, male scilicet vitando, sobrie quantum ad se ipsum, juste quoad proximum, et pie quoad Deum vivamus (2), et sic expectemus (3) beatam spem[1]. Sed quia de apparitione Domini hodie loquendum est, ideo volo vos intentissimos esse, quomodo hodie in stola immortalitatis apparuit devinceos in cruce: ideo hodie resurrexit, ut spem futuræ resurrectionis *donaret* (4); quam gloriosam resurrectionem per multa argumenta veram esse monstravit. Quadraginta enim horis Christus mortuus fuit, *ut vere per omnes*, tam sapientes, quam etiam minus sapientes *omnino credatur* mortuum esse: per dies quadraginta distulit ad Patrem ascendere, ut suam veram esse resurrectionem cunctis demonstraret. Nec mirum, fratres, si per majus spatium resurrectionem probavit quam mortem, quia facilius fuit credere morientem quam resurgentem. Denique congregatis Discipulis, et januis clausis, ad eos intravit, et januis clausis ab eis recessit; et sic ostendit se gloriosum corpus habere. Per alia enim argumenta eum veracem esse ostendit, dum præbuit corpus esse palpabile: « Palpate, inquit, et videte, quia ego ipse sum[2]. » Per argumenta enim resurrectionem veram ostendit, quia comedit et bibit cum eis, postquam resurrexit a mortuis. Comestio enim, fratres, est tantum actus viventis. Quid ergo, o Manichæe, quid amplius dices? Vere resurrexit Dominus, et veraciter, absque deceptione; vere resurrexit celeriter, absque dilatione; vere resurrexit totaliter, absque corporis diminutione; vere resurrexit perenniter (5), absque desitione.

II. Iste est ergo ille Jonas propheta[3], qui tribus diebus et tribus noctibus fuit in ventre, non ceti, sed terræ. Non ergo phantastice, sed vere resurrexit, quia de ventre terræ exivit. Iste est ille Judas Machabæus (6), de quo dicitur: « Catulus leonis, Juda, quasi leo rugiens ad prædam ascendisti; requiescens, ut leo, accubuisti[4]. » Iste est ille Samson[5], qui dormivit usque ad noctem (7) mediam, et consurgens tulit ambas portas et fores, scilicet animam et corpus, et portavit usque ad montem dexteræ Dei Patris. Iste est ille Jacob[6], qui consurgens tulit lapidem, quem supposuit capiti suo, et erexit in titulum. Jacob Christus dicitur, qui supplantavit diabolum, qui posuit lapidem sub capite. Per caput divinitas designatur; tulit lapidem, quando animam suam retinuit, et erexit eam (8) in titulum.

III. Quid ergo, hodierna die, fratres mei, agere debemus, nisi gaudere et epulari, quia frater noster Adam perierat et inventus est, mortuus fuerat et revixit[7]? Gaudeamus, fratres, quoniam hodie adimpletam videmus Scripturam Prophetarum, desiderium Patriarcharum; « Gaudeamus, et exultemus, » quoniam « hic est dies, » quem fecit Dominus[8] » cunctis excellentiorem, universis lucidiorem; in quo Dominus resurrexit, in quo nos ditavit, in quo nos reparavit, in quo sibi stolam novam acquisivit, in quo fidelium mentes gaudio et exultatione perfudit, in quo et nos ad cœnam *per gratiam* dulciter vocavit. Eia ergo, fratres, « In novitate vitæ ambulemus[9]. » Noviter Christo resurgente (9), noviter et nos resurgamus de peccato ad novitatem vitæ spiritualis: hæc vita *gaudium*; hæc est vera (10) sine simulatione, prompta sine simulatione, tota nova sine imperfectione. In novitate ergo vitæ ambulemus, quoniam stare, ubi stetimus, in fermento malitiæ et nequitiæ[10], periculum est. Vultis scire, fratres, quando stamus in fermento malitiæ? Quandocumque enim latibulum peccatorum nobis remansit in confessione, ex propria negligentia vel malitia, vel quando non habemus propositum firmum stare in bono, sed redire ad malum, tunc non assumpsimus viam novitatis, nec viam pœnitentiæ.

IV. Discutiamus ergo corda nostra, fratres, et « In novitate vitæ ambulemus, » et quid Christus egerit, fortiter *attendamus*. Quid enim egit? Facere voluit, et postea docere[11]; sed timeo, ne nos sic faciamus. Nos denique qui super cathedram Moysi sedere conspicimur[12], cavere debemus et vigilanter attendere, ne sicut Pharisæi in cathedra sedeamus. Tales enim dicebant, sed non faciebant, imponebant onera gravia pœnitentiæ aliis, sed nolebant digito suo movere[13]. Tales enim pleno ventre de jejunio utique disputant. Isti sunt et tales undique moderni pastores, tales sunt presbyteri et prædicatores, qui fecibus peccatorum pleni, de castitate disputare præsumunt; impinguati eleemosynis, jejuniorum onera prædicant; ornati panno, non paupertatem ore collaudant; marsupia plena portantes, paupertatem velut lutum conculcant. Nihil enim, quod carni molestum sit, tangere volunt; nihil audire, nisi quod placeat; nihil portare, nisi quod bonum appareat in conspectu suo. Non sic Christus, non sic: sed primo facere voluit, postea docere. Numquid non (11) et principes nostri Romani, qui norma bonitatis et justitiæ esse consueverant in orbe, hoc idem facere cunctis jubebant, et primi semper esse volebant? Sed nos Christi imitatores facere bonum a nobis tantum corpore, aure audivimus (12), et ore prædicare desistere non valemus. O pastores, non jam pastores, vineæ Sabaoth Christi sanguine irrigati (13)! O prælati, velut hæretici, gladios, falces, cornua subtus portantes! O « Genimina viperarum, quis vobis demonstrabit fugere a ventura ira[14]? » O Christi vineæ cultores, an ignoratis quod opera vestra debent esse justitiæ? Non ut vineam Ecclesiæ vindemietis, non ut inde divitias acquiratis, non ut substantiam filiorum comedatis; sed velut perfecti patres et cultores, malos depenatis, et bonos vineæ operarios, velut pupillam oculorum, custodiatis.

V. Conducite, vos qui præestis, bonos operarios in vineam sanctæ Religionis, exaltate bonos, facite eos consortes honoris et dignitatis, sublimate eos in cathedram Moysi,

[1] Tit. II, 12, 13. — [2] Luc. XXIV, 39. — [3] Jon. I, 1, et seqq. — [4] Gen. XLIX, 9. — [5] Judic. XVI, 2, 3. — [6] Gen. XXVIII, 18. — [7] Luc. XV, 32. — [8] Psal. CXVII, 24. — [9] Rom. VI, 4. — [10] I Cor. V, 8. — [11] Act. I, 1. — [12] Matth. XXIII, 2. — [13] Ibid. 3, 4. — [14] Luc. III, 7.

(1) Cod. male addit *scilicet*. — (2) Deest *vivamus* in cod. — (3) Cod. *expecta*. — (4) Verba quæ italice distinguuntur, in cod. sunt vetustate deleta. — (5) Cod. *peremptum*. — (6) Male Judæ Machabæo tribuitur, quod est dictum de Juda patriarcha. — (7) Cod. *mortem*. — (8) Id. *eum*. — (9) Id. *Christus resurgens*. — (10) Id. *vina*. — (11) Deest *non* in cod. — (12) Sic cod., in quo plura deesse, aut male fuisse conscripta videntur. Forte legendum: *Sed nos, Christi imitatores*, id est, qui Christum imitari debemus, *facere bonum negligimus, docere non cessamus; ut nos corporis aure audivimus, et ore prædicare desistere non valemus*. — (13) Cod. *irrigatæ*.

exaltate eos, quia talium est regnum cœlorum[1]. Non superbos, non elatos, non discordiarum auctores, non luxuriosos, non cupidos, non avaros, non nobiles, pretio vel precibus convocate (1); sed humiles et benignos, pauperes spiritu, castos, misericordes, pacem amantes, oves bonas conservantes, debiles refocillantes, perversas edomantes. Sic enim Dominus fecit; non (2) nobiles, non divites, non mundi sapientes, sed piscatores et ignaros Ecclesiæ suæ principes instituit et institui voluit. Tales sunt promovendi, tales sunt in cathedra Moysi collocandi, tales sunt eligendi, ne Ecclesia velut vinea Naboth (3) a Jezabel crudeliter dissipetur[2].

VI. Sic enim si (4) fecerimus, fratres, et in novitate vitæ si ambulaverimus, Discipuli Christi erimus, veritatem vitæ, veritatem doctrinæ et justitiæ cognoscemus. Sic enim Christus pro nobis in stola (5) immortalitatis apparebit, sic in novitate vitæ ambulabimus in præsenti per gratiam, et in futuro per gloriam. Amen.

SERMO LIII.

De Ascensione Domini III.

Legitur hic sermo in Bibl. Ædil. Cod. x, *fol.* 33. *Sit, ut præcedentium plurimi, in appendice post sermonem appendicis nostri primi* vi, *cum numero de Ascensione Domini* ix.

SYNOPSIS.

I. Dies Ascensionis, dies nostræ sublimationis. II. Hæc Ascensio fuit a Prophetis prædicta. III. Angelorum casus, hominum elevatione reparatus. IV. Dies Ascensionis omnium festivitatum completio. V. Ut ascendamus cum Christo, cum Christo pati debemus.

I. Hodie, fratres charissimi, Ascensionis Domini jucunda festivitas; hodie destructa est humani generis captivitas; hodie dulcissimus pastor, qui clauso tumulo rediit ad vitam, cœlum penetravit patenter; hodie ille, cui jam dicebatur: « Descende nunc de cruce[3], » qui etiam clauso cœnaculo ad Discipulos intravit, ad dexteram Dei Patris residet. Non enim de cruce descendere voluit, ut et nos in cruce usque ad mortem permaneamus. Hæc est enim dies æternæ felicitatis, renovationis æternæ vetustatis, sublimationis æternæ fragilitatis; sumus enim hodie de mundo vocati, de præmio certificati, in corpore renovati, super Angelos triumphaliter sublimati. Fueramus jam longo tempore instabiles et vagabundi per incertas mansiones, ut filii Israël in deserto; sed hodie revocamur ad patriam, cum Christus suis Discipulis mandavit, gloriam suam ostensurus, ut in montem Sion irent. Per dies enim quadraginta cum eis stetit post resurrectionem, sicut cum filiis Israël annis quadraginta. Non enim ad montem Sion ascendunt qui redire cupiunt in Ægyptum, hoc est in mundum. Non enim in mundo videri poterit Deus, quando ascendet cœlum cœlorum.

II. Quam Ascensionem Habacuc propheta prædicens ait: « Elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo[4]. » Cum enim Apostoli cum Domino morarentur, confidentes de præsentia Salvatoris, non ad cœlestia conspirabant; sed postquam illuc intravit, illuc Apostoli affectaverunt ascendere. Hæc enim est militum consuetudo, ut ubi sit rex, et milites ibi; ubi dominus, ibi et servus; ubi pater, ibi et filius sive familia. Elevatus est ergo Sol justitiæ, qui « Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum[5]; » et luna, scilicet Ecclesia, stetit in ordine suo. Merito ergo, fratres, luna Ecclesia dicitur; quia sicut luna recipit lumen a sole, ita Ecclesia recipit lumen a Christo; ita etiam sicut luna eclypsim patitur (6), ita et Ecclesia malorum obscuritatem. Hæc enim Ecclesia ante Domini Ascensionem et adventum Spiritûs sancti maxime eclypsim patiebatur; sed post Spiritûs sancti adventum, stetit in ordine suo; quia Petrus qui ad vocem mulieris succubuit, ad vocem Neronis resistentis non recessit. Hac enim Ascensione venit de saltibus Dominus (7), de quibus ait Salomon: « Ecce venit saliens de collibus et montibus[6]; » et bene quia de cœlo in uterum Virginis, et de utero in præsepium, et de præsepio ad crucem, de cruce in sepulcrum, de sepulcro in cœlum. Hac exaltari (8) demonstravit ille, qui dixit: « De torrente in via bibet; propterea exaltabit caput[7]. » In mundo erat torrens mortis defluens a peccato primi parentis; de hoc torrente in via præsentis vitæ Salvator potavit et bibit, quia mortem in transitu gustavit, atque ideo, quod (9) moriendo corpus in sepulcro posuit, hoc (10) resurgendo super Angelos exaltavit; levavit super Angelos post resurrectionem carnem hanc (11), quæ ante resurrectionem erat paulominus minor Angelis, quia passibilis et mortalis minor erat; quam hodie constituit super opera manuum suarum. Post ejus constitutionem et Ascensionem, Angeli non permiserunt se adorari ab homine, videntes humanitatem in deitate esse permanentem.

III. In principio denique mundi creavit Deus Angelum cunctis pretiosiorem et sapientiorem, et imagini Dei plus similabatur. Primus enim in novem ordinibus erat, et cunctis Angelis prælatus; sed superbia ductus ex pulchritudine, ait: « Ascendam in cœlum, et ero similis Altissimo[8]. » Plus sine dubio hic peccavit, quam homo, vel fœmina, quia licet ambo forent (12) in Paradiso, homo tamen stimulum habuit, quia fœmina, quam valde amabat, cum instanter rogabat, et fœminam similiter dæmon. Sed Angelus neminem qui eum tentaret habuit in Paradiso. Itaque cecidit Lucifer de cœlo, cecidit signaculum similitudinis, plenum sapientia, et cum eo omnes ipsi (13) consentientes. De singulis denique novem ordinibus pars cecidisse creditur, et loco cadentium factus est homo, ut ex eo undique cœlum repleretur. Nisi enim peccasset, homo (14) filios sine peccato habuisset, fœmina sine dolore peperisset; non tamen ut puto, velut homines perfectæ ætatis sapientes; et mox, cum (15) magni fuissent, in Paradiso stetissent, et filios sine concupiscentia generassent, de fructibus Paradisi comedissent, et tantum ibidem stetissent, donec ad terminum constitutum a Deo vocati fuissent. Sed ipso peccante, ingressa est mors in mundum, et periit immortalitas. Venit dolor, pestis, frigus, calor et calamitas; clauditur cœlum, expellitur inde homo, exul efficitur, civis inferni constituitur; sic homo ipse occiditur, sed homo sic prostratus clamat, et non exauditur; ululat, et non est qui compatiatur; moritur, et non est qui exaudiat, et sic clamando annis quinque millibus et amplius exauditus est. Ecce redemptus homo; mors per mortem destruitur, et vita per vitam donatur, per ejus resurrectionem nostra immortalitas reparatur, per ejus Ascensionem via nobis præparatur, tanta denique ascensura creditur hominum multitudo, quanta Angelorum multitudo post Angelorum malorum expulsionem in cœlo remansit beatorum, sicut scriptum est per Prophetam dicentem: « Statuit terminos populorum juxta numerum filiorum Israël[9]. »

IV. Hæc est enim dies dierum, fratres charissimi, in

[1] Matth. xix, 14. — [2] 3 Reg. xxi, 1, et seqq. — [3] Matth. xxvii, 40. — [4] Habac. iii, 11. — [5] Joan. i, 9. — [6] Cant. ii, 8. — [7] Psal. cix, 7. — [8] Isai. xiv, 14. — [9] Deut. xxxii, 8.

(1) Cod. *convolenti*. — (2) Id. *nam*. — (3) Id. *Nabaoth*. — (4) Id. *sic sic enim*; deinde deest *et*. — (5) Id. male *stellam*. — (6) Deest *patitur* in cod., qui deinde habet *obscuritate*. — (7) Cod. *hæc enim Ascensio quidem venit de saltibus Domini*. — (8) Id. *exaltare*. — (9) Id. *quia*. — (10) Id. *sed*. — (11) Hæc verba *carnem hanc* desunt in cod., qui deinde male habet *ante resurrectio*. — (12) Deest vox *forent* in cod. — (13) Cod. *sibi*. — (14) Id. male *omnino*. — (15) Id. *tam*.

qua Angelorum ruina restaurata est, humano (1) in qua Angelorum militia consortio lætata est; hæc est illa festivitas festivitatum, in qua nostrum desiderium adimpletum esse videtur; hæc est illa festivitas, quæ (2) *gratiam confirmat* cunctarum festivitatum, sine qua utilitas *cunctarum* festivitatum periret. Nisi enim ascendisset *in cœlum* Salvator, cessasset ejus nativitas, quia in ea Angeli *minime exclamassent:* « Pax hominibus bonæ voluntatis[1]. » Numquid *de peritura pace* Angeli loquebantur? nonne (3) de illa dicebant, quæ « Exsuperat omnem sensum[2], » quæ hic haberi perfecte non potest? Fuisset denique et infructuosa nobis ejus passio, fuisset et inutilis ejus sanctissima resurrectio. Hæc est dies, quæ apud fideles Romanos, semel in septimana tanquam dies Dominicæ resurrectionis a cunctis venerabatur: hæc est dies lætitiæ, dies gaudii et exultationis, in qua novimus *alterum* Samsonem fortissimum portas humanitatis ad montem portasse[3]. Hæc est dies, in qua videmus per fidem sanctos Angelos Dei Filio obedientes, et ascendenti virtute propria ad (4) Patrem, dixerunt: « Quis » est iste » tam gloriosus, qui auxilio nostro non indiget? » Quis est iste rex gloriæ[4]? » Qui Angeli Angelos respondentes (5) audierunt: » Vere rex gloriæ est, vere rex Israël, vere redemptio nostra est, vere Dei Filius est, vere primogenitus et ultimogenitus Mariæ est; vere ille et non alius est, qui sub Pontio Pilato passus est, et tertia die a mortuis resurrexit; vere ille est qui « Rex fortis et Dominus » fortis in prælio[5]; » vere extitit fortis et potens in prælio, quia « Ascendens in altum captivam duxit captivitatem[6] » in altum (6). »

V. Liberatio denique militiæ, victoria extitit regis. Sed quid valet nobis liberatio sociorum, nisi efficiamur socii eorum? Laboremus ergo, fratres, ut, sicut sumus eodem sanguine redempti, ita eodem præmio Ascensionis simus per gratiam remunerati. Cogitemus denique, sanctos Patres, qui cum (7) Christo hodie ascenderunt, quid passi sunt, quid perpessi, quid dilaniati. Aspicite Abraham fide omni ornatum, charitate vallatum, patientia dicatum; et tamen injuriam patitur persecutoris, et calamitates patienter portat. Aspicite sanctum Joseph castitate ornatum; Deum timet, et tamen fame fere in carcere moritur, a fratribus verberatur et venditur. Aspicite Tobiam omni mansuetudine et misericordia plenum; consortia hominum fugit, famelicos pascit, sepulturam parat pro defunctis, et ecce cæcus efficitur, ab uxore blasphematur, infirmitates patitur et mala undique. Aspicite Isaïam pietate decoratum; et tamen occiditur morte crudeli. Ecce sanctus Daniel, ætate junior et maturitate antiquior, inter leones ponitur et mala undique patitur. Omnes enim qui hodie Christum ascendentem viderunt, et cum eo similiter ascenderunt, multa mala passi sunt; omnia tamen patienter sustinuerunt, « Expectantes beatam spem, et adventum » Domini[7] » ad limbum, et hodiernum diem mirabilem, et gloriosum ascensum; quem si cum eisdem obtinere cupimus, quod et ipsi fecerunt, ita et nos faciamus, viventes casti (8), humiles et misericordes, patientes in adversitatibus, humiles in prosperis, casti in illecebris, misericordes in cunctis. Hæc est enim via *sequenda;* hæc est et fuit servorum Dei, in qua et per quam Dei gratiam promeruerunt hodie cum Christo cœlum ascendere; cujus et *quorum* Ascensum obtinere nos faciat ille qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LIV.

De Ascensione Domini IV.

Sermo hic, erutus ex Bibl. Ædil., Cod. x, fol. 34, sit post præcedentem cum numero de Ascensione Domini x.

SYNOPSIS.

I. Ascensionis Christi gaudium et gloria. II. Per viam virtutum cum Christo ascenditur. III. Ascensionis possibilitas exemplis demonstratur. IV. Humilitas Ascensionis fundamentum. V. Pugna ducit ad victoriam.

I. Hodie, fratres charissimi, Christus ascendit super omnes cœlos; gaudeamus. Hodie christianæ religionis completum est desiderium; exultemus. Hodie non solum cœlorum cives effecti sumus, sed etiam superna cœlorum in Christo penetravimus; gaudeamus. Hodie ampliora receptacula per Christi Ascensionem recepimus per gratiam, quam per diaboli perdideramus invidiam; gaudeamus. Quos adversarius de primi tabernaculi felicitate dejecerat, hos Dei Filius ad dexteram Dei Patris per gratiam relocavit. Ascendit ergo Christus, inferno expoliato; ascendit Christus, hoste religato; ascendit Christus, homine liberato, et mysterio nostræ redemptionis consummato. Non timeas ergo, fidelis, quoniam cum Christo ad cœlum ascendere poteris; non timeas, quoniam ipse tecum erit; non timeas de Christi potentia, quia Angeli sunt sub pedibus ejus; non dubites de Christi misericordia, quoniam Latro cum eo associatur; non trepides de Christi gloriosa magnificentia, quia habitaculum ejus sursum est. Raptus est ergo Dei Filius ad thronum Patris; raptus est ab humanitate ad divinitatem; raptus est a passibilitate ad immortalitatem; raptus est a minoritate Angelorum ad æqualitatem Patris. « Assumptus est in cœlum, et sedet ad dexteram Patris, » gloria et honore coronatus[8], » et sublimatus super omnia opera manuum suarum. Ascendit ergo Christus hodie super omnes cœlos (9), ut adimpleret omnia[9]. Venit Christus, fratres mei, et in ejus ortu impleta sunt vita, doctrina et facta; moritur Christus, et adimpleta sunt omnia in ejus transitu; resurrexit Christus, et in ejus resurrectione adimpleta sunt omnia; ascendit Christus, et tunc maxime adimpleta sunt omnia præconia Prophetarum, et mittit Spiritum sanctum, ut impleret omnes fideles. O gloriosa et singularis Christi Ascensio ad triumphandum! O singularis ad speculandum! O exemplaris ad imitandum! O salutaris ad præmiandum! Vere, fratres charissimi, Ascensio fuit singularis ad triumphandum, quia propria potestate ascendit; non trahitur, non subnectitur, non portatur; sed » Videntibus illis elevatus est[10]. » Cum audis, o fidelis, Christum elevatum, agnosce obsequium cœlestis militiæ. Dum naturam sideribus importavit (10), cœlum credentibus posse patere monstravit; dum victor in cœlestibus elevatur, se victorem mortis quo sequamur ostendit.

II. Quis ergo, fratres mei, cum Christo ascendet? Numquid superbus vel avarus? numquid gulosus vel infectus luxuria? numquid homicida vel raptor? Absit. Si vis

[1] Luc. II, 14. — [2] Philip. IV, 7. — [3] Judic. XVI, 1, et seqq. — [4] Psal. XXIII, 8. — [5] Ibid. — [6] Ephes. IV, 8. — [7] Tit. II, 13. — [8] Marc. XVI, 19. — [9] Ephes. IV, 10. — [10] Act. I, 9.

(1) Cod. *humana*. — (2) Quæ italicis distinguuntur, vetustate sunt deleta in cod., et a nobis utcumque restituta. — (3) Cod. *denique*. — (4) Id. *et*. — (5) Deest *respondentes* in cod. — (6) Hæc verba *in altum* errore transcriptoris inducta videntur. — (7) Deest *cum* in cod. — (8) Cod. *caste*. — (9) Deest *cœlos* in cod. — (10) Cod. *importavit*; forte addendum *humanam*.

ergo ascendere cum Christo, lex Domini quem divina instituit, quæ frustrari non poterit, statuit ut qui se humiliaret[1] exaltaretur (1). Ergo, fratres mei, sicut humiliatio præcedit exaltationem, ita descensus præcedit ascensionem. Necesse est ergo, ut prius descendamus per humilitatem, si volumus ascendere cum Christo ad felicitatem. Talis ergo ascendet, qui humilis est, qui justus opere est, qui mundo corde et verax est; innocens manibus et mundo corde[2] cœlum solum cum Christo ascendet. Discutiamus ergo corda nostra, fratres, et sciamus, si justitia, si munditia, si veritate ornati sumus. Si sic, benedicite Deum cœli, per quem hæc bona habetis, rogantes et deprecantes, ut perseverantiam donet. Sed si iniquitate (2), quod est justitiæ contrarium; si impuritate, quæ est noverca castitatis; si falsitate, quæ est inimica veritati; si istis vitiis inquinatos (3) vos esse cognoveritis, dicite: « Servi inutiles sumus[3]. » Cœlum ascendere numquid poterimus? Minime. « Humiliamini ergo sub potenti manu » Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis[4]. »

III. Sed dicet quis: Quomodo potuit corpus grave sua propria virtute ascendere super cœlum; nam leve sursum, et grave deorsum tendere (4) naturale est? Erubescite, infideles; erubescite, hæretica pravitate imbuti, negantes Deum posse grave attollere (5), et mortale perducere ad immortalitatem. Plane conceditis lapides habere virtutes occultas ferrum trahentes sursum et deorsum. Plane conceditis aquam leviorem esse quam terram, quia ex uno pugillo possunt fieri (6) aquæ, quod tamen experientia non didici; et tamen aqua semper invenitur sub terra, unde aquæ puteales, unde fontales, unde aquæ fluviales. Nonne dum terra foditur aqua invenitur? Plane conceditis et ascensum (7). Videtis quod aër et ventus in visceribus terræ generatur, et ibi diutius naturaliter detinetur, quousque multiplicatus terram agitat, motum terræ generat, et terram dividit. Plane videmus, quod in putei (8) profunditatem statim aër non descendit natura levis, sed ad profundum naturaliter ibi quiescit; plane conceditis et ascensum. Videtis quod nebula generatur in vallibus, et a vento aquilonari per vallem ducitur et movetur, et tamen ad cacumina montium elevatur, et usque ad medium aëris interstitium sublimatur. Nonne videmus canes et lupos cæcos nascentes; et visu prius privati, et postea illuminati, vivescunt (9)? Numquid non (10) pulices prius albi, et statim dum vivunt, nigri efficiuntur? numquid non lepores, frigore cogente, albi efficiuntur? numquid non super Britannicum mare est quædam species arboris, quæ fructus producit, et postea (11) transit in naturam volatilis avis? Pauca denique videmus, et magna sunt opera Domini. Numquid in vita Dominus splendorem ab ardore non separabat, et in tribus pueris, qui fuerunt in fornace ignis ardentis, Dominus separavit splendorem ab ardore, ita ut (12) ignis unum capillum non combusserit nec tangere potuerit; et Dominus etiam tunc solvit vincula quibus ligati erant[5]? numquid Dominus non potest humores et complexiones adæquare, ita ut in composito nulla sit penitus repugnantia? In rebus etiam materialibus tota ratio facti est in potentia facientis. Cur ergo miraris, o vane Philosophe? Crede, crede quod audis, et non dubites Christum ascendisse in cœlum.

IV. Quo si ire volumus, fratres, ut diximus, humiles simus, ut exaltemur; nam propter hominem factus est mundus: omnia propter (13) hominem facta sunt, ut solum Creatorem cognoscat, et solum cœlum propter animam factum est. Est denique anima substantia spiritualis, et nullo indigens loco, vel corpore continente, vel cibo. Da animæ tuæ locum; præpara ipsi (14) habitaculum tuum; da quod optat, præpara quod delectat (15) et desiderat. Ad talem denique locum nulla superba anima ascendere poterit; nullam ad (16) requiem æternam, animam superbam ingredi auditum fuit; nullus invidus, nullus avarus, nullus luxuriosus legitur Paradisum intrasse. « Quanto ergo ma» jor es, humilia te in omnibus, et invenies gratiam coram » Deo[6] » et hominibus, non malis, sed bonis. A malis denique despicitur humilis, a malis insidiatur, a malis occidi quæritur, a malis detrahitur, a malis humilis vivere non permittitur. Omnia, quæ humilis agit, mali pervertunt. Si jejunat, hypocrita dicitur; si comedit, Epicureus appellatur; si patiens est, fatuus existimatur (17); si cuncta dispergit, prodigus; si universa conservat, talpa appellatur; si hilaris est, levis corde dicitur; si tristatur, colericus; si servit, præsumptuosus; si non servit, superbus omnium ore (18) humilis appellatur. Tu ergo, o fidelis, qui humilitatem diligis, esto fortis, quia « Omni tempore » diligit, qui amicus est, et frater in angustiis comprobatur[7]. » Fac, quod Deo placet; esto in cunctis benignus, cum omnibus humilis et mansuetus; quia: « Nisi quis (19) » se humiliaverit, sicut parvulus iste, non intrabit in reg» num cœlorum[8]. » Quam humilitatem si Arphaxad rex servasset, velut fumus, subito non evanuisset[9]; si Nabuchodonosor tenuisset, qui velut Deus adorari voluit, fœnum cum animalibus non comedisset[10]; si Antiochus hanc virtutem cognovisset, dum contra populum Dei surrexit, subito percussus non emanasset[11]; si Angelus hanc virtutem amasset, de cœlo non cecidisset; si Adam hanc virtutem non despexisset, de Paradiso expulsus non fuisset[12]. Humiles ergo simus, ne simul cum iis pereamus; humiles simus, si post Ascensionem ascendere cupimus; melius enim esset si nati non fuissemus, si post Christum non ascenderemus.

V. Expedit enim ut inimicum humilitate vincamus; sed si vincere volumus, expedit ut pugnemus. Multi denique volunt coronam, sed Christi volunt vitare pugnam. « Non enim potest coronari, nisi qui legitime certaverit[13]. » Pugnandum est, fratres, dum tempus belli est. Pugna, o miles Christi, humilitate armatus; pugna confidenter, ne perterrearis; pugna prudenter, ne dejiciaris; pugna perseveranter, ne confundaris; aliter non poteris pervenire ad gloriam. Sunt enim aliqui tepidi in pugna Dei, qui cogitantes dicunt: « Quomodo possem abstinere a fornicatione, quomodo jejunare, quomodo inimicis parcere? » Tales sæpe deficiunt, antequam sint in pugna, et non tentati, tentationem (20) præveniunt. Non enim sic pugnavit Moyses contra Amalecitas (21), quia oravit, et orando Deum (22), devicit eos[14]. Non sic pugnavit Gedeon, quia, trecentis viris electis[15], vicit exercitum Madianitarum (23). Non sic pugnavit David, sed fortiter devicit ipsos Philisthæos[16]. Non sic pugnavit Josue contra Amorrhæos, sed perseverans in pugna dixit: « Sol, ne movearis, donec victo» riam habuerimus de inimicis nostris[17]. » Sic denique pugnandum est confidenter, velut Moyses; pugnandum est prudenter, velut Gedeon; pugnandum est potenter, velut David; pugnandum est perseveranter, velut Josue. Unusquisque enim victoriam desiderat; sed nullus victoriam poterit obtinere, nisi in pugna inventus fuerit. Eia ergo, o milites Christi, pugnate, dum tempus habetis; pugnate prudenter, ne decipiatis; expertissimus enim est hostis noster et cautissimus, antiquus et multa audivit et vidit; novit homines, et eorum mores et complexiones optime novit; optime res per exteriora cognoscit; cautus et sapiens est, expertus et doctus. Fortis et potens est; sed fidelis Deus est, qui

[1] Matth. xxiii, 12. — [2] Psal. xxiii, 4. — [3] Luc. xvii, 10. — [4] 1 Petr. v, 6. — [5] Dan. iii, 1, et seqq. — [6] Eccli. iii, 20. — [7] Prov. xvii, 17. — [8] Matth. xviii, 5. — [9] Judith. i, 1, et seqq. — [10] Dan. iv, 1, et seqq. — [11] 2 Mach. ix, 1, et seqq. — [12] Gen. 1, 3, et seqq. — [13] 2 Tim. ii, 5. — [14] Exod. xvii, 8, et seqq. — [15] Judic. vii, 1, et seqq. — [16] 2 Reg. v, 17. — [17] Josue. x, 12.

(1) Cod. *quæ sola humiliaret exaltarentur.* — (2) Id. *in iniquitate*, et sic addit in deinceps. — (3) Id. *ornatos.* — (4) Deest *tendere* in cod. — (5) Cod. *non posse grave ascendere*; et deinde *producere.* — (6) Sic in cod. — (7) Cod. *ad sensum*, et sic deinceps. — (8) Id. *puteis.* — (9) Id. *et visu prius privati, et postea illuminati vivescunt.* — (10) Deest *non* in cod, et sic deinceps. — (11) Cod. *et postea.* — (12) Id. *ita quod*; et deinde *combussit*, ... *potuit*; qui error postea iteratur. — (13) Id. *per.* — (14) Id. *sibi.* — (15) Sic cod. contra grammatices regulas. — (16) Deest *ad* in cod. — (17) Cod. *æstimatur.* — (18) Deest *ore* in cod. — (19) Cod. *qui.* — (20) Id. *tentationem.* — (21) Id. *Malechitas.* — (22) Id. *Deo.* — (23) Id. *Madianorum.*

ab hoste maligno non permittit nos tentari supra id quod ferre possumus[1]. Pugnandum est ergo cum hoste maligno, ut sapientia sanctæ humilitatis vincere possimus hostem iniquitatis; quod si fecerimus, merebimur, fratres, ascendere cum Christo in gloriam. Amen.

SERMO LV.

De Ascensione Domini V.

Sit hic sermo post præcedentem, utpote qui eruatur ex eadem Bibl. Edil., Cod. x, fol. 34 b, cum præsertim argumentum evolvat, quod ætati sancti nostri Doctoris minus conveniat. Habeat numerum de Ascensione Domini xi.

SYNOPSIS.

I. Christus Ascensionem distulit ad confirmandam fidem. II. Ut bonis Christi Ascensionis participemus, nobis egrediendum est et ascendendum. III. Quæ sint malæ ascensiones. IV. Nemo per munera quærat ascendere.

I. Festum hodiernæ festivitatis, fratres charissimi, festum Ascensionis Domini nostri, qui post quadraginta dies a sua gloriosa resurrectione, ascendit in cœlum et sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Sed cur tantum distulit ascendere Salvator? Non sine causa, fratres, est. Quæ est causa ejus, nisi (1) ad resurrectionis probationem? quæ est causa, nisi ad fidei nostræ confirmationem? quæ est causa, nisi ad matris consolationem? quæ est causa, cur tantum distulit, cur quadraginta diebus post resurrectionem inter homines habitare voluit, nisi ad Apostolorum et nostram confirmationem et certificationem?

II. Crevit semen ejus in gentem (2) magnam, et si unum bonum dimisit, mille optima possidere postmodum meruit. Egreditur Moyses, et montem Domini ascendit, et meruit videre faciem Dei cornutam solaribus radiis, et cum eo facie ad faciem loqui, et Legem ejus recipere[2]. Egreditur Lot de terra Sodomorum plena omni abundantia terrenorum, et pergens ad montem salvatur[3]. Egreditur Joannes, et montem desertum petens ascendit, et Christum baptizare meruit, et vocem Patris audivit: « Hic est Filius meus » dilectus[4]. » Egreditur hodierna die Mater Jesu cum multitudine Apostolorum, Discipulorum, et mulierum, et montem ascendit, et ibidem Filium Dei ascendentem in cœlum videre meruerunt; qui si in montem non ascendissent, Deum ascendentem minime videre meruissent. Ascendamus, fratres, et nos, ascendamus fide, spe et charitate armati. Sic enim omnes sancti ascenderunt; sic per hoc salvi facti sunt; sic Salvator nos sæpe docuit; nam in aquam (3) ascendit Christus, ut innocentibus exemplum daret. Quia Joannes innocens erat, vidit cœlum apertum; sic et Stephanus. Sic patet cœlum pœnitentibus, sic patet Martyribus. Ascendit Christus in naviculam, in exemplum pœnitentium; ascendit in montem orare, in exemplum contemplantium; ascendit in templum, in exemplum negotiantium; ascendit in crucem, in exemplum patientium; ascendit in cœlum, in exemplum triumphantium. Hic est ille sapientissimus Salomon, imo plusquam Salomon[5], qui thronum de ebore fecit grandem, et vestivit eum auro, ad quem ascendebatur per gradus sex[6]. Et quid per gradus, nisi virtutes, quibus armati et ornati in stelis cum Christo sedere poterimus? O utinam, fratres mei, ascendamus in thronum! o utinam ascendamus in templum, non sicut Pharisæus ad judicandum et condemnandum alios, at (4) seipsum laudandum et justificandum, sed sicut publicanus humilis perseverans in templo[7]!

III. Legimus, fratres, in Veteri Testamento, quod Abimelech interfecit fratres suos, ut ascendere posset in thronum[8]; et ecce legimus, quod inde fuit exterminatus. Legimus Absalonem seditioso voluisse ascendere regnum Patris sui, et ecce lancea perforatur[9]. Legimus Adoniam (5) præsumptuose voluisse ascendere ad regnum, et ecce gladio interficitur[10]. Legimus Jasonem ad summum sacerdotium ascendere voluisse ambitiose, et exaltatus interficitur[11]. Sed non sic nos ascendere oportet; nam Abraham, obtenta victoria de hostibus suis, venit obviam Melchisedech (6), volens ipsi spolia dare; cui ait Abraham: « Levo » manus meas ad cœlum, quia non recipiam quidquam[12]. » Numquid et Moyses Domine non (7) dicebat, dum populum murmurantem audivit: « Tu scis, Domine, quia nec » asellum tuli, nec oppressi aliquem, nec calumniatus sum » quempiam[13]? » numquid non et Samuël: « Et si munus ac» cepi (8) de manu alicujus, præsto sum condemnari[14]? » numquid et Eliseus, qui curavit Naaman Syrum, aliquid ab eo recepit? « Vivit, inquit, Dominus in cujus conspectu» sto (9), quia nil recipiam[15]. » Numquid et Daniel, qui regi conjecturam et visionem aperuit, aliquid ab eo recepit[16]? numquid et Apostoli infirmos sanantes, aliquid muneris receperunt?

IV. Sed dicet quis; Cur de muneribus hodie mentio vel sermo fit? Ideo, fratres, de muneribus mentio fit et sermo, quia mediantibus muneribus unusquisque ad statum ascendere quærit, non ad cœlum, sed ad infernum; non ad locum cœlestem, sed ad cathedram mundialem; non ut pauperes pascat, sed ut equos in stabulo nutriat; non ut prosit, sed ut præsit; non ut corrigat, sed ut interficiat; non ut pascat, sed ut deglutiat; non ut congreget, sed ut disperdat. Non sic fecit Abraham, sed prius deleri cupiebat, quam videre populum periclitantem; non sic Moyses, qui populum peccantem reprehendebat; non sic Samuël, qui pro populi salute intercedebat; non sic Eliseus, qui sanitatem restituebat; non sic Daniel, qui pro lege mala sustinebat. Expedit omnino, fratres, ut immunes simus et liberi ab omni munere, et manus nostras discussas semper habeamus. Quomodo enim poterit amare justitiam, qui non odit injustitiam? quomodo delinquentes corrigere poterit ille, qui muneribus fortiter religatur? quomodo viam rectam tenere poterit ille, qui non vocatus a Deo tanquam Aaron[17] fuerit, sed pretio, amore, odio vel timore ascendit ad cathedram? Non igitur decet principes recipere munera, quia ipsi habent stipendia populorum sibi subjectorum; non debent Pontifices recipere munera, quia habent præbendarum dispensationem; non decet judices recipere munera, false judicantes, quando juste ex arte victum et vestitum habere possunt; non decet sacerdotes recipere munera, si habent sacramentorum dispensationem; non decet doctores recipere munera ex consilii perversione. Attendant igitur omnes, et diligenter advertant, quomodo Abimelech propter hoc exterminatur, quomodo Absalom lanceatur, quomodo Jason interficitur, quomodo Adonias perimitur. Multi denique ascendere volunt super cathedram Moysi cum Adonia præsumptuose,

[1] 1 Cor. x, 13. — [2] Exod. xx, 23; xxxiii, 11, etc. — [3] Gen. xix, 1, et seqq. — [4] Matth. iii, 17. — [5] Id. xii, 42. — [6] 3 Reg. x, 19. — [7] Luc. xviii, 10, et seqq. — [8] Judic. ix, 1, et seqq. — [9] 2 Reg. xv, 1, et seqq. — [10] 3 Reg. 1, 1, et seqq. — [11] 2 Mach. iv, 7, et seqq. — [12] Gen. xiv, 22, 23. — [13] Num. xvi, 15. — [14] 1 Reg. xii, 3. — [15] 4 Reg. v, 16. — [16] Dan. v, 17. — [17] Hebr. v, 4.

(1) Deest *nisi* in cod. — (2) Hic plura deesse videntur, qualia forent ista: *Ut autem nos digne Ascensionem celebremus, egrediamur ex amore mundi necesse est. Nam egreditur Abraham ex cognatione sua, et crevit, etc.* — (3) Cod. *non*; forte *ex aqua* post baptismum. — (4) Id. *et*. — (5) Id. *Ananiam*. — (6) Id. male *Abimelech*, et deinde *sibi*, pro *ipsi*. — (7) Deest *non* in cod., et sic inferius. — (8) Cod. *accepit*. — (9) Id. *esto*.

qui tamen bene cognoscunt se esse indignos; et nihilominus pretio vel precibus, minis vel blandimentis suum ascensum procurant. Multi sunt, qui ascendunt cum Jasone, qui trecentos triginta aureos regi dare promisit, ut posset ascendere in summum sacerdotium. Tales sunt simiæ diaboli; quia sicut illæ facere vident, omnia et ipsæ facere volunt. Tales sunt aliqui, qui ascendere volunt, simulantes et simulantes sanctitatem habere, qui tamen, postquam ascenderint, opere cognoscuntur tanquam lupi rapaces. Isti sunt Magi et Arioli, qui steterunt coram rege Nabuchodonosor, ut solverent ejus somnium[1]. Isti non stant coram Domino, quoniam in spiritu et veritate Deum non adorant[2]. Isti videntur ascendere, sicut fecerunt Abimelech, et Adonias, et Absalom, et Jason. Sed quo fine isti clausi sunt, sic et isti; licet florere videantur, tandem in profundum, quasi lapis, descendunt[3]. Isti apostatæ sunt et falsi prophetæ, qui ascensum procurant, et descensum non curant. Isti non recipient dona Dei de quibus dicitur: « Ascendens in altum, dedit dona hominibus[4]. » De quorum numero ascendentes nos faciat Christus Dei Filius. Amen.

SERMO LVI.

De Ascensione Domini VI.

Hic sermo, qui in Bibl. Laur., Plut. XIII, *Cod.* VIII, *Part.* II, *fol.* 158 *b, cum nomine sancti Augustini legitur, non est ejus; sed vere sancti Joannis Chrysostomi, ut in ejus operibus videre est. Cum autem sit ex alia versione, et quidem multo elegantiore, sicut et liberiore, quam Benedictinorum et eorum antecessorum versione, illam in lucem emittere non insulsum credidimus. Locus ejus post præcedentem cum numero de Ascensione Domini* XII.

SYNOPSIS.

I. Propter Martyres, et cum Angelis, mysteria extra civitatem celebrata. II. Dies Ascensionis, generi humano festivus, quia humanam naturam sublimavit. III. Reconciliatio facta inter Deum et hominem per oblationem Christi, id est, primitiarum generis humani. IV. Vere primitiæ Christus, quia primitiæ sunt, non fructus primum nati, sed primum maturi et validi. V. Naturæ humanæ indignitas. VI. Angeli cum gaudio naturam humanam in excelsis positam viderunt, cujus antea reprobationem doluerant. VII. Cur Angeli in resurrectione Discipulis apparuerunt. VIII. Descendenti ad judicandum Christo, justi in occursum rapientur. IX. Laborandum ergo ut gloriæ Christi cum Angelis sociemur.

I. Et quando de cruce nostra processit oratio, foris civitatem solemnitatem celebravimus; et nunc cum de crucifixi Ascensione tractamus, præclarum diem et omni lætitia coruscantem, fines civitatis egressi, magna congratulatione celebramus; quia hoc non ad contumeliam civitatis, sed ad honorem spectat Sanctorum, ne nos dissimulationis accusent dicentes: « Quid pro Domino sentimus universa tormenta lætantium vulneribus nostris (1)? Vidimus ossa carne nudata; patientiæ nostræ tortor cessit iratus; libenti animo pro Christo noster sanguis effusus est; decisa sunt capita pro ejus gloria. Hæc omnia meruimus (2) sustinere, et ista (3) die non meremur agnosci; neque mysteriorum arcana in nostris tabernaculis celebrantur. » Ideo, dilectissimi fratres, hodie ad loca convenimus Beatorum, ad Sanctorum tabernacula festinavimus, ut conventus noster ipsorum præsentia clarior redderetur. Non enim in hoc theatro tantum martyres præsunt, sed etiam Angelorum instantia locus decoratur. Nam et Angeli præsunt; et si Martyres videre desideras, si Angelos cupis inspicere, aperi oculos fidei, et illud tibi theatrum facile demonstratur. Nam cum in omni aëre Angelorum multitudo versetur, multo magis in Ecclesia, multo amplius hodierno die, quando eorum Dominus ascendit in cœlum. Et ut scias, quia Angeli ubique versantur, audi quid Paulus fœmineo pudori prospiciens, ait: « Mulieres velamen habent « super caput propter Angelos[5]. » Et iterum Jacob: « Angelus, » ait, qui liberavit me a juventute mea[6]. » Et illi qui cum Apostolis erant, aiunt ad Rhoden: « Angelus ipsius est[7]. » Et Jacob: « Vidi, inquit, Angelorum castra[8]. » Videbantur in terra; nam sicut Imperatoris optimi provisione urbes omnes, castella singula manu militari adversus hostilem subito adventum, et omnia loca diligenter armantur, ne barbarica illusione deleantur, ita et Deus, quoniam et agresti mente rabiantes dæmones ad pacis eversionem ubique versantur, ad tutelam nostram constituit exercitus Angelorum, ut eorum præsentia dæmonum confringatur audacia, et per eos nobis pacis gratia ministratur. Vides quod etiam Angeli præsunt, instituunt Martyres, et undique nobis præparantur auxilia. Quid igitur est miserius illis, qui conventum istum splendidum derelinquunt? Et quid vobis beatius qui ad tantam solemnitatem properatis? Sed fortissima Martyrum facta alio tempore declarabimus; ad proposita redeamus.

II. Hodierna die, dilectissimi fratres, Deo mira sumus reconciliatione sociati. Hodierna die humanum genus cœlestem viam meruisse cognoscitur. Hodie illud vetus jurgium dissolutum est, sedatum pristinum bellum. Hodie nobis pax miranda donata est, quæ nunquam sperabatur posse reddi. Nam quæ spes erat Dominum humanæ velle consulere naturæ? non quia Deus inhumanus (4), sed quia servus segnitie (5) videbatur oppressus; non quia crudelis Dominus, sed quia contumax servus. Vis audire, quod nostro vitio Deus ad commotionem provocatus est, quod nostra culpa mansuetus Dominus noster irritatus est (6); disce singula, et rationes (7) causæ cognosce; ut cum sedatum senseris bellum, jurgium dissolutum, humanum genus summo honore decoratum, divinam gratiam, misericordiamque magnam, et perpetuam Domini benedictionem sanctifices (8). Aliquando Deus de humani generis confusione cogitavit, et huc usque ira ejus processit, ut viros cum fœminis, senes et juvenes, feras ac (9) pecora lucis privare disposuisset spiritu; et audi divini verbi sententiam: « Delebo, inquit, » hominem quem feci a facie terræ, bestias et pecora, quoniam me pœnitet (10), quia feci hominem[9]. » Et ut scias, quia hæc mala (11) non fiunt ex odio naturæ (12), sed quia (13) malitiæ nostræ non ferebat horrorem, postquam dixit: « Delebo hominem, quem feci, a facie terræ, » dicit et ad Noë: « Tempus omnis hominis venit coram me[10]; » et si hominem haberet (14) exosum, ad hominem non loqueretur, nec dignum concessisset (15) percipere auditum. Sed vide Dei misericordiam; hominem quadam satisfactione consolatur et causam ei futuræ calamitatis enarrat, non ut homo causas discat, sed ut narrando aliis, multo meliores efficiat. Quod dicebat, hoc est: In tantum humanum genus pessime conversabatur, ut et ipsius terræ habitatione carere juberetur (16). Sed nos qui et terra videbamur indigni, hodie elevati sumus ad cœlum; qui nec terrestria merebamur, cœleste regnum meruimus possidere. Cœlorum transivimus fines, et ipsa sede regali coronamur, et natura, cujus

[1] Dan. II, 1, et seqq. — [2] Joan. IV, 24. — [3] Exod. XV, 5. — [4] Ephes. IV, 8. — [5] I Cor. XI, 10. — [6] Gen. XLVIII, 16. — [7] Act. XII, 15. — [8] Gen. XXXII, 2. — [9] Id. VI, 7. — [10] Gen. VI, 13.

(1) Cod. *vexantium manibus nostris*: ut opinando correximus. — (2) Id. *meminimus*. — (3) Id. *ejus*. — (4) Id. *in humanus*. — (5) Id. *ne gloria*. — (6) Id. *mixtus est*. — (7) Id. *ratione*. — (8) Id est *glorifices*. — (9) Cod. *ad*. — (10) Id. *recogitavi*. — (11) Id. *humana*. — (12) Id. *ex omni natura*. — (13) Deest *quia* in cod. — (14) Cod. *habebat*. — (15) Id. *concessit*. — (16) Id. *speraretur*.

causa Paradisus a Cherubim custodiebatur, hodie supra Cherubim summo cum honore suscepta est.

III. Sed hoc mirabile quemadmodum factum est, videamus; et quemadmodum nos, qui tantum divinam offenderamus clementiam ut terrestribus privaremur, excelsa tenuimus et alto meruimus possidere; quemadmodum sedatur jurgium, et illud videtur, ira sedata, sublatum. Disce quod non nostra deprecatione, qui non offenderamus, sed postulatis (1) ejus qui juste fuerat nobis iratus, pax facta est. « Pro Christo » namque, ait Apostolus, legatione fungimur, tanquam Deo » rogante per nos[1]. » Quid est hoc? Ipse rogat, qui injuriam passus est. Valde, inquam; nam Deus clemens et ipse, tanquam misericors pater, deprecatur. Et vide, quod melius est; reconciliator accessit, non Angelus, non Archangelus, sed ipse Filius deprecantis; et sicut (2) duobus jurgio separatis, homo in medio positus altercantium litem discordiamque dissolvit, ita et Christus fecit. Deus nobis juste irascebatur, et nos contemnebamus iratum, et clementem Dominum declinabamus; et se medium Christus ingessit, et sociavit utramque naturam; et nobis, quod imminebat a Patre, supplicium ipse sustinuit: « Christus nos, inquit, » emit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictus[2]. » Vides quod imminens cœleste supplicium ipse sustinuit; disce quod et terrestrem insultationem ipse toleravit: « In» sultationes, inquit, insultantium ceciderunt super me[3]. » Vides quemadmodum sedavit jurgium, quemadmodum litigium ipse dissolvit, nec ante discessit, sed multa fecit, multa sustinuit, ut inimicum reconciliaret, ut hostem Deo sociaret, et amicum faceret qui multo fuerat tempore inimicus. Et horum tamen omnium beneficiorum hodiernus dies mira fuit causa (3), quo tanquam primitias naturæ nostræ Deo dedit, et sicut de campo segetibus decorato qui collectas spicas obtulerit Deo, magnam (4) campo benedictionem reportare prospicitur, sic et Christus per illud corpus nostram facit benedici naturam.

IV. Sed, dices, et cur (5) non omnem naturam levavit ad cœlum? Eo quod (6) non videtur esse primitiæ, cum totum offertur, sed si tantum partim offertur; per hanc (7) enim oblationem totum benedicitur. Sed, inquis, si primitiæ sunt, primum ipsum (8) hominem ad cœlum debuerat (9) elevare; primitiæ namque sunt. Quod primum offertur, primumque pullulat, non est hoc primitiæ; nam imbecillis fructus nullus est; sed fortis et validus ipse debet offerri. Quia ergo pro peccato fuerat obligatus, et patrato crimine tenebatur, ideo non potuit offerri, licet prior factus esse videretur (10), sed qui postea factus est. Ut discas quod iste fructus primitias fecit, qui robustus et validus, et summa maturitate florescit, testimonium te divinæ ultionis poterit edocere: « Si intraveris in terram, » quam Dominus Deus tibi dabit, inquit Moyses ad popu» lum, et plantaveris in ea omne lignum, quod facit fruc» tum ad edendum, tribus annis non depergabis fructum » ejus, sed dimittes illum quæ nondum arbor valida firmi» tate roboratur, nec fructus aliqua maturitate senescunt. » Sed quartus, inquit, annus sanctus est Domino[4]. » Vide Legis conditoris prudentiam. Fructum primum nec manducari permisit, ne ante Dominum quisquam eum percipere videatur, nec (11) offerri concessit, ne Deo immaturus offeratur, sed Dimitte, inquit, quia primus est, nec offeras, quia oblatione nondum dignus est fructus, nec accipere ei convenit immaturum (12). Et hæc nobis dicta sunt propter corpus quod Christus obtulit. Igitur naturæ nostræ primitias obtulit Patri, et oblatum donum miratus est Pater, quod et tanta dignitas offerebat, quod macula nulla fœdabat. Nam et suis manibus suscepit oblatum, et suæ sedis fecit esse participem, et quod plus est, ad partem suæ dexteræ collocavit.

V. Cognoscamus quis ille sit (13) qui audivit: « Sede ad » dexteram meam[5]? » quæ natura cui Deus dixit: Esto meæ particeps sedis? Illa natura est, quæ audivit: « Terra es, » et in terram ibis[6]. » Non enim ascendere gloriam cœli sufficiebat (14), non cum Angelis stare. Sedes transivit, Archangelos prætermisit (15), super Cherubim ascendit, super Seraphim elevatur, nec autem statit, nisi sedem Dominicam tenuisset. Vide quo spatio cœlum separatur a terra, imo quantum et terra ab inferis, et infimum (16) cœlum quantum ab altiore cœlo separatur, et de altiori cœlo quantum spatii est ad Archangelos, ad superiores etiam Potestates, ad ipsam quoque Dominicam sedem. Super hæc omnia natura nostra elevata est, et homo qui loco tam humili tenebatur, ut descendere non posset ulterius, ad tam excelsam sedem elevatur, ut superius non possit ascendere. Et hoc ostendens Paulus aiebat: « Qui descendit, ipse est qui as» cendit[7]; » descendit ad infimum terræ, et ascendit super omnes cœlos. Disce igitur quis ascendit, ut quæ natura est elevata? In hoc enim cupio remorari (17) sermonem, ut humani generis commemoratione divinam clementiam cum admiratione discamus, quæ (18) summum honorem magnumque gloriam nostræ naturæ largita est. Terra et cinis eramus. Sed hoc nondum nostrum vitium, sed imbecillitas fuit. Facti sumus irrationabilibus insensatiores: « Compara» tus est (19) namque homo jumentis insipientibus, et similis » factus est eis[8]. » Et pejus est comparari, quam nasci. Naturaliter non habere rationem, tolerabile est; verum ratione decoratum irrationali naturæ comparari, voluntatis crimen est. Et quando audis, quod homo comparatus est jumentis, non arbitreris, quod eum irrationabilibus similem voluit demonstrare, sed longe pejorem; non tantum, quia homines facti, ad irrationabilia festinavimus gesta, sed quia ad majorem dementiam properavimus. Et hoc significans Isaïas dicebat: « Agnovit bos possessorem suum, et asinus » præsepe domini sui; Israël autem me non cognovit[9]. » Sed nunc priorem conversationem erubescamus: « Ubi enim » abundavit peccatum, superabundavit et gratia[10]. » Vides quod jumentis irrationabiliores fuimus: « Cognovit bos pos» sessorem suum, et asinus præsepe domini sui. » Unde et avibus irrationabiliores invenimur: « Hirundo et agri passe» res agnoverunt tempora ingressûs sui, populus vero meus » non agnovit judicia Dei[11]. » Ecce jumentis, ecce avibus deteriora sentimus, irrationabiliora cogitamus. Vis amplius nostram percipere (20) naturam; formicarum nobis Salomon gesta narravit, earum nobis imitationem ostendit: « Vade namque, ait, ad formicam, o piger, et æmulare » vias ejus[12]. » Formicarum sumus facti discipuli, formicarum æmulatione vivimus, formicarum conversamur exemplis. In tantum amisimus humanæ naturæ consilium, in tantum humanæ mentis aliena sentimus, qui ad similitudinem Dei facti monstramur! Sed non reus est ille qui fecit, sed nos qui contempsimus in imagine perdurare. Sed quid de formicis dico? lapidibus insensatiores facti sumus. Et hoc tibi valido testimonio demonstrabo, dicente Propheta: « Audite, con» valles (21), fundamenta terræ, quia judicium Domino con» tra populum suum[13]. » Quid (22) ais? Contra homines judicium tibi est, et testes terræ fundamenta vocantur (23) inter Dominum et genus (24) humanum? Quia judicium non audiunt homines (25), lapides invitantur? Valde, inquit; nam lapidibus insensatiores esse agnoscuntur. Vides quod totius malitiæ fines excessimus. Asinis et bobus irrationabiliores ostendimur, et sensu volatilium superamur, nec ipsis solum lapidibus comparamur, sed serpentum malignitatem (26) imitamur. « Furor namque eis ad similitudinem serpentis; » venenum aspidis sub labiis eorum[14]. » Et quid de mutis animalibus loquimur, ubi etiam ipsius diaboli filii nuncupamur? « Vos autem filii diaboli estis[15]. »

[1] II Cor. v, 20. — [2] Galat. III, 13. — [3] Psal. LXVIII, 10. — [4] Levit. XIX, 24, 25. — [5] Psal. CIX, 1. — [6] Gen. III, 19. — [7] Ephes. IV, 10. — [8] Psal. XLVIII, 13-21. — [9] Isai. I, 3. — [10] Rom. V, 20. — [11] Jerem. VIII, 7. — [12] Prov. VI, 6. — [13] Mich. VI, 2. — [14] Psal. XIII, 3. — [15] Joan. VIII, 44.

(1) Cod. *postulata*. — (2) Id. *sic*. — (3) Deest in cod. vox *causa*. — (4) Cod. *tanquam*. — (5) Id. *et cum*. — (6) Id. *quod*; et deinde deest *sed*. — (7) Id. *per quam*. — (8) Id. *suum*. — (9) Id. *debuerant*. — (10) Id. *videbatur*. — (11) Id. *ne*. — (12) Id. *in immaturum*. — (13) Id. *est*. — (14) Id. *ad omnem gloriam cœlos sufficeret*. — (15) Id. male *præmisit*. — (16) Id. *ipsum*. — (17) Cod. *removeri*. — (18) Id. *quam*. — (19) Id. *comparatus est*. — (20) Id. *recipere*. — (21) Id. *franges*. — (22) Id. *quod*. — (23) Id. *clamantur*. — (24) Desunt in cod. hæc verba *et genus*. — (25) Cod. *audiant*, nec habet *homines*. — (26) Id. *malignitates*.

VI. Et tamen nos qui sensum (1) non habebamus, qui contumacia gravabamur, qui nec lapidibus comparabamur, qui vincebamur omni natura, qui despecti videbamur, qui contemnebamur; et quemadmodum loquar ignoro; quo sermone utar, quo verbo dicam, reperire non possum. Natura fragilis, natura consumpta, omnibus monstrata deterior, omnia vicit, omnia superavit, omnibus hodierna die meruit excellentior reperiri. Hodie Angeli quod multo tempore cupierunt, inspicere voluerunt, naturam nostram in sede Dominica, immortalitatis fulgentem gloria perviderunt (2). Hoc enim affectabant Angeli, hoc desiderabant Archangeli. Etsi eos humana natura largito ipsi (3) honore superat, tamen nostris beneficiis gratulentur, sicut nostris dolebant suppliciis, et quando puniebamur, nimis tristitia turbabatur. Et Cherubim licet Paradisum custodirent, nostris tamen suppliciis tristabantur; ut sicut conservus bonus, cum a domino conservum suum custodiendum susceperit, satisfacit quidem dominicæ jussioni, sed tamen conservi pœna nimio dolore conteritur; servitii necessitate constrictus, animo non respuit charitatem; sic et Cherubim meruerant quidem custodire Paradisum, sed dolebant hominem (4) custodire. Et ut hoc facile possis advertere ex hominum affectione condisce (5). Servorum calamitates inspicimus cum dolore; ut, si servant homines charitatem, multo magis illæ Potestates suppliciis nostris commoventur. Nam et justi dolebant de peccatorum suppliciis, et licet merito pœnæ inferrentur, tamen doloris incitabantur tristitia. Nam Moyses post idoli acrimoniam dicebat : « Siquidem dimitte eis peccatum, » dimitte; sin autem, dele me de libro quem scripsisti[1]. » Quid hoc est? contumaciam vides, et pro impiorum supplicio deprecaris (6) Deum? Ideo inquit, doleo et deprecor (7), quia digne cruciantur, quia merito puniuntur, quia ipsi sunt sui causa supplicii. Et Ezechiel, cum Angelum populo viderat inferentem sententiam supplicii, cum nimia lamentatione clamavit, dicens : « Heu » mihi, Domine, quoniam deles tu reliquias Israël[2]? » Et Jeremias : « Castiga nos, Domine, in judicio, et non in ira, » ne nos paucissimos facias[3]. » Et cum Moyses, et Ezechiel et Jeremias doleant, quanto magis illæ Potestates nostris calamitatibus commoveantur. Et ut scias quod nostris malis doluerunt, ex eo disce quod reconciliationi divinæ (8) gratulatæ sunt. Et, si antea non dolebant, nec postea gratulantur. Et quod gratulatæ sint, Salvator ostendit dicens : « Quia gaudium erit Angelis in cœlis pro uno peccatore » pœnitentiam agente[4]. » Et si unius peccatoris compunctioni (9) Angeli gratulantur, multo magis cum ad cœlum hodierna die hominum viderunt elevari naturam. Et alia ratione condisce gaudium cœlestium Potestatum. Quando Dominus noster Jesus Christus secundum carnem natus est, et hominem reconciliatum viderunt, nec enim aliter descenderent, cum summa gratulatione clamabant : « Gloria in » excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis[5], » hominibus, qui debellati sunt, qui inimici fuerunt, qui alieni erant, qui contumaces judicati sunt. Vides quemadmodum in alienis gratulentur, imo in suis; nam nostra bona suas utilitates arbitrantur dicere, et cum ascenderet, gratulabantur, et in uno gaudio exultabant, et descendebant frequenter. Et hoc proprium est cupientium videre insperatum spectaculum. Et ut scias quod ascendebant, Christi te verba confirmant, qui dicit : « Modo videbitis » Angelos Dei ascendentes et descendentes ad Filium ho» minis[6]. » Et iste semper amantium mos est, cupientium solitam consuetudinem; nec tempus expectare didicerunt, sed festino amoris ardore etiam dilationem præveniunt constitutam. Ideo ascendunt, ideo descendunt, et cum omni festinatione novum et incredibile spectaculum videre desiderant. Nam quid hoc mirabilius est, quando homo, qui contemptus est, videtur in cœlo? Ideo et quando nascebatur Dominus, et quando resurgebat, exultabant Angeli, et hodie quando ascendit in cœlum. « Ecce enim duo, ait, » in alba veste[7], » ut ex ipsis vestimentis gratulatio monstraretur, dixerunt ad Discipulos : « Iste Jesus qui ascendit » a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum » euntem in cœlum[8]. »

VII. Hic auditum mihi cum debita (10) diligentia commodato, cur hæc dicta sint? Numquid oculos Discipuli non (11) habebant? numquid non bene videbant quid gereretur? numquid non dixit Evangelista : « Qui videntibus eis » ascendit in cœlum[9]? » Cur igitur Angeli eis dicebant, quod factum est? qui demonstrabant, quod ascendit in cœlum, propter has scilicet causas duas; unam, quia dolebant, Jesu Ascensione desolati. Et quia dolebant, audi quid ad eos dicit : « Nemo me interrogat de vobis, quo vadis? sed quia » ista dixi, tristitia replevit cor vestrum[10]. » Et si amicorum seu cognatorum separatione tristamur, quanto magis Salvatorem, Magistrum, Dominum misericordem, pium, mansuetum, cum se viderent separari, omni cum dolore tristabantur. Et ideo stabant Angeli, ut Ascensionis tristitiam regressionis commemoratione consolabantur, et separationis dolorem adventûs futuri pollicitatione sedabant. Nam aiunt : « Iste Jesus, qui ascendit a vobis, sic veniet. » Doletis, inquiunt, quia ascenderit; sed dolere desistite; nam iterum veniet. Et ne hoc facerent, quod Elisæus fecisse docetur, conscindens vestimentum, cum Magistrum vidisset elevatum ad cœlum; non enim hic procedentem videbat (12) Angelum, qui ei Eliam promitteret venire; ne ergo hoc facerent, ideo Angeli stabant animi eorum tristitiam solatio relevantes. Et hæc quidem una causa est præsentiæ Angelorum. Est et alia causa non minoris rationis. Nam addiderunt : « Qui ascendit ad cœlum, » et quia longum spatium de terra tendebatur ad cœlum, et oculorum acies portatum corpus ad illam altitudinem minime poterat pervidere (13), sed sicut avem, cum altiora supervolat (14), aspectus deficit inspicere, et noster oculus volatu (15) vincitur celsiore, sic et illud corpus quanto ferebatur ad summa, tanto oculus videntium aspectus imbecillitate velabatur, deficiente natura altiora conspicere; ideo stabant Angeli, iter cœleste monstrantes, ne quis arbitraretur, quia tanquam in cœlum ascendit. « Qui elevatus est, inquit, a » vobis in cœlum. » Ideo non simpliciter hoc addidit. Et Elias quidem tanquam in cœlum ascendit; nam servus erat; Jesus autem ad cœlum, quia Dominus erat; ille in curru igneo, hic in nube. Et quando servus vocabatur, currus mittebatur, ut veniret; quando Filius ascendebat, Dominica sedes occurrebat; nec tantum Dominica, sed paterna. Nam et de Patre ait Isaïas : « Ecce Dominus sedet in » nube levi[11]. » Et quia Pater sedet in nube, nubem misit et Filio. Et Elias quidem cum ascenderet melotem suam Eliseo dimisit; Christus autem Discipulis gratiam dereliquit, qui non unum Prophetam, sed multos Eliseos effecit, imo multos illo potentiores.

VIII. Elevemur igitur et excitemur, dilectissimi fratres, et illum cogitemus adventum. Nam et Paulus ait : « Ipse » descendet (16) de cœlo Dominus in visione in voce Archan» geli, et nos qui vivimus, qui relinquimur, rapiemur in » nube in occursum Domini, sed non omnes[12]. » Et quia non omnes rapiemur, sed aliquanti. quid ait Jesus? « Tunc » erunt duæ in mola molentes, una suscipietur, et una re» linquetur; duo in lecto, unus suscipietur, et unus dimit» tetur[13]. » Quid hac singularitate ostendatur, quid hoc secreto declaratur, videamus. Molæ (17) autem pauperes innopesque demonstrant, et eos qui vitæ laboribus conteruntur (18); lectus divites et quietos ostendit, et eos qui honoribus

[1] Exod. xxxii, 31. — [2] Ezech. ix, 8. — [3] Jerem. x, 24. — [4] Luc. xv, 20. — [5] Id. ii, 14. — [6] Joan. i, 51. — [7] Act. i, 10. — [8] Ibid. 11. — [9] Ibid. 9. — [10] Joan. xvi, 5, 6. — [11] Isai. xix, 1. — [12] 1 Thess. iv, 15, 16. — [13] Luc. xvii, 34, 35.

(1) Cod. sensum. — (2) Id. providerunt. — (3) Id. sibi. — (4) Id. hominem. — (5) Id. condisse. — (6) Id. deprecare. — (7) Id. dolo omnino. — (8) Id. reconciliatione divina. — (9) Id. compunctione. — (10) Id. Dei. — (11) Sæpe in cod. deest non post numquid; et hic sæpius deficit. — (12) Cod. proferentem, nec habet videbat. — (13) Id. providere. — (14) Id. postulat. — (15) Id. volatus. — (16) Id. descendit. — (17) Id. moles. — (18) Id. conterentur.

sæcularibus perfruuntur. Et volens ostendere quia (1) et de pauperibus aliquanti liberantur et pereunt, de divitibus nonnulli liberantur et pereunt, ait quia de mola una suscipitur et alia dimittitur, et de lecto unus suscipitur et unus relinquitur; significans quia qui peccatis obruuntur hic remanent supplicia sustinentes, justi autem rapiuntur ad nubem. Nam sicut, Rege adveniente ad aliquam civitatem, hi qui honoribus et dignitatibus decorantur, cum summa confidentia, non expectato ejus ingressu, longe ante portas occurrunt, et excipiunt venientem; rei autem et criminibus obligati, intra muros continentur, imperatoriam expectaturi sententiam; ita et quando Dominus veniet, justi ei in ipso medio aëre confidenter occurrunt; si noxii vero et obruti peccatis, hic remanent expectantes judicium. Tunc et nos rapiamur nomine justorum, nomine concivium. Commemorans dixi « Nos rapiamur; » nam non sum in tantum sanæ mentis alienus, non animi cæcitate confusus, ut mea peccata nesciam, ut meorum videar oblitus esse gestorum. Nam quia diem festum nolo meo dolore turbare, nec solemnitati miscere tristitiam, parco lacrymis, parco fletibus meorum peccatorum; conscientiæ saucius.

IX. Et ideo orationem in ipsa festivitatis lætitia terminabo; illius diei memoriam derelinquens, ut nec dives suis opibus gratuletur, nec sua pauper egestate tristetur; sed unusquisque suæ conscientiæ meritum speret. Nam nec dives beatus, nec pauper miser poterit judicari; sed qui illius merebitur miser aspectum, ipse cacumen totius beatitudinis possidebit. Nam qui peccatis pauper est, divitiis cœlestibus abundabit, et qui criminibus dives est, suppliciorum pondere sustinebit. Et omnino dico, ut qui in peccatis sumus, lugeamus, et qui beata conscientia vivunt, gratulentur (2); sed nec isti confidant, sed timeant; nec illi lugeant, sed corrigantur. Nam cum liceat eum, qui male fuerat conversatus (3), mutari ac gloriam promereri, et his parem fieri qui semper juste vixerunt, hoc et nos implere properemus. Et qui bene vivunt, propositi et conversationis suæ merita, futuræ gloriæ applicare festinent, et confidentiam augere non desinant. Et qui peccatorum mole opprimuntur, meliore correctione mutentur, ut justorum choro (4) sociati non indebita reverentia imperatorem suscipiamus Angelorum, et illa beatitudine perfruamur, quam nos omnes faciat promereri gratia (5) Domini nostri Jesu Christi, cum quo est Patri gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LVII.

De Ascensione Domini VII.

Hic sermo, extractus ex Bibl. Laur., Plut. XVII, *Cod.* XXXII, *fol.* 41; *et ex Bibl. Ædil., Cod.* CLXIII, *fol.* 212, *cum nomine sancti Augustini, nec sententiarum gravitatem, nec genus dicendi præfert, quæ sancto Doctori conveniunt. Locus ejus in appendice post sermonem præcedentem cum numero de Ascensione Domini* XIII.

SYNOPSIS.

I. Christi gloriosa Ascensio. II. Angelorum Discipulis manifestatio, et novi Apostoli electio. III. Christus in hac festivitate orandus.

I. MAGNUM hodie, fratres, suscipiamus (6) diem festum, quando Dominus noster Jesus Christus quadraginta post dies resurrectionis aëreo (7) volatu conscendit ad cœlos. Tripudiant hodie cœli cœlorum, gaudet (8) omnis exercitus Angelorum, quia Redemptor omnium nationum, cum ingenti triumpho, æthereum ad dexteram Patris hodie sedit in thronum. Omnem simul monet Apostolicam ecclesiam, ut nequaquam pertimescerent (9) hujus mundi pressuram; neque furorem pertimescerent sævientium Judæorum, sed decimam post diem Paracletum susciperent Spiritum sanctum. Cum hæc, inquit, Dominus noster Jesus Christus sua sacratissima verba tanquam semen in terra sua bona profunderet, verba salutifera (10), subito carruca sedens (11) nubali vectatus est ad regiam cœli, cui omnes toga cœlesti (12) ornatæ conclamant, et dulcis melos (13) resultat: « Benedictus, qui venit in nomine Domini; Hosanna in excelsis[1]. » Supinis, inquit, vultibus aspiciebant in cœlum omnes simul Apostoli, et populi universi videntes Dominum terræ et cœli, in propria corpore, nube vectari. Quibus consolatores illico, in specie viri, albentes duo directi sunt Angeli, quibus aiunt monentes eos et consolantes: « Viri Galilæi, quid miramini Christum Deum euntem in « cœlum, quemadmodum Prophetæ buccinando paulo « ante hæc omnia prædixerunt esse facturum[2]. » Et quem sciebatis, quia ideo venerat, « Non solvere legem, sed « adimplere[3], » cur miramini quod (14) hodierna die conscendit ad Patrem? Ite, inquit, Apostoli, prædicate verbum divinum, ut impleatur in vobis ipsius promissum, quem totius mundi Dominum, vos duodecim meruistis habere magistrum. Reversi itaque domum, inierunt hodierna in die consilium Apostolum constituere novum pro traditore illo falsoque Discipulo. Et talem sibi Dominus sorte elegit virum dignissimum, qui annotari (15) meruit in numero duodecim Apostolorum.

II. Pervenientes itaque, fratres, ad hanc diem festivitatis, orandus est ipse Dominus noster Jesus Christus a nobis, ut nostrum aptet calamum (16) vocis ad prædicandum verbum divinum sensibus vestris, et pro hujus diei quadragesimi festo, quidquid nostra vobis prædixerit lingua, aure libenti suscipiat charitas vestra.

SERMO LVIII.

De Pentecoste III, de Adventu Spiritûs sancti.

Eductus hic sermo ex Bibl. Ædil., cod. X, *fol.* 35, *sit in appendice, propter sæpe memoratas rationes, post sermonem appendicis primi supplementi cum numero de Pentecoste* X.

SYNOPSIS.

I. Apostolorum mirabilis mutatio. II. Præcipue autem Petri. III. Ejusdem argumenti continuatio. IV. Cur venit Spiritus in specie columbæ. V. Clausis venit Spiritus sanctus.

I. HODIE, fratres dilectissimi, completi sunt dies Pentecostes; Alleluia. Hodie fidelium corda, quæ hactenus debilia erant et vacillantia, confirmantur; hodie Apostolorum Princeps, qui ad vocem mulieris Christum negavit, coram omni multitudine non timuit confiteri; et quem ignorare in passione dicebat, hodierna die magnificare non satiatur; et sicut in passione Christi festinanter fugerat, ita, et longe fortius, coram Nerone pervenire desideravit (17), Christum Dei Filium super omnia magnificans. Hodie piscatores

[1] Matth. XXI, 9. — [2] Act. I, 11. — [3] Matth. V, 17.

(1) Cod. qui. — (2) Id. gratiam mer. — (3) Id. male conservatus, et antea deest eum. — (4) Id. crebro. — (5) Id. gaudium. — (6) Sic cod. XXXII; cod. CLXIII suscipimus. — (7) Sic cod. CLXIII; cod. XXXII male aëro. — (8) Codd. gaurit. — (9) Cod. XXXII pertimescere, et neuter cod. habet ut. — (10) Codd. novifera. — (11) Cod. XXXII sedere; cod. CLXIII cedere nivali. — (12) Codd. male cœlestem. — (13) Id. bonus; et deinde cod. CLXIII resultant. — (14) Sic cod. CLXIII; cod. XXXII cur. — (15) Codd. adnotare. — (16) Cod. thalamum. — (17) Id. desiderans.

doctores, debiles fortes, ignari sapientes, timentes constantes, impotentes potentes, muti loquaces, surdi audientes, claudi ambulantes, peccatores cœlorum cives, domestici Dei. Dei (1) fortes, terræque (2) cœlorum fundatores, fidei exemplatores, Legis imitatores, Evangelii triumphatores, aulæ cœlestis assessores (3), divini judicii judicatores, janitores cœlorum, et gloriosos principes terræ, hodierna die, sanctos Apostolos factos esse conspicimus in adventu Spiritûs sancti; fratres, gaudeamus. Hodie Discipulorum corda inflammando roboravit tam fortiter, tam suaviter, tam mirabiliter, ut Petrus et Andreas ad crucem pergere non timerent, Paulus, Jacobus et Matthæus gladium non paverent. Numquid Joannes venenum bibere timuit? numquid Jacobus fullonis perticam? numquid Bartholomæus pellem? numquid Simon et Philippus crucem? numquid Thaddæus trucidationem (4)? numquid Matthias securim? numquid Thomas cerebri effusionem? Et unde hæc mutatio, fratres, dexteræ excelsi[1]? Quia « Verbo Domini cœli firmati sunt[2]. » Quomodo firmati, nisi supra petram? Aspice omnes firmatos, o fidelis; quia ecce Petrus, Andreas, Simon et Philippus ad crucem gaudentes vadunt. Aspice Paulum sponte decollatum; aspice Jacobum et Matthæum gladio decurtatum (5); aspice Bartholomæum pelle decorticatum (6); aspice Thaddæum crudeliter trucidatum; aspice Matthiam (7) securi percussum; aspice Thomam cerebro privatum; aspice Joannem carceri (8) mancipatum, et veneno, et baleco jocundatum; aspice Jacobum justum, fullonum baculo, spiritum exhalantem (9). Ecce quomodo « Verbo Domini cœli firmati sunt, » ecce quomodo Spiritus oris Dei omnis virtus eorum est.

II. Certo, ut supra diximus, fratres, ipse pastor ecclesiæ Petrus, cui datus erat principatus Apostolorum, cui traditæ sunt claves regni cœlorum, cui commissa erat custodia omnium, quantæ formidinis fuerit nullatenus ignoramus. Ait enim ipse Petrus: « Non sum[3], non novi hominem[4]; » qui fere annis tribus cum Christo conversatus jam fuerat. Sed non solum sufficit hoc, sed cœpit detestari, et dicere per illum Deum, qui cœlum et terram creavit, qui Legem Moysi dedit, qui mirabilia in mari Rubro fecit, quia non cognosco hominem[5]. Ecce principis et capitis Apostolorum fortitudo; ecce Petri constantia, ecce Petri pusillanimitas. Fortior denique fuit Latro in cruce affixus, quam Petrus; fortior Latro, quam Legifer ecclesiæ; fortior fuit Latro, quam Apostolus; fortior alienus, quam terrigena; fortior Domini servus, quam Domini amicus. Quomodo etiam alii Apostoli fortes fuerunt? quomodo membra ex quo caput vacillabat membrorum? Sed hodie « Verbo Domini cœli firmati sunt. » Verbum Domini Filius est Patris, quia « In principio erat Verbum[6], » quia ideo dicitur Verbum ipse Filius, quia sicut verbum est manifestatio intellectûs latentis, ita Christus veniens in mundum fuit ostensio Patris, quem hominibus ignorantibus manifestavit. « Dominico igitur Verbo cœli firmati « sunt. » Cœli cœlorum dicuntur Apostoli, quia sicut cœli terram fructificare faciunt, sic et Apostoli terram, scilicet homines, post adventum Spiritûs sancti fructificare fecerunt, in fide confirmando, roborando, prædicando, increpando in omni patientia et doctrina[7], dæmones effugando, mortuos resuscitando, infirmos sanando, et vitam æternam promittendo.

III. Audistis, fratres, quomodo « Verbo Domini cœli firmati sunt; » placeat et modo audire, quomodo « Spiritus » oris ejus est virtus eorum[8]. » Os enim Patris Christus est, quia per Filium incarnatum Pater locutus est mundo: « Et » sermonem quem audistis, inquit Filius, non est meus, sed » ejus qui misit me Patris[9]. « Spiritus autem sanctus dicitur esse Filii (10) Dei, dicitur esse Patris, quia ab utroque procedit, et uterque eum mittit. Mittit Pater quia « Spiritus « sanctus quem Pater mittet in nomine meo[10]; « mittit Filius, quia « Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos[11]. « Iste Paracletus, consolator, adveniens in specie ignis inflammavit corda Discipulorum, ut contra omnia adversa resisterent. Erigite, fratres, mentes, et videte oculo mentis et corporis Petri fortitudinem, postquam Spiritu sancto repletus est. Nam cum adhuc Jerosolymis Apostoli prædicarent populo post adventum Spiritûs sancti, « Princeps » sacerdotum et omnes qui cum illo erant, repleti sunt « zelo, et miserunt manus in Apostolos et posuerunt eos in » carcere: Angelus autem Domini aperuit carcerem et « eduxit eos. Exeuntes autem diluculo iterum in templo » prædicaverunt. Principes sacerdotum, convocato concilio, » miserunt ad carcerem, ut adducerentur. Sed reversi dixe» runt: Clausum carcerem invenimus et custodes stantes « ad januam, tandem intus aspicientes neminem vidimus. » Et cum hæc renuntiarentur, quidam dixerunt quod in » templo prædicabant[12]. » Adducti vero Apostoli, » Gaudentes in conspectu concilii; « præcepit magistratus, ne ulterius prædicarent Jesum. Sed ad hoc respondit ille magnus Cephas, et alta voce dixit: « Obedire Deo oportet « magis quam hominibus[13]. » Ecce Petrus, qui vocem mulieris timuit, modo sacerdotibus et principibus cum audacia multa resistit.

IV. Sed modo videndum est, quid est quod Spiritus sanctus in specie columbæ super Christum baptizatum apparuit et in specie ignis super Apostolos (11) descendit, nisi quia quamvis Christus sit judex humani generis, tamen in mundum veniens noluit prius homines et peccatores ferire, sed cum mansuetudine attrahere; quæ mansuetudo per simplicitatem columbinam designatur: sed in igne venit hominibus, quia peccata nostra, quæ prius Dominus per mansuetudinem toleravit, nos per zelum rectitudinis ardore pœnitentiæ debemus cremare. Est, fratres, et alia ratio, quia quos Spiritus sanctus replet, simplices et ardentes facit: simplices malitia, sed ardentes virtute et doctrina. Ideo ait Dominus: « Estote prudentes, sicut ser« pentes, et simplices sicut columbæ[14]. « Serpens est astutum animal, qui aspiciens incantatorem venientem affigit aurem terræ, et aliam cauda obturat, ne vocem incantantis audiat. Itaque nec serpens sine columba, nec columba sine serpente in hominibus esse debet, quatenus et columbæ simplicitatem et serpentis prudentiam attendamus, et serpentis astutiam columbæ simplicitas temperet. Septem denique virtutes in columba legimus, quas etiam virtutes Spiritus sanctus in fidelibus generat. Columba secus fluenta libens habitat, ut, viso accipitre, in aquam se immergat (12), et evadat; semper grana meliora devorat, alienos pullos nutrit, rostro non lacerat, felle caret, in cavernis nidificat, et gemit, dum cantare desiderat. Sic et Apostoli secus divinæ Scripturæ fluenta, quibus corda eorum rigantur inhabitant, ut eorum juvamento aggressus diaboli evadant. Meliora grana sancti viri, qui post Apostolos fuerunt, id est, meliores sententias, non hæreticas, quibus pasci et pascere possint, eligunt. Alienos pullos, id est, homines prius a Deo alienos, sua doctrina et exemplo erudiunt. Non lacerant rostro, quia Scripturas non lacerant more hæreticorum. In cavernis petrarum nidificant, quia in Christo et in suis plagis semper vigilant. Gemitum habent pro cantu, quia sicut columba in suo cantu delectatur, sic et sancti viri, qui Spiritu sancto pleni sunt in omni tribulatione, in omni adversitate, in omni corporis infirmitate delectantur, velut in cantu. Contra ergo talem consolatorem cordis nostri hospitia præparemus, virtutibus ornemus, a vitiis mundemus ut eum suscipere mereamur.

[1] Psal. LXXVI, 11. — [2] Id. XXXII, 6. — [3] Luc. XXII, 58. — [4] Matth. XXVI, 72. — [5] Ibid. 74. — [6] Joan. I, 1. — [7] II Tim. IV, 2. — [8] Psal. XXXII, 6. — [9] Joan. XIV, 24. — [10] Ibid. 26. — [11] Id. XV, 18. — [12] Act. V, 17, et seqq. — [13] Ibid. 29. — [14] Matth. X, 16.

(1) Sic cod.; forte *Dei milites*. — (2) Sic cod.; forte *regnique*. — (3) Cod. *accessores*. — (4) Id. *trucidatus*. — (5) Id. *decoratum*. — (6) Id. *depauperatum*. — (7) Id male *Matthæum*. — (8) Id. *carcere*. — (9) Sic optando emendare conati sumus codicem, in quo legitur *spiritu exalatum*. — (10) Cod. male *Filius*. — (11) Hæc *et in specie ignis in Apostolos* desunt in cod., sed videntur ista requirit sensus. — (12) Cod. *emergat*.

V. Clausi denique erant Apostoli simul in pace congregati; non fabulantes, non litigantes, sed orantes erant cum Maria matre Jesu[1], exspectantes donum a Christo eis promissum. Sic et nos, fratres, oremus et clausi permaneamus, sæculum fugientes. Sic in fide, spe et charitate ornati ad Christum clamare, Redemptorem nostrum, poterimus: « Emitte Spiritum tuum, Domine, et creabuntur, » et renovabis faciem terræ[2]. Emitte Spiritum tuum, » ut in nos veniat Pater et (1) Spiritus sanctus, quia veniente ad nos Spiritu sancto, venit et Pater et Filius. Pater denique Deus, et Filius, et Spiritus sanctus, scilicet veniunt ad nos, dum venimus ad eos; veniunt ad nos juvando, dum venimus ad eos obediendo; veniunt ad nos illuminando, dum venimus ad eos intuendo; veniunt ad nos implendo, dum venimus ad eos respiciendo; ut sit nobis eorum non exterior visio, sed interior, non transitoria mansio, sed æterna. Amen.

SERMO LIX.

De Pentecoste IV, de Adventu Spiritûs sancti.

Hunc sermonem suppeditavit eadem Bibl. Ædil., Cod. x, *fol.* 36. *Sit ut præcedentes in appendice post præcedentem cum numero de Pentecoste* xi.

SYNOPSIS.

I. Gratiæ Apostolis datæ. II. Mysterium Pentecostes in veteri Lege figuratum. III. Scriptor, ex monacho, presbyter. IV. Dotes quæ a presbyteris requiruntur. V. In prædicatione modus est tenendus.

I. Congruum et dignum est, fratres charissimi, ut his diebus, in quibus legimus sanctos Apostolos in eodem loco pariter congregatos et Spiritu sancto repletos[3], et nos (2) conventum in domo Dei pariter faciamus. In hac enim die sacratissima, sancti Apostoli multas gratias, quæ ad officium clericorum pertinent et pastoribus Ecclesiæ valde necessariæ sunt, receperunt abunde. Ideo primo videamus quid datum est illis, ut et nos discamus quid datum sit nobis. Dederat jam Dominus potestatem Apostolis expellendi dæmones, sanandi infirmos, dimittendi peccata, et in cœna, quando eos in presbyteros consecravit, et post resurrectionem, quando in facie eorum insufflavit et dixit: « Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata[4], » etc. » Sed quia ituri erant ad omnes gentes per multas tribulationes, ideo primo instruendi erant, ut scirent quid prædicarent; primo roborandi, ut prædicare auderent; primo confirmandi in gratia, ut minas et tormenta non timerent. Ideo datæ sunt eis linguæ omnium nationum, quæ sub cœlo sunt, ut hæc omnia perficere possent. Hæc enim necessaria Apostolis erant. Nam si scientiam habuissent et timuissent, defecissent; si scientia caruissent et audaciam habuissent, defecissent; si scientiam et audaciam habuissent, et gratia Dei caruissent, defecissent; si scientiam, si audaciam, si gratiam habuissent, et genere locutionis caruissent, defecissent. Datur ergo Apostolis Spiritus sanctus sub forma (3) ignearum linguarum, quia lucem et ardorem habet. In luce illuminatio doctrinæ, in ardore fervor audaciæ designatur. In hac illuminatione perfecte datum est capere (4) Evangelium, quod perfecte ante adventum Spiritûs sancti capere non poterant. « Multa, inquit Salvator, habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo; » sed cum (5) venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem » veritatem[5]. » Sed dum venit Spiritus sanctus veritatis, cum sono magno venit[6], significans quod ad sonum prædicationis jam eos incitabat. Sedebant congregati in cœnaculo David, quia jam magistri et judicatores facti erant, et gloriosi principes terræ et cœlorum cives. Sublimitas, præceptorum cœlestium donorum sublimitatem indicat. Quia congregati erant, unitas Ecclesiæ significatur.

II. Hæc autem omnia quæ hodierna die facta esse conspicimus, in Veteri Lege sancti Patres in figura viderunt. Legimus namque quod quinquagesimo die post exitum de Ægypto, post immolationem agni in Ægypto, data est lex in monte Sinaï tali modo: primo quando descendit Dominus in ignem fumantem, cœperunt tonitrua et buccina audiri, et fulmina micare, et nubes operire montem, et populus prohibitus est ad montem accedere, ne videret Deum et transiret terminos constitutos. Ascendit autem Moyses et Aaron in montem, et præcepta Legis receperunt[7]. Sed attendite, fratres, quod hæc omnia hodierna die facta et adimpleta videmus. Ecce post liberationem filiorum Israël, et post passionem Christi Domini nostri, post liberationem eorum de inferno, data est quinquagesimo die Apostolis perfecta sanctæ Legis cognitio. Nam ibi Dominus descendit in igne, sic et Spiritus sanctus in Apostolos; ibi sonitus, et hic sonus; ibi buccina, et hic prædicatio; ibi tonitrua, et hic minatio pœnarum; ibi fulmina, et hic miraculorum coruscatio. Sancti denique Apostoli post adventum Spiritûs sancti veritatem prædicaverunt, pœnam inferni comminati sunt, miraculis coruscaverunt. Utraque etiam Lex data est in alto; illa in monte, sed ista in cœnaculo. Moyses et Aaron sunt in monte, et populus separatur a (6) monte, quia Doctores Ecclesiæ ascendunt sublimitatem mysteriorum, sed populus simplicia discit et altiora perscrutari prohibetur.

III. Hæc omnia, fratres charissimi, de utroque Testamento sumpta a nobis; et si per culpam nostram vobis (7) non conveniunt, tamen ex officio dici (8) debent. Nam licet in eremo cum fratribus meis, quos in Christi nomine congregavi, ibidem multo tempore fuerim, ut multi ex vobis videre potuerunt, tamen compulsus a sancto sene Valerio factus sum presbyter: et post dies paucos presbyteros infra domum Valerii mecum habere volui (9), pariter cum eisdem vivere cupiens, sicut hactenus cum fratribus meis feceram, quod valde difficile erat propter vehementem tumultum quibuscumque horis dierum. Et ecce dimissa solitudine, non tamen mente sed corpore, sacerdotes facti sumus, collocati in cœnaculo sumus, positi in monte sumus, quia positi sumus in tanti ordinis sublimitate, ut gregi Domini quasi speculatores provideamus contra versutas (10) hostis nostri calliditates. Nos in cœnaculo sedis Dei sedemus, quia judices, et pastores, et magistri in Ecclesia Dei sumus, et subjectos nobis docere debemus. Sed qui docet, debet eam scientiam, quam docet, primo habere, et postea audacter docere.

IV. O quam magnæ temeritatis est cathedram ascendere, si non habet scientiæ donum! o quam periculosum est sine vita sancta velle dominari! o quam grave est velle corrigere si in eisdem peccatis pastor exstiterit! Non debent in cœnaculo cum Apostolis sedere, qui non meruerunt sancto Spiritu cum Apostolis fulgere. Quare non meruerunt, nisi quia noluerunt. *Verum audite* (11), fratres? *Judices* facti sumus, juste judicare *causas* debemus; *doctores facti sumus*, veritatem docere studeamus; patres et pastores *facti sumus*, subjectos nostros nutrire, et pascere, et ut pupillam oculorum custodire debemus. Non pauperem spernere debe-

[1] Act. I, 14. — [2] Psal. CIII, 30. — [3] Act. II, 1, et seqq. — [4] Joan. XX, 22. — [5] Id. XVI, 12. — [6] Act. II, 2. — [7] Exod. XIX, 16, et seqq.

(1) Deest *et* in cod. — (2) Cod. male *ut et nos*. — (3) Desunt in cod. hæc verba *sub forma*. — (4) Deest vox *capere* in cod. — (5) Cod. *dum*. — (6) Deest *a* in cod. — (7) Cod. *nobis*. — (8) Deest verbum *dici* in cod. — (9) Hæc omnia falsa omnino videntur, cum monasterium Augustinus non habuerit, nisi post Valerii mortem. Vide notas ad Serm. ad fratres in eremo XXI. — (10) Cod. *versutia*. — (11) Id. *audire*. Quæ italicis distinguuntur, vel partim, vel totaliter vetustate sunt deleta.

mus, nec divitem vel potentem odio vel amore tenere. Qui ergo in cœnaculo sedere quærit, et ignem et fervorem audaciæ suscipiat contra rebelles, obediendo illi qui dicit : «Nolite timere eos, qui occidunt corpus[1].» Sic isto fervore repletus erat sanctus Moyses, qui, cum moraretur per dies multos in monte, mandata Legis accipiendo, peccavit populus, et vitulum fabricavit[2] et adoravit eum populus (1). Descendit Moyses de monte, ut ei Dominus præceperat, et destruxit usque ad pulveres, quos pulveres sparsit, et dedit potum ex eis filiis Israël, et stans ait : «Si quis Domini »est, adhæreat mihi[3].» Et adhæserunt ei filii Levi, quibus ait : «Ponat vir gladium suum super femur suum, et ite (2) »per medium castrorum, et occidat unusquisque fratrem »suum et proximum suum[4].» Qui sic fecerunt. Hunc sanctum Moysem imitari debemus, quia fervore justitiæ plenus est. Si peccat populus, accipiamus gladios ultionis, sed prius super femur nostrum ponamus, atque a nobis prius malorum illecebras abscindamus. Deinde per medium castrorum ire debemus; et tunc pergimus per medium, quando sic juste judicamus, quod nec amore stringimur, nec odio divellimur; in hoc nec amico, nec proximo parcendum est. Si quis vero non fecerit (3), hypocrita est, et Pharisæus, et destructor sanctæ Legis. Corpus vituli etiam frangere debemus, et dare potum filiis. Et quid est corpus vituli, nisi sisaniæ seminatores vel superbiæ? Tales omnino fugiendi sunt, et in pulverem humilitatis redigendi verbo sacræ admonitionis.

V. Sed modo dicere oportet, quomodo gratiam, sive genera linguarum habere poterimus; ideo attendendum est, si hanc gratiam obtinere volumus. Nam in prædicatione non est semper idem modus; cum corrigimus, non idem modus est habendus. Aliis enim simplicia, aliis mediocria, aliis maxima prædicanda sunt. Sic et Apostoli fecerunt. Sic etiam, arguendus est quis, alius acriter, alius dulciter, alius timore (4), alius blanditiis, alius minis, et alius factis, ut expedit secundum naturarum conditionem. Gratiam linguarum habet qui locutionis modos observare cognoscit. Digni ergo eritis, fratres charissimi, residere in cœnaculo Ecclesiæ, si in corde scientiam, si fervorem justitiæ cum moderantia et discretione habueritis. Qui sine scientia populum regere quærit, cæcus cæcum per viam ducere quærit. Cogitemus ergo quantum onus, fratres, suscepimus : de quibus omnibus rationem reddere debemus. Nobis enim commissa sunt duo talenta, unum intelligentiæ et aliud operationis. Servemus quod habemus, et multiplicemus quod servamus. Non enim sufficit servare, nisi servata studeamus multiplicare. Deus autem qui thesaurum suum nobis commisit, nobis custodiat, et custodita multiplicet, ut nos in æterno suo regno de labore nostro per gratiam remuneret. Amen.

[1] Matth. x, 28. — [2] Exod. xxxii, 1, et seqq. — [3] Exod. xxxii, 26. — [4] Ibid. 27, et seqq.

(1) Vox *populus* videtur abundare. — (2) Cod. *ire*. — (3) Id. *confecerit*. — (4) Id. absque sensu *maxime*.

APPENDIX

SERMONUM

SANCTI AURELII

AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

CLASSIS III.

SERMONES

DE SANCTIS.

SERMO LX.

De Sancto Paulo primo Eremita.

Idem dicendum de hoc sermone ac de omnibus qui reperiuntur in Bibl. Ædil., cod. x, ubi hic legitur fol. 40. Sit igitur in appendice post sermonem appendicis Maurinensis CLXXXVIII.

SYNOPSIS.

I. Paulus fugit in desertum, velut Elias. II. Beatitudo paupertatis spiritualis. II. Soror paupertatis humilitas. IV. Laus paupertatis, quæ et cum lenitate conjungitur. V. Cavendum a contumeliis inferendis.

I. Scriptum est, fratres charissimi, quod sanctus Elias timuit Jezabel, et timens surrexit, et abiit quocumque eum ferebat voluntas. Venit autem in Bersabee Juda, et dimittens ibi puerum suum perrexit et abiit in desertum. Cum-

quo venisset et sederet subtus unam juniperum, projecit se et obdormivit sub umbra ejus, et ecce Angelus Domini tetigit eum dicens : « Surge et comede. Et respiciens ad caput » suum vidit subcinericium panem, et vas aquæ. Comedit » ergo, et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius qua» draginta diebus et quadraginta noctibus, et sic pervenit ad » montem Dei Horeb[1]. » Per Eliam, qui interpretatur fortis Dominus, intelligi potest Paulus, qui persecutionem patiebatur videndo Martyres duci ad victimam. Beatus es, o Paule, et « Beati qui persecutionem patiuntur propter jus» titiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum[2]. » Qui Paulus metuens Jezabel, id est, tyrannidem Decii imperatoris, timens suæ carnis fragilitatem, timens ne a Deo recaderet, abiit (1)....., abiit in balnearium animarum, abiit ad consortium Angelorum, ad viam æternæ vitæ; abiit ad eremum, ad verum paradisum deliciarum; abiit ad hortum suavissimum, plenum omnium pomorum; abiit ad agrum venerabilium Patrum sanctorum; abiit non ad inquietudinem sæculi, sed ad mentis et corporis tranquillitatem. Abiit quoque sanctissimus Paulus dum esset annorum quindecim quocumque tulit eum a Domino voluntas sibi collata, venitque in Bersabee Juda, id est, in vastam solitudinem, dimittens ibi puerum, id est, puerilem sensum, pristinorum actuum debilitatem. Et dimissis omnibus a sæculi tumultu quiescit, et dormit cantans cum Propheta ; « Hæc » est requies mea in sæculum sæculi[3]. » Quam requiem, quam pacem, quam tranquillitatem habere non possunt qui in sæcularibus tumultibus implicantur. Pax ista habet tranquillissimam vitam, quæ mente sua non litigat, sed in Dei amore perseverans, amœna tranquillitate perfruitur; quam ne temporalem putares addit Propheta : « In (2) idipsum » dormiam et requiescam[4]. Idipsum, » dicitur quod nulla rerum vicissitudine commutatur, sed idipsum permanens impermutabili perennitate consistit; « Dormiam, » finem vitæ vult intelligi; « Requiescam, » futuram beatitudinem indicare monstratur, quando dabitur sanctis infinita pausatio, et dulcis requies infinita. Tunc angelica visio tangens eum excitat eum ad bonum operandum, et ad altiora consurgendum inspirat. Respicit tunc « Ad caput suum, » quod est Christus, et ecce « Subcinericius panis, » qui est pastus divini dogmatis, forinsecus ut a foris quidem rudis, sed medullitus ineffabiliter confortativus et dulcis; et « Vas » aquæ, » quod est fons lacrymarum cum cordis compunctione. » Comedit et bibit, » complendo et adimplendo hortamenta salutis, quæ audit, et « Pergit in fortitudine » cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus, » id est, toto vitæ suæ spatio, « usque ad montem Dei, » ex» celsæ beatitudinis. « Quaterdeni, quadraginta sunt, et vita præsens congruo quaternario numero figuratur, vel quia quatuor anni temporibus tota vita nostra variatur, vel quia mundus ipse in quo vivimus (3) quatuor elementis subsistit, igne videlicet, aëre, aqua et terra. Igitur, fratres mei, « Quæcumque dicta vel scripta sunt, ad nostram » doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolatio» nem scripturarum, spem habeamus[5] ; » et nuper audientes quid Paulus egerit, mente avida prospiciamus. Quid enim egit? Solus ad eremum perrexit, velut Elias ; quin (4), non homo fuit, ut Elias, nec (5) quadraginta annorum formatus, eremum gratanter intravit. Non metuens bestias, non animalia fera considerans, non divitias secum portans, non de vita aliquid cogitans, sed velut Abraham cognationem et divitias deserens, venit in terram, quam monstraverat et præparaverat ipsi Dominus. Sciebat enim quod jam præceperat Dominus corvis, ut pascerent eum in deserto; et pastus est a corvis in deserta Angelicis, annis nonaginta octo. O grande spectaculum (6) ! o grandis et sublimis Salvatoris clementia ! Ecce Paulus puer desertum ingreditur; non cibis oneratur, et magnifice pascitur; non pannis, nisi quibus tunc fruebatur, et palmarum (7) indumento optime decoratur : non amicitiam quærit et ecce à (8) sancto viro Antonio (9)..... visitatur.

II. Eia ergo, fratres, nolite solliciti esse de corpore mortis (10) hujus; sed « Quærite primo regnum Dei[6]. » Confidite in illum, quia ipse Pater cœlestis amat vos[7], nec derelinquit sperantes in se[8]; amemus ergo eum, confidamus in illum, quia ipse Pater cœlestis amat vos, nec derelinquit sperantes in se (11) : amemus ergo eum, confidamus in illum, quoniam « Ipsi summa cura est de nobis[9]. » Sequamur Paulum pauperem, cujus vita et exempla recitata sunt a venerabili et famoso viro sancto Valerio. Plus mihi contulit ad salutem quam frequens et continua Ambrosii disputatio Sequamur igitur Paulum pauperem, quia « Beati » pauperes spiritu[10], » quoniam divites sunt in regno cœlorum. Sed paupertas quædam est in rebus tantum, quædam est in voluntate tantum : primam paupertatem habentes, non beati esse dicuntur; sed pauperes hic et pauperiores in futuro erunt. Tales sunt miseri qui cum affectu habere desiderant : isti non beati, sed jam damnati dicuntur. Quæ est ergo paupertas quæ beatos homines facit, nisi paupertas spiritûs, nisi nihil hujus mundi appetere? Multi denique in rebus abundant; sed quia rebus non delectantur terrenis, ut voluntate pauperes sunt quasi non habentes, sicut Abraham, Isaac et Jacob, qui licet in rebus abundarent, tamen summe pauperes fuerunt, quia omnia despiciebant, tales denique vere sunt pauperes spiritu, quia si habent, cor non apponunt[11], et si (12) non habent, habere non desiderant.

III. Hos tales oportet esse humiles, aliter paupertas illa vana est. Soror namque paupertatis et amica inseparabilis humilitas comprobatur. Nam pauper spiritu superbus esse non potest. Quare non potest? Quia gloriam suam quærit, et paupertatem spiritûs amittit. Si quis vero propter gloriam mundi divitias suas spargit, non vero spiritu pauper est, quia dispergendo, gloriam mundi quærit. Qui vero Deum non timet, nec vere pauper, nec vere humilis esse poterit. Hoc docemur facere ut petere, dum petimus a Deo : « Libera nos a malo[12]. » Liberati a malo sumus, dum vere Deum timemus, et amore ejus (13) omnia adversa gaudenter portamus. Tunc vere pauperes sumus. Talibus regnum cœlorum vere promittitur, quibus dicitur : « Beati » pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum[13]. » Et beati pauperes spiritu (14) dicuntur, quia sunt in via beatitudinis, quia in mundo nihil habentes, congrue eis regnum cœlorum promittitur.

IV. O beata paupertas ! o jucunda Sanctorum possessio ! o ineffabile bonum Sanctorum ! o lætitia filiorum Dei ! o gaudium sempiternum ! Per te cœlorum regnum panditur, per te Deus acquiritur, per te humilitas amplectitur (sic), per te dæmones affliguntur, per te infernus clauditur, per te Patriarchæ ditantur, per te Prophetæ lætantur, per te Angeli gloriantur, per te Martyres reficiuntur, per te Virgines coronantur, et Paulus per te clarus civis, mitis effectus, ad cœlum hodie sublimatur in gloria. O gloriosa paupertas! o deliciarum fons ! o eremitarum vita ! o cœnobitarum norma ! Te Pagani magnificant, te Judæi honorant, te Christiani glorificant, te Angeli decorant; quia « Beati » pauperes spiritu, quia ipsorum est regnum cœlorum. » Isti etiam sunt mites, quorum possessio erit in terra viventium[14]. Et quem mitem appellamus, nisi pauperem spiritu? Solus enim mitis est ille qui nulla ira frangitur, nulla tribulatione vel adversitate mutatur, nullo proximi odio movetur; sed proximi felicitate gaudet, cum proximo gaudente gaudet, et cum dolente dolet, in necessitatibus consulit, malos motus in eis affixos comprimit; talis est mitis, talis

[1] 3 Reg. xix, 5-8. — [2] Matth. v, 10. — [3] Psal. cxxxi, 14. — [4] Id. iv, 9. — [5] Rom. xv, 4. — [6] Matth. vi, 33. — [7] Joan. xvi, 27. — [8] Judith. xvi, 17. — [9] 1 Petr. v, 7. — [10] Matth. v, 3. — [11] Psal. lxi, 11. — [12] Matth. vi, 13. — [13] Id. v, 3. — [14] Ibid. 4.

(1) Hic desunt quædam vetustate corrosa. — (2) Deest in apud cod. — (3) Cod. male numerus. — (4) Id. quia. — (5) Id. sed. — (6) Id. speculum. — (7) Id. palmis. — (8) Deest a in cod. — (9) Vox sequens tempore est deleta. — (10) Deest mortis in cod., ubi vox est abrasa. — (11) Hæ voces male iteratæ videntur. — (12) Cod. qui. — (13) Cod. suo. — (14) Id. iterat male beati, pro spiritu.

est vere pauper spiritu. Talis tamen (1)... mundo despicitur, quoniam « Mundus quæ Dei (2) sunt odit. » Tales invisibilis inimicus multis occultis modis impugnat; tales tangere tentando sollicite procurat; tales contumeliis (3) verborum sæpe damnat, sæpe ad cruciatum corporis provocat, sæpe cogitationes cordium, et naturæ conditiones et complexiones scire conatur. Et si in aliquo vitiorum delectari inimicus occultus agnoscit, si aliquem in aliquo affixum præsentit, tunc maxime telas suas, ut aves rationales capiat, tendit; et tunc captæ necesse est in profundum descendant quasi lapis[1].

V. Eia ergo, fratres mei, custodite vos, maxime vos qui pauperes spiritu cum Paulo esse desideratis; custodite vos et sigilate; caveta ne invicem verbo tantum turbemini; in contumeliis quippe verborum corpus non læditur, non possessio eripitur, sed anima perditur. O quam chara possessio anima est! o quam pretioso sanguine redempta est! o quam cito perditur, si verborum contumelias adamamus (4)! Custodite ergo vos, fratres mei, si vere pauperes esse desideratis. Custodiamus nos a verborum contumelia, nec loquamur, nec loquenti respondeamus. « Siluisse, inquit Paganus ille, nunquam me pœnituit, sed locutum fuisse. » Et alius dicebat : « Me locutum fuisse aliquando pœnituit, sed tacuisse nunquam. » Quicumque enim propter vilitatem de aliquo loquitur eum odiendo, detractor est, et religiosus esse non potest, quia hujus vana est religio[2]; si (5) vero propter compassionem vel correptionem loquitur, vere pauper est spiritu, et vere charitatem habet. Qui tamen respondet inferenti sibi contumelias, dummodo corde non turbetur, licet respondeat non propter se, sed ut inferens se ipsum cognoscat, numquid peccabit respondens? Absit. Attendere tamen semper debemus, quod contra verborum contumeliam summum remedium est ipsa humilitas. Qui vero humilis est, omnibus bonis major est. Talia vilitatem non timet; odisse non potest, detrahere minime nescit, omnem contentionem ignorat, paupertatem spiritu summe peroptat, congregationem gentium fugit, ad desertum locum cum Paulo properat, et velut sanctus Elias timens Jezabel, fugit in Bersabee Juda, et ibi dimittens pueriles sensus, pergit ad Angelorum desertum, quod est vita æterna. Amen.

SERMO LXI.

De Purificatione Virginis.

Sermo hic eductus est ex Bibl. Ædil., Cod. x, fol. 41 b, ac proinde in appendicem amandandus. Locus ejus post sermonem Benedictinorum appendicis CLXXXIX.

SYNOPSIS.

I. Christus pauperum hostias voluit offerre. II. Beatus Simon Christum amplectitur, sed beatior Maria. III. Turtur et columba castitatis exemplar. IV. Et pœnitentiæ publicæ aut privatæ. V. Septem columbæ virtutes VI. Primo felle caret. VII. De cadavere vivere nescit. VIII. Meliora grana suscipit. IX. Gemitum habet pro cantu. X. Alienos pullos enutrit. XI. Super aquas sedet. XII. In foramine petrarum manet.

I. Consuetudo, fratres charissimi, erat in Veteri Lege, ut si mulier masculum peperisset, ipsa mulier ab ingressu templi per dies quadraginta abstineret; postea veniret ad templum et offerret filium cum hostiis. Præceperat enim Dominus Moysi in Lege offerre agnum pro filio, si posset, simul et turturem vel columbam; qui vero non sufficeret ad agnum offerendum, quia pauper erat, duos turtures vel duos pullos columbarum offerret[3]. Hæc enim erat oblatio pauperum et humilium personarum. Dominus igitur, qui non venerat Legem solvere, sed adimplere[4], voluit octava die circumcidi, et post dies quadraginta in templo repræsentari; et quia de paupertate in cunctis nos instructurus erat, ubique exemplum paupertatis ponebat. Ideo voluit par turturum aut duos pullos columbarum pro se offerri; non agnum offerre voluit, ut dives reputaretur, ille qui in omnibus divitum et pauperum gubernator apparet. Ipse denique Salvator filius pauperis appellari voluit, in vili loco nasci, vilissimis pannis involvi, in vili præsepio reclinari, et in mundo non habuit ubi caput reclinaret[5]. In famosissima tamen civitate mori voluit, ut per omnia nobis exemplum paupertatis et humilitatis donaret in conspectu omnium qui Jerosolymis habitabant. Omnes namque nationes quæ sub cœlo habitabant, ibi aderant.

II. Et ecce ibi inter cæteros erat senex, qui Spiritu sancto repletus erat a pueritia, qui centum annis et amplius jam in omni sanctitate vixerat. Hic famosus, hic beatus, hic gratiosus, hic Simeon appellatus erat. Hic diu in templo in oratione steterat expectando redemptionem Israël. Et ecce hodie de Sancto sanctorum rapitur, et obviam Salvatori progreditur, et amplectens Matrem et Filium ait non tantum corde, sed voce, non tantum voce remissa, sed alta, exclamare cœpit : « Nunc dimittis servum tuum » in pace[6]. » Et bene in pace dimittis, quia pacem video. Quare dimittis in pace? « Quia viderunt oculi mei salutare » tuum[7]. » O beati oculi! o beata brachia, quæ Deum stringere et tenere meruerunt! o beatæ manus quæ Deum palpare meruerunt! o beata labia, quæ Deum osculari meruerunt! Et non tantum labia Simeonis; sed et longe amplius et Mariæ matris suæ, quæ Deum et hominem parere meruit et nutrire, labia, brachia, venter, mens, manus et oculi beati et benedicti per omnes dicuntur; et vere beati, quia ex ea « Ortum est lumen rectis corde[8], et lumen ad » revelationem gentium, et gloriam plebis filiorum Israël[9]. » Hæc enim est illa ingeniosa solemnis apicula, quæ digne ceram super omnes apiculas fabricabat, et sine coïtu procreavit (6). De nanim apes nascuntur, et eamdem speciem virginitatis habet cera. Sic et Virginem Mariam, virginem in partu, ante partum et post partum, fœcundissimam matrem et virginem, filiam et sponsam digne prædicamus.

III. Eia ergo, fratres, scio quod portare et videre, palpare et laudare cupimus Jesum. Si enim hoc vere desideramus, nunc turturem et columbam offeramus. Columba enim simplicitatem, turtur vero castitatem significat. O quantæ et quam mirabilia castitatis turtur prædicatur a cunctis! Tantæ igitur est, quod amisso conjuge, vel casu perdito, non amplius alium quærere curat. Ille igitur turturem imitatur, qui castitatis est amator, non tantum corpore, sed etiam mente. Ille etiam columbam digne Deo affert, qui se innocentem custodit et neminem lædit, et fel amaritudinis, rancoris vel odii minime portat; turturem, qui ab altera se continet uxore, et si caret uxore, ab omni inquinamento luxuriæ se removet. Confundantur igitur et erubescant luxuriosi, qui nunquam satiantur in desideriis suis, qui non solum uxorem unam, sed et plures quotidie habere procurant. Tales efficiuntur pauperes et inopes Deo et hominibus odibiles. Isti sunt qui Deum laudare non possunt; isti sunt pessimi et magni latrones, qui patrimonium sæpe vendentes, postmodum (7) velut miseri servi pergunt in villam miseriæ pascere porcos.

IV. Igitur, fratres, agite pœnitentiam, astringite luxuriam, cingite lumbos, discite benefacere, pœnitemini et agite pœnitentiam. Quidam enim publice, quidam occulte pœnitentiam agunt. Qui enim publice peccant, gravius Deum offendunt, quia suo exemplo alii fœda facere dis-

[1] Exod. xv, 5. — [2] Jacob. i, 26. — [3] Levit. xii, 6-8. — [4] Matth. v, 17. — [5] Id. viii, 20. — [6] Luc. ii, 29. — [7] Ibid. — [8] Psal. cxi, 4. — [9] Luc. ii, 32.

(1) Desunt quædam, forte *pauper a*. — (2) Cod. male *sua*. — (3) Id. *contumelias*. — (4) Id. *contumeliis adamamur*. — (5) Id. *sic*. — (6) Id. *procreatur*. — (7) Cod. *qui postmodum*.

cunt; ideo publice pœnitere debent et fortius. Ut fuerunt exemplum corruptionis, sic et correptionis exemplum appareant. Per columbam pœnitentes publice (1) designantur, quia gemitum publice edit; sed turtur in occulto dolet invita de societate fraudulenter amissa.

V. Hæ enim aviculæ, fratres, sunt nobis forma vitæ. Et ideo vos, qui sacram Scripturam ignoratis, earum conditiones audite, et attendite quid agere debeatis; creaturæ namque Dei non solum ad cibum nobis datæ sunt, sed etiam in exemplum. Dator enim cœlestis nobis quotidie per creaturas insinuat quid agere debeamus; quandoque per formicam, quandoque per columbam, quandoque per turturem (quid agere debeant) (2). Attendite igitur, fratres, ad columbam: septem enim virtutum nobis exemplum demonstrat, felle caret, de cadavere vivere nescit, semine pascitur, meliora semper eligit et comedit grana, gemitum habet pro cantu, alienos pullos enutrit, super aquas sedet, ut cum viderit umbram venientis accipitris eum devitare possit se mergendo et abscondendo in aqua, in foramine petrarum manet. Si ergo, fratres, Christum cum Simeone videre desideramus, hanc avem in his imitari debemus.

VI. Primo denique necesse est nobis, ut felle amaritudinis careamus; nullum enim vitium sicut odium est continuum. Homo enim non (3) semper in luxuria manet; non semper inflatur superbia, non semper proximum lingua devorat; sed qui odium habet nunquam quiescere quærit. Et si hoc mihi non creditis, libros vestræ conscientiæ legite. Nullum ergo tam mortiferum dolum, sicut odium; et qui odium frangit in se vel in alio, vere filius Dei est; et qui odium inter fratres seminat, vere diabolus est, vere filius perditionis, vere petra scandali et lapis reprobatus et ejectus in profundum maris. Qui etiam pacem impedit, Antichristus est, quia nullum vitium ut odium reperitur in terra. Quid enim valet omne bonum quod agitur, odio suffocatum (4)? Numquid eleemosyna? numquid abstinentia? numquid cuncta opera misericordiæ? numquid martyrium? « Si tradidero corpus meum, inquit » Apostolus, ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, » nihil sum[1]. » Nec oblatio nec peccatorum remissio datur, nisi prius odium a corde repellatur.

VII. Quid enim columba amplius habet? Cadavera enim non comedit, vel vermes. Quid enim per vermes, nisi prava conscientia designatur, quæ animam rodit? Cadavera enim peccata sunt, quæ comedere non debemus, ne animam occidamus. Vitanda enim sunt omnino peccata, quia homo tot vitiorum efficitur servus, quot vitiorum possessor efficitur.

VIII. Quid enim amplius columba agit, nisi quod meliora grana suscipit in agro? Sic pascitur, sic impinguatur et reficitur; sic et nos facere debemus, quia non solo pane corporali, sed et verbo Dei nos ipsos pascere debemus. Sicut in homine duæ sunt substantiæ, corpus videlicet et anima; sic duo sunt cibi necessarii, scilicet corporalis, ut corpus pascatur, et spiritualis, ut anima divino verbo reficiatur. Pro tota enim vita nostra omni die petitur, dum dicitur: « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie[2], » sicut et pacem in diebus nostris pro toto sæculo vivente. Meliora igitur grana colligere debemus et manducare, quia spirituale pabulum semper præcedere debet.

IX. Quid amplius agit columba, nisi quod alienos pullos nutrit? Estote igitur misericordes, pascite pauperes, exerceatis opera misericordiæ, dum tempus habetis; fœneratur enim Domino qui pauperi tribuit.

X. Quid amplius columba, nisi quod juxta fluenta habitat? O admirabilis virtus columbæ! Videmus, ut et ipsa, inimicum per aërem volantem, quærentem quem devoret, nec inter nos habitare permittitur, nisi dum volumus; nec tamen a nobis multum remotus est. Si enim nobiscum habitasset, semper vel super nos dominium habuisset. Quis tam fortis, quis tam Deo firmatus, quis tantæ constantiæ dotatus fuisset, qui ipsi (5) resistere potuisset? Nec tamen debet aliquis securus esse, dum vixerit, nec de castitate præterita confidere, quia ipsi potentes (6) sanctissimos viros sæpe perduxerunt ad Tartara. Vigilant enim nec quiescere valent; modo persequendo, modo occidendo, modo blandiendo, modo minando devincunt. Quotiescumque, fratres mei, sentimus ejus calidam tentationem, fugiamus ad Christi passionem. Ecce quando dicit, Exerce adulterium, lege mox Scripturam, quæ ait: « Non mœchaberis[3]. » Quando dicit, Furtum exerceas, lege Scripturam dicentem: « Non » furtum facies[4]. » Quando dicit, Exerce furorem in proximum, lege Scripturam minantem, et dicentem: « Qui » irascitur fratri suo, reus erit judicio[5]. » Quando dicit, Cur mentiri pavescis, lege Scripturam dicentem: « Perdes » omnes qui loquuntur mendacium[6]. » Juxta hujusmodi fluenta, velut columba, sedere debemus, ut dum inimicus advenerit, eum superare valeamus.

XI. Quid enim amplius columba agit, nisi quod gemitum habet pro cantu? Tu vero peccator verte in lacrymas tuum gaudium, quia « Beati qui fletis, quia ridebitis[7]. » Et iterum: « Væ vobis qui ridetis, quia flebitis[8]. » O quam dulcis est ipsa lacryma, per quam Maria purgata fuit, per quam Petrus veniam impetravit, per quam David gratiam Dei obtinuit. Flete ergo, flete peccata; ecce enim Christus cum in se non haberet quid fleret, flavit pro Lazaro, non tamen quia mortuus fuerat, sed quia eum ad mundum revocare expediebat. Non enim flendum est quando moriuntur; sed quando nascuntur, potius cum nascentibus flendum est. Si enim Salvator pro uno flavit, nos ergo miseri, cur pro nobis lacrymas possumus continere? Hoc est quod David post peccatum dicebat: « Lavabo per singulas » noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo[9]. » Et quid enim per lectum, nisi conscientia designatur, in qua, sicut in lecto, homo requiescit? Nam sicut lectus requies est ægris, et labor est sanis, sic et in conscientia quidam requiescunt ut boni, licet in mundo ægri appareant, et quidam ibi laborant, quorum vita mala est, licet florere videantur.

XII. Quid enim amplius columba habet, nisi quod in foraminibus petræ habitat? Petra autem Christus est, in qua nidificare debemus: de qua petra duo sacramenta exierunt, scilicet sanguis et aqua[10]: sanguis ad redemptionem, et aqua ad regenerationem; hæc (7) voluit demonstrare. Et si sic, fratres, fecerimus, digne cum Maria Deo hostias offeremus. Sequamur ergo vestigia sanctæ Mariæ Virginis, quæ se talem exhibuit in mente, qualis erat repræsentatio in figura. Rogemus ergo eam quæ mundi est medicina, cœlorum porta, spes miserorum, consolatio peccantium, ut Filium, quem hodie præsentavit, faciat nobis placabilem, et tribuat illam pacem, quam Simeon sanctus intellexit, ut mereamur videre salutare Dei nostri. Amen.

[1] I Cor. XIII, 3. — [2] Luc. XI, 3. — [3] Exod. XX, 14. — [4] Ibid. — [5] Matth. V, 22. — [6] Psal. V, 7. — [7] Luc. VI, 21. — [8] Ibid. 25. — [9] Psal. VI, 7. — [10] Joan. XIX, 34.

(1) Deest *in* in cod. — (2) Hæc verba abundare videntur. — (3) Deest *non* in cod. — (4) Cod. *suffocato*. — (5) Cod. *sibi*. — (6) Forte *dæmones*. — (7) Deest *hæc* in cod.

SERMO LXII.

De Annuntiatione beatæ Mariæ semper Virginis.

Sit in appendice sermo iste propter rationes supra allatas, utpote qui sit erutus ex Bibl. Ædil., cod. 2, fol. 42. Locus ejus post sermonem Appendicis Maurinensis ccv.

SYNOPSIS.

I. Maria castellum quod intravit Christus. II. Angeli salutatio, et Mariæ humilitas. III. Porta castelli fides; Martha et Maria, vita activa et contemplativa. IV. Utraque dici potest Mater Dei; et primo Martha. V. Deinde et Maria, eligendo partem meliorem. VI. Maria virgo, Christus flos. VII. Mariæ invocatio.

I. Audivis, fratres charissimi, quod Jesus hodierna die intravit quoddam castellum, et mulier quædam recepit eum in domum suam[1]. In Scriptura quippe sacra res una et eadem in multis diversa significat, sicut leo, hœdus, ignis et aqua. Est enim de tribu Juda[2] leo (1), et leo quærens quem devoret[3]; et hœdus qui peccata portavit[4], et hœdus qui a sinistris erit damnatus[5]; et ignis sancti Spiritûs[6], et ignis qui super impios cadet[7]. Licet enim castellum malum, malum significat, quia ait Dominus: « Ita in castellum quod contra » vos est[8], » et contra meam doctrinam, et contra omnes meos; plane tamen hoc (2), in quod intravit Jesus, singularem et intemeratam virginem, genitricem ejusdem, salva Scripturarum regula, pro similitudine accipere volumus. Castellum denique dicitur quælibet turris muro aliquo circumdata; hujusmodi castellum non incongrue Maria dicitur, quia virginitas mentis et corporis quasi murus circumdatus, in tantum ut nullus accessus libidinis ad eam intrare potuerit (3). Et quia ubi (4) libido virginitatem superare non potest, solet impugnare superbia, inde (5) est etiam in eadem Virgine turris humilitatis, quæ a muris virginitatis omnem expellat superbiam. Ideo in virgine nec peritura virginitas, nec humilitas, sed semper in eadem (6) permansura erat et reservata super omnes virginitas.

II. Ad hanc igitur Virginem mittitur Gabriel; et quis est iste Gabriel, nisi major Paradisi Angelus? Iste quippe ad Virginem reverenter mittitur, et cum ab Angelo Virgini desponsatæ Filius (7) promitteretur, respondit Maria: « Quomodo fiet istud[9]? » Attendite, fratres, quod si cuilibet desponsatæ diceretur: Filium habebis, non miraretur nec interrogaret: « Quomodo fiet istud? » quia usu naturæ gravidari jam sciret et speraret. Sed quia virginitatem Deo promiserat, quemadmodum sponsus ejus Joseph, ideo audiens se (8) impræguari, ait: « Quomodo fiet istud? » Et audito responso, elevatis ad cœlum manibus, non Angelorum dominam, non Paradisi portam, non sanctitatis formam, non desperatorum matrem, non virginitatis principium, non columnam templi, non maris portum, non miserorum veniam, non cœlorum scalam, non reginarum reginam, non metûs (9) fugatricem, non mortis obstaculum, non viam vitæ, non cœlorum lumen, non Matrem Dei se, ut digne poterat, appellavit; sed quid? « Ecce » ancilla Domini[10]. » Et sic super omnes efficitur digne beatior. O sublimis Virgo, o digna Mater Dei! o humilitas in terra collocata! Quid te sublimius præter illum qui te fecit? quid te sanctius præter illum qui te sanctitatis templum fecit? quid te fortius præter illum qui te castellum et turrim fortitudinis Sion digne fecit ab æterno, et elegit ante mundi constitutionem, ut esses sanctitas appellata statim post tuam sanctam conceptionem?

III. Merito igitur, fratres, intravit Jesus quoddam castellum, et bene quoddam, quia valde singulare. Multæ enim filiæ Sion congregaverunt divitias, tu ipsa vero supergressa est universas[11]. Porta vero ipsius castelli, per quam intravit Jesus, fides est; ideo perfecta fuerunt omnia quæ dicta fuerunt ei a Domino[12]. Intravit enim Jesus quoddam castellum, non tamen ipsum violavit, sed sanctificatum sanctius consecravit. Non enim Martha tantum (10) libenter Salvatorem recepit, sed audito quod castellum intraverat, solemnes nuntios destinavit, ut ad domum ejus declinaret; quod et ipsa cum sorore, ut arbitror, postmodum venit rogando, deprecando et supplicando ut veniret in domum suam. « Et huic erat soror nomine Maria[13]. » Et quid per sorores duas, nisi duas in Ecclesia vitas sancti Patres designant. Martha activam, et Maria contemplativam elegit. Una laborat, ut pauperes pascendo Deum videat; et altera sedendo et quiescendo semper cum Deo convivat. Illa laborat expectando, et ista vacat jam Deum in mente tenendo; una circa exteriora, et altera circa celsiora; una occupatur in mundo, et altera contemplatur in cœlo; una bona, sed altera optima est.

IV. Sed videamus nunc si Maria Mater Dei, at Martha et Maria digne appellari possit. Nam Martha Deum hospitem suscepit, et dimisit eum habitare; sed Maria postquam habuit, noluit dimittere unquam. Martha in domo, sed Maria in ventre. Martha in domo, sed Maria in domo et in mente hospitem Christum dignius super omnes suscepit. Martha ob Christi amorem nudos vestiebat, sed Maria Filium non semel, sed sæpe induebat. Martha Christum et pauperes Christi pascebat, sed Maria Christum semper alebat. Martha potum Christo tribuebat, sed Maria Christum lacte reficiebat. Hæc vere digna est illa Dei Mater, quæ super omnes opera misericordiæ exercuit. Primo hospitem Dei Filium in utero suscepit; nudum in carne vestivit pannis quibus utebatur; et ipsa ipsum esurientem suo lacte multoties pavit; ipsum sitientem videns, potum tribuit; ipsum infirmum per infantiam et jacentem, non solum visitavit, sed etiam balneando, fovendo, gestando, osculando frequentavit. O Martha, imo satis et maxime satis major Martha, quomodo circa multa es occupata[14]? Dic, dic, o pia Dei Mater. Numquid comprehenso Filio et crucifixo, quasi in carcere posito non (11) affuisti, ante (12) hæc autem non sollicita eras et turbata (13), cum fugeres in Ægyptum a facie Herodis, qui tuum Filium tam nequiter persequebatur, ut multos ætatis suspectæ pueros occideret? numquid, o Dei Mater, non turbata eras, cum videres Judæos insidiantes, et mortem Filii tui quotidie procurantes? et ad ultimum turbata fuisti valde, quando animam tuam pertransivit gladius[15], cum Filium tuum videres comprehendi, ligari, flagellari, conspui, spinis coronari, derideri, colaphizari, crucifigi, mori et sepeliri. O Martha, quomodo sollicita es, quomodo turbaris erga plurima!

V. Porro de parte Mariæ, quæ optima prædicatur, quanta vel qualis fuit, quis sufficienter loquetur? Si talis est, ut diximus, imo melior est, ut diximus, pars Marthæ, quæ tantum a Domino non laudatur, sed tamen a Domino non vituperatur, qualis est pars, quam Maria optimam elegit, quæ sic laudatur, ut dicatur ab ea non auferri[16]? O quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quæ fuit in Matre tua, quando Spiritus hodie in ea supervenit,

[1] Luc. x, 38. — [2] Apoc. v, 5. — [3] I Petr. v, 8. — [4] Exod. xii, 5. — [5] Matth. xxv, 33. — [6] Act. ii, 3. — [7] Psal. x, 7. — [8] Matth. xxi, 2. — [9] Luc. i, 34. — [10] Ibid. 38. — [11] Prov. xxxi, 29. — [12] Luc. i, 45. — [13] Id. x, 39. — [14] Ibid. 41. — [15] Id. ii, 35. — [16] Id. x, 42.

(1) Deest *leo* in cod. — (2) Cod. *hic*. — (3) Id. *potuisset*. — (4) Deest *ubi* in cod., qui deinde habet *posset*. — (5) Cod. *unde*. — (6) Id. *eamdem*. — (7) Deest *filius* in cod. — (8) Deest *se* in cod. — (9) Cod. *mortis*. — (10) Cod. male *tamen*. — (11) Deest *non* in cod. juxta morem, et sic deinceps. — (12) Cod. *inter*. — (13) Id. *turbaris*, et sic deinceps.

et virtus tua obumbravit ei [1], et de eodem Spiritu sancto concepit quod de Deo. Hic in quo Dei sapientia latebat, in ejus utero corpus sibi adaptabat. « Christus enim est » Dei virtus et Dei sapientia [2], » et, « In eo sunt omnes » thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi [3]. » Si Christus in Maria, ergo Dei virtus, Dei sapientia, et omnes thesauri sapientiæ et scientiæ in Maria sunt. Non ergo ad pedes Domini, sed ad dexteram residet in excelsis. Non ergo solum partem Marthæ ab ea (1) jam ablata est, quia jam non erit sollicita amplius Filio puero ministrare, cui omnes cœlestium (2) Angelorum ordines comministrant; nec jam turbabitur fugiens in Ægyptum, quoniam assumpta est in cœlum; jam non turbatur nec turbabitur circa plurima, quæ Filio fecerunt, quoniam omnia subjecta sunt sub pedibus ejus. Pars ergo Mariæ perficitur, quæ non auferetur ab ea, quia exaltata est super choros Angelorum, et « Videt Deum facie ad faciem [4], sicuti est [5], » anima et corpore glorificata in cœlo (3). Hæc est pars fœcunda et secura, quæ non auferetur ab ea in æternum; ideo optima, quia securior; ideo optima, quia æterna et sempiterna est.

VI. O homo, qui dormis, audisti hæc omnia? « Surge » ergo qui dormis, et resurge a mortuis, et illuminabit te » Christus [6]. » Duo etenim tibi hodie data sunt. Quæ sunt, nisi virga et flos? Virga Mater est, et flos Filius Dei est; virga prætendit rectitudinem, et flos pulchritudinem; virga rectitudinem conversationis, et flos gloriam retributionis. Duo ergo sunt, vita recta et vita beata. O homo, in his totum bonum est. Quidquid enim præter hæc duo est, vanum et transitorium est totum. Vita recta Mater est, vita beata Filius est. De Matre nascitur Filius; sic præcedit justitia, et sequitur gloria; præcedit rectitudo, et sequitur beatitudo; præcedit meritum, et sequitur præmium. Apprehende Matrem, ut vivas; apprehende Filium, ut in æternum vivas. Tene virgæ rectitudinem, concupisce floris pulchritudinem. Intuere virgam, si tribularis; accipe florem, si angustieris; rectitudinem tibi ponit virga, flos profert incrementum tuum. Ne ergo fugias, si sordidus es; ne contremisces (4), si virtute pauperrimus es; ne desperes, si mortuus es; sed ad Mariam refuge, et sub alis suis te abscondere ne timeas. O magnum vitæ speculum, Maria humilis virgo! remedium, dat in conversatione Filius, exemplum dat per compassionem Mater (5). Mater contra futura, ne fiant, præbet exemplum; Filius contra præterita facta, ne noceant, præstat remedium. In hoc Filius major Matre, quia sua passione peccatum mundi abstulit. Non enim pro redemptione mundi mortua fuit Mater, sed Filius; quod et Mater fecisset, si necesse fuisset. Numquid non et ipsa stabat juxta crucem, expectans si homo, vel Angelus, Filius vel cognatus sibi diceret: « Maria, te etiam pro mundi salute oportet ut cum Filio moriaris? » O quam dulce verbum istud fuisset Mariæ! Ut sicut una vita pariter cum Filio vixerat, ita et una morte pariter mori optabat! Igitur, fratres, in Matre virtutis exemplum relucet, sed in Filio salutis remedium. Prius enim docuit conversatione, sed postea sanavit passione. In cœlo igitur Filius æqualis est Patri in majestate, sed in terra transcendit Matrem pietate.

VII. O felix, alma Mater, quæ nulla bonitate vinci potest, nisi ista sola quæ de ea se exercuit (6) in melius! O propago beata! o Matris puritas! o Nati pietas! Quantum nobis præstas, Maria! Per te monstratur via, per te recuperatur patria, per te cuncti sanantur, per te omnes ditantur. Tu via, sed Filius tuus vita. Te, Maria, contemplamur, ut recta incedamus, sed Filium contemplamur, ut beata vivamus. O virgæ rectitudo! o floris pulchritudo! Beata Virgo, quæ talem florem producere meruit! beatum Castellum quo intrare voluit! Per Mariam datur Christus, sed per Christum datur salus; quam salutem nobis concedat ille qui pro nobis incarnari voluit. Amen.

SERMO LXIII.

In Natali sancti Joannis Baptistæ I.

Sermo hic eductus ex Bibl. Laurent., Plut. XIII, *Cod.* VIII, *fol.* 201 *b*, *et pariter memoratus in Bibl. Venet. catalogo, cod.* LXIX, *fol.* 157 *b*, *ita intricatas et pueriles habet de voce sententias, ut sancto Augustino nullatenus possit ascribi. Sit in appendice post sermonem Benedictinum* cc *cum numero in Natali beati Joannis Baptistæ* VI.

SYNOPSIS.

I. Nativitas Joannis Baptistæ, miraculum est Dei. II. Joannes prædicat in deserto, quod est Judæi et Gentiles. III. Zacharias incredulus amittit vocem, usque dum sterilis fœcundata pepererit vocem. IV. Zacharias obmutescens fit imago populi Judaici. V. Conclusio.

I. « Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificen» tia, vox Domini » hominæ sapientiæ « conterens cedros [7], » de contractis senio visceribus et vitio sterilitatis hodie, fratres charissimi, nasci Joannem jussit. Inde lectio sonuit, quæ per sæculum (7) totum viribus summis increpuit, et, obsurdescentem mundum atque tetro sopore (8) solutum, novo et mellifluo pulsans sonitu, ense clamore fortissimo suscitavit. Hic est enim Joannes, de quo annuntians Propheta dicit: « Vox clamantis in deserto [8]. »

II. O vastum sæculi desertum! o formidolosa ubique viantibus solitudo! Nullus namque jam Hebræam terram Patriarcha, nullus Propheta calcabat. Petulæ enim fauces Leviathan ad perniciem Judæorum paratæ itinera cruenta servabant, in quibus sæpe multos justos ad eos missos veridicosque vates lapidibus oppresserunt, universaque gentium terra sine rege Christo, sine sancto Verbo, infœcundis linguis et duris cordibus, tanquam lapidibus, abundabat, quia hoc erat quod colebat. Texerant eam undique sylvæ vitiorum, atque crescentibus ex se criminibus (9) tecta et aspera facies, spinosa fœditate (10) horrebat. Non illa falcem Legis senserat; non ibi vomer cœlestis agricolæ sulcos semitæ rectoris (*sic*) induxerat; nullum semen gratiæ spiritualis fœcunda manus asperserat; sed sicut canitur, terra erat deserta et sine via et sine aqua [9]. Non enim apud gentes autem aut aqua erat, aut via, ubi homines falsus error incerta semper confusus varietate fallebat; ubi nullus imber indulgentiæ ardentis scelera nodis succurrentibus restingebat (11). In hac ergo eremo Judæorum, seu gentium sentiens, vox clamantis, præco imminentis judicis venit, Salvatorem et ipse occidendus annuntians, homines ad viam disciplinæ melioris exhortans: « Parate, inquit, vias Domino: rectas » facite semitas Dei nostri. Omnis vallis implebitur, » hoc est, omnis humilis exaltabitur, et « erunt quæ prava sunt directa, » et aspera in vias planas [10]; » scilicet, ut quidquid tortuosi serpentis ante infractuosos et lubricos error invenit, quidquid scabiosæ naturæ callosa (12) durities operuit, recta et inoffensa viæ securioris ac semitæ fidelis planities adæquet (13). Hoc ergo vox ista clamat sub universo mundo; præco tantus insinuat: « Parate, inquit, viam Domino,

[1] Luc. I, 35. — [2] I Cor. I, 24. — [3] Coloss. II, 3. — [4] I Cor. XIII, 12. — [5] I Joan. III, 2. — [6] Ephes. V, 14. — [7] Psal. XXVIII, 4, et seqq. — [8] Matth. III, 3. — [9] Psal. LXII, 3. — [10] Luc. III, 3, 4.

(1) Cod. ea. — (2) Id. cœlorum. — (3) Id. in cœlum. — (4) Id. contremiscaris. — (5) Cod. absque sensu ne expectes, da; et deinde deest Mater. Divinando sanavimus depravatum hunc textum, utrum feliciter, judicet qui voluerit. (6) Cod. exercuit, et non habet se. — (7) Id. speculum. — (8) Id. tenero viatore. — (9) Id. crescentium ex se criminum. — (10) Id. spinarum fœditatis. — (11) Id. restingubat. (12) Id. galliosas. — (13) Id. adæquat.

« rectas facite semitas Dei nostri[1]. » Jam siquidem Maria Christum Spiritu sancto maritante conceperat; jam sine aliena semine impollutus Virginis venter excreverat; jam hinc Evangelistarum currebat quadriga; jam hiec tuba plenum Deo cursum per orbem dictura resonabat. Ideo vox judicem, tuba præibat Regem, ut sæculum conveniret, et mundus totus audiret, terrificisque clamoribus surdas aures hominum sonus gratissimus aperiret.

III. Cum igitur sacerdos Zacharias astaret altaribus, annuntiato cœlestis Regis (1) præcone, confestim incredulus pater obmutuit. Sensit vox genitoris (2) silentium, vetus linguæ conticuit Judæorum. Zacharias sacerdos a sacrificio revertitur mutus, quia verus erat sacerdos illico (3) nasciturus. Torpuerunt in cubilibus membra verborum, vox in suis succisa radicibus aruit, atque in ipsis cunabulis victa defecit. Nihil aperto ore sonabat, quia inter cæcum uteri dicentis (4) chaos absorptus et interruptus sermo perierat. Ante Verbum vox nascitur. Perdidit itaque Judæa sermonem paternum, et jus novæ vocis transivit ad filium, quia Joannes Christo erat exhibiturus obsequium. Verum incredulus ille pater qui Gabrieli a thronis regalibus venienti noluit accommodare fidem, post incarceratam vocem, quam recte (5) faucium profunditas et humilitas viscerum secreta receperunt, ubi mater naturæ vincula et nodos uteri atque implicamenta resolvit genitali more, recepit pater vocem. Fundit novum partum alvus sterilis, et solute sunt ora patris. O mira rerum et naturæ conventio! hic residuo calore reviviscunt emortua æva viscera; hic verbum accrescit in lingua. Hic concipitur vox, hic tollitur vox; sed cum nascitur, quod concipitur, confestim solvitur quod ligatur.

IV. Ad mysterium redeamus. Erat igitur Ecclesia priscis temporibus infœcunda de qua dicitur: « Lætare, sterilis, quæ non paris; erumpe et clama, quæ non parturis, quia multi filii desertæ magis, quam ejus quæ habet virum[2]. » Hæc postea quam, divino repleta munere, spem salutis parturivit, sicut scriptum est: « Propter timorem tuum in utero accepimus, parturivimus spem salutis[3]; » obstupuit lingua legis ejus, qui genuit, et in synagoga propheticus sermo defecit. Idcirco Judæum, quem incredulitas fecerat mutum, vox nata perducit ad Verbum, ut in partu suo agnoscat fidem, qui noluit agnoscere sibi advenisse Dominum salvatorem.

V. Minuatur ergo nunc dies; crescant noctes; humilietur in carne Deus; exsuperetur in cruce tenebrosus Judæus. Necesse est enim, ut dies resurgendo crescat in lucem, et nox victa in sua permaneat cæcitate, id est, synagoga velamento excæcetur perfidiæ, « Donec plenitudo gentium introeat, et sic omnis Israël salvus fiat[4], » miserante Domino nostro Jesu Christo qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXIV.

In Natali sancti Joannis Baptistæ II.

Sermonem hunc, quem ex Bibl. Ædil., cod. 2, fol. 43, mutuati sumus, sit cum cæteris ejusdem manuscripti in appendice post præcedentem cum numero in Natali sancti Joannis Baptistæ VII.

SYNOPSIS.

I. Joannes servus, Christus dominus. II. Joannis encomium. III. Joannes deus aliquando putatus. IV. Nihilominus ab Herode occiditur. V. Mulier malorum omnium causa. VI. Herodiadis et ejus filiæ pœna.

I. Fratres charissimi, duo erant abscondita antiquitus ab oculis et mente hominum, scilicet æterna bona et æterna mala. Non enim poterat homo cognoscere mala, ut caveret, et cognoscere bona, ut requireret; sed sola enim præsentia oculos apertos habebat; [illegible] non videbat quid cavendum, aut quid tenendum vel amandum esset. Ideo Deus Pater, cupiens nos illuminare, duos grandes homines ad nos misit, quorum primus homo purus fuit, sed secundus fuit Deus et homo; primus fuit servus, sed secundus dominus exstitit. Prius denique servum misit, ut minaretur, postea Filium, ut consolaretur, destinavit. Servus attulit timorem, sed Filius obtulit amorem; servus nuntiavit, ut timeremus, sed Filius nuntiavit, ut amaremus; servus clamavit: « Genimina viperarum, quis vobis demonstravit fugere a ventura ira? Agite fructus dignos pœnitentiæ[5]. » Ecce servus Joannes prænuntiat periculum, suadet cautelam, ostendit consilium (6)..... bonus nuntius, perentit servus, ut sanet Dominus.

II. Videte duos nuntios: venit Joannes non manducans, non bibens ut homo; venit Propheta et super omnes Prophetas major. Cui Prophetarum sic datum est nosse mysteria regni Dei, sicut Joanni? cui Salvator caput inclinavit Prophetarum? Quis, ut Joannes, Christum agnovit, et salutavit in utero, ut Joannes? Est ergo Propheta, et non solum Propheta, sed Prophetarum caput, et Apostolus, at non solum Apostolus, sed Apostolorum magister venerabilis. Venit ergo Joannes Martyr, et non solum Martyr, sed etiam Martyrum via, caput et exemplum. Venit Joannes Confessor, et non solum Confessor, sed Confessorum forma. Venit Joannes Virgo, et non solum Virgo, sed Virginum exemplum. Venit Joannes Eremita, et non solum Eremita, sed Eremitarum virga et auriga. Venit hodie ad nos Joannes; nascitur lumen fidei nostræ; nascitur caput gratiæ; nascitur sanctitatis speculum; in cujus ortu congratulantur vicini; sed in Christi nativitate non turba hominum, sed pastorum. Nuntiatur Christus, nuntiatur et ab eodem Joannes, non tamen, ut Christus, in thalamo, sed in templo, sed in Sancto (7) sanctorum. Solam invenit Angelus Mariam, solus et invenitur Zacharias. Orabat Maria, orabat et Zacharias; in thalamo Maria, sed Zacharias in Sancto sanctorum, ubi lex et manna abscondita erant. Nascitur Joannes lætitia Israël, et honorificentia populorum; nascitur præco veritatis, et a Matre Domini de terra levatur. Nascitur Joannes, sanctus sanctorum, et nomen gratiæ ipsi miraculose imponitur. Nascitur Joannes, qui super omnes

[1] Isai. XL, 3. — [2] Isai. LIV, 1. — [3] Id. XXVI, 17, 18. — [4] Rom XI, 25. — [5] Luc. III, 7, 8.

(1) Cod. *cœlestibus rege*. — (2) Id. *gemina*. — (3) Id. *illicito*. — (4) Id. *dicentis*. — (5) Id. *vestre*. — (6) Hic quædam desunt, tempore obliterata. — (7) Cod. male *sancta*, et sic deinceps.

ex fœmina natos a Salvatore commendatur, et Prophetarum Propheta ab eodem proclamatur, et Angelus, non natura, sed gratia appellatur.

III. Nascitur Joannes, qui cum esset creatura, Creator a multis reputabatur; cum esset homo, velut Deus adorabatur; cum esset Domini servus, cunctorum dominus dicebatur. Et quid mirum, fratres? Nam et Judæi Messiam expectabant, et Joannem miraculose conceptum et natum audiebant; ipsum puerum annorum septem in deserto habitare videbant; mel sylvestre, locustas et herbarum radices comedebat; filius magni Zachariæ apparebat, cuncta terrena despiciebat, ad cujus aspectum totus populus tremebat; exemplum sanctitatis cunctis erat, et apparebat in tantum, quod de nullo Patriarcharum vel Prophetarum auditum erat. Quid ergo mirum, si Deus reputabatur a multis? Licet Joannem non legamus in vita sua miraculum aliquod fecisse, vita tamen sua et doctrina, super omnium vitam et doctrinam transcendebat. Ejus conversatio semper in cœlis erat. Sic enim decoratus ostenditur doctor noster sanctissimus Joannes, legifer noster, et omnibus doctoribus major, sanctior cunctis, terribilior universis, qui Prophetas præcessit in meritis, supergreditur Patriarchas in præmiis, super Apostolos volavit in gratiis, Martyres ampliavit in suppliciis, Confessores decoravit in vigiliis, Virgines ditavit exemplis, Viduas sublimavit abstinentia, Conjugatos sanctimonia, Sacerdotes pudicitia, Monachos honorificentia. Quisquis etiam de fœmina natus, inferior est Joanne. Cui denique Sanctorum tantum (1) se Trinitas demonstravit? ignoro; cui se tantum revelavit? investigare nescio; cui tale testimonium perhibuit? investigare non præsumo; cujus ortum et nativitatem sic magnificavit? alloqui non possum.

IV. Et tamen Joannes sic decoratus occiditur, in carcere recluditur, fere moritur, blasphematur, et persequuntur eum; et sic occiditur veritas, sic destruitur Lex, sic conculcatur justitia, dum, ad voluntatem meretricis saltantis, Joannes decollatur in carcere. O quam magnum spectaculum! o quam magnum damnum! o quam magna crudelitas, Joannem occidere et decollare in carcere! o Herodes, quomodo sic sensum perdidisti? Quomodo consilio meretricis credidisti? Numquid non (2) paulo ante Joannem metuebas, et eum libenter audiebas, credens ipsum sanctum et justum esse? Quomodo audes decollare christum Domini? Ubi forma Legis, nisi in Joanne? ubi jura naturæ, nisi in Joanne? Numquid non sanctificatus, antequam natus? numquid non eum sanctissimum prædicasti? numquid genus ejus ignoras? numquid non eum omnes formidant? numquid non dracones et aspides coram Joanne formidant in deserto, tremunt et mansuescunt? Et tu eum occidere cupis? Cogita, cogita, o Herodes, antequam Joannem occidas, cogita quid Deus fecerit Sanctis suis. Cogita, antequam facias, quia post factum consilio non indigebis. Cogita et voluntatem tuam pravam conculca. Cogita quomodo Daniel inter leones non conculcatur ab eis; quomodo Jonas in ventre piscis conservatur illæsus; quomodo Samson a Dalila non occiditur, ut affectat; timens sanctum occidere, inimicis eum tradidit. Cogita, quod sanctum et justum occidere quæris; quod impunitus non diu remanebis. Sed hæc omnia Herodes non consideras? Inebriatus rabie meretricis, præcipis amputari caput Joannis in carcere.

V. O infelix mulier, vitiorum mater, et regina! o mulier, pacis dissipatrix, plena veneno mortifero! o concha putredinis, et luxuriæ domus! o chaos inferni et insatiabile animal! o inimica virtutum! Per te Sancti occisi sunt, per te civitates combustæ et destructæ sunt, per te vita perdita est, per te mors inventa est, per te bella fiunt, per te sapientes perduntur (3); per te pulchri, turpes; per te, dites, pauperes; per te, fortes, debiles; per te, veraces, mendaces; per te, casti, luxuriosi; per te, humiles, superbi; per te parentibus inobedientes et Deo odibiles fiunt.

VI. Tu vero, Herodias, sanctitatis noverca, scias et nolatenus dubites, quod tua voluntas et opera non remanebunt impunita, quia sanguis Justi clamat ad Deum de terra. Expecta igitur, et tuam damnationem, si (4) potes, jam (5) portare incipe. Infatuatur denique hæc mulier, diaboli membrum, et nuda coram omnibus pergens, a pueris baculis et lapidibus percussa occiditur; et sic ad barathrum nequiter deportatur post mortem cognati sui Herodis fere per annum. Puella vero quæ libenter sic saltabat, a diabolo suffocatur nocte, et sic filia cum matre a diabolo associatur. Nos vero, fratres, oculo mentis aspiciamus sancti Joannis vitam, et quid fecerit, et quid egerit, ferventer agamus; et si non tantum, quantum ipse fecit, facere valeamus, saltem quantum possumus, facere studeamus, ut cum eo consortes simus per gratiam in gloria Beatorum. Amen.

SERMO LXV.

In Natali sanctorum Apostolorum Petri et Pauli I.

Hic sermo legitur in duobus Codicibus Cassinensibus, scilicet Cod. XI, *fol.* 237, *et Cod.* CXXIII, *fol.* 142 *a tergo. Plura continet quæ leguntur sive in sermone appendicis Maurinensis* CCII, *qui alibi sancto Ambrosio tribuitur, sive in sermone* CCIV *ejusdem appendicis. Quapropter illum amandamus in appendicem, tanquam sententiarum sanctorum illorum doctorum collectionem, licet dignus sit in multis qui legatur. Locus ejus post sermonem Maurinensem* CCV *cum numero in Natali Apostolorum* VI.

SYNOPSIS.

I. Petrus et Paulus gubernatores et milites. II. Eorum supplicii causa. III. Ecclesia utriusque mater. IV. Petrus a Paulo quæsitus. Pauli crimen et conversio. V. Æquales fuere Petrus et Paulus, licet unus primus et alter novissimus. VI. Conclusio.

I. Fratres charissimi, gubernator in tempestate dignoscitur, miles in acie probatur. Delicata jactatio est, ubi periculum non est. Sicut enim gubernator eruditus, inter marina discrimina, inter minaces fluctus, inter extollentium se aquarum metuenda cacumina fretus, fixus gubernaculo suo, intentis oculis (6) hæret ad cœlum, et impetu non frangitur tempestatis, sed gubernans in periculis navem propitiante Domino perducit ad littus; et sicut miles inter cruentos gladios, inter hostium feroces aspectus, intrepidus pro regis sui jure decertans, si mori illi contigerit, laudabiliter moritur, si vero vicerit, palmis victricibus et honoribus decoratur; ita et beatissimi (7) Apostoli Petrus et Paulus, velut gubernatores et milites, contra adversarias potestates omnem tolerantiam præstiterunt, nec victi sunt, sed potius vicerunt.

II. Ergo Petrus et Paulus suum (8) sanguinem fuderunt. Sed videamus, fratres, causam quare ista perpessi sunt, scilicet quod inter cætera miracula (9), etiam magum illum Simonem, de vacuo aëre, unius solum ope (10) orationis præcipiti ruina in terram prostraverunt. Cum enim Simon magus atque maleficus (11) Christum se diceret, et tanquam filium ad patrem, assereret ad cœlum (12) volando

(1) Deest *tantum* in cod. — (2) Deest *non* in cod., et sic deinceps. — (3) Cod. male *perdunt*. — (4) Cod. *sient*. — (5) Id. *hoc*. — (6) Sic cod. CXXIII; deest vox *oculis* in cod. XI. — (7) Sic cod. CXXIII; cod. XI *beatis*. — (8) Codd. *eorum*; legendum *suum* aut *simul*, aut *hodie*. Hæc et sequentia habentur in Serm. CCII append. n. 3. — (9) Edit. *mirabilia*. — (10) Codd. *solummodo*. Edit. *orationibus suis de aëris vacuo præcipiti ruina prostraverint*. — (11) Edit. *idem Simon*; reliqua desunt. — (12) Desunt in edit. verba *ad cœlum*.

se posse conscendere, atque elatus solum (1) magicis artibus, per æthere (2) volare cœpisset, tunc Petrus et Paulus (3), fixis in terra (4) genibus precati sunt Deum, et precatione sancta vicerunt magicam levitatem (5). Prius (6) enim ascendit ad Deum Sanctorum oratio, quam magi Simonis falsa volatio (7), ut ante perveniret justa petitio, quam iniqua præsumptio. Ante Petrus et Paulus in terris positi obtinuerunt quod petebant, quam Simon perveniret in cœlestia, quo nunquam pervenire valebat (8). Tunc igitur Petrus et Paulus, oratione facta, Simonem magum victum, de sublimi aëre rapuerunt (9), et quodam præcipitio in saxum (10) elidentes, ejus crura confregerunt. Et hoc in opprobrium facti illius, ut qui paulo ante volare tentaverat, subito plantas amittens, ambulare non posset (11); et quia diabolicas pennas assumpserat, ut in cœlum ascenderet, divisis membris in terra collisus, curam omni populo turpiter jacuisse monstratus est. Sed ne forte, fratres, hoc mirum videatur, quod magus iste atque maleficus (12) præsentibus Apostolis per aëra aliquantulum volaret (13), hoc patientia Petri et Pauli fecit. Permiserunt enim illum sublimia ascendere, ut de alto eum ostenderent cecidisse (14); voluerunt eum aliquantulum aëris in excelso levari a conspectu omnium populorum, ut illo cadente, unde fuerat gavisura turba fidelium, inde terreretur sequentium numerus perditorum (15). Nam cujus meriti sint, fratres dilectissimi, beatissimi Petrus et Paulus, hinc possumus intelligere, ut cum Dominus noster Jesus Christus Orientis regionem propria illustraverit passione, Occidentis tamen plagam, ne inhonora (16) fuisset aliquando derelicta, istorum exhibuit sub suo imperio sanguine purpuratam; et licet illius passio sufficiat ad protectionem, tamen horum Apostolorum simulque Martyrum memoriam nobis contulit ad salutem.

III. Nam Ecclesia Domini, sponsa Christi, quæ est una et vera regina, ipsa genuit Petrum, ipsa genuit Paulum (17). Ea ipsa nati sunt; ab ipsa nutriti sunt; postea nutritores et defensores ejus effecti sunt. Nonne ipsa Paulum pariebat, ut ex lupo fieret agnus? Natus est Paulus, crevit et factus est magnus. Natus est, sed difficile satis, ita ut omnia membra contremiscerent matris. Natus est quando baptizatus est a fratre, et illuminatus est a Deo Patre. Continuo cœpit defendere matrem, et cœpit Petrum velle videre, sed docentem, non fugientem.

IV. Fugiebat te, quando nesciebat te. Sed nunc audivit, quia «Evangelizat fidem quam aliquando expugnabat, et in te clarificabat Deum[1].» Feci, confiteor, feci; sed peccatum non habeo, quia «Ignorans feci[2].» Ego feci, sed ipse non sum qui feci. Si quæris, ego feci. Et quid agimus, sancte Paule, quia fecisse te, et non fecisse, utrumque testaris? Dicis quia fecisti, dicis quia non fecisti. Hæsitat cor nostrum, quia ambiguos nos dimisisti. Dicis quia fecisti; quis est qui Paulo non credat? Iterum dicis, quia non fecisti; quis audeat dicere Paulo «Mentiris»; maxime quia tantus videris, ut quidquid dixeris, indiscusse credaris? Ego feci, inquit, quando Stephanum lapidibus interfeci; sed ex quo cœlitus Christi nomen novum accepi, statim peccatum meum ego cognovi. Fecit Saulus; numquid fecit Paulus? Multum est inter Saulum et Paulum. Et vere, fratres, vultis scire quia multum inter Saulum et Paulum? Saulus lapidavit, Paulus lapidatus est (18); Saulus persecutus est Ecclesiam, Paulus persecutionem passus est propter Ecclesiam; Saulus Christianos virgis affecit, Paulus pro Christo quinquies quadragenas una minus accepit; Saulus persecutus est Sanctorum congregationem, Paulus per fenestram (19) in sporta submissus est. Propterea multum inter Saulum et Paulum. Illud (20) nomen a parentibus in litteris Legis accepit; istud nomen novum a Christo semel accepit.

V. Dicamus aliquid, fratres, etiam et de Sancto Petro, qui fuit piscator, cui jubebat, non dico curator, sed infimus obsonator, et modo, genibus fixis eum adorat Imperator. Ideo mundi sapientes evanescunt, quia perdiderunt mentes, quia placuit Deo per stultitiam prædicationis, salvos facere credentes. Duo luminaria magna qui omnium gentium tenebras illustrant, et omnibus veneratoribus suis bona beneficia præstant, Petrus et Paulus, primus et novissimus, sed tamen ambo æquales, quia non est in illis major et minus. Primus, cum Simon esset, ligare et solvere noverat retia piscatorum; factus est Petrus, et cœpit ligare et solvere vincula peccatorum. Novissimus, cum Saulus diceretur, multos Christianos injuriis afflixit, multos crudeliter interfecit; factus est Paulus, et propter Christum pejora passus est, quam quod fecit.

VI. O divina providentia! o divina mysteria! o divina clementia! o divina secreta! Quomodo Christi Ecclesiam ædificaverunt Petrus et Paulus! Et celebramus hodie eorum festa solemnia in laude divina, procurante (21) Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritûs sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXVI.

In Natali sanctorum Apostolorum Petri et Pauli II.

Erutus hic sermo ex Bibl. Ædil., cod. x, fol. 43 b, sit in appendice post præcedentem, cum numero in Natali Apostolorum VII.

SYNOPSIS.

I. Sanctorum Apostolorum encomia. II. Quam diversi ab eis sunt hodierni pastores. III. Sancti Apostoli duo sunt seraphim stantes super templum; sex alæ Petri. IV. Sex alæ Pauli. V. Imitandi pastoribus isti pastores.

I. Festivitatem beatorum Apostolorum Petri et Pauli hodierno die, fratres charissimi, celebrantes, solemniter cum eisdem in Domino gaudeamus. Ipsi enim sunt sanctissimi patres verique pastores, qui velut Saül et Jonathas amabiles et decori in vita sua, leonibus fortiores, aquilis velociores, in morte quoque non sunt separati[3], et quasi agni mansueti ad victimam ducti, occiduntur simul ligati, velut latrones viarum. Isti sunt gloriosi principes terræ, duces et rectores populi. Isti sunt dii tui excelsi, per quos duceris ad vitam, morte æterna deposita; merito per eosdem consequeris gloriam beatorum. Isti sunt templorum columnæ et fundamenta Ecclesiarum, in quibus pendet tota nostra Lex et Prophetæ. Isti sunt sanctissimi Martyres triumphantes, et juvenes illi qui apparuerunt virtute de-

[1] Gal. I, 24. — [2] I Tim. I, 13. — [3] II Reg. I, 23.

(1) Edit. *subito*. — (2) Desunt voces *per æthera* in edit. — (3) Desunt in edit. *et Paulus*. — (4) Desunt in edit. voces *in terra*. — (5) Edit. omnia habent numero singulari, et sic deinde. — (6) Edit. *prior*. — (7) Iid. *ad Dominum oratio quam volatus*. — (8) Iid. *ad cœlestia quo tendebat*. — (9) Iid. *tunc igitur Petrus velut venatum illum de sublimi aëre deposuit*. — (10) Edit. *in saxo*. — (11) Iid. *ut qui paulo ante volare tentaverat, ambulare non posset, et qui pennas assumpserat, plantas amitteret*. — (12) Desunt in edit. *atque maleficus*. — (13) Edit. *per aërem aliquandiu volitaverit*. — (14) Iid. *ut altius caderet*. — (15) Iid. *voluit eum in excelsum levari ad conspectum omnium, ut ruentem illum de excelso oculi omnium perviderent*. — (16) Sic cod. CXXIII; cod. XI *in hora*. — (17) Vide Serm. CCIV appendic. num. 1. — (18) Vide Serm. CCIV, append. num. 3, et Tract. VIII in Epistol. Joan. num. 9. — (19) Codd. *fenestra*. — (20) Iid. male *illum... istum*; sic et in *litteris*. — (21) Cod. CXXIII *præstante*.

cœli[4], optimi in gloria et pretiosi amictu. Isti sunt principes Apostolici, gubernatores et illuminatores terræ, quibus super omnes alios Dominus dedit potestatem ligandi atque solvendi[5]; virtutem super naturam, ut eam curarent; virtutem super dæmones, ut eos evertrent, super mortem, ut eam contemnerent, super Angelos, ut corpus Domini consecrarent. Isti sunt sanctissimi cœlorum cives, qui potestatem claudendi et aperiendi habent, et ostenderunt exemplo vitæ formam (1) et doctrinam in vita sua. Isti sunt sanctissimi patres verique pastores, illustres ingenuitate, non fastu; insignes auctoritate, non cultu; celebres sanctitate, non quæstu. Isti sunt præcones Evangelici clarissimi, verbis clari (2), clariores exemplis, sed clarissimi signis et miraculis. O quam magnifice sanctissimi Apostoli claruerunt! o quam gloriosa tuba eorum per totum mundum resonuit! o quam cito isti mundi principes totum mundum Christo subdiderunt! Vere isti sunt, quos Dominus misit, ut perambularent terram, navigarent mare, transvolarent montes in fame, siti, nuditate. O quam grandis Dei potentia! o quam mira Dei magnificentia! Petrus piscator et Paulus doctor, totum mundum in pauco tempore concusserunt; totum orbem in signis et prodigiis in admiratione posuerunt; totum orbem ad fidem Christi conduxerunt. Quibus armis? Non corporali potentia, non divitiis protecti, sed solo Dei auxilio hoc operati sunt.

II. O utinam, fratres, tales essent et modo pastores, quales et ipsi fuerunt! Vere dubito, et satis pertimesco, ne sint hodie pastores nostri non (3) præcones, sed canes muti; non duces veritatis et luminis, sed falsitatis et cæcitatis; non constantes operarii, sed custodes mercenarii. Tales sunt canes mordaces, latrones voraces, qui nec vita nec exemplo famæ vel doctrinæ curant sanctos Apostolos imitari. Tales sunt murmuratores et querulosi, paupertatem Petri conculcantes, doctrinam Pauli despicientes, ambulantes in desideriis suis, et in ore ipsorum abundantes superbia (4), et minitantes personas, ut quæstus apporteat.

III. Non sic Apostoli; sed in conversatione angelica rite et doctrina viventes, vere isti sunt illi duo Seraphim stantes super templum[3]; sex alæ erant uni, et sex alæ erant alteri. Et quid per sex alas primi, nisi sex Petri prærogativas et excellentias intelligamus (5)? Debentur enim per excellentiam singula singulis, et de singulo eorum vere dicamus: « Non est inventus in gloria illi (6) similis[4]. » Quod enim, fratres mei, fuit Petri primum donum, videamus. Numquid non (7) inter Apostolos prior extitit ordinatus, curam gerens omnium Ecclesiarum? Ipse denique Petrus vocatus est a Domino Simon, propter obedientiam humilitatis; vocatus est Cephas propter constantiam firmitatis; vocatus est Petrus propter innocentiam veritatis. Et sic, fratres mei, aspiciamus Petrum fide sublimiorem, amore ferventiorem, secretorum familiariorem. Quanto enim familiarior, tanto morti crucis similior. Aspiciamus etiam Petrum miraculis clariorem, cunctis auctoritate et majoritate superiorem.

IV. Ecce Seraphim prior sex alis ornatus, sed ubi sint sex alæ alterius videamus. Ubi prima Pauli ala, nisi sinceritas (8) mirabilis conversionis? Præventus est enim Paulus divina dignatione absque propria dispositione, actu persistens in persecutione, et reductus est a prava conversatione. Ubi altera Seraphim ala, nisi strenuitas mirabilis conversationis? Abundantius omnibus Apostolis laboravit[5], quia diffusius scripsit, quam aliquis Apostolorum, latius operatus est manibus, nolens recipere prædicationis fructus et munera. Non enim usus (9) fuit prædicationis fructu et potestate, sicut et cæteri Apostoli, sed famem et nuditatem sustinebat, laborando manibus suis[6], ne offendiculum daret Evangelio Christi[7]. O quam dura fuit ala istius Seraphim, severitas persecutionis! In laboribus plurimis, in carceribus, in plagis, in profundo maris pœnam et dolorem sustinuit[8]. O quam grandis ala fuit, solemnitas Pauli prædicationis! Vere Doctor gentium appellatur; vere prædicator veritatis, vere vas electionis[9] super omnes alios Paulus nominatur; vere cunctorum magister et pater. Et quis, fratres mei, Apostolorum, Patriarcharum vel Prophetarum prædicarit solemnius? quis Patriarcharum correpsit virilius? quis Prophetarum Paulo disputarit tutius? Digne ergo vas electionis est, nomen Christi portans corde, et ore et opere super omnes alios coram Regibus et Gentibus et filiis Israel[10]. O quam grandis etiam fuit ala Pauli, subtilitas contemplationis! Rapitur enim Paulus ad tertium cœlum, et ipsi (10) concessum est adhuc habenti statum et habitum viatoris, ut Deum videret, sicuti est, et caperet fructum et gustum comprehensionis; sic enim Paulus rapitur. O quam grandis istius Seraphim ala (11), celebritas consummationis! Decoratus enim fuit morte nobilium magnus sanctus Paulus et capitali sententia, tanquam civis nobilissimæ civitatis, mundi capitis; quo decollato vox magna et terribilis audita est: Jesus, Jesus, Jesus. Ecce quomodo vixerat, sic et moriebatur. Nomen quod in mente, vita, voce et opere, in vita portaverat, post etiam vitam ignorare non poterat. In hoc enim, fratres charissimi, Petrum excedit doctor Gentium Paulus; quia crux erat pœna et ignobilior mors; tamen sicut una vita vixerant, sicut unam vitam prædicaverant, sic una die et hora pariter cœlum triumphantes feliciter intraverunt. Ecce quomodo sanctissimi Seraphim, habentes alas sex, morte devicta, consummato labore cursûs eorum, intraverunt ad vitam.

V. Nos igitur, fratres, qui nunc Pastores vocamur, studeamus cum Apostolis angelice vivere. Prælatus denique Angelus dicitur optime, vel dici debet, ratione sinceritatis in vivendo, quia, sicut Angeli puri et nitidi, stare semper debemus, ratione scientiæ in cognoscendo; ratione eruditionis in informando; ratione medicationis in curando; (Raphael enim numquid Tobiam non curavit?) ratione prudentiæ in eligendo et desiderando; non enim terrena, sed cœlestia amare debemus; ratione velocitatis in discurrendo (12); volare enim debemus et discurrere prædicando et corrigendo proximum, et suscitare amicum jacentem; ratione orationis (13) in suffragando, quia pro populo Domini orationes facere et portare debemus; ratione devotionis in contemplando, quia Prælatorum conversatio semper in cœlis debet esse. Sed « Væ nobis, quia peccavimus[11]; » væ nobis, quia non Angeli, sed pessimi peccatores sumus; væ nobis, plenis superbia in præsidando; væ Prælatis, plenis immoderantia in exequendo; væ Prælatis, cupidis in congregando; væ Prælatis, remissis in corrigendo; væ Prælatis, inter subditos dolos et scandalum, ut regnent, imponendo; væ Prælatis, animarum curam negligendo; væ Prælatis, scandalum operantibus in peccando. Non sic igitur, fratres mei, non sic agere debemus, si veri Pastores ovium esse desideramus. Quid enim Petrus, quid enim et Paulus egerit, aspiciamus, et eos postmodum imitari non timeamus. Laboremus denique, dum tempus habemus, ut in tempore suo cum eisdem recipiamus fructum, gloriam et honorem, quod nobis concedat ipse Pastor verus Jesus Christus. Amen.

a

[4] I Mach. III, 26. — [5] Matth. XVI, 19. — [3] Isai. VI, 2. — [4] Eccli. XLIV, 20. — [5] I Cor. XV, 10. — [6] Id. IV, 12. — [7] Id. IX, 12. — [8] II Cor. XI, et seqq. — [9] Act. IX, 15. — [10] Ibid. — [11] Thren. V, 16.

(1) Cod. *vitæ exemplo famæ*. — (2) Id. male *clariores*. — (3) Deest *non* in cod. — (4) Cod. *superbiam*. — (5) Deest in cod. verbum *intelligamus*. — (6) Cod. *ubi*. — (7) Deest *non* in cod. — (8) Cod. *sinceritatis*. — (9) Deest *usus* in cod. — (10) Cod. *ubi*. — (11) Deest *ala* in cod. — (12) Cod. *discernendo*. — (13) Id. *soli* male.

SERMO LXVII.

In Natali SS. Apostolorum Petri et Pauli III.

Pulcher hic sermo, et sancto Augustino dignissimus, cujus sententiis et dicendi modo apprime convenit; nec dubitassem illum beato Doctori tribuere, nisi obstaret cod. XIV, *hunc sancto Ambrosio assignans. Legitur in quinque codd. Florent., nempe Bibl. Laurent., Plut.* XXX *sinist., cod* II, *fol.* 153 *b; ibid., Plut.* XXXIII *sinist., cod.* IV, *fol.* 163 *b; Bibl Ædil., cod.* CXXXVI, *cujus pagina non indicatur in nostris chartis; ibid. cod.* CXLIII, *fol.* 231; *et denique Bibl. Mugel. cod.* XIV, *fol.* 110. *Sit in appendice post præcedentem cum numero in natali SS. Apostolorum* VIII.

SYNOPSIS.

Apostolorum vocatio et gloria.

Duorum Apostolorum sanctorum (1) Petri et Pauli, fratres charissimi, hodie celebramus natalem; quorum sonus et prædicatio pervenit in omnem orbem terrarum. Ita eorum passio celebratur ab oriente usque ad occidentem, quoniam pro Rege passi sunt cœli et terræ. Meruit civitas Romanorum, ut ibi sint (2) constitutæ memoriæ Apostolorum. Oportuit enim ibi esse prædicatores regni cœlorum, ubi constitutum est (3) regnum Romanorum, ut diversæ gentes venientes honorificent (4) memoriam piscatorum. Euntibus enim ad beatum Petrum apostolum, qui noverunt ubi (5) est constituta memoria Adriani Imperatoris, miræ magnitudinis et pulchritudinis templum constructum? Numquid potest ab aliquo dici: Intremus ad memoriam Imperatoris? Ergo præteritur memoria Imperatoris, et festinatur ad memoriam piscatoris. Bene piscatores facti, qui erant piscatores nati. Piscatores piscium facti sunt piscatores hominum Domino Christo dicente: « Venite » post me, faciam vos fieri (6) piscatores hominum[1]. » Artem vobis non muto, genus piscium muto. Extrahebatis de mari vivos ad mortem, nunc extrahetis de sæculo mortuos ad salutem. Unus erat piscator, alius persecutor. Quantum meruerunt persecutores et piscatores, ut fierent prædicatores! Primus in ordine Apostolorum electus est Petrus, novissimus (7) in ordine Apostolorum electus est Paulus, sicut ipse de se testatur dicens: « Ego enim sum » minimus Apostolorum[2]. » Qui elegit primum, ipse elegit et novissimum, ut simul paterentur (8) primus et novissimus. Bona passio, quæ nunc cohæret (*sic*) laude; bonum certamen, quod perfecit martyrium. Sciebant Apostoli, ad quam pertendebant coronam, quam acceperunt Petrus et Paulus in urbe Roma. Dixerat enim Dominus in Evangelio: » Qui reliquerit patrem, aut matrem, aut (9) uxo- » rem, et filios, et omnia quæ possidet (10), centuplum ac- » cipiet, et vitam æternam possidebit[3]; » et, « Qui perdiderit » animam suam propter me in hoc mundo, in vitam æter- » nam custodiet (11) eam[4]. » Oportet ergo, fratres, ut propter vitam non diligamus vitam; propter vitam æternam, temporalis est contemnenda. Boni Discipuli, qui veram doctrinam tenuerunt Magistri, cursum consummaverunt, fidem (12) servaverunt[5], promissa dilexerunt, temporalia contempserunt, et vitam æternam possederunt. Unus ex rustico insertus, alius ex lupo agnus. De Paulo apostolo dictum est: « Lupus rapax; mane comedet (13) prædam, et » ad vesperum dividet escas[6]. » Fuit persecutor Saulus, sed mutatus est, ut fieret prædicator Paulus. Fuit quidem (14) antea persecutor, qui postea (15) factus est magnificus prædicator. Christum quem aliquando blasphemabat, postea publice prædicabat. Ipse enim de se testatur dicens: « Qui prius fui blasphemus, et contumeliosus (16) et per- » secutor, sed ideo misericordiam merui, quia ignorans » feci in incredulitate[7], » ut in me revelaret Deus Filium suum. Hoc præstitit mihi persecutori. Quid autem præstitit piscatori, nisi claves regni cœlorum? Claves ipsas regni cœlorum fides meruit Petri, quia (17) prior agnovit Filium Dei (18). O gloriosum meritum Apostolorum! Non uno die electi ad gratiam, sed uno die meruerunt palmam; non uno die electi ad apostolatum, sed uno die meruerunt accipere martyrium consecratum (19). Transcenderunt cœlum, et coronati venerunt ad Dominum Deum, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXVIII.

In festo sancti Petri ad Vincula.

Sermo iste extractus e Bibl. Ædil., Cod. X, *fol.* 44, *pro titulo habet* In advincula sancti Petri. *Ponitur in appendicem, propter sæpius commemoratas rationes, post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Petrus ab Herode missus in carcerem ab Angelo liberatur. II. Ab ipso aliisque Sanctis patientiam debemus addiscere. III. Patientiæ encomium. IV. Hanc et Pagani commendarunt.

1. Fratres charissimi, festum ad vincula sancti Petri Apostoli, ut multi vestrum viderunt et audierunt, temporibus nostris inceptum est ab Ecclesia celebrari; et ideo ad honorem tanti ecclesiarum patroni et capitis, festum ejus solemniter celebrare debemus. Nam cum Petrus, fratres charissimi, esset apud Jerosolymam, et post adventum sancti Spiritûs miracula in cunctis ostendens, in tantum ut ipso veniente, et viam transeunte, infirmi sanarentur a quibuscumque detinebantur infirmitatibus; ideo Petrus in templo a populo Judæorum flagellatur, et inique verberatur, per terram ducitur et trahitur, et apud Herodem Agrippam fratrem Herodiadis Jerosolymorum præfectum in carcere ponitur, et catenis fortiter religatur; parcens ipsi (20) pro tunc vitam propter dies azymorum; post quos dies volebat eum producere et ponere ad mor-

[1] Matth. IV, 18, 19. Marc. I, 17. — [2] 1 Cor. XV, 9. — [3] Matth. XIX, 29. — [4] Id. X, 39; XVI, 25 Marc. VIII, 35. — [5] 2 Tim. IV, 7. — [6] Gen. XLIX, 27. — [7] 1 Tim. I, 13.

(1) Sic codd. omnes excepto cod. CXXXVI, qui habet *eorum sanctorum Apostolorum*; unde videtur hoc esse solummodo fragmentum. — (2) Sic cod. CXXXVI; cæteri *ubi sunt*. — (3) Sic omnes codd., excepto cod. XIV, qui habet *conditum est*. — (4) Cod. XIV *glorificent*. — (5) Sic omnes codd.; cod. CXXXVI *ibi*. — (6) Sic cod. CXXXVI; in cæteris deest vox *fieri*. — (7) Sic omnes codd.; cod. XIV *novissime*. — (8) Cod. XIV male *parentur*. — (9) Sic cod. CXXXVI; vox *aut* deest in cæteris. — (10) Sic cod. IV; cæteri male *possident*. — (11) Sic cod. IV; cæteri *custodit*. — (12) Sic codd. omnes; cod. XIV *probaverunt*. — (13) Sic cod. CXXXVI, qui deinde non habet *prædam*; cæteri *rapiet prædam*. — (14) Sic cod. IV; cod. XIV *fuit antea*. — (15) Sic cod. II, et cæteri; cod. XIV *postea vero*. — (16) Desunt hæ voces *et contumeliosus* in omnibus codd., excepto cod. IV. — (17) Sic ex diversis codd. textus restituitur. Cod. enim IV *claves ipsa regni cœlorum fidem*; cod. XIV *claves ipsa regni cœlorum fides meruit Petri, quæ*; cod. autem II insuper *fidem meruit Petrus*. — (18) Sic cod. IV; cæteri non habent *Dei*. — (19) Sic codd. Forte legendum *martyrium*. *Martyrio consecrati transcenderunt*, etc. — (20) Cod. *sibi*. Hæc phrasis omnino barbara est, cum vox *parcens* referatur ad Herodem, et non ad Petrum, qui tamen nominativum est sententiæ verbum.

tem in populo. Interfecerat enim Jacobum fratrem Joannis gladio. Prædictus enim Herodes valde cupidus erat, et populum Judæorum in recipiendo multum gravabat; proditor quidem erat, et luxuriæ pater dicebatur a cunctis, et a cunctis despiciebatur; ideoque volens placere Judæis apposuit, ut et Petrum apprehenderet et occideret, sicut et Jacobum[1]. Et dum esset Petrus in carcere, recordatur (1) quomodo sanctus Daniel in lacu leonum liberatus est, et clausa sunt ora leonum; recordatur Apostolus quomodo Jonas in ventre ceti clamavit et evomitus est; recordatur quomodo tres pueri in camino ignis ardentis clamaverunt, et salvati sunt. Et ideo Petrus in carcere positus clamavit, et ceciderunt catenæ de manibus ejus[2]. Tu vero, o homo, disce, dum discere potes; accipe Petri doctrinam, qui dum pateretur, non conquerebatur; dum per terram duceretur, vox blasphemiæ in eo non audiebatur; dum catenis ligaretur acerrimis, non lamentabatur; dum in carcere esset obscurissimo, pro Christo libenter patiebatur. Præceperat enim Apostolus fidelibus, ut omnes ad Deum funderent preces pro eo, et eum eo sine intermissione.

II. Tu vero, o homo, disce, quia dum peregrinaris, tempus addiscendi est. Esto enim Petro vir fortis, sive juste, sive injuste patiaris tormenta vel carceres, maledictionem vel mortem. Esto vir fortis in cunctis, quæ pateris, quia si juste pateris, purgaris; si injuste pateris, coronaris. O quam gloriosum est martyrium mentis vel corporis, amore Christi, non mente superba, sed igne charitatis accensa, ad tempus hilariter sustinere! Et vere ad tempus, quia vita nostra velut umbra transit[3]. Quos namque, fratres, vere mentis Martyres reputamus, nisi illos sanctissimos confessores, qui Christum ore, corde et opere profitentur in cunctis adversitatibus, qui etiam non solum de suis condolent malis, sed etiam proximorum mala (2) videntes vel audientes, non solum unam, sed mille mortes quotidie patiuntur? Isti sunt veri martyres, qui licet sanguinem non effundant, tamen mortem patiuntur quotidie obsecrando, increpando, prædicando, condolendo, visitando, opprobria, verbera et blasphemias sustinendo in omni patientia et doctrina[4]. Sic enim sanctus ille Moyses, licet adhuc juvenis, faciebat. Dum videret male operantes, dicere non timebat: « Ut quid proximo noceis[5]? » Et audivit: « Quis principem te constituit super nos[6]? » Sic etiam sanctus ille Joseph faciebat, quando fratres suos crimine pessimo patri incusabat. Sic etiam Job, quando uxori respondit: « Tu quasi una de stultis mulieribus locuta es[7]. » O quam beatus, o quam gloriosus Job! Quot enim voces in laudem Dei percussus reddidit, tot sacrificia Deo obtulit; toties Deo se digne sacrificavit, quoties adversariorum voces patienter audivit. Acriora etiam tormenta diabolus patientia Job sustinuit, quam diabolus in sancto viro infixit (3). O quam amabilis patientia, o quam gloriosa! Tam magnum donum Dei est ut etiam ipsius, qui eam nobis largitur, patientia prædicetur. Facile satis est vestem concinctam habere, inclinato capite incedere, velum super oculos dimittere; sed hæc omnia sine patientia, modicum valent. Esto vir fortis, noli in indignatione te ponere, noli in superbia te jactare; ita (4), si percuteris, ut lacrymas præ dolore continere non valeas. Esto vir fortis et patiens, quia non pœna, sed medicina tibi est; castigatio, non damnatio tibi est; mel et lac tibi est, et non venenum. Noli, o fili, flagellum repellere, si non vis repelli a paterna hæreditate; noli attendere pœnam, quam pateris in flagello, sed quem locum in testamento paterno obtineas. Si vexaris infirmitate, si gravaris loquacitate inimicorum, vel inopia paupertatis, esto in cunctis vir fortis. Nemo denique bonus est, nisi in adversis sit (5) patiens, et malo fuerit approbatus.

III. O tu, homo, qui impatiens es, scias quod misericordiam a Deo non consequeris, si irascaris reddendo malum pro malo. Consulo ergo, ut sis vir patiens, et cum pateris, dic non solum corde, sed et ore: Juste patior hæc et majora, quia peccator sum, si non in hoc, saltem in aliis, quia sæpe peccavi. Si vero hoc dixeris, omnino misericordiam consequeris ab eo, qui post tribulationem ad pristinum statum te poterit revocare. O quam magna virtus est, si non lædas, a quo læsus es! o quam magna gloria! o quam gloriosus de te cantus coram Angelis Dei, si tu potuisti nocere, et parcis! o quam nobile vindictæ genus est ignoscere! o patientia prædicanda, quæ omnia vincit adversa, non colluctando, sed sustinendo; non murmurando, sed gratias exhibendo! Ipsa est quæ fures totius pravæ voluntatis astringit; ipsa est quæ animas Deo limpidas reddit. Nihil denique, fratres, fortius esse potest, nihil egregius, nihil beatius, quam audire noxia, et non respondere contraria; quam audire mortifera, et respondere vivifica. O fideles, attendamus et nos, eum qui (6) non habet arma defensionis. Dum enim capitur, non cornibus percutit, non dentibus mordet, non fugam capit, sed manibus latronis vel occisoris patienter acquiescit; nulla se reluctatione defendit: sic et nos, famuli Christi, facere in cunctis debemus.

IV. Diogenes denique, paganus ille famosus in cunctis, cum audisset amicos dixisse: « An ignoras, quod multi te vituperant undique? » Respondens paganus ait: « Oportet ab insipientibus sæpe vituperatum (7) patienter semper portare, et ab eisdem vulneratum in nullo pavere. Felicissima denique vita cunctorum putatur, si (8), cum possint, mala pro malis non reddant, sed potius patientia elypeati (9), optima pro pessimis reddere festinent. Nam vir patiens quanto plus ad iram provocatur, tanto fortius et charius apud nos (10) existimatur. Nam adversa portare, humanum patres nostri prædicaverunt; sed brutale, malum non ferre, semper nos docuerunt. » Ecce, fratres mei, quomodo Pagani, doctores nostri esse possunt, ecce quomodo formam patientiæ nobis dederunt; ecce quomodo et quantum sanctam patientiam magnificaverunt. Eia ergo, milites Christi, amplectamini (11) patientiam, facite eam sponsam, sequamini vestigia ejus, et clamare cum Petro non desistatis in cunctis quæ patimini, ut ille patientiam tribuat qui suo pretioso sanguine nos redemit. Amen.

[1] Act. XII, 13. — [2] Ibid. 7. — [3] Job. XIV, 2. — [4] 2 Tim. IV, 2. — [5] Exod. II, 13. — [6] Ibid. 14. — [7] Job. II, 10.

(1) Cod. *recordatus*, et sic deinde, excepta vice tertia, ubi bene scribitur *recordatur*. — (2) Cod. *labere*. — (3) Id. *infixerit*. — (4) Id. *nam*. — (5) Id. *in adversis*; *sic*. — (6) Id. *quis enim*. — (7) Id. *vituperatus* et sic deinceps. — (8) Deest *si* in cod. — (9) Cod. *clypeatus*. — (10) Id. *nostrum*. — (11) Id. *amplectamur*.

SERMO LXIX.

In Natali sancti Laurentii I.

Hic sermo eductus ex Cod. Cass. CIX, *fol.* 92 *a tergo, cum nomine sancti Augustini, collimare videtur in pluribus cum sermone appendicis Maurinensis* CCVI, *qui etiam legitur inter opera sancti Ambrosii. Benedictini de sermone ab ipsis edito dixerunt eum dignum esse qui legatur; dignus est et iste, quem stampis subdimus, utpote qui in multis sit diversus ab eo quem Maurini ediderunt. Illum tamen inter sermones appendicis propter easdem rationes amandamus. Locus ejus sit idem ac sermonis* CCVI *Benedictinorum, cujus diversa videtur editio.*

SYNOPSIS.

I. Beatus Laurentius in cœlesti sedere maluit, quam in terrestri cathedra. II. Quæ fuerint ejusdem judicio veræ divitiæ. III. Quomodo imitandus Laurentius.

I. Licet ingentia facta tenuis sermo non explicet, et natura frigidioris ingenii flammas Martyrum enarrare non possit, devotionem tamen nostram erga cultum martyrii demonstrantes, ab ipso per quem efficiuntur Martyres, deprecamur, ut divini ignis in nos virtute succensa, loqui sacerdotem doceat, qui Levitam docuit triumphare. Beatus namque Laurentius, dum in urbe Roma archidiaconatûs officio fungeretur, et idem in minori adhuc esset Ecclesiastico ordine constitutus, ad principalem palmam martyrii pro vitæ virtute pervenit. Non quærens requiem post laborem, nec gaudium eligens post ardorem, sed craticulam præferens cathedræ, ardere magis voluit, quam sedere. Noverat enim ab Apostolo esse præceptum: « Qui » bene ministraverit bonum gradum sibi acquiret[1]. » Acquiret plane, non tam in præsenti hoc sæculo quam in futuro, nec ut hic tantum sedeat, ubi Scribæ et Pharisæi reprehenduntur, sed illic potius, ubi per Evangelium Dominus repromittit dicens: « Sedebitis et vos super duodecim se» des, judicantes duodecim tribus Israël[2]. » Istam sedem, istam cathedram, istam admirabilem requiem Laurentius expectabat, ideoque patienter et fortiter illata supplicia perferebat. Superiori vigente (1) desiderio, suppositis ignibus non cedebat; dum enim ardet Christi desiderio, persecutoris pœna non ardet. Quantum autem in eum amor fidei crescit, in tantum supplicii flamma frigescit. Torquetur quidem persecutoris incendio, sed ex amore succenditur divino. Salvatoris ignis materialem tyranni restinguit ardorem. Quamvis enim in favillam membra solvantur, fidei tamen fortitudo non solvitur. Corporis licet sustineat detrimentum, sed lucrum æternæ salutis acquirit, dicente Apostolo: « Non sunt condignæ passiones hu» jus temporis ad superventuram gloriam quæ revelabitur » in nobis[3]. »

II. Sed videamus quibus meritis ad istam beatus Laurentius pervenerit dignitatem. Non enim casu quodam hoc accidit, nec personarum acceptor Deus[4], largitor illi hoc quod aliis forte subtraxerit, sed justæ dispensationis judicio remunerat laborantem, et vicem quodammodo restituit operanti. Nam ut beati Laurentii multa prætercam, hoc, fratres, quam eximium, quam putatis esse mirabile, quod nec speravit in incerto divitiarum[5], sed divitias suas et thesauros Ecclesiæ pauperes simul et debiles æstimabat, confidenter dicens tyranno, has solas divitias, hos veros thesauros in pauperibus Ecclesiam possidere. Et revera, fratres, isti sunt thesauri nostri, per quos non solum multa conquirimus, sed ipsum majestatis Dominum facimus debitorem, sicut ipse dicit: « Quamdiu uni ex minimis » meis fecistis, mihi fecistis[6]. » Esurivi enim, et in esuriente cibatus sum; sitivi, et in sitiente potatus sum[7].

III. Et idcirco, fratres, si ad culmen martyrii cupimus pervenire, omni præsentis vitæ ambitione deposita, istis bonorum operum gradibus Laurentium subsequamur. Sicut enim passione sua illuminavit mundum eo lumine quo accensus est, ita flammis quibus exustus est, omnium christianorum ad fidem corda succendit. Quis autem nolit pro Christo ardere cum Laurentio, ut possit cum Laurentio coronari, qui dum persecutoris flammas vicit, ostendit nobis per ignem fidei gehennæ incendia superare, et amore Christi Domini diem judicii non timere, cujus diei ne tunc uratur incendio, cum examinationis tempus advenerit, ante Propheta clamat et dicit: « Ure renes » meos et cor meum[8]. » Ure renes, ne nutriant vanitatem, ure cor, ne cogitet vanitatem. Habes enim salutarem ignem, et universis luminibus clariorem, illum de quo Dominus dixit in Evangelio: « Ignem veni mittere in terram, et » quid volo, nisi (2) ut accendatur[9]? » Impleta, Christe, tua voluntas est. Ecce enim hoc accensi igne Cleophas cum socio suo dicunt: « Nonne cor nostrum ardens erat » in nobis, cum aperiret nobis Scripturas[10]. » Hoc accensi igne tres pueri et inter pœnarum flammas, camino æstuante, deambulabant, et igneos globos pedibus illæsi conculcabant[11]. Unde beatus Laurentius non minori est gloria prædicandus. Illi enim inter pœnarum flammas deambulabant, hic in ipso supplicii sui igne discumbit. Illi vestigiis pedum conculcant incendia, hic ferventem craticulam laterum regyratione suorum devotus restinguit. Illi ad postremum stantes, in pœna elevatis tantum manibus orabant, hic prostratus in pœna toto Christum corpore deprecatur.

SERMO LXX.

In Natali sancti Laurentii II.

Legitur hoc sancti Laurentii encomium in Bibl. Ædil., Cod. X, *fol.* 44 *b. Hinc sit in appendice post sermonem Maurinensem* CCVII *cum numero in Natali sancti Laurentii* III.

SYNOPSIS.

I. Sancti Xysti et sancti Laurentii colloquium. II. Beati diaconi fortitudo. III. Coronatur tempore pacis. IV. Martyrum festivitates quomodo celebrandæ.

I. Audistis, fratres charissimi, quod dum perduceretur venerabilis senex Xystus ad passionem, legimus sanctissimum Laurentium martyrem post ipsum clamasse: « Quo progrederis sine filio, pater? quo modo, sacerdos sancte, sine ministro properas? » Legimus etiam venerabilem præ-

[1] I Tim. III, 13. — [2] Matth. XIX, 28. [3] Rom. VIII, 18. — [4] Act. X, 34. — [5] I Tim. VI, 17. — [6] Matth. XXV, 40. — [7] Ibid. 35. — [8] Psal. XXV, 2. — [9] Luc. XII, 49. — [10] Id. XXIV, 32. — [11] Dan. III, 94.

(1) Cod. *viæ boni* absque sensu. — (2) Id. *quem volo ut accendatur.*

autem voce consolationis paternæ ipsi (1) respondisse : « Non ego te desero, fili, nec derelinquo, sed majora tibi debentur pro fide Christi certamina. O dulcissime fili, in te pollet præclarior (2) gloria. Te excitat fortior pugna, tibi debetur gloriosior palma. Exhortor te, fili, et moneo, esto vir fortis et præliare Domini bella. Nam de cognatione tua te tuli, et de domo patris tui te eduxi. Cuncta quæ mundi sunt dimisisti ; omnia reliquisti et sic bene incœpisti ; sed quia modo post triduum pugnare te oportet, ideo esto vir fortis, præliare bella Domini. » Quod audiens Levita Laurentius cogitabat, quomodo pro Christo carnem subjiciat, quomodo hostem dejiciat, quomodo mundum despiciat, quomodo pro Christo mortem suscipiat. Et ecce dum hoc cogitat, post diem tertiam, facto ostenditur patris Xysti venerabilis obedientiæ obtemperator, membrorum Christi pauperum fertilissimus recreator, divinitatis magnificus ampliator, sanctæ fidei solemnissimus defensor, malignorum militantium sævissimus propugnator. Ecce, fratres, quomodo adimplevit patris præcepta ; ecce quomodo fuit in cunctis vir fortis ; ecce quomodo cucurrit in stadio, et currendo recepit bravium gloriosæ victoriæ.

II. Eia, sancte Levita Laurenti, vir fortissime in convincendo, debellando, præliando super omnia fortissima genera tormentorum, quibus corpus tuum sanctissimum tradidisti voluntarie ; eia, Martyrum gemma clarissima. Magnum et admirabile spectaculum fidei nostræ, atque propheticum stupendum valde miraculum ! « Videbat namque Moyses, quod rubus arderet (3), et non comburetur [1] ; » videbat in Spiritu sanctum Laurentium Levitam super ignem positum, nec comburebatur ; sed quanto plus a foris comburi videbatur, tanto plus intus divino amore ardere videbatur. Ecce, fratres, quomodo fuit vir fortis in vinculis, in carceribus, in scorpionibus, in facibus, in lampadibus, in laminis plumbeis, in ungulis ferreis, in lecto ignito, in crata, in furcis ferreis, in carbonibus vivissimis. Ecce quomodo rubus iste corporaliter ardet, nec tamen comburitur intus, sed semper, ut diximus, fortius accenditur. Et quomodo hoc scimus ? Per vocis signa (4). Ipsæ namque voces (5) sunt signa earum quæ sunt in anima passionum. Istæ (6), quod intus etiam latet, numquid ad exteriora membra non (7) denuntiant ? Ecce ergo Levita Laurentius, id quod intus latebat, jam amplius celare (8) non potest. Clamat ergo Laurentius, vociferatur cardo orbis terræ (9) ; amplius tacere (10) non potest ; silere (11) namque non amplius eum decet : « Disce, inquit, miser, quia carbones tui non ardorem, sed refrigerium mihi præstant. » O magnum, o (12) mirabile, o grande spectaculum ! o fidei sanctæ exemplum ! Ignis namque (13) præ omnibus agentibus est potentissimus in imprimendo, velocissimus in alterando, acutissimus in penetrando, acerbissimus in affligendo ; et beatus Levita Laurentius ignem potentissimum superat, velocissimum temperat, acutissimum mactat, acerbissimum valenter deglutit.

III. O sancte Levita Christi, Christianorum protector, viduarum consolator, pauperum et orphanorum amator, bonorum Ecclesiæ optimus dispensator ! Vere hodie decoraris inter omnes Martyres, et demonstraris nomine famosissimus, signis præclarissimus, festo solemnissimus, in throno sublimissimus. Unde hoc, nisi gratia Dei ? unde hoc, quia bene incœpit, et melius in cunctis perseveravit, in tantum ut etiam tempore pacis coronam martyrii suscipere dignaretur ? Sed dicet quis : Quomodo tempore pacis invenit coronam ? Numquid sanctus Papa Xystus martyrium jam de propinquo non receperat ? numquid non et cum eo Felicissimus et Agapitus, sanctæ Ecclesiæ Cardinales (14) ? Quomodo ergo tempore pacis coronam martyrii adinvenit Laurentius ? Sed breviter nunc loquendo, tempus (15) pacis appello, quod Romæ fideles pacifice vivere poterant, et sine persecutione. Sed quia Decius thesaurum apud Christianos esse sciebat, cupiens Ecclesiarum thesaurum expoliare, sanctum Ecclesiæ caput aggreditur, et renuens Xystus capitur et occiditur. Sed si thesaurum Imperatori dedisset, fratres, sanctum martyrium non suscepisset ; sed quia contempsit occiditur, et impius Christianos cunctos Imperator persequitur. Similis etiam ratio de Laurentio designatur ; et ideo diximus, quod tempore pacis coronam adinvenit martyrii.

IV. Nos vero, fideles, quid Levita Laurentius egerit, attendamus, quia in stadio positi sumus ; currere namque festinanter debemus, ut cum sancto viro Laurentio bravium suscipere mereamur jucunditatis. Celebremus ergo ejus festum (16), ut et ipse hanc nobis gratiam impetret, cujus memoriam solemnem facimus, non tantum corporalibus operibus abstinendo, sed etiam ejus virtutes recolendo. Toties enim natalia Sanctorum celebramus, quoties eorum virtutes recolimus, quibus claruerunt in terris. Et ad gloriam illius totum referamus, sine cujus gratia nihil boni cogitare possumus. Melius, ut arbitror, faceret homo in agro aliquid utile, quam frequenter in foro otiosus assisteret (17) ; et melius feminæ nostræ lanam vel linum texerent (18), quam in diebus Dominicis vagando plateas considerarent, impudice respicerent, et impudicitius salutarent vel salutarentur. Dominica enim die a labore terreno cessandum est, et orationibus insistendum (19), ut si quid negligenter per sex dies agitur, per diem Dominicæ resurrectionis precibus expietur. Valde enim absurdum nimia securitate velle sanctum Martyrem honorare, quem scimus Deo placuisse. Quid enim prodest interesse festivitatibus (20) hominum, si contingat te deesse festivitatibus Angelorum ? Si desinas ab omnibus sæcularibus, et nihilum mundanum geras, sed spiritualibus operibus vaces, ad Ecclesiam convenias, divinis lectionibus aurem præbeas, de cœlestibus cogites, de futura spe sollicitudinem geras, venturum judicium præ oculis habeas, non respicias ad visibilia, sed ad invisibilia et futura : hæc est observatio Legis Christianæ. Sic et Deus laudari vult, sic suos Martyres venerari. Hæc est summa festivitas, et dum eorum merita recolimus, patrocinia eorum sentire non dubitemus ; quod nobis concedat qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Exod. III, 2.

(1) Cod. *sibi*. — (2) Id. *gloriosior*. — (3) Id. male *ardebat... comburebatur*. — (4) Id. *per voces et signa*. — (5) Id. male *ipsa denique signa sunt signa et earum*. — (6) Id. *nota*. — (7) Deest *non* in cod., ut semper, et sic deinceps. — (8) Cod. male *latere*. — (9) Hæc difficilia intellectu, nisi respicias ad voces, quæ paulo post sequuntur, *ecclesiæ Cardinales*. — (10) Cod. *tenere*. — (11) Id. *scire*. — (12) Deest *o* in cod. — (13) Id. *denique*. — (14) Cardinales nondum erant instituti tempore sancti Xysti, nec etiam sancti Augustini ; unde prodit evidenter novitas horum sermonum. — (15) Cod. *tempore*. — (16) Hæ voces, *ejus festum*, omnino requisitæ, desunt in cod., sicut et deinde verbum *facimus*. — (17) Cod. *assistere*. — (18) Id. *texere*, et sic deinceps *considerare... respicere... salutare* et *salutari*. Quæ corrigenda, ut fecimus, nisi legas *melius esset feminis nostris*. — (19) Id. *[illegible]*. — (20) Hæc vox deest in cod.

SERMO LXXI.

In festo Assumptionis Beatæ Mariæ virginis.

Sit in appendice iste sermo, licet dignus qui legatur, tum quia legitur in Bibl. Ædil., Cod. x, *fol.* 45, *tum quia apertius mentitur scriptor, se modo Levitam, modo Episcopum asserendo. Locus ejus post sermonem Maurinensem* CCVIII, *cum numero in festo Assumptionis B. Mariæ* II.

SYNOPSIS.

I. Timet scriptor de Maria loqui, cinis et peccator, sed Dei gratia adjutus loqui præsumit. II. Maria sine peccato. III. Ejus invocatio et encomium. IV. Caute ambulandum, ita ut removeatur vel memoria fœminarum. V. Quam periculosa fœminarum conversatio. VI. Sancti Ambrosii pulcherrima ea de re doctrina.

I. Ego pulvis et cinis, qui et loquor vobis; propterea erubesco de Virgine aliquid dicere. Nam postquam virginitatem me amisisse cognovi, nunquam tanto fervore virginitatem Gentibus prædicavi, ne mihi dicatur: « Medice, » cura te ipsum[1]. » Et quid mirum, si mihi hoc quotidie diceretur? Numquid non (1) tanquam jumentum, triginta annis et amplius computrivi in stercoribus peccatorum meorum? Quomodo ergo loquar vobis quorum conversatio in cælis est[2]? Numquid non ego tanquam pulvis et cinis, quem projecit ventus a facie terræ[3]! Cujus hactenus contemptibilis et miserabilis vita fuit, et sic sermo contemnendus efficitur. Numquid vos non (2) eremi cultores, cœlorum cives sanctorum, et domestici Dei[4], qui vere sapitis, quæ Dei sunt et non quæ super terram[5]? numquid non etiam puer inter vos senex et sapientia? Unde ergo tam superba præsumptio, ut indoctus inter sapientes, juvenis inter senes, filius inter patres, Levita (3) inter Sacerdotes, audeat proferre sermonem? Contremisce elationis supercilio, ut lutum de figulo, opus de opifice, creatura de Matre Creatoris, infimus de supremo, peccator de illa quæ peccatum nescisit, præsumat aliquid fabulari. Verum contra hanc excusationis arrogantiam duplicem adinveni excusationis viam, quarum prima est charitas vestræ dilectionis, et immensitas divinæ bonitatis. Potens est enim Dominus, ut loquatur in servo suo peccatore et immundo, qui locutus est in jumento[6]; et qui aperuit os asinæ ad loquendum, aperiat cor et os meum per gratiam suam, ut digne narrare possim nomen suæ Matris vobis fratribus et presbyteris meis.

II. Festivitas hodierna, fratres dilectissimi, tanto nobis debet esse devotior, quanto illa cujus (4) memoriam agimos, cunctis gentibus fuit fœcundior, cunctis apparuit sanctior, cunctis intus et foris pulchrior, cunctis sapientior, gloriosior, gratiosior, omnibus creaturis perfectior. Non solum in vita, sed in ventre sanctificata, super omnes alias creaturas, morte jam per eam devicta, nobis attulit vitam sempiternam. Hæc est enim illa gemma gloriosa Paradisi, de qua supra diximus, quam propter honorem Dei (5) honoravimus in libello, quem nos edidimus nuper de Natura et Gratia, dicentes (6): « Cum de peccatis agitur, nullam prorsus de Maria habere volo quæstionem (7). » Unde enim scimus quod ei plus collatum fuit gratiæ ad vincendum ex omni parte peccatum, quam alicui de fœmine nato. Et miraris si hoc audis? Nequaquam, fratres, mirari debemus, quia concipere ac parere meruit illum, quem constat nullum habuisse peccatum. Virgine igitur ista excepta, si omnes Sanctos et Sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, et interrogare utrum essent sine peccato, quid fuisset responsum putamus, nisi quod ille sanctus Joannes ait: « Si dixerimus quod peccatum non » habemus, mentimur, et veritas in nobis non est[7]? » Hæc est illa Angelorum domina, cunctis felicior, cunctis beatior, cunctis purior, quæ prius Christum fide concepit, quam carne. Materna enim propinquitas nil ei profuisset, nisi prius ipsum felicius fide, quam carne, gestasset. Beatus igitur dicitur venter Mariæ, non tantum quia in eo Verbum caro factum est[8], sed quia verbum Dei super omnes operando custodivit. Quid igitur, fratres, nobilius Dei Matre? quid splendidius ea, quam Patris splendor elegit? quid castius ea quæ corpus sine contagione corporis, Deum et hominem generavit? Virgo quippe super omnes virgines fuit, non solum corpore, sed et mente; corde humilis, verbis grata, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in (8) incremento divitiarum, sed in prece pauperum et viduarum mentem reponens (9), intenta operi, verecunda sermone. Arbitrum mentis, non hominem, sed Deum quærere, nullum verbo vel facto lædere, omnibus bene velle, majoribus assurgere, æqualibus non invidere, jactantiam fugere, rationem sequi, virtutem amare, hæc enim fuit sanctæ Virginis vita; hæc enim fuit nostrum in cunctis documentum et doctrina; hæc extitit tota fiducia peccatorum et gloria; hæc est enim plena omni misericordia. Dicite mihi, fratres, dicant similiter et Judæi, qui Mariam venerabantur (10), qui Mariam videre concurrebant, qui Mariam audiebant ut Angelum Dei, licet Matrem Dei esse non crederent; dicant et ipsi, quando viderunt, vel audire potuerunt, quod Maria fastidiverit humilem, quod (11) repulerit debilem vel inopem. Verum, fratres mei, quod nec in oculis, nec in verbis, nec in actu, nec in gestu, nec in progressu, nec in auditu, nec in olfactu aliquid, nisi sanctum et justum, invenire potuerunt in Maria, et digne talis appareret hominibus in corporis specie, sicut intus erat simulacrum sanctitatis in mente. Talem hanc Evangelista monstravit; talem Angelus cœlorum major reperit; talem Pater, Filius et Spiritus sanctus elegerunt et prælegerunt ante mundi constitutionem, ut Mater esset Dei æterni, plena omni gratia et veritate, ut nemo sit qui abscondat se a calore[9] sanctitatis et misericordiæ ejus. Quid ergo, fratres, de Maria dicemus? Talis denique fuit, ut ejus vita sit omnium disciplina.

III. Merito omnes generationes te laudant et magnificant, o Virgo prudentissima. Numquid te, Virgo gloriosa, omnibus generationibus vitam et gloriam non (12) genuisti; tu cœlo gaudium, Angelis lætitiam, justis gloriam, peccatoribus veniam? Merito super omnes generationes hodie sublimaris, et a cunctis creaturis hodie magnificaris, quia in te, de te, et per te, quidquid boni recepimus et recepturi sumus, recipere cognovimus. Tu ergo, Maria, sola patrona humani generis, tu afflictis medica singularis, tu desolatis mater et refrigerium, tu in mare navigantibus salus et remedium, tu viduarum maritus et refugium, tu latronum dulce receptaculum, tu desperatorum lux et sustentaculum, tu defunctorum advocata et pabulum, tu Patriarcharum et Prophetarum suave convivium, tu Apostolorum vita et spectaculum, tu Confessorum magistra et ab æstu umbraculum, tu Virginum domina et earum sustentaculum.

[1] Luc. IV, 23. — [2] Philip. III, 20. — [3] Psal. I, 4. — [4] Ephes. II, 19. — [5] Coloss. III, 4. — [6] Num. XXII, 28. — [7] I Joan. I, 8. — [8] Joan. I, 14. — [9] Psal. XVIII, 7.

(1) Deest *non* in cod., et sic deinceps. — (2) Desunt hæc verba *vos non* in cod. — (3) Nota auctorem qui scripsit hunc sermonem, hic se Levitam nominare et deinde Episcopum asserere. — (4) Cod. *quanto illam memoriam.* — (5) Cod. male *propter quam honorem Deum.* — (6) Deest verbum *dicentes* in cod. — (7) S. August. de Natura et Gratia, cap. XXXVI, num. 42. — (8) Deest *in* apud cod. — (9) Cod. *pauperum intenta et viduarum reponens intenta operi, verecundo sermone.* — (10) Id. *venerantur, quia.* — (11) Id. *quando*, et sic deinceps. Deest *in* ante *oculis.* — (12) Deest *non* in cod., et sic deinceps.

Ergo, Virgo prudentissima, hodie benedicta et venerabilis prædicaris in tua mirabili Assumptione. Benedicta (1) anima tua sanctissima simul unita cum venerabili corpore ab omnibus generationibus et super omnes generationes in æternum et ultra.

IV. Nos ergo, dilectissimi fratres, qui (2) nomen et habitum sanctæ religionis patenter portamus, videamus quomodo caute ambulemus[1]; nam totus mundus in maligno positus est[2], et adversarius noster diabolus jam regnare in mundo videtur, cupiens nos seducere et trahere ad se, nunc superbiendo, nunc luxuriando, nunc invidendo, nunc detrahendo, nunc etiam cogitando, nunc etiam consentiendo, nunc et operando subvertere nos conatur. Nos vero, dum hæc omnia patimur, ad Mariam recurrere non differamus. Habet enim gladium bis acutum, ut nos ab hoste maligno tam cito defendat. Cavere denique summo debemus, ne occasionem peccandi diabolo demus. Nam ideo mundum reliquimus, et in hac vasta solitudine habitamus, ut peccata fortius vitare possimus. Non enim sufficit tantum fœminam non videre, sed fœminarum memoriam a corde penitus eradicare debemus. Sanctus namque (3) ille Joannes in utero matris sanctificatus, matrem sanctissimam habuisse non dubitamus. Numquid non et magni sacerdotis Zachariæ filius extitit? Et tamen nec patris opibus, nec matris blanditiis et affectibus, in domo parentum suorum (4) manere voluit, sed a (5) tenerrimis annis, opibus cunctis dimissis, perrexit ad eremum, ne florem suæ fœcundæ virginitatis per diabolum posset amittere. Samson, virorum fortissimus, leonem suffocavit; sed fœminam videndo, amorem suum suffocare non potuit; vincula fregit inimicorum, sed suarum non solvit nexus carnalium voluptatum; messes incendit alienas, sed incendium suæ libidinis extinguere noluit, et sic messem suæ virtutis amisit.

V. O fratres, si Mariæ placere volumus, fœminas omnes despiciamus, ipsamque solam capiamus æternam. Nam de carbonibus scintillæ exeunt, de ferro rubigo nutritur, de aspide venenum mortiferum; sic et de muliere luxuria, nunc videndo, nunc loquendo progreditur. Nam fœmina super cuncta psallere delectatur, licet verecunda appareat, cujus cantum audire imperfectius est et magis mortiferum, quam basiliscum sibilantem. Mementote etiam, fratres, quod Thamar ab Amon fratre suo corrupta sit propter diurnam et frequentem insimul mansionem. Nihil denique, fratres mei, esse sentio, quod magis animum virilem dejiciat et succumbere faciat, quam fœminarum blandimenta et conversatio nimia; et quanto religiosiores videntur, tanto citius alliciunt. Sub habitu sanctitatis et pietatis latet venenum libidinis. Experto, fratres mei, credite; Episcopus loquor coram Deo et vobis, quia non mentior. Longas cedros Libani, magnos duces gregum, famosissimosque omni sanctitate ornatos hac peste cecidisse conspexi; de quorum casu non magis suspicabar, quam de Ambrosii (6) vel Hieronymi impudica turpitudine. Numquam enim mulieres frequenter videre debemus, et si possibile est nunquam de talibus loqui, vel disputare utrum pulchrior hæc vel illa, si Mariæ placere intendimus. Denique attendite, fratres mei, quid dixerit magnus ille Cato de fœminis: « Si absque fœmina esset mundus, nostra conversatio non esset absque diis. » Non ergo licet clericis fœminarum conversationem habere. Numquid ipsa diaboli janua non est? numquid non via iniquitatis? numquid non scorpionis percussio? numquid non omnium malorum genus est et caput? Nam dum appropinquat, stimulat; mox ignem visu accendit, flammigero igne lumbos comburit, conscientiam intuentis destruit, et fundamenta sanctitatis in brevi evertit.

VI. Quid enim mihi pater venerabilis Ambrosius dixit, fratres, audite: « Matrem tuam ita videas, ne per illam alias fœminas videre cogaris. Ancillulas, quæ illi obsequio sunt, scias tibi esse insidias, et quanto vilior est earum conditio, faciliorem agnosce tuam esse ruinam. Pulchra denique cito adamatur, et fœtida raro despicitur. Quis gloriabitur castum se habere cor? » Hæc enim fuit inter cætera venerabilis patris Ambrosii doctrina, quam omnes nos usque ad mortem tenere debemus. Adjuvet autem nos, et interpellet pro nobis Dei Mater (7) alma, quæ meruit hodierna die super omnes choros Angelorum exaltari, ut, destructis vitiis et bravio salutis adepto, pervenire mereamur ad gloriam æternam. Amen.

SERMO LXXII.

In festo sancti Andreæ apostoli.

Cum eruatur hic sermo ex Bibl. Ædil., Cod. x, *fol.* 37 *b, et deinde citetur Avicenna medicus, qui undecimo sæculo mortuus est, sit locus ejus in appendice post sermonem Maurinensem* CCIX.

SYNOPSIS.

I. Andreæ vocatio. II. Discrimen inter vocationem, electionem et assumptionem. III. Omnes vocat Christus, sed non eligit nisi humiles et pauperes. IV. Andreæ martyrium in cruce, qui nobis imitandus proponitur.

I. Audivimus, fratres charissimi, quod dum perambularet Dominus juxta mare Galileæ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus, et ait illis: « Venite post me, faciam vos piscatores fieri et » animarum[3]. » Et sic assumpsit eos de aquis multis[4]. Vocaverat enim Dominus prius Andream; quia dum Joannes diceret de Christo: « Ecce Agnus[5], » mox Andreas Christo credidit, et sic, relicto Joanne magistro suo, secutus est Christum magistrum; relicto Joanne, secutus est Jesum; relicta creatura, secutus est Creatorem. Et ait: « Magister, » ubi habitas[6]? » Et ait: « Venite, et videte[7]. » Et quo duxit eos, nisi in templum? Illa erat domus Dei, et aliam mansionem non habebat Salvator. Et visis a Christo miraculis, corpore recessit a Christo currens ad Petrum, et ait: « Invenimus Messiam qui dicitur Christus[8]. » Et ambo facti sunt piscatores animarum, sal terræ et lux mundi, rectores terræ, magistri generales Ecclesiæ, senatores cœlestis curiæ.

II. Sed sciendum est quod alia est vocatio, alia electio, et alia assumptio: « Multi namque (8) sunt vocati, pauci » vero electi[9], » sed paucissimi assumpti in atriis Domini. Vocavit Salvator multos per prædicationem, elegit paucos per inspirationem, et assumpsit paucissimos per pietatem et miserationem in die novissimo. Vocavit enim Salvator Judam per prædicationem, et elegit per inspirationem, in tantum quod ipsi (9) dedit potestatem mysteriorum, fugandi dæmonia et faciendi miracula. Elegit eum ad apostolatum, sed non assumpsit ad curiæ cœlestis principatum. Quare non assumpsit? quia non perseveravit in fide. Ideo, fratres, cavendum nobis est, ne cum Juda pereamus. Ecce jam vocati sumus per gratiam, jam electi, sed nondum

[1] Ephes. v, 15. — [2] 1 Joan. v, 19. — [3] Matth. iv, 19. — [4] Psal. xvii, 17. — [5] Joan. i, 36. — [6] Ibid. 38. — [7] Ibid. 39. — [8] Ibid. 41. — [9] Matth. xx, 16.

(1) Deest vox *benedicta* in cod. — (2) Deest *qui* in cod. — (3) Cod. *denique*. — (4) Id. *dum*. — (5) Deest *a* in cod. — (6) Cod. *vel tantum de Ambrosio*. — (7) Id. *et alma*. (8) Id. *denique*. — (9) Id. *sibi*, et sic deinceps.

assumpti sumus in Sanctorum consortio. Pensate, fratres mei, pensemus et nos, quod soli assumpto beatitudo promittitur. Solus ille beatus est, non qui de mundo vocatus est; non (1) qui electus est, sed qui bene assumptus est: ille vero (2) beatus est, qui sic in cœlum ingressus est.

III. Tamen ipse animarum zelator semper vocare non desinit superbos et humiles, divites et pauperes, nobiles et ignobiles; sed non elegit nisi humiles, et pauperes, et ignobiles, ut fortia quæque confundat. Non elegit Platonem philosophum, non Aristotelem dialecticum, non Socratem et Ciceronem rhetoricum, non Avicennam medicum (3); nec istos elegit, quia totum tempus vitæ suæ consumpserunt in perscrutandis novitatibus naturæ. Non elegit mundi sapientes, sed idiotas et piscatores, Petrum et Andream, Jacobum et Joannem. Isti insipientes appellati sunt; sed quis sapientior Petro, in cujus umbra sanantur infirmi [1], mortui ad ejus vocem reviviscunt [2], Angeli ipsi obediunt? Insipiens appellatur Joannes, quia piscator erat; sed quis sapiens sit ut ipse, qui cœlum meruit penetrare? Insipiens et Jacobus dicitur; sed quis eo melius naturas hominum investigavit? Confundantur ergo sapientes mundi, quoniam insipientes Apostoli et idiotæ appellati sunt ab eis, et ecce triumphatores, quorum «Vita insania reputabatur, et vita eorum sine honore; et ecce quomodo collocati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos,» et super Sanctos, «sors (4) illorum est [3].» Sic enim Andreas vocatus est, sic in apostolatum (5) electus est. Sic enim elegit Christus piscatores, ut superborum cervices humiliaret; elegit debilem, ut faceret fortem; elegit pauperem, ut faceret divitem; elegit indoctum, ut faceret doctum; elegit injustum, ut faceret justum; elegit superbum, ut faceret humilem; elegit mortuum, ut faceret vivum; elegit de maris tempestate, ut perduceret ad portum tranquillitatis. Tunc vere elegit, tunc vere vocavit, tunc maxime et assumpsit. Sed per quid assumpsit, nisi per tribulationes?

IV. Tandem cum esset gloriosus Christi Apostolus fere centenarius, capitur, verberatur, fame perimitur (6), vigiliis maceratur, sacrum ejus corpus per terram trahitur, tandem crucifigitur, et corpus Saül a Philistæis suspenditur, et biduo in cruce, velut in deliciis vivens, viginti millibus instanter prædicavit; et sic, ut ait sanctus martyr Cyprianus, hora nona, sextaque feria, migravit ad cœlum. Nos vero, fratres, sanctum Dei Apostolum imitari debemus. Homines namque sumus, sicut et ipse stetit. Stetit sanctus Apostolus, et non abiit post aurum [4], non abiit vitiis consentiendo; sed stetit vitiis resistendo, sedit in docendo. Nam quidam in præsenti sæculo trahuntur inviti, quibus necessaria est fortitudo; quidam trahuntur illecti, quibus necessaria est temperantia; quidam trahuntur seducti, quibus necessaria est prudentia; quidam trahuntur sponte, quibus necessaria est justitia. Si sic fortitudine, temperantia, prudentia et justitia armati fuerimus, erimus cum Andrea, corpore crucifixi et triumphatores cum eo in gloria; sed si contrarium fecerimus, necesse erit ut suspendamur cum Achitophel, propter defectum doctrinæ; suspendamur cum Amon, propter abusum lasciviæ; suspendamur cum Juda, propter defectum pœnitentiæ; suspendamur cum Absalom, propter defectum perseverantiæ (7). Achitophel indiscretus fuit in consilio, ideo periit; Amon superbia et lascivia inordinatus fuit, ideo periit; Judas periit, quia (8) non pœnituit; Absalom suspensus periit, quia post reconciliationem patris, in pace non permansit. Igitur, fratres, qui vocati sumus et electi, si cum Apostolo cupimus assumi, simus obedientes, attendentes quid nobis præcipiatur. Quid enim, nisi ut Deum toto corde diligamus, qui est supra nos; animam nostram diligamus (9), quæ est intra nos; proximum diligamus, qui est infra nos? Sic erimus obedientes, sic viriles, sic malorum supplantatores, sic Deo grati, sic corpore et mente præelecti, ut cum vocaverit, faciat nos piscatores hominum Dominus Jesus Christus. Amen.

SERMO LXXIII.

De sancto Nicolao pontifice.

Hoc sancti Nicolaï Pontificis Myrensis encomium, utpote erutum ex Bibl. Ædil., Cod. x, *fol.* 49, *et ridicula de infantia Sancti facta continens, inter apocrypha merito amandatur. Locus ejus post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Magnus Nicolaüs, quia humilis. II. Miram Nicolaï vitam debemus imitari. III. Si non possumus sequi Christum per viam rubicundam, illum sequamur per viam candidam. IV. Diversa humilitatis genera. V. Paganorum testimoniis confirmatur doctrina humilitatis. VI. Humilitatis encomium. VII. Sancti Nicolaï humilitas.

I. Audistis, fratres charissimi, nuper in Evangelio quod «Quicumque non humiliaverit se, sicut parvulus, non intrabit in regnum cœlorum [5].» Verba sunt Salvatoris, quæ nunc me cantantem audivistis per os meum. Emerserat enim quæstio inter Apostolos, quis eorum esset major. Sed quia hæc erat Pharisæorum petitio, qui amabant primas cathedras in synagogis, et salutari in foro, et vocari Rabbi [6], ideo humilitatis Magister ad humilitatem eos revocans, statuit parvulum, Martialem nomine (10), qui postea Apostolorum discipulus fuit, in medio eorum, et dixit: «Qui non humiliaverit se sicut parvulus iste, non intrabit in regnum cœlorum.» Ac si dicat Magister: Qui non erit humilis (11) beneficio virtutis, sicut hic parvulus beneficio ætatis, non intrabit in regnum cœlorum. Salva tamen omni reverentia Salvatoris, possunt hæc verba solemnitati hodiernæ congruo convenire. Nam licet sanctissimus Nicolaüs Myrensis episcopus jam annis centum sint ex quo (12) a sæculo migravit, gloriose tamen ejus memoria non solum Christianis, sed etiam Judæis gloriosa habetur. Ecclesia namque sancta, velut acies ordinata [7], in acie præliantium præmittit fortiores, in fine ordinat fortissimos, et in medio (13) pavidos; sic in nostra sancta primitiva Ecclesia fortes fuerunt (14), qui primos impetus belli istius sæculi sustinuerunt, qui Ecclesiam Dei primo fundaverunt sanguine suo; in fine erunt fortissimi, quorum erit tanta (15) tribulatio, quod (16), si fieri possit, movebuntur ipsi electi [8]; temporibus vero nostris gens quædam est, cujus pars vix credere sufficit; ideo tanquam debiles et pavidi, positi sumus in medio præliantium, scilicet inter Apostolos, Patriarchas et Prophetas, et qui nos sequentur fortissimi temporibus Antichristi. Ad vos tamen, qui debiles estis, hodie mater Ecclesia clamat, sicut mater ad filios, tanquam uxor ad virum, tanquam magister ad discipulos, verba quæ ex ore meo audistis: «Qui non humiliaverit se etc.,» ac si dicat sancta mater Ecclesia: Tu qui superbus es, aspice hunc parvulum jam sanctitate plenum, jam abstinentia decoratum in cunis (17), jam humilitate perfectum in gratia.

II. Erigite, erigite oculos mentis vestræ, o vos mundi

[1] Act. v, 15. — [2] Ibid. 40. — [3] Sap. v, 4, 5. — [4] Eccli. xxxi, 8. — [5] Matth. xviii, 5. — [6] Marc. xii, 38. — [7] Cant. vi, 3. — [8] Matth. xxiv, 24.

(1) Hic transpositio evidens est in cod., qui habet: *Non qui electus est, sed qui bene assumptus est, qui de mundo vocatus est.* — (2) Cod. *vero*, et sic deinceps. — (3) Avicenna medicus natus est anno 980, et mortuus an. 1036. — (4) Deest *sors* in cod. — (5) Cod. *in apostolatu.* — (6) Id. *percutitur.* — (7) Deest hæc dimidiata phrasis in cod. — (8) Cod. *qui.* — (9) Id. *diligimus.* — (10) Diu credita est hæc fabula de sancto Martiali, quæ nunc penitus exploditur. — (11) Cod. *similis.* — (12) Id. *quod.* — (13) In cod. deest *in medio.* — (14) Cod. male *fratres.* — (15) Id. *tam.* — (16) Ut latinus foret sermo, scribendum fuisset *ut... moveantur.* — (17) Cod. *in cuna.*

amatores; aspicite hunc parvulum, et videntes quæ agit, alta voce dicatis: Ecce alter Isaac ab Angelo nuntiatus; ecce velut alter Samson ab Angelo prædicatus; ecce, ut æstimo, velut alter Joannes in abstinentia mirificatus, imo plus quam Joannes. Nam Joannes annorum quinque erat, dum desertum intravit, sed ecce alter Joannes in vase statim post ortum per se firmus stetit, et bis mox cœpit in hebdomada semel bibere mammas (1). Ecce ergo alter Joannes in utero sanctificatus; ecce alter novi Zachariæ genitus, ecce alterius Elisabeth filius. Ecce Joannes pœnitentiam prædicans, cæcos illuminans, pauperes ditans et corda hominum convertens ad Christum. O stupenda et mira novitas, quam audientes Judæi mirantur, quam Christiani videntes lætantur, quam Pagani et Hæretici nauseantes confunduntur, dicentes: Novum hodie super terram fecit Dominus, quoniam a nata creatura (2) Deus demonstratur, et videtur cognosci (3)! Quis est iste puer? Nicolaüs mansuetudine plenus, charitate decoratus, misericordia dives, virginitate ditatus, et columbina simplicitate jucundus, hodie cunctis demonstratur. Quid ergo dicant juvenes nostri, hæc audientes, audiamus, fratres. O quam difficile est sequi viam illius viri! o quam amara, o quam pœnosa! Nam non possum, velut hic, per ipsam transire; nam latro «Sedet cum divitibus in occultis, ut interficiat »innocentem[1].» Timendus est latro iste, qui me expectat, a quo sine malo discedere non possum; timendi sunt isti latrones, quia fortes sunt, quorum unus clamat, alter adulatur, alter insidiando me occidere quærit. Nam ille eximius Prophetarum titubans clamabat: «Libera me a persequen»tibus me[2].» Petrus hoc timens titubando dicebat: «Ga»leam salutis suscipite, ut possitis resistere[3].» Quid talibus Ecclesia mater respondeat, audite: «Qui non humiliaverit »se, sicut parvulus iste, non poterit» resistere, nec «intrare »in regnum cœlorum[4].»

III. O amatores vitæ præsentis, o filii, fratres charissimi; tollite loricam, lanceam et gladium Patris vestri, et sic ad pugnam pergite: accipite loricam fidei, lanceam spei, et gladium charitatis: hæc enim tria cœlestis Pater pro testamento reliquit, quando dixit: «Si quis vult post »me venire, tollat crucem suam et sequatur me[5].» Sed dicent: Ego Christus non sum, nec Apostolus ejus sum, nec velut Stephanus esse possum. Ad quem mater: Noli timere, fili mi, quoniam alia via est; nam si Magistrum sequi non possis (4) per viam rubeam, saltem sequere eum per candidam; nam ipse «Dilectus candidus et rubicundus[6];» nam vidimus eum euntem per viam rubicundam, in horto ligatum, colaphis exspuatum, sputis illitum, flagellis cæsum, spinis coronatum, opprobriis saturatum, in patibulo et post mortem lanceatum. Hæc enim fuit rubicunda humilitatis via. Numquid etiam non (5) humiliatum vidimus in præsepio, humiliter pendentem ad ubera sanctæ Virginis Mariæ, qui suo palmo cuncta concludit, quem cœlum et terra capere non poterat, appositum et oblatum in manibus Sacerdotum, et collocatum in ulnis servi sui sancti Simeonis? Vidimus eum etiam cum parentibus suis in Nazareth, et subditus erat illis[7]. Numquid etiam non vidimus caput verendum Angelis, timendum regibus, inclinari sub manibus Baptistæ? Ergo, fratres, si non creditis posse incedere per viam rubicundam, omnino per viam humilitatis expedit vos transire.

IV. Nam sunt aliqui humiles, qui cum vident laborem, et dolorem considerant, potius (6) deponunt se, quam aliquod arduum et notabile aggrediantur. Sunt quidam alii, dum succendit eis et tetigerit eos manus Domini, exardescunt, et statim ponunt in cœlum os suum. Sunt et alii qui humiliantur, ut ascendant, et aliqui, ut evadant. Prima est humilitas domestica, secunda est erratica, tertia sophistica, sed quarta est sancta et Dominica. Prima enim est naturalis, secunda volatilis, tertia versipellis, quarta admirabilis: per primam incedunt pusillanimes, per secundam murmuratores, per tertiam hypocritæ, per quartam columbæ et simplices, sicut hic sanctus Nicolaüs, qui nunc parvulus dicitur non diminutione staturæ, sed ratione perfectæ humilitatis. Humiles ergo estote, fratres, et audite Paulum Doctorem Gentium dicentem: «Cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci[8].» Juxta ergo doctrinam Pauli, majores tuos honora, scilicet verbo et opere; pares tuos honore prævenias; infirmos in fide suscipe; «Hoc fac et vives[9].» Nam et noster pater Nicolaüs, cum vocatus esset a Domino, ut sederet in cathedra cum senatoribus terræ, hanc humilitatem habuit; ideo in cœlis modo cum cœlorum civibus ivit. Ecce enim, fratres, prima porta Paradisi est humilitas. «Qui non hu»miliaverit se, sicut parvulus iste, non intrabit in regnum »cœlorum.»

V. Audite etiam philosophum; cum quæsitum esset ab eo, quæ necessaria erant ad studendi formam, ait: «Super omnia mens humilis, frequens studium quærendi, vita quieta, scrutinium tacitum, paupertas et terra aliena.» Attendite quia proposuit humilitatem, et in tribus determinavit eam. Cavete ergo, fratres, ne despiciatis eam, quæ Paradisum vobis aperuit, nec addiscere erubescatis ab aliquo. Nam paganus ille Demosthenes philosophus, usque ad canos sapientiam acquirere non erubuit; tandem veniens ad mortem dolere et lacrymari fortiter cœpit, dicens: «Tunc aliquid intelligere cœpi.» Plato etiam dum esset annorum octoginta, et infirmaretur, usque ad ultimam suam infirmitatem ab inquirendo, nec a legendo, nec a scribendo cessavit. Socrates nonaginta novem annis quibus vixit, semper scripsit et docuit, ita ut (7) etiam in carcere positus disputare cum humilitate cum latronibus captivus non cessaret. Cato, cum vir sapientissimus esset, et ad senectutem devenisset, græcas litteras a rusticis addiscere non erubuit.

VI. O sancta et perfecta virtus humilitatis, sine qua nullum bonum esse potest, et cum qua omne bonum perfectum est! o sancta humilitas, quam Christiani colunt, quam pagani adorant, quam Judæi commendant, quam hæretici publicant! o sancta humilitas, cunctarum virtutum conservativa, cunctorum vitiorum expulsiva, pauperum sustentativa, sui ipsius despectiva, aliorum magnificativa, omnium bellorum placativa, omnium rixarum impeditiva, omnium perditorum restaurativa, omnium... repletiva, omnium dignitatum et honorum multiplicativa, omnis servilis timoris expulsiva, et ad cœlum sublimativa! Per te, sancta humilitas, reges regnant[10]; per te aperitur cœlum et infernus clauditur; per te reis parcitur et coronantur; per te feræ mansuescunt et placantur. Numquid et leones, licet volocrati, homini prostrato non parcunt? numquid non mitigatur canis, si hominem sedentem invenerit, quem prius insequebatur currendo? Nam sicut arbor alta et directa, floribus ornata, et fructibus vestita attenditur plurimum admirari (8), sub qua etiam homines et aves demorari delectantur; sic Deus delectatur respicere et habitare in anima humili et quieta.

VII. Nobis ergo, fratres, necessaria est et longe amplior (9) humilitas, quam illa Pharisæorum. Et si peteremus, fratres, sancto viro Nicolao dicentes: Edissere nobis, Pater sancte, quæ fuerit ista grandis humilitas, per quam tantum veneraris; nobis respondere potest: Cum adhuc puer essem, et penderem ad ubera matris meæ, doctus sum quarta et sexta feria semel tantum bibere mammas; quod usque ad finem perseveravi manens in simplicitate velut puer. Sed hoc infidelis audiens, ridens

[1] Psal. IX, 8. — [2] Psal. VII, 2. — [3] Ephes. VI, 17. — [4] Matth. XVIII, 3. — [5] Id. XVI, 24. — [6] Cant. V, 10. — [7] Luc. II, 51. — [8] I Cor. IX, 19. — [9] Luc. X, 28. — [10] Prov. VIII, 15.

(1) Meræ et pueriles fabulæ, quas credat qui voluerit. — (2) Cod. *nata creatura*. — (3) Id. *cognoscere*. — (4) Id. *poteris*. — (5) Deest *non* in cod., et sic deinceps. — (6) Cod. *et potius*. — (7) Cod. *ita quod*. — (8) Phrasis barbara, quam mutare noluimus, sed quæ bene sic verteretur: *Attenditur plurimum ab admirantibus*. — (9) Cod. *amplius*.

dicet: Numquid introibo iterum in uterum matris meæ, et natus denuo superincumbam matris uberibus? Cui Nicolaüs respondere potest: Non ita, fili; mystica sunt quæ dicuntur; frange duritiam cordis tui, et intellige litteram, et invenies medullam intelligentiæ. Cum (1) in principio grassaretur (2) hostis antiquus, primis parentibus scientiam tradidit nequissimæ libertatis, id est, non parendi legi divinæ (3): secundo homo contra multiplices defectus, solatium invenit rerum mechanicarum artium, quas extendit post ad usum superfluitatis: tertio non contentus his, causas naturales, quas Deus in ipsis rebus occultaverat, ausus est rimari, ac si esset inter sidera, et motus eorum, et ortus et occasus, combustiones et respectus se apprehendisse existimans, jam contingentes rerum eventus fatali necessitate esse astrictos dogmatizabat: quarto ipse Pater animarum videns hominem inutiliter laborantem, scientiam vitæ in canone utriusque Testamenti promulgavit. Hec autem videns teterrimus inimicus, homines infatuavit naturali ratione volentes comprehendere quæ Dei sunt, scientiam Scripturarum irridentes. Contra quos Deus incitavit piscatores, indoctos, ignobiles, ut per debilia, fortia mundi confunderet. Ergo animadvertite quod, quidquid superest, tibi a diabolo datum est, ut inflatus homo et dilatatus recalcitrando Deo salutari suo, non efficiatur humilis, sicut parvulus iste. Iste enim vir sanctus theologiam adamavit, philosophiam spoliavit, sanologiam temperavit, panthelogiam conculcavit, volens se humiliare velut parvulus; ideo humilitatem super omnia adamavit, quam sal et condimentum cunctarum virtutum esse dicimus. « Humiliemur ergo, fratres, sub potenti » manu Dei, ut nos exaltet in tempore visitationis[1], » et tunc una voce cum sancto Nicolao cantare poterimus Alleluia. Amen.

SERMO LXXIV.

De sancto Thoma apostolo.

Educitur hic sermo ex Bibl. Ædil., cod. x, fol. 37 b, ideoque rejicitur in appendicem, post præcedentem.

SYNOPSIS.

I. Thomæ dubitatio, nostræ fidei certitudo. II. Credendum nobis cum Thoma converso. III. Brutorum major quam hominum fidelitas.

I. Gloriosus apostolus Thomas, fratres charissimi, non solum sibi, sed etiam nobis salubriter dubitavit. Sed enim (4) cicatrices Domini videns, tangens, tractans et palpans, omne prorsus dubium de nostris cordibus amputavit, et sic cognitus est in verbis fidelis, quia vidit Deum lucis, et invocavit Deum omnipotentem[2]. Nam Maria Mater Domini nunquam de resurrectione dubitavit, et tamen ardentissimo desiderio desiderabat Filium videre resuscitatum. Sed nisi zelus nostræ redemptionis et fortis (5) certitudo resurrectionis Domini fuisset in ea, gladium passionis minime sustinere potuisset. Mortua denique Mater juxta crucem fuisset, nisi resurgentem postmodum Filium expectasset. Vidit ergo Maria Mater, Domini resurrectionem, et prima vidit (6), et prima tanquam certissimam credidit. Sed non sic fortis (7) Magdalena, ut ait sanctus Martyr Cyprianus; sed videndo dubitavit. Ideo ipsi (8) dicitur: « Noli me tangere[3]. » Sed quid plura? Thomas non solum tangere, imo palpare, non solum etiam palpare, sed manum in latus ejus mittere valuit (9), ad operandum (10) promptus, ad obsequendum expeditus, ad confitendum firmus (11), quia palpans credidit, et credendo clamavit: « Dominus meus et Deus meus[4]. » Quis ergo, fratres, dubitabit Salvatorem resurrexisse a mortuis, cum præsentiam oculus agnovit, manus attrectavit et perscrutatus est digitus? O necessaria tarditas, per quam omnis tollitur dubietas, asseritur veritas, imponitur nobis omnis fidei firmitas! Quid ergo mirum, fratres mei, si Apostolus in verbis cognitus est fidelis, dum vidit Deum lucis et invocavit Omnipotentem? Vere fidelis est in confessione divinæ virtutis; vere catholicus in credulitate (12), vere evangelicus in prædicatione, vere mirabilis in tormentorum elatione nobis sanctus Apostolus demonstratur. Igitur, fratres dilectissimi, celebremus et laudemus hunc gloriosum Apostolum, copiosum in meritis, virtuosum in signis, famosum in prodigiis, gloriosum in præmiis.

II. Sed ad nostram doctrinam, fratres, aliquid dicere vos avidus esse affecto. « Sunt enim aliqui ex vobis qui nisi » videant signa et prodigia, non credunt[5]. » Tales a Domino corripiuntur cum Regulo, cui hoc est dictum; ipse enim quærebat corporalem præsentiam; sic et Thomas quærebat sensûs experientiam. Dispensative tamen pro nobis factum est, quia per hoc fidei veritas creditur, sensu experitur (*sic*), ratione concluditur, et nullus dubietatis locus relinquitur. Credamus ergo, ne nobis dicatur: « Nisi signa et » prodigia videritis, non creditis. » Credamus, ut audiamus: « Beati qui non viderunt et crediderunt[6]. » Et quid est credere, nisi fide informata tendere in Deum, quia vere natum, quia redemptorem, quia flagellatum, quia punitorem qui veniet (13) judicare vivos et mortuos? Ex his enim anima informatur affectione, ut suo Creatori adhæreat, et suo Redemptori ex amore condoleat; ex suo dolore collætetur (14), ex spe congaudeat Salvatori. Credamus ergo ne reprehendamur a Domino dicente: « O stulti et » tardi corde ad credendum[7]! » Non enim hodie sapientes mundi credere possunt, nisi videant sacramentum unionis, tormenta passionis, argumenta resurrectionis, et condimenta tribulationis. Non igitur videre hæc omnia possumus, sed fide credere nos oportet. Sic enim credebat stando Simeon in templo per orationis devotionem; sic et Zachæus in moro per passionis imitationem; sic et Apostoli in excelso per eminentem dilectionem; sic et Thomas in cœnaculo per stuporis admirationem. Quid ergo, fratres? pensemus et nos quanta fuit Christi humilitas. Quæ (15) enim major humilitas, quam Deum homini uniri? quæ major pietas, quam Deum pro homine mori? quæ major claritas, quam resurrectione (16) in morte vestiri? quæ major æquitas, quam hominem præmiari vel puniri ex meritis? Hæc autem omnia, fratres, credere, et nullatenus dubitare debemus, ut credendo cum Thoma dicamus: « Dominus meus et Deus meus! » Nam nisi crediderimus, Deum in nullo invocare poterimus; et si non aderit nobis, quid facere nos possumus? Numquid aliquid boni? Omnino minime, etiam vel cogitare. Mala denique sine Deo facere possumus sed a malis resurgere sine Deo nullatenus omnino valemus. Sufficientes ergo sumus ad mala, sed omnis nostra sufficientia a malis resurgendo ex Deo est[8]. Simus ergo ipsi (17) fideles, quia sine fide ipsi placere non possumus. O beata fidelitas, quæ homines Deos facis, quæ homines Deo conjungis, quæ etiam auro et lapide pretioso suavior prædicaris a cunctis! o chara et amanda possessio! o astringenda beatitudo! o diligenda hæredi-

[1] 1 Petr. v, 6. — [2] Eccli. xxvi, 18. — [3] Joan. xx, 17. — [4] Ibid. 28. — [5] Id. iv, 48. — [6] Id. xx, 29. — [7] Luc. xxiv, 25. — [8] 2 Cor. iii, 5.

(1) Cod. *nam*. — (2) Id. *nasceretur*. — (3) Id. *non nocendi sub divino*. — (4) Id. *sed dum*. — (5) Id. *fortitudo certitudo*. — (6) Hoc contrarium videtur Evangelio, ubi dicitur Christum primo apparuisse Mariæ Magdalenæ. — (7) Cod. *forte*. — (8) Id. *sibi*. — (9) Deest *valuit* in cod., ubi pro hac voce est *igitur*. — (10) Cod. *operiendum*. — (11) Deest *firmus* in cod. — (12) Cod. *prædicatione*. — (13) Id. *venerit*. — (14) Deest hæc vox in cod. temporis lapsu obliterata. — (15) Cod. male *quid*, et sic deinceps. — (16) Id. *resurrectionem*. — (17) Id. *sibi*, et sic deinceps.

tus filiorum Dei! Beati, qui te diligunt; infelices, qui te odiunt! beati, qui te quærunt; damnati, qui te fugiunt! beati, qui te agnoscunt; maledicti, qui te despiciunt! Nam qui te dilexit, triomphat in cœlis, et qui te odivit, laqueo se suspendit. Pilatus etiam magnæ infidelitatis fuit: ipse namque (1) fratrem suum proditorie occidit, zelo invidiæ inflammatus socium dormientem filium regis suffocavit: tandem manu propria Romæ se peremit (2). Alta uxor Regis Longobardorum viro fidem fregit, venenum in genitalibus viro dormienti imposuit et occidit, quæ in eadem nocte a diabolo suffocata invenitur in lecto. Ecce, fratres, quomodo infideles pereunt; ecce qualis est eorum finis.

III. O quam dolendum est, o quam plangendum de fidem frangentibus! Longe major fides invenitur in brutis, quam in hominibus. Nam canem Romæ vidimus, fratres, qui tantam fidem domino suo servavit, ut ipse homo solus cum cane inimicis undecim obvians, seipsum (3) illæsum servaverit (4), qui non solum non est occisus, sed nec etiam vulnerari ab aliquo potuit, et sic omnino illæsus ab inimicis evasit (5). Numquid et ibidem canem alium non (6) vidimus, qui videns dominum suum in carcere morientem, magno rugitu (7) se mordens cum domino moritur suo? numquid non multi ex vobis apud Hipponem viderunt canem, qui videns dominum suum in lecto mortuum, panem domino porrigebat et carnes, et blandiens (8), ut poterat, dominum suum invitabat ad comedendum; sed videns eum non comedentem, non comedebat? Dum autem corpus defuncti portaretur ad foveam, canis cunctis recedentibus corpus domini sui rapuit et in prato florum ipsum collocavit; et custodiens tribus diebus, fame moritur canis. Ecce denique, fratres, canes et lupi, ursi et leones, turtures et ciconiæ fidem tenent et servant. Nos autem et quomodo nostras conscientias discutiamus, fratres, considerate. Eia ergo, o milites, estote Christo fideles; amplectamini fidem; nam sicut aurum est purissimum (9) metallorum et nobilissimum, et albedo fundamentum oculorum, sic et fides omnium virtutum, sine qua impossibile est placere Deo [1]. Sicut sol est pater omnium planetarum, sic et fides omnium virtutum. Hanc autem servavit, hanc adamavit, hanc nos tenere docuit et demonstravit gloriosus Thomas Apostolus, qui tamen diu remansit incredulus ut nos certificaret. Hac fide sancta armatus ad Indiam pergit, et ibidem tres Magos convertit, mortuos decem et octo resuscitavit, provinciam totam convertit; tandem a carnifice (10), gladio percutitur, et diffuso in terram cerebro, anno ætatis suæ, ut Martyr Dei Cyprianus ait, sexagesimo, extensis ad cœlum manibus et brachiis, migravit ad Dominum. Amen.

SERMO LXXV.

In Natali sancti Stephani proto-martyris.

Eductus hic sermo ex Bibl. Ædil., cod. x, *fol.* 38, *sit in appendice, sicut et cæteri ejusdem codicis sermones. Locus ejus post sermonem Maurinensem* CCXVII, *cum numero in Natali sancti Stephani* IX.

SYNOPSIS.

I. Christus humiliatus, ut glorificentur ejus fideles. II. Christus inimicorum condonationem nos edocuit. III. Stephanus ejus imitator. IV. Per hunc conversus Paulus regnat in cœlis. V. Sancti Stephani miracula. VI. Ejusdem invocatio. VII. Imitanda charitas.

I. Hesterna die, fratres charissimi, audivimus completos esse dies Mariæ, ut pareret Filium suum primogenitum. Audivimus et hodierna die almam matrem Ecclesiam etiam filium peperisse primogenitum. Nam peperit primo alma Maria, ut pareret secundo alma Ecclesia; peperit Maria sine dolore, ut pareret Ecclesia sine mœrore; peperit alma Maria in paupertate, ut pareret Ecclesia in divitiarum dignitate; peperit alma Maria in stabulo, ut Ecclesia pareret in æterno tabernaculo; peperit Maria inter bovem et asinum, ut Ecclesia pareret inter Deum et Angelum. Nam nisi Maria prius peperisset, nunquam Ecclesia parere potuisset; nisi Rex prius descendisset, Stephanus primogenitus non fuisset. Descendit ergo prius Rex, ut secundo ascenderet miles; descendit Rex lætantibus Angelis, ut ascenderet miles lapidantibus Judæis; descendit Rex humilis, ut ascenderet miles sublimis; descendit Rex pastoribus demonstratus, ut ascenderet miles Angelis circumdatus; descendit Rex panniculis involutus, et ascenderet miles stola immortalitatis indutus; descendit Rex pauperrimus, ut ascenderet miles ditissimus. Hunc Deus Pater humiliat, et hunc exaltat; humiliatur Creator, ut exaltetur creatura; humiliatur Deus, ut vivificetur reus; humiliatur Medicus, ut sanetur ægrotus; humiliatur bonitas, ut sublimetur improbus; humiliatur pietas, ut (11) sublimetur impius. Deus (12) hunc humiliat et hunc exaltat.

II. Heri denique Dominus venit in mundum, et nova præcepta dedit mundo. Ait enim Deus et homo: «Diligite »inimicos vestros; benefacite iis qui oderunt vos, ut sitis »filii Patris vestri [2].» Venit enim in mundum ex sola dilectione, et ideo voluit suos in dilectione confirmare. «Diligite, inquit, inimicos vestros.» Nec solum præcepit, primitus adimplevit. Ecce Salvator, dum crucifigitur clamat, et ait: «Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt [3].» O quam grandis labor est inimicos diligere! o quam forte, o quam difficile est diligere qui te quærit occidere! o quam impossibile est pro persequentibus exorare! Nec nos hoc, fratres, audemus negare, sed dicere quasi compellimur omnimode fortissimum esse. Magnus labor est in hoc sæculo, sed grande præmium in futuro. Attende, audi, quomodo grande; non tamen dicere audemus impossibile esse homini inimicos diligere; nam si impossibile fuisset, Salvator qui cuncta corde cognoscit et opera, quomodo nos hoc facere præcepisset? Difficile ta-

[1] Hebr. xi, 6. — [2] Matth. v, 44. — [3] Luc. xxiii, 34.

(1) Cod. *denique*. — (2) Deest *se peremit*. — (3) Cod. *ipsum*, et non habet *se*, et deinde desunt *non est* ante *occisus*. — (4) Id. *servavit*. — (5) Obliterata evanuit vox quæ hoc loco scripta erat, quam, ut potuimus, supplevimus. — (6) Deest *non* in cod., et sic deinceps. — (7) Cod. *ruitu*, nisi legas *rictu*. — (8) Id. *branchis*. — (9) Id. *purum*. — (10) Id. *pontifice*. — (11) Hæc verba *improbus; humiliatur pietas ut* deleta sunt in cod. temporis lapsu, et a nobis fuerunt divinando restituta. — (12) Sic et vos *Deus*, et deinde *Dominus*.

men est et valde pœnosum, sed præmium grande in futuro. Attende, audias, quomodo grande; audias quantum.

III. Stephanus ille magnus, qui velut Angelus, primus Jerosolymis tuba (1) cecinit, unus de septem diaconibus ab Apostolis ordinatus, virgo a Deo electus, viduarum pater institutus, Spiritu sancto repletus, synagogam Judæorum post sancti Spiritûs repletionem intravit et cœpit cum eisdem disputare, et nullus doctorum poterat ipsi (2) resistere; coperuntque eum et lapidaverunt. Et videns lapidantes ait: « Ecce video cœlos apertos[1], et, positis genibus, clamare cœpit: Domine, ne statuas illis hoc peccatum[2]. » Vidit denique cœlos apertos, quia parata sibi jam erat via; vidit et Jesum stantem et non sedentem; vidit stantem, ut reciperet. Sedere judicantis et regnantis est; stare vero auxiliantis est. O sancte Stephane, martyrum caput et principium, Christi vere membrum, quomodo per omnia secutus es Magistrum! Oravit ipse pro persequentibus, et tu orasti pro lapidantibus. O quam magnum et admirabile donum donavit Dominus militi suo! Non enim solummodo eum copiose ditavit, sed etiam ad certandum peroptime confortavit. Attulit namque donum charitatis, ut perduceret ad consortium Trinitatis. Quod ergo attulit, et erogavit, nec sibi aliquid minuit, sed mirabiliter militem prædotavit. Charitas enim illa, quæ heri deposuit Christum, ipsa hodie Stephanum ad cœlum levavit; charitas quæ præcessit in Rege, ipsa hodie refulsit in milite. O admiranda potentia Redemptoris! o prædicanda indesinenter gratia Salvatoris! Heri ostendit in Matre virginitatis æternæ miraculum; sed hodie demonstravit in Martyre magnæ charitatis indicium; summa integritas heri demonstrata fuit in Virgine, sed hodie dilectionis virtus summæ perseverantiæ in Martyre. Et sicut in Matre Domini virginitas non potuit violari, sic in Martyris mente non potuit charitas dissipari.

IV. Per charitatem Dei miles sævientibus Judæis non recessit; per charitatem pro persequentibus intercessit; per charitatem Stephanus arguebat errantes, ut corrigerentur: per charitatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur. Charitatis (3) virtute Stephanus vicit Saulum crudeliter insidiantem, et quem habuit in terra persecutorem, in cœlo meruit habere consortem. Ipsa sancta charitas indefessa desiderat moriendo (4) acquirere, quos non potuit monendo convertere: per orationem Stephani surrexit Saulus bonus, qui prius erat iniquus; cecidit sævissimus persecutor, et surrexit severissimus prædicator. Cadens Saulus, lumen corporis perdidit, surgens Paulus lumen cordis recepit. Ecce nunc Saulus cum Stephano in cœlo lætatur, cum Stephano gloriatur. Nunc Stephanus de consortio Pauli summe gloriatur, quoniam summa charitas in utroque lætatur. Charitas quippe Stephani superavit sævitiam Judæorum, sed charitas Pauli cooperuit multitudinem peccatorum. O dies sancti, dies lætitiæ et jucunditatis, in quibus et per totum mundum melliflui facti sunt cœli, in quibus etiam Stephanum cœlorum civem factum esse conspicimus. Voluit enim Dominus Martyri suo cœlos patentes aperire, ut sequaces ejus securi essent de remuneratione. Voluit etiam stans videri, ut et omnes posteri credant in martyrio juvari a Domino. O grande mysterium, fratres! Stephanus orat, et Paulus Judæos incitat; Stephanus parcit, et Saulus parcere nequit; Stephanus genuflectit (5), et Saulus vestimenta omnium custodiens furit, ut omnium particeps esset scelerum. Sed aspice modicum, et videbis lupum agnum factum, de inimico amicum, de persecutore prædicatorem. O quantum Stephanum martyrem laudare debemus! o quantis magnificare præconiis! Nam si Stephanus non fuisset, forsitan Ecclesia Paulum non habuisset. Quis ergo mentes hominum illuminasset ut Paulus? quis Doctor Gentium? quis vas electionis? quis gubernasset status Ecclesiarum? quis sic portasset pondus et æstus omnium fidelium? quis tantæ sapientiæ? quis columna templi, ut Paulus, reperitur? Magnum ergo donum, magnum beneficium, magnum et admirabile ministerium, quod Stephanus impetravit orando. Et ecce nunc Paulus cum Stephano Christi charitate perfruitur, cum Stephano exultat et cum eo regnat. Ille dat exemplum veniæ convertentibus, Stephanus dat exemplum orandi pro persequentibus.

V. Sanctissimi ergo Stephani, fratres charissimi, solemnitas magna devotione celebranda est, quia multos Sanctorum præcellit honore et dignitate. Sex (6) enim mortuos in Africa resuscitavit: primo presbyterum quemdam, deinde puerum, postea sanctimonialem..., clamans in feretro, cunctis videntibus et audientibus, velut altera Drusiana. Deinde juvenis quidam a curribus bene dilaceratus et mortuus; deinde infantulus portatus a matre vere mortuus ad reliquias sancti Martyris resuscitatur, qui etiam superest adhuc. Adest igitur, fratres dilectissimi, dies in qua lapidatus est ille Stephanus, Sanctus sanctorum, splendor justorum et gloria; adest Angelus ille primus, qui suis meritis cœlum aperuit (7), ad cujus præceptum terra tremuit (8)... Pluviam destinavit et tempestatem maris sedavit. Adest Angelus ille primus qui, ut audistis, sex mortuos resuscitavit, fratrem et sororem a concussione membrorum (9) sanavit: hic etiam infirmos diversarum infirmitatum sanavit. Et quod majus est, Saulum, ut audistis, ad confessionem fidei revocavit.

VI. Adest ille amantissimus Levita (10) prius discipulus Apostolorum, sed magister et pater Martyrum in martyrio. Adest ille cui similis non invenitur, qui sic Spiritu Dei plenus sit. Adest ille solemnis miles, qui valenter clamabat: « Domine, ne statuas illis hoc peccatum. » Eia ergo gaudeas in excelsis, o princeps Martyrum gloriose, quia sicut completi sunt dies Mariæ ut pareret, sic completi sunt dies Ecclesiæ, ut et te pareret, et faceret columnam sanctæ matris Ecclesiæ! Gaudeas in excelsis, o sancte Abel justitiæ, qui militiæ Martyrum meruisti obtinere principatum! gaudeas in excelsis, o sancte Stephane, qui vere Angelus non natura, sed gratia merito nuncuparis! gaudeas in excelsis, custos viduarum et susceptor animarum Christi, contemplando Angelos Archangelosque Christo noviter nato ministrantes! gaudeas in excelsis, sanctissime Stephane, intuendo Apostolos, Patriarchas et Prophetas super thronos sedentes! gaudeas in excelsis, sanctissime Stephane, salutando Virgines Martyres cum carne, mundo et dæmonio decertantes! gaudeas in excelsis, respiciendo animas sanctorum Confessorum lumbos præcingentes! Et quia beatus cum illis es, et in excelsis cum illis collocatus es, ideo te, sancte Christi Martyr, rogamus et obsecramus, ut preces ad illum fundas, qui heri se humiliavit, ut te hodie exaltaret, ut et nos revocet de lacu miseriæ et de luto fæcis et umbra mortis. Interpella pro nobis peccatoribus, sicut fecisti pro tuis persecutoribus. Nam si misericordiarum Pater nos sic dimiserit, deficiemus in via[3]; Fundo ergo preces, ut dignetur Deus noster nos ad se tecum revocare per gratiam, quia ecce jam frangit, jam inquietat nos frigus, stomachus jam inflatur, caput jam curvatur, languescit jam spiritus, fœtet jam anhelitus, facies jam dealbatur, statura jam incurvatur, caligant jam oculi, nares effluunt et crines defluunt, tremit jam tactus, deperit et actus, aures surdescunt,

[1] Act. VII, 55. — [2] Ibid. 59. — [3] Matth. XV, 32.

(1) Cod. *tubam*. — (2) Id. *sibi*, et sic deinceps. — (3) Deest hæc vox deleta in cod., sicut et vox *insidiantem*. — (4) Sic et vox *moriendo*. — (5) Cod. *genuflectitur*. — (6) Non sex, sed quinque inferius indicantur; et videtur aliquid deesse ante *clamans in feretro*; forte *deinde alius*, etc. — (7) Cod. *aperit*. — (8) Hic quædam desunt tempore oblitterata. — (9) Deest *membrorum* in cod. Notum est hoc celeberrimum miraculum a sancto Augustino narratum. — (10) Deest *Levita* in cod., et deinde oblitterata sunt verba quorum loco supplevimus *martyrum*.

dentes putrescunt. Cito mala credimus, et tarde discredimus, tenaces, querulosi, dyscoli, avari, superbi, luxuris ornati, murmuratores, malorum inventores, elati et mundi zelatores valde; sumus veloces ad loquendum et tardi ad audiendum, laudantes præsentes et vituperantes absentes; sic vita nostra corrumpitur et terminatur. Clamamus ergo ad te, o sancte Stephane, fortissime miles Domini, deprecantes ut humiles nostræ vocis petitiones attendas, affectum conspicias, hostem comprimas, expellas tyrannidem, litigantes pacifices, tuearis Jerusalem, gubernes clericos, abbates dirigas, confirmes (1) eremitas et omnes qui tua devote solemnia celebrant. Dignare nobis (2) juvamen porrigere; accelera auxilium (3) impetrare pro nobis qui aliqualem laudem tibi persolvimus; nos ex omni perturbatione spirituum immundorum custodias, ut Deo laudabiliter serviamus.

VII. Sed si hoc impetrare volumus, debemus nos sanctum et gloriosum Martyrem imitari: imitemur charitatem ejus et virtutem, ut gloriæ ejus participes simus; imitemur eum qui plus doluit de lapidantium peccatis, quam de sui corporis vulneribus (4), plus de Judæorum impietate quam de sua morte; et recte plus, quia in eorum iniquitate omnes debebant plangere, sed in Martyris morte nullus dolere, quia mors devicta ad gloriam provehebat; in Judæorum iniquitate mors sequebatur æterna, sed in Martyris morte vita æterna. Diligamus ergo inimicos, ut ipse dilexit. Scimus enim quod sine dilectione nulla virtus nobis valebit; quia « Qui non diligit fratrem, manet in morte[1]. » Omnes namque (5) fratres sumus, omnes æqualiter nati sumus, omnes una vita vivimus, omnes unanimiter generamur et morimur, omnes Christi sanguine redempti sumus. Diligamus ergo nos, nec verbo fratrem offendamus doloso. Dilectio namque est radix omnium virtutum, quia dilectio est charitas. Unde, pereunte radice, pereunt et rami, et nihil valuisset martyrium sine dilectione, nihilque omne quod agitur sine charitatis radice, quia omne quod fit sine dilectione, omnino perditur. Nihil Stephano valuisset martyrium, nihil Laurentio crates (6) ferrea, nihil Bartholomæo decoriatio. Deus autem qui prius nos dilexit, et qui nos docuit inimicos diligere, ipsam dilectionem infundat cordibus nostris, ut eum veraciter agnoscamus, et agnoscentes, eum veraciter diligamus. Amen.

SERMO LXXVI.

In festo sancti Joannis evangelistæ.

Sermo, qui sequitur, prodit ex Bibl. Ædil., cod. x, *fol.* 39, *unde in appendicem rejicitur. In manuscripto titulum habet falsum, nempe de sancto Joanne Baptista, cum agatur de sancto Joanne Evangelista. Locus ejus post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Non habitat Christus cum fraudulentis et superbis. II. Contra eosdem Dei vindicta, necnon et humilium ac simplicium exaltatio. III. Joannis humilitas commendatur, quæ beatæ mortis fuit ipsi causa. IV. Imitandus Joannes, cujus privilegia ipsis Petri privilegiis fuere majora. V. Virginitas amissa non recuperatur, licet recuperetur gratia. VI. Virginitas sit carnis et mentis, quam prædicat auctor, licet eam amiserit. VII. Variæ Dei vocationes.

I. Dominus et Redemptor noster, fratres charissimi, querimoniam facit, quoniam pauperrime natus noviter est, et in stabulo inclinatus, et inter bovem et asinum collocatus est. Quærit tamen hospitari nobiscum, nec est qui eum recipiat; clamat, et non est qui respondeat; ululat, et non est qui exaudiat; pulsat, et non est qui aperiat. Tandem clamore fatigatus improperando dicit: « Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; Filius autem » hominis non habet ubi reclinet caput suum[2]. » Quid enim sunt vulpes et volucres cœli? Vulpes enim fraudulenta animalia sunt; ideo fraudulentiam significant. Volucres superbiæ et elationis significationem gerunt; superbus enim volat alis jactantiæ sublimando ad astra. Foveas vero vocamus pectora hominum, in quibus pravæ machinationes aliis præcipitium parant (7); nidi etiam volucrum similiter etiam in eorum animis sunt, quia pulli, id est, opera superbiæ et elationis ibi nutriuntur. Aliud tamen est superbia, et aliud elatio. Superbia est quando quis super omnes esse desiderat; elatio vero quando quis suis superioribus laborat se parificare. Superbus denique Pompeius, qui nolebat habere priorem; elatus vero Anastromades (8), qui cum esset servus, fraudulenter se dominis parificavit. Sunt igitur (9) in nobis duo grandia receptacula; sed Filius hominis non habet nec invenit mentem aliquam ubi reclinet caput suum. Discutiamus primo corda nostra, fratres, et videamus primo de fraudulentia vulpis. Quid enim est fraus, nisi quod aliud agitur et aliud simulatur? Fraudulentia corda omnino debent habere illi qui aliud promittunt et aliud faciunt. Tales sunt qui « Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in » cordibus eorum[3]. » Est et aliud genus fraudis: nam aliqui jurant, ut melius nocere possint. Itaque, fratres, perit fides, perit reverentia, nec pater filio, nec filius patri hodie fidem servat. Sed nunc de superbia aliquid dicamus. Quid enim est superbia, nisi omnium vitiorum origo et fundamentum? Hæc est quæ Angelum de cœlo præcipitavit hæc est, quæ facit hominem suæ fragilitatis oblivisci; hæc est quæ facit nos ultra nos extendere; hæc est quæ facit omnia ad laudem mundi fieri; hæc est quæ vult omnia beneficia se fecisse videri; hæc est quæ omnibus manum ponit et linguam, nemini parcens, neminem diligens, omnium vitam et conditionem dilacerans, ut sola (10) super omnes, velut lignum (11) super aquas, natare possit. Audent denique superbi surgere contra Deum et servos ejus, dilacerantes omnes Dei servos in cunctis. Tales superbi, bonos videntes, observant semper quid agant, sed si bona loquuntur de bonis, partiales eos appellant; si mala, de malis, murmuratores et bilingues dicuntur; si tacent, amici non esse existimantur. Hæc est enim vita superborum et hypocritarum; hæc est eorum sola conditio; hæc est eorum tota mentis affectio, ut præ omnibus et super omnes dominatores terræ dicantur. Et multi ex vobis tales sunt. Ideo Salvator conquerendo clamat inter nos habitare volens, et (12) dicens: « Vulpes foveas habent et volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput possit reclinare. » Nec mirum si Deus non habet ubi reclinet caput, quia nescit habitare, nisi in corde quieto et humili: superbus vero Deo resistit, ipsi ostium mentis claudit, dum humiles servos ejus parvipendit, et viles reputantur ab eo. Unde omnis habitus sanctæ conversationis a superbis conculcatur, et « Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus[4], » ut ait Apostolus; sed bonos et humiles consolatur Deus, quibus dicit: « Non est servus major domino suo; si me » persecuti sunt, et vos persequentur[5]. » Non est ergo curandus mundi despectus, quia ipse primo ab hominibus odio habitus est[6].

II. Non curemus ergo, fratres, superborum contemptum, quia ecce Dominus vindictam faciet longe majorem quam credere valeamus. Refert enim Lucas Deum dixisse

[1] 1 Joan. III, 14. — [2] Luc. IX, 58. — [3] Psal. XXVII, 3. — [4] 1 Cor. IV, 13. — [5] Joan. XV, 20. — [6] Ibid. 18.

(1) Deest *confirmes* in cod. — (2) Desunt in cod. hæc verba *dignare nobis*. — (3) Cod. non habet *auxilium*; et deinde deest *nos*. — (4) Id. *sui corporis vulnera... impietatem... ejus mortem*, et deinceps *plangi*. — (5) Id. *denique*; et sic deinceps. — (6) Id. *gratis*. — (7) Deest *parant* in cod. — (8) Quis sit iste Anastromades, non mihi satis constat. — (9) Hæc verba desunt in cod. — (10) Cod. *solus*. — (11) Id. *alnum*. — (12) Hæc verba *volens et* desunt in cod.

Discipulis suis parabolam hanc : « Judex quidam erat in » quadam civitate qui Deum non timebat, nec homines verebatur. Vidua quædam erat in civitate illa, et veniens ad » eum dicebat : Vindica me de adversario meo. Et nolebat. » Post hæc autem ait Judex intra se : Etsi Deum non ti- » meo, nec homines vereor, tamen quia hæc vidua molesta » est mihi, vindicabo eam[1]. » Si enim hoc fecit judex iniquitatis, quid faciet Salvator? Ipse enim » Deponet poten- » tes de sede, et exaltabit humiles[2] » in æternum. Exaltavit enim David humilem, et deposuit Saul superbum; deposuit Judam, et exaltavit Joannem. Nam ille superbissimus, et iste humilitatis exemplum; ille proditor, et iste fidelis; ille homicida, et iste ab omni odio separatus; ille vas iniquitatis, et iste fornax charitatis; ille vas damnationis, et iste vas dilectionis; ille damnatus, et iste, ut arbitror, anima et corpore glorificatus. Omnia enim mala Judæ evenerunt propter superbiam, et omnia bona Joanni evenerunt propter humilitatem. Omnes denique virgines, ut Joannem, humiles necesse est omnino esse.

III. Per hanc igitur Joannes meruit a Deo vocari, in Apostolum chariorem institutus (1); per hanc flore (2) virginitatis meruit præpollere, et Domini Matrem in matrem optime possidere. Per hanc in cœna meruit in Dominico pectore reclinari (3), et incorruptum super omnes alios conservari. Omnes enim gladio gaudenter sancti Apostoli interfecti sunt; solus Joannes gladio illæsus permansit; solus sine sanguinis effusione migravit ad cœlum suaviter. Et hoc fuit quod Dominus ei promiserat. Cum enim Dominus diceret Petro : » Sequere me[3]; » id est, imitare (4) me in cruce; non timeas, sed sponte crucem recipias in morte; ut arbitror, fuit grave Petro hoc audire, et pœnosum non modicum; ideo vertens se retro, vidit illum Discipulum quem diligebat Jesus, et ait : » Domine, » hic autem quid[4]? » Id est, quid faciet? quam mortem patietur? Et ait illi Jesus : » Sic eum volo manere, dum ve- » niam[5]; » id est, integrum, inviolatum, immarcescibilem, et illæsum, et incontaminatum volo manere, donec ipsi (5) appaream cum aliis fratribus. Sed ecce approximante die transmigrationis Discipuli (6), apparuit ipsi Dominus dicens : Veni ad me, quia tempus est, ut epuleris cum fratribus tuis in mensa mea. Et subito surgens Joannes cœpit ire. Et ait Dominus : Dominica die post quinque dies ita venies ad me. Et receptus est Dominus in cœlum. Veniente autem die, convenit multitudo Discipulorum diversarum provinciarum et fidelium in Ecclesia in primo gallorum cantu, et usque ad horam tertiam prædicavit eis Joannes, confortando orphanos et pupillos, consolando viduas et maritatos, omnique statui doctrinam dedit suavem, et finito sermone, oravit pro populo. Postquam vero oravit, missam celebravit solemnem, et se, et Discipulos communicavit dicens : Pax Domini et mea sit vobiscum, et vestra mecum. Et fovea post hæc paratur, ponensque ibi vestimenta intravit osculando Discipulos cum Discipulorum mœrore et lamento : et ecce lux facta est tanta fore per unam horam super populum, ut nullus posset eam sustinere. Et signans se sanctissimus Evangelista transire cœpit tecum, Domine Jesu. Tu, Domine, mecum semper solus sis. Et hæc dicens, jubet se in sepulcro cooperiri. Et sic sanctissimus Josue, in quo erat Spiritus Dei, assumitur; sic sanctissimus Moyses ad montem rapitur; sic sanctissimus Salomon in cathedra residet beatorum; sic aquila illa grandis magnarum alarum pervenit ad medullam cedri, sicut in carne adhuc positus pervenerat, jam et ad cœlum rediens alte quæ viderat intonans, tam fortiter, tam subtiliter, tam magnifice, ut si altius intonasset, totus mundus eum capere vel intelligere non potuisset. Et sic reddidit spiritum. Et protinus manna exiens de sepulcro apparuit, quod usque hodie gignit miro modo.

IV. Hunc ergo, fratres, lucernam mundi et spiraculum vitæ studeamus imitari, ut possimus cum eo æternaliter gloriari. Hic est ille, cujus caro in sexaginta septem annis nulla copulatione contaminata est; cujus mens inviolata permansit; cujus vita speculum et norma fidelium fuit. Hic est ille sanctissimus Evangelista, cui Mater Domini traditur tanquam digniori Apostolo, tanquam perfectiori Discipulo, tanquam chariori amasio. Denique, fratres, Petro temporalis donatur Ecclesia, sed Joanni Ecclesia major committitur. Petro dantur claves aperiendi et claudendi, sed Joanni Matrem impetrandi et obsecrandi. Petrus curam gerit agnorum, et Joannes sollicitudinem Matris desperatorum gerit. Quid ergo de Joanne dicemus? quis explicare poterit ejus sanctitatem? quis enarrare valebit ejus sublimitatem? quis istius sanctissimi piscatoris intellectûs profunditatem? quis ejus diuturnitatem pœnitentiæ prædicare valebit? Denique verberatur in Asia et tacet, blasphematur et obsecrat; in Patmos insula recluditur, et cuncta patienter portat, ut agnus; in oleum ponitur, et ecce mox liberatur, et ecce prædicat, et ecce obsecrat, et ecce quotidie clamat homo iste cœlestis : » Filioli mei, diligite alterutrum. » Hunc ergo patronum imitari non differamus, et sicut ipse fecit, ita et nos faciamus, ne a Domino improperemur dicente : « Vulpes foveas habent, et volucres » cœli nidos; ego autem non habeo ubi caput reclinare » possim. »

V. Sed dicet quis : Ecce Joannes virgo fuit et castus; ecce virginitatem amisi; numquid eam recuperare possum? Minime omnino. Ipsa namque, si rapitur, nullatenus reparatur; quamvis pœnitendo veniæ fructum recipiat, incorruptionem nullatenus tamen recipit pristinam. Hæc autem credimus, fratres, et nullatenus dubitamus. O quam bonum, o quam suave, o quam gratiosum est Deo genus virginitatis, quia in hoc et sollicitudinem (7) sæculi amittit, et in futuro æternum castitatis percipit præmium gratiosum et copiosum! Conjugium concessum est, sed virginitas admonita est tantum, non jussa; et ideo tantum admonita, quia nimis excelsa. Nec dubium est, quod qui in virginitate perseverat, Angelis efficiatur æqualis. Omne enim peccatum per pœnitentiam recipit veniam, sed sola virginitas amissa (8), ut diximus, nullatenus reparatur.

VI. Virgo tamen carne, sed non mente, numquid præmium cum virginibus possidebit? Absit; nihil enim prodest incorruptio carnis ubi non est integritas mentis, nihilque vales mundum esse corpore, ubi quis pollutus sit mente. O castitas, securitas mentis, sanitas corporis, oblectamentum (9) Dei, et Angelorum soror, quam dulcis et fertilis es! Beatus qui te amat; sed te amare tantum non proficit, nisi etiam a terrenis desideriis se subtraxerit, ne a Domino audiat : » Amen dico vobis : Nescio vos[6]. » Luxuriosa denique vita carnem cito debilitat, et debilitata cito ad senectutem deducitur : et licet non debeat corripere aliena vitia qui aliquando fuit eorum vitiorum cogitationibus repletus, licet etiam improbum sit arguere quidquam in alio, quod aliquando adhuc cognovit in semetipso, tamen protecti divino auxilio, licet virginitatem amiserimus, ad virginitatem tamen vos invitare non erubescimus. Et si Joannem in hoc sequi et imitari non possumus, si cum eo (10) florem virginitatis tenere nequimus, saltem ipsum humilem imitemur.

VII. Denique, fratres, in Christi collegio non omnes virgines sunt electi, sed aliqui virgines, aliqui uxorati; aliqui divites, aliqui pauperes; aliqui negotiatores, aliqui Legis doctores sunt ab ipso vocati. Nam Petrum et Philippum elegit uxoratos, ut uxoratis spem æternæ vitæ donaret; elegit Joannem et Jacobum virgines, ut virginibus spem æternæ vitæ donaret; elegit Bartholomæum divitem et nobilem, ut nobilibus exemplum daret; elegit Matthæum

[1] Luc. XVIII, 2-5. — [2] Id. I, 52. — [3] Joan. XXI, 19. — [4] Ibid. 21. — [5] Ibid. 22. — [6] Matth. XXV, 12.

(1) Cod. *institutum*. — (2) Id. *florem*. — (3) Id. *reclinare*.. *conservare*. — (4) Id. *imitari*. — (5) Id. *sibi*, et sic deinceps. — (6) Hæc et sequentia ex apocryphis et fabulosis videntur desumpta. — (7) Cod. *sollicitudinem*. — (8) Id. male *virginitate amissa*. — (9) Id. *objectum*. — (10) Id. *secum*.

negotiatorem, ut negotiatoribus viam redeundi donaret; elegit Simonem et Thaddæum pauperes, ut Christus pauperes diligere se monstraret (1). Ecce infinita Christi charitas et bonitas: ecce magna pietatis et misericordiæ largitas; et tamen clamat: « Vulpes foveas habent, et volucres « cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi reclinet « caput suum. » Sed sicut reclinavit in Joanne (2), ita per gratiam in mente nostra Salvator reclinare dignetur. Amen.

SERMO LXXVII.

In Natali Innocentium I.

Hunc sermonem, licet ex Cod. Cass. XII, *fol.* 41 *erutum, sancto Augustino vindicare minime auderem. Sententiæ nihil nisi puerile præ se ferunt, et tanto Doctore prorsus indignum, ut legenti facillime patebit. Unde quamvis sancto Augustino in codice tribuatur, totum Doctori nostro abjudicare non dubitamus. Locus ejus in appendice post sermonem Maurinensem* CCXXI, *cum numero in Natali sanctorum Innocentium* V.

SYNOPSIS.

I. Innocentes Christi amici pro amico Christo jugulantur.
II. Persecutionis crudelitas in feriendo, et lamentatio matrum.
III. Epilogus.

I. Admoniti sunt Magi in somnis ab Angelo, ne reversi Herodi nuntiarent de Christo, sed per aliam viam ad suam regionem pergerent. Tunc Herodes cum se videret a Magis esse delusum, facie immutatus, animo conturbatus, Scribas ad se et Seniores vocari jussit, a quibus exquirebat dicens: Ubi certum habetis regem futurum nasci? Illi autem dixerunt: « In Bethleem Judæ; sic enim scriptum est: Et « tu, inquit, Bethleem Juda, non minima eris inter princi- « pes Juda; ex te enim exiet qui recturus est populum meum « Israël[1]. » Tunc Herodes armatum militem destinavit; cum terribili jussu interminatus dixit: « Ite in Bethleem Judæ « et in finibus ejus, et quidquid ibi inveneritis a bimatu et « infra masculum occidite[2]. » Tunc videbat Dominus amicos sibi diligendos (3) innocentes; ad se vocantur (4), ut sit innocentium amicus. Sicut est innocens Dominus « Agnus « immaculatus qui tollit peccata mundi, » ita facti sunt ei innocentes amici: « Innocentes et recti adhæserunt mihi, « quia sustinui te, Domine[3]. » Sustinuit fugiens in Ægyptum, et fecit sibi amicas legiones innocentium, quibus dedit sine dolore martyrium; quia etsi dolebant matres, crimen nescientes lætabantur infantes. Non curabat gladium persecutoris conscientia innocentis, quia gaudebat cum illis fuga innocens Salvatoris. Dominus quæritur, et amici jugulantur, ut jungeret eos sanguis innocens, quos separavit gladius impudicus.

II. O inverecunda dextera persecutoris! Non habet quod feriat in membris infantis, et extendit brachia ferientis. Gladius locum non habebat, et carnificem non pudebat. Latior erat (5) machæra, quam viscera, et gladiator haberet crimen, et non innocentia (6). Dum enim evellerentur e complexibus matrum avara manu carnificum, matres suas digitis constringentes, et miseris gemitibus deplorantes, clamat mater: « O mi fili, quid me retines, et te a me separat carnifex? Tu stringes manus, et meus (7) torquetur affectus. Hoc præcepit rex, ut separeris a me, sed est alius Rex fortior et æternus, per quem conjungaris ad me. Fili, facio tibi vale, terra bibet sanguinem tuum, sed est qui suscipiat spiritum tuum. » Ubique luctus, ubique gemitus. Indictio fuit non cupiditatis, sed magni furoris. Clamat ergo hinc et inde diversa mater: « Carnifex, parvulum meum a me festinas gladio separare; dona moram si habes pietatem. Tu tollis a me filium meum, ut ego non debeo in illo modicum habere momentum, ut (8) refrigeret animum meum. Ego genui, ego peperi, et nutrivi de meo ubere (9), sed te ministrum (10) crudelitatis inveni. Saltem non a me filius meus jejunus discedat; dabo illi viaticum lactis, ut habeat viscera pinguedinis, ubi sagines gladium crudelitatis. Parvus sanguis; accedant et nutrimenta lactis, ut tua (11) satietur machæra, et filii mei impinguetur anima lacte, et sanguine candidetur, sicut tunica medio clavata. Sanguis erat purpura, et hoc fecit stola candida pretiosa. Tecum vado, dulcissime fili, clamat mater, quousque ad locum perveniam; te dulcissimum, te uteri mei dolorem et gemitum spectatora (12) deduco. Ego infigo osculum, et carnifex sine misericordia infigit gladium. Ipse percutit pro Christo passurum, et ego suscipio sanguinem innocentis cum Christo regnantis. Tu jugulas sine causa, et ego non suscipio viscera mea. Si mihi non licuit nutrire, saltem merear sepelire? Si mihi non licuit lactem dare, liceat vel sepulcrum meo filio dignum (13) componere, quia viscera mea turbantur nimio dolore, dum inspicio meum filium carnificis manus sine misericordia jugulare. »

III. Inter matrum planctus et filiorum ululatus, in fuga erat Dominus Christus. Milites percutiebant, matres sepeliebant, et Angeli spiritus eorum suscipiebant, et Christus rex dicebat: « Innocentes et recti adhæserunt mihi. » Si ergo volumus, fratres, Christo adhærere, caveamus (14) malignitatem, teneamus simplicitatem, ut mereamur a Domino pietatem.

[1] Matth. II, 4-6, et Mich. V, 2. — [2] Matth. II, 16. — [3] Psal. XXIV, 21.

(1) Cod. *demonstraret.* — (2) Sic cod.; forte *reclinavit in sinu ejus Joannes.* — (3) Cod. *sibi diligentes.* — (4) Cod. *ad se vocantem*, sine sensu. — (5) Id. *latius.* — (6) Aliquid desiderari videtur; forte *et non innocentia dolorem*, aut aliud hujusmodi. — (7) Cod. male *meus* — (8) Cod. *et.* — (9) Id. *de mea ubera.* — (10) Id. *vistrinum.* — (11) Id. *sua.* — (12) Id. *spectura.* — (13) Id. *digno.* — (14) Id. male *caveamis.*

SERMO LXXVIII.

In Natali Innocentium II.

In appendicem sermo iste, sicut et præcedens, merito rejicitur, quamvis legatur in Cod. XII, fol. 48. Duræ sententiæ, durior et stylus, qui nihil Augustinianum refert. Indocti cujusdam et grandiloqui monachi fœtus videtur. Adde quod amanuensis indocto auctore et ipse indoctior nulla fidelitate conscribenda conscripsit, sed sententias et verba ubique deformasse culpandus est; unde plura occurrunt quæ vix, imo et ne vix quidem possunt intelligi. Hinc et diu dubitaveramus utrum in lucem foret emittendus; sed placuit deinde illum proferre in publicum, tum ad servandam nostrorum codicum integritatem, tum ut lectori subjicerentur nonnullæ hinc et inde scaturientes non contemnendæ sententiæ. Sit hujus sermonis locus in appendice post præcedentem cum numero in Natali Innocentium VI.

SYNOPSIS.

I. Testes Christi nascentis prædicti a Prophetis parvulorum vagitus. II. Persecutorum crudelitas. III. Innocentium inter brachia matrum barbara occisio. IV. Occisorum confessio. V. Eorumdem triomphus. VI. Martyrum primitiæ Innocentes.

I. Quid est, fratres charissimi, quod circa propheticas aures clamant volucrum voces? quid est quod sancti Spiritûs præscientia, scelus antequam fiat canitur, et innocens sanguis priusquam fundatur, auditur? Strepit interpellans, ululans occisorum innocens turba ingemiscit, contestans immatura messis nascentium, seges saucia inter lactentium vagitus et cunas Christi; clamant tot martyria quot sepulcra, et Jeremiæ vatis cœleste præconium, et nascentis (1) Dei fidele documentum. Qui Prophetarum non accipiunt testimonium, vel voces audiant (2) occisorum, sicut scriptum est: « Vox in Rama audita est ploratus et fletus; Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt[1]. » Nato enim Domino nostro Jesu Christo, postquam radiantis globi almum sidus cœlestem ortum auspice protulit lumine, et interpretes stellarum terruit (3) luce splendoris micantis orbis candicans visus, rutilique ignis fulgorem ostendit; tunc Magis, quorum sacrilega peritia est, et secretorum sagax, ac vetita male canta solertia signorum omnium cursus et motus, ortus occasusque sollicitat, regalis stellæ sidereum (4) jubar, et inusualis circuli insuetum lumen ostendit nativitatem; qui mirati ac trepidi Herodis aures pavidi metûs terrore perturbant. Sed mortalia sodalitate (5) naturæ natum terris novum indicant regem regnorum, cœlestium principem, sicut David Spiritu sancto plenus pronuntiat dicens: « Pete a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ[2]. »

II. Agnitis itaque, charissimi fratres, cœlestis nativitatis regalibus signis, æstuat tyrannicus animus, propinat veneni ebrium nefas, et crudelis sceleris sanie pasta mens indigestum virus eructat. Patitur exitii sui pervigiles focos (6), et in pœnam suam indigena carnifex persistens, edacis flammæ vernaculo consumitur igne. Sed dum incertarum rerum incertior consolator exerrat, profanos haustus sitiens, scelus gestiens, mortiferis morsibus innocentium membra dilaniat, et cruentæ legis feralibus jussis totam nascentium depopulatur infantiam. Mittit nonque immanissimus tyrannorum per Bethleem populos non edicto, sed tumulos, et publicum luctum funebri sonans pagina, innocentium scilicet supplicium, legem jubet esse sacrilegium. Cunctorum infantium annos sectatur, et tempus, ac Magorum dimensum admonitum (7). Inter membra lactantium errando, per strages funerum nunc quærit homicidium explere (8) mentis cæcum furorem. O insanæ blasphemiæ insanabilem luem! Totam vult humani generis sobolem perdere, quasi vero inter homines possit Deum occidere.

III. Sic sancti Evangelii perennes loquuntur apices: « Tunc Herodes cum vidisset quoniam illusus esset a Magis, indignatus est nimis, et misit, et interfecit omnes pueros qui fuerunt in Bethleem a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis[3]. » Sternuntur itaque innumera infantium millia, in quibus lex rea nascendo fecerat pœnam; supputantur parvulorum breves anni, et recens nativitas carnificis curiositate perquiritur. Non evasit mortem, quem ætas prodidit innocentem. Stat liberis raptis mater orbata, et, his revulsis, fluentium mammarum lætum imbrem clausa vix continet dextera. Stat unius causa ad diversa supplicia. Hæc percutientem, ut expectet paululum, rogat, donec infans ad vulnus idoneus fiat, ne de parvo corpore se infamet homicida. Hæc ut in pectus suum feriat, ne suus innocens feriatur, exorat. Nulla a lacrymis se mater excusat; solas inducias postulat, ut persecutori nutriat, quos occidat. Stat cruentus exerto mucrone percussor, et assidua cæde lassata jam dextera, ingrassati teli obtunsam aciem vibrans, tenerum transforat pectus, sed in brevi corpore locum vix invenit vulnus.

IV. Sonant inter carnificum manus pro clamoribus tremuli vagitus, pro ululatibus pium murmur infantium. Nemo loquitur mortem; quin (9) frigida in faucibus lingua laudem mussitat, non dolorem, sicut beatus propheta David testatus est dicens: « Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos[4]. » Sic, fratres charissimi, in laude Domini nostri Jesu Christi primus dedicatus est sermo; sic clausi oris resoluto repagulo, rudes linguæ immolavere primitias, cum tacita victima loquax discit esse per vulnera, sicut Salomon sapientissimus loquitur: « Dominus aperuit ora mutorum, et linguas infantium fecit disertas[5]. » Confitetur ecce mutorum nova vox Dominum, et balbutiens (10) lingua verba semiroca in laudem Christi, quasi olim docta, loqui se provocat; rumpuntur nova suspiria, et infantium labiorum confessa (11) fragmenta in verba se glutinant. Non expectatur loqui, qui Deum cogitur confiteri. Sic ad Moysen Dominus dicit: « Ego aperiam os tuum, et instruam te quid loquaris[6]. » Agnoscit vero consacrilegus tyrannus facinus suum ante prædictum. Intelligit in aures Dei, quicumque sunt Sanctorum gemitus, resonasse suspiria, cum recepta plenitudo, validico ore, sacri sensûs modulando divina verba, famulatur (12).

V. Quæ sunt jam, fratres charissimi, cœlestis mysterii occulta sacramenta? Rachel clamat lacrymis, vociferatur lamentis, et consolatio nulla fit mortis, nulla humanitas. Istæ res fidei exemplo sunt nobis. Suos contestatur occidi, et confitetur iterum non amitti. Flet mortalitas, tacet secura credulitas (13). Sæculum quidem perdidit, sed occisos pro Christo suscepit. Promovet tunc cœlestium regionum spiritalem militiam barbarus tyrannus (14), et divinis castris tyronum innocentiæ, terram caractere (15) cruoris

[1] Matth. II, 18. — [2] Psal. II, 8. — [3] Matth. II, 16. — [4] Id. XXI, 16. — [5] Sap. X, 21. — [6] Exod. IV, 12.

(1) Cod. male *nascentis*. — (2) Id. *audiunt*. — (3) Id. *tremunt* — (4) Id. *siderum*. — (5) Cod. *mortali soliditate*. — (6) Id. *focos*. — (7) Forte *dimensum admonitum*. — (8) Cod. *efferre*. — (9) Id. male *quid*. — (10) Id. ridicule *intuentes*. — (11) Sic cod. cujus durissima verba. — (12) Id. *famulantur*. — (13) Id. male *crudelitas*. — (14) Id. *tyrannorum* — (15) Sic cod., excepto quod pejus habet *caracterem*.

insignie martyrialibus stipendiis Christus adtitulat, quanto suos probet exercitus. Non est angustus venientibus locus; omnes suscipit cœlum. Præcedat Regem suum gloriosi agminis innocens miles, et ad metam (1) Christi votivis incedat officiis. Fundatur fidei (2) solcis Christiani nominis sanguis. Fiet dives Sanctorum messis in tumulis, et exuberent Dei horrea de sepulcris.

VI. His ergo testibus nuntiatus est Christus; horum sanguine (3) nativitatis Dei spirituales conscriptæ sunt tabulæ. Horum primo confitentium pro Christo cruorem terra suscepit; sic plantata martyria; hinc ex parvulorum novella divitis vineæ frondoere sarmenta; hinc honesta mater Ecclesia, passionum differens palmas, cœlestem vivaces surculos promovit ad coronam.

SERMO LXXIX.

In festo sanctorum Innocentium III.

Hic sermo, qui jam editus habetur apud Combefisium, tom. 1, de Tempore, fol. 443, in pluribus concordat, et differt in pluribus, imo et magnum extat discrimen varios inter codices sive Cassinenses, sive Florentinos, quorum alii longiores sunt, alii autem breviores. Ubique fere habet nomen sancti Augustini, sed ubique se prodit versionis character; unde videntur varietates, quæ inter diversos codices intercedunt, procedere ex varietate translationis. Idem textus fuit, sed non idem interpretator. Propter autem discrimina quæ occurrunt, stampis submittendus visus est hic sermo, qui habetur: 1° Bibl. Amiat., Cod. II, *fol.* 13; *2° Bibl. Laurent., Plut.* XIV, *Cod.* XV, *fol.* 52 *b; 3° ibid., Plut. eodem, Cod.* I, *fol.* 54; *4° Cod. Cass.* CVI, *fol.* 191 *a tergo; 6° Cod. altero ex eadem Bibl., cujus numerus non ad me transmissus est, sed fol.* 66 *a tergo. Juxta Combefisium, non est Chrysostomi, quanquam alicubi nomen ejus habeat, sed est forte Chromatii. Quidquid sit, ponatur in appendicem post præcedentem cum numero in Natali Sanctorum Innocentium* VII.

SYNOPSIS.

I. Innocentes pueri Christi laudes canunt, dum parentes eorum Christum persequuntur. II. Pueri isti docti sunt sine magistro, sed inspirante Spiritu sancto. III. Oritur ergo grande discrimen inter pueros et parentes eorum. IV. Fletus Rachelis sine consolatione. V. Innocentium laus.

I. David propheta sanctissimus loquitur dicens (4): « Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos[1]. » Dedicatur novus (5) ab infantibus sermo; sanctis laudibus Christi (6) in gloriam Domini primam (7) vocem aperiunt innocentes. Fiunt diserti laude qui fuerant (8) imperiti sermone. Offerunt Domino (9) primitias linguæ, novos oris immolant fructus, verborum principia tunc primitus (10) libant. Infantia enim, quæ per ætatem loqui non poterat, gloriam Dei (11) cum laudibus resonabat. Norant laudare Christum, qui loqui non noverant (12). Fiunt periti laude, qui fuerant imperiti sermone (13). Ostendunt laudibus Christum (14), suffragiis prædicant Dominum (15), quem parentes volebant ducere ad supplicium (16). O parentum miserabilis furor (17)! Insectantur Christum, quem filii suscipiunt; necare disponunt quem infantes agnoscunt. Parentes crudeles existunt, et pueri venerantur, nec a filiis potuerunt discere, quos ipsi erudire debuerunt. Disce, miserrime hostis, disce, inquam, a parvulis, quod a lege non discis. Cognosce (18) vel tardius Christum, cui innocens ætas perhibet testimonium (19). Intellige laude infantium, quem præconiis non intelligis Prophetarum. Crede suffragio parvulorum, qui non credis documento virtutum. Persuadeant taliom laudes, cui (20) persuadere non potuerunt Domini voces (21). Nec ella te causa jam poterit excusare, quem propria soboles non potuit edocere.

II. Fiunt interea pueri sine magistro diserti, docti sine doctore, sine eruditore periti. Agnoscunt Christum, prædicant Dominum, non quem persuasio humana (22) docuerat, sed quem divinitas innocentibus inspirabat. Cessant enim humana, cum divina tractantur, quia humana ipsa prodesse non poterunt (23), nisi divinorum solatio sublevantur. Necesse est enim terrena succumbere, cum cœlestia prædicantur, naturalia silere, cum virtutes loquuntur (24). Erigitur itaque infantium ætas in laudem, quæ (25) delictorum non noverat crimen (26). Dignus a dignis (27) laudatur, et innocens innocentium testimonio prædicatur (28). Hoc enim Christo Domino (29) debebatur, ut non a reis parentibus, sed a filiis innocentibus (30) laudaretur. Tacere enim innocens ætas Dei laudes (31) non poterat, quam Christi gloria provocabat (32). Silentia gloriæ, damna sunt linguæ. Est enim crimen tacere, quod sit fructiferum prædicare; nec loqui ætas ipsa potuit nolle, cui divinitas contulit posse. Periculose tacetur, quod salubriter prædicatur, quia beneficii ingratus est, qui dispensanda absconderit, aut prædicanda siluerit. Unde et isti infantes non potuerunt silere, quem meruerunt dicere. Potuerant enim rudimentis ipsis relinqui (33), si paterentur Dominum silentio præterire.

III. Nascitur interea discrimen inter parentes et filios, inter genitores et natos. Erant enim parentes et filii genus simile, sed dissimilis interitus. Separant causæ, quos natura conjungit; discernit ratio, quos cognatio sociavit. Ideo (34) conspicit uterque Christum, intuetur et cernit, et uterque non, quod cernit, agnoscit; unus est ambobus visus, sed dissimilis intellectus; par est utrisque oculus (35),

[1] Psal. VIII, 3.

(1) Cod. meta. — (2) Id. fide. — (3) Id. sanguinem. — (4) Id. 1 et CVI, *dilectissimi fratres, præcantator propheta David a Spiritu sancto inundatus, sic ait, quod etiam charitas vestra modo nobiscum audivit, simulque cantavit. Ex ore, etc.* — (5) Cod. 1 male *vobis*. — (6) Deest *Christi* in codd. 1 et CVI. — (7) Cod. 1 *hora prima vocem*; cod. CVI *ora prima voce*. — (8) Cod. CVI male *fuerint*. — (9) Cod. 1 *Deo*. — (10) Sic codd. 1 et CVI; in cæteris hæc verba desunt. — (11) Sic codd. 1 et CVI; cæteri *Deo*. — (12) Cod. CXVI *norunt*. Sic et edit. — (13) Hæc desunt in cod. 1 et CVI; sed leguntur in cæteris, et in edit. — (14) Sic cod. IV; codd. 1 et CVI, *Deum*; cod. Cass. *Dominum*. — (15) Sic cod. IV; codd. 1 et CVI *Christum*. — (16) Sic codd. XV et CXVI; alii *ad supplicium ducere nitebantur*. — (17) Hæc et sequentia sic leguntur in codd. XV et CXVI. Codd. autem 1 et CVI sic habent: *O Herodes! miserabili furore insectaris Christum, quem infantes suscipiunt. Tu crudelis existis, et pueri venerantur. Nec ab infantibus discere potuisti, quos tu debueras erudire.* — (18) Sic codd. XV et CXVI; cæteri *agnosce*. — (19) Sic codd. XV et CXVI; cæteri *quem innocens ætas docet hominibus præferendum. In infantum laudibus intellige Dominum, quem præconiis non intelligis Prophetarum.* — (20) Sic iidem codd. cæteri *si*; et deinde *Dei* pro *Domini*. — (21) Hic deficiunt pluribus prætermissis codd. 1 et CVI; codd. autem XV et CXVI pergunt ut sequitur. — (22) Deest *humana* in codd. 1 et CVI. — (23) Sic codd. 1 et CVI; cod. IV male *potuerunt*. — (24) Hæc phrasis deest in codd. 1 et CVI. — (25) Cod. 1 male *quem*. — (26) Codd. 1 et CVI addunt: *Noverat et alleluia cantare. Quid est enim alleluia cantare, nisi Deum laudare? Alleluia enim Hebræus sermo est, latine Laudate Dominum, sicuti modo in præsenti Psalmo cantavimus.* Quæ quidem nihil aliud esse videntur, quam scribentis glossa. — (27) Codd. 1 et CVI *dignus Dominus a dignis infantibus*. — (28) Cod. 1 *comprobatur*. — (29) Deest *Domino* in codd. 1 et CVI. — (30) Codd. 1 et CVI *ab innocentibus filiis*. — (31) Cod. CXVI *laudem*. — (32) Codd. 1 et CVI: *Quæ peccata non noverat.* Cætera desunt usque ad hæc verba: *Lætantur pueri, gaudent infantes quod laudis Christi* etc., pro quibus habent, *gaudent et gloriantur infantes quod laudis Christi facti sunt narratores.* Deinde iterum differunt et dicunt: *Ineffabilia tunc ora prius quam mundana solverentur in verba, laudabiles Deo inter naturficum manus voces fuderunt, ut in his quod scriptum est dicant completum: Sapientia, etc.* — (33) Codd. *relinquere*. — (34) Id. *adeo*. — (35) Deest *oculus* in codd.

dispar est sensus. Denique parentes vident, nec credunt; filii vero, quod vident, laudibus protestantur. Præstat parvulis innocentia, quod reatus parentibus denegavit. Confert simplicitas dignis, quod malitia negavit indignis. Damnantur laudibus filiorum, dum, persequendo Christum, cumulos aggerant peccatorum. A Deo negatur parentibus noscere, quod datur infantibus prædicare. Lætantur pueri, gaudent infantes, quod laudis Christi facti sunt narratores. Canunt suffragia, glorias indicant, lætitia efferuntur. Timent silere, ne lapides faciant in laudes Domini personare, ut in his, quod scriptum est, dicamus esse completum: « Sapientia aperuit os mutum, et disertas fecit linguas infantum[1]. » Os mutum in laude Christi patescit (1), et os loquax sanctis (2) laudibus commutescit. Imperitus sermo in glorias Domini expolitur, et peritus nefandis facinoribus implicatur. Disertas laudes innocens ætas expromit, et nocendi causas miseranda senectus exquirit. Mutantur in contrarium parentes; ut Dominum, qui non poterant, loquerentur, et, qui poterant, ejus laude (3) privarentur. Facit enim infantes dicere, qui contulit posse. Silere non patitur, qui tribuit quod dicatur. Accipiunt enim a Christo et reddunt, consequuntur et referunt. Uno enim tempore et qui dederat, recipit, et qui acceperat, reddit. Uno, inquam, tempore sua Christo redduntur, dum ejus laudes illi ab infantibus referuntur. Diximus de laude infantum, quid de lactentibus proferemus (4), quorum laudem invenire non possumus, nisi eos ipsos qui laudaverunt, noverimus? Ex ore infantium (5)! Qui sunt isti (6)? ubi sunt? Quam laudem intulerint quæro, qui loqui non noverant. Neque enim ætas illa poterat nosse (7), quod natura non dederat (8), aut celebrari a talibus poterat, quod institutio denegat. Dicunt namque Domino laudes trucidati ab Herode lactentes. Loquuntur sanguine, quod lingua non possunt; passione canunt, quod sermone non norunt; occisi prædicant, quod vivi non poterant. Nec novum quid dicitur (9), ut innocens sanguis aut Deo referat laudes, aut suas indicet passiones, cum Abel sanguis clamet ad cœlum, aut occisorum animæ vociferentur ad Dominum. Contulit martyrium laudem, quibus negaverat natura sermonem. Licuit sanguine clamare, quibus narrare non licebat voce; licuit sanguine loqui, quibus lingua non licuit. Miscent enim Domino colloquia, quibus humana negata sunt verba.

IV. Sed enim occisis innocentibus istis, impleta sunt Prophetæ verba dicentis: « Vox in Rama audita est fletûs et plorationis; Rachel ploravit filios suos, et noluit consolari, quia non sunt[2]. » Rachelem primo Ecclesiæ esse personam nemo qui abnuat, nemo qui aliud contra veritatem defendat; sed duo in illis diversa conspicio, fletum et consolationis contemptum (10). Si enim flevit, cur consolari contempsit? aut si consolari contempsit, cur flevit? aut quomodo competit consolari noluisse, cui competit flevisse? quæ aut flere non debuit, quæ (11) consolari contempsit, aut consolari debuit, quæ non flere non (12) potuit, cum manifestum sit fletus consolatione tergi. Vel certe cur indiguit flere, quæ non indiguit consolationis sermone? Sed « Noluit, inquit Scriptura, consolari, quia non sunt, » id est, noluit consolari, quia sunt. Si idcirco (13) noluit consolari, quia sunt, quomodo voluit flere, quasi illos qui non sunt? Sed ut compendio jam diversitatum causa reddatur, conditio a matre defletur, sed spe gloriæ consolatio humana contemnitur. Pietatis affectus in fletibus declaratur, sed occisorum gloria repudium consolationi indicitur. Pugnant enim in matre affectus et fides; humanitas cum devotione concertat. Plangit affectus, sed fides exultat; deflet humanitas, sed devotio consolatur. Licuit enim matri humanitus flere, cui non licuit consolatione humanitus indigere. Ideo (14) Dominus Christus in Lazaro flevit, nec tamen ipse quoque cujusquam consolatione indiguit, quia hominis fuit quod flevit, cum manifeste Deus sit qui Lazarum suscitavit.

V. Sed o beata lactentium gloria, quibus pro Christo contigit dedicare martyrium! Expugnant (15) tempore uno nativitatem et mortem, ingressum et exitum, principium et occasum, ut ipsis posset tempore uno, ut dixi, contingere, et nascendo ingredi mundum (16), et dedicare martyrio cœlum (17). Probat novos exercitus Christus (18), rudes milites signat, legiones lactentes victoria perpetrata coronat (19). Fiunt pro Christo victores, qui fuerant æquales; fiunt, inquam, infantes sine certamine fortes, sine pugna victores. Norunt vincere, qui pugnare non norunt; existunt victoriæ compotes, qui fuerant ætate imbecilles. Merentur martyrium pœna; gloriam sanguine comparant; æternam vitam temporali morte commutant, nec timuit ætas illa mortem, nec horruit. Timere enim non potuit, quæ timere non novit. Transmittit (20) infantes infans Christus ad cœlum. Offert nova xenia Patri, primitias fructuum exhibet Genitori. Ostendit futuram fœcundissimam (21) messem, dum in semine tantam exhibet ubertatem. Derisit se (22), derisit hostilis immanitas, quæ putavit turbare posse consilium Dei, gloriam Christi, salutem necessariam mundi, sed contulit infantibus multis martyrium (23), dum infantem (24) quærit occidere Christum. Præstat hostis dum nocet (25); beneficium tribuit, dum occidit. Invideret enim eorum gloriam, si amaret. Sed aliæ sunt terrestres pugnæ, aliæ cœlestes victoriæ. In prælio Christi moriendo vivitur, cadendo surgitur, victoria post interitum comparatur.

[1] Sap. x, 21. — [2] Matth. II, 18.

(1) Sequentia iterum desunt in codd. I et CVI. — (2) Codd. *sollis*. — (3) Id. *laudes*. — (4) Hic sermonem continuant codd. I et CVI diu interruptum, et habent: *Protulimus de laude decentes infantium; quid de laude lactentium proferemus?* codd. IV et CXVI male *perferemus*. — (5) Sic codd. I et CVI, Hæc verba desunt in codd. IV et CXVI. — (6) Sic iidem codd. Codd. autem IV et CXVI non habent *isti*, et deinde habent *ibi sint*; denique *pueri* pro *puero*, et *norant* pro *noverant*. — (7) Cod. IV male *posse*. — (8) Sic cod. IV; codd. I et CVI *quod per naturam non didicerat*; phrasis reliqua desunt in iis codd. — (9) Cætera desunt in codd. I et CVI usque ad hæc verba *transmittit infantes*. — (10) Cod. male *fletus... contemptus*. — (11) Cod. *quem*, et ante *cui*. — (12) Deest *non* in cod. — (13) Sic edit; cod. *sub circo*. — (14) Cod. *adeo*. — (15) Id. IV *expugnant*. — (16) Id. *malum*. — (17) Id. *martyria keio*. — (18) Id. *Christe*. — (19) Id. *coronet*. — (20) Hic rursus resumunt sermonem codd. I et CVI. — (21) Codd. I et CVI *futuram fœcundissimam ostendit*. — (22) Deest hæc phrasis in iisdem codd. usque ad verba *sed contulit*. — (23) Codd. I et CVI, *sed lactentibus contulit cito martyrium*. — (24) Id. *dum Herodes infantem*. — (25) Cætera desunt in iisdem codd. qui habent concludendo: *Ergo, fratres charissimi, oremus, ut digni simus Christum sequi, quatenus cum eo mereamur regnare*. Cod. I solus addit: *Qui cum patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.*

SERMO LXXX.

De Communi Apostolorum.

Exit hic sermo ex Bibl. Ædil., Cod. X, *fol.* 50. *Sit cum cæteris in appendice post sermonem Maurinensem* CCXXII, *cum numero de sanctis Apostolis* II.

SYNOPSIS.

I. Apostolorum grande encomium. II. Ignobiles fuerunt et peccatores, unde nobis fiduciæ datur occasio. III. Tales missi sunt, ut appareat virtus Dei.

I. Apostoli namque, fratres charissimi, sapientes pastores Ecclesiæ militantis, potentes duces pastoresque Ecclesiæ triumphantis, æterni Judicis assessores, illuminatoresque dominici gregis hodie pro nobis in cœlis intercessores facti sunt; gaudeamus; tales namque decebat humani generis doctores constitui, qui et dulces essent, potentes, et sapientes; dulces, ut infideles et rebelles dulciter reciperent; fortes, ut fortiter protegerent; sapientes, ut sapienter perdocerent per viam quæ nos ducit ad patriam. Talibus namque dedit Deus potestatem super naturam, ut eam curarent; super dæmonia, ut ea subverterent; super elementa, ut ea mutarent; super animas, ut eas absolverent; super mortem, ut eam contemnerent; super Angelos, ut corpus Domini consecrarent. Quapropter, fratres dilectissimi, sanctorum Apostolorum solemnia celebrantes, sanctitatem, et gratiarum plenitudinem, et vitam, ut conversationem Christi in eis tanquam in speculo relucentes agnoscimus; et sicut sol in suo splendore, et sicut rosa in suo odore, et sicut ignis in suo calore, sic Christi vita in sanctis Apostolis relucebat. Isti etenim sunt, quos elegit ante mundi constitutionem[1] ex abjectissimis et ex inexpertissimis, ut ex eis nobilitarentur et multiplicarentur clarissima eloquia, præclarissima ingenia, et copiosissime signa et miracula. Attendite igitur, fratres, attendamus et nos. Quid Apostolis potentius, quid eis mirabilius, quid eis gloriosius? Numquid eis mare et terra non (1) obediunt? numquid non per eos mortui resurgunt, leprosi curantur, cæci illuminantur? numquid in cœlo et in terra signa et prodigia non operantur, in tantum, ut « In omnem terram » audiatur sonus eorum, et in fines orbis verba eorum[2] » et virtutes extendantur? Isti namque (2) sunt cardines orbis terræ, columnæ mundi, principes cœlorum, Angelorum præceptores, lux mundi, reparatores fidei, ædificatores divinæ legis, amatores virtutum, spiraculum Trinitatis, sal terræ, dii fortes, supernorum cultores, servi Dei veraces, mansueti, graves, prudentes, irreprehensibiles, piissimi, immaculati, intacti, in tantum ut qui eos videbant, admirarentur dicentes: Vere isti sunt homines Dei, quorum conversatio et vita talis est. Vere isti sunt homines, quorum sanctitas et magnificentia per orbem terrarum et gyrum cœlorum resplendet et ampliatur.

III. Quis nunc jam desperet aut de humilitate generis, aut de malignitate criminis, cum audiamus peccatores et ignobiles ad cœlestia gratiæ fontem sic ascendisse; ut etiam piscatores regibus præponeret, et persecutorem Ecclesiæ Paulum Apostolis coæquaret, qui ut cogitat sanctos Dei servos necare, sanctorum fidelium jugum suscepit, et Magister efficitur Gentium, forma Martyrum, formido dæmonum, indultor criminum, fonsque cunctarum virtutum. Et quid miramur? Numquid super astra cœlorum non volavit, quando tribus diebus et noctibus non manducavit nec bibit[3]? numquid Deum tunc facie ad faciem non vidit[4], sicuti est[5]? Rapitur piscator fidelium, ut bene agnosceret secreta cœlestia, ut Ecclesiarum futurus doctor inter Angelos disceret, quod inter homines super omnes prædicare deberet. Petrum denique, Andream et alios, per quos operatus est salutem in medio terræ[6], non de magnifico foro Justiniani, sed de simplicitate piscatoria legimus assumpsisse. Hoc audientes sapientia mundi inflati mirantur, sed non convertuntur; mirantur quomodo non reges, non Romanorum senatores, non philosophos, non divites, non sagaces, non malitia plenos, sed pauperes et indoctos piscatores, ineruditos liberalibus disciplinis; non peritos grammatica, non armatos dialectica, non inflatos rhetorica, sed piscatores cum tunica simplici, sine pane, sine virga, sine pecunia, sine calceamentis[7], tantum cum retibus fidei misit, ut ex omni genere infinitos pisces colligerent[8].

III. Sed dicet quis: Quare indoctos sic elegit Salvator? Numquid non et pro omnibus carnem assumpsit? Cujus rei causa est; nam ideo tales elegit, talibus potestatem tribuit, sic idiotæ et illitterati mittuntur ad prædicandum, ne fides credentium vel virtute humana, vel eloquentia, non doctrina Dei fundata (3) putaretur. Sic pauperes et indocti mittuntur, in tantum ut Apostolis nemo pauperior appareat. Mittuntur; terram simul ac mare, Græciam simul ac Barbariam, omnemque prorsus, quanta est sub solo, regionem quasi volantes circuierunt; non simplici labore, vel in vanum itinera percurrentes, sed peccatorum spinas pariter evellentes, verbum veritatis ubique seminantes, errores effugantes, veritatem reducentes, ipsos homines quasi ex dæmonibus Angelos fecerunt. O quam mirabiles fluvios sapientiæ et scientiæ Dei illi nobis genuerunt, et sanitatis et virtutis fructum copiosum obtulerunt! Nam sicut, adveniente luce diei, ægritudines alleviantur, homines a somno excitantur, aves garriunt, bestiæ ad latibula fugiunt; sic sanctorum Apostolorum luce adveniente, mundus ædificatur in credendis, fœcundatur in operibus bonis, alleviatur a peccatis, excitatur a negligentiis, animatur ad contemplationem, eripitur a pœna tenebrarum, et sic per eos perducitur ad regna cœlorum.

SERMO LXXXI.

De Communi Martyrum.

Educitur hic sermo ex Bibl. Ædil., Cod. X, *fol.* 50 *b; unde ponitur in appendicem post sermonem Maurinensem* CCXXVII *cum numero de sanctis Martyribus* V.

SYNOPSIS.

I. Martyrum fortitudo. II. Hæc vel in pace imitanda.

I. Sanctorum Martyrum, fratres charissimi, solemnia celebramus, qui non solum pretiosum sanguinem suum effuderunt, sed etiam mentis dolorem in necessitate proximi

[1] Ephes. I, 4. — [2] Psal. XVIII, 5. — [3] Act. IX, 9. — [4] I Cor. XIII, 12. — [5] I Joan. III, 2. — [6] Psal. LXXIII, 12. — [7] Matth. X, 10. — [8] Id. XIII, 47.

(1) Deest *non* in cod., et sic deinceps. — (2) Cod. *denique*. — (3) Id. *ne fides credentium non virtute humana, sed eloquentia et doctrina Dei quod facerent, putaretur.* Aliter sic Lov. ponet: *ne fides credentium, non virtute divina, sed eloquentia et doctrina humana fundata putaretur.*

portaverunt. O quam gloriosum sanctumque (1) supplicium! Nam illos examinat, ut nos erudiat; illos conterit, ut nos acquirat; illorum etiam trucidatus, nostros vult esse profectos, quia Martyrum merita nostra vult esse suffragia. Quid pretiosius namque, fratres, quam mors sanctorum Martyrum, propter quam dimittuntur delicta, destruuntur impii, confunduntur tyranni, devii infideles convertuntur, et eorum merita æmulantur cum nostris? O mors sanctorum Martyrum, delictorum finis, perituris dux salutis, patientiæ magistra (2) et æternæ vitæ domus! O Martyres, fiducia fidei meæ, quibus laudibus vos prædicem, quibus vocibus vos exornem ignoro. O Martyres, leonibus fortiores, aquilis velociores, voce libera menteque incorrupta, non armis sæculorum armati, sed fidei! Audivimus vos stetisse pro nomine Jesu tutos, sed tortoribus fortiores, ut pulsantibus, et frangentibus, membraque lanientibus, ac ungulas evellentibus (3). Immobiles vos audivimus permansisse, quamvis diu plaga repetita in vobis fuerit. Licet ignis verba ut verbere vobis fuerint, licet compago viscerum rupta fuerit (4), licet flammarum incendium passi fueritis pro Christi nomine, gloriosa tamen triompho ad regna cœlorum decantamus hodierna die collocatos. Isti denique sunt, fratres charissimi, triumphatores veraces, quos aliquando vidisse in Africa optime recordamur, catenis religatos, vestibus spoliatos; non tamen culpa, sed fide præclara pedes religatos habebant, qui non a fabro, sed a sole resolvendi (5), et tunc in pace cum eo. O pedes in sæculo religati, sed celeriter et cito liberati, ad Christum glorioso itinere percurrauri! Isti sunt viri sancti fortissimi, terrorem domantes, spiritum roborantes, virtutibus coruscantes, terrena despicientes, cœlestia appetentes. Isti sunt qui occidi possunt, flecti nequaquam; nec sustinere falsa per infirmitatem metuunt, nec læsi nunquam a veritate conticescunt. Stultus enim frequenter, sicut luna, mutatur; sed sapientissimi Martyres non metu franguntur, non potestate mutantur, non extolluntur in prosperis, nec in adversis demerguntur. Hæc est enim vita sapientum, ut fortes sint in cunctis. Non enim augentur, dum honorantur; non mutantur, nisi in melius; non ut parvuli fluctuant vento honoris, sed semper eodem animo stant in Christo in charitate fundati, et fide radicati. O vera beataque fraternitas, quæ fratrem veneraris (6) devotum! o vera sanctaque fraternitas, quæ corripis dissolutum, quæ præsenti dulciter servis, quæ absentem non rodis, quæ sano applaudis, quæ infirmum non deseris, quæ placatum non provocas ad furorem, quæ iratum tyrannum in nullo metuis! o vera sanctorum Martyrum fraternitas, quæ nullis unquam casibus scinderis, quam non solum dissociare vel delere locorum vel temporum intervalla non prævalent, sed etiam nec mora ipsa divellere audet! Hæc est enim vera et indisrupta fraternitas, quæ geminata amicorum affectione ac virtute semper crescit. Ejus semel ictum fœdus, nec desideriorum varietas, nec contentiosa disrumpit contrarietas voluntatum.

II. Sed dicet quis: Hanc sanctorum Martyrum firmitatem tenere non possum; eos sequi non valeo; martyrium modo non invenio, quia in tempore pacis sum constitutus. O tu, homo, qui loqueris, attende quod «Omni tempore »diligit qui amicus est[1].» Omni tempore martyrium est. Nam mori a persequente in aperto martyrium est; et forte quod hoc martyrium nobis abest; sed ferre contumelias, odientem diligere, orare pro persequentibus, verba susurronum patienter portare, o quam grande martyrium est! Nam qui gladio occiditur, cito forsitan moritur; sed qui hoc in tota vita portat, quamdiu, quam longe, quam pœnose martyrium portat! Eia igitur, fratres, adjuvante Domino Deo nostro, si patientiam in tribulationibus non habuerimus, martyrii palmam non tenebimus. Sine ferro et sanguine martyres esse possumus, si patientiam in animo custodiamus. Quamvis enim occasio persecutionis desit, habet enim semper sancta mater Ecclesia martyrium; quia etsi carnis colla ferro non subdimus, spirituali tamen gladio desideria in mente trucidamus; et sic Martyribus sociati (7) semper cum Domino erimus. Amen.

SERMO LXXXII.

De Communi Confessorum, seu de Pœnitentia.

Abeat hic sermo eductus ex Bibl. Ædil., cod. x, fol. 51, in appendicem cum cæteris ejusdem originis. Locus ejus post præcedentem.

SYNOPSIS.

I. Pœnitentiæ fructus et dignitas. II. Exhortatio ad faciendam pœnitentiam. III. Idem exemplis confirmatur.

I. Fratres charissimi, scire vultis, ut audio, quanta sit virtus pœnitentiæ. Attendite, ut dicam, auxiliante Domino, quod potero. Fructus namque pœnitentiæ aufert quod minatur damnatio, et totum confert quod promittit salus. O fructus pœnitentiæ, mala æterna aufers, et bona æterna confers. Si enim fructum fecerimus (8) in ea, fructum capiemus; ex ea fructus quos facimus, ex ea præmium est. Si facimus fructus dignos in mundo, capiemus ex eis æternos fructus in præmio. Quid enim est pœnitentia, nisi dolor præteritorum? quid est fructus pœnitentiæ dignus, nisi delictorum satisfactio? Attendite ergo pœnitentiæ fructum et dignitatem; attendite pœnitentiam, primo cordis dolorem; attendite fructum per carnis macerationem et per oris confessionem; attendite dignitatem, cœlestemque mansionem. Tria autem sunt in pœnitentia, scilicet dolor præteriti, custodia futuri, et satisfactio delicti. Si ergo, o homo, securus vis esse, ne in futuro damneris, habeto dolorem præteriti, et cave de futuro; cave futura, corrige præterita et age pœnitentiam. Sacramentum pœnitentiæ namque (9), fratres, quid aliud est, quam exterior exhibitio operis? Sed res sacramenti est vera cordis contritio. Si ergo sacramentum suscipis, opere pœnitentiæ facias, ut habeto rem sacramenti in (10) contritione vera. Tanta est enim pœnitentia tua, quanta est devotio tua, quanta est contritio tua; contritio pro malo quod fecisti, devotio pro recuperando bonum quod omisisti. Nolite ergo tantum, fratres mei, dicere: Ego jejunavi, tantum vigilavi, tanta opera misericordiæ feci. Tantum in his omnibus fecisti, quantum in his omnibus profecisti. Nolite, fratres mei, nolite folia arborum numerare, sed fructus; scilicet nolite pensare paleam, sed grana. Opus sine contritione est sicut flos sine fructu. Contritio sine fructu, o quam modicum est! Non ergo pensare debemus bona quæ fecimus, quia incerti sumus utrum perseverare possimus. Agamus pœnitentiam ut non solum confessores, sed etiam Martyres Christo efficiamur. Matrem sanctitatis abstinentiam frequenter capiamus, ut in cœlis cum Domino gloriemur. Mater sanctitatis est abstinentia, sed mater ægritudinis est voluptas. Abstinere debemus ab aliquibus, ne comedamus, non quia

[1] Prov xvii, 17.

(1) Cod. *sanctorum*. — (2) Id. *magister*. — (3) Id. *pulsantes... frangentes... lanientes... evellentes*. — (4) Id. *licet compage undique retorta fuerint*. — (5) Id. *resolvi*. — (6) Id. *venereris*. — (7) Id. *socians*. — (8) Id. *feceris*. — (9) Id. *denique*. — (10) Id. addit *tanta*, quæ vix videtur abundare.

mala, sed quia non necessaria sunt. Per abstinentiam carnis vitia extinguuntur, et caro non occiditur; nam si chorda in cithara nimis extenditur, facile rumpitur. Sed quid prodest nobis corpus attenuare jejuniis et abstinentiis, si animus intumescit superbia? quid virtutis habemus vinum non bibere, si ira et odio quotidie inebriamur? Molestum tamen est carere assuetis voluptatibus, valde abstinere cibo, sitire et esurire. Sed attendite, fratres, miraculum, videte spectaculum, audite dulce præconium. Quid enim majus miraculum, quam tot juvenes, tot adolescentes, tot nobiles videre in carcere mundi triumphantes? Sine vinculis tenentur; solo Dei amore confisi in omni patientia perseverant. Numquid non (1) sicut ipsi, Deo favente, facere poterimus, fratres? numquid Deus deficit nobis? Radicis amaritudinem dulcedo pomi compensat; maris pericula spes lucri delectat; medicinam, dolorem spes sanitatis mitigat. Numquid qui nucleum desiderat, nucem non frangit? Pœnitentiam ergo agat qui vult adhærere æterno bono. Præconia Christi narrare non possunt, qui ad palmam indulgentiæ non meruerunt pervenire. O pœnitentia, tu languores sanas, tu leprosos curas, mortuos suscitas, sanitatem auges, ratiam conservas, gressum tribuis claudis, aridis copiam, cæcis visum, vitia fugas, virtutes exornas, et mentes tuorum corroboras!

II. Eia ergo, o peccator, non sufficit confessorem esse tantum ore vel nomine, sed opere et veritate. Non enim desperes, non diffidas. Ecce enim peccavit David, et solo verbo contritionis indulgentiam meruit. Numquid et Petrus non felicior factus est, postquam Christum negavit? numquid non fortior? numquid non constantior? Quia flendo doluit, longe majorem gratiam reperit post peccatum, quam amiserat (2). Nam nihil peccare solius Dei est, sed mala semper agere omnino nostrum est. Quis in sæculo peccavit enormius Paulo? quis in religione gravius Petro? Et tamen meruerunt assequi non solum ministerium per pœnitentiam, sed sanctitatem (3). Recordare etiam misericordiæ, quam filio prodigo pater evangelicus legitur impendisse. Non enim diffidere debemus, nec aliquem judicare viventem. Nam multa sunt de judicio quæ homines ignorant; et fortasse quæ laudamus Deus reprehendit, et quæ nos reprehendimus, ipse in fine laudabit. Quid ergo, fratres, in sæculo isto cum carne, quid in sæculo isto maligno? Fugiamus, obsecro, de medio Babylonis, ut salvare possimus animas nostras; transmigremus ad loca deserta; fugiamus urbes; intremus solitudinem, ut possimus de præteritis agere pœnitentiam, et in præsenti obtinere gratiam, et futuram gloriam fiducialiter præstolari. Non (3) vos retardet conscientia, quia ubi abundaverunt peccata, superabundare consuevit et gratia[1]; nec pœnitentiæ austeritas vos deterreat, quia « Non condignæ sunt passiones » hujus temporis ad futuram gloriam[2], » et ad præteritam culpam quæ remittitur.

III. Sed si verbis non creditis, operibus credite[3], exemplis acquiescite plurimorum. Currunt undique peccatores ad pœnitentiam; nihil credentibus impossibile, nihil amantibus difficile, nihil asperum mitibus, nihil humilibus arduum reperitur, quibus et gratia fit in auxilium, et obediendi devotio lenit imperium. Sic, fratres mei charissimi, sanctissimi Confessores fecerunt; sic et in sæculo fortiores Abraham comparuerunt; nam Abraham sua dimisit, et sancti viri sua pauperibus donaverunt; Abraham filium Deo obtulit, et sancti viri se ipsos Deo obtulerunt; Abraham ignem parat, filium ligat, gladium evaginat, sed Angelum audit prohibentem ne perficiat; sed sancti viri ad ignem positi tribulationum, tentationum, calamitatum, Christum prædicant, Christum magnificant, Christum glorificant, dicentes: « Quis nos separabit a charitate Christi? » ignis vel gladius[4]? » Et sic efficiuntur holocaustum Deo, accensi igne charitatis, et exterius fere combusti flamma martyrii et tribulationis. Quod enim martyrium gravius est, quam inter epulas esurire, et inter divitias paupertatem tenere, inter falsos patientiam habere, inter maledicentes benedicere? Hæc omnia donat mundus amicis Dei. Propterea pauperibus pariter et patientibus regnum cœlorum simul cum Martyribus promittitur, quia paupertate et patientia regnum cœlorum emitur, sed in passione pro Christo absque dilatione percipitur; et tunc mundo moriuntur, et capiunt quod promittitur. « O pretiosa mors sanctorum[5]! » o pretiosa plane tanquam finis laborum, tanquam victoriæ consummatio, tanquam vitæ janua, et perfectæ securitatis ingressus! O fratres, numquid et isti mori timebant, dum in carne vivebant? numquid mortem corporis timebant, quibus æterna vita jam promittebatur? Quis labores mortis timere debet, cum se in perpetua regna noverit collocandum? Eia ergo, fratres, discamus amodo benefacere, quiescamus agere perverse[6], distinguamus qualiter oculi vertentur obscurissimi in capite, qualiter venæ corrumpentur in corpore, qualiter cor in morte scindetur dolore. Bene ergo vivamus, ut mori non timeamus, sed læte moriendo mereamur cum Sanctis omnibus collocari. Amen.

[1] I Tim. I, 14. — [2] Rom. VIII, 18. — [3] Joan. X, 38. — [4] Rom. VIII, 35. — [5] Psal. CXV, 15. — [6] Isai. I, 16.

(1) Deest non in cod., et sic deinceps. — (2) Cod. amiserit. — (3) Id. *per pœnitentiam sanctitatis*. — (4) Id. *nam*.

APPENDIX

SERMONUM

SANCTI AURELII

AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

CLASSIS IV.

SERMONES

DE DIVERSIS.

SERMO LXXXIII.

Exhortatorius ad bene faciendum.

Hic sermo, ubi sanctus Augustinus pluries citatur, ob hanc solam causam dicitur sancti Augustini exhortatio. Eruitur ex Bibl. Florentina, Plut. LXXXIX *inf., Cod.* XXIV, *fol.* 190. *Pone illum in appendicem post sermonem* CCCXV *appendicis Maurinensis.*

Quia, ut ait Salomon, « Melius est enim ut hic ad tempus humiliter vitiis resistamus, quam cum dæmonibus » perpetuo puniamur (1), » charissime frater, nota quod tota Christi vita fuit in paupertate, castitate, et obedientia, et hæc sunt tria verba Religiosorum, in quibus ipsi vivere debent et mori. Item dicit beatus Hieronymus, quoniam qui vult vivere secundum Evangelium, tota ejus vita fit martyrium. Licet enim talis potus sit amarus, tamen morbum curat, et salutem confert æternam; unde Jacobus apostolus in Epistola sua dicit : « Quicumque voluerit esse amicus sæ-

(1) Textum hunc apud Salomonem diligenter quæsitum non inveni.

»culi hujus, inimicus Dei factus est[1]; » et alibi dicit: «Quicumque enim totam legem servaverit, offendit autem in «uno, factus est omnium reus[2]. » Item Augustinus: « Si non esset tentator, non esset tentatio; et si non esset tentatio, non esset prælium seu pugna; si non esset pugna, non esset victoria; si non esset victoria, non esset palma et gloria. » Unde dicit Dominus: Pugna, juvabo; vince, coronabo. « Non enim coronabitur, nisi qui legitime cer»taverit. » Item dicit Augustinus: « Qui creavit te sine te, non salvabit te sine te. O bone Jesu, hic uro me, hic me percute, hic me examina, hic me flagella, saltem et in futuro mihi parcas. » Amen.

SERMO LXXXIV.

De Mortuis et Consolatione remanentium.

Erutus hic sermo ex Bibl. Ædil., cod. x, *fol.* 59 *b, abeat cum cæteris in appendicem post sermonem præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Moriuntur omnes. II. Mortis doli. III. Deus homines tollendo, quod suum est, recipit. IV. Vanæ flentium excusationes. V. In charorum morte potius gaudendum. VI. Conclusio per exempla et exhortationem.

I. Fratres, quis est homo qui non videat mortem? Accedant omnes fortissimi; videantur omnes feroces; loquantur omnes principes et barones (1), qui terras et civitates componere voluerunt. Sonetur tuba, congregentur omnes in unum; veniat sanctus Pater Adam cum sapientibus suis, veniat Plato, Aristoteles, et ille clarus moralis Apostoli Pauli socius, qui tantum ascendere voluerunt, quo quomodo Deus esset principium mobile movens investigare voluerunt. Dicite nobis sapientes: vidistis mortem, timuistis eam, concussi estis, plorastis, et forte remedia cuncta parastis, ut mortem non videretis; et tamen ipsi (2) resistere non potuistis. Quare? quia « Nullus est homo qui »vivat et non videat mortem[3]. » Dicite ergo, o vos principes et barones, ubi sit potentia vestra? ubi potentia Heber gigantis, qui terribilia in terra et in mari fecit? ubi potentia Nerobo (3), qui magnalia fieri jussit? ubi potentia et victoria Assur, qui Ninive civitatem grandem ædificavit? ubi potentia et victoria Nachor junioris, qui Trojam destruere tentavit? ubi potentia et sapientia Torani, qui jura et leges in Græcia condidit? ubi potentia et sapientia Gathoniclis, qui græcas litteras primitus adinvenit? ubi astutia Borphæi, qui primo naves construxit et navigare primo cœpit? ubi speculator Eleas, qui picturas et sculpturas primo fabricavit? ubi potentia Segor, qui quingentos viros bellatores uno vomere occidit? ubi sunt qui conventus disponebant et festa? Omnes dicere possunt: Fratres, nullus hoc negare poterit, quod mortem non viderit, quod non cuncta dimiserit, quod non timuerit valde.

II. O mors (4) sævissima! o mors fidelissima! o mors necessaria! Rapis filios, nec compateris parentibus; rapis patres, nec parcis orphanis; rapis matres, nec pupillis parcis. O mors quam magna est potentia tua! quam fortis, quam mirabilis dominatio tua! Ubique magna, ubique terribilis, ubique summe timenda, ubique expectanda, quoniam non tardabis. Nam, o mors, quosdam rapis in antiquitate et senio, quibus dicis: Non veniam tempore hyemis, quia tempus sanitatis est; humores æquales sunt; cholera modo non crescit; ancore igitur vivas. Ecce quomodo in antiquitate senes rapis. Quosdam rapis in atrocitate et gladio, quibus dicis: Tempore veris tempus novitatis est; cuncta renovantur, egredere foras, vade venatum. Et egresso, ecce inimici jam veniunt vel feræ, ut venando eum devorent. Quosdam rapis in infirmitate vel lecto, quibus dicis: Non veniam, quia tempus æstivum est et jucunditatis; omnino non veniam. Ecce, qua hora non putant, egreditur mors. Quosdam rapis in calamitate et suspirio, quibus dicis: Estote securi, o pauperes; ecce fertilitas, inopiam non portabitis; quos mox cum aggrederis, nunquam saturaris, et nunquam dicis: Sufficit[4].

III. Quis est ergo homo, qui non videat mortem? Et ideo stupeo vos sanctæ catholicæ fidei participes, spe resurrectionis dotatos fideles, quomodo tantum de filiorum vel amicorum morte potestis dolere. Nunquam spes cum dolore concordat. Si ergo resurgendi, ut putatis, spem habetis, cur mortem amicorum ploratis? Numquid non (5) qui dederat abstulit? numquid non qui creaverat rapuit? numquid non qui vivere jusserat, ad tempus mori præcepit? Ipse denique commodaverat, ut cum eis habitaremus, quanto tempore voluisset, et, cum vellet, rursum sine dubitatione auferret. Nihil abstulit tuum, qui dignatus est hodie recipere suum; injuriam nomini facit; de eo conqueri nemo audeat. Nam licitum est recipere, in quacumque parte homo suum inveniat; quanto magis ille, qui ex nihilo cuncta creavit? Nolite ergo flere, nolite tristari, nolite turbari, quoniam suum rapuit, non alienum. Nolite flere super dormientes, sed super nos ipsos fleamus, dicentes: Peccavimus, Domine, sed miserere. Et iterum cum sancto viro Job vociferari mementote: « Dominus dedit, Dominus ab»stulit; sit nomen Domini benedictum in sæcula[5]. »

IV. Sed dicetis: Numquid Dominus non flevit? numquid Lazarum mortuum non ploravit? numquid et tu matrem defunctam apud Ostia Tyberina longo tempore non flevisti? « Medice, ergo primo cura te ipsum[6]. » O fratres mei, Dominum flevisse negare non audeo; sed quid flevit? Numquid Lazari mortem? numquid Lazarum dormientem? absit. Sed quid flebat? quid dolebat, nisi Lazarum resurgentem, ad miseriam revocandum (6)? Flebat igitur Dominus, quia cogebatur propter alios salvandos Lazarum sæculo revocare. Hanc vitam intrare Lazarum flevit Dominus, quam nos miseri dolemus ab amicis nostris ablatam. Flevit et episcopus vester non mortem matris, sed dolorem quem multis annis propter me passa est.

V. Eia igitur, fratres, non fleamus, sed gaudeamus, quia de (7) aliena provincia mundi transivit ad Dominum, et de hostili miseria transivit ad cœlum. Non luctus debet incutere quemquam fidelem, cum de peregrinatione meruit volare ad patriam? Quare hoc? quare meruit volare ad patriam? quia luxuriose non vixit; quia licet aliquando peccaverit, tamen Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum non negavit, sed credidit et adoravit; ideo inanis et vacuus non creditur recessisse, quia christianitatis mercatus est lucrum. Sed quis est qui christianitatis lucrum possit mercari? Solus ille qui bene vixerit. Et quis est qui bene vixerit? Solus ille qui Dei voluntatem adimplevit vel adimplere potuit? Solus ille qui dicere potest: « Renuit con»solari anima mea, memor fui Dei[7]; » quorum numerus brevis est. Quomodo hoc scimus? quia hoc fieri videmus. Ecce nihil in Deo delectamur, sed in (8)..., in equorum cursu, in accipitrum volatu, in mulierum venustis aspectibus, in vestimentorum varietatibus, in campis, in pratis florentibus. Et quid plura? Ecce puer in pomo, vetula in

[1] Jacob. IV, 4. — [2] Id. II, 10. — [3] Psal. LXXXVIII, 49. — [4] Prov. XXX, 15, 16. — [5] Job. I, 21. — [6] Luc. IV, 23. — [7] Psal. LXXVI, 4.

(1) De verbo *barones*, vide serm. ad fratres in erem. XXVIII, et XXXIII. — (2) Cod. *sibi*. — (3) Sic cod.; forte legendum *Nemrod*. Nomen hoc et sequentium plura mendosa prorsus videntur; quæ restituat qui voluerit. — (4) Deest *mors* in cod. — (5) Deest *non* in cod., et sic deinceps. — (6) Cod. *revocantem*. — (7) Deest *de* in cod. — (8) Desunt quædam deleta in cod.

pecunia, rex in regno, miles in ense, rusticus in temporis temperie sperat. Ecce quomodo pauci sunt, qui dicere possint: « Renuit consolari anima mea, memor fui Dei. »

VI. Et ideo, fratres, nolite inique agere, nolite mortuos flere; sed vestra et eorum peccata discite deplorare; discite perditum tempus recuperare; discite eleemosynas dare; discite confessionem devote suscipere et sacramenta. Ecce, ut videtis, magna quodammodo nos visitat et inaudita calamitate (1). Multi enim apud Hipponem heri comederunt, et riserunt, et festum fecerunt; sed ut videtis, hodie ad tumulum deportantur. Et ideo festinamus, non cras, sed hodie, confiteri et deplorare non mortuos, sed peccata, ut diximus. Discite etiam mane et sero dicere: A subitanea et improvisa morte libera nos, Deus Israël; et sic Dominus dignabitur nos exaudire, ut (2) pro nunc non moriamur. Scitote tamen, quod statutum est cunctis viventibus semel mori[1]; et ideo si supervixerimus, scitote quod minatur nobis Dominus. Ipse enim pius est, et nunc fame et mortalitate nos punit, ut nos ipsos agnoscentes revertamur ad eum. Nobis etiam minatur, quando propinquos nostros de medio nostrûm tollit. Ideo, fratres, etiam revertamur ad eum, ut fuga nostra non fiat in hyeme[2], aut in tempore frigoris nec pœnalitatis; sed in calore charitatis inveniamur accensi, quando merebimur vocari a Domino de ergastulo mortis hujus. Adjuvet nos et liberet nos ipse Deus, sicut liberavit tres pueros de camino ignis ardentis. Amen.

SERMO LXXXV.

De Morte.

Eruitur hic sermo ex eadem Bibl. Ædil., cod. x, fol. b. Sit in appendice post præcedentem.

SYNOPSIS.

I. Mala hujus vitæ ad optandam mortem nos impellunt. II. Bona mors quam beata. III. Morbi dolores Dei venientis monitum.

I. Fratres charissimi, o si vitæ istius naufragio atque compendiosæ mortis comparando commercio cogitaremus, quam fastidiose, o quam inenarrabiliter, o quam tædiose tæderet vivere! Sed o quam festinanter mori in Domino concupisceret unusquisque! o quam bene mortui qui in Domino moriuntur! Nam ut collationem quamdam breviter faciamus, conferamus, si placet, de vita præsenti, quæ initium dolorum est, et quasi per amicum litigium, quid potius appetendum sit male vivere, an bene mori discutiamus. Nam bene vivere dicere audeo quod nemo potest: « Omnis enim homo mendax est[3]. » Ideo Apostolus videns aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis, exclamabat: « Cupio dissolvi et esse cum Christo[4]. » Denique quis vivere potest sine molestiis? Nam esurire, sitire, falsari et omnia mala pati commune nobis est, et omnium nostrum est. Et vere omne malum amicus noster est. Quare? Nisi quia nunquam nos relinquit; semper tecum est; nunquam hominem deseruisse malum perlegimus. Amica domestica cuncta mala nobis sunt, et quæ intra nobis sunt, cupire, amare, odisse, fornicari, occidi, rapere vel furari, nonne hæc omnia amica nostra sunt? Omnino negare non possumus. Quis ergo a passionibus mundus erit? quis a labe peccati innocens? quis sine peccato vivere potest? Ergo omnis homo mendax, omnis homo fallax. Denique audacter prænuntio, quia vitæ principium hominis, initium doloris est, calamitatis et miseriæ. Hæc enim quæ dicimus, etiam philosophi nostri Carthaginenses non ignoraverunt, quando in ortu puerorum lugebant; sed moriendo gaudebant, et epulabantur quotidie splendide, credentes et scientes quod homo ad laborem nascitur, et ad requiem moritur. O mors desiderabilis; o mors amica amicorum Dei, omnium laborum præsentium finis, o mors, laboris mei requies, et quietis meæ principium, quis poterit tuas utilitates enarrare? Nam mala mori Christianorum non est, sed bene mori, cum Christo vivere est. O futuræ beatitudinis mors et felicitatis principium! Valeas, fidelissima amicarum, quoniam si possem te libenter rapere, libenter te gustarem. Omnes enim cogitationes meæ, omnes labores mei te expectant, et instigant me ad amorem tuum, ut tempestiva venias.

II. Cur ergo mori times, o serve Dei? An ignoras quod dictum est: « Beati mortui qui in Domino moriuntur[5]? » Qui sunt isti qui in Domino moriuntur, nisi illi qui hospitem receperunt, nudum induerunt, famelicum saturaverunt, infirmos visitaverunt, mortuos sepelierunt, qui justitiam servaverunt, qui falsum testimonium non fecerunt, qui sanguinem non effuderunt, qui usuram vel rapinam non commiserunt? Isti sunt illi beati qui in Domino moriuntur, ad quorum recessum panduntur cœli, lætantur Angeli, et omnes Sancti obviam occurrunt intrantibus (3) sanctam civitatem. O quam beatus eris, o homo, si hospes Dei fueris et cœlorum civis, et si in civitate illa cœlesti moram perfeceris! Tunc enim in die tui exitûs Deus gratias referre non pigrescet, dicens Dominus (4) servo, Creator creaturæ: Gratias tibi ago, quia hospes fui et collegisti me; et ideo veni; benedicte Patris mei, recipe regnum Dei; pro temporalibus recipe æterna, pro corruptibilibus cœlestia, pro transitoriis felicissima suscipe sempiterna. Sed ad tantam felicitatem adipiscendam non solum sufficit bene agere, eleemosynas dare, nudos vestire; sed etiam declinare oportet a malo.

III. Ecce enim nos Salvator invitat ad amorem cœlestis patriæ, nos introducere cupit, et cupiens nos orantes et mundos aggredi, nos primo visitare dignatur. Febres veniunt, dolor capitis sentitur, venter dolet, stomachus inflatur; hæc enim sunt dona Dei. Hoc est bonum quod tibi promittit; hic est præco, qui clamat ut pœniteas, ut confitearis, ut viaticum digne suscipias. Et ideo dum infirmamini, fratres, statim paretis vos ad mortem, inducatis tam cito presbyteros, petite confessionem; eucharistiam et unctionem petere festinate. Quibus receptis, veniet Doctor doctorum, qui pro salute nostra mori dignatus est, et secure pertranseat, quoniam inveniet in te mansionem paratam, et Beati Angelis associati indefessa voce cantare non desistent: « Gloria in Altissimis Deo et in terra pax hominibus bonæ voluntatis[6]; » quod nobis concedat ipse qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Hebr. IX, 27. — [2] Matth. XXIV, 20. — [3] Rom. III, 4. — [4] Philip. I, 23. — [5] Apoc. XIV, 13. — [6] Luc. II, 14.

(1) Deest vox *calamitate* in cod. — (2) Cod. *et*. — (3) Id. *intrantes*. — (4) Id. *Domino*.

quomodo incarceratum visitemus, ut nemo sit qui conqueratur; et si omnes tales opera adjuvare non possumus, saltem bona voluntate activi esse debemus, per Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

SERMO LXXXVI.

De Vita activa et contemplativa. Ad Presbyteros.

Exit, ut præcedentes, hic sermo ex Bibl. Ædil., cod. 2, fol. 53; unde sit in appendice post præcedentem.

SYNOPSIS.

I. Duæ uxores Jacob, Lia et Rachel, vitam activam et contemplativam significant. II. Beatior tamen vita contemplativa, quæ bene aliquando activæ miscetur.

I. Legimus, fratres charissimi, quod Jacob duas uxores habuit, Liam videlicet et Rachelem (1); una lippis oculis erat, altera clare videbat; una in filiis fœcunda erat; altera fere duos filios habere potuit; et septem annis servivit pro Lia, et septem aliis annis pro Rachele. Jacob iste, dilectissimi, Deum Patrem significat, qui sibi quotidie per adoptionem filios generat. Duæ uxores, duæ vitæ sunt, quibus homines et servi Dei insistunt, activa videlicet vita et contemplativa. Lia activam, Rachel contemplativam significat; Lia enim Labor interpretatur, quia activa vita in labore mundi, Deo tamen serviendo desudat. Deo servit, dum pauperes recipit, dum pascit, dum vestit, dum visitat, dum consolatur, dum sepelire festinat; sudat etiam et Deo servit, dum filiis, uxori, sibi et famulis legitime acquirit unde vivant (2), et unde etiam pauperes Christi pascantur. Lippa tamen dicitur Lia, quia quamdiu sumus in sæculo, clare Deum videre non possumus; et tamen fœcunda est, quia plures activi, sed pauci contemplativi reperiuntur in sæculo. Rachel autem dicitur Videns, quia contemplativi et simplices, innocentes sunt velut oves, et a tumultu sæculi sunt separati, ut in solitudine contemplationi vacantes videant clarius illum qui ait: «Ego principium qui et loquor vobis[1].» Unde non lippa, sed formosa et clare videns dicitur, quia duos filios habet, quia duo sunt genera contemplativorum. Aliqui vere conversantur in communi, ut sancti Apostoli et prædicatores; aliqui segregati a gentibus, sicut sunt fratres mei. Unde duorum unus vocatur Joseph, alter filiorum vocatur Benjamin. Joseph enim Augmentum dicitur multitudinis; sed Benjamin, Filius dexteræ, solum Deo viventem et solitarium dexteræ tantum Dei hærentem (3), non omnes significat. Septem anni, vitam, quæ septem diebus volvitur significant, in qua homo acquirit vitam activam vel contemplativam.

II. Sed beatior est atque perfectior contemplativa, quam activa, dicente Domino: «Si vis perfectus esse, vende omnia[2]. Hanc partem elegit Maria quæ non auferetur ab ea[3].» Activa vero quotidie aufertur; sed contemplativa semper perseverat; activa semper in præsenti est, sed contemplativa incipit in præsenti et perficitur in futura, quia ibi videbimus Deum facie ad faciem[4], sicuti est[5], quem hic per speculum[6] consideramus. Hic etiam, fratres, aliqui activi sumus, quia opere misericordiæ impediti sumus, intendentes quomodo pauperes, ut nullus esuriat, pascamus, quomodo potum tribuamus, ut nullus sitiat; quomodo nudum induamus, ut nullus frigescat; quomodo mortuum sepeliamus, ut eorum cadavera in platea non jaceant;

SERMO LXXXVII.

Ad Sacerdotes.

Eruitur hic sermo ex eadem Bibl. Ædil., cod. 2, fol. 25. Sit in appendice post præcedentem.

SYNOPSIS.

I. Quæ virtutes Sacerdotibus conveniant. II. Nemo de Sacerdotibus male loquatur, sed illos honoret. III. Quanta cura examinandi ab Episcopis consecrandi. IV. Adhortatio ad Clericos.

I. Sacerdotes dilectissimi, tria sunt genera hominum quæ odit Deus, scilicet remanentem, retro redeuntem, aberrantem. Ideo vos qui præestis, ad vos pertinet excitare remanentes in malis, errantes revocare ad viam, et tardos pigrosque excitare, ne amplius dormiant. Qui non proficit, remanet in via; qui pejor efficitur, retro revertitur; sed qui fidem deserit, omnino in morte dormit. Ad vos ergo, Sacerdotes Dei, pertinet excitare remanentes, errantes revocare, sed et dormientes semper increpare. Considerate ergo, antequam hæc omnia faciatis (4), quibus virtutibus fulgeatis; considerate quid sit populo præesse; considerate quale sit divinis sacramentis insistere. Tales namque (5) convenit sinceritas sacramenti, qualia sunt sacramenta Christi, ex quibus exhibent officia servitutis; ne circa Deum offendant ipsi quod tractant, aut circa populum incipiant impedire quod prædicant. Inordinata namque multitudine Sacerdotum hodie datur contemni nostræ redemptionis venerabile sacramentum. Nam qui debent esse vicarii Apostolorum et socii Petri, facti sunt hodie socii Judæ. O grandis dignitas Sacerdotum, sed grandis ruina, si peccant. Lætemur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum. Non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti mœroris est de sublimioribus corruisse. Nec solum pro nostris debitis reddemus rationem, sed pro omnibus quorum abutimur donis. Considerate igitur Sacerdotum esse officium, de Lege interrogatos respondere. Nam qui Sacerdos est, de Lege Domini numquid debet interrogare? Absit. Sed si ignorat, se ipsum arguit non esse Sacerdotem Domini. Sacerdotum ergo est scire Legem, et interrogatos de Lege, respondere (6). Sacerdotum est caste vivere, pie, sobrie, non despectam vetulam in domo tenere, nec in aliquo obsequio. Magis namque cito delinquitur, ubi sine suspicione securum potest esse delictum; maxime quia delictum nullam deformitatem despicit. Sacerdotum est vinum compotantium (7) societates fugere; turpe est enim Dominicum corpus tangere et convivia frequentare. Sacerdotum est animarum curam pro Domino suscipere, ut errantes doceant, mœstos consolentur, pauperes sustentent, ut pœnitentes ad salutis remedia pertrahant, pupillos gubernent, et secum plures ad Deum festinent perducere.

II. Multos tamen cognovi, qui plus Sacerdotum vitam, quam suam discutiunt. Tales in foveam dilabuntur erroris, quia more hypocritarum trabem suam non considerantes,

[1] Joan. VIII, 25. — [2] Matth. XIX, 21. — [3] Luc. X, 42. — [4] 1 Cor. XIII, 12. — [5] 1 Joan. III, 2. — [6] 1 Cor. XIII, 12.

(1) Vide Augustin. de Consensu Evang., lib. 1, num. 9, et contra Faustum, lib. XXII, num. 52, et seqq. — (2) Cod. vivat. — (3) Id. habentem. — (4) Cod. faciant. — (5) Cod. denique, et sic deinceps. — (6) Id. respondeant. — (7) Id. scelerum conjurantium.

festucam tenuem in aliorum oculis considerant. Sacerdotum est ergo se ipsos summe custodire, ne se ipsos et populum scandalizent, ut qui pro Domino animarum curam susceperunt, studeant ut errantes doceant, consolentur mœstos, visitent infirmos in omni charitate et dilectione. Sed qui in sæculo sunt, caveant ne Sacerdotum vitam dilacerent, etiamsi Sacerdotes mali inveniantur; sed si forte fecerint, eos cum omni reverentia et charitate reprehendere festinent. Sedulo sacerdotii aspice dignitatem; nam per eos agitur in terra, quod negotiis cœlestibus continetur. Non enim homo, non Angelus, non Archangelus, non alia aliqua creatura, non Virtus, non Seraphim, non Gabriel, non Raphaël, sed ipse Spiritus sanctus hoc munus instituit, hoc Filius confecit, hoc Pater plenarie manifestavit, atque adhuc in carne hominibus permanentibus ministerio fungi sancta Trinitas præstitit Angelorum. O Sacerdotes, per vos Christum induimus et docemur! Numquid ergo non (1) a nobis magis quam reges et judices, vel parentes honorandi sunt? Et ideo sapientissimum esse oportet, et perspicacem in omnibus Sacerdotem, et mille, ut dicitur, ex omni parte oculos habentem; qui non solum sibi, sed et populo vivat, ut origo sit et fundamentum cunctarum virtutum.

III. Attendere et diligenter prospicere debent Episcopi nostri, ne indignos ordinent Sacerdotes; nam eisdem subjacent pœnis, quibus illi qui sunt ordinati, etiamsi dicant se illorum vitia ignorasse. Dico eis audacter cum Apostolo ad Timotheum: « Manus cito nemini imposueris, ne particeps sis eorum peccatis [1]. » Imo ex hac excusatione gravius peccare videntur, quoniam promoverunt quem ignoraverunt.

IV. Attendamus ergo, o Clerici, qui columnæ templi videmur, ne pro populorum nostræ auctoritati (2) subditorum iniquitate damnemur, si eos ignorantes non erudimus, aut peccantes non arguimus. Summa enim diligentia, summa charitate, summo desiderio et fervore nos qui pastores sumus, consolemur afflictos, pascamus egenos, induamus nudos, redimamus captivos, suscipiamus peregrinos, desperatis veniam promittamus, bonos custodiamus, et quidquid ad nostrum officium pertinet, constanter exerceamus, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXXXVIII.

Ad Virgines Monasterii sui.

Sit post præcedentem in appendice hic sermo erutus ex Bibl. Ædil., cod. 1, fol. 51 b.

SYNOPSIS.

I. Quæ virtutes Virginem Christianam decent. II. Virgines Angelis quasi superiores. III. Adhortatio ad servandam hanc divinam virtutem.

I. Decet Virgines Christianas non solum corporis sed mentis virginitatem servare. Quid enim prodest integra caro, mente corrupta? Melius est humile conjugium, quam superba virginitas. Quid est integritas mentis vel virginitas, nisi integram fidem, solidam spem, et sinceram charitatem servare? Decet igitur Virgines Christianas agnoscere quibus præceptis conveniant insistere, a quantis vitiis debeant abstinere, si volunt et in sæculo positæ cum Deo esse, et (3) cum eodem post vitæ præsentis resolutionem in claritate cœlesti regnare. Decet igitur primo Virgines Christianas publicos aspectus vitare, platearumque frequentiam summe odisse, in domo stricte orare reclusas (4), et postmodum operi benefico insistere. Decet Virgines Christianas non ornatu capitis, nec habitu comæ, nec oculis erectis, sed incultis (5) crinibus, ad terram vultu deposito incedere, ne in se viles inducant amores. Decet Virgines Christianas penitus abstinere in conversando ab omni sermone vel rixa, et cum silentio et disciplina totam suam (6) vitam ornare. Non decet Virgines Christianas se de (7) pulchritudine jactare, nec de divitiis, nec de generis nobilitate; sed in Dei humilitate et paupertate spiritûs Christo acceptæ debent, quandiu vixerint, permanere.

II. O quanta virginitatis gratia! o quanta sanctorum et sanctarum Virginum constantia! Supergreditur enim virginitas omnem conditionem humanæ naturæ, per quam Angelis Virgines majores æstimantur. Salva sanctorum Angelorum reverentia, major est victoria Virginum quam Angelorum. Angeli sine carne vivunt, sed Virgines in carne triumphant; Angeli Deum vident, sed Virgines Deum videndo, ipsum semper sequuntur; Angeli nec (8) comburi, nec lædi in aliquo possunt, sed Virgines ad ignem conductæ non læduntur in aliquo; super Angelos Deus sedet, et super Virgines Deus recumbit; fortes sunt Angeli, sed fortiores sunt Virgines; pulchri sunt Angeli, sed pulchriores sunt Virgines; virtutes Angeli et mirabilia operantur, sed majora per Virgines ostenduntur; admirabiles sunt Angeli, sed mirabiliores in sexu fragili sunt Virgines. O sancta et immaculata virginitas, quæ a Christo eligi meruisti, ut esses (9) corporale Dei templum, in quo corporaliter habitavit plenitudo divinitatis! O virginitas quæ mundi salutem genuisti, quæ cunctorum Dominum peperisti, quæ universorum Deum et hominem parturisti.

III. Amate hanc virginitatem, Virgines Deo sacratæ, ut sponsæ Dei mereamini effici. Claudite vasa vestra, ne perdatis odorem unguentorum vestrorum; claudite oculos, ne videant vanitatem; claudite singula corporis membra, servate ea, cui illæsa servare promisistis. Fugite non solum alienorum consortium, sed et cum parentibus nolite multum conversari. Quid enim loqui sæculares possunt, nisi quæ sæculi sunt? Cavete igitur ab eis. Audacter denique loquor, cum omnia possit Deus; sed suscitare Virgines post ruinam, omnino mihi credere forte est. Custodite ergo vigilantes (10) mentem virginitatis vestræ, parate lampades vestras, accendite eas, emite oleum humilitatis, ardete in charitate, estote Virgines mente, quia Virgo carne, non mente, numquid præmium habet? Amate fortiterque astringite virginitatem, ecclesiastici germinis decus et ornamentum gratiæ, portionem gregum Christi, Angelorum sororem, libidinum victoriam, et possessionem cunctorum bonorum, quod nobis concedat ille qui est benedictus in sæcula. Amen.

[1] 1 Tim., v, 22.

(1) Deest *non* in cod. — (2) Cod. male *nostro Clericorum*. — (3) Id. *ut*. — (4) Id. *reclusas*. — (5) Deest *incultis* in cod. — (6) Cod. *earum*. — (7) Deest *de* in cod., et sic deinceps. — (8) Deest *nec* in cod. — (9) Cod. *omnes*. — (10) Id. *et vigilate*.

SERMO LXXXIX.

De Consecratione Ecclesiarum.

Idem dicendum de hoc sermone ac de præcedentibus, utpote qui eruatur ex Bibl. Ædil., cod. 1, fol. 51 b. Locus ejus post præcedentem.

SYNOPSIS.

I. Ecclesiæ Christi templo Salomonis sanctiores. II. Ecclesiam Jacob figuravit. III. Quid agendum in ejus Consecrationis solemnitate. IV. Ecclesiæ laus, ad quam nobis est confugiendum.

I. Audistis, fratres charissimi, quod Salomon ædificavit domum Domini in Jerusalem annis septem, et dedicaverunt et sanctificaverunt eam in octavo anno Rex, et filii Jerusalem, et (1) Sacerdotes; et fecit Salomon festivitatem celebrem, et cum eo multitudo magna, et oravit Rex ad Dominum dicens: « Exaudias, Domine, orationem servi » tui, et populi tui in loco isto, et si peccaverit tibi homo, » quia non est qui non peccet et egeat pœnitentia, et oraverit in loco isto, parce ei, Domine[1]. » Et ait Dominus ad Salomonem: « Exaudivi orationem[2], » et fiet, si invocaverint me in loco isto. Omnia enim, fratres, quæ facta sunt in antiqua lege, figura novæ fuerunt; ideo templum Domini ab antiquis factum est, ut et nostræ dedicationis templum sit. Si enim domus Domini vocata est, ubi bestiæ immolabantur, multo magis Ecclesia nostra, ubi carnis et sanguinis Domini celebrantur sacramenta. Et si in illa se exauditurum Dominus repromisit, quanto magis et nos in ipsa exaudiet? Et si magna festivitas celebrata est tunc, et nos quantum gaudium facere ibidem debemus? Quam tamen dedicationem in octavo anno celebrasse dicitur, quia in die nostræ resurrectionis, quæ octava dicitur, post ipsius hujus vitæ tempus, quod per septem annos designatur, summa festivitas supernæ civitatis celebratur. Et ideo in Consecratione nostrarum Ecclesiarum, in unum convenire debemus, casti, sobrii, misericordes, humiles, benigni, et orantes, non loquentes sicut mulieres nostræ faciunt, sed flentes, ut sentiamus (2) auxilium.

II. Hanc festivitatem Deus in sua præsentia dignatus est visitare. Hanc etiam Jacob figuravit, qui (3) dum fugeret a facie fratris sui Esau, relicto patre, et iret ad Laban petiturus uxorem, in itinere tulit de lapidibus et supposuit capiti suo; et dum dormiret vidit scalam usque ad cœlum directam, et surgens tulit lapidem, et erexit altare per modum tituli, et effundens oleum dixit: « Vere locus iste » sanctus est[3]. » Jacob Christus est, qui relinquens Patrem, carnem assumendo, fugiens a facie fratrum suorum Judæorum, dum pergeret ad Laban in mundo, dormivit in cruce, et tulit lapidem et supposuit capiti suo, dum humanitatem subjugavit Divinitati. Divinitas caput est Christi, quia caput Christi Deus; scala ad cœlum est ascensio graduum virtutum; Angeli ascendentes et descendentes sunt prædicatores, qui annuntiant regnum Dei. Ascendit inter cæteros Joannes, quando dixit: « Verbum caro factum » est[4]. » Descendit Paulus, dum dixit: « Prædicamus Christum et hunc crucifixum[5]. » Numquid et ipse non (4) ascendit, cum arcana Dei vidit et audivit.

III. Eia ergo, fratres charissimi, in hac sacra Ecclesiarum solemnitate, cum (5) licet, confitendum. Prius tamen culpam nostram debemus (6) recognoscere, nos postea sacerdoti ostendere, et ultimo medicinam manducare. Sicut namque (7) diversæ herbæ diversis infirmitatibus conveniunt, sic diversæ medicinæ morbis peccatorum, ut alius maceretur jejunio, alius oratione, alius carcere, alius itinere, alius lacrymis, alius eleemosynis, alius in tumultu mundi contra mundum, alius extra mundi strepitum fugiens. Et si in virtutibus abundantes sumus (8), in sanctam Ecclesiam intrantes et indubitanter petentes, dabitur nobis quod petimus.

IV. O sancta Ecclesia veneranda! o dilectissima mater fidelium astringenda! o sponsa Christi diligenda! In te perfectio omnis acquiritur, in te peccator Angelus efficitur, in te omnis petitio exauditur. Tu in altari Christi nata es, tu ab initio mundi in Adam figurata es. Misit enim Dominus soporem in Adam, et tulit unam de costis ejus, et fecit mulierem. Dormitio Adæ, mortem Christi significat, quo in cruce pendente, sanguis et aqua de latere ejus fluxerunt[6]; quæ duo sacramenta sunt ortûs Ecclesiæ. Noë etiam arcam fabricavit, ut in ea salvarentur omnes. Josuë etiam templum Domino construxit (9), et in capite templi altare lapideum fieri jussit, columnas per medium posuit, fenestras fabricavit, et in liminaribus ostiorum duodecim panes posuit. Altare Christus est; columnæ sunt Apostoli et doctores; parietes, duo populi; fenestræ vulnera Christi, et duodecim panes, duodecim articuli fidei sunt, quos in sancta Ecclesia masticare et manducare debemus. Ad hanc igitur Ecclesiam, fratres charissimi, fugiamus, hanc prosequamur (10), quia in hac salvamur, in hac audimur, in hac cum Deo loquimur et sanctis Angelis pares efficimur. Quærite igitur in Ecclesia faciem ejus semper[7]; sed si semper quæritur, quando invenitur? An semper dixit, in tota vita qua hic vivitur? Ex quo hoc debere nos facere cognoscimus: vel etiam quando inventus est, quærendus est. Jam Deum invenit fides, sed adhuc quærit eum spes. Charitas autem invenit eum per fidem, sed adhuc quærit eum per spem. Ubi tunc sic invenitur, ut ultro non quæratur? Forte et cum facie ad faciem « viderimus eum, sicuti est[8], » adhuc etiam perquirendus erit, et sine fine amandus. Quæramus ergo inveniendum, quæramus inventum, ut inveniendus quæratur occultus, et inventus quæratur manifestus (11). Quæramus ergo et inveniemus; et si non cito, ut cupimus, nolite tamen, fratres mei, diffidere, quia quod difficilius et longius quæritur, dulcius invenitur, fortius astringitur, et charius possidetur. « Quærite ergo Deum » dum inveniri potest[9]; » sed modo non potest videri, sicuti est, et nobis prope est; invocemus eum, quia « Ipse est » Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo[11], » qui est benedictus in sæcula. Amen.

[1] 3 Reg. viii, 30-40. — [2] Id. ix, 3. — [3] Gen. xxviii, 16, 17. — [4] Joan. i, 14. — [5] 1 Cor. ii, 2. — [6] Joan. xix, 34. — [7] Psal. civ, 4. — [8] 1 Cor. xiii, 12. — [9] 1 Joan. iii, 2. — [10] Isai. lv, 6. — [11] Psal. xci, 16.

(1) Deest *et* in cod. — (2) Cod. *sentiant*, nec habet *ut*. — (3) Hæc verba *figuravit, qui* desunt in cod. — (4) Deest *non* in cod. — (5) Cod. *qui*. — (6) Id. non habet *debemus*, et postea habet *se* pro *nos*. — (7) Id. *denique*. — (8) Deest *sumus* in cod. — (9) Hæc Scripturæ sunt opposita, et nomen *Josuë* hoc male irrepsisse videtur. (10) Cod. *persequamur*. — (11) Id. *immensus*.

APPENDIX

SERMONUM

SANCTI AURELII

AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

TRACTATUS.

LIBER

De Numero.

PROLOGUS.

Hic Prologus, qui legitur in Cod. Cass. CLX, *fol.* 1, *cum nomine sancti Augustini, huic minime tribui potest, cum agatur de Rogationibus, quæ nonnisi post annum* 462 *fuerunt primo a sancto Mamerto institutæ, id est, triginta et amplius annis post sancti Doctoris obitum. Subjungimus duo fragmenta quæ pariter leguntur in cod., et in quorum ultimo quædam sunt Augustiniana. Locus ejus in appendice.*

De numero igitur, dilectissimi, Deo adjuvante, pauca dicturi sumus secundum modulum ingenioli nostri, sed tamen ex auctoritate majorum collecta. Primum nobis interrogandum est unde primum hæc ars, quæ numerus vel computum dicitur, initiaverit; deinde postea scire debemus ex qua radice sapientiæ numerus processerit. Scimus enim quod omnis sapientia sive divina, sive humana, philosophia nuncupatur, et illa philosophia in tres partes dividitur, et pars philosophiæ, quæ dicitur physica, in quatuor partes divisa videtur. Sic etiam et ethica, secunda pars philosophiæ, quatuor divisiones habet. Tertia autem logica duas divisiones. Ex qua ergo divisione hæc ars numeri procedat, demonstrare necesse est. Et postea etiam scire convenit quis primus invenerit numerum apud Hebræos, et Chaldæos, et Ægyptios, et apud Græcos et Latinos. Ac deinde investigari oportet quomodo numerus in linguis principalibus nuncupetur, hoc est apud Hebræos, et Chaldæos, et Persas, et Ægyptios, et Macedones, et Græcos, et Latinos. Et illud nomen, quod dicitur numerus, utrum simplex sit (1), an compositum, utrum primitivum sit an derivativum (2), et quomodo definiatur scire nos convenit. Dehinc etiam interrogare debemus quomodo numeri numerentur apud Græcos ab uno usque ad mille et myriades, et quæ notæ significent illos numeros apud Græcos. Necnon etiam scire nos oportet, quæ notæ significent istos numeros ab uno usque ad mille et myriadas apud Latinos. Deinde etiam opportune interrogandum est, quot sint divisiones temporis, et quomodo illæ divisiones majores crescant de minoribus. De atomis etiam tractandum est, de momentis, de minutis, de punctis, de horis, de quadrantibus, de diebus, de hebdomada, de mensibus, de ordine mensium, de inventione eorum, et in quo numero fuerint menses apud

(1) Cod. *et simplex est*, et sic deinceps. — (2) Id. addit *sit*, et deinde habet *definitur*.

antiquos Romanos, et quo tempore menses nuncupati sint et inventi, et in quo numero dierum menses sint in sole et luna, hoc est, anno communi, et embolismi et in anno solis, et quomodo inter se dissentiant, et conveniant, et qui primi menses solares invenerint, et quomodo menses nominentur apud Hebræos, et Ægyptios, et Macedonas, et Græcos, et Latinos. Et postea investigandum est de quatuor temporibus anni. Deinde etiam tractandum est de annis, et quot sint genera annorum. Item de numero annorum ab origine mundi usque ad Incarnationem Christi. De indictionibus Romanorum, de cyclo decennovennali, de cyclo epactarum in kalendis aprilis, de epactis quæ currunt in kalendis januarii, de epactis in kalendis duodecim mensium, de feria in omni die, de feria in termino paschali, de bissexto, de luna in qua hora vel in quo puncto aon ætas commutetur, de luna quot horis luceat in unaquaque nocte, de initio Quadragesimæ, de terminis paschalibus, de Pascha, de terminis Rogationum, de Rogationibus, de prima luna primi mensis, de concurrentibus.

Sanctus Augustinus loquitur de annis.

A V idus februarii usque ad V idus maii tempus verni est; dies sunt XCI. A V idus maii usque ad V idus augusti tempus æstatis est; dies sunt XC. A V idus augusti usque ad V idus novembris, tempus autumni est; dies sunt XCII. A V idus novembris, usque in idus februarii tempus hyemis est; sunt dies XCII.

Augustinus.

De annis quadraginta sex ædificationis templi. VI, VIIII, XII et XVIII, hæc insimul fiunt XLV. Adde ergo I, et fiunt XLVI. Hos sexies si ducas, fiunt CCLXXVI. Dicitur autem conceptio humana sic procedere, et perfici, ut primo sex diebus quasi lactis habeat similitudinem, novem diebus convertatur in sanguinem, et deinde duodecim diebus solidetur; reliquis decem et octo formetur usque ad perfecta lineamenta omnium membrorum; ex hinc jam reliquo tempore, usque ad tempora partûs, magnitudine augeatur. Ad quadraginta quinque dies, addito uno, qui significat summam, quia VI, et (1) VIIII, et XII, et XVIII in unum computati fiunt XLV, addito ergo, ut dictum est, uno, qui cum fuerint multiplicati, per ipsum senarium numerum, qui hujus ordinationis caput tenet, fiunt CCLXXVI, id est, novem menses et sex dies, qui computantur ab octavo kalendis aprilis, quo die conceptus est Dominus Creator, qui eodem die etiam passus est, usque ad VIII kalendas januarii, quo die natus est. Non ergo absurde XL et VI annis dicitur fabricatum esse templum, quod corpus ejus significabat, ut quot anni fuerant in fabricatione templi, tot dies fuerint in corporis Dominici perfectione.

LIBER

De Compassione B. Mariæ virginis.

Talem titulum præfigendum duximus huic libro, qui pro titulo habet in cod.: Verba sancti Augustini episcopi valde utilia ad consequendam cordis contritionem. *Sed de nullo agitur, nisi de mysterio sanctæ Virginis morienti Filio compatientis. Nihil in hoc opusculo, aliunde pio, occurrit, quod beati Doctoris mentem et stylum redoleat. Unde sit in appendice post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Auctor a beata Virgine petit quamdam lacrymis ejus participationem. II. Visa a se et tolerata narrat Virgo respondens. III. Mariæ verba ad Christum morientem. IV. Verba Christi ad Mariam, quibus datur illi Joannes filius. V. Mariæ et Joannis dolor, cum expiraret Christus. VI. Verba Mariæ ad Christum mortuum, visque desiderii ejus. VII. Quæ fecit dixitque Maria, cum Christus a cruce deponeretur. VIII. Compassio hominum et Angelorum erga Mariam dolentem. IX. Christi sepultura. X. Reducitur Maria Jerusalem; ubi ad Filii memoriam flere pergit et lamentari.

I. « Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem » lacrymarum[1], » ut possim flere per diem noctemque, donec servo suo Dominus meus Jesus Christus appareat, visu consolans animam meam peccatricem? Vos, filiæ Jerusalem, speciosæ dilectæ Dei, una mecum lacrymas fundite, donec nobis noster sponsus in sua speciositate benignus occurrat. Recolite, recolite, sedula mente pensate, quam sit amarum ab ipso separari, cui fideliter inhæsistis, cui vos in omni sanctitate vovistis; vovistis, reddite ergo ea: vos ipsas Christo vovistis, vos reddite Christo. Currite, filiæ, currite, virgines sacræ, currite, matres Christo castitatem voventes; omnes ad Virginem currite, quæ genuit ipsum; ipsa enim portavit Regem gloriæ corde, illum etiam petenti datura: ipsa genuit eum pariterque lactavit, et in die circumcidit octava, et quadragesimo die etiam præsentavit in templo, duas turtures vel columbas pro eo offerens in holocaustum; fugiens ab Herode in Ægyptum eum portavit: nutriens et lactans eumdem, curam illius habens, sequebatur eum quocumque pergebat. Credo firmiter fuisse inter illas fœminas, quæ Christum sequebantur ministrantes eidem. Nullus admirari debet, si sequebatur illum, cum ipse dulcor ejus et desiderium totus esset. Hanc arbitror fuisse inter illas gementes fœminas filias Jerusalem, ad quas Jesus non clarus imperio, sed opprobrio plenus, spinis illusus, plagis afflictus, in angariam mortis bajulans sibi crucem, conversus ait: « Filiæ Jerusalem, » nolite flere super me, sed super vos ipsas flete et super » filios vestros[2]. » Putas-ne, Domina mundi, Domina mea dilecta, Mater ejusdem Christi, est verum quod dico? Bene obsecro, ut dicas servulo tuo de ejus cœli veritate et gaudio Paradisi. Obliviscere tamen doloris quantitatem: nunc non ambigo passam fuisse. O utinam dolor ille sic quotidie meis visceribus inhæreret, sicut inhæsit tunc tuis! Utinam die quo assumpta fuisti in cœlum, ut in æternum cum tuo gauderes dilecto, mihi tuas lacrymas indicasses, quod per illas agnoscerem (2), quantum tibi amaritudinis fuerit (3), cum Jesum dilectum tibi, heu me! heu me! et

[1] Jerem. ix, 1. — [2] Luc. xxiii, 28.

(1) Cod. ad. — (2) Id. agnoscerem. — (3) Id. fuerat.

parum dilectum mihi, in ligno confixum, et capite inclinato, suum sanctissimum spiritum exhalare videres. Tu, te peto, ne te moveant verba, cum saxa deberent scindi ad illa. Quivis, inquam, regnans in cœlo, vel peregrinans in terra deorsum, audiens vel pertractans, quomodo factus est opprobrium ipse Dominus Angelorum... (1). Quare non plango ego miser? En (2) abjectio plebis Filius Dei Patris; quis posset lacrymas continere? Veruntamen tu gaude gaudio magno, ab ipso nunc glorificata in cœlis, quæ in mente clavis amarissimæ mortis fuisti confixa; mihi tamen, obsecro, lacrymas illas infunde, quas ipsa habuisti in ejus (3) horribili passione; et ut affluam largius, de passione filii tui Domini nostri ad invicem conferamus. Te, quæ summæ Trinitatis es virgo, divinitatis mihi flagito secreta (4) enarrare.

II. Ad quem beata Virgo respondit: « Illud quod quæris compungitivum est magni doloris, sed quia glorificata sum, nec flere possum, tu cum lacrymis scribe, quæ ego præsens cum magnis doloribus vidi. » Cui, inquam, flere percupio, et nil aliud mihi libet. Sed ego miser cor lapideum habeo; ideoque flere non possum. Regina cœli, Mater crucifixi, da quod jubes, et quod cupio ipsa præbe. Audi servum tuum; dicat mea domina materque mea dicat (5), si in Jerusalem eras quando captus fuit Filius tuus, cum vinctus ad Annam tractus et ductus est. Cui beata Maria respondit: « In Jerusalem eram quando hæc meis auribus insonuerunt; ad eum flendo perveni gressu, ut potui, qualicumque; cumque intuita illum fuissem percuti pugnis, alapis cædi, conspui facie, spinis coronari, et fieri opprobrium hominum ipsum Dominum Angelorum, sunt omnia viscera mea commota, et spiritus meus ad nihilum redactus est: et mihi vox non erat nec sonus. Sorores (6) pariter mecum erant et aliæ fœminæ multæ quasi Unigenitum plangentes eumdem, inter quas erat Maria Magdalene, quæ super omnes, me excepta, dolebat. Cum Christus Deus, præcone clamante, imperante Pilato, bajulans sibi crucem ad supplicium traheretur, factus est concursus populorum euntium post eumdem, et quidam projiciebant lutum super caput ejus et immunditias blasphemantes. Sequebar ego ipsum mœstissima mater cum mulieribus quæ secutæ fuerant eum a Galilæa ministrantes eidem, a quibus tenebar, quousque perventum est ad locum ubi crucifixerunt eum, et velut mortua sustinebar. Ante et ipse videntem (7) me fuit in cruce levatus, et in ligno durissimis clavis affixus manibus et pedibus. Ego videns eum vidensque me ipse, plusquam de se ipso dolebat de me; ipse vero tanquam agnus coram tondente vocem non dabat neque aperiebat os suum[1]; aspiciebam ego infelix et misera Deum verum filiumque meum pendentem in cruce, ac morte turpissima morientem, et in mente mea tanta tristitia versabatur pariter et dolor (8), quanta explicari sermone non posset; nec mirum est, quia discurrebat ejus sanguis ex quatuor partibus, rigantibus undis, ligno manibus pedibusque confixis. De vultu illius omnis affluxerat pulchritudo: et qui prius erat præ filiis hominum speciosus[2], videbatur omnium maxime (9) indecorus. Videbam quod in eo illud propheticum implebatur: «Vidimus eum et non erat ei aspectus, nec species, nec decor[3], » quia vultum illius fœdaverant verbera (10) iniquorum. Iste erat dolor maximus, quia videbam me ab eo, quem genueram, deseri (11), nec supererat alius, quia unicus mihi erat. Et ideo non poterat in me capere dolor meus; vox mea fere perierat; omnis fundebar in gemitus suspiriisque doloris. Volebam loqui, sed dolor verba rumpebat, quia verbum jam mente conceptum, dum ad formationem penderet oris, ad se imperfectum dolor cordis non minus vocabat. Vox triste sonabat foras, vulnus denuntians mentis; verba dabat amor, quæ voces sonabant; cum lingua vocis magistra perdiderat usum loquendi.

III. Videbam morientem, quem diligit anima mea, et tota deficiebam præ doloris angustia et mœrore. Aspiciebat et ipse, ut est, benignissimo vultu me Matrem suam plorantem, et verbis paucis voluit me consolari. Non potens flebam dicendo, et dicebam plorando: « Fili mi! Fili mi! » Væ mihi! væ mihi! « Quis mihi det ut ego moriar pro » te[4]? » O misera, quid faciam? moritur Filius; cur secum non moritur mœstissima ejus Mater? Fili mi, Fili mi charissime, amor unice, Fili mi dulcissime, noli me relinquere. Post te trahe me ad te ipsum, ut moriar et ego tecum. Male solus morieris, ego tecum morte ista tua genitrix perimar. O mors, miseræ (12) tu parcere mihi noli; tu sola præ cunctis mortalibus mihi places; exere ergo vires, Matrem trucida, mori volentem Matrem cum Filio suo simul perime, quam relinquis. Tu mihi, dolor unice, singulare gaudium, vita animæ meæ et omne solatium, fac ut ego moriar nunc tecum meo Filio, quæ te ad mortem genui sine viri auxilio. O Fili, quæso, miseram recognosce et exaudi me desolatam Matrem; exaudi me, obsecro, ut in tuo patibulo suscipe me, ut qui una carne vivunt et uno diligunt se amore, simul pereant una morte. O Judæi miseri, o Judæi impii et crudeles, nolite parcere mihi. Ex quo crucifigitis unicum meum natum, et me Matrem crucifigite, aut alia quacumque sæva morte punite, dummodo cum meo moriar Filio. En male moritur ille solus; aufer orbem redde, me, Judæa, Filio, gaudio, dulcore. Vita mea moritur, et salus perimitur, ac de terra tollitur mea spes cum mœrore. Ergo post Filium Mater in dolore cur vivit? Tollite eum suo pignore, suspendite ejus Matrem. Non parcis proli; et mihi, peto, non parcas. Tu mihi soli, mors horribilis, sæva esto, quia tunc summe gauderem, si possem simul cum meo mori dulci Filio (13). Sed mors optata recedit; væ mihi infelici! Tibi, Jesu, præcipitata (14) venit; unite mihi melius mori, quam vitam ducere mortis; sed fugis a misera, et me infelicem (15) relinquis, cui nunc multum ipsa mors esset optata. O Fili chare, benigne nate, miseræ Matris suscipe preces; desine Matri nunc esse durus, qui semper cunctis fuisti benignus. Suscipe Matrem tecum in crucem, ut vivat semper tecum post mortem. Dulcius mihi nil esset vere, quam te in cruce amplexando tenere; et amarius nil certe est mihi, quam post tuam mortem vivere tristis. O tu mihi pater, tu mihi mater, tu mihi sponsus, tu mihi filius, tu mihi omnia eras. Nunc orbor patre, matrem jam perdo, viduor sponso, desolor prole. Væ mihi! væ mihi! væ mihi! Quo vadam, Fili mi charissime, vel ubi me vertam, pater dilectissime? Quis mihi solatium præbebit, piissime? quis mihi subsidium præstabit, benignissime? Consilium de cætero a quo petam, sanctissime? Sunt omnia possibilia tibi, Fili mi; sed si non vis ut moriar tecum, mihi aliquod consilium derelinque. »

IV. Cui Dominus anxius jam in cruce oculis et vultu annuens de Joanne ait ad illam: « Mulier, ecce filius tuus[5]. » Erat præsens et ipse Joannes vultu tristis, lacrymis superfusus. Ac si diceret: « O mater sanctissima, ad flendum suavis, et mollis ad dolendum, tu scis quia ad hoc veni, de te carnem assumens, ut genus humanum ad salutem per crucis patibulum revocarem: scis enim quod oportet me pro generis humani salute mori (16); die namque tertia resurgam, tibi et meis discipulis pariter apparens. Alias Scripturæ quomodo implebuntur? Ergo desine flere, dolores depone; quia ad Patrem vado et ascendo paternæ majestatis gloriam percepturus: imo congratulare mihi potius, Mater, quia inveni ovem erroneam, quam tam longe tem-

[1] Isai. LIII, 7. — [2] Psal. XLIV, 3. — [3] Isai. LIII, 2. — [4] 2 Reg. XVIII, 33. — [5] Joan. XIX, 26.

(1) Hic quædam desunt. — (2) Cod. et, sine puncto; et deinde deest quis. — (3) Id. suo. — (4) Id. flagito, nec habet secreta; dissuadet correctionem, quod judicet lector. — (5) Id. addit quæ. — (6) Id. addit meæ ante sorores. — (7) Id. videns. — (8) Id. dolore. — (9) Deest maxime in cod. — (10) Cod. male fœdaverat verberibus. — (11) Id. deseriri. — (12) Id. misera. — (13) Id. dulce mœreræ. — (14) Id. præcipitata. — (15) Id. male felicem. — (16) Deest mori in cod.

pore perdidi, et unus moritur, ut totus mundus resurgat a morte. Unius ob meritum periere omnes (1); ob meritum modo cuncti salvantur (2) unius. Quod Deo Patri placet, quomodo tibi displicet, charissima Mater? Non vis ut bibam calicem quem dedit mihi Pater[1]? Noli flere, mulier, nec plangere noli, Mater charissima. Non te desero, nec etiam derelinquo; tecum sum et ero omni tempore sæculi. Si secundum carnem, sub jaceo imperio mortis, secundum Deum sum, fui et ero semper immortalis et impassibilis perseverans. Unde processi et veni, tu ipsa melius nosti. Quare igitur tristaris, si illuc ascendo, unde descendi assumens, piissima, de te carnem? Tempus est ut ad eum, qui me misit, revertar[2], et ego quo vado venire modo non potes, post me autem es et tu, Mater, ventura. Joannes interim, qui nepos est tuus, tibi reputabitur filius; curam tui habebit, ut tibi solatium fidelissimum erit. » Ipse inde Joannem intuitus ait: « Ecce mater tua[3]; » ei servias et curam illius habe; commendo tibi eamdem; suscipe Matrem tuam, imo magis suscipe meam. »

V. Hæc pauca dicens, illi duo dilecti semper lacrymas fundere non cessabant; tacebant ambo. Isti duo martyres nec loqui poterant præ dolore; isti duo virgines audiebant Christum voce rauca loquentem, et ipsum paulatim morientem videbant, nec ei verbum poterant respondere, quia videbant illum in patibulo morientem. Erant quasi mortui, et spiritus eorum voces exhalare nequibant. Defecerant enim et amiserant loquendi virtutem. Audiebant et tacebant, quia loqui non poterant præ angustia et dolore. Solus illis dolor luctusque remansit. Amabant flere, nec amare cessabant; amare flebant, quia ambo amare volebant. Nam gladius Christi animam utriusque transfixit. Quando Dominum (3) servus sæve perimebat, uterque magis flebat; sed acrior (4) fervor fiebat in Matre, quæ acrius Filii sentiebat dolores. Christi morientis erant vulnera Matris (5). Dilaniata Mater pignoris morte erat. Viscera Matris (6) erant percussa cuspide teli, quando (7) membra Filii percutiebant (8) servi iniqui. Tam pectora (9) ipsa erant, quæ dolor magnus tenebat. In mente ejus creverat (10) mensura doloris, nec extra refundi poterat. Ipsa hora cum inter sævientes dolores nati acriter Matris anima jactabatur (11), in carne Christi solvebatur (12) debitum mortis, quod gravius erat. Interim Christus commendata Matre Joanni, dixit: « Sitio[4]. » Qui crucifixerunt eum, acetum cum felle mixtum dederunt eidem; qui cum gustasset, noluit bibere et ait: « Consummatum est[5]. Et exclamavit Jesus voce » magna dicens: Heli, Heli, lammasabactani, hoc est, Deus » meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Et sic dicens » expiravit[6]. » Tunc intremuit terra, sol lumina clausit, mœrebant poli, mœrebant sidera cuncta, et suum jubar amisit luna dolendo, recessitque omnis ab alto æthera fulgor. Scinduntur duri lapides, scinduntur fastigia templi, surrexerunt multi, aperta tumba sepulcri (13), facientes Christum cum voce publica Deum. Cogitare libet quantus dolor tunc infuit Matri, cum sic dolebant quæ insensibilia erant. Non lingua loqui, nec mens cogitare valebit, quanto dolore anima tenebatur Mariæ. Juxta Christi crucem stabat emortua Mater, quæ illum concepit obumbrata Spiritu sancto. Vox non erat illi, dolor abstulerat voces; imo strata jacens pallebat, anima vivens: vivebat moriens, vivensque moriebatur, nec poterat mori, quæ vivens mortua erat. In anima dolor sævus sæviebat illius: optabat magis (14) mori quam vivere post Christi mortem (15), quæ male vivens mortua tamen erat. Ibi astabat dolens, confecta sævo dolore, expectans Christi corpus deponi de cruce.

VI. Hæc plorabat dicens: « Heu me! heu me! reddite nunc miseræ corpus vel exsangue (16): complestis voto; extinctum deponite Matri, vel si libet Matrem (17) me morte jungite illi, ut simul peream, doloribus finitis ejusdem. Deponite, quæso, deponite mihi cadaver, ut habeam mecum ejus exanime corpus. Mihi solamen erit vel saltem habere defunctum. » Juxta crucem stabat Maria considerans vultu benigno Christum pendentem stipite sævo, pedibusque nitens, in altum manus levabat, amplectens crucem, ruens in oscula ejus, Christi qua parte sanguinis unda rigabat, ut Christum amplecti valeret, quod minime poterat. Sursum manus tendere conabatur, quia amor superat multa, quæ raro vel nunquam sibi (18) fieri possunt: sed sibi (19) cedi multa impatiens amor credit: volebat amplecti Christum in alto pendentem, sed manus (20) frustra se in se complexæ ligabant (21). Se levans a terra sursum erigebat ad Christum, et male collidebatur ad terram; eum tangere non valebat, et ibi prostrata jacebat, depressa immensitate doloris, et e terra impetu ejusdem amoris surgebat Christum intensis manibus cupiens attrectare (22). Erat enim magno cruciata dolore, et terram interim petere cogebatur, quia tunc illi male erat vivere vita tali magis (23), quam necari ab impiis gladio sævæ mortis. Inde tanquam mortis pallor ejus perfuderat (24) vultum cum genis et ore; rubens Christi undas, guttas sanguinis cadentes tangebat animo dolorosa.

VII. Interim quidam vir nobilis, Joseph nomine, qui licet occulte, tamen discipulus ejus erat, confidenter ingreditur ad Pilatum, Domini Jesu corpus postulans sibi dari. Quo concesso, convocavit ad se quemdam virum sapientem nomine Nicodemum, qui et ipse occulte similiter discipulus Christi erat, et venerunt ad locum ubi Dominus Jesus fuerat crucifixus, ministeria secum ferentes quibus clavis evulsis deponere possent corpus. Quos dum Mater ejus vidit corpus deponere cupientes, quasi de morte consurgens spiritus ejus revixit, ut illud quod poterat adjutorium ministrabat; quorum dum unus clavos trahebat de manibus, alter ne caderet corpus exanime sustinebat, stabat Maria brachia levans in altum et corpus Christi manusque pendentes (25) trahebat ad se supra pectus ejus, quæ dum tangere valuit in amplexibus ruens, de suo dilecto non poterat satiari. Sed cum de cruce in terra depositum fuit corpus, supra ipsum præ doloris incontinentia (26) ruens, quasi mortua stare cœpit; extincti Filii faciem undique lacrymis rigans, amarissima suspiria exhalabat, et quoties caput tangebat ejusdem dulcissimi (27), flendo, manibus percutiebat se dicens: « O charissime Fili mi, quid fecisti? Quare te Judæi crudelissimi, crucis patibulo occiderunt? In gremio te mortuum teneo. O quam sum tristissima tua Mater! Quid ultra ista misera faciet? Væ mihi! Fili mi, ubi est tantum gaudium, quantum in tua humana nativitate tam dulci? Væ mihi! Fili mi, quam durum versum est illud gaudium in mœrorem! Fili mi, nil amplius restat, nisi ut interficiam meipsam (28). » Interim quoque frontem, oculos, genas et os frequenter ejusdem osculabatur. Lacrymarum tantam ubertatem fluebat (29), ut carnem cum spiritu fere in lacrymas resolvi putares. Lacrymis undique crura Filii rigabat, corpusque, quod ponendum (30) erat sub lapide, manebat (31) nudis per totum. Illius facta et opera revocabat ad mentem; quis vel qualis fuerat, quem sine libidine ipsa virgo concepit et peperit ab omni dolore immunis. Totum erat ei ipse, cum (32) ipse vivebat, tanquam Dominus suus, et Deus, et unicus Filius tam dilectus; et nunc illi sic erat, sicut poterat, et esse debebat;

[1] Joan. XVIII, 11. — [2] Id. XVI, 5. — [3] Id. XIX, 27. — [4] Ibid. 28. — [5] Ibid. 30. — [6] Matth. XXVII, 46.

(1) Cod. *perire minores*. — (2) Id. *salvamur*. — (3) Hæc verba *quando Dominum* desunt in cod. — (4) Voces *sed acrior*, et deinde verbum *Filii* desunt in cod. — (5) Deest in cod. vox *Matris*. — (6) Deest iterum *Matris* in cod., qui habet *membra*. — (7) Id. *quomodo*. — (8) Hæc verba *Filii percutiebant* desunt in cod. — (9) Cod. *tempora*, et deinde *quam*. — (10) Id. *creverant... poterant*. — (11) Id. *animam jactabant*. — (12) Id. *solvebat*. — (13) Id. *apertæ tumbæ sepulchris*. — (14) Deest *magis* in cod. — (15) Deest *mortem* in cod. — (16) Sic in textu; super lineam autem *exanime*. — (17) Cod. *Matri*. — (18) Id. *sibi* pro *a se*. — (19) Id. *ibi*. — (20) Id. male addit *non*. — (21) Id. *negabant*. — (22) Id. *attractare*. — (23) Deest *magis* in cod. — (24) Id. *perfunderat*. — (25) Cod. *pendentia*. — (26) Id est præ dolore quem non poterat continere. — (27) Cod. *dulcissime*. — (28) Hæc impie posita sunt in ore Matris Dei sanctissimæ. — (29) Id est *fluere faciebat*, pro *fundebat*. — (30) Cod. male *positurum*; forte legendum *posituri erant*. — (31) Cod. *manebat*. — (32) Id. *quam*.

unde et dicebat eidem : « Dic, Fili dulcissime, dic, mi amor unice, vita meæ animæ, singulare gaudium, unicum solatium et omne desiderium, quare me afflictam sic dolere permittis? Cur tam longe factus desolatam relinquis, et potius non facis sociam tuæ mortis? Heu! heu! Deus meus, quis consolabitur amplius vitam meam? Respice in me, et mei, Domine, miserere. »

VIII. Dicat, si potest, quicumque dicere cœpit, quam Christi Matrem tenebat mensura doloris. Virginis dolorem posse narrari non credo. Tantus erat mœror, quia omnis recessit dulcedo! Pia dulcisque Mater pie justeque dolebat, sperans tamen ipsum tertia resurgere die. Quædam cum illa plorabant sanctæ mulieres, quarum parvus erat numerus, parvusque virorum qui lugerent Christum simul cum Virgine Matre. Erant et Angeli simul cum illa lugentes, tamen si poterant dolere. Dolebant quidem (1) pro justo amore Christi Dei, quem diligebant pariter, quod genus redimebatur humanum. Flebant, ut arbitror, amarissime mente turbati, quod Matrem videbant tanto dolore turbari. O quis Angelorum vel Archangelorum illic non fleret! Vir contra naturam, Deus immortalis et homo, jacebat mortuus a Judæis : videbant ut Christi corpus sic male ab impiis tractabatur, et sic etiam laceratum jacere, et Mariam cruentatam sanguine et cruore. Illam piam dico videbant, illamque sanctam, totam bonam, unam beatissimam Matrem tantis singultibus cruciari, tam amaris repleri doloribus et sic amarissime flere, quod nullo modo poterat suas dulces lacrymas refrenare. Fiebat luctus et mœror ab Angelis præsentibus ibi, quali dolebat luctu spiritus almus. Credo, propter quod loquor, quod dolebant, si dolere valebant. Sicut enim Deum per assumptum hominem possibile fuit mori, sic possibile fuit beatos Angelos dolere in sui Domini morte. Joseph ab Arimathæa, vir sanctus, qui de cruce cum Nicodemo corpus Christi deposuerat, sicut Evangelium perhibet de eisdem, posuit illud in sindone nova conditum aromatibus pretiosis, posuitque demum in monumento novo, quod sibi fecerat, alacriter et devote. Tunc ad illius exequias Angelorum chorus, millia millium decantabant, ac omnes pariter convenerunt ad sui Domini sepulturam. Ipsi cantabant laudes, sed Maria dabat gemitus, et cordis suspiria exhalabat. Illi laudes extollebant ad cœlum, Maria amare flebat juxta sepulcrum, et volebat cum illo, mœsta Mater, pariter sepeliri.

IX. Hæc innixa super dilecti sui corpus, suaviter amplectens eumdem cum omni amoris dulcedine, osculando astantibus talia resonabat : « Miseremini mei, miseremini » mei, saltem vos amici mei[1]. » Illum adhuc paululum relinquite Matri suæ, ut faciem ejus valeam contemplari et aliquantulum consolari. O charissimi mei, nolite obsecro tam cito tradere sepulturæ. Date illum miseræ Matri suæ, ut ipsum mecum habeam vel defunctum, aut si illum deponitis, in sepulcro me miseram sepelite cum eo, quia male post ipsum superest mihi vita. » Tunc illi Christum in sepulcrum (2) ponebant, et ipsa eum trahebat ad se : volebat enim eum secum aliquantulum retinere, et illi volebant eum tradere sepulturæ; ac sic erat pia lis et miseranda contentio inter eos. Omnes tamen sic amarissime flebant, ut quisque eorum non posset ad plenum verba formare. Videbant quidem Matrem omni solatio destitutam, et super illam planctum dabant potius ex compassionis affectu, quam super unicum suum Dominum specialem. Major illis erat dolor de Matris dolore, quam fuerat prius de Domini passione. Flebant igitur cuncti anxio dolore gementes; et sic Dominum vitæ, mortis sepulturæ dederunt. Sepulto Domino, Mater sepulcrum amplectitur omni corde, et qua poterat voce benedicebat Filium suum tam dilectum. Ad sepulcrum sedens, innixa illi, extendebat desuper manus suas, illud osculans, Dominum amaro nimium plorans singultu.

IX. Accessit Joannes, cui eam Jesus commendaverat, et lugens et ipse multum, nec se poterat continere, eamdem lugentem a terra levavit; nam cruentata gemitibus, fatigata doloribus, ploratibus afflicta ac anxia, in pedibus se non poterat continere. Tamen, sicut poterat, a sanctis mulieribus adjuta, cunctis plorantibus simul, Jerusalem ingreditur dolorosa. Quam fœminæ multæ videntes, motæ pietate super dolores illius, ad luctum convertebantur amarum; et illarum quædam ambulantes post illam etiam lamentabantur plorantes : plorabant multæ quæ adhærebant (3) Mariæ; nam dolor ejus multos faciebat dolentes, quicumque videbant eam plorantem. Tam pie plorabat, ut vix posset (4) lacrymas continere, et tamen amare dolebat, quod ex suo pio plorate multos etiam invitos trahebat ad luctum. Fiebat luctus, quacumque Maria transibat; plorabat ipsa, plorabant ambulantes etiam cum eadem, plorabant multi ei obviam venientes; et sic plorans a plorantibus ducitur, quousque perventum est ad domum Joannis, cui eam Filius commendaverat. Ibi resedit, ipsaque in domo remansit; quam Joannes retinens, supra Matrem propriam omni corde amavit. Sepulto Domino, monumentum signatum est a Judæis, et traditum est custodibus, ut illud cum diligentia custodirent. Interim Maria domi Joannis (5) dolorosa sedebat : sedebat an jacebat, dicemus? Utrumque secure possumus affirmare. Sedebat namque pariter et jacebat (6), quia præ nimio dolore non poterat ambulare. Plorans ploravit per diem noctemque, nec erat qui consolari posset eamdem ex omnibus charis ejus[2], non suæ sorores, nec etiam ipse Joannes. Amaris lacrymis meditabatur dolores, quos Christus sustinuit in morte crudeli, et nimis amara passionis loca omnia mente currebat. Quæ et quanta fuerat passus, in animo cuncta volvebat, ac pios (7) gemitus et pia suspiria dabat. Hunc dulcem Dominum aceto et felle potatum, lancea jam mortuum tunc sæva fuisse perfossum, plorans clamabat, atque dicendo plorabat : « Jesus, Jesus meus, Deus creator omnium dulcis, qua sæva morte, factus homo, fuisti peremptus! Quem terra, pontus, aër, nec cœli capere queunt, te capit arca nunc, Fili, suscepta sepulcri. O quam nequam vitem reddidit humana propago, quæ protulit uvas quarum sunt amarissimi fructus, dum morte necavit qui de nihilo cuncta creavit! Nunc jacet Domini Filius in miseræ mortis sepulcro. Ad terram venit Deus, vita nostra, peremptus; corpus sibi sumens humanæ fragilitatis, ad terram venit, nec est receptus a suis, sed servi ejus semper machinati sunt malum. In illum sævivit Herodes rex Judæorum, et cum illo quidem omnis Jerosolyma simul, parvulum, pendentem adhuc ad ubera Matris. Dehinc vir sanctus, verba dabat salutis ejusdem, ut rumperet nodos (8) cujuslibet infirmitatis, omnes ægrotos sanans ab omni languore, mortuos resuscitans. Fili mi, ah! crudelissimam mortem (9) passus es in ruinam multorum ex (10) filiis Judæ, Scribarum atque Principum, Presbyterorum et Pharisæorum, sibi nunc ad ultimum commachinantium (11) malum et mortem. » Hæc (12) præsens dies demonstrat crucis aperte.

[1] Job. XIX, 21. — [2] Thren. I, 2.

(1) Cod. *quidam dolebant.* — (2) Id. *in sepulcro.* — (3) Id. *adolebant.* — (4) Id. *vix poterat*, nec habet *ut.* — (5) Id est *in domo Joannis.* — (6) Cod. male *dicebat.* — (7) Id. *impios* absurde. — (8) Id. *vota.* — (9) Id. *a crudelissima morte.* — (10) Deest *ex* in cod. — (11) Cod. *commachinantibus.* — (12) Id. *hinc.*

LIBER

De Omnibus virtutibus, quem beatus Augustinus edidit ad Matrem suam.

Hic tractatus, qui educitur ex Bibl. Sanctæ Crucis Florentiæ, Plut. XVII dextr., cod. IX, fol. 2, nullo modo potest beato Doctori attribui, cum inter alia citetur frequenter Historia Tripartita, quæ post versionem Epiphanii scholastici concinnata fuit a Cassiodoro, qui usque ad medium sexti sæculi floruit, et ultra, utpote qui defunctus sit anno 565. Stylus alioquin nihil Augustinianum habet. Duo ultima capita, et extremum præsertim non eadem manu conscripta crediderim; obscurior enim dicendi modus, et intricatiores sunt sententiæ. Quicumque sit hujus tractatus scriptor, non sine voluptate legetur a doctis piisque viris. Sit in appendice post præcedentem.

Tuæ petitioni, charissima Mater, ut rogasti, satisfacere studui (1). Novi enim ardorem tui animi erga Scripturas divinas; non tibi inesset studium legendi, si non (2) et implendi ea quæ legis. Memor igitur sum lacrymarum tuarum, et omnis studii tui quod in te sæpe prospexi, dum mecum (3) de animæ tuæ sermocinareris profectu. Et ideo mihi non piguit hoc, quod mihi tua suggerere studuit charitas, adimplere; quatenus et tu ex hac ipsa admonitione in Domini gratia datum accipias, et ego tuæ mercedis effici merear particeps. Scio enim non mediocriter esse beatum, qui se solummodo, adjuvante Domino, salvat; sed novi multo beatiorem esse, qui secum alios ad regnum cœlorum trahere festinat. Quapropter hortor tuam eximiam dilectionem, ut hanc admonitionem subinde legas, et memoriæ commendes, atque opere compleas, ut aliis bonum exemplum monstrando, et te et alios salves, ut de tuo et aliorum profectu (4) felicem remunerationem a sponso tuo immortali recipere merearis. Mente solerter pertracta, ne hoc agas, unde tuo cœlesti sponso displiceas, quia ipse tibi, si bene, ut cœpisti, perseveraveris, inauditam lætitiam et gaudium condonabit Deus cum cæteris sanctis, Paulo testante qui ait, quod « Oculus non vidit, » nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præ» paravit Deus diligentibus se[1]. » Festina igitur ad illud gaudium, ad illam lætitiam, in qua multi Sanctorum requiescunt. Considera, Deo dilecta Mater, quanta sit felicitas Dei vultum sine defectu cernere, sanctorum Angelorum choris interesse, cum Sanctorum multitudine sine fine gaudere; et ad hoc gressibus virtutum quotidie appropinquare stude, et ut ad ea, quæ commemoravi, recto tramite perges, citiusque pervenire queas, hanc tuæ beatitudini admonitionem conscripsi, per quam non de una solummodo virtute, sed de multis te cupio admonere virtutibus. Quam ideo sermone singulari admonitionem voco, quia quamvis multæ sint virtutes, et innumerabilia ornamenta, ad unam tamen pertinent viam, ad unum iter, et ad unam felicitatem hominem inducunt. Cum igitur de plurimis virtutibus te admonere desiderem, videlicet: 1° de Charitate; 2° de Humilitate; 3° de Obedientia; 4° de Continentia gulæ; 5° de Continentia linguæ; 6° de Continentia vestium; 7° de Afflictione corporis; 8° de Compunctione; 9° de Beatitudine compunctionis; 10° de Oratione, et qualiter homo debeat orare; 11° de Pugna vitiorum adversus virtutes, et quomodo extirpanda sunt vitia, et deinde inserendæ virtutes secundum Boëtium; 12° de Studio legendi Scripturas; 13° de Admonitione tribulationum, et infirmitatum; 14° de Venia peccatorum speranda; 15° de Criminalibus et incestuosis peccatis; 16° de Mortalibus criminibus; 17° de Compunctione salvationis; 18° de Perfectione charitatis; 19° qualiter Pollutio nocturna accidat (5).

CAPUT I.

De Charitate.

Primum cum Paulo apostolo hortor, ut Charitatis virtutem ante omnia habere studeas, quia sicut panis omnibus cibis est melior, ita Charitas omnes antecedit virtutes; et sicut sine pane mensa efficitur inops, ita sine Charitate nulla proficit virtus. Sine Charitate nec lacrymæ, nec vigiliæ, nec nuditas, nec castitas, nec eleemosynæ, nec martyrium, hominem salvare possunt. Hanc Dominus et Salvator noster spiritaliter nobis commendat dicens: « Hoc » mando vobis, ut vos invicem diligatis[2]; » et iterum: « In hoc cognoscent omnes, quia mei estis Discipuli, si » dilectionem habueritis ad invicem[3]. » Hanc Joannes apostolus commendans, dicit: « Qui manet in Charitate in » Deo manet, et Deus in eo[4]. » Hanc prædicator egregius virtutibus præferens nobis dicit: « Si distribuero in cibos » pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus » meum, ita ut ardeam, et Charitatem non habuero, nihil » mihi prodest[5]. » Deinde subjungit: « Charitas patiens est, » benigna est[6]; » patiens adversa tolerando, benigna bona præstando, sicut beatus Antonius dixit abbati Pastori. Et si Charitas patiens est atque benigna, stude, fidelissima Mater, omnia patienter adversa tolerare, ipsaque tolerans cura diligere.

CAPUT II.

De Humilitate.

Carissime vero tibi convenit credere, quod charitas sine Humilitate et obedientia in homine non regnat. Si vero habueris charitatem, necesse humilis atque obediens. Humilitas namque summa virtus est; hæc de terrenis hominibus cœlestes facit, et per hanc diabolus superatur, et ejus laquei vitantur. Vidit omnes laqueos inimici tensos in via, et ingemiscens dixit beatus Antonius: « Quis transibit istos laqueos. » Et audivit vocem dicentem sibi: « Humilitas. » Puto non pro se tantum vidit et audivit, sed pro nobis, qui peccatores et insipientes sumus, et longe a meritis ipsius distamus, ut nos hæc legentes et opere complentes, diaboli laqueos possimus evitare, qui semper hoc inquirit, quomodo nos decipiat. Attendamus igitur quam magna sit humilitatis virtus. Marci etiam monachi (6) vita insinuat, quem dicunt Patres antiqui in juventute valde fuisse mansuetum, humilem ac sapientem, et pro ejus virtutibus tantum dicunt illum fuisse Deo amabilem, ut, dum ad Dominicum accederet corpus, Angelus ei

[1] 1 Cor. II, 9. — [2] Joan. XV, 17. — [3] Id. XIII, 35. — [4] 1 Joan. IV, 16. — [5] 1 Cor. XIII, 3. — [6] Ibid. 4.

(1) Cod. *scribere*, et antea *tibi ut*. — (2) Id. ponit *si non* ante *inesset*. — (3) Id. *tecum*, pro *mecum*, uti legas *sermocinarer*. — (4) Id. *profectum*. — (5) Una eademque phrasis est cum sequentibus, quæ divisa fuisse videntur a notariis; cum autem hæc divisio capita reddat clariora, hanc servare statuimus. — (6) Sancti Marci nomen legitur in Martyrologio Romano 24 die octobris.

sacramenta præberet. Pensare debemus naturæ hoc miraculo quam magnum donum sit Humilitas, per quod donum tam amabilis tamque acceptabilis Deo adhuc homo mortalis efficitur. Abbas etiam Daniel miraculum narrat, per quod virtus Humilitatis declaratur. Erat autem in Babylonia filia cujusdam nobilis dæmonium habens; pater autem ejus diligebat quemdam monachum, qui dixit ei : « Nemo potest curare filiam tuam, nisi illi, quos scio solitarios, et si ad eos perrexeris, non acquiescent tibi; hoc enim faciunt propter Humilitatem; sed hoc facietis: quando venient venalia afferentes, quæ operantur, dicite vos emere velle quod vendunt. et cum venerint ad domum pretium accepturi, dicetis ut faciant orationem pro ea; credo enim quod sanabitur filia tua. » Exeuntes vero in plateam, invenerunt unum monachum sedentem, ut venderet sportellas suas, et tulerunt eum secum in domum, quasi pretium sportarum accepturum; et cum intrasset domum monachus ille, venit puella, quæ a dæmonio vexabatur, et alapam monacho dedit; ipse vero convertit ei et aliam maxillam secundum divinum præceptum. Dæmon autem dum propter ipsius Humilitatem et patientiam torqueretur, clamare cœpit dicens: « O violentia mandatorum Jesu Christi! ipsa expellit me hinc. » Et statim mundata est filia ejus. Cum autem venisset senex, indicavit eis quod factum fuerat, et ipsi glorificaverunt Deum dicentes : « Consuetudo est diabolicæ superbiæ ad Humilitatem Domini nostri Jesu Christi corruere. » Consideremus ergo et nos, o sanctissima Mater, hujus monachi Humilitatem, et in quantum possumus eam imitari conemur. Si igitur humilitas unius ab altero dæmonium expellit, sine dubio credere debemus, quod nostra Humilitas diabolum in cordibus nostris non sinat diutius demorari. Tunc vero veram Humilitatem habemus, si omnibus venerationem deferimus, et omnia adversa, quæ nobis alii faciunt, propter Deum humiliter toleremus. De hac virtute Dominus in Evangelio ait : « Omnis enim, qui se exaltat humiliabitor, et qui se humiliat exaltabitur[1]. » Ex isto enim verbo discere debemus quod superbia contraria sit Humilitati. Ergo si vere humiles esse volumus, superbiam fugiamus, quia superbia dejicit, sed Humilitas sublevat. De hac etiam virtute princeps Apostolorum invitat nos, dicens : « Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore tribulationis[2]. » Hac sententia manifestissime nobis insinuat, quod si hic dum vivimus, nos humiliare coremus, tempore tribulationis, id est, in die judicii nos Dei pietas exaltabit in cœleste regnum. Jam superius diximus, quod charitas, et Humilitas, atque obedientia ad invicem separari non possunt.

CAPUT III.

De Obedientia.

Et quia hactenus de charitate, et humilitate dictum est, solerter (1) attendas qualis astat Obedientiæ virtus. Propter inobedientiam enim primus homo ejectus est de Paradiso; quapropter si illuc vis ascendere, obediens esse stude. Ut autem quam magna sit hæc virtus agnoscas, miraculum tibi quoddam ad memoriam revocabo. Quidam sæcularis vitæ habens tres filios renuntiavit sæculo, et venit ad monasterium, filios suos relinquens in civitate. Et cum stetisset per tres annos in monasterio, cœpit cogitare, et filios ad memoriam frequenter reducere, et valde pejus contristabatur, et non tamen dixerat abbati suo se filios habere. Videns autem eum abbas tristem, dixit ei : « Quid habes? quare (2) tristis es? » Et narravit ei quod tres filios haberet in civitate, et quia vellet eos ad monasterium adducere. Præcepit autem abbas, ut ad monasterium adduceret eos. Qui cum perrexisset ad civitatem, invenit duos ex eis jam fuisse defunctos, et unum solummodo remansisse, quem assumens duxit ad monasterium, et requirens abbatem, non invenit illic eum. Interrogavit autem fratres, ubi esset abbas; illi vero dixerunt quod ad pistrinum (3) perrexisset. Ille autem tollens filium suum, quem adduxerat abiit ad pistrinum. Et videns eum abbas venientem salutavit eum, et tenens filium ejus, quem adduxerat, amplexatus est (4), et osculatus eum, dicens patri ejus : « Amas eum? » Et ille respondit : « Etiam. » Et iterum dixit ei : « Omnino diligis eum? » Et respondit : « Etiam. » Postea vero dixit ei Abbas : « Tolle ergo, si amas eum, et mitte eum in fornacem ardentem. » Tollens autem eum pater ejus, et volens illum mittere in fornace, statim facta est fornax velut ros, et ignis in ea extinctus est; ex qua Obedientia acquisivit gloriam, sicut Abraham patriarcha. Hoc ergo miraculum hortor, ut memoriæ tradas, ut semper virtutem Obedientiæ ante oculos habeas; nam sicut illo tempore illius monachi Obedientia extinxit ignem fornacis, sic et modo, si vere fueris obediens, ipsa virtus de corde tuo ignem vitiorum extinguet. Et si ignis vitiorum fuerit extinctus in te, nequaquam post mortem in ignem descendes æternum, sed ad cœlestem gloriam ascendes sine fine mansuram. Ergo ama Obedientiam, dilige Obedientiam, quia magna est virtus ejus. Ut autem illius magnitudinem adhuc lucidius intelligas, sequens miraculum frequenter lege. Dicebat quidam sanctus Pater se vidisse quatuor ordines in cœlo monachorum, quorum primus ordo erat infirmorum, et gratias agentium Deo. Secundus ordo erat hospitalitatem sectantium, instanter ministrantium eis (5). Tertius vero ordo in solitudine conversantium et non videntium homines. Quartus ordo erat illorum, qui propter Obedientiam spiritualibus patribus se subjiciunt propter Deum. Videbatur autem ordo obedientium catenam (6) auream habere circa collum, et multo majorem gloriam, quam alii. Ego autem dixi ei, qui mihi hæc omnia ostendebat : « Quomodo iste ordo, qui parvus est, majorem gloriam, quam alii, habet in se? » At ille respondit : « Quia illi, qui hospitalitatem sectantur, secundum propriam voluntatem idipsum faciunt : similiter qui in eremo se relegant, suo arbitrio de sæculo recedentes. Hic autem ordo qui se ad Obedientiam dedit, omnes voluntates suas abjiciens, tendit ad Deum ad jussionem spiritualis patris; propterea majorem gloriam habet. » Quapropter, o bona Mater, bona est Obedientia quæ propter Deum fit. Intende ergo, Mater, virtutes ejus, quia magnum est vestigium (7) ex parte Dei. Obedientia salus est omnium fidelium; Obedientia est genitrix omnium virtutum; Obedientia est regni cœlorum inventrix; Obedientia cœlos aperiens, hominem de terra elevat; Obedientia cohabitatrix est Angelorum; Obedientia omnium Sanctorum cibus est. Ex hac enim abluti, et per hanc ad perfectionem sancti venerunt.

CAPUT IV.

De Continentia gulæ, et visus (8).

Sed jam tempus est, ut, post trium virtutum doctrinam, vigilanter attendas, quanta sit Continentiæ virtus, et quod Continentia non solum in cibo et potu, sed etiam in locutione, et somno, ac vestitu, et innumerabilibus sit causis. Admoneo igitur dilectionem tuam, ut non delicatos cibos quæras, nec ante horam congruam comedere velis, nec dicas in corde tuo : « Ecce alii sic faciunt. » Scito pro certo

[1] Luc. xiv, 11. — [2] 1 Petr. v, 6.

(1) Cod. *ut solerter.* — (2) Id. *quia.* — (3) Cod. male *pristinum*, et sic deinceps. — (4) Cod. bis habet *eum* hic et inferius. — (5) Supple *hospitibus.* — (6) Cod. *tanquam.* — (7) Id. *aliquid est vestigium.* — (8) Desunt *et visus* in cod.

quod unusquisque, qui in hac vita plus in Dei servitio laboraverit, majorem post mortem a Deo mercedem accipiet. Nec igitur tibi gravis videatur Continentiæ virtus; miraculum tibi enim inseram, quod (1) in Tripertita Historia (2) legitur. Dorotheus, genere Thebæus (3), talem vitam ducere curavit, ut quotidie lapides de mari colligeret, et annis singulis hospitium ædificaret, et ipsa hospitia dabat illis qui non habebant hospitia. Noctibus autem propter eorum cibum faciebat sportellas, cujus cibus erat panis sex unciarum, et oleum duorum minutorum, et fasciculus herbarum, et unus scyphus ad bibendum aquam. Hic a juventute sua hæc faciens, non in senectute sua defecit. Hæc operando nunquam visus est in lecto soporatus, vel pedes pro requie tetendisse, aut dormire (4) per voluntatem, nisi quantum operando aut comedendo naturæ compressos oculos claudere potuisset. Ita sæpe, dum (5) comedendo dormiret, cibus ex ejus ore labebatur; aliquando gravi somno gravatus, cum in stercore cecidisset, obdormitabat; expergefactus autem, contristatus sub silentio dicebat: « Si Angelis dormire suaseris, et mihi ulterius suadebis. » Quod forte dicebat ad somnum aut dæmonem, qui nitebatur bonos ejus actus impedire. Huic laboranti quidam dixit: « Cur ita affligis corpus tuum? » At ipse respondit: « Quia corpus me occidit. » Hujus vero sanctissimi monachi Continentiam tibi scripsi, ne ipsa tibi virtus gravis videretur, et cognosceres quantum a modernis quibusdam patribus distamus. Audivit enim beatitudo tua, quod Dorotheus omni anno ædificabat cellam, et omnino donabat. Audisti etiam quod in lecto non jacebat, et de pane, et de aqua et herbis vivebat. Non ideo hoc dico, ut tu tantum facias, sed ut et te humilies, simulque scias, quam magnam abstinentiam Patres nostri habuerunt, ut nequaquam cibos delicatos quæras. Præsertim cum in præfato libro de Moyse monacho scriptum sit, quod per unum annum tantummodo panem comederit, et multum opus fecerit. Sex vero annis per totam noctem stans oravit, neque genua inclinavit, neque oculos in somno clausit. Insuper etiam noctanter circuibat cellulas monachorum, et lagenas singulorum aqua implebat, cum longe erat decem, aut viginti, aut triginta forte stadiis aqua manaret ab eis; qui licet ita domaret corpus, priorem tamen valetudinem non amisit. Hæc miracula assidue lege sanctissima Mater, et per hæc cum Dei adjutorio in abstinentia (6) proficere stude. Non simus parati ad omnia concupiscenda; recolamus continentiam beati Zenonis abbatis. Abbas Zenon ambulans aliquando in Palæstina, cum laborasset, resedit ut manducaret in cucumerario; suadebat autem ei animus suus dicendo: « Tolle tibi unum de cucumeribus et manduca. » Qui increpans cogitationem suam dicebat sibi ipsi: « Fures ad tormenta vadunt; proba ergo te ipsum in hoc, si potes sufferre tormenta. » Et consurgens stetit in ardore solis diebus quinque, et dicebat: « Si ardorem solis non possum sufferre, quomodo sufferre potero ignem æternum? » Et dicebat ad animum suum: « Si non potes portare ardorem solis, sive tormenta, non rapias cucumerem ut manduces. » Verba igitur tanti viri considerare nos admonent (7), quantum ab ipsius conversatione longe distamus. Quapropter præponamus peccatores nos et infirmos esse in comparatione sanctorum virorum, ut nos ipsos ex illorum meritis despicientes, pia Dei misericordia, eorum consortium habere possimus. Quod autem non tantum in cibo, sed in visu sit Continentia necessaria, sequens miraculum aperte insinuat.

Pior autem cum de domo patris ad philosophiæ conversationem exiret, promisit Domino nullum propinquorum de cætero fore visurum. Post quinquaginta vero annos dum ejus soror eum vivere, et habitare in eremo cognovisset, non cessavit donec eum inspiceret. Quam dum episcopus ejusdem loci jam graviter propter eum videret affligi, scripsit præsulibus eremi, ut Pionem dirigerent ad eum. At ille, quoniam contemnere nefas est, jussionibus seniorum obediens, assumens quemdam secum, venit ad patriarcham; cumque ante januam domûs suæ accessisset, et suum nuntiasset adventum, veniente germana, dixit clausis oculis: « Ecce ego sum Pior, quanto vis aspectu satiare. » Tunc gratificata laudavit Dominum. At ille, facta oratione, ad eremum remeavit; ubi fodiens, aquam invenit amaram, et ea usus est usque ad ultimum vitæ suæ. Post cujus obitum nullus ibi habitare prævaluit. Ego autem reor, quod per suam orationem ad suos usus eam Deus fecerit dulcem; dum et jam alibi extante (8) orationis merito emanaret. Nam cum Moyses et ejus monachi puteum foderent, et nec venam aliquam reperirent, nec amplius jam fodere altitudo permitteret, media die supervenit Pior, et facta oratione descendit in foveam; cumque descenderet aqua apparuit. Illis eum rogantibus, ut ex aqua gustaret: « Ad hoc, inquit, directus sum; et propter quod veni (9), peractum est. » Propterea, o sanctissima Mater, hæc tibi igitur de Pione monacho scripsi, ut perfecte scires, quod Continentia etiam in visu sit necessaria. Audisti vero nunc quam cautus iste monachus fuerit, qui nec inobediens fuit præceptis seniorum, qui illum ad sororem suam ire jusserunt, nec ipse visa est ab illo, ne contra suum votum facere videretur. Quapropter hortor sanctitatem tuam, ut illum studeas imitari. Non sit tibi cura videndi propinquos vel amicos, quos in sæculo reliquisti, ne per illorum curam tua oratio, tuæque lacrymæ minuantur, nec cum uxore Loth retro respiciendo in salis statuam convertaris. Recole ergo illum Evangelii versiculum, quod « Nemo mittens manum suam ad aratrum, et « respiciens retro aptus (10) est regno Dei [1]. »

CAPUT V.

De Continentia linguæ.

Hortor etiam ut in locutione sis continens, et assidue cum Psalmista dicas: « Dixi: Custodiam vias meas ut non « delinquam in lingua mea; posui ori meo custodiam [2]. » Noli igitur aliis detrahere. Memento quid Maria fuerit perpessa in eremo, quando detraxit Moysi servo Dei atque fratri. In Lege lege historiam, quia pro hac culpa fuerit lepra (11) percussa et maculata; septemque diebus manserit extra castra, quæ postmodum per orationem Moysis fratris sui a lepra mundata est. Absit autem ut ex lingua, per quam benedicimus Deum, inde maledicamus, et detrahamus proximo [3]. Recolamus ergo quod scriptum est, quia « Omnis detractor eradicabitur [4]. » Unde eradicabitur omnis detractor? Sine dubio de cœtu Sanctorum. Ergo, ne et nos de Sanctorum consortio eradicemur, custodiamus a detractione linguam nostram, et non detrahamus proximo, quem jubemur diligere, sicut nosmetipsos. Et non tantum a detractione nos oportet cessare, sed etiam a verbis otiosis, quia Evangelium clamat: « De omni verbo otioso, « quod locuti fuerint homines, reddent Deo rationem in « die judicii [5]. » Otiosus sermo est, qui nec ad illius, qui eum audit, nec ad illius qui dicit, pertinet profectum. Noli ergo proferre verba, quæ risum vel cachinnum moveant, sed magis quæ ad compunctionem et lacrymas et ad

[1] Luc. IX, 62. — [2] Psal. XXXVIII, 2. — [3] Jacob. III, 9. — [4] Prov. xxiv, 21, 22. — [5] Matth. XII, 36.

(1) Deest *quod* in cod. — (2) Cum tripartita historia opus sit Cassiodori, qui defunctus est circa annum 563, hinc exurgit maximum falsitatis in hoc opere argumentum. — (3) Ejus Dorothei festum agitur 5 die junii. — (4) Cod. *dormeret*. — (5) Id. *dudum*; et deinde *laberetur*. — (6) Id. male addit *est*. — (7) Id. *admonet*. (8) Cod. absque sensu *non extante*. — (9) Id. *venit*. — (10) Cod. male *aptus*. — (11) Id. *a lepora*, et sic deinceps.

animarum profectum pertinent. Tuus ergo sermo sit semper sale conditus (1).

Narrat namque Historia Tripartita, Moumenonem Salicnem Syriorum præsulem, atque Theodonem multorum monachorum præsides fuisse. Ambo namque fuerunt operatores inopinabilium rerum, et divina providentia prophetiaque completi. Dicitur Theodonem eruditum Ægyptiorum, Græcorum, Latinorum studiis, et triginta annos habuisse taciturnitatem. Porro a nullo hominum visus fuit irascens, aut jurans, aut mentiens, aut vanum aliquid vel asperum (2), vel infirmum protulisse sermonem. Horum temporibus fuit etiam Elias monachus in eremo, agens annum ætatis suæ centesimum decimum. Antea tamen pene septuaginta annis solus vixit in solitudine; usque ad hanc ætatem jejunando, multumque silendo, et viriliter conversando pervenit. Hæc miracula hortor ut frequenter legas, ut scias quam cautam te in loquendo esse oporteat. Audisti enim nunc, et, ut puto, memoriæ commendasti, quod doctissimus Theodonus monachus per triginta annos tenuit taciturnitatem. Hortor igitur, ut quia nobis assidue tacere non licet, vel libet, complaceat ut semper a malo detractionis sileas. Ut ergo tibi virtus taciturnitatis placeat, audi adhuc quid Zacharias de ipsa interrogatus, responderit. Dixit abbas Pastor, quod interrogavit abbas fratrem Zachariam dicens: « Quid vides? » Et ille dixit: « Nihil melius quam tacere, pater. » Et ipse respondit: « Verum est, fili; tacere semper oportet. » Hora autem mortis ejus sedens abbas Isidorus respexit in cœlum, et dixit: « Lætare, fili Zacharia, quia apertæ tibi sunt januæ regni cœlorum. » Vides ergo, o sanctissima Mater, quod Zachariæ pro taciturnitate, maxima virtute, apertæ sunt januæ cœli. Ut igitur (3) et tibi aperiantur, delectet te tacere, delectet te silere. Legi enim de quodam servo Dei, quod, ut taciturnitatem disceret, per plures annos in suo ore portavit lapidem. Admoneo igitur atque hortor, ut linguam tuam custodias, et nulli detrahas, atque nemini maledicas, nulla verba risum moventia proferas. Cogita quam brevis sit ista vita, et quam misera in comparatione vitæ æternæ. Hæc cogitando, et linguam tuam refrenando, et imitando scilicet eorum actum, quorum superius mentio facta est, sine dubio ad eorum consortium, et ad eorum gloriam pervenienus. Quomodo autem in animo tuo multam (4) taciturnitatem habere debeas, et quia multa bona opera propter vitium linguæ pereunt, ideo adhuc unam sententiam de taciturnitate subjungam. Venit in itinere conversationis suæ abbas Evagrius (5) ad quemdam senem, et dixit ei: « Dic mihi sermonem, quo salvus fiam. » Ille autem dixit ei: « Si vis salvus fieri, quando ad aliquem vadis, non prius loqueris, quam ille te inquirat. » Evagrius in hoc sermone compunctus, pœnitentiam egit in conspectu senis, et satisfecit ei dicens: « Crede mihi, multos codices legi, et talem eruditionem nunquam inveni, et multum proficiens exivi. » O beatissima Mater, ex his verbis lucide demonstratur quod multipliciter (6) beata est illa anima, quæ taciturnitatis perfecte habet virtutem. Dilige hanc virtutem, posside hoc bonum, conserva hanc margaritam. Amandum est ergo silentium, quia per hoc humilitas nutritur, lacrymæ generantur, ad extremum multa mala per ipsam declinantur.

CAPUT VI.

De Continentia vestium.

Sciatque beatitudo tua, o sanctissima Mater, quod et in vestimentis sit Continentia valde necessaria. Sunt multi, qui putant quod appetitus pretiosarum vestium ipse (7) Dominus laudasset dicens: « Quid existis in desertum videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt[1]. » Joannes ergo mollibus vestitum esse negatur, quia mollibus vestiuntur qui magis terreno regi serviunt, quam cœlesti. Joannes enim primus Novi Testamenti monachus fuit; pilis camelorum indutus fuisse legitur. Si ille qui in utero matris sanctificatus fuit, et Deo multum amabilis atque dilectus extitit, qui fuit verus propheta, etiam et plus quam propheta[2], pilis camelorum fuit indutus, nos qui peccatores sumus et infirmi, quanto magis debemus vilibus vestibus esse contenti. Nemo namque pretiosa vestimenta, nisi ad inanem gloriam quærit. Peccatores enim sumus, et ideo pretiosa vestimenta quærere non debemus; sed magis ornamenta mentis quærere debemus, quam corporis. Ornamentum mentis est charitas, fides, modestia, humilitas, bonitas et benignitas. De his namque virtutibus ornatur sine fine mens humana cum Deo victura. Caro enim, quamvis pretiosis vestibus cooperiatur, quamvis operiatur auro, et argento ornetur, nihil aliud est quam caro, et lutum, et pulvis, et stercus. Quapropter non magnopere de vestibus procura. Corpus enim domare debemus; non balneum subinde inquirere, non ornata vestimenta, quia si corpus nostrum delicate fovemus, hostem nostrum nutrimus. Nunquam enim majorem inimicum potest homo habere, quam corpus. Corpus vero trahit mentem ad peccatum, et ideo semper debet illud servus Dei subjugatum habere. Nam et bonos hic per afflictionem judicat, et illic remunerat per miserationem; malos hic remunerat per temporalem clementiam, et illic punit per æternam justitiam. In hac enim Deus vita parcit impiis, et tamen non parcit electis; in illa indulget piis, et non parcit iniquis.

CAPUT VII.

De Afflictione corporis.

Debet namque corpus affligi per abstinentiam, per vigilias et per diversos modos, ita tamen ut semper suum officium, suamque obedientiam possit perficere. Castigandum et affligendum semper est corpus, ut ad malam operationem animam non trahat, et ad bonum peragendum semper sit idoneum. Nam qui ita corpus macerat, ut nec quidem bonum opus facere valeat, discretionis ignorat adhuc virtutem. Ut igitur corpus affligere scias et temperare, unum de vita Patrum sermonem dicam. Dicitur de quodam patre, qui dum sæcularis esset, et conjugem habuisset, postea conversus abiit in eremum, quod pœnitentiam faciens, tentabatur a Satana de ea. Ipse vero narravit hoc patribus, qui cum audissent et scirent, quod operarius fortis esset, et majora facere posset, quam ea quæ ipsi sibi dicebant, imposuerunt ei majora, ut debilitaretur corpus ejus; et sic in abstinentia, et vigiliis, et orationibus tan-

[1] Matth. XI, 8. — [2] Luc. VII, 26.

(1) Cod. male *conditum*. — (2) Id. male *visum fuit irascentem aut jurantem, aut mentientem, aut vanum aliquid, vel asperum*. — (3) Cod. male hic ante tempus ponit *et te delectet*. — (4) Id. *multum*. — (5) Id. *Evacrius*. — (6) Sic cod. in margine; in textu minus bene *tripliciter*. — (7) Cod. male *sui*.

tum laboravit, ut surgere de terra nullatenus posset. Deo autem dispensante, quidam peregrinus ad cellam ejus venit, et pertransivit admirans quod nemo egressus esset in occursum ejus; et iterum reversus ad cellam ejus pulsabat dicens inter se: « Forte qui in ea habitat infirmatur. » Qui cum pulsasset intravit, et invenit eum nimis infirmum, et dixit ei: « Quid habes, pater? » Et ipse narravit ei dicens: « Ego sæcularis vitæ fui, et sollicitat me inimicus de uxore mea; et narravi hanc tentationem patribus, et ipsi imposuerunt mihi onera diversa, et cum implere vellem jussa eorum, defeci et tamen stimulus crevit. » Audiens autem hæc senex contristatus est, et dixit: « Patres et magistri bene tibi imposuerunt onera, quibus gravaris, sed si me parum audire volueris, cito invenies requiem. Sume parum cibi (1) in tempore suo, et recolliges vires tuas, et facies aliquantulum opus Dei, et jacta in Domino cogitatum tuum, quia tuis laboribus hanc impugnationem non poteris superare. Corpus enim nostrum est velut vestimentum. Si cum discretione tractaveris, stabit; si vero sine discretione omnia egeris, non stabit. » Qui cum audisset eum, fecit sicut dixerat, et recessit stimulus ejus. Hanc autem sententiam ideo volui scribere in isto ordine, quia quæ superius admonui, id est, silentium, nuditas, abstinentia, corporisque castigatio cum discretione sunt agenda. Discretio enim vera, magna virtus est, quia per ipsam mala declinantur et bona servantur. Bonum ergo opus sine discretione esse non putest; discretio enim est mater omnium virtutum. Quapropter tuam, o Mater, hortor dilectionem, ut omnia cum discretione facias, ut nec ad dexteram, nec ad sinistram corruas, sicut dicit Apostolus: « Nec prospera te elevent, nec adversa conturbent[1]. » De hac etiam discretionis virtute habetur in vita Patrum. Dixit abbas Antonius, quod sunt quidam conterentes corpora sua in abstinentia, et quia non habuerunt discretionem, longe facti sunt a Deo. Supervenit autem quidam venationem faciens in sylva agrestium animalium, qui vidit Antonium abbatem gaudentem cum fratribus suis, et displicuit ei. Volens autem senex ostendere ei, quod oportet aliquando condescendere fratribus, dixit ei: « Pone sagittam in arcu tuo, et trahe; » et fecit sic. Et ipse dixit ei: « Iterum trahe; » et traxit. Et rursus dixit ei: « Trahe adhuc; » et dixit ei venator: « Si supra mensuram traxero, frangetur arcus. » Dixit ei Antonius: « Ita est in operatione Dei; si plusquam vel ultra mensuram tendimus, fratres cito deficiunt. Expedit ergo vel ad momentum horæ eos laxare a rigore laborum suorum. » Hæc vero venator audiens compunctus est, et multum proficiens in sermone beati Antonii, et in eo proficiscens discessit; et fratres confortati reversi sunt ad loca sua. Maxime autem mihi cura fuit hæc tibi scribere, religiosissima Mater, ut absque periculo te caute custodias, videlicet ut curam corporis Dei servitio non impones (2), et ut rursus Dei servitium explere queas, corpori necessaria ministrare non negligas. Admonere subinde tuam dilectionem non cesso, quanquam tuum bonum studium notum sit mihi, sed et nunc admoneo, ut in loco isto, post Contiecentiam corporis, discretionis virtutem memoriæ teneas, quantum potes.

CAPUT VIII.

De Compunctione.

Et quia Compunctio in omni loco, sive in omni opere est necessaria, tibi commendanda est ipsa virtus, quatenus et mortificationis studiis jungatur Compunctio. Puto enim quod vera mortificatio ab aliquo possideri non possit, nisi cum Compunctione. Idcirco tuam, o Mater, charitatem hortor, ut quidquid agis, sive silentium teneas, vel abstinentiam facias, vel nuditatem ames, vel vigilias inquiras, omnia cum Dei amore facias (3); et cum lacrymis, et si lacrymæ non occurrunt, adsit tibi Compunctio salutaris; ita duntaxat cum discretione, de qua supra dictum est, facias, ut per te non scandalizentur aliæ, sed potius ædificentur. Simus igitur in omni opere nostro compuncti, ut possimus dicere Domino cum Psalmista: « Holocausta medullata offeram tibi[2]. » Holocaustum vero totum incensum dicitur. Holocaustum autem offert Deo, qui totum se Deo tradit; quod ad monachorum spiritaliter pertinet ordinem. Per medullam holocausti Compunctio designatur. Holocaustum sine medulla est bonum sine Compunctione; holocaustum medullatum Deo offerimus, quando bonum opus cum Compunctione perficimus. Hanc igitur medullam ipse Psalmista alibi nominat pinguedinem: « Holocaustum tuum pingue fiat[3]. » Magna est ergo virtus Compunctionis, de qua in vita Patrum scriptum est. Frater quidam interrogavit quemdam senem dicens: « Pater, quid faciam, quia malæ cogitationes me comprimunt. » Dixit ei senex: « Flere semper debemus. Dico tibi, frater, quia contigit aliquando quemdam senem mori, et postmodum in se ipsum reverti; et interrogavimus eum dicentes: « Quid vidisti, abbas? » Et ipse narravit plorans omnia quæcumque vidit et audivit, dicens: « Audivi illic vocem sine cessatione dicentem: Væ mihi! væ mihi! » Sic quoque nos apertissime dicere debemus. » Apertissime vero in his verbis possumus cognoscere, quare flere conveniat, ne post hujus vitæ discessum in luctum veniamus æternum. Utile namque consilium est hoc ad tempus deplorare, quia hæc vita brevis, et labens, et (4) misera, et cito transitura. Illa namque vita nullum terminum habet, nunquam finietur; et sicut Sancti sine fine in cœlo gaudebunt, sic et peccatores sine fine cum diabolo in inferno cruciabuntur, et si lacrymas, ut statim volumus, invenire non possumus, orando non deficiamus; persistamus in precibus, quia facile potest Deus lacrymas dare. Multi enim lacrymas habere desiderant, sed non statim, ut volunt, illas inveniunt, de quo exemplum in vita Patrum scriptum est. Quidam frater interrogavit quemdam senem dicens: « Anima mea desiderat valde lacrymas habere, ut audio senes lacrymantes, et mihi non veniunt, et ita tribulatur anima mea. Quid faciam? » Et respondit senex: « Filii Israël post quingentos annos intraverunt in terram repromissionis; ad quam si perveneris, nullum timebis bellum. Ita enim vult Deus affligi animas nostras, ut semper desiderent in illam terram ingredi. » Dicebat etiam de beato Arsenio, qui toto tempore vitæ suæ sedens ad opus manuum suarum, pannum habebat ante se propter lacrymas, quæ cadebant ex oculis ejus. Hoc vero nos audientes, o charissima Mater, quantum nos debemus præparare ad lamenta pœnitentiæ; quod si illi tam sancti, et justi, et Dei per omnia facientes voluntatem, sic mortificabant vitia in corporibus suis, quanto magis nos peccatores flere et lugere debemus, et cogitare diem mortis nostræ, et diem judicii; cogitare etiam qualis discussio ibi erit. Audiamus quid beatus Antonius cuidam fratri eum interroganti responderit. Ipse frater interrogavit eum dicens: « Dic mihi aliquod verbum. » Dixit ei senex: « Vade, et fac talem cogitationem qualem faciunt viri, qui retinentur in carcere. Ipsi enim (5) interrogant, ubi sit judex, et quando venturus sit ad judicium faciendum, et in ipsa interrogatione pœnas suas deplorant. Ita et monachus debet semper esse suspectus et animam suam objurgare dicendo: Væ mihi, quomodo stare debeo ante tribunal Christi, et quomodo debeo actuum meorum reddere rationem. Igitur si sic semper meditatus fueris, salvus

[1] Hæc apud Apostolum non inveni. — [2] Psal. lxv, 15. — [3] Id. xix, 4.

(1) Cod. cibum. — (2) Id est non præponas; et ita forte scribendum. — (3) Cod. fac. — (4) Id. est. (5) Id. male enim.

eris. » Et tu, o Mater, hæc audiens, de pœnis inferni cogita, et fac sicut iste servus Dei hortatur : « Vermis ibi non » moritur, et ignis nunquam extinguitur [1]. » Luctus vero nunquam finietur, pœna nunquam terminabitur; et si hæc semper cogitaveris, salva eris. Recole semper illud quod abbas Elias dixit : « Ego timeo tres causas : prima est quando egredietur anima de corpore; secunda est, quando occursuros sum Deo; tertia est, quando sententia in judicio adversum me proferetur. » Et tu, o Mater, hæc meditare, hæc cogita, et hæc apud temetipsam tracta sollicite, ut inferni laqueos possis vitare, et ad regna cœlorum merearis conscendere. Hic enim lugendum est, quia scriptum est : « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur [2]. » Nequaquam hoc de omni luctu dicit, quia multi sunt, qui lugent mortem parentum suorum vel amicorum, et quia res, quas desiderant terrenas, adipisci non possunt (1); pro suo luctu non sunt beati. Solummodo illi lugentes sunt beati, qui sua vel aliorum peccata deflent; sicut Samuel et David flebant Saul, et Paulus deflebat eos, qui non egerunt pœnitentiam a fornicatione, et ab immunditia sua [3]. Defleamus igitur, in hac vita, nostra et nostrorum parentum peccata, quia lugentibus dictum est : « Luctus » vester in gaudium convertetur [4]. » Seminemus nunc in luctu, ut metamus tunc in gaudio (2) cum illis, de quibus Psalmista dicit : « Euntes ibant et flebant mittentes semina » sua; venientes autem venient in exultatione portantes » manipulos suos [5]. » Vides ergo quam beatus in Scripturis prædicatur luctus. Audi adhuc quod in vita Patrum scriptum est. Miserunt aliquando senes de monte Nitriæ (3) ad abbatem Macarium majorem in Scetim, rogantes ut veniret ad eos. Alioquin sciret omnem multitudinem ad eum esse iturum, eo quod desiderarent videre eum, antequam migraret ad Dominum. Qui cum venisset ad montem, congregata est (5) omnis multitudo fratrum ad eum, et rogabant eum senes, ut faceret sermonem omnibus fratribus. Ille autem lacrymans dixit : « Ploremus omnes, fratres, et producant oculi nostri lacrymas, antequam eamus illuc, ubi lacrymæ nostræ corpora nostra comburant. » Et fleverunt omnes proni in terram et in facies suas, dicentes : « Pater, ora pro nobis ad Deum. » Abbas etiam Sylvanus aliquando sedens cum fratribus suis, factus est in excessu mentis, et cecidit in faciem suam, et postmodum surgens plorabat, et interrogaverunt eum fratres dicentes : « Quid habes, pater ? » Ille autem tacendo flebat. Illis autem eum compellentibus, dixit : « Ego autem ad judicium raptus sum, et vidi multos de habitu nostro ad tormenta euntes, et multos sæculares ad regnum. » Et ideo ipse lugebat, et nolebat de cella sua exire; sed cum exire cogebatur, de cucullo operiebat faciem suam, dicens : « Quid necesse est videre lumen istud temporale, in quo nulla est utilitas ? » Manifestum est igitur, ut credo, prudentiæ tuæ, quam magna virtus sit Compunctionis, per quam peccata delentur, et virtutes acquiruntur. Nolo autem ut ab hac virtute tua sit mens aliena, quæ in pectore perfectorum hominum habitat. Per hanc vitia superantur, et per hanc multi Deo placuerunt; per hanc diabolus vincitur, ut Dominus ad misericordiam provocatur. Per veras enim lacrymas omnia, quæ præfata sunt, complentur. Veras namque lacrymas habet, qui post (4) hoc non committit quod defleat. Hoc est etiam docte plangere; docte namque plangit, qui plangendo malum, quod fecit, non perpetrat, quod iterum plangere debeat; quia irrisor est, et non pœnitens, qui adhuc perpetrat, quod plangere ipsum oportet.

CAPUT IX.

De Beatitudine Compunctionis.

Quapropter post luctum annotanda (5) est Beatitudo Compunctionis, ut quod plangis desiderio emendandi, non (6) iterum te delectet (7) operari, diabolo suadente. Cani enim assimilatur omnis pœnitens, qui plangendo iterum committit, quod plangit. Canis reversus ad vomitum, est pœnitens reversus (8) ad peccatum [6]. Multi enim lacrymas indesinenter fundunt, et peccare non cessant. Et ideo, charissima Mater, tuam bonitatem hortor, ut quod plangis, iterum non committas, ne similis sis illi qui lavat laterem nondum coctum, quia dum magis illum lavat, magis lutum facit. Isaias namque hortatur dicens : « Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum de cordibus vestris [7]. » Lavatur enim, at (9) mundus non est, qui peccatum plangit, et iterat quod plangit. Lavatur, et mundus efficitur, quisquis plangit malum, quod facit, et iterum non committit plangendum. De anima enim, quæ plangit peccata sua, et eadem iterat, scriptum est per Prophetam : « Quam vilis facta es nimis, iterans » vias tuas [8]. » Non ideo hoc tibi scribo, quod (10) de te talia suspiciam (11), sed ut scias quam lenis et dulcis Compunctio debet esse.

CAPUT X.

De Oratione, et qualiter homo debeat orare.

Sed quia tibi manifesta (12) est virtus compunctionis, restat ut modus orandi tibi pandatur. Dominus enim ostendit nobis modum orandi. Cum rogaretur a Discipulis suis, ut eos doceret orare, dixit : « Cum statis ad orandum, nolite multum loqui, sed dicite : Pater noster, » et cætera. Oratio enim brevis debet esse, nisi (13) forte ex affectu divinæ gratiæ protendatur. De beato enim Arsenio in vita Patrum legitur hoc, quod nunc narro : dicebant senes de beato Arsenio, quia vespere lucescente Sabbati in Dominica relinquebat post se solem extensis manibus ad cœlum orans, donec mane diei Dominicæ ascendens sol illustraret faciem ejus, et sic residebat. Videat igitur, o sanctissima Mater, charitas tua quam fortis iste fuerit in Orationis officio, qui (14) de vespere usque mane, extensis manibus orabat. Non ideo hoc tibi scripsi, ut ita tentes facere, sed ut affectum et studium, quod ille per totam noctem, vel etiam per totum tempus vitæ suæ habebat, tu in regularibus horis habere studeas; et sic stes in Oratione, ut mens tua voci concordet. Audiat igitur adhuc dilectio tua verbum de modo Orationis. Narravit abbas Dulas, qui fuit discipulus Bessarionis dicens : « Veni aliquando ad cellam abbatis mei, et inveni eum in Oratione, et manus ejus extensæ erant ad cœlum. Permansit autem hæc faciens quatuor dies, et post hoc vocavit me dicens : » Sequere me. » Exiens autem secutus sum eum, et cum eo in eremum perrexi, et cum sitirem, dixi : « Abba, sitio. » Ille vero tollens peram, discessit a me quantum jactus lapidis, et facta Oratione, attulit eam plenam aqua, et illico ivi-

[1] Marc. IX, 43. — [2] Matth. V, 5. — [3] 2 Cor. XII, 21. — [4] Joan. XVI, 20. — [5] Psal. CXXV, 6. — [6] 2 Petr. II, 22. — [7] Isai. I, 16. — [8] Jerem. II, 36.

(1) Cod. addit *quia*. — (2) Id. *in gaudium*. — (3) Id. male *vitria*. — (4) Non habetur est in cod. — (5) Cod. *per*. — (6) Id. *ammonendam*. — (7) Id. *nos*. — (8) Id. *delectes* sine pronomine *te*. — (9) In cod. deest *reversus*. — (10) Cod. *qui* male. — (11) Id. *ut*. — (12) Id. *suspicere*, quod male scriptum est, nisi addas *suspicere queam*. — (13) Id. *manifestum*. — (14) Id. *non*. — (14) Id. *quod*, et deinde *orat*.

mus in civitatem, et venimus ad abbatem Joannem; deinde sedendo, cœpimus loqui de visione, quam viderat in Oratione stando. Dicebat et de abbate Sisoy (1), quod nisi cito manus deponeret, quando stabat ad Orationem, ad superiora rapiebatur mens ejus. Si ergo contingebat aliquos fratres cum eo orare, festinabat cito deponere manus suas, ne raperetur mens ejus in Oratione. Dicebat etiam alius senex, quia assidua Oratio cito corrigit mentem. Dicebant quidam sanctorum Patrum, quia sicut impossibile est, ut quis videat in aqua turbida faciem suam, sic et anima, nisi purgata fuerit a peccatis, contemplari Deum non potest. Audisti, Mater, quod abbas Sisoy, nisi cito dimitteret manus suas, rapiebatur contemplatione Orationis. Quare rapiebatur? sine dubio quia mortificatus erat. Audiat ergo, rogo, dilectio tua, quale studium Paulus monachus habuit orandi, quod in ecclesiastica Historia scriptum habetur. Fuit iste Paulus de Lybia in Scetim non minus quingentos monachos habens, qui nihil operabatur, nisi tantum quod ad usum sibi sufficeret. Orabat autem solummodo, et veluti quoddam tributum habens sibi impositum, trecentas Orationes, id est »Pater noster,» unaquaque die Deo reddebat, et ne unam dimitteret forte, trecentos lapillos in sinu suo ponebat, et pro singula Oratione perfecta, lapidem de sinu suo extrahebat; exponsis (2) vero lapidibus, Orationes sciebat esse completas. Multum igitur nos debemus humiliari, qui et longe ab illorum meritis, quorum superius mentio facta est, distamus, et sic prompti ad Orationem faciendam, ut illi (3), non sumus. Oratio enim juncta compunctioni magnæ virtutis est. Volo quoque ut solerter attendas, quod Jesus Christus ac Salvator noster, volens orare, ascendit in montem. Ideo Jesus oraturus in montem ascendit, ut tu orando in montem conscendas cœlestem. Nequaquam enim omnis, qui orat, in montem ascendit. Ille vero qui mortem inimici sui quærit, aut res inimici, ut honorabilior in hoc mundo esse possit, nequaquam ascendit in montem cœlestem. At e contra qui in Oratione pro remedio suæ animæ, vel pro alienis peccatis Dominum deprecatur, iste absque dubio in montem, sicut Jesus, oraturus ascendit. Vide, ut hæc legas; attende, Deo dicata, ut ordinate de mortificatione venias ad compunctionem, et compunctionem habendo, nosse et habere possis modum orandi.

CAPUT XI.

De Pugna vitiorum adversus virtutes, et quomodo extirpanda sunt vitia et inserendæ virtutes.

Et quia lucide nonnullis instructa es virtutibus, restat ut mente diligenter attendas quot sint (4) luctamina vitiorum adversus virtutes. Magnum namque (5) est certamen vitiorum adversus virtutes. Tunc enim poteris omnia vitia pugnando superare, cum divino auxilio, si contra singula vitia virtutes opposueris. Solet enim pugna vitiorum adversus virtutes ad profectum hominis venire, quia per illud certamen mens exercitatur, et a rebellatione (6) peccatorum purgatur. Contra singula quoque vitia virtutes sunt adhibendæ; contra luxuriam munditia cordis est adhibenda, contra iracundiam patientia est opponenda, contra timorem est fiducia mittenda, contra torporem vero zelus apponendus est, contra tristitiam quoque malam adhibenda est lætitia spiritualis, et lætus amor; contra acediam vero fortitudo assumenda est, contra avaritiam est adhibenda largitas, contra superbiam humilitas est præponenda, contra odium vero charitatis virtus est assumenda. De hoc enim certamine Paulus dicit apostolus: »Caro concupiscit »adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Hæc »enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis »illa faciatis[1].» Et tu, Deo dicata Mater, hæc legendo, et memoriæ commendando, stude contra hostis antiqui insidias viriliter dimicare. Si te somnolentia gravat, stude illam vincere vigilando, quia somnolentia per vigiliam destruitur. Si te delectat balneorum usus, veniat tibi ad memoriam beatus Jacobus, frater Domini, qui primus post Apostolus Hierosolymorum rexit ecclesiam, de quo Josephus narrat quod nunquam carnes comedit, nec balneo usus fuit, nunquam lineis vestibus fuit indutus, nec caput secundum consuetudinem suæ gentis oleo unxit. Si deliciæ in delectatione tibi eveniunt, propone ante tuos oculos Joannem Baptistam, qui fuit in utero matris suæ sanctificatus, de quo Dominus dicit: «Inter natos mulierum non »surrexit major Joanne Baptista[2].» Narrat de eo sanctus evangelista Matthæus, quod mel sylvestre et locustas edebat. Si enim illi, qui in te peccat, et qui tibi detrahit aut maledicit, vel in aliquo lædit, ignoscere non potes, sicut vis, veniant ad memoriam tuam quanta et qualia pro te passus fuerit Dominus Jesus Christus. Pro te factus est homo mortalis, corruptibilis et passibilis, qui immortalis et impassibilis semper erat Deus. Assumpsit enim pro te carnem ex Virgine, in qua pateretur et moreretur. Pro te quoque flagellatus est, alapis cæsus, sputis linitus, spinis coronatus, ad extremum etiam fuit crucifixus. Pro te hæc omnia sustinuit Christus, ut te a diaboli potestate eriperet; pendens enim pro te in cruce, quid dicebat? «Pater, ignosce »illis, quia nesciunt quid faciunt[3].» Ille igitur qui (7) sine peccato occidebatur, pro suis inimicis exorabat, et tu si aliquam molestiam pateris ab aliquo, si non potes ex toto corde dimittere, credo quod ista, quæ narro, si subtiliter cogitare volueris, ex tota mente facile dimittere poteris. Hæc enim meditando et mente discutiendo, poteris iram vincere, poteris omnes diligere, poteris omnia Dei præcepta incunctanter adimplere, qui dicit: »Diligite inimicos »vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro per»sequentibus et calumniantibus vos[4].» Si tibi advenerit voluptas vagandi, recole quod jam mortua es cum Christo. Numquid homini crucifixo venit voluptas vagandi? Non; quia nihil cogitat qui ad mortem tendit, nisi de morte sua. Et tu jam mortua es huic mundo. Vide ne tu illi, aut ille tibi resuscitet. Dic potius cum apostolo Paulo: «Mihi mun»dus crucifixus est, et ego mundo[5].» Hæc vero cogitando vagationem mentis vincere poteris. Audi quid ipse Apostolus de pugna vitiorum adversus virtutes dicat vel doceat: »Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis[6].» Tu autem si vis vivere cum Christo, mortifica per virtutes omnia vitia. Per charitatem mortifica avaritiam, per gaudium tristitiam, per pacem extingue discordiam, per patientiam mortifica superbiam, per bonitatem occide malitiam, per mansuetudinem extingue ferocitatem, per continentiam mortifica intemperantiam, per castitatem occide impudicitiam. Si istos actus carnis mortificaveris, sine dubio perenni lætitia cum Angelis in cœlis frueris.

---

[1] Galat. v, 17. — [2] Matth. xi, 11. — [3] Luc. xxiii, 34. — [4] Matth. v, 44. — [5] Galat. vi, 14. — [6] Rom. viii, 13.

(1) Sanctus Sisoy aut Sisoë in deserto Scetim mortuus est an. 429. — (2) Cod. exponsis. — (3) Id. male utiles. — (4) Id. sit, pro sint, non legas ... quod sit luctamen, aut quæ sit lucta. — (5) Id. quoque. — (6) Id. bella... tione. — (7) Deest qui in eod.

CAPUT XII.

De Studio legendi Scripturas.

Non est in his diu morandum, quia transmitto Charitatem tuam ad latissimum campum divinarum Scripturarum, ubi (1) quod hic deesse tibi decernis, si solerter perquiras, invenies. Quapropter deprecor dilectionem tuam, ut studium semper in te crescat legendi. Nullus enim, ut puto, potest Dei perfecte nosse præcepta, nisi qui legendi continuum habet studium; quia quanto quisque in divinis Scripturis magis assiduus fuerit, tanto majorem ex eis intelligentiam capit; sicut terra, quanto magis excolitur, tanto amplius fructificat. Nam quamvis tardum quis (2) sensum habeat, aliquid tamen discere poterit ex Scripturarum mysteriis, si assiduitatem legendi habuerit. « Qui enim habet, dabitur « ei, et qui non, jam quod videtur habere, auferetur ab « eo[1]; » id est, qui habet studium legendi, dabitur etiam illi et intelligendi facilitas, et qui non habet studium legendi, etiam quod videtur habere, id est, quod naturaliter bonum intelligit, propter ignaviam ejus auferetur ab eo; et sicut ille qui tardus est ad intelligendum, pro sua bona intelligentia vel in tentatione recipiet gloriam; ita ille qui talentum sibi datum negligit, condemnabitur. Quapropter admoneo charitatem tuam, ut studium habeas legendi. Quæ enim nescimus, ex assidua Lectione discimus, quia omnis profectus ex Lectione procedit, quia dicitur: « Oratione continua a vitiis mundamur, Lectionibus instruimur; utrumque bonum est si liceat; si non liceat, melius est orare quam legere. Quicumque vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare, et frequenter legere. Nam, cum oramus, cum Deo loquimur; cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur. » Si hæc ita sint, o Deo dicata Mater, necesse est tibi orandi legendique studium habere. Lectio enim cognitionem Dei administrat, Lectio tenebras ignorantiæ fugat, Lectio homini scientiam confert; Lectione, Dei studium omniumque virtutum amor nutritur; per Lectionem cognoscere potes, qualis beatitudo, qualis gloria, qualis (3) sit claritas quæ promittitur Sanctis omnibus et electis. In Lectione cognoscere potes qualis pœna, qualis luctus, quale supplicium imminet malis, injustis et impiis hominibus. Per Lectionem cognoscere vales, quid audituri sunt boni vel mali in die judicii. Malis enim a Domino dicetur: « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est « diabolo et Angelis ejus[2]; » bonis vero dicetur: « Venite, « benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis para- « tum est ab origine mundi[3]. » Hæc enim omnia Lectione continua discimus. Lectio enim administrat, quomodo prospera, quomodo adversa tolerare debeas. Quapropter subjungendum est hic aliquid, quod in exemplis sanctorum Patrum legi, qui infirmitates vel omnia adversa pro Christi amore patienter tolerare studuerunt. Hæc legas, hæc memoriæ commendes; illos totis viribus imitari stude.

CAPUT XIII.

De Admonitione Tribulationum et Infirmitatum.

Hortor igitur, ut si Infirmitas vel contrarietas tibi acciderit (4), quatenus perfici valeas, scire qualiter tribulationes omnesque Infirmitates tolerare debeas, te oportet. Lectioni esto dedita; ibi enim invenies: « Ego enim quos « amo corrigo et castigo[4]. » Si Dominus quos amat corrigit et castigat, ergo et tu, Mater, ama argui et castigari ab illo. Qualiscumque infirmitas tibi advenerit, gratanti animo suscipe illam. Volo tibi unam rem de Historia Tripartita narrare, quam subinde volo ut legas et memoriæ commendes. Fuit Benjamin senior, qui valde clarior habebatur, dono Dei ita (5) ditatus, ut sine meditatione, sed solo tactu manûs, aut olei unctione, facta oratione, sanaret ægrotos. Hic fertur incidisse hydropicam infirmitatem, et tantum ejus corpus intumuisse ut non posset per januam cellulæ suæ, in qua habitabat deferri, nisi tabulæ ante positæ sublatæ fuissent. Hic ergo passionis suæ tempore, pene octo mensibus ante mortem, bene in sella latissima sedens curabat solemniter ægrotantes, non graviter ferens quod suæ ægritudini non prodesset, sed etiam circumdantes consolabatur, et deprecabatur, ut rogarent Deum pro anima ejus, et de corpore non curarent, quia, dum sanus esset, nihil sibi profuisse dicebat. Hunc Benjamin imitari stude, o sanctissima Mater; in omnibus Infirmitatibus tuis, semper gratias Deo stude referre. Audiat dilectio tua de beato Stephano monacho, qualiter in Infirmitatibus gratias Deo studuerit reddere. Stephanus autem, qui circa mare Oceanum habitabat, perfecta degens et integra continentia, circa sexaginta annos probatissimus monachus fuit. Fuit autem et Antonio magno notissimus, et amantissimus, et sapiens, locutione suavis et utilis. Tristantium consolabatur animos, et lacrymantes revocabat; si et necessaria Tribulatio perveniret sibi, malis erat gaudens in (6) propriis. Denique dum in infirmitatem incurabilem pervenisset, et medici putrida (7) verba dicerent, ille tamen manibus operabatur, palmarum plectens folia, et præsentibus persuadens, ut de rebus hujus mundi non dolerent, neque aliud cogitarent, nisi de bono fine. « Deus, inquit, qui fecit cuncta quæ utilia sunt, ipse sit cogitatio nostra. Ego autem novi; hujusmodi passiones pro peccatis eveniunt, et melius est hic pœnam solvere, quam post mortem æterna supplicia sustinere. » Stude ergo ita similiter, o Mater Deo dicata, dicere, quæcumque Infirmitas aut alia contrarietas tibi evenerit. Considerare quoque summopere debemus, si illi qui sancti et justi erant, Domino pro Infirmitate et Tribulatione gratias referebant, quanto magis nos qui peccatores sumus, Infirmitates et Tribulationes amare debeamus, præsertim cum Apostolus dicat, quod « Per multas tri- « bulationes oportet nos intrare in regnum Dei[5]? » Amandæ sunt Tribulationes; cum gratiarum actione a nobis tolerandæ sunt Infirmitates, quatenus hæredes regni cœlestis effici mereamur. Peccator enim qui in hoc mundo flagellari non meretur, in inferno æternaliter torquebitur. Optandum nobis est ergo, o sanctissima Mater, ut in hac vita dum vivimus, Tribulationes et Infirmitates pro Christi amore, et pro remissione peccatorum nostrorum libenti animo sustineamus. Scire namque debet dilectio tua, quibus modis Dominus hominem flagellat. Primo modo flagellat ad probationem, sicut flagellatus est Job et Tobias. Ad hoc enim flagellati sunt, ut probati essent et manifesti, ab aliis ob causam exempli imitandi, ut eorum cognoscentes patientiam, illos imitari studeamus. Secundo modo Deus hominem flagellat, ne se in superbiam extollat, vel in securitate ponat, quod ad Sanctos pertinet specialiter, sicut beatus apostolus Paulus, qui de se ipso dicebat: « Datus est mihi « stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet[6]; » Qui postquam cognovit quod salubre illud fuisset sibi flagellum, dixit: « Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut « inhabitet in me virtus Christi[7]. » Tertio modo Deus hominem flagellat propter peccata, sicut paralyticum, cui dixit: « Remittuntur tibi peccata tua[8]; » deinde subjungit: « Tolle

[1] Matth. XIII, 12. — [2] Id. XXV, 41. — [3] Ibid. 34. — [4] Apoc. III, 19. — [5] Act. XIV, 21. — [6] 2 Cor. XII, 7. — [7] Ibid. 9. — [8] Matth. IX, 2.

(1) Cod. male *vel*. — (2) Deest *quis* in cod. — (3) Cod. *quæ*. — (4) Hic quædam deesse videntur, qualia forent ista: *Patienter toleres; quibus ut perfici valeas*, etc. — (5) Deest *ita* in cod. — (6) Cod. *talis erat in gladiis propriis*. — (7) Sic cod., eo forte sensu quod dicerent verba quæ putredinem mox futuram prænuntiabant.

» lectulum tuum, et vade in domum tuam[4]. » Per hoc enim quod ille primitus peccata dimisit, et deinde ab Infirmitate curavit, aperte demonstratur, quod Infirmitas ei propter peccata evenit. Quarto modo Deus hominem flagellat, ut sua virtus vel Sanctorum suorum meritis demonstretur; sicut de cæco nato, de quo ipse in Evangelio dicit : « Neque » hic peccavit, neque parentes ejus, ut cæcus nasceretur, » sed ut manifestentur opera Dei in illo[5]. » His verbis aperte demonstratur, quod ideo cæcus natus fuit, ut a Deo illuminaretur, ac per hoc virtus divinitatis ostenderetur. Quinto modo Deus hominem flagellat, ut hic incipiat tormenta sustinere, quæ post mortem sine fine sustinebit; quod solummodo ad malos pertinet, sicut Antiochus et Herodes inchoaverunt hic pati, quod postea in inferno passuri erant. De his scriptum est : « Duplici contritione contere eos[6], » id est, in præsenti et in futuro. His quinque modis Deus hominem flagellat; idcirco incognitum est quomodo ex his unusquisque flagellatur, ut timeat et emendet quod fecit flendo, quatenus flagellum ei ad profectum eveniat. Admonenda est ergo beatitudo tua, ut hos quinque modos, quibus Deus hominem flagellat memoriter teneas, quatenus in omni Infirmitate et Tribulatione semper ante mentis oculos, quæ dicta sunt, habeas. In his namque meditando flagellum Dei gratanti animo tolerabis. Firmiter enim debemus credere, quod nullum peccatum sine vindicta relinquitur. Aut enim hic per pœnitentiam unusquisque peccatum suum delet (1), aut Dominus pie per suum flagellum purgat, aut post mortem igne purgatorii purgabitur; quod si his modis peccatum hominis non fuerit deletum, post hanc vitam in ignem descendet æternum. Hæc vero audiens et ad memoriam reducens, nequaquam debes de tua desperare salute, et (2) nequaquam cum desperatione dicere : « Multa sunt mala et innumerabilia peccata mea. » Scito pro certo quod nullus tantum potest peccare, quantum Dei pietas valet dimittere, si tamen pœniteat peccans, et si ad illum se convertere studeat.

CAPUT XIV.

De Venia peccatorum speranda.

Et quia sermo se intulit de venia peccatorum speranda, volo factum Theodosii imperatoris tibi ad memoriam reducere, per quod ad sperandam peccatorum Veniam mens tua sublevetur, et ad lacrymarum fluenta proferenda (3) cortuum compungatur. Cur desperabit aliquis peccatorum habere Veniam, si ad Deum ex toto corde convertatur, cum supradictus Imperator septem millia occidens, pueros et (4) matres, lamentando et se reum agnoscendo, Veniam infra paucos dies potuit promereri? Ut igitur manifeste cognoscere possit sanctitas tua, quo modo hæc gesta sunt, cur videlicet septem millia hominum occidens, et ista occasione se reum agnoverit, et quomodo se humiliaverit, et quomodo Veniam promeruerit, verba Historiæ Tripartitæ hic per ordinem sunt inserenda; per quæ verba in multis proficere, Domino auxiliante, virtutibus poteris; primum quidem in speranda Venia peccatorum, qui tantorum hominum sanguine reus existens, facile Veniam impetravit. Deinde considera humilitatem, quia cum Imperator esset, per prædicationem beati Ambrosii tantum se humiliavit, ut omnibus peccatoribus inferiorem se esse cognosceret; deinde lacrymis se dedit abundanter, quia cum in ecclesiam intravit, pavimentum ipsius ecclesiæ lacrymis rigavit. Volo igitur, ut hoc tuæ charitati non incognitum sit, quia nemo simul in se omnia valet extinguere vitia. Nam dum quispiam passionem libidinis effugerit, in avaritiam currit (5), et cum ab avaritia declinaverit, invidiæ foves illi paratur, et si invidiam vicerit, mox vitium furoris, et alios plurimos laqueos ei apponit inimicus, per quos capere possit incautos. Non est utique facile hominibus vitare universas insidias hominis, sed mens in divino solatio vigilans, argumenta et machinationes antiqui hostis destruit. Theodosius namque imperator habuit passionem furoris, sed cum furore immensam crudelitatem commisit (6). Quare Theodosii pro tua utilitate, id est, ut in supradictis virtutibus ex ejus lectione proficias, factum necessarium est. Civitas Thessalonica (7) grandis est et populosa, in qua cum fuisset seditio magna, quidam ex judicibus lapidati sunt, atque tracti per civitatem, et ad ultionem decollati. Ista enim de causa indignatus Theodosius, iracundiæ non refrenavit infirmitatem, sed jussit injusta gladios super evaginari, et una cum nocentibus innocentes interimi; septem millia etiam hominum, sicut fertur, occisa sunt, judicio non præcedente, sed tanquam animalia omnes quidem occisi sunt. Hujusmodi plateam plenam gemitibus audivit Ambrosius; et cum princeps Theodosius Mediolanum venisset, et solemniter in sanctum templum voluisset introire, occurrit ei foras ad januas beatus Ambrosius, et ingredientem his sermonibus a templi ingressu prohibuit. « Nescis, Imperator, perpetratæ nequitiæ a te quanta sit magnitudo; nam post scandalum (8) tanti furoris, mens tua Veniam petiisse peccati non (9) cognoscitur, quam causam (10) prohibet potestas imperii. Decet tamen ut vincat ratio potestatem. Scienda quippe natura est, ut ejus mortalitas, atque resolutio, et pulvis, ex quo facti atque redigendi sunt in eum homines, et non in flore purpureo confidendum, sed oportet considerare infirmitates cooperti corporis, et infirmitates coæqualium hominum. Non est confidendum in purpura, sed magis considerandum est, o princeps Imperator, quod (11) unus est Deus omnium rex, et omnium creator. Quibus igitur oculis Domini aspicies templum? quibus pedibus palpabis sanctum ipsius pavimentum? Quomodo manus extendes (12), de quibus sanguis justus adhuc distillat? quomodo hujusmodi manibus sanctum suscipies Domini corpus? Qua præsumptione ori tuo porriges (13) poculum sanguinis Domini pretiosi, dum furore sermonum tantus sanguis injuste sit effusus? Recede ergo, recede, et ne (14) secundo peccato priorem nequitiam augmentes (15). Tu tandem suscipe vinculum, quo te Dominus omnium nunc ligavit. Est enim medicina maxima sanitatis cognitio peccati. » His quoque sermonibus imperator Theodosius obediens fuit, divinis eruditionibus nutritus, et aperte (16) utilia monita sacerdotum agnoscens, et deflens ad regalia remeavit. Cumque octo mensium continuata transissent tempora, appropinquavit Salvatoris nostri Jesu Christi nativitas. Imperator Theodosius assiduis lamentationibus in palatio residens, continuas lacrymas incessabiliter emittebat. Ingressus autem Rufinus magister singularem fiduciam apud Theodosium habens, vidit eum in lamentatione prostratum; accessit ut lacrymarum causas inquireret. At ille amarissime ingemiscens, et vehementius lacrymans : « Tu, inquit, Rufine, me deludis, et mea mala non sentis. Ego autem lamentor et gemo calamitatem meam, quia servorum quidem, et mendicantium, et claudorum est templum Dei, et ipsi templum ingredientes, proprium Dominum licite exorant; mihi vero ingressus non est patens ad Deum; insuper et cœli mihi clausi sunt, qui animas suscipiunt justorum. » Hæc enim singula verba dicens, singultibus (17) verba singula irrumpebat. Rufinus respondit : « Vado, inquit, si tibi placet, et Pontifici pro-

[4] Matth. IX, 6. — [5] Joan. IX, 3. — [6] Jerem. XVII, 18.

(1) Cod. *deleat.* — (2) Deest *et* in cod. — (3) Cod. *perferenda.* — (4) Deest *et* in cod. — (5) Sic cod. in textu, at in marg. *vergit.* — (6) Cod. *permisit.* — (7) Id. *Thessalonica.* — (8) Id. *causam.* — (9) Deest *non* in cod. — (10) Forte legendum *quod tunc.* — (11) Deest *quod* in cod. — (12) Cod. *extendis.* — (13) Id. *porrigis.* — (14) Id. *ea.* — (15) Id. *augmentasti.* — (16) Id. addit *sciens* quod videtur abundare. — (17) Id. *singultus.*

cibus persuadebo, ut solvat vinculum, quo te ligavit. » Ait ei (1) Theodosius : « Non suadebis Ambrosium servum Dei. Novi enim decretum illius esse justum, neque credas per imperialem potentiam, quod (2) legem possit prævaricari divinam. » Cumque Rufinus pluribus verbis niteretur, ut promitteret Ambrosium esse flectendum, Theodosius enim pergere cum festinatione præcepit. Ipse vero, spe data, post paulum secutus est eum, credens promissionibus ipsius. Porro mirandum! Ambrosius mox ut vidit Rufinum, dixit : « Imitatus es impudentium (3) canum vestigia, o Rufine, tantæ necis auctor existens; pudorem existentem detergens, non erubescis, nec metuis contra divinam imaginem latrare. » Cumque supplicaret Rufinus, et Theodosium imperatorem diceret esse venturum, superno zelo Ambrosius dixit : « Rufine, ego prædico quia ingredi Ecclesiam prohibebo. Si vero imperium in tyrannidis mutavit vocem (4), ego libenter suscipiam. » Hæc et alia plurima Rufinus audiens, nuntiavit Imperatori votum Antistitis, monens, ne forte de palatio procederet. Ait Imperator, hoc in media platea cognoscens : « Pergam, justas (5) et in faciem suscipiam contumelias. » Cumque ad sacra limina pervenisset, in sanctam quidem basilicam non præsumpsit intrare, sed veniens, et eum in salutatorio inveniens, supplicavit ut ejus vincula dissolveret. At ille crudelem dicebat ejus esse præsentiam, et contra Deum venire Theodosium, ejusque calcare leges. Verum inquit Imperator : « Non insurgo adversus ecclesiasticas sanctiones, neque unquam ingredi limina sacra contendo. Sed te solvere vincula mea deposco; Domini clementiam pro me exorare stude, nec mihi januas præcipias claudi, quas Dominus cunctis pœnitentiam agentibus aperuit. » Tunc ait Antistes : « Quas pœnitentias ostendisti post tantas iniquitates, et quibus medicaminibus incurabilia vulnera plagasque curasti? » Ait Imperator : « Tuum opus est et docere et medicamina temperare, meum vero est oblata suscipere. » Tunc sanctus Ambrosius dixit : « Quoniam cum furore tuo nequam judicium commisisti, et ratio non protulit sententiam, sed potius iracundia, scribe legem, quæ decreta furoris evacuet, ea qua sententiis antequam executionem recipiat, nullis obstantibus prescriptionis litteris, triginta dies expectet; quibus transactis diebus, ratio causam removens injustitiæ, quæ cognoverit, in veritate disponat (6). In his enim diebus cognoscetur utrum justa sit sententia, quam protulisti an injusta. Si justa fuerit, permaneat; si autem injusta, destruatur; numerus triginta dierum ad hoc examinandum sufficiet. » Hanc admonitionem imperator Theodosius libenti animo suscipiens, et optimam esse confitens, legem describi repente præcepit, et propria manu litteras confirmavit. Quo facto, vinculum ejus solvit Ambrosius. Quæ lex observatur; in tali namque tenore facta est illa descriptio, ut si quos Imperator morti damnasset, illis lex triginta dierum servaretur, et post triginta dies quod justum perhiberetur, hoc ageretur. Sic igitur sacratissimus Imperator ingredi limina præsumens ecclesiæ, protinus in pavimento jacens, Davidicam vocem proclamavit dicens : « Adhæsit pavimento anima mea, vivifica me secundum « verbum tuum[1]; » manibus capillos vellens, veniam a Deo impetrari poscebat. Cumque tempus accederet, quo munus ad altare solebat afferre, surgens cum lacrymis ecclesiam ingressus est. Cum (7) vero obtulisset, ut solitus erat, inter cancellos stetit altaris. Reversus Ambrosius eum stare non quievit, sed differentiam locorum edocuit, et primo quæsivit quid ibidem expectaret. Imperatore dicente : « Sustinere se sacrorum mysteriorum perceptionem, » per archidiaconum remandavit dicens : « O Imperator, interiora loca tantum sacerdotibus sunt collata, quæ cæteri nec ingredi, nec contingere permittuntur. Egredere igitur, et hanc expectationem cum cæteris habeto communem. Purpura namque Imperatores, non Sacerdotes facit. » Tunc fidelissimus Imperator etiam hanc traditionem gratanti animo suscipiens, remandavit dicens : « Non audaciæ causa inter cancellos mansi, sed in Constantinopolitana urbe hanc consuetudinem esse cognovi, unde ago gratias pro hujusmodi medicina. Quam quia tali et tanta virtute et Præsul et Imperator clarebant! Ego namque utrinsque opus admiror (8) illius fiduciam, hujus autem obedientiam, id est, fiduciam sacerdotis, et obedientiam imperatoris; illius zeli fervorem, hujusque fidei puritatem, id est zeli fervorem in sacerdote, fidei puritatem in rege. Igitur ex hoc opere, quod nunc est narratum, datur intelligi, quod potest nos excitare, o sanctissima deoque dicata Mater, in custodia multarum virtutum. Hæc igitur Theodosii christianissimi principis, et beatissimi pontificis contentio sancta provocat hominem ad sperandam Veniam peccatorum. Quam (9) maxime cura hanc contentionem tibi scribere studui. Provocat enim (10) charitatem, humilitatem, obedientiamque sectandam, quas virtutes in principio hujus admonitionis tuæ dilectioni commendare curavi. De quibus igitur virtutibus te in principio hujus exhortationis admonui, de ipsis te et in fine commoneo, quatenus bonum quod cœpisti, perseveranter perficias. Nam (11) utrumque cor lapideum ad lacrymas perfluendas (*sic*) incitat, et ad zeli fervorem. Deprecor vero dilectionem tuam, ut hunc actum, ac sanctissimam pœnitentiam piissimi principis, et zelum sanctissimi pontificis crebro legas, quia magnus profectus latet. Si itaque ea, quæ tuæ sanctitati scripsi, prudentissima Mater, perficere opere poteris, et prorsus ante omnia vitia repuleris, et quæ in hac admonitione narrantur bona custodire volueris, scito quod tuis viribus hæc non facies, sed illo aspirante et adjuvante, qui in Evangelio dicit : « Sine me nihil potestatis facere[2]; » et non solum facere, sed nec etiam dicere vel cogitare aliquid boni valemus, nisi illo operante et donante, a quo omne bonum procedit. Audi quoque quod Dominus de hac causa per Jeremiam prophetam dicit : « Non glorietur sapiens in « omni sapientia sua, et fortis in fortitudine sua, nec dives « in divitiis suis; sed in hoc glorietur, qui gloriatur (12), « scire et nosse me[3]. » Per hæc enim verba omnis superbia ab animo aufertur, quia sapientia, et fortitudo, et potentia in nihilum reputantur; et ista est sola gloriatio, ut sciat et intelligat quod ipse Dominus sic facit et judicium et justitiam in terra[4]. Ex isto enim loco apostolus Paulus sumpsit exemplum, quod ad Corinthios scripsit : « Fratres, qui gloriatur in Domino glorietur[5]. » Ubi sunt ergo illi qui dicunt hominem arbitrio (13) regi? ubi sunt, qui dicunt quod a nobis bonum inchoare possumus? Nequaquam illis credere debemus, qui nec cogitare, quanto minus perficere valemus bonum, nisi ipso donante? Ergo si Dei gratia largiente, bonum opus peregeris, et ea quæ tuæ beatitudini scripsi, cuncta perfeceris, non tuis viribus ac meritis attribuas, sed illi, qui in te operatur et velle et perficere, atque bonam voluntatem[6].

CAPUT XV.

De criminalibus et incestuosis Peccatis.

Sciendum est igitur unicuique, qui gehennam æternæ pœnæ quærit evadere, et cœlestis patriæ gloriam acquirere desiderat, quæ sint mortalia, et incestuosa, et criminalia

[1] Psal. CXVIII, 25. — [2] Joan. XV, 5. — [3] Jerem. IX, 23. — [4] Psal. XCVIII, 4. — [5] I Cor. I, 31. — [6] Philip. II, 13.

(1) Cod. *enim*. — (2) Id. *ut*, et deinde *posuit*. — (3) Id. *imprudentium*. — (4) Id est *si imperium in tyrannidem commutatum, jam hoc nomen debet accipere*. — (5) Cod. male *injustas*. — (6) Id. *disponit*. — (7) Id. male *cumque*. (8) Id. *admirans*. — (9) Id. *ó quam*, et deinde *causa*. — (10) Id. *etiam*. — (11) Id. iterum *etiam*. — (12) Id. male pro *qui gloriatur*, habet solummodo *in*. — (13) Id. *arbitro*.

Peccata, pro quibus nemo evadere potest sempiternum supplicium, nisi per lavacrum regenerationis, quod est baptismatis sacramentum, aut post baptismum commissa per pœnitentiam expiaverit, aut liberatur ex his in hac vita dignam vindictam receperit, quia non judicat Deus bis in idipsum[1]. Sunt autem hæc, quæ Paulus apostolus enumerat dicens: « Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non « consequentur[2]. » Ait ad Galatas de Peccatis criminalibus: « Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio; » sive dicatur generaliter omne peccatum, sive omnis immunda pollutio; « Immunditia, » id est, verba turpia, vel plusquam necesse est libidinis; « Luxuria, » id est, irrefrenata concupiscentiæ prostitutio; « Idolorum servitus; » id est, aut mammona magis quam Deum diligere, aut auguria, id est, temporalia facta nimis attendere; « Veneficia, » id est, qui venena noxia aut mortalia conficiunt, aut potiones ad partus necandos faciunt; « Inimicitiæ, » id est, qui corrupto vinculo Christianæ charitatis inimicus cuicumque efficitur, sive pro concupiscentia rerum suarum, sive pro invidia; « Contentiones, » id est, ubi voluptas sive pertinacia superbiæ fuerit magis quam ratio veritatis non requirit; « Æmulationes, quæ (1) invidiæ sunt, sicut in Libro Regum legitur æmula Annæ Fenenna[3]; sive æmulari imitari dicitur, id est, attendere vel sequi ut per Psalmistam dicitur: « Noli æmulari in eo, qui « prosperatur in via sua[4]; » id est, noli eum sequi vel attendere; hoc enim verbum et in bono potest accipi, sicut et apostolus Paulus ait: « Æmulamini charismata « meliora[5]. Iræ, » id est, irrationales animi commotiones; « Rixæ, » id est, contumeliosæ injuriæ (2) et opprobria verborum; « Dissensiones, » id est, discordiæ, sectæ, quæ a sequendo dictæ sunt; id est, quando relicta regula veritatis sequuntur (3) errores hæreticorum, aut profanas adinventiones falsorum magistrorum; « Invidiæ, » id est, quicumque alterius bonis aut prosperis contabescit et corrumpitur; « Homicidia, » id est, innocentium hominum occisiones; « Ebrietates, » id est, vini usque ad (4) mentis mutationem perceptio; « Commessationes, » id est, post famem exactam epularum diversarum usque ad gravitatem nimiam perceptio; « Et his similia, inquit Apostolus, « quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia « agunt regnum Dei non consequentur[6]. » Item ad Ephesios idem Apostolus scripsit dicens: « Fornicatio autem et « omnis immunditia nec nominetur in vobis sicut decet « sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, » id est, verba jocularia, « quæ ad rem non pertinent. Hoc « autem scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut « immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non « habet hæreditatem in regno Christi et Dei[7]. » Item ad Corinthios: « An nescitis quoniam regnum Dei iniqui non « possidebunt? Nolite errare, fratres mei, quia neque « avari, neque ebriosi regnum Dei possidebunt[8]. » Avari sunt quidem illi qui aliena acquirere concupiscunt, sive qui injuste habita sua indigentibus non distribuunt. Rapaces sunt, qui aliena per vim tollunt. Adulteri sunt qui ad uxores alienas (5) accedunt. Masculorum concubitores sunt, qui incestuosissime in masculos suam libidinem explent, sicut Sodomitæ. Molles sunt, qui succumbunt masculis, id est, qui subjacent masculorum concubitoribus. Maledici sunt qui injuste et irrationabiliter in ira commoti ad blasphemias erumpunt, et qui aliis malum irrogare conantur, et si possunt, violentiam ingerere. Ebriosi sunt, qui vino dediti, præcipitantur ad insanias libidinum, dilabuntur et ad blasphemias, recedentes a via veritatis, sicut sunt non servantes præcepta Decalogi, sicut sunt sacrilegi et violatores præceptorum. Hæc qui transgressus fuerit, pœnitentiam agat, et se ipsum in hoc mundo judicet, ne judicetur a Deo in die judicii (6).

CAPUT XVI.

De mortalibus Criminibus.

Mortalia Crimina ideo, ni fallor, dici possunt, quia sicut Jacobus Apostolus ait: « Iniquitas parit peccatum, « peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mor- « tem[9]; » non solum mortem corporis, verumetiam animæ, sicut in Pharaone actum est; ut ait de operantibus similia Apostolus ad Romanos: « Et sicut, inquit, non probave- « runt Deum habere in notitiam, tradidit eos Deus in re- « probum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt, « repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, « plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, maligni- « tate; susurratores, injuriatores, detractores, Deo odibi- « les, contumeliosos[10], » id est, rixatores, « superbos, elatos, « inventores malorum, » et cætera omnia quæ in Epistola ipsa sequuntur, hæc enim animam inficiunt et separant a Deo.

CAPUT XVII.

De Compunctione salvationis.

Compunctio salvationis efficitur, cum, spiritu timoris Domini, peccatum damnationis ante oculos suos quisque ponens, et imaginem futuri sæculi in die judicii recordatur, et inferni pœnas flammarum tenebrarumque, stridorem dentium et fletum impiorum, ubi « Vermis eorum non « moritur, et ignis non extinguitur[11], » et, Spiritu sancto suggerente, peccata sua recognoscens, in se damnationes impiorum ex interiori cordis dolore recognoscit; pœnitentiæ lacrymas, incurvatus, et humiliatus atque prostratus coram Deo, fundit; et consilio sacerdotum per pœnitentiam Christi legibus subditur, et humiliatus subjacet consortio Sanctorum, et communione corporis et sanguinis Christi separatus est decreto (7) sacerdotum; et actio pœnitentiæ tunc erit perfecta et acceptabilis, si ascenderit homo adversus se usque ad tribunal mentis suæ, et constituerit ante faciem, ne hoc fiat ei sicut comminatur Deus peccatori, atque ita constituto Dei judicio, adsit ei accusatrix cogitatio, testis conscientia, et carnifex timor; deinde sanguis animæ confitentis in lacrymas profluat; postremo in conscientia sua se indignum judicet communione corporis et sanguinis Christi et societate Sanctorum; versetur ante oculos suos imago futuri judicii, ut ad ipsum non accedat absque virtutum munimine; cogitet quam sit contremiscenda pœna, quam delectabilis percipientibus sit vita æterna; quia alii præcipitantur in mortem æternam, alii ad vitam æternam perducuntur.

[1] Job. xxxiii, 14. — [2] Galat. v, 21. — [3] 1 Reg. 1, 6, et seqq. — [4] Psal. xxxvi, 7. — [5] 1 Cor. xii, 31. — [6] Galat. v, 19-21. — [7] Ephes. v, 3-5. — [8] 1 Cor. vi, 9, 10. — [9] Jacob. 1. — [10] Rom. 1, 28-30. — [11] Marc. ix, 43.

(1) Deest *quæ* in cod. — (2) Id. *contumeliosas injurias.* — (3) Verbum *sequuntur* hic passive accipias. — (4) Deest *ad* in cod. — (5) Cod. male addit per redundantiam *alterius.* — (6) Hæc quædam sequuntur in cod., quæ leguntur punctis subterpositis, quod significat, ut docti norunt, hæc esse delenda. Porro ita sequitur: « Sunt etiam et hæc omnia Decalogi, id est, decem præcepta legis Moysi. Eorumque ad Deum pertinent, sacrilegi violatores sunt qui contra catholicam et apostolicam doctrinam, aut spiritalia injuste agunt. Hoc est quod pertinet ad eos, qui corrumpunt tria Decalogi præcepta prima quæ ad Deum pertinent. Sunt et quæ pertinent ad proximum, id est, « Diliges proximum tuum sicut te ipsum: Honora patrem tuum et ma- « trem tuam. Non adulterabis: Non occides. Non furaberis: Non falsum « testimonium dices: Non concupisces rem proximi tui. » Hæc his si transgressi vel prævaricati, illam pœnitentiam subeant, in qua majorem in se quisque severitatem exercere velit, ut a se ipso in hoc judicatus, non judicetur in die judicii a Deo. » — (7) Ibi in cod. legitur solum *a de...*; cætera sunt abrasa.

CAPUT XVIII.

De Perfectione Charitatis.

Quisquis igitur in Charitatis Perfectione fundatus fuerit, necesse est ut ad illum sublimiorem Charitatis gradum conscendat, quem (1) nec cupido præmiorum superet, nec amoris magnitudo, quo filius indulgentissimum patrem aut matrem, vel amicum, aut conjugem reveretur affectu; qui nec (2) ejus verba, neque convicia, vel amoris formidet offensam; et qui (3) munitionibus (*sic*) non solum actibus, sed etiam verbis, pietate semper attenta (4) distendatur, ne erga se quantulumcumque minuatur (5) fervor illius dilectionis, ut frequenter poscat (6); cujus timoris magnificentiam unus Prophetarum expressit dicens: « Divitiæ salutis, et sapientiæ et scientiæ, timor Domini[1]; » ipse thesaurus ejus. Non potuit timoris istius dignitatem ac meritum evidentius (7) exprimere, quam divitias salutis nostræ, quæ in vera sapientia Dei scientiaque consistunt (8), dicere, nisi a timore Domini non posse servari. Ad hoc igitur mecum non peccatores, sed Sancti, propheticis invitantur eloquiis, Psalmista dicente : « Timete Dominum, » omnes Sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum[2]. » Qui enim hoc timore Deum metuit, perfectioni (9) ejus certus est nihil deesse, quia sapientiæ et scientiæ Dei thesaurus est. Multa ergo distantia est inter timorem, cui nihil deest, et illum imperfectum, qui principium sapientiæ nuncupatur : qui pœnam in se retinens, de perfectorum cordibus superveniente plenitudine Charitatis exuitur. « Timor » non est in Charitate, sed perfecta Charitas foras mittit timorem[3]. » Et revera si principium sapientiæ in timore consistit, non nisi in Charitate et perfectione ille (10), in sese perfectæ dilectionis continet meritum. Non jam principium, sed thesaurus sapientiæ et scientiæ nuncupatur. Et idcirco duplex est gradus timoris, unus incipientium, id est, illorum scilicet, qui adhuc in timore et sub jugo sunt servili, de quo dicitur : « Et servus dominum suum timebit[4]; » et in Evangelio : « Jam non dicam vos servos, quia servus nescit » voluntatem domini sui[5]; » et illud : « Servus non manet » in domo in æternum[6]. » Innuit enim ut nos ab illo pœnali metu ad Charitatis plenissimam libertatem, tanquam (11) amici et filii, ad Dei fiduciam transeamus. Denique beatus apostolus Paulus servilem illum timoris gradum olim Charitatis Dominicæ virtute transcenderat; inferiora despiciens, majoribus se ditatum donis a Domino profitetur. « Non » enim, inquit, dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis[7]. » Eos etiam qui perfecto dono (12) cœlestis patriæ dilectionis et sobrietatis flagrabant, quosque suos filios adoptio divina jam fecerat, hoc adhortatur eloquio : « Non enim accepistis spiritum » servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba Pater[8]. » De hoc etiam metu, cum illam septiformem Spiritûs sancti gratiam Propheta describeret, quam in hominem descendisse dixit, addidit (13) quod esset « Super eum Spiritus Domini, » Spiritus sapientiæ et intellectûs, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et pietatis; et replevit eum » Spiritus terroris Domini[9]. » In quo illud diligentius intuendum est, quod non dixit : Requiescet super eum Spiritus timoris Domini, sicut de prioribus dixerat ; sed : « Replevit » eum Spiritus timoris Domini. » Tota enim ubertatis ejus magnitudo est, ut quem semel sua virtute possederit (14), non partim, sed totam ejus occupet mentem. Nec immerito illi nunquam excidet (15), cum hærens (16) Charitati non solum replet, sed etiam perpetua et inseparabili eum quem ceperit, possidet visitatione, et nullius lætitiæ temporalis vel voluptatum est oblectationibus imminutus (17), quæ nonnunquam illi, qui foras mittitur, timori evenire consuevit. Hinc igitur perfectionis forma atque exemplo virtutum repletus fuisse narratur, emittens illum servilem suppliciorum timorem, verus Dei Filius, « Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus[10]. » Humana conditio, dum adversis vitiositatibus mentem conturbat, etiam ante pœnas gehennæ, per inordinatum animi appetitum, jam pœnas conscientiæ patitur. Omnia enim poterit homo fugere, præter cor suum : non enim potest a se quisquam recedere; quocumque enim abierit, reatûs sui conscientia illum non derelinquit, quamvis humana judicia subterfugiat. Omnis qui male agit, sibi tamen celari non potest. Nam etsi aliis celat quod egit, ipse plene novit malum esse quod gessit. Duplex ergo fit (18) in eo judicium, quia et hic suo reatu punitur et pungitur, et illic perpetuali pœna damnatur. Hoc ergo significat « Abyssus abyssum invocat[11], » a (19) judicio suæ conscientiæ ire ad judicium suæ damnationis perpetuæ in voce cataractarum[12], id est, in prædicatorum voce. Dic mihi, post Apostolos qualis doctor fuerit Origenes inter Græcos, cujus septem millia sexcentos libros (20) beatissimus Hieronymus se legisse fatetur; talem vitam duxit beatissimus Origenes. Nam refert de eodem Ambrosius, quod vita ipsius viri doctissimi erat, quod panem, et sal, et aquam pro victu habebat, pro vestitu tunicam cilicinam usque ad pedes, nudoque pede incedens, ita ut oratio lectionem, et lectio orationem ejus susciperet.

CAPUT XIX.

Quomodo Pollutio nocturna accidat.

Quæritur post illusionem, quæ per somnium accidere solet, utrum corpus Domini quilibet accipere valeat, vel sacerdos sacra mysteria valeat celebrare. Gregorius habet quidem : Testamentum Veteris Legis, sicut in superiori capitulo jam diximus, pollutum nisi aqua lotum usque ad vesperam intrare ecclesiam non concedere dicitur. Quod tamen aliter populus spiritualis intelligens sub eodem intellectu accipit quod præfati sumus; quia ille quasi per somnium illuditur, qui tentatur immunditia, et veris imaginibus in cogitatione inquinatur. Sed lavandus est aqua, ut culpam iniquæ cogitationis lacrymis abluat, et nisi prius tentationis ignis recedent, se quasi reum ad vesperam cognoscet. Sed est in eadem illusione discretio valde necessaria, quæ subtiliter pensari debeat. Ea quæ accidit (21) menti dormientis, aliquando ex crapula, aliquando ex naturæ superfluitate, vel infirmitate advenit. Omni modo hæc illusio timenda est, quia hanc mens nesciens pertulit, sed magis de illa causa dolendum est, propter quam fuisset (22). Cum vero ultra modum gulæ appetitus in sumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula generantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen usque ad prohibitionem percipiendi sacri mysterii, vel missarum solemnia celebrandi, cum fortasse aut festus dies exigit, aut exhibere mysterium (23) sacerdotem in aliquo loco ipsa necessitas impellit (24). Nam si desunt alii, qui implere mysterium

[1] Isai. XXXIII, 6. — [2] Psal. XXXIII, 10. — [3] I Joan. IV, 18. — [4] Malach. I, 6. — [5] Joan. XV, 15. — [6] Ibid. 35. — [7] 2 Tim. I, 7. — [8] Rom. VIII, 15. — [9] Isai. XI, 2, 3. — [10] I Petr. II, 22. — [11] Psal. XLI, 8. — [12] Ibid.

(1) Cod. *qui*, nec deinde adest verbum *superet*, quod propter sensûs necessitatem addidimus. — (2) Id. *needum*. — (3) Id. *atque*, et ante *formidat*. — (4) Id. *attonita*, probabiliter pro *attente*, quanquam sonet male *attenta* ante verbum *distendatur*. — (5) Deest *minuatur* in cod., cujus alioqui verba sunt unintelligibilia. — (6) Id est *ut frequenter poscat*, etc. — (7) Cod. *evidenter*. — (8) Id. *constituunt*. — (9) Id. *perfectionis*. — (10) Id. *illum*. — (11) Id. *ut tanquam*. — (12) Id. *perfecta dona*. — (13) Deest *addidit* in cod. — (14) Id. *possederat*. — (15) Id. *excederet*. — (16) Id. *cohærens*, et deinde *replens*. — (17) Id. *immunitus*. — (18) Id. *est*. — (19) Id. *in*. — (20) Id. male addit *ejus*. — (21) Id. *et quæ*. — (22) Id. *fuisset*. — (23) Id. addit absque sensu *pro eo quod*. — (24) Id. *expellit*.

valent, illusio per crapulam facta a perceptione sacri mysterii prohibere non debet; sed ab immolatione sancti mysterii abstinere, ut arbitror, humiliter debent, si dormientem mentem turpis imaginatio nimis concusserit. Nam sunt quidam, quibus ita plerumque imaginatio et illusio nascitur, ut eorum animus, etiam in somno corporis positus, turpibus imaginibus non fœdetur (1). Quæritur unum: Ostenditur mens non tamen suo judicio liberata; cum se, dormiente corpore, nihil meminit judicasse in vero (2); ex turpi enim cogitatione vigilantis, oritur illusio dormientis. Patet tunc animæ reatus suus (3), cum videt ex qua radice inquinatio illa processit, quia quod cogitavit sciens, pertulit nesciens; sed pensandum est verum an ipsa cogitatio in suggestionem, an in delectationem, vel quod majus est, aliquando in peccatum consensu ceciderit. Tribus enim modis impletur in homine peccatum, videlicet suggestione, delectatione atque consensu; suggestio quidem fit per diabolum, delectatio per carnem, consensus per spiritum. Est necessaria magna discretio, ut inter suggestionem, et delectationem, atque consensum judex sui animus præsideat. Cum enim malignus spiritus peccatum in mentem suggerit, si nulla peccati delectatio sequatur, peccatum omnino perpetratum non est. Cum vero caro delectari cœperit, tunc peccatum cognoscitur perfici. In suggestione igitur peccatum seminatur; in delectatione radicatur, sed in consensu perficitur. Sæpe contingit hoc, quod malignus spiritus seminet (4) in cogitatione, caro in delectationem trahat; nec tamen anima eidem delectationi consentiat; et cum caro sine anima delectari nequeat, ipse tamen animus, voluptatibus carnis reluctans, in delectatione carnali aliquando ligatur invitus; per gratiam tamen illius liberatur, cui est honor et gloria in sæculorum sæcula. Amen.

(1) Cod. *fœdatur*. — (2) Sic cod. cujus sensum assequi non potui. — (3) Id. *reatum suum*. — (4) Id. *seminat*.

INDEX.

CLASSIS VI.

SERMONES INEDITI.

SUPPLEMENTUM II,

PARS PRIMA.

CLASSIS I.

SERMONES DE SCRIPTURA.

CLASSIS II.

SERMONES DE TEMPORE.

APPENDIX SERMONUM INEDITORUM.

CLASSIS I.

SERMONES DE SCRIPTURA.

CLASSIS II.

SERMONES DE TEMPORE.

—

PARS II.

CLASSIS III.

SERMONES DE SANCTIS.

CLASSIS IV.

SERMONES DE DIVERSIS.

TRACTATUS.

—

APPENDIX SERMONUM INEDITORUM.

CLASSIS III.

SERMONES DE SANCTIS.

CLASSIS III.

SERMONES DE SANCTIS.

CLASSIS IV.

SERMONES DE DIVERSIS.

TRACTATUS.

EXPLICIT INDEX.

SANCTI AURELII

AUGUSTINI,

HIPPONENSIS EPISCOPI,

SERMONES RECENS EDITI

SUPPLEMENTUM IV.

E Typographeo Bourgogne et Martinet, via vulgo dicta Jacob, 30

SANCTI AURELII

AUGUSTINI,

HIPPONENSIS EPISCOPI,

OPERUM

SUPPLEMENTUM QUARTUM,

COMPLECTENS :

1° Sermones XXV e membraneis sæc. XII. Biblioth. Palat. Vindob. extractos a Michaël Denis ;
2° Sermones X ex cod. Cassinen. recens editos ab Octavio Fraja Frangipane, et iterum typis mandatos

CURA ET STUDIO

D. A. B. CAILLAU,

CANONICI HONORARII CENOMANENSIS ET CADURCENSIS.

PARISIIS,

CURIS ET SUMPTIBUS PARENT-DESBARRES, EDITORIS,

SANCTÆ SEDIS INSIGNIBUS DECORATI,

VIA VULGO DICTA DE SEINE, 48.

M. DCCC. XXXIX.

LECTORI

ΦΙΛΑΥΓΟΥΣΤΙΝῼ

Divi Aurelii Augustini Scripta maximo semper in pretio fuere cunctis christianæ Fidei cultoribus, si eos excipias, qui suas in illis opiniones incassum quæsivere. Ea porro post Joan. Amerbachii, Joan. Frobenii, Theologorum Lovaniensium, et Monachorum florentissimæ quondam Congregationis S. Mauri amplissimas Editiones, post Jacob. Sirmondi, Joan. Bapt. Mari, Hier. Vignerii, Godefrid. Besselii Συμβολας, atque adeo sub ipsum sæculi XVIII. finem novis accessionibus auctum iri, haud facile quis existimasset, quod homines illi doctissimi juxta, ac solertissimi nulli operæ in lustrandis Europæ Bibliothecis pepercisse viderentur. At vero relictum mihi post uberem messem spicilegium, ut in divinis donis, ita in parte felicitatis meæ repono. Neque enim nihil me de Christi Ecclesia mereri arbitror, qui tanti Doctoris voces, quibus ante mille trecentos, et quod excurrit, annos illa personuit, ab annis facile sexcentis pressas rursus excitem. Qua ratione istud evenerit, paucis accipe.

Absoluto priore Recensionum Volumine, quod Codices theologici argumenti pene mille Bibliothecæ Palatinæ Vindobonensi ad Caroli VI. Imperatoris tempora illatos complectitur, et modo sub prelo est, dum ad alterum Volumen Codices ab illis temporibus in hodiernam diem acquisitos complexurum aggredior, offertur mihi sub exitum Novembris anni proxime elapsi Codex ordine *Decimus*, in folii majoris membranis per duas columnas sæculo XII. non eleganter minus, quam emendate scriptus; quidquid enim prima manus aliquando etiam peccasset, secunda doctior quidem, sed tamen συγγενως solerter plerumque correxit. Inspicienti occurrit mox ad inferiorem oram primæ paginæ isthæc Nota : *Iste Liber est Congregationis S. Justinæ de Padua : deputatus in Monasterio S. Severini de Neapoli.* Legisti fortasse *L. I. Commentar. Lambecii*, edit. *Kollar. Supplem. col.* 763. anno MDCCXVII. Codices manuscriptos haud sane paucos Carolo VI. Imp. utriusque tunc Siciliæ Regi dono fuisse oblatos a diversis cœnobiis Neapolitanis. Atque hic continuo venit mihi in mentem Cl. Bernardi Montefalconii, qui, dum Sodales ejus Parisiis in edendo Augustino desudarent, itinere litterario in Italiam suscepto, anno MDCXCVIII. Octobri mense Neapolim appulerat. Consulo ejus *Diarium Italicum* Parisiis an. MDCCII. excusum cap. XXI. p. 319. *Antequam Neapoli discederemus*, ait, *Bibliothecæ Manuscriptorum Monasterii S. Severini sequentem notam excepimus.* Recitat mox Codices, et septimo loco : *Augustini Sermones quosdam, et Retractationes in Codice XII. sæculi.* En αὐτόπτης Codicem nostrum, cui et *Retractationes* insunt. Itaque vir ille celeberrimus aut solis Monachorum Severinatium indicibus usus, aut falso persuasus, nihil jam Augustini Sermonum superesse, quod Fratres suos fugisset, ne aperto quidem Codice, et illos hoc Auctario, quod saltem *Tomo XI.* adjicere potuissent, destituit, et mihi lampada, quod aiunt, tradidit, quam lubens accepta.

Nec vero tecum hoc loco inquiram, Lector, qui fieri potuerit, ut Codex hic singularis tamdiu delitesceret, neque te tenebo adminiculis illis, quibus ad detegendam, et extra dubium ponendam Γνησιότητα, et Αὐθεντίαν eorum, quæ ex

illo profero, adniti oportuit, et sedulo adeisom est. Norunt illa Eruditi. Ad rem venio. Indicem Sermonum LVI. quem Codici Librarius præposuit, primum tecum communico. Videbis in illo Sermones ineditos editis mixtos decorrere. Ad quemvis editorum locum noto, quo in operibus D. Doctoris habetur, atque hic semper de editione Mauriana *Parisina* ann. MDCLXXXIX — DCC. intelligi cupio. Ineditos ut illico discernas, singulis numerum, quo se excipient, in margine astitui; quæ vero de iis observanda duxi, ad singulorum initia distuli. Atque en indicem.

I. *Sermo de Laude Cerei.* Capitulum primum.

II. *Item Ejusdem* (nempe Augustini) *in Vigiliis Paschæ.* Cap. II.

Alius Ejusdem in Die Paschæ. Cap. III. Tomo V. Edit. Maur. Sermo CCXXVIII.

III. *Alius de Sacramentis in eodem Die.* Cap. IV.

IV. *Item Alius de eodem Die.* Cap. V.

V. *Item Alius in eodem Die contra Arrianos et Apollinaristas, maxime vero contra futuros Nestorianos et Eutychianos.* Cap. VI.

Alius ejusdem Diei. Cap. VII. Tomo cit. Sermo CCXXVI.

VI. *Item Alius in eodem Die de Sacramentis Altaris ad Neophytos.* Cap. VIII. Tomo cit. ejus Fragmentum instar Sermonis CCXXIX.

Alius Ejusdem in eodem Die, de eo, quod Neophytis ante baptismum ex oleo sancto aures a Sacerdotibus et nares illinantur. Cap. IX. Tomo VI. Append. col. 288. Secuti sunt Editores Jacob. Sirmondum, qui primus protulit, et Augustino detraxit, licet in Cod. Floriac. unde protulit, Augustino ascriberentur, et ejus nomine … itarentur ab Ivone Carnot. et altero Cod. vetustiss. Remigiano, et hic, et sequentes duo. Add… oster eos in medio Sermonum genuinorum collocat.

Ejusdem de … *et sanctitate Baptismatis.* Cap. X. Tomo VI. Append. col. 289. Vide quæ mox notavi.

Item Ejusdem de Unctione capitis, et pedibus lavandis. Cap. XI. Tomo VI. Append. col. 291. Ut duo præcedentes.

VII. *Alius Ejusdem habitus in Festivitate paschali.* Cap. XII.

Alius Ejusdem secunda Feria Paschæ. Cap. XIII. Tomo V. Sermo CCXXXIX.

Alius Ejusdem quartæ Feriæ. Cap. XIV. Tomo cit. Sermo CCXLVIII.

Item quintæ Feriæ. Cap. XV. Tomo cit. Sermo CCXLV.

Item Ejusdem de eodem die ad Sacramenta Altaris. Cap. XVI. Tomo cit. Sermo CLXXII.

VIII. *Item Sabbati die.* Cap. XVII.

Item Alius in eodem die. Cap. XVIII. Tomo cit. Sermo CCXXX.

Item Ejusdem in die Octavarum. Cap. XIX. Tomo cit. Sermo CCXLVII.

Sermo Ejusdem de Ascensione Domini. Cap. XX. Tomo cit. Sermo CCLXI.

Item Ejusdem de Psalmo Confitemini Domino. Cap. XXI. Tomo cit. Sermo XXIX.

IX. *Alius Ejusdem de versu Psalmi centesimi septimi decimi :* Confitemini Domino, quoniam bonus est. Cap. XXII.

Alius Ejusdem de duobus temporibus, id est, vitæ præsentis et futuræ. Cap. XXIII. Maurinis hic Sermo *Enarratio* est *in Psalmum* CXLVIII. adeoque legitur Tomo IV. col. 1672. sed productior; noster enim Sermo tantum illorum numeros 1. 2. 4. 5. complectitur, neque id quidem sine multiplici discrepantia. Fieri potuit, ut S. Pater tardius totum Psalmum enarraret, postquam peculiarem jam Sermonem in ejus v. 1. habuisset.

X. *Alius Ejusdem de Alleluia et principio Psalmi centesimi quadragesimi noni :* Cantate Domino canticum novum. Laus ejus in Ecclesia sanctorum. Cap. XXIV.

Item alius de versu Psalmi : Emendabit me Justus in misericordia, *et de eo, quod Apostoli linguis omnium gentium loquebantur. Contra Donatistas in Pentecoste.* Cap. XXV. Tomo cit. Sermo CCLXVI.

Alius Ejusdem de natali sancti Joannis Baptistæ. Contra Donatistas, et omnes rebaptizatores hæreticos. Cap. XXVI. Tomo cit. Sermo CCXCII.

Item de eodem natali sancti Joannis, ubi disputat etiam de verbis Zachariæ non credentis, et Mariæ inquirentis, Quomodo fiet istud? *et de originali peccato, pro quo parvulis Baptismum necessarium dicit.* Cap. XXVII. Tomo cit. Sermo CCXCIII.

XI. *Sermo Ejusdem de Responsoria Psalmi centesimi tricesimi primi :* Paravi lucernam Christo meo, *ubi multum etiam de Trinitate disputat.* Cap. XXVIII. *Loquimur Charitati Vestræ.*

XII. *Sermo Ejusdem in Vigiliis Apostolorum.* (Nempe Petri et Pauli). Cap. XXIX.

Alius Ejusdem in natali Apostolorum, ubi contra memoratos hæreticos disputat de adjutorio gratiæ Dei. Cap. XXX. Tomo cit. Sermo CCXCVII.

XIII. *Alius Ejusdem de natali sancti Laurentii, ubi per occasionem redarguit quosdam, qui seditionem commoverant o saltatu prohibiti.* Cap. XXXI.

Sermo Ejusdem habitus Carthagine ad mensam beati Martyris Cypriani, de ejus Natali. Cap. XXXII. Tomo cit. Sermo CCCIX.

Alius Ejusdem in eodem die. Cap. XXXIII. Tomo cit. Sermo CCCXII.

XIV. *Item Ejusdem in eodem die.* Cap. XXXIV.

XV. *Alius Ejusdem in eodem die.* Cap. XXXV.

XVI. *Alius Ejusdem in Natali sanctorum Martyrum Scillitanorum, Sperati, et sociorum ejus.* Cap. XXXVI.

XVII. *Alius Ejusdem in Natali sanctorum Machabæorum, ubi docet, quid etiam significetur in Turre ædificanda, et sumptibus præparandis, vel in Rege, qui cum decem millibus occurrit illi, qui habet viginti millia.* Cap. XXXVII.

Alius Ejusdem in Natali plurimorum Martyrum de eo, quod in Evangelio Dominus dicit: Si quis vult post me venire, neget se ipsum. Cap. XXXVIII. Tomo cit. Sermo CCCXXX.

Alius Ejusdem de versu Psalmi: Beatus vir, quem tu erudieris, Domine, *et maxime de eo, quod dicit Apostolus:* Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum quæ per legem sunt, operabantur in membris nostris, ut fructum ferrent morti. *Contra Manichæos, et Pelagianos.* Cap. XXXIX. Tomo cit. Sermo CLIII. In Codice nostro folium excidit, unde abrumpitur in verbis: Quia mortuum est, dixit, absconditum latet: non ap.....

Alius Ejusdem de originali Peccato, et de lectione Apostoli: Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit, etc. *Contra Pelagianos.* Cap. XL. Tomo cit. Sermo CLIV. In Codice ob folium mox memoratum incipit ἀκεφάλως; tuorum neque nubent, neque uxores ducent. Non enim incipient mori, etc.

Alius Ejusdem de lectione Apostoli ad Romanos ab eo loco, ubi dicit: Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati. *Contra Pelagianos.* Cap. XLI. Tomo cit. Sermo CLV.

Alius Ejusdem de lectione Apostoli, ubi dicit: Ergo, Fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. *Contra Pelagianos et philosophos Stoïcos, et Epicureos.* Cap. XLII. Tomo cit. Sermo CLVI.

Sermo Ejusdem de lectione Apostoli: Humanus sermo et omni acceptione dignus, quia Christus Jesus venit in mundum, etc. *Contra Pelagianos, Nestorianos, et Eutychianos.* Cap. XLIII. Tomo cit. Sermo CLXXIV.

XVIII. *Alius Ejusdem de eo, quod dicit Apostolus:* Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ, etc. Cap. XLIV.

Alius Ejusdem de lectione Apostoli ad Philippenses: Nos sumus circumcisio, quia spiritu Dei servimus, et gloriamur in Christo Jesu, etc. *Contra Pelagianos.* Cap. XLV. Tomo cit. Sermo CLXIX.

XIX. *Sermo Ejusdem de lectione Apostoli, ubi ait:* Supereminentem viam vobis demonstro. *Contra Donatistas.* Cap. XLVI.

XX. *Alius Ejusdem de Responsorio* (Psalmi) *tricesimi octavi:* Exaudi, Deus, orationem meam, et precem meam, Domine, *et de Muliere in adulterio deprehensa.* Cap. XLVII.

XXI. *Item alius de Responsorio Psalmi tricesimi secundi.* Exultate, justi, in Domino. Cap. XLVIII.

XXII. *Alius Ejusdem de Responsorio Psalmi quinquagesimi primi:* Speravi in misericordia Dei in æternum. Cap. XLIX.

XXIII. *Item alius de versu Psalmi centesimi quadragesimi quinti:* Laudabo Dominum in vita mea. Cap. L.

Alius Ejusdem, ubi Domini verba ad Nicodemum loquentis exponens de originali peccato. Cap. LI. Tomo cit. Sermo CCXCIV.

XXIV. *Item alius de Evangelio, ubi de Divite et Lazaro mendico refert.* Cap. LII.

Alius Ejusdem de Evangelio: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis. *Contra Pelagianos.* Cap. LIII. Tomo cit. Sermo CXXXI.

Item alius, unde supra. Cap. LIV. Tomo cit. Sermo CLXIII.

Alius Ejusdem de Evangelio, ubi dicit: Si manseritis in verbo meo, vere discipuli mei eritis. Cap. LV. Tomo cit. Sermo CXXXIV.

XXV. Sermo *quinquagesimus sextus*, et ultimus, quanquam eadem manu, qua præcedentes, exaratus, omissus est in Indice, cui subscriptum: *Expliciunt Capitula.*

Jam cætera, quæ præfari visum est, hæc sunt. Sive Sententias sacrorum Librorum expositas, sive rationum, et argumentorum momenta, sive ipsos loquendi modos spectes, multa reperies in his Sermonibus, quæ in aliis Augustini Scriptis diu notis occurrunt. Visa sunt illa nempe S. Præsuli cum primis efficacia, et opportuna, quæ auditoribus, lectoribusve suis identidem inculcaret; atque ejusmodi iterationum exempla in ipsis jam olim impressis præsto sunt, neque in tanto Operum numero ab homine uberrimi etiam ingenii prorsus caveri possunt.

Emendandi licentia etiam tum pudentissime mihi sumpta est, cum manifesta Librarii παροράματα invitabant. Optandum tamen mihi esse intelligo, ut excussis denuo Bibliothecis vetustiora Sermonum meorum reperiantur Ἀντίγραφα, a quibus vacillantia firmari, intrusa detegi, conjecturæ meæ, aut averti, aut approbari queant. Et fortasse Tomus alter, Palatino

nostra geminans, alicubi cum umbris luctatur, qui selectos Sermones per reliquum anni tempus, illisque pariter ἀνεκδότους quosdam admixtos complectatur.

Insunt in Codice præter Sermones, quorum Indicem exhibui: *Enarratio Augustini in Psalmum CXVIII.* constans Proœmio, et Sermonibus XXXII. quæ habetur Edit. *Maur. T. IV. col.* 1277. item *Libri II. Retractationum* Ejusdem, ut Edit. *cit. T. I. col.* 1. quarum vero membranæ a *L. II. c.* 24. excidere; demum *Commentaria in Evangelium Marci*, olim Hieronymi credita, hic ἀκέφαλα, a Cl. Vallarsio autem in *T. XI. Opp. Hieronymi* ad *col.* 785. rejecta. Atque hæc Opera ideo enumeranda censui, quod ad perficiendum eorum contextum Codex iste a nemine hactenus, ut patet, consultus, aut adhibitus fuit.

Editionem hanc, quantum licuit, aptare *Mauriniæ* conatus sum, ut S. Patris Operibus eo commodius in Bibliothecis adjungi queat.

Demum, dum *insanientis Sapientiæ Consulti* quidam Scriptis suis nihil non agunt, ut veterum Ecclesiæ christianæ Doctorum fidem, et auctoritatem elevent, ego [illegible] hæc Scriptoris, *quo*, teste Erasmo, *orbis christianus nihil habet vel magis aureum, vel augustius*, piorum et eruditorum sacræ Antiquitatis amatorum judicio commendo, meque ad repetendos, quorum in principio memini, labores in Bibliothecam Palatinam abdo.

SANCTI AURELII

AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

SERMONES INEDITI.

SERMONES

ADMIXTIS QUIBUSDAM DUBIIS.

SERMO I.

De Cereo paschali (a).

SYNOPSIS.

I. Attentos reddit. II. Cereus imago Justi, et Christi. III. Apis imago Justi, Favus Scripturarum. IV. Samson leonem trucidans Figura Christi.

I. Deo et Domino nostro omnipotenti, visibilium atque invisibilium creatori honorem deferens orationibus vestris juvandum me credo, ut, quod in laudem et gloriam indulgentissimi creatoris dicere suscepi, non tam meis viribus, quam ipsius Domini misericordia adjuvante explicare sufficiam. Adeste itaque nunc intenti, dilectissimi fratres, ut primo de cordibus vestris carnalibus cogitationibus, quasi nocturnis tenebris, discussis, et in cubiculis conscientiarum Christi lumine accenso ea, quæ vobis Dominus per nostrum famulatum ministrare dignabitur, non solum aure percipere, verum etiam mente possitis.

II. Cereus nocturnum lumen est, et homo justus tenebrosi hujus mundi lumen est. Dicit Dominus ad eos, quos ipse justificat: « Vos estis lumen mundi[1]. » Tria conspiciuntur in Cereo: Cera, Papyrus (b) et Flamma:

[1] Matth. v, 14.

(a) In Codice *fol.* 1. *p.* 2. inscriptus: *Sermo sancti Augustini ep. In Sabbato sancto.* Videant Eruditi. Ego minus fidenter Augustino tribuo, multus conatus illis comparatiunculis, ipsoque stylo, quamvis non obstaret temporum ratio; veteres enim Liturgi divulgati hujus Ritus Zosimum Papam anno 418. defunctum auctorem faciunt, secuti, ut videtur, Librum Pontificalem, in quo legis: *Per Parochias concessit licentiam benedicendi Cereum paschalem.* Addit Amalarius *L. I. de eccl. Offic. c.* 18 *Romanis ita agentibus, nobis quoque præceptum est a Papa Zosimo benedicere Cereum.* Potuit igitur præceptum istud Ecclesiæ Gallicanæ datum etiam ad Africanam permeasse, cum Canon Concilii Tolet. IV. celebrati anno 633. Ritum hunc *per multa terrarum loca* in usu esse asserat. Accedit, quod Cerei Benedictio: *Exultet jam angelica turba, etc.* in Sacramentario Gothico et Gallicano Augustino tribuatur, cum *adhuc Diaconus esset*, et ipse S. Doctor *L. XV de Civ. Dei cap.* 22. versiculos citet a se *de laude quadam Cerei* compositos. Verum an his paschalis? Certius est, *Epistolam ad Præsidium* de Cereo paschali olim Hieronymo tributam, et a Vallarsio in *T. XI. p.* 154. rejectam Augustini tempora propius contingere, cui deinceps Ennodii Ticin. *Benedictiones Cerei II.* Flori Drepanii *Hymnus*, et alia successere monumenta, quæ Ritus hujus antiquitatem confirmant. Vide, quæ in hanc rem *P. II. vet. Liturg. Alem. Disq. VI. c.* 1. congessit cels. Mart. Gerbertus S. Blasii Abbas Princeps, quem honoris, doctrinæ, et amicitiæ causa nomino, cuique *Appendicem* hanc *Augustinianam* imprimis cupio commendatam. Si qui pro Augustino pronuntiaverint, Sermonem hunc Editioni *Maur.* post *Sermonem CCXXIII.* inserere poterunt. — (b) Pro facula seu candela Ellychnio. Confer Gloss. Ducangii v. *Papyrus.*

Et in homine justo tria sunt : Caro, Anima et Sapientia. Flamma illuminat, papyrus accenditur, ceræ tenacitas solvitur. Sapientiæ doctrina animum tenet, carnis duritia superatur. Flamma urit, papyrus uritur, guttas cera distillat. Sapientia docet, anima dolet, caro lacrymas fundit. Flamma fulget superius, papyrus commutatur interius, cera currit exterius. Sapientia sublimiter prædicatur, anima latenter convertitur, caro visibiliter cooperatur. Cerei laudatur pulchritudo per diem, honoratur claritudo per noctem. Sic ostendit nobis columnæ illius imaginem, qua duce populus Israël ambulans per desertum non permittebatur errare. Apparebat enim eis nubis columna per diem, ignis columna per noctem [1]. Dies significat securitatem in hoc sæculo, et nox tribulationem in hoc sæculo. Hic est dies, de quo Propheta cantat et dicit : « Per diem mandavit Dominus misericordiam » suam, et nocte declaravit [2]. » In hac carnali vita Dominus Christus veniens non ostendit claritatem suam, sed mortali carne velatus, tanquam nubis columna, in eremo apparuit. Cum autem finis sæculi venerit, quo omnium visibilium gaudia subtrahentur, tunc ipse Dominus sine mortalitatis aliquo velamento clarus et splendidus, tanquam ignis columna, fulgebit. Columna ignis ardet, et lucet. Quod ardet, potestatis est : quod lucet, honoris. Quod ardet, judicat; quod lucet, illuminat. Quod ardet, pœna est impiorum; quod lucet, beatitudo justorum.

III. Sed nos proprie Cerei nomen oportet edicere, quod ad sacramentum tantæ hujus celebritatis pertinet. Manu gerimus, oculis intuemur, corde conspicimus, ore laudamus. Ceræ artifex apis est, de qua Scriptura sic dicit (*a*) : Vade ad apem, o piger, et disce, quam operatrix sit. Opus autem quam sanctum habet, cujus labores reges et mediocres ad sanitatem assumunt sibi. Grata est illa omnibus, et gloriosa, et, cum sit viribus infirma, sapientiam honorans provecta est. Quid nos (*b*), Christe, memoras? Quid in ape jubes intueri? Breve animal est, et volatile. Quia humilitas exaltatur. Duabus lucidissimis pennis volat. Et quid luminosius charitate? Et duo sunt præcepta charitatis, ut diligamus Dominum, diligamus et proximum, per quæ, veluti duas alas, ad cœlum justus attollitur. Operatur illa dulcedinem, habet justus in ore veritatem; quoniam clamat Dominus : « Ego sum » via, et veritas, et vita [3]. » Clamat et Propheta : « Gus» tate et videte, quoniam suavis est Dominus [4]. » Amant apes regem suum, amant justi Christum suum. Apes fabricant favos, justi operantur Ecclesias. De floribus illæ colligunt divitias suas, sic omnes justi pulchritudines Scripturarum, per quas intelligitur et honoratur Deus; ipsa sunt florentia prata justorum. Sine libidine apes generant filios, generant et justi casta Evangelii prædicatione Christianos. Paulus enim filios suos alloquebatur, cum diceret : « Si decem millia pædagogorum habeatis » in Christo, sed non multos patres; nam in Christo Jesu » per Evangelium ego vos genui [5]. » In favo tria sunt : Cera, Mel, et Pullus. Et in Ecclesia tria sunt : Scriptura, Intellectus, Auditus. Sicut mel cera concludit, sic intellectum Scriptura custodit. Sicut pulli nidus in cera est, sic in Scriptura pectus auditoris. Sicut foramina favorum, qui adhuc pullos habent, mel nondum habent, sic secreta Scripturarum, prius quam intelligantur, fidem continent parvulorum. Sicut apis pullus, posteaquam volaverit, melle implet receptacula ceræ, in quibus nutritus est, sic fideles parvuli, cum in fide creverunt, et pennis charitatis se regere cœperint, munimenta Scripturarum, quarum veneratione custoditi sunt, pleniora efficiunt, et majori veneratione custodiunt. Sicut, favi dum exprimuntur, mella fluunt, vasa suscipiunt, sic Legis et Prophetarum scripta passio Domini expressit, cognitio manavit, corda spiritualium susceperunt. Sicut post mellis expressionem signis imprimendis aptior est cera sine sapore gustantis, sic populi Judaici regentes in lege et prophetis Sabbata et Circumcisionem, Neomenias et Azyma, et cætera horum similia, velut amissa legis dulcedine, sola signorum vestigia, tanquam ceram sine melle tenuerunt.

IV. Sed favus multo evidentior (*c*), cera, mel et examen Ecclesiæ sacramenta, fœcunditatisque bona opera significant. Quapropter admonet me Scriptura, ex libro Judicum, aliquid etiam de illo favo dicere, qui in ore leonis mortui inventus est. Cum enim Samson ille fortissimus ad desponsandam iret uxorem, catulus leonis obviam illi factus est in itinere, quem tanquam hœdum arreptum necavit, et in nihilum facta est in manibus ejus tantæ bestiæ fortitudo [6]. Perrexit quo intenderat, desponsavit uxorem, discessit. Rediens divertit cadaver leonis inspicere. Tunc invenit congregatas apes favum mellis in ore leonis mortui fabricasse. Sacramentum hoc magnum est; res autem breviter a nobis huc usque narrata pro qualitate temporis suffecerit. Jam nunc, fratres, quantum potestis, attendite. Quid Samson, quid leo, quid favus ille significat? Quantum Dominus suggesserit, explicabo. Ipse namque Dominus Jesus Christus pulchritudine mirabilis, fortitudine potentissimus Ecclesiam scilicet ex gentibus convocatam, tanquam alienigenarum filiam, venit, ut desponsaret uxorem. Cui Ecclesiæ loquebatur Apostolus, cum diceret : « Desponsavi vos uni viro, vir» ginem castam exhibere Christo [7]. » Catulus leonis hic mundus est, dilectores hujus sæculi, filius diaboli, populus impiorum, cujus furor ausus est obviam ire, et resistere Domino, quoad salutem credentium, evangelicam prædicationem præpediret. Fremebat enim gentilis furor per reges, et potentes hujus sæculi, et veluti a patre diabolo inflammatus contra Evangelium Dei, quasi catulus leonis, ardebat, sed tam diu fremuit, donec ad manus viri fortis veniret. Perseverans autem Martyrum fides totam sævitiam gentium, et acerrimos persecutionis impetus fregit. Talibus enim vere fortissimis membris Dominus Christus sæculum vicit, cujus immanem superbiam cum per omnem orbem terrarum nunc videamus extinctam, quis non lætus aspiciat jacere super terram catulum leonis occisum?

SERMO II.

In Sabbato sancto (*d*).

SYNOPSIS.

I. Deus creavit omnia per Filium. II. Manifestatio Filii per incarnationem. III. Trinitatis Mysterium. IV. Mentis humanæ Existentia demonstrat existentiam Dei. V. Genuina Dei notio, et in ea spes immortalitatis nostræ.

I. Multas divinas lectiones audivimus, quarum prolixitati parem sermonem nec nos valemus (*e*), nec vos capitis, si valeamus. Quantum ergo Dominus donat, loqui volumus Charitati Vestræ de ipso capite Scripturarum,

[1] Exod. xiii, 21. et Num. xiv, 14. — [2] Psal. xli, 9. — [3] Joan. xiv, 6. — [4] Psal. xxxiii, 9. — [5] 1 Cor. iv, 15. — [6] Judic. xiv. — [7] 2 Cor. xi, 2.

(*a*) Lapsus videtur memoria Auctor apem formicæ, *Prov.* vi, 6. substituens. Paulo infra tamen ad *Eccli.* xi, 3. alludit. — (*b*) Error Librarii pro *Nobis*. — (*c*) Lege *evidentius*. — (*d*) In Codice *Pol.* 2. inscriptus : *Sermo sancti Augustini ep. in Vigiliis Paschæ*. Sublimis, et auctore suo dignissimus, Mundi creationem, Incarnationis et Trinitatis Mysterium, Existentiam et Naturam *Dei*, nostræque immortalitatis spem exequitur. Locandus in Editione post *Sermonem CCXVIII*. — (*e*) Supplendum fortasse : *exhibere*, *proferre*.

ubi cum legeretur, audivimus, quia » In principio fecit » Deus cœlum et terram[1]. » Attendite et cogitate, quis fecerit; sed scio non posse vos cogitare, quis fecerit. Cogitate, quid fecerit, et laudate, qui fecit. « In principio » fecit Deus cœlum et terram. » Ecce, quæ facta sunt, in promptu sunt, cernuntur, delectant. Opus patet, Artifex latet, quia et, unde videtur, patet, et unde amatur, latet. Quando ergo mundum videmus, et Deum amamus, melius est utique, unde amamus, quam unde videmus. Oculis videmus, mente amamus. Ergo mentem oculis præponamus, quia et melior est, quem de occulto amamus, quam opus ejus, quod de aperto videmus. Quæramus ergo, si placet, quando Deus tantam molem fecit, quibus machinis fecit? Machina facientis verbum est jubentis. Quid miraris? Opus est Omnipotentis. Si ergo quæris, qui fecit? Deus fecit. Si quæris, quid fecit? Cœlum et terram fecit. Si quæris, per quid fecit? Per verbum fecit, quod non fecit. Verbum, per quod factum est cœlum et terra, ipsum verbum non est factum. Si enim factum est, per quid factum est? » Omnia per ipsum facta sunt[2]. » Si quæcumque facta sunt, per Verbum facta sunt, procul dubio Verbum factum non est, per quod omnia facta sunt. Denique narrator operum famulus Dei Moyses: » In principio, inquit, fecit Deus cœlum et terram. » Per quid fecit? Per verbum. Numquid et verbum fecit? Non. Sed quid? » In principio erat Verbum[3]. » Jam erat, per quod fecit; ideo, quod non erat, fecit. Possumus intelligere, et recte intelligimus in ipso unigenito Verbo factum esse cœlum et terram. Per quod enim facta sunt, in ipso facta sunt. Potest hoc esse et intelligi principium, in quo fecit Deus cœlum et terram. Ipsum enim verbum est et sapientia Dei, cui dicitur: » Omnia in sapientia fecisti[4]. » Si in sapientia Deus fecit omnia, et unigenitus ejus Filius procul dubio est Dei sapientia, non dubitemus in Filio facta esse, quæ per Filium facta esse didicimus. Nam ipse Filius est profecto principium. Interrogantibus quippè Judæis, et dicentibus: « Tu quis es? » Respondit: « Principium[5]. » Ecce « In principio fecit Deus cœlum et terram. »

II. Jam vero cætera, sive cum digeruntur et disponuntur, sive cum ornantur, sive cum ea, quæ facta non erant in cœlo et in terra, creantur, dicit Deus, et fiunt. » Et » dixit Deus: Fiat, et factum est[6]. » Et sic per singula opera: » Dixit et factum est; Ipse dixit et facta sunt[7]. » Qua lingua dixit? Ut quis audiret, dixit? Non semper lacte nutriamur. Erigite nobiscum mentes ad solidum cibum. Nemo Deum cogitet sicut corpus, nemo Deum cogitet sicut hominem, nemo Deum cogitet sicut Angelum, quamvis patribus sic apparere dignatus sit, non per ipsam substantiam suam, sed per subjectam sibi creaturam suam; non enim aliter humanis visibus invisibilis appareret. Quæramus, quid in nobis est melius, et inde conemur attingere, quod est melius omnibus. Quod est in nobis melius, mens est. Quod est omnibus melius, Deus est. Rem meliorem quid quæris re deteriore? In te corpus inferius est, quam mens; in rebus nihil melius, quam Deus. Erige, quod est in te melius, ut attingas, si potueris, ad eum, qui est omnibus melius. Nam et ego, cum loquor, mentibus loquor. Visibiles quidem facies et ipse corpore visibilis cerno; sed per id, quod video, alloquor, quod non video. Gero intus verbum corde conceptum, et volo in auribus tuis parere. Quod corde concepi, volo tibi dicere, quod intus est, proferre ad te. Quod latet, quæro, quomodo pervenire ad mentem tuam possit. Convenio primum, quasi januam mentis tuæ, aures tuas, et quoniam invisibile verbum, quod corde concepi, trahere ad te non possum, provideo illi, quasi vehiculum, sonum. Ecce verbum latet, sonus patet. Impono latentem super patentem, et pervenio ad audientem, ac sic verbum exit a me, venit ad te, et non recessit a me. Si ergo licet magnis exigua comparare, infima summis, humana divinis, fecit hoc et Deus. Verbum latebat apud Patrem. Ut veniret ad nos, assumpsit quasi vehiculum, carnem suscepit, ad nos processit, et a Patre non recessit, sed ante incarnationem suam, ante ipsum Adam patrem generis humani, ante cœlum et terram, et omnia, quæ in eis sunt, » In principio erat Verbum, et in principio » fecit Deus cœlum et terram. »

III. Terram autem fecit Deus adhuc antequam ornaretur, antequam ejus species nudaretur. « Invisibilis » erat, et incomposita, et tenebræ erant super abyssum. » Tenebræ erant, ubi lux non erat; nondum enim lux facta erat. » Spiritus Dei superferebatur super aquas[8], » et ipse opifex, nec a Patre et unigenito Verbo sejunctus. Nam ecce, diligenter attendamus, Trinitas nobis insinuatur. Ubi enim dicitur: « In principio fecit, » Usia (a) intelligitur Patris et Filii, in principio Filio Deus Pater. Restat Spiritus, ut Trinitas impleatur. « Spiritus Dei su- » perferebatur super aquas. Et dixit Deus. » Cui dixit Deus? Antequam creatura fieret, erat, qui audiret? Erat, inquit. Quæro, quis? Ipse Filius. Filio ergo dixit Deus. Quo verbo locutus est Verbo? Si enim jam erat Filius, ut dubitat nemo Christianus, utique hoc etiam erat. Filius Verbum erat, et Verbo Pater dicebat. Ergo inter Deum et Verbum verba currebant? Absit! Impedimenta, fratres, carnalis cogitationis auferte, invisibilia invisibiliter cogitate, non vobis versentur ante oculos mentis similitudines corporis. Transi, quidquid in te cernitur. Transcende, quidquid in te etiam non cernitur; corpus enim cernitur, anima non cernitur, sed tamen mutatur. Modo vult, modo non vult; modo scit, modo nescit; modo meminit, modo obliviscitur; modo proficit, modo deficit. Non est hoc Deus, non est Deus ista natura, non est anima portio de substantia Dei. Quidquid enim Deus est, immutabile Bonum est, incorruptibile Bonum est. Etsi invisibilis Deus, invisibilis anima, sed tamen mutabilis anima, immutabilis Deus. Transcende ergo non solum, quod cernitur in te, sed etiam illud, quod mutatur in te. Totum transcende, te ipsum transcende.

IV. Amator quidam invisibilis bonitatis, amator quidam invisibilis æternitatis ait in suspiriis suis, et gemitibus amoris sui: » Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panis » die et nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus » tuus[9]. » Quomodo non fiant vere gemitus amanti lacrymæ suæ panis, ut eis quodam modo tanquam ex cibi voluptate vescatur, et libenter ploret, quandiu non videt quod amat, cum dicitur ei quotidie: « Ubi est Deus » tuus? » Si dixero Pagano: Ubi est Deus tuus? » ostendet mihi idola. Si fregero idolum, ostendet montem, ostendet arborem, ostendet vilem de flumine lapidem. Quod enim de multis lapidibus tulerit, et in loco honoratiore collocaverit, et incurvatus adoraverit, hoc est Deus ipsius. Ecce, inquit digitum intendens: Ecce Deus meus. Cum irrisero lapidem, cum abstulero, cum fregero, cum projecero, cum contempsero, intendit digitum ad solem, ad lunam, intendit ad quamlibet stellam. Illam vocat Saturnum, illam Mercurium, illam Jovem, illam Venerem. Quæro, quid voluerit, quocumque digitum intenderit. Respondet mihi: Ecce est Deus meus. Et quia video solem, et frangere non possum, sidera non possum dejicere, cœlum non possum evertere, quasi superior sibi videtur visibilia demonstrando, et digitum extendendo, ad quod voluerit, et dicendo: Ecce est Deus meus, et ad me se convertit dicens: » Ubi est Deus tuus? » Cum an-

[1] Gen. I, 1. — [2] Joan. I, 3. — [3] Ibid. 1. — [4] Psal. CIII, 24. — [5] Joan. VIII, 25. — [6] Gen. I, sæpius. — [7] Psal. XXXII, 9. — [8] Gen. I, 2. — [9] Psal. XLI, 4.
(a) Οὐσία Essentia.

dio : « Ubi est Deus tuus ? » quid oculis ostendam, non habeo, mentes oblatrantes cæcas invenio. Oculis, quos habet, unde videat, ego non habeo, quod ostendam. Cum vere habeo, quem ostendam, ille non habet oculos, unde videat. Libet flere, tanquam in lacrymis pane vesci! Invisibilis est enim Deus meus, ille, qui mihi loquitur, visibilia requirit, cum dicit : « Ubi est Deus tuus ? » Ego autem, ut pervenirem ad Deum meum, sicut dicit in ipso Psalmo: « Hæc meditatus sum, et effudi super me animam » meam[1]. » Deus meus non est infra animam meam, sed est supra animam meam. Unde attingo ad id, quod est supra animam meam, nisi effundam super me animam meam? Et tamen huic protervo, visibilia requirenti, visibilia demonstranti, de visibilibus exultanti utcumque adjuvante Deo meo respondere conabor. Hoc certe mihi dicis : « Ubi est Deus tuus? » Respondeo tibi : Ubi es ipse tu? Respondeo, inquam ; puto, quia non importune. Tu quæsisti, ubi sit Deus (*a*); ego vero, ubi sit ipse interrogator meus. Dicturus est : Ecce, ubi sum. Vides me, tibi loquor. Et ego illi : Interrogatorem meum quæro. Faciem ejus video, corpus ejus video, vocem ejus audio, linguam ejus inspicio. Ipsum quæro, qui in me oculos intendit, qui linguam movet, qui vocem emittit, qui interrogando scire desiderat. Hoc totum, de quo loquor, anima est. Non ergo tecum diutius agam. Tu dicis : Ostende mihi Deum tuum. Ego dico : Ostende mihi animum tuum. Laboras, fatigaris, figeris, cum dico : Ostende mihi animum tuum. Scio, quia non potes. Quare non potes? Quia invisibilis est animus tuus. Et tamen melior est in te, quam corpus tuum. Deus autem meus melior est, quam animus tuus. Quomodo ergo ostendam Deum meum, cum mihi non ostendas animum tuum, quo meliorem ostendo Deum meum? Ecce, si dicis mihi, ex opere agnosce animum meum. Quia oculos intendo ad videndum, aures ad audiendum, linguam moveo ad loquendum, vocem promo ad sonandum, ex hoc intellige et cognosce animum meum. Vides, quia ipsum non potes ostendere, sed me jubes eum ex operibus nosse. Ecce, et ego ex operibus ostendam tibi Deum meum. Nec pergo longius, nec mitto forte infidelitatem tuam ad ea, quæ non capis. Opera Dei mei non sic commemoro : Fecit invisibilia, fecit visibilia, id est, cœlum et terram, mare et omnia, quæ in eis sunt. Non te mitto per multa. Ad te ipsum redeo. Tu certe vivis. Habes corpus, habes animum. Visibile est corpus, invisibilis est animus. Corpus habitaculum, animus habitator. Corpus vehiculum, animus utens vehiculo, corpus, quasi vehiculum, quod regatur, animus auriga corporis tui. Ecce manifesti sunt sensus tui, tanquam januæ in corpore tuo, per quas nuntietur aliquid interius habitanti animo tuo : oculi, aures, olfactus, gustus, tactus, membra disposita. Quid illud intus, unde cogitas, unde ista vivificas? Hoc totum, quod miraris in te, qui hoc fecit, ipse est Deus meus.

V. Ergo, fratres mei, si mentes vestras, si interiores animos vestros aliqua, ut potui, congrua collocutione conveni, si ad eos, qui intus morantur in domibus luteis, id est, ad animos vestros habitantes in corporibus vestris loquendo perveni, nolite de eis, quæ nostis, Divina conjicere. Superat omnia Deus, cœlum et terram. Nolite vobis ante oculos ponere quasi fabrum aliquem magnum aliquid componentem, disponentem, machinantem, tornantem, vertentem, aut certe tanquam Imperatorem in sella regia, lucida, ornata sedentem, et jubendo creantem. Frangite idola in cordibus vestris. Attendite, quod dictum est ad Moysen, cum Dei nomen inquireret. « Ego » sum, qui sum[2]. » Quære, quid aliud « Est. » Illius comparatione nec « Est. » Nescit ulla ex parte mutari, quod veraciter « Est. » Omne, quidquid mutatur et fluitat, et quodam tempore mutari non cessat, fuit, et erit. Non in eo comprehendis « Est. » Deus autem non habet fuit, et erit. Quod autem fuit, jam non est. Quod erit, nondum est. Et quod sic venit, ut transeat, ideo erit, ut non sit. Cogitate, si potestis : « Ego sum, qui sum. » Nolite voluntatibus volvi, nolite voluntariis et temporalibus cogitationibus agitari. State ad « Est. » State ad ipsum « Est. » Quo itis? State, ut et vos esse possitis. Sed quando tenemus volaticam cogitationem, et ad id, quod manet, affigere quando possumus? Ergo misertus est Deus, et ille, qui « Est, » et ille, qui dixit : « Hoc dices filiis Israël : » Qui est, misit me ad vos, » dicto nomine substantiæ suæ, dicit postea nomen misericordiæ suæ. Quod nomen substantiæ ejus? « Ego sum, qui sum. Dices filiis Israël : » Qui est, misit me ad vos[3]. » Sed Moyses homo erat, et in his, quæ in illius comparatione non sunt, erat. In terra erat, in carne erat, et in ipsa carne anima erat, natura mutabilis erat, sub sarcina fragilitatis humanæ erat. Nam illud, quod dictum est : « Ego sum, qui sum, » quando capiebat? Etenim per id, quod videbatur oculis ejus, ad eum loquebatur, qui non videbatur, et illo, qui videbatur, tanquam instrumento latens Deus utebatur. Non enim, quod videbat Moyses, hoc erat totum Deus, quia nec tu (*b*), quod a me ipso, quod homo sim, sonat, hoc est totum verbum. Habeo in corde verbum, quod non sonat. Sonus transit, verbum manet. Ergo cum diceret Deus ad hominem invisibilis, per id, quod apparere dignatus est, visibilis, loqueretur æternus temporalia, incommutabilis fragilia, cum diceret : « Ego sum, qui sum, » et : « Dices filiis Israël : Qui est, misit me ad vos, » tanquam illo non valente comprehendere, quid sit : « Ego » sum, qui sum, » et : « Qui est, misit me ad vos, » aut forte, si ipse comprehendebat, nobis legendum erat, qui comprehendere non valemus, continuo post nomen substantiæ dixit nomen misericordiæ. Tanquam diceret Moysi : Quod dixi : « Ego sum, qui sum, » non capis, non stat cor tuum, non es immutabilis mecum, nec incommutabilis mens tua. Audisti, quod sum. Audi, quod capias; audi, quod speres. Dixit iterum Deus ad Moysen : « Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob. » Non potes capere nomen substantiæ meæ, cape nomen misericordiæ meæ. « Ego sum Deus Abraham, et Deus » Isaac, et Deus Jacob[4]. » Sed quod sum, æternum est. Abraham, Isaac et Jacob quidem æterni, imo non dico æterni, sed ab illo facti æterni. Denique sic etiam calumniantes Sadducæos Dominus ipse convincit, qui cum resurrectionem negarent, hinc ille dedit testimonium sanctæ Scripturæ. « Legite, quod dixit Dominus in rubo ad » Moysen : Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et » Deus Jacob. Non est Deus mortuorum, sed vivorum[5]; » omnes enim illi vivunt. Proinde et hic non addidit Deus, cum dixisset : « Ego sum, qui sum, Hoc mihi nomen est » in æternum[6]. » Hic enim nemo dubitat ; quia id, quod est, ideo est, quia æternum est. Sed ubi sit : « Ego sum » Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, » ibi addidit : « Hoc mihi nomen est in æternum. » Tanquam diceret : Quid times de mortalitate generis humani? Quid fortasse trepidas, ne, cum mortuus fueris, ultra non sis? « Hoc mihi nomen est in æternum. » Æternum nomen esse non posset « Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus » Jacob, » nisi in æternum viverent Abraham, Isaac et Jacob. Conversi ad Dominum, etc. (*c*)

[1] Psal. XLI, 5. — [2] Exod. III, 14. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 6. — [5] Matth. XXII, 32, et Marc. XII, 26, 27. — [6] Exod. III, 15.

(*a*) Fortasse addendum *meus*. — (*b*) Vocula *tu* redundat. — (*c*) Formulam hanc Augustino familiarem, pluribus Sermonibus subjunctam semel indicasse sufficiat. Integram exhibet Sirmondus in *not. ad XL. Sermones* Opp. tom. T. I. *col.* 337.

SERMO III.

De Sacramento altaris ad infantes (*a*).

SYNOPSIS.

I. Sacrificii novæ Legis Commendatio. II. Sacrificium istud Christus est. III. Vere et realiter in Eucharistia præsens. IV. Eucharistiæ Effectus. V. Conditiones dignæ Sumptionis.

I. Redditi sermonis officium, et cura, qua vos parturivimus, ut Christus formaretur in vobis, compellit nos admonere infantiam vestram, qui ex aqua et Spiritu nunc renati cibum et potum istum super hanc dominicam mensam nova luce conspicitis, et novella pietate percipitis, quid sibi velit tam magnum, divinumque Sacramentum, tam clarum et nobile medicamentum, tam mundum et facile sacrificium, quod nec in una civitate terrena Jerusalem, nec in tabernaculo illo, quod per Moysen, nec in templo illo, quod per Salomonem fabricatum est, quæ fuerunt umbræ futurorum, sed a solis ortu usque ad occasum, sicut a Prophetis prædictum est, immolatur, et secundum Novi Testamenti gratiam Deo victima laudis offertur. Non adhuc de gregibus pecorum hostia cruenta conquiritur, non nunc ovis aut hircus divinis altaribus admovetur, sed sacrificium jam nostri temporis Corpus et Sanguis est ipsius Sacerdotis. De illo quippe tanto ante prædictum est in Psalmis: « Tu es » Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchise» dech[1]. » Quod autem panem et vinum Melchisedech sacerdos Dei excelsi protulerit, quando patrem nostrum Abraham benedixit, in libro Genesis legimus et tenemus[2].

II. Christus ergo Dominus noster, qui obtulit patiendo pro nobis, quod nascendo accepit ex nobis, princeps Sacerdotum factus in æternum sacrificandi dedit ordinem, quem videtis, Corporis utique et Sanguinis sui. Nam percussum lancea Corpus ejus aquam et sanguinem emisit, quo peccata nostra dimisit. Hujus gratiæ memores, vestram ipsorum salutem operantes, quoniam Deus est, qui operatur in vobis, cum timore et tremore ad participationem hujus altaris accedite. Hoc agnoscite in pane, quod pependit in cruce; hoc in calice, quod manavit ex latere. Nam et illa vetera sacrificia populi Dei hoc unum venturum multiplici varietate figurabant. Ipse enim Christus et ovis est propter innocentiam simplicis animi, et hircus propter similitudinem carnis peccati. Et quidquid aliud multis et diversis modis in sacrificiis Testamenti Veteris prænuntiatum est, ad hoc unum pertinet, quod Novo Testamento revelatum est.

III. Accipite itaque, et edite Corpus Christi, etiam ipsi in Corpore Christi facti jam membra Christi. Accipite, et potate Sanguinem Christi. Ne dissolvamini, manducate vinculum vestrum. Ne vobis viles videamini, bibite pretium vestrum. Sicut hoc in vos convertitur, cum id manducatis et bibitis, sic et vos in Corpus Christi convertimini, cum obedienter et pie vivitis. Ipse namque sua jam propinquante passione, cum Pascha faceret cum Discipulis suis, acceptum panem benedixit, et ait: « Hoc » est Corpus meum, quod pro vobis tradetur[3]. » Similiter benedictum calicem dedit dicens: « Hic est Sanguis » meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in » remissionem peccatorum[4]. » Hoc in Evangelio vel legebatis, vel audiebatis, sed hanc Eucharistiam esse Filium nesciebatis. Nunc vero aspersi (*b*) corde in conscientia pura, et loti corpore aqua munda « Accedite ad eum, et » illuminamini, et vultus vestri non erubescent[5]. » Hoc enim si digne accipitis, quod pertinet ad Testamentum Novum, per quod æternam hæreditatem speratis, tenentes mandatum novum, ut vos invicem diligatis, habetis in vobis vitam. Illam enim carnem sumitis, de qua dicit ipsa Vita: » Panis, quem ego dedero, caro mea est pro » seculi vita, » et: « Nisi quis manducaverit carnem » meam, et biberit sanguinem meum, non habebit in se » vitam[6]. »

IV. Habentes ergo vitam in illo in carne una eritis cum illo. Neque enim hoc Sacramentum Christi corpus ita commendat, ut nos inde sejungat. Hoc namque Apostolus in Scriptura sancta prædictum esse commemorat: » Erunt duo in carne una. Sacramentum hoc, » inquit, magnum est; ego autem dico in Christo et in » Ecclesia[7]. » Et alio loco de hac ipsa Eucharistia dicit: « Unus panis, unum corpus multi sumus[8]. » Accipere ergo incipitis, quod et esse cœpistis, si non indigne accipiatis, ne judicium vobis manducetis, et bibatis. Sic enim dicit: « Quicumque manducaverit panem aut bibe» rit calicem Domini indigne, reus erit Corporis et San» guinis Domini. Probet autem se ipsum homo, et sic » de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim mandu» cat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit[9]. »

V. Digne autem accipitis, si a malæ doctrinæ fermento caveatis, ut sitis » Azymi sinceritatis, et verita» tis[10]. » Aut si fermentum illud charitatis teneatis, » Quod » abscondit mulier in farinæ mensuris tribus, donec fer» mentaretur totum[11]. » Hæc enim mulier est sapientia Dei, facta per Virginem in carne mortali, quæ in toto orbe terrarum, quem de tribus Noë filiis post diluvium reparavit, tanquam in mensuris tribus suum disseminat Evangelium, « Donec fermentaretur totum. » Hoc est illud » Totum, » quod græce dicitur « Holon (*c*), » ubi custodientes vinculum pacis eritis secundum totum, quod » Catholon » vocatur, et unde Catholica nominatur (*d*).

SERMO IV.

De Paschate. (*e*)

SYNOPSIS.

Christus agnus et leo.

Sicut veritas per Apostolos sonuit, et « In omnem ter» ram exivit sonus eorum, atque in fines orbis terræ verba » eorum[12]; Pascha nostrum immolatus est Christus[13]. » De quo ante Propheta prædixerat: » Sicut ovis ad im» molandum ductus est, et ut agnus coram, qui se ton» deret, fuit sine voce, sic non aperuit os suum[14]. » Quis est iste? Nempe ille, de quo sequitur, et dicit: « In hu» militate judicium ejus ablatum est. Generationem ip-

[1] Psal. cix, 4. — [2] Gen. xiv, 18. — [3] Luc. xxii, 19. — [4] Matth. xxvi, 28. — [5] Psal. xxxiii, 6. — [6] Joan. vi, 52 54. — [7] Ephes. v, 32. — [8] 1 Cor. x, 17. — [9] 1 Cor. xi, 27-29. — [10] Id. v, 8. — [11] Matth. xiii, 33. — [12] Psal. xviii, 5. — [13] Rom. x, 18. — [14] Isai. liii, 7.

(*a*) In Codice *fol.* 4. p. 2. inscriptus: *Incipit alius de Sacramentis in eodem die.* Sermonem hunc illum puto, de quo Augustiniana Edit. *Maur. T V. Serm. CCXXVIII. Sermonem ad altare Dei debemus hodie Infantibus* (novellis Christianis) *de Sacramento Altaris.* Et fortasse ille est, quem Possidius in *Indiculo Opp. Augustini* T. X. *cap* 10. notavit: *De Eucharistia.* Pulchra est ad S. Communionem Præparatio, locanda in Edit. post *Serm. CCXXVIII.* — (*b*) Lego *abstersi.* — (*c*) Ὅλον. Καθόλου. — (*d*) Videtur excidisse: *Ecclesia.* — (*e*) In Codice *Fol.* 5. inscriptus: *Incipit alius de eodem die Sermo sancti Augustini ep.* Fortassis extemporalis, et *ex repentinis*, quales S. Doctorem subinde habuisse narrat Possidius *Vitæ cap.* 7. sed dignus ejus ingenio, Editioni inferendus post *Sermonem CCXXIX.*

» sius quis enarrabit[1]? » Video exemplum tantæ humilitatis in Rege tantæ potestatis. Nam iste sicut agnus coram tondente non aperiens os suum ipse est « Leo de tribu » Juda[2]. » Quis est iste agnus et leo? Mortem pertulit, ut agnus; consumpsit, ut leo. Quis est iste agnus et leo? Mitis et fortis, amabilis et terribilis, innocens et potens, tacens judicatus, fremens judicaturus. Quis est iste agnus et leo? In passione agnus, in resurrectione leo, an potius et in passione agnus et leo, et in resurrectione agnus et leo? Agnum in passione videamus. Modo jam dictus est. « Sicut agnus coram tondente se fuit sine voce, sic non » aperuit os suum. » Leonem in passione videamus. Jacob dixit : « Ascendisti recumbens, dormisti sicut leo[3]. » Agnum in resurrectione videamus. Apocalypsis, cum de gloria sempiterna virginum loqueretur : « Sequuntur, » inquit, Agnum, quocumque ierit[4]. » Leonem in resurrectione videamus. Eadem Apocalypsis dicit, quod supra jam posui. « Vicit leo de tribu Juda aperire librum[5]. » Quare agnus in passione? Quia mortem sine iniquitate suscepit. Quare leo in passione? Quia mortem occisus occidit. Quare agnus in resurrectione? Quia sempiterna est illi innocentia. Quare leo in resurrectione? Quia sempiterna est illi potentia. Quis est iste agnus et leo? Quomodo quæris, quisnam sit? Si autem, quid erat? « In principio erat Verbum. » Si, ubi erat? « Et Verbum » erat apud Deum. » Si, quale Verbum erat? « Et Deus » erat Verbum. » Si, quantæ potentiæ sit? « Omnia per » ipsum facta sunt. » Si, et ipse quid factus est? « Et » Verbum caro factum est[6]. » Si, quemadmodum vel de patre sine matre, vel de matre sine patre natus sit? « Generationem ejus quis enarrabit? » Ab altero genitus, gignenti coæternus. Verbum permanens caro factum est. Omnium temporum creator, opportuno tempore creatus. Præda mortis, prædator mortis. Deformis positione præ filiis hominum, infirmitatem sciens ferre, excelsus facere humilia, humilis excelsa. Deus homo, et homo Deus. Et primogenitus, et creator primogenitorum. Unicus, et frater cunctorum. De substantia patris natus, et particeps factus adoptatorum. Et Dominus omnium, et servus plurimorum. Hic est agnus, « Qui tollit peccata mundi[7], » hic est leo, qui vincit regna mundi. Quærebam, quis est iste. Quæramus, qui sunt, pro quibus mortuus est iste. Forte pro justis et sanctis? Non hoc dicit Apostolus, sed potius, quia « Christus pro impiis mortuus est[8]. » Non utique, ut impii permanerent, sed ut morte justi impius justificaretur, et effuso sanguine sine peccato peccati chirographum deleretur.

SERMO V.

Iterum de Paschate. (*a*)

SYNOPSIS.

I. Mors Christi Spes nostra. II. Mors Christi voluntaria. III. Quomodo Christus tristis in morte. IV. Necessitas Incarnationis, ut redimeremur. V. Redemptoris ad Redemptos Verba. VI. Quomodo intelligatur Christus pro nobis mortuus. VII. Errores Apollinaris et Arrii refutantur. VIII. Adhortatio.

I. Audivimus Evangelium. Lecta est Resurrectio Domini nostri Jesu Christi. Resurrexit Christus, ergo mortuus est Christus. Resurrectio testis est mortis; mors autem Christi peremptio timoris. Non timeamus mori. Mortuus est Christus pro nobis. Cum spe vitæ æternæ moriamur. Resurrexit Christus, ut resurgamus. Habemus in morte et resurrectione ejus opus indictum, præmium promissum. Opus indictum passio, præmium promissum resurrectio. Opus hoc Martyres impleverunt; nos impleamus pietate, si non possumus passione. Non enim omnibus contingit pati pro Christo, et mori pro Christo. Tamen ipsum mori omnibus contingit. Felices, quibus pro Christo factum est, quod necesse erat, ut fieret! Necessitas enim erat mori, sed non erat necessitas pro Christo mori. Omnibus ventura est mors, sed non omnibus pro Christo mors. Quibus contigit pro Christo mori, quodam modo illud, quod eis erogatum fuerat, reddiderunt. Erogaverat eis Dominus, ut moreretur pro illis; reddiderunt illi moriendo pro illo. Sed unde redderet miser egenus, si non dedisset felix Dominus? Itaque quod erogaverat Martyribus Christus, dedit eis, unde redderent Christo. Vox enim Martyrum est : « Nisi quia » Dominus erat in nobis, fortasse vivos absorbuissent » nos[9]. » Persecutores, inquit, « Fortasse vivos absor- » buissent nos. » Quid est « Vivos? » Scientes, quia male faceremus, si Christum negaremus, tamen tam magnum malum « Vivi, » id est, scientes faceremus, et sic « Ab- » sorbuissent nos vivos, » non mortuos. Quid est, « Vi- » vos? » Scientes, non nescientes. Et qua virtute non fecerunt, quod a persecutoribus facere cogebantur? Ipsi interrogentur, ipsi dicant. Ecce respondent : « Nisi quia » Dominus erat in nobis. » Ergo ipse dedit, quod ei redderetur. Gratias illi. Dives est. Et quod de illo scriptum est : « Pauper factus est, ut nos divites faceret[10], » paupertate ejus ditati, vulneribus ejus sanati, humilitate ejus exaltati, morte ejus vivificati (*b*).

II. Dicebat Martyr : « Quid retribuam Domino pro » omnibus, quæ retribuit mihi[11]? » Audite, quod sequitur. Attendit enim et quæsivit, quid retribueret Domino. Et quid ait? « Calicem salutaris accipiam[12]. » Hoc retribuam Domino : « Calicem salutaris, » calicem martyrii, calicem passionis, calicem Christi. Hoc est : « Calicem » salutaris, » quia salutare nostrum Christus. Ergo, inquit, accipiam calicem ejus, et retribuam illi. De ipso calice dixit et ipse Patri ante passionem : « Pater, si fieri » potest, transeat a me calix iste[13]. » Pati venerat, mori venerat, in potestate habebat mortem, aut, si mentior, ipsum audite. « Potestatem, inquit, habeo ponendi ani- » mam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. » Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me, et ite- » rum sumo eam[14]. » Audistis potestatem? « Nemo tollit. » Sine causa gloriantur Judæi. Peccatum inde habent, non potentiam. Christus, quia voluit, mortuus est. Ipse dicit in Psalmo : « Ego dormivi, et somnum cœpi[15]. » Clamaverunt ; « Crucifige, crucifige[16], » tenuerunt, suspenderunt. Sic illi juvant, quia aliquid potuerunt. « Ego dor- » mivi. » Et quid postea? « Et somnum cepi. » Vere somnus erat triduanus. Quid ergo postea? « Et resurrexi, » quoniam Dominus suscepit me. » Secundum formam servi loquitur : « Dominus suscepit me[17]. » Sicut et alio loco : « Numquid qui dormit, non adjiciet, ut resurgat[18]? » Gloriantur Judæi, quasi vicerint me. « Numquid qui dor- » mit, non adjiciet, ut resurgat? » Illi, ut occiderent, suspenderunt, sed « Ego dormivi, » quia, quando volui, animam posui, et quando volui, surrexi.

III. Ergo ipse est calix, quem volebat transire, ad quem bibendum venerat. Quid est ergo, Domine, quod

[1] Isai. LIII, 7. — [2] Apoc. V, 5. — [3] Gen. XLIX, 9. — [4] Apoc. XIV, 4. — [5] Ibid. 5. — [6] Joan. I, 1, 2 et 14. — [7] Ibid. 29. — [8] Rom. V, 6. — [9] Psal. CXXIII, 1, 2. — [10] 2 Cor. VIII, 9. — [11] Psal. CXV, 12. — [12] Psal. CXV, 13. — [13] Matth. XXVI, 39. — [14] Joan. X, 18. — [15] Psal. III, 6. — [16] Luc. XXIII, 21, et Joan. XIX, 6. — [17] Psal. III, 6. — [18] Id. XL, 9.

(*a*) In Codice *Fol.* 5, *p.* 2, inscriptus : *Item alius Sermo sancti Augustini ep. in eodem die.* Præstans et ad motum comparatus, de Passione et morte Servatoris, collocandus in editione post *Sermonem CCXXX.* — (*b*) Supplo *sumus.*

dixisti : « Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste? » Dixisti Discipulis passurus et moriturus : » Tristis est » anima mea usque ad mortem[1]? » Quæro ergo in his verbis verba illa tua : « Potestatem babeo ponendi ani- » mam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. » Unde audio : » Tristis est anima mea usque ad mortem? » Nemo tollit eam. Quare tristis est? Potestatem habes ponendi animam tuam. Quare dicis : « Pater, si fieri potest, » transeat a me calix iste? » Respondet interrogauti et dicit tibi : Homo, in carne mea te suscepi. Numquid ergo, si in carne mea te suscepi, in voce mea non te suscepi? Quando dico : « Potestatem habeo ponendi animam » meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam, » sicut factur, me loquor. Quando dico : « Tristis est anima » mea usque ad mortem, » sicut factura, te loquor. Gaude de me in me, agnosce te in me. Quando dico : » Potesta- » tem habeo ponendi animam meam, » adjutorium tuum sum. Quando dico : « Tristis est anima mea usque ad » mortem, » speculum tuum sum.

IV. Non legistis, quia mortuus est? Numquid negamus? Si negaverimus mortem, negamus et resurrectionem. Inde mortuus est, unde homo esse dignatus est. Inde resurrexit, unde homo esse dignatus est, quia et nos homines et morituri sumus, et resurrecturi sumus. Numquid Verbum in illo mortuum est? Numquid pati aliquid potuit, quod « In principio erat Verbum, et Verbum erat » apud Deum, et Deus erat Verbum[2]? » Quid potest pati tale Verbum? Et oportebat tamen, ut moreretur pro nobis Verbum, et mori non poterat, et, ut moreretur, oportebat. » In principio erat Verbum, et Verbum erat » apud Deum, et Deus erat Verbum, » Ubi sanguis? Ubi mors? Numquid mors in Verbo? Numquid sanguis in Verbo? Si nec mors in Verbo, nec sanguis in Verbo, ubi pretium nostrum? Annon pretium nostrum sanguis est ejus? Unde ergo daret boc pretium, si maneret solum Verbum? nisi carnem assumeret Verbum; carnem autem de anima bumana viventem, ut, quoniam Verbum occidi non poterat, occideretur sola caro, quæ de sua anima vivebat? Neque enim vel anima occidi poterat, quæ anima Divinitati adhærendo unus spiritus erat, ipso Domino duntaxat eam (*a*) se induente, non ipsa in illo credente, sicut de nobis scriptum est : « Qui adjungit se Domino, » unus spiritus est[3]. » Nos enim, cum infideles essemus, indigni eramus, et a Deo alieni; credendo autem adhæsimus Deo. Illa autem anima adhæsione Dei digna creata est, cum in personæ divinæ unitatem nova, rudisque assumpta est. Qua unitate bac singularitate duorum spirituum inæqualium discedente caro mortua est, quæ de ipsa duorum spirituum unitate novo modo, novoque genere vivens, id est, geminam et admirabilem vitam habens, parvo tantummodo tempore derelicta est. Deus enim spiritus, et imago ejus, bumanus spiritus immortales sunt.

V. Sic ergo nos alloquitur quodam modo Dominus noster, Salvator noster dicens : O Homines! feci hominem rectum, et fecit se ipse perversum. A me recessistis, in vobis peristis. Ego autem quæsiturus sum, quod perierat. A me recessistis, inquit, vitam perdidistis. » Et » vita erat lux hominum[4]. » Ecce quod reliquistis, quando in Adam omnes peristis » Vita erat lux homi- » num. » Quæ vita? « In principio erat Verbum, et Ver- » bum erat apud Deum, et Deus erat Verbum[3]. » Vita erat, vos in morte vestra jacebatis. Verbum, unde moreer, non babebam; Homo, unde viveres, non babebas. (Quia dignatur Dominus Christus, suscepi verba ejus. Si ipse mea, quanto magis ego ejus.) Quodam modo in silentio, rebus ipsis loquens Dominus noster Christus dicit : Unde morerer, non habebam : Homo, unde viveres, non habebas. Assumpsi de te, unde morerer pro te. Assume de me, unde vivas mecum. Commercia celebremus. Do tibi, da mihi. Accipio a te mortem, accipe a me vitam. Expergiscere, vide quid dem, quid accipiam. Excelsus in cœlo accepi a te super terram humilitatem. Dominus tuus accepi a te formam servi. Sanitas tua accepi a te vulnera. Vita tua accepi a te mortem. Verbum caro factum sum, ut mori possem. Carnem apud patrem non babebam, de massa tua sumpsi, unde tibi erogarem. (Virgo Maria de massa nostra erat; ibi assumpsit Christus carnem a nobis, id est, a genere bumano.) Accepi a te carnem, unde morerer pro te, accipe a me Spiritum vivificatorem, unde vivas mecum. Postremo mortuus sum de tuo, vive de meo.

VI. Ergo, fratres, quando auditis : Natus est de Spiritu ex Virgine Maria, passus est, vapulavit, alapas accepit, quando auditis : Passus est hæc Christus, nolite putare « Verbum illud in principio apud Deum » in sua natura, atque in sua substantia aliquid tale pati potuisse. Sed numquid possumus dicere, quia Verbum Dei, Deus unigenitus non est passus pro nobis? Passus est, sed secundum animam et carnem suam passibilem. Accepit enim formam servi, ut tanquam homo pateretur. Habebat enim et animam et carnem, quia totum hominem liberare venerat, non amittendo vitam, sed donando vitam. Ut autem similitudinem demus, unde celerius, quod dicimus, advertatis; sicut verbi gratia quando Stephanus martyr, et Phocas (*b*), vel aliquis alius passus est, et occisus, et sepultus, caro eorum sola occisa et sepulta est; animæ autem eorum neque occidi, neque sepeliri potuere, et tamen rectissime dicimus : Mortuus est Stephanus, vel Phocas, vel quicumque alius pro nomine Christi, ita, quando passus, et occisus, et sepultus est Dei Unigenitus, caro utique ejus sola occisa et sepulta est; anima autem, et multo magis Divinitas ejus occidi non potuit, et ideo securi dicimus, mortuum pro nobis esse et sepultum unicum Dei Filium, id est, Deum Dei unigenitum. Unde utique veraciter, non mendaciter dixit ipse Christus Dominus, qui est sine mendacio veritas : » Sic enim dilexit » Deus mundum, ut Unigenitum suum daret, ut omnis, » qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æter- » nam[6]. » Et Apostolus similiter de Deo Patre dicit : « Qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus » tradidit eum[7]. » Vultis autem noscere, quid est Christus? Nolite attendere carnem solam, quæ jacuit in sepulcro, nolite attendere animam solam, de qua dixit : » Tristis est anima mea usque ad mortem, » nolite attendere Verbum solum, quia « Deus erat Verbum, » sed attendite, quia Christus totus Verbum, et anima, et caro est.

VII. Nihil autem animæ Christi subtrahatis. Hæretici enim Apollinaristæ dixerunt, quia mentem non babuit, id est, intelligentiam non habuit anima illa, sed Verbum illi pro mente, et pro intelligentia erat. Hoc ait Apollinaris. Arriani autem dicunt : Nec qualemcumque animam habuit. Vos ergo fideliter tenete, quia prorsus Verbum, et anima, et caro est totus Christus. Et quando auditis : » Tristis est anima mea, » animam humanam intelligite, non belluinam. Anima enim sine intellectu anima pecoris

[1] Matth. xxvi, 38. — [2] Joan. i, 2. — [3] I Cor. vi, 17. — [4] Joan. i, 4. — [5] Ibid. 1. — [6] Joan. iii, 16. — [7] Rom. viii, 32.

(*a*) Lege *ea*. — (*b*) Difficile dictu sit, quem e tribus Phocis, Antiocheno videlicet et duobus Sinopensibus, hic innuat Augustinus. Egere de iis, ut solent, accurate Hagiographi Belgæ ad diem 14. *Julii*. Neminem tamen eorum in Africa notum, aut cultum a Monumentis ibi allatis liquet. Interim Phocæ τοῦ θαλασσοθαυματουργοῦ notitia ab Nautis Africæ littora frequentantibus proficisci potuit, atque hunc Ortorem Sinopensem fuisse, ex Encomio Asterii Amaseæ Ep. a Fr. Combefisio *Paris.* 1648. e. aliis edito discimus.

est, non anima humana. Si non venit liberare mentem, non habuit mentem. Ergo unus Christus, Verbum, et anima, et caro. Quid homo? Anima et caro. Quid Christus? Verbum et homo, ac per hoc, Verbum, et anima, et caro, Christus unus. Hominem quando cædis pugnis, quid ejus percutis? Animam, an carnem? Confiteris, quia carnem. Et tamen clamat anima: Quid me percutis, quid me cædis? Numquid, si dicas animæ: Quis te tetigit? Ego carnem ferio, non te; nonne, quicumque te audierint hæc dicentem, irridebunt, et insipientem vel insanum te judicabunt? Sic ergo, qui carnem Verbi Dei flagellaverunt, vel alapis cæciderunt, non possunt dicere: Nos carnem flagellavimus, vel exalapavimus (*a*), non Verbum, vel animam Christi. Totum enim Christum, id est, Verbum, et animam, et carnem flagellaverunt, vel alapis cæciderunt. Et cum utique neque animam, neque ipsam Divinitatem ejus, quæ vera vita est, in cruce occidere potuerunt, totum tamen Christum in corde suo, et in mala voluntate sua inficere delectati sunt. Quicumque enim persequitur aliquem, ut eum occidat, sic eum vult extingui totum, sicut extinguitur totum lumen lucernæ in terram collisæ, ut penitus non luceat, cum eam sibi quisque malefactor viderit impedire (*b*). Quod in homine fieri nullo modo potest, id est, ut totus extinguatur, qui unam utique substantiam habet mortalem, alteram immortalem. Nulla enim in illo mortalis est, nisi caro. Unigenitus autem Dei Christus multo magis totus extingui non potuit, cum eum se Judæi extinguere putaverunt, qui in tribus substantiis suis, id est, una, æterna, atque divina, et in duabus temporalibus, id est, humanis unam solam habuit mortalem, id est, carnem suam. Animam autem et maxime Divinitatem suam sine dubio immortalem habuit. Et ideo sua parvi temporis morte nos de nostra morte æterna redimere solus potuit, qui non tantummodo caro, et anima humana fuit, sed Deus, et anima, et caro, unus Dei Unigenitus fuit. Qui enim « Descendit usque in » inferiores partes terræ, ipse est, et qui ascendit super » omnes cœlos[1], » quod homo solus facere non posset.

VIII. Securi ergo exultemus, et lætemur, charissimi fratres, quia ille nos sua morte redemit, qui etiam occisus de hostibus triumphavit. Occisus enim mortem occidit, et in æternum nos de manu ejus liberavit, « Ascendensque » in altum captivam duxit captivitatem[2], » atque hominibus misso Spiritu sancto dona sua dedit, qui etiam jacens in sepulcro credentem latronem in paradisum introducere potuit.

SERMO VI.

Item de Sacramento altaris ad infantes. (*c*)

SYNOPSIS.

I. Corpus dominicum et in altari est, et nos illud sumus. II. Eucharistia Symbolum unitatis. III. Liturgiæ eucharisticæ expositio.

I. Hoc, quod videtis, charissimi, in mensa Domini, panis est, et vinum; sed iste panis, et hoc vinum accedente verbo fit corpus, et sanguis Verbi. Ille enim Dominus, qui « In principio erat Verbum, et Verbum erat » apud Deum, et Deus erat Verbum[3], » propter misericordiam suam, qua non contempsit, quod creavit ad imaginem suam, « Verbum caro factum est, et habitavit » in nobis[4], » sicut scitis, quia et ipsum Verbum assumpsit hominem, id est, animam et carnem hominis, et homo factus est, manens Deus. Propter hoc, (*d*) quia et passus est pro nobis, commendavit nobis in isto Sacramento corpus, et sanguinem suum, quod etiam fecit et nos ipsos. Nam et nos corpus ipsius facti sumus, et per misericordiam ipsius, quod accipimus, nos sumus. (*e*) Recordamini, quod fuit aliquando creatura ista in agro, quomodo eam terra peperit, pluvia nutrivit, ad spicam perduxit, deinde labor humanus ad aream comportavit, trituravit, ventilavit, recondidit, protulit, moluit, conspersit, coxit, et vix aliquando ad panem perduxit. Recordamini et vos (*f*). Non fuistis, et creati estis, ad aream dominicam comportati estis, laboribus boum, id est, annuntiantium Evangelium, triturati estis. Quando Catechumeni differebamini, in horreo servabamini. Nomina vestra dedistis, cœpistis moli jejuniis (*g*), exorcismis. Postea ad aquam venistis, et conspersi estis, et unum facti estis. Accedente fervore Spiritus sancti cocti estis, et panis dominicus facti estis.

II. Ecce, quod accepistis. Quomodo ergo unum videtis esse, quod factum est, sic unum estote et vos (*h*), diligendo vos, tenendo unam fidem, unam spem, individuam charitatem. Hæretici quando hoc accipiunt, testimonium contra se accipiunt, quia illi quærunt divisionem, cum panis iste indicet unitatem. Sic et vinum in multis acinis (*i*) fuit, et modo in unum est. Unum est in suavitate calicis, sed (*j*) post pressuram torcularis. Et vos post illa jejunia, post labores, post humilitatem, et contritionem jam in nomine Christi tanquam ad calicem Domini venistis, et ibi vos estis ad mensam (*k*), ibi vos estis in calice. Nobiscum hoc (*l*) estis; simul enim hoc sumus (*m*), simul bibimus, quia simul vivimus (*n*). Audituri estis, quod etiam hesterno die audistis, sed hodie vobis exponitur, quod audistis, et quod respondistis, aut forte, cum responderetur, tacuistis, sed, quid respondendum esset, hodie didicistis.

III. Post salutationem, quam nostis, id est: « Dominus vobiscum, » audistis: « Sursum cor. » Tota vita Christianorum verorum sursum cor, non Christianorum nomine solo, sed Christianorum re ipsa, et veritate tota vita sursum cor. Quid est « Sursum cor? » Spes in Deo, non in te. Tu enim deorsum, Deus sursum est. Si spem habes in te, cor deorsum est, non est sursum. Ideo, cum audieritis (*o*) a Sacerdote: « Sursum cor! » respondetis: « Habemus ad Dominum. » Laborate, ut verum respondeatis. Quia apud acta (*p*) Dei respondetis, sic sit, quomodo dicitis. Non lingua sonet, et conscientia neget, et, quia hoc ipsum, ut sursum habeatis cor, Deus vobis donat, non vires vestræ, ideo sequitur, cum dixeritis, habere vos sursum cor ad Dominum, sequitur Sacerdos et dicit: « Domino Deo nostro gratias agamus. » Unde gratias agamus? Quia sursum cor habemus, et nisi ille illud levasset, in terra jaceremus. Et inde jam, (*q*) quæ aguntur in precibus sanctis, quas audituri estis, ut ac-

[1] Ephes. IV, 10. — [2] Ibid. — [3] Joan. I, 1. — [4] Ibid. 14.

(*a*) Ita apud Martene *Anecd. T. III, Col.* 1843. in pass. Cypriani et Justinæ: *Exalapari jussit.* — (*b*) Lege: *cum ea se quisque malefactor viderit impediri.* — (*c*) In Codice *fol.* 7. inscriptus: *De Sacramentis Altaris. Sermo sancti Augustini ep. in eodem die.* Brevis institutio ad sacram Synaxin primum accedentium, qualis supra *Sermo* noster III. et in Editis CCXXVII et CCLXXII. Fragmentum ejus a *Bedæ* et *Flori* Collectione *Sermonis CCXXIX.* loco edidere Mauriani. Hic integrum damus. — (*d*) Hic incipit *Fragmentum* editum, de quo supra. — (*e*) Sequens periodus usque ad verba: *Recordamini et vos, etc.* deest in *Fragmento* edito. — (*f*) To vos in accusandi casu. Itaque male interpunctum in *Fragm.* edito. — (*g*) *Fragmentum* editum interponit: *et.* — (*h*) *Fragm.* edit. *estote vos.* — (*i*) Id. *racemis.* — (*j*) Id. omittunt: *sed.* — (*k*) Id. *in mensa, et.* — (*l*) Id. *vos* pro *hoc.* — (*m*) Id. rectius: *sumimus.* — (*n*) Finit hic *Fragmentum* editum *T. V. Col.* 976. — (*o*) Aut hic legendum erunt: *auditis,* aut mox: *respondebitis* pro *respondetis.* — (*p*) Alias in *Actione,* Συνεργίας Canonis, Secretioribus Sacrificii Missæ, ut mox infra: *quæ aguntur.* — (*q*) Supple: *commedunt, sequuntur,* vel quid simile.

cedente verbo fiat corpus et sanguis Christi. Nam tolle verbum, panis est, et vinum. Adde verbum, et jam aliud est. Et ipsum aliud quid est? Corpus Christi et Sanguis Christi. Tolle ergo verbum, panis est, et vinum. Adde verbum, et fiet Sacramentum. Ad hoc dicitis: « Amen. « Amen dicere subscribere est. Amen latine interpretatur Verum. Deinde dicitur dominica Oratio, quam jam accepistis, et reddidistis (*a*). Quare ante dicitur, quam accipiatur Corpus et Sanguis Christi? Quia, sicut est humana fragilitas, si forte aliquid, quod non decebat, cogitatio nostra concepit; si aliquid lingua, quod non oportebat, effudit; si aliquid oculus, quod non decebat, aspexit; si aliquid auris blandius, quod non oportebat, audivit; si forte aliqua talia contracta sunt de hujus mundi tentatione, et vitæ humanæ fragilitate, tergitur dominica Oratione, ubi dicitur: « Dimitte nobis » debita nostra[1]; » ut securi accedamus, ne, quod accipimus, in judicium nobis manducemus, et bibamus. Post hoc dicitur: « Pax vobiscum. » Magnum sacramentum osculum pacis. Sic osculare, ut diligas. Ne sis Judas. Judas traditor Christum ore osculabatur, corde insidiabatur. Sed forte inimicum animum habet contra te aliquis, et non potes eum convincere, cogeris tolerare. Noli ei malum pro malo in corde tuo reddere. Ille odit, tu ama, et securus oscularis. Audistis pauca, sed magna. Non vilescant paucitate, sed chara sint pondere. Simul etiam onerandi non estis, ut ea, quæ dicta sunt, teneatis.

SERMO VII.

De Paschate. (*b*)

SYNOPSIS.

I. Quis agat Pascha, et quomodò agendum. II. Alleluia divitum, pauperum, afflictorum. III. Deus agit, ut Pater; Diabolus, ut Mango.

I. Dies Paschæ nos celebrare omnibus notum est, quibus diebus Alleluia cantamus. Quapropter, fratres, sollicite attendendum est, ut, quod visibiliter celebramus, in animo teneamus. Pascha enim nos celebrare dicimus. « Pascha « hebræus sermo est, quod interpretatur Transitus; græce autem « Paschin » pati (*c*), latine « Pascha « pascere, ut dici solet: « Pascam Amicos. » Pascha qui celebrant, nisi qui a morte peccatorum suorum transeunt ad vitam justorum? Sicut Apostolus dicit: « Transivimus de morte ad vitam, quia diligimus « fratres[2]. « Pascha quis agit, nisi qui credit Christo passo in terra, ut cum illo regnet in cœlo? Pascha quis agit, nisi qui pascit in pauperibus Christum? Ipse enim de pauperibus ait: « Quicumque uni ex minimis meis » aliquid boni fecerit, mihi fecit[3]. « Christus sedet in cœlo, et indiget in terra. Patrem interpellat pro nobis, et hic panem petit a nobis. Ergo, Domini fratres, si volumus agere Pascha salubriter, transeamus, patiamur, pascamus. Transeamus a peccatis ad justitiam, patiamur pro Christo, pascamus in pauperibus Christum. Convivia honeste celebremus, ut cum Abraham in regno Dei cœlesti convivio perfruamur. Cantemus ergo Deo alleluia, quod latine sonat: « Laudemus (*d*) eum, qui est. » Laudemus eum et in prosperis, et in adversis. In prosperitatibus divitiarum non extollamur, et in flagello damnorum non infirmemur. Dicamus alleluia cum Job, qui dixit: « Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Do« mino placuit, sic et factum est. Sit nomen Domini be« nedictum[4]. » Benedicamus ergo Dominum in omni tempore. Semper alleluia cantamus, si ad sonum linguæ nostræ moventur ad operationem justitiæ membra nostra, si hoc, quod sonat in ore cantantis, lucet in moribus viventis.

II. Audite, quomodo cantare jussi sunt alleluia divites et pauperes. « Præcipe, ait Apostolus, divitibus hujus » sæculi, non superbe sapere, neque sperare in incerto » divitiarum, sed in Deo vivo, qui dat nobis omnia abun» danter ad fruendum. Divites sint in operibus bonis, « facile tribuant, communicent, thesaurizent sibi in fu» turum, ut apprehendant veram vitam[5]. « Quod pauperes cantent, Tobias docet: « Fili, ne timeas, quoniam » pauperem vitam gerimus. Exuberabunt tibi multa » bona, si timueris Dominum Deum tuum, et, quæ » placent in conspectu ejus, feceris[6]. « Dilectissima membra Corporis Christi, expectemus Caput nostrum venturum de cœlo, cui cohærentes immobiles permanebimus, ut, cujus passionem celebramus in terra, cum ipso regnemus in cœlo. Disciplinam ejus sustineamus, ut corrigamur, quia, sicut filios, ita nos aggreditur Deus. « Quis est enim, ait Apostolus, cui non det disciplinam » pater ejus[7]? » Si separatis vos a disciplina Dei, ergo nothi, et non filii estis. Toleremus flagellum patris, ne incurramus severitatem judicis.

III. Deus et diabolus pater et mango (*e*). Deus, ut pater, flagellat, et corrigit, et assumit; mango blanditur, seducit, et vendit. Pater fert flagellum, et mango fert sacellum (*f*). Si concurreris sub alas flagellantis, liberaberis ab iniquitate vendentis. Vide, a quo, ubi reponaris, in regno cœlorum, an in sacello gehennarum. Si regnum Dei concupiscis, in solutione libertatis lætaberis; si vero sacellum, colligationem servitutis accipies, et ligatus manibus pedibusque dicetur de te: « Tollite et mittite illum » in tenebras exteriores. Ibi erit fletus et stridor den» tium[8]. » Clamatur ad nos fortiter. « Qui habet aures » audiendi, audiat, quid Spiritus dicat ecclesiis[9]. »

SERMO VIII.

In octava Paschatis ad infantes (*g*).

SYNOPSIS.

I. Vis, et effectus Baptismi, et Spes in eo reposita. II. Baptismus extra unitatem Ecclesiæ non prodest. III. Contra Schismaticos Baptismo gloriantes. IV. Cohortatio ad recens Baptizatos.

I. Sermo mihi est ad vos, modo nati Infantes, parvuli in Christo, nova proles Ecclesiæ, gratia Patris, fœcundi-

[1] Matth. vi, 12. — [2] 1 Joan. iii, 14. — [3] Matth. xxv, 40. — [4] Job. i, 21. — [5] 1 Tim. vi, 17, 18. — [6] Tob. iv, 3. — [7] Hebr. xii, 7. — [8] Matth. xxii, 13. — [9] Apoc. iii, 22.

(*a*) Id est: Sacerdoti memoriter recitastis. Itaque non Symbolum solum *reddebant*. Vide Nostri *Sermonem LVIII. T. V. col.* 337. — (*b*) In Codice *fol.* 10 *p.* 2. inscriptus: *Item Sermo sancti Augustini ep. De Festivitate paschali.* Sed mihi Augustinum non sapit, saltem integre. Expendant, qui S. Doctori me familiariores sunt. Ego enim ei subtrahere mallem, quam supponere. In Editione locum haberet post *Serm. CCLVI.* — (*c*) פסח· Πασχειν. Frivola hæc intrusa videntur. — (*d*) Imo: *Laudate* הללו·. — (*e*) Similia infra *Serm. XXI. n.* 4. — (*f*) Pro *Sacculo* Etiam Petronio, Celso, etc. Nullibi tamen in impressis Augustini. Recurret infra *Serm. XX. n.* 12. — (*g*) In Codice *fol.* 14. inscriptus: *Sermo sancti Augustini episcopi Sabbato Paschæ.* Dignus Auctore de Sacramento Baptismi egregie pertractat. Quædam N. 2. lecta leguntur *T. V. Append. Serm. CLXXII. col.* 298. male consarcinato. Noster inserendus est post *Sermonem CCLX.* qui fortasse his verbis eum innuit: *Regeneratis in baptismo, qui hodie miscendi sunt populo, brevis, sed gravis Sermo reddendus est.*

tas Matris, germen pium, examen novellum, flos nostri honoris, et fructus laboris, gaudium et corona mea, omnes, qui statis in Domino, Apostolicis verbis vos alloquor. « Ecce nox præcessit; dies autem appropinquavit. Abjicite opera tenebrarum, et induite vos arma lucis. Sicut » in die, honeste ambulate. Non in comessationibus et » ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in » contentione et æmulatione, sed induite Dominum Jesum » Christum, et carnis providentiam ne feceritis in concu» piscentiis[1], » ut et vitam induatis, quam Sacramento induistis (a). « Quotquot enim in Christo baptizati estis, » Christum induistis. Non est Judæus, et Græcus; non » est servus, neque liber; non est masculus, aut fœmina; » omnes enim vos unum estis in Christo Jesu[2]. » Hoc habet ipsa vis Sacramenti. Sacramentum enim est vitæ novæ, quæ in hoc tempore incipit a remissione præteritorum omnium peccatorum, perficietur autem in resurrectione mortuorum. « Consepulti enim estis Christo per » baptismum in morte, ut, quomodo surrexit Christus a » mortuis, sic et vos in novitate vitæ ambuletis[3]. » Ambulatis autem nunc per fidem, quamdiu in hoc mortali corpore peregrinamini a Domino, sed via vobis certa ipse, ad quem tenditis, factus est Christus Jesus secundum hominem, quod pro nobis fieri dignatus est. Servavit enim multam dulcedinem timentibus se, aperturus et perfecturus eam sperantibus in se, cum id, quod nunc in spe accepimus, etiam in re acceperimus. « Filii enim Dei » sumus, et nondum apparuit, quod erimus. Scimus, » quia, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam vide» bimus eum sicuti est[4]. » Hoc etiam in Evangelio ipse promisit. « Qui diligit me, inquit, mandata mea custodit, » Et qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam » illum, et ostendam me ipsum illi[5]. » Utique videbant eum, quibus loquebatur, sed in forma servi, qua major est Pater, non in forma Dei, qua æqualis est Patri. Hanc ostendebat timentibus, illam servabat sperantibus. In hac peregrinantibus apparebat, ad illam cohabitaturos vocabat. Hanc eis ambulantibus substernebat, illam pervenientibus promittebat.

II. « Has ergo promissiones habentes, charissimi, mundemus nos ab omni coinquinatione carnis, et spiritus » perficientes sanctificationem in timore Dei[6]. Obsecro » vos, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum » omni humilitate animi, et mansuetudine, sufferentes in» vicem in dilectione, studentes observare unitatem spi» ritus in vinculo pacis[7]. » Qualis enim res est, unde tale pignus accepimus. Sed sunt quidam, qui Christum solo Sacramento induerunt, quo in fide vel moribus nudi sunt. Nam et multi hæretici ipsum habent Sacramentum baptismatis, sed non ipsum fructum salutis, nec vinculum pacis : « Habentes, sicut ait Apostolus, formam pieta» tis, virtutem autem ejus negantes[8], » vel signati a desertoribus, vel ipsi etiam desertores signum boni regis in damnabili carne portantes, qui nobis dicunt : Si fideles non sumus, baptismum nobis quare non datis? Si autem jam fideles sumus, quid nos quæritis? Quasi non legant, Simonem magum et accepisse baptismum, et tamen a Petro audisse : « Non est tibi pars, neque sors in hac » fide[9]. » Ecce quia fieri potest, ut aliquis habeat baptismum Christi, et non habeat fidem, vel dilectionem Christi; habeat sanctitatis Sacramentum, nec computetur in sorte sanctorum. Neque interest, quantum ad ipsum solum pertinet Sacramentum, si ibi quisque accipiat baptismum Christi, ubi non est unitas Christi. Nam et baptizatus in Ecclesia, si fuerit desertor Ecclesiæ, sanctitate vitæ carebit, Sacramenti signaculo non carebit. Nam utique exeuntem non potuisse amittere demonstratur, quod redeunti non redditur. Sicut desertor militiæ caret legitima societate, non caret regio charactere. Qui, si et alterum eodem signo ipse signaverit, non faciet consortem vitæ, sed comitem pœnæ. Si autem ad legitimam ordinatamque militiam et ille redeat, et ille veniat, placata regia severitate et illi ignoscitur, quod recessit, et ipse suscipitur, qui accessit. In ambobus culpa corrigitur, ambobus pœna remittitur, ambobus pax datur, in nullo, quod signatum est, iteratur.

III. Jam ergo nobis non dicant : Quid nobis dabitis, si jam baptismum habemus? Sic enim nesciunt, quid loquantur, ut nec saltem legere velint, quod sancta Scriptura testatur, in ipsa intus Ecclesia, hoc est, in communione membrorum Christi, multos in Samaria baptizatos non accepisse Spiritum sanctum, sed in solo baptismo fuisse, donec ad eos de Jerusalem venirent Apostoli[10]; contra autem Cornelium, et eos, qui cum illo erant, meruisse accipere Spiritum sanctum, antequam acciperent baptismi Sacramentum[11]. Ita Deus docuit, aliud esse signum salutis, aliud ipsam salutem, aliud formam pietatis, aliud virtutem pietatis. Quid nobis, inquiunt, dabitis, si jam baptismum habemus? O sacrilegam vanitatem, ita nihil putare esse Christi Ecclesiam, quam non habent, ut nihil se accipere arbitrentur, si ejus communioni socientur! Dicat eis Amos propheta : « Væ eis, qui nihil » faciunt Sion[12]! (b) » Quid accepturus sum, inquit, si jam baptismum habeo? Accepturus es Ecclesiam, quam non habes; accepturus es unitatem, quam non habes; accepturus es pacem, quam non habes. Aut si ista nihil tibi videntur, pugna, desertor, contra Imperatorem tuum dicentem : « Qui mecum non colligit, spargit[13]. » Pugna contra Apostolum ejus, imovero et ibi contra ipsum, qui per eum loquebatur, dicentem : « Sustinentes » invicem in dilectione, studentes servare unitatem spiri» tus in vinculo pacis[14]. » Numera, quæ dixit : Sustinentiam, dilectionem, unitatem, spiritum, pacem. Spiritus illic operator omnium, qui nominatus est, quem tu non habes. Numquid sustinuisti, qui de Ecclesia recessisti? Quem dilexisti, quando membra Christi deseruisti? Quæ tibi est unitas in sacrilega præcisione? Quæ pax in nefaria dissensione? Absit a nobis, ut nihil sint ista, sed nihil es tu ipse sine istis. Hæc si accipere in Ecclesia contemnis, baptismum quidem potes habere, sed ad majus supplicium habes, quidquid non cum istis habes. Baptismus enim Christi, qui cum istis suffragator esset salutis tuæ, sine istis testis est iniquitatis tuæ.

IV. Vos autem, filii sancti, membra catholica, baptismum non alium, sed aliud accepistis. Accepistis enim non ad pœnam, sed ad vitam, non ad perniciem, sed ad salutem, non ad damnationem, sed ad honorem. Simul enim accepistis et unitatem spiritus in vinculo pacis, si tamen et vos, quod opto, quod spero, quod exhortor ac deprecor, et, quod accepistis, integrum custodiatis, et proficiendo ad majora veniatis. Hodie dies octavus est nativitatis vestræ. Hodie completur in vobis signaculum fidei, quod apud antiquos patres in circumcisione carnis fiebat octavo die carnalis nativitatis. Figurabatur enim expoliatio mortalitatis in eo membro humano, per quod moriturus nascitur homo. Unde et ipse Dominus mortalitate carnis resurgendo se expolians, et non quidem aliud, sed tamen ultra non moriturum corpus exsuscitans dominicum diem in sua resurrectione signavit, qui post diem passionis ejus tertius, in numero autem dierum post sab-

[1] Rom. xiii, 12-14. — [2] Galat. iii, 27, 28. — [3] Rom. vi, 4. — [4] 1 Joan. iii, 2. — [5] Joan. xiv, 21. — [6] 2 Cor. vii, 1. — [7] Ephes. iv, 1-3. — [8] 2 Tim. iii, 5. — [9] Act. viii, 21. — [10] Act. viii. — [11] Id. x. — [12] Amos. vi, 1. — [13] Luc. xi, 23. — [14] Ephes. iv, 3.

(a) Lege : *vitam induatis, quam sacramento induistis*, nempe Christum — (b) Τοις ἐξουδενουσι Σιων. Cum LXX. Vulg. habet : *Qui opulenti estis in Sion.*

batum octavus est, idemque primus. Unde et vos nondum re, sed certa jam spe, quia et hujus rei sacramentum habetis, et pignus Spiritus accepistis, « Si consurrexistis » cum Christo, quæ sursum sunt sapite, ubi Christus » est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt quærite, » non quæ super terram. Mortui enim estis, et vita vestra » abscondita est cum Christo in Deo. Cum Christus ap» paruerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso » in gloria[1]. »

SERMO IX.

De Psalmi CXVII. *vers.* I. Confitemini Domino, etc. (*a*)

SYNOPSIS.

I. Quid sit confiteri Domino. II. Quomodo, et quare confitendum Bonitati divinæ. III. Quantum differat Confessio facienda Homini Judici, et facienda Deo. IV. Exhortatio ad confitenda Deo peccata.

I. « CONFITEMINI Domino, quoniam bonus; quoniam in » sæculum misericordia ejus[2]. » Quod nos voce Psalmi Spiritus sanctus hortatus est, cui ore uno, et corde uno respondebamus: Alleluia, quod latine interpretatur: « Lau» date Dominnes, » hoc vos et per nostram vocem idem Spiritus sanctus exhortatur. « Confiteemini, inquit, Do» mino, quoniam bonus est; quoniaes in sæculum mise» ricordia ejus. » Sive dona illius laudando cantetis, sive peccata vestra gemendo fundatis, « Confitemini Domino, » quoniam bonus est; quoniam in sæculum misericordia » ajus. » Neque enim sola commemoratio peccatorum nostrorum, sed etiam Domini nostri laudatio confessio dicitur, quia et si unum horum faciamus, non sine altero facimus. Nam at iniquitatem nostram cum spe misericordiæ ipsius accusamus, et ipsius misericordiam cum iniquitatis nostræ recordatione laudamus. Confiteamur ergo Domino, « Quoniam bonus est, quoniam in sæculues mi» sericordia ejus. » Videtur nonnullis mala esse quædam creatura, quia imperitorum sensus offendit, sed falsum est. Fecit enim Deus omnia bona valde, « Quoniam bonus » est. » Videtur nonnullis iojustus Deus, quia plerumque fideles ejus multa dura et aspera in hac temporali vita patiuntur; sed, quibus hoc videtur, fallnntur. « Flagellat » enim omnem filiues, » non quem rejicit, sed « Quem » recipit, quoniam in sæculum misericordia ejua[3]. »

II. Confiteamur ergo Domino, « Quoniam bonus est, » quoniam in sæculum misericordia ejus. » Dicamus Domino Deo nostro: « Admiranda sunt opera tua; omnia » enim in sapientia fecisti[4]. » Justa sunt judicia tua; » propter iniquitatem enim erudisti hominem[5]. Prius» quam humiliarer, ego deliqui[6]. » Dicamus hæc in confessione, quia, si quædam supplicio nostræ mortalitatis adversa sunt, ille tamen bonum facit, « Quoniam bonus » est. » Et si temporalibus doloribus et laboribus emendamur, « Non in finem irascetur, neque in æternum in» dignabitur, quoniam in sæculum misericordia ejua[7]. » Quid tam bonum, quam Deus noster? Blasphemant homines, nec solum non humiliantur, sed etiam superbiunt in sceleribus suis, et « Facit ille solem suum oriri super » bonos et malos, et pluit super justos et injustos[8]. » Quid tam misericors, quam Deus noster? Perseverant homines in flagitiis et facinoribus suis, et ille eos ad conversionem vocare non cessat. Quid tam bonum, quam Deus noster, a quo et in pressura solatia tanta percipimus? Quid tam misericors quam Deus noster, cujus et futuram sententiam mutati mutamus? Confiteamur Domino, « Quoniam bo» nus, quoniam in sæculues misericordia ejus. » Non omnium rerum laudes confessiones sunt, sed laudes Domini Dei nostri. Si enim verissime dictum est: « Quam bonus » Deus Israël rectis corde[9], » malus utique videtur perversis corde. Quis autem hominum nisi ex perverso fit rectus, ut tanquam convictus laudare incipiat, quod antea reprehendebat, et mirari, quod antea contemnebat, confitens Domino, quoniam sibi jaes recto bonus est, qui perverso videbatur malus. Et quoniam sua malitia perversus erat, ipsius autem gratia correctus est, simul oportet confiteatur, « Quoniam in sæculum misericordia » ajus. » Nos mali, bonus ille. Nos ab ipso boni, a nobis mali. Bonus ille nobis bonis, bonus ille nobis malis. Nos sævientes in nos, ille misericors erga nos. Vocat, ut convertamur; espectat, donec convertamur; ignoscit, si convertamur; coronat, si non avertamur.

III. Confiteamur ergo Domino, « Quoniam bonus est, » quoniam in sæculum misericordia ejua. » Confessio etiaes peccatorum timenda semper hominibus visa est, sed apud hominem judicem. Non sæpissime flagellis et quibusdam verberibus, ungulis quoque et ignibus agitur, ut eruatur ore confessio, et aliquando prius cedunt membra tormentis, ut corporis compago solvatur, quam doloribus animus, ut secretum facinoris propaletur. Instant carnifices, crebrescunt omnia genera tormentorum; sed frustra laniando puniuntur viscera, cum clauditur negando conscientia. Cur autem in tantis cruciatibus homo metuit confiteri, nisi quia confessi solent puniri? Qui confessus fuerit homini, punitur. Deo qui confessus fuerit, liberatur. Nec mirum. Quærit homo ab homine, quod ille, qui quærit, ignorat; Deus autem, qui monet ut confiteamur, novit quod confiteri nolebamus, nec tunc discit, quando confessi fuerimus. Quanto ergo magis confitentes a sempiterna morte liberat, qui nostris iniquitatibus, quas et antequam confiteremur, noverat a temporali morte parcebat.

IV. Dicis fortasse: Quid a me quærit Deus, ut confitear, quod ipse jam novit? Nam homo, ab homine cum hoc quærit, ignorat. Quid putas, nisi quia Deus vult, a te ut peccatum tuues cognoscendo puniatur, et ab illo ignoscendo solvatur? Nam quomodo illum cupis ignoscere, quod tu non vis agnoscere? Audi Psalmum, et, si evigilas, adverte vocem tuam, ubi est. « Peccatum, in» quit, meum cognovi, et facinus meum non operui. » Dixi: Proloquar adversum me delictum meum Domino, » et tu dimisisti impietatem cordis mei[10]. » Audi in alio Psalmo: « Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, et » delictum meum ante me est semper[11]. » Non itaque hujusmodi impudenter dicebat Deo: « Averte faciem tuam » a peccatis meis[12]. » Tunc enim ab hominis peccato faciem Deus dignatur avertere, cum homo ipse a peccato suo faciem suam minime curat avertere, ut in Dei auribus dicat: « Peccatum meum ante me est semper. » Nec ideo dicitur Deo: « Averte faciem tuam, » quia non cognoscit, sed quia ignoscit. Si ergo propterea times, homo, confiteri homini judici, quia malus est, aut quia severitatem legis implere compellitur, securus confitere Domino, « Quoniam bonus est, quoniam in sæculum » misericordia ejus. »

[1] Coloss. III, 1-4. — [2] Psal. CXVII, 1. — [3] Hebr. XII, 6. — [4] Psal. CIII, 24. — [5] Tob. III, 2. — [6] Psal. CXVIII, 67. — [7] Id. CII, 9. — [8] Matth. V, 45. — [9] Psal. LXXII, 1. — [10] Id. XXXI, 5. — [11] Id. L, 5. — [12] Ibid. 11.

(*a*) In Codice *fol.* 17. *p.* 2. inscriptus: *Sermo sancti Augustini ep.* Agit de peccatorum Confessione, et memoratur a Possidio in *Indiculo* app. c. 9. Inserendus post *Sermonem XXIX*.

SERMO X.

De Psalmi CXLIX. *vers.* 1. Cantate Domino canticum novum, etc. (*a*).

SYNOPSIS.

I. Canticum duplex : vetus et novum. II. Quæ Sanctorum Ecclesia in terris. III. Quæ vera Sion, et quæ ejus conditio. IV. In Christo fides et spes felicitatis nostræ.

I. VENERUNT dies, ut cantemus « Alleluia. » Adeste animo, fratres, ad percipiendum quæ Dominus suggerit ad exhortationem nostram, et nutriendam charitatem, qua nobis inhærere Deo bonum est. Adeste animo, Cantatores boni, filii laudis et gloriæ sempiternæ veri et incorrupti Dei ; adeste intenti, et laudate Deum ; hoc est enim Alleluia (*b*). Sed laudate Deum non solum in voce, sed et in intellectu, et in opere bono, et sicut nos exhortatus est Psalmus, cantemus Domino canticum novum. Sic enim cœpit : « Cantate Domino canticum novum[1]. » Vetus homo vetus canticum. Novus homo novum canticum. Vetus Testamentum vetus canticum. Novum Testamentum novum canticum. In Veteri Testamento promissiones sunt terrenæ, in Novo Testamento promissiones sunt cœlestes. Quisquis terrena diligit, et terrenis incubat delectationibus, vetus canticum cantat. Qui vult cantare canticum novum, diligat æterna. Ipsa dilectio nova est, quia nunquam veterascit, et innovat amantem. Itaque, fratres, commendamus vobis, ut Deum diligatis ; imo ipse commendat omnibus nobis. Bono enim nostro illum diligimus, non bono ipsius, quia malo nostro eum non diligimus, non malo ipsius. Non enim minus habebit Deus Divinitatem, si homo in illo (*c*) non habuerit Charitatem. Nos crescimus ex Deo, non ille ex nobis, et tamen tantum nos dilexit prior, antequam eum diligeremus, ut Filium suum unicum mitteret mori pro nobis. Qui fecit nos, factus est inter nos. Quomodo nos ipse fecit? « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est » nihil[2]. » Quomodo factus est inter nos? « Et Verbum » caro factum est, et habitavit in nobis[3]. »

II. Ergo, fratres, si ante amare pigebat, saltem nunc redamare non pigeat. Fœdos nos amavit, quia peccatores amavit. « Etenim Christus, ait Apostolus, pro impiis » mortuus est[4]. » Qui donavit impiis mortem suam, quid servat justis, nisi vitam suam? Videte denique, ubi, vel a quibus canticum istud novum Domino cantetur. Cum diceret enim : « Cantate Domino canticum novum, » subnexuit et ait : « Laus ejus in Ecclesia Sanctorum[5]. » et potest esse in terra Ecclesia Sanctorum? Dicit enim Propheta : Quia contaminata est terra in sanguine, et adulteria, et homicidia effusa sunt super terram[6]. Quomodo ergo videbitur Ecclesia Sanctorum haberi posse in terris? Apostolus docet dicens, quia in terris ambulantes conversationem habemus in cœlis[7]. Sic ergo efficitur, ut in terris positi cœlestem Ecclesiam faciant Sancti. » Lætetur, inquit, Israël in eo, qui fecit eum[8]. » Israël, id est, justi et sancti lætentur in Domino, injusti autem lætentur in sæculo. Finito sæculo finitur injustorum exultatio, quia permanente Domino permanebit justorum exultatio. Ergo si pertinemus ad Israël, et si volumus esse Israël, non lætemur in his, quæ facta sunt, sed in eo, qui fecit. Sit spes nostra Deus noster. Qui fecit hæc omnia, melior est omnibus. Quid est Israël? » Videns Deum (*d*). Quomodo sumus Israël, si nondum videmus? Est quædam visio hujus temporis, erit alia visio futuri temporis. Visio, quæ modo est, per fidem est ; visio, quæ futura est, per speciem erit. Si credimus, videmus ; si amamus, videmus. Quid videmus? Deum. Ubi est ipse Deus? Interroga apostolum Joannem. « Deus, inquit, charitas est[9]. » Quisquis habet charitatem, ut quid illum mittimus longe, ut videat Deum? Conscientiam suam attendat, et ibi videt Deum. Si charitas ibi non habitat, non ibi habitat Deus. Si autem charitas ibi inhabitat, Deus ibi inhabitat. Vult illum videre sedentem in cœlo, habeat charitatem, et in illo habitat.

III. Sed « Et filii Sion exultent in Rege suo[10]. » Qui illi sint, operæ pretium est noscere. Sion Specula interpretatur (*e*) ; specula vero est locus excelsus et editus, de quo longe prospicitur, quod venturum est. Si ergo et nos vitam nostram altius a terra, et longe sublimius ab humanis vitiis collocaverimus per virtutem fidei, recte Sion Filii appellabimur. Rex autem Sion sine dubio ille est, qui dicit : « Ego autem constitutus sum rex ab eo, » super Sion montem sanctum ejus[11]. » Quæ Sion, ipsa et Jerusalem, sed Sion vera, et Jerusalem vera, non illa quæ bello cecidit, quæ nobis in mysterio posita est, sed illa, quæ est in cœlis : « Jerusalem, quæ est mater nos- » tra[12]. » Ipsa nos genuit, ipsa nos nutrivit, ex parte peregrina in sæculo, ex magna parte commanens in cœlo. Ex parte, qua commanet in cœlo, beatitudo est Angelorum ; ex parte, qua peregrinatur in hoc sæculo, spes est justorum. De illa dictum est : « Gloria in excel- » sis Deo ; » de hac dictum est : « Et in terra pax homi- » nibus bonæ voluntatis[13]. » Qui ergo in hac vita gemunt, et desiderant illam patriam, currunt, non pedibus corporis, sed affectibus cordis. Non quærant naves, sed pennas charitatis apprehendant. Quæ sunt duæ alæ charitatis? Dilectio Dei, et dilectio proximi. Peregrinamur enim, dicit Apostolus : « Quandiu sumus in corpore, » peregrinamur a Domino[14]. » Sed venerunt ad nos litteræ de patria nostra admonentes reversionem nostram. Ipsæ nobis leguntur, cum divinæ Scripturæ nobis recitantur. Beati, qui ibi sunt! Nullis jam cupiditatibus sauciantur, nullis iniquitatibus vel propriis, vel alienis cruciantur, quorum non est negotium, nisi laudare Deum. Non arant, non seminant. Opera enim sunt ista necessitatis ; ibi necessitas non est. Non furantur, non deprædantur. Opera enim sunt ista iniquitatis ; ibi iniquitas non est. Non frangunt panem esurienti, non vestiunt nudum, non suscipiunt peregrinum, non sepeliunt mortuum. Opera enim sunt ista misericordiæ ; ibi nulla miseria est, in qua fiat misericordia.

IV. O beati! Putamus, erimus et nos sic? Eia suspiremus, de suspirio gemamus, et quid sumus, et illud, ubi sumus. Et ubi sumus? In sæculo vano et transitorio. Et quid sumus? Mortales, projecti, abjecti, et sicut quidam dixit Sanctus : « Terra et cinis[15]. » Sed qui promisit nobis immortalitatem, et æternitatem, omnipotens est. Si ad nos attendamus, quid sumus? Si ad illum, Deus est, omnipotens est. Non est facturus Angelum ex homine, qui fecit hominem ex nihilo? Aut vere pro minimo habet

[1] Psal. CXLIX, 1. — [2] Joan. I, 3. — [3] Ibid. 14. — [4] Rom. V, 16. — [5] Psal. CXLIX, 1. — [6] Ezech. IX, et Osee. IV, 2. — [7] Philip. III, 20. — [8] Psal. CXLIX, 2. — [9] I Joan. IV, 8 et 16. — [10] Psal. CXLIX, 2. — [11] Psal. II, 6. — [12] Galat. IV, 26. — [13] Luc. II, 14. — [14] II Cor. V, 6. — [15] Gen. XVIII, 27.

(*a*) In Codice *fol.* 19 inscriptus : *Sermo sancti Augustini ep.* Ad Tempus paschale pertinet, amorem et desiderium futurorum bonorum inspirans, et Editioni post *Sermonem XXXIV.* inserendus. — (*b*) A loco sequenti usque ad verba : *quia nunquam veterascit*, pene eadem habet se repetit Augustinus in *Enarrat.* dicti Psalmi Edit. T. IV. col. 1683. — (*c*) Fortassis : *in illum.* — (*d*) Rectius Hieronymus *Quæst. Hebr.* ad *Genes.* c. 32, v. 28 interpretatur *Princeps*, seu prævalens *cum Deo* ad hebraicam fidem. Quo loco vide canone Nostrum etiam oblique notet. — (*e*) Etiam Hieronymo in *Nominibus Hebr.* et aliis, licet *Iroper* potius *locum aridum* innuat.

Deus hominem, propter quem mori voluit Unicum suum? Attendamus indicium dilectionis, et promissionis, unde tales arrhas accepimus. Tenemus mortem Christi, tenemus sanguinem Christi. Erigat se ergo et humana fragilitas, non desperet, non se avertat. Qui promisit, Deus est, et venit, ut promitteret. Apparuit hominibus, venit suscipere mortem nostram, promittere vitam suam. Ita enim voluit Deus infirmitatem humanam de sua promissione esse securam, ut non solum diceret, sed et scriberet. Credentibus dixit, dubitantibus cavit, et ecce omnia tenentur in quodam Chirographo, in sancta Scriptura. Venit ergo ad regionem peregrinationis nostræ accipere, quod hic abundat: opprobria, flagella, contumelias, spineam coronam, crucem, mortem. Hæc abundant in regione nostra. Attulit commercia, venit, attulit nobis de illa regione bona, et in regione nostra pertulit mala. Promisit nobis tamen, quod ibi futuri sumus, unde venit, et ait: « Pater, volo, ut ubi ego sum, et ipsi sint » mecum[1]. » Tanta præcessit dilectio, quia, ubi nos eramus, fuit nobiscum; ubi ipse est, erimus cum illo. Tenete ergo Christum, fratres, tenete fidem, tenete viam. Ipsa vos perducet ad id, quod videre modo non potestis. In illo enim capite apparuit, quod speretur in membris. In illo fundamento demonstratum est, quod in nostra ædificetur fide, ut postea perficiatur in spe.

SERMO XI.

In Natali Joannis Baptistæ. (a)

SYNOPSIS.

I. Quis, et cui, et quam lucernam paraverit. II. Joannis Baptistæ modestia. III. Joannis Baptistæ dignitas. IV. Mysterium Trinitatis, et Patris, Filiique coæternitas. V. In Christi Baptismo manifestata Trinitas. VI. Quinam sint occulti inimici Christi. VII. Quinam sint aperti inimici Christi. VIII. Anacephalæosis et Adhortatio.

I. Loquimur Charitati Vestræ in domo Dei, quod præsens Psalmus admonuit (b). Quis est, qui dicat: « Paravi lucernam Christo meo. Inimicos ejus induam » confusione; super ipsum autem florebit sanctificatio » mea[2]; » et quæ illa lucerna sit, quam paravit Christo suo, et qui sint inimici Christi ejus, quos per illam lucernam induit confusione, et quæ sanctificatio ejus, qui paravit lucernam Christo suo, quæ florebit super Christum ejus. In his enim omnibus verbis illud tantum videtur planum, et apertum, quod hic ait: « Christo meo. » Non enim aliud intelligendum est, quam Christus Dominus et Salvator noster. Perscrutantes itaque, quantum largitur Deus, altitudinem sensus hujus, invenimus hoc Deum Patrem dicere. Deus ergo Pater, id est, persona Dei Patris per Prophetam loquitur: « Paravi lucernam » Christo meo. » Filium autem Dei eumdem esse et Christum Dei, non est exponendum Christianis. Inventa itaque loquentis persona videamus, quæ sit lucerna a Deo Patre Christo Filio præparata. Dominus ipse dicit de Joanne Baptista: « Ille erat lucerna ardens et lucens, et » vos voluistis exultare ad horam in lumine ejus[3]. » Lucernam ergo dixit Joannem accensam de fonte luminis, ut testimonium perhiberet veritati. In hac enim cæcitate jacebant homines, et in hac oculi interioris infirmitate, ut Sol justitiæ per lucernam quæreretur. Nam si quis haberet mundum oculum cordis, eum ipsum prius intueretur, nec ad ejus testimonium lucernam quæreret. Cum enim de illa lucerna dixisset: « Voluistis exultare ad horam in lumine ejus; ego autem, inquit, habeo testimonium majus, quam Joannem[4]. » Lucerna ergo infirmis in nocte accensa est. Et quomodo illam accendit? Pater Christo Filio suo de Joanne dicit: « Ecce mitto » Angelum meum ante te, qui præparabit viam ante faciem tuam[5]. » Paravit lucernam Christo suo[6].

II. Quomodo inimicos ejus per ipsam lucernam induit confusione? Ac prius videte, quod diximus, de fonte luminis accensam lucernam. Ipse Joannes testatur: « Nos autem, inquit, de plenitudine ejus accepimus[7]. » Erat autem Joannes tanta excellentia præcellens, ut non ante Christum missus, sed ipse Christus putaretur. Ille autem, si lucerna esset extincta, et nidore superbiæ fumida, quando ad eum missum est a Judæis, dictumque illi: « Tu quis es[8]? » Tu es Christus? An Elias? An Propheta? diceret: Ego sum. Invenerat enim occasionem jactantiæ suæ, ultro honorem falsum errore hominum deferente. Numquid hoc persuadere laborabat, quod priores dicebant, qui interrogabant? Sed missus est humilis ad parandam viam excelso. Inde amicus Sponsi, quia servus cognitor Domini. Et ait: « Ego sum vox » clamantis in eremo: Parate viam Domino. Rectas facite semitas ejus[9]. » Ego non sum Christus, nec Elias, nec Propheta. Et illi: « Quis ergo es? » Et quid dixit? « Ego sum vox clamantis in deserto: Parate viam Domino. » Jam enim ista prædixerat Isaias[10]. De quo autem prædixerit, ibi intelligitur. Legistis, inquit, hoc in Isaia, et forte lectum ignorastis, unde sit dictum. Ego sum, de quo est dictum. Quantum autem se abjicit, qui tantum erigebatur, ut Christus putaretur, quantum se abjicit, videte. « Ego quidem, inquit, baptizo vos in » aqua; qui autem post me venit, major me est[11]. » Et aliquanto posset me major dici (c). Majorem se illum dicit. Dic, quanto majorem? « Cujus non sum, inquit, » dignus corrigiam calceamenti solvere[12]. »

III. Jam hinc intelligite dispensationem, quare Joannes ante Christum præmissus est. Videtis, quanto sit minor, quantoque illum fateatur esse majorem, ut dicat indignum se solvere corrigiam calceamenti ejus. Quantus est iste, qui se dicit indignum solvere corrigiam calceamenti hujus? Quantus est? Ubi quærimus? Si ab ipso Joanne quæramus, quantus sit Joannes, non invenimus; humiliat enim se, et nihil de se, vel veraciter, jactanter loquitur. Quantus ergo sit Joannes, qui non est dignus corrigiam calceamenti solvere ejus, qui homo putabatur, a quo audituri sumus? Ipsum Dominum interrogemus, et dicamus ei: Domine, perhibuit de te Joannes magnum testimonium, et cum ejus magna excellentia inter homines appareret, ut Christus esse putaretur, quæsitumque ab eo esset, quis esset, dixit non se esse Christum, dixit venturum esse majorem se, et tanto majorem, ut non sit dignus corrigiam solvere calceamenti ejus. Tanquam lucerna fidelis locuta est de excellenti lumine tuo. Hoc de te Joannes. Videamus, quis sit, qui de te ista, quantus sit ille, qui se ita humiliavit tibi, teque tanto ampliorem se confessus est. Quis est? Ille de

[1] Joan. xvii, 24. — [2] Psal. cxxxi, 17, 18. — [3] Joan. v, 35. — [4] Ibid. 36 — [5] Malach. iii, 1, et Matth. xi, 10. — [6] Psal. cxxxi, 17. — [7] Joan. i, 16. — [8] Ibid. 19. — [9] Matth. iii, 3. — [10] Isai xl, 3. — [11] Luc. iii, 16. — [12] Ibid.

(a) In Cod. *fol.* 16. inscriptus: *Sermo sancti Augustini ep De Festo beati Joannis Bapt.* Præstans et sublimis etiam de Trinitatis mysterio Tractatus, notatus a Possidio in *Indiculo Opp.* c. 8. *De responsorio Psalmi centesimi trigesimi primi:* Paravi lucernam Christo meo, etc. Locandus post *Sermonem CCXCIII.* — (b) Nempe mox citandus. v. 5. *Introibimus in tabernaculum ejus, etc.* — (c) Vacillat hic sensus, nec medelam video.

te ista. Tu de illo dic nobis aliquid. Audi vocem Domini de Joanne. « In natis mulierum nemo exurrexit major » Joanne Baptista[1]. » Sed quid ait? « Qui autem minor » est, in regno cœlorum major est illo (*a*). » Se ipsum dicit; non enim arrogans est Deus, cum commendat magnitudinem suam. Quid est : « Qui minor est? » Qui posterior ætate, major majestate. Posterior enim natus Joanne est Dominus Christus, sed in eo, quod factus est propter nos, non in eo, per quod facti sumus. Ille, qui post Joannem natus est, audi a Patre : non ante Joannem, non ante David, non ante Abraham, sed « Ante luciferum genui te[2]. » Si ergo accommodatum est aliquid infirmitati nostræ, ut diem lucerna præcederet, et creditum est lucernæ de die, quanto magis credendum est diei de lucerna, quia « In natis mulierum nemo exurrexit major Joanne Baptista. » Homo igitur, quo nemo major natus erat, cum dicit se indignum solvere corrigiam calceamenti cujusdam, quid est ille, cujus non est dignus solvere corrigiam calceamenti homo, quo nemo major erat? Si jam Joannes tantus homo, ut amplior non possit esse homo, quidquid illo majus, amplius est, quam homo. Si jam Joannes tantus homo, ut major illo nullus sit homo, qui major illo est, amplius est, quam homo. Et qui amplius est, quam homo, tamen propter hominem homo, merito super eum floret sanctificatio Patris.

IV. Super eum enim Spiritus sanctus in specie columbæ descendit. Flos sanctitatis in specie columbæ, in forma simplici atque innocenti tunc demonstratus est plenius ipsi Joanni, ut impleretur : « Et super ipsum florebit sanctificatio mea. Ego, inquit, non noveram eum, » sed qui me misit baptizare in aqua, ipse mihi dixit : » Super quem videris Spiritum descendentem sicut columbam, et manentem super eum, ipse est, qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego, inquit, quod vidi, » testimonium perhibeo, quia ipse est electus Dei[3]. » De quo testimonium perhibet? Super quem vidit florere sanctificationem Patris. Unde vidit descendentem Spiritum sanctum? Non enim a Filio aliquando recessit Spiritus sanctus, aut aliquando Filius a Spiritu, aut aliquando Filius a Patre, aut Pater a Filio, aut Spiritus a Filio et Patre. Sed aliter ista intelliguntur mente purgata, aliter oculis demonstrantur. Nullo tempore præcedit Pater Filium, nullo tempore sequitur Filius Patrem, nullo tempore, quia ibi nullum tempus. Pater et Filius et Spiritus sanctus, creator temporum, unus Deus. Ibi ergo non est, ut dicas : Prior est Pater, posterior Filius. Ex quo Pater, ex illo Filius. Quære : Ex quo Pater? Superas cogitatione terram, cœlum, Angelos, visibilia, invisibilia, universam creaturam, et quæris : Ex quo cœpit Pater? Non sic quæruntur Æterna. Noli quærere ex quo, nisi quod incipit. Noli quærere ex quo, a quo incipit, quidquid cœpit, et quod a nullo incipit, quia non incipit. Sicut autem non incipit Pater, non incipit Filius, sed est Filius splendor Patris. Sic splendor ignis, ex quo ignis, et splendor Patris, ex quo Pater. Ex quo autem Pater? Ab æterno in æternum. Ergo et splendor Patris ab æterno in æternum, et tamen, quia splendor illius, Filius illius, et sic non cœpit tempore, ut genitus sit a Patre. Quis hoc videat? Lima cor, excute pulverem, dilue maculam. Quidquid interiorem perturbat intuitum, curetur, et sanetur, et apparebit, quod dicitur, et creditur, antequam videatur.

V. Modo tamen credimus, fratres. Quid credimus? Patrem et Filium et Spiritum sanctum nullo tempore se præcedere. Cum ergo Pater et Filius et Spiritus sanctus nullo tempore se præcedant, non tamen potui nominare Patrem et Filium et Spiritum sanctum, nisi ista nomina tempora tenerent, et temporibus suis tenerentur. Non est prior Pater, et posterior Filius, et tamen ego non potui dicere, nisi unum prius, et alium posterius, et sua tempora omnes syllabæ tenuerunt, et secunda syllaba in verbis meis sonare non potuit, nisi cum prima transisset. Peracta sunt tempora in syllabis meis, cum ea dicerem, quæ non habent tempora. Sic ergo, fratres mei, cum illa Trinitas sensibiliter ostenderetur huic carni, in fluvio apparuit omnis Trinitas, ubi baptizatus est Dominus a Joanne. Baptizatus est enim, ascendit a baptismo, descendit columba, et sonuit vox de cœlo : « Hic est Filius » meus dilectus, in quo bene complacui[4]. » Filius in homine, Spiritus in columba, Pater in voce. Res indiscreta discrete monstrata est; si tamen dicenda est res, sed potius rerum omnium causa, si tamen causa. Quid enim dicimus, cum de Deo dicimus? Et tamen dicimus, et dici se sinit, qui non est, velut cogitatur; dici autem non potest, nec quo modo cogitatur. Sed quantum ad homines, fratres, ecce per columbam apparuit, et impletum est : « Super ipsum autem florebit sanctificatio » mea. Florebit » enim dictum est : clare apparebit. Nihil enim in arbore flore clarius, nihil lucidius. Age jam. Pervenimus ad ultima verba Hypopsalmatis (*b*) : « Super ipsum autem florebit sanctificatio mea[5]. » Recordor me prætermisisse, qui sint inimici, qui confusi sunt per lucernam.

VI. « Paravi lucernam Christo meo, » Pater dixit de Filio suo. Quam lucernam? Joannem. Interroga ipsum Filium. « Ille erat lucerna ardens et lucens. Inimicos ejus » induam confusione. » Inimici Christi aperti qui, nisi Judæi? Habet enim occultos inimicos Christus. Omnes inique atque impie viventes inimici sunt Christi, etsi signentur nomine ejus, etsi vocentur Christiani. Quibus enim dicturus est : « Non novi vos, » et dicunt illi : « Domine, in nomine tuo manducavimus et bibimus, in » nomine tuo virtutes multas fecimus[6]? » Quid manducavimus et bibimus in nomine tuo? Non enim escas suas pro magno jactabant, et inde se ad Christum pertinere dicebant. Est esca quædam, quæ manducatur et bibitur, et Christus est. Et ab inimicis Christus manducatur et bibitur. Norunt Fideles Agnum immaculatum, quo vescuntur, atque utinam sic vescantur, ut non sint pœnæ debitores! Sicut enim dicit Apostolus : « Quicumque » manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et » bibit[7]. » Ergo inimici Christi sunt, qui malunt inique vivere, quam illi obtemperare, et cum dicitur venturus judicare vivos et mortuos, timent ne veniat. Si illis liceret, facerent ne veniret. Quia non potuerunt facere ut non veniret, facerent ne rediret. Jam Judæi hoc voluerunt facere, ne rediret. Missus est enim filius ad malos illos colonos, ad malos conductores nolentes reddere mercedem, et lapidantes servos missos ad se. Tunc dixit paterfamilias, dominus vineæ : « Mittam filium meum[8]. » Forsitan vel ipsum verebuntur. Illi autem cogitaverunt dicentes : « Hic est hæres. Venite, occidamus eum, et » nostra erit hæreditas[9]! » Non potuerunt facere, ne veniret a patre, et conati sunt facere, ne rediret ad patrem. Sed cui hoc? Videbant quidem et contemnebant mortalem, sed in eo non potuerunt occidere nisi mortem. In morte Christi mors mortua est. Ille resurgens ascendit

[1] Matth. XI, 11. — [2] Psal. CIX, 3. — [3] Joan. I, 33, 34. — [4] Matth. III, 17. — [5] Psal. CXXXI, 18. — [6] Luc. XIII, 26, et Matth. VII, 22, 23. — [7] I Cor. XI, 29. — [8] Luc. XX, 13. — [9] Ibid. 14.

(*a*) Rectius, si quid video, interpungit S. Pater, quam plurima Exemplaria græca et latina, quæ hic, et *Luc.* VII, 28. legunt : *Qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo.* Quis enim esset ille *minor in regno cœlorum,* qui Joanne *major* foret? — (*b*) Hac voce Augustinus etiam L. I. *Retract.* c. 20. utitur ad significandam Psalmi particulam, quæ a succinentibus frequentius repetitur.

ad Patrem et venturus est. Quid timetis? Amate, et securi eritis. Nonne nos oramus : « Adveniat regnum » tuum[1]? » Ergo, fratres, oramus, et timemus, ne exaudiamur?

VII. Sed isti, ut dicere cœperam, occulti sunt inimici. De illis apertis loquamur, qui aperte inviderunt, sævierunt, tenuerunt, flagellaverunt, illuserunt, crucifixerunt, occiderunt, sepultum custodierunt. Videamus, quomodo induti sunt confusione per illam lucernam. Cum miracula viderent in Domino iidem inimici : « Dic nobis, inquiunt, » in qua potestate ista facis[2]? » Inimico animo interrogaverunt, ut, si ille fateretur potestatem suam, quasi blasphemandi reum tenerent. Sed, quomodo ille fecit de nummo, quando volebant calumniari ei, si diceret : Reddatur tributum Cæsari, quasi maledixisset genti Judæorum, quam fecisset subditam et tributariam; si autem dixisset : Non reddatur, criminarentur eum apud Cæsaris amicos et ministros, quod prohiberet reddi; ille autem : « Ostendite, ait, mihi nummum; cujus habet imagi- » nem, et superscriptionem? » Responderunt : « Cæsaris. » Reddite ergo Cæsari, quæ Cæsaris sunt, et quæ Dei » sunt, Deo[3]. » Hoc est dicere : Si Cæsar quærit imaginem suam in nummo, Deus non quærit imaginem suam in homine? Sic et hic inimici calumniatores « In corde et » corde locuti sunt mala[4]. » Semel enim dixissent in corde, nisi, qui talia loquerentur, duplex cor haberent, et, unde paulo ante dictum est, cor combinatum, non simplex. Videte enim, quantum interest. De servis Dei multis dictum est, qui habebant unum cor : « Erat, inquit, il- » lis anima una, et cor unum[5] » in Deum. Multi simplices habent unum cor, unus dolosus duo corda. Ergo, quia illi loquebantur in corde et corde : « Dic nobis, in qua » potestate ista facis? » id est, si dixeris, honoramus; si dixeris, veneramur; si dixeris, exoramus, videtur hoc sonare de alio corde; de alio autem (nam duplex ibi erat) si dixeris, calumniamur; si dixeris, invenimus, quod teneamus; si dixeris, inveniemus, quod accusemus. Tales inimici. Sed confundantur de lucerna. Modo illos videbitis confundi. Et bene, quia tempus agimus lucernarium (*a*), confundantur inimici Christi per lucernam, quam paravit Christo suo Pater. « Ille enim erat lucerna » ardens, » ipse Dominus ait. Quid ergo istis respondit dicentibus : « Dic nobis, in qua potestate ista facis? In- » terrogabo et ego unum sermonem. Dicite mihi : Joan- » nis baptismus unde est? De cœlo, an ex hominibus? » » Illi autem perturbati apud se : Si dixerimus : De cœlo, » dicturus est nobis : Quare non credidistis ei? » Id est, ut quid me interrogatis, in qua potestate ista facio, quando de me ille perhibuit testimonium, quem vos interrogastis? « Ergo si dixerimus : De cœlo, dicet nobis : » Quare non credidistis ei? Si dixerimus : Ex hominibus, » timemus populum; omnes enim Joannem tanquam » prophetam habebant[6], » hac timentes populum, hac timentes veritatem, hinc timidi, hinc invidi, ubique cæci responderunt : « Nescimus. » Prolata est lucerna, fugerunt tenebræ. Etenim, quamvis præsentes essent corpore, fugerunt corde dicendo se nescire quod sciebant. Indicium fugæ cordis timor. Timebant a populo lapidari, si dicerent ex hominibus baptismum Joannis; timebant a Christo convinci, si dicerent de cœlo baptismum Joannis. Fugerunt confusi. Nominato ergo Joanne timuerunt, conturbati tacuerunt. Et ille : « Nec ego dicam vobis, » in qua potestate ista facio. »

VIII. Parata est ergo lucerna Christo Domino nostro Joannes Baptista. Inimici ejus calumniosi interrogatores prolato lucernæ lumine confusi recesserunt. Impletum est : « Inimicos ejus induam confusione. » Nos autem, fratres, et per Joannem Baptistam præcursorem agnoscentes Dominum, imo et per ipsius Domini testimonium, de quo ait : « Habeo testimonium majus Joanne, » credentes in Christum efficiamur corpus capitis ipsius, ut unus Christus sit caput et corpus, et in omnibus nobis unum factis implebitur : « Super ipsum autem florebit » sanctificatio mea. »

SERMO XII.

In vigiliis Apostolorum Petri et Pauli (*a*).

SYNOPSIS.

I. Petrus a Domino de dilectione ter interrogatus. II. Contra eos, qui gregem Domini dividunt. III. Contra Donatistas gregem Domini Africa concludentes. IV. Donatistæ magis cæci, quam Judæi. V. Dehortatio a Schismate.

I. Omnia, quæ modo leguntur de sancto Evangelio, post resurrectionem Domini gesta et dicta sunt. Audivimus ergo Dominum Jesum Christum interrogantem Apostolum Petrum, interrogantem autem utrum diligeret eum[7]. Interrogabat ergo Dominus servum, magister discipulum, creator hominem, redemptor liberatum, firmitas trepidum, præscius ignarum, et, ubi se faciebat interrogantem, ibi ostendebat docentem. Non enim aliquid Christus nesciret, quod Petrus in corde gestaret. Interrogat semel. Respondet ille; nec sufficit. Interrogat iterum; nec aliud, sed hoc, quod interrogaverat, hoc idem etiam ille respondet. Tertio repetitur interrogatio, tertio respondet dilectio. Ille enim ter interrogabatur propter amorem, qui ter negaverat per timorem. Cum Dominus moreretur, timuit, timuit et negavit; resurgens autem Dominus amorem inseruit, timorem fugavit. Quid enim jam timeret Petrus? Nam, quando negavit, utique ideo negavit, quia mori timuit. Resurgente Domino quid timeret, in quo mortem mortuam reperiret? Certe ille nempe ipse interrogabat vivus, qui sepultus est mortuus. Ille aderat, qui in ligno pependerat. Quando judicabatur Dominus noster Jesus Christus a Judæis, tunc Petrus interrogatus, et, quod pejus est, a muliere, et, quod est dedecorosius, ab ancilla, timuit, et negavit. Sub ancilla trepidavit, sub Domino fortiter stetit. Confitenti autem amorem suum semel, et iterum, et tertio oves suas commendavit. « Diligis me? inquit. Domine, tu scis, quia » amo te. » Et ille : « Pasce agnos meos[8]. » Hoc semel, hoc iterum, hoc tertio; tanquam non esset, ubi ostenderet Petrus amorem suum in Christum, nisi esset pastor fidelis sub Principe omnium pastorum. « Amas me? Amo[9]. » Et quid mihi præstiturus es amans me? Quid mihi collaturus es homo creatori tuo? Quid collaturus es de amore tuo redemptus redemptori tuo, ut multum, miles regi tuo? Quid es collaturus? Hoc solum exigo. « Pasce oves » meas[10]. »

II. Videte tamen, fratres, propter homines servos malos, qui de grege Domini peculia sibi fecerunt, et, quod non emerant, diviserunt. Extiterunt enim quidam

[1] Matth. VI, 10. — [2] Luc. XX, 2. — [3] Matth. XXII, 19-21. — [4] Psal. XI, 3. — [5] Act. IV, 32. — [6] Matth. XXI, 24-27. — [7] Joan. XXI. — [8] Ibid. 16. — [9] Ibid. 17. — [10] Ibid.

(*a*) Hinc Sermo videtur habitus sub Vesperam. Confer *Ducang. Gloss.* v. *Lucernarium*. — (*b*) In Codice *fol.* 28, inscriptus : *Sermo sancti Augustini ep. In Vigiliis Apostolorum.* Elegans et gravis contra schisma Donatistarum. Inserendus Editioni post *Sermonem CCXCIV*.

servi infideles, diviserunt gregem Christi, et de grege ipsius quodam modo furtis suis peculia sibi fecerunt, et audis eos dicere : Oves meæ sunt illæ. Quid quæris ad oves meas? Non te inveniam ad oves meas. Si et nos dicamus meas, et illi dicant suas, perdidit Christus oves suas. Ponite vobis ante oculos Principem pastorum, Dominum gregis sui stantem, et discernentem, et dijudicantem inter servos suos. Tu quid dicis? Oves meæ sunt istæ. Et tu quid dicis? Istæ sunt oves meæ. Quas ego emi, ubi sunt? Servi mali! oves vestras dicitis, et, quod emi, vobis vendicatis, cum vos, si non emerem, periretis? Nos, absit ut dicamus vos oves nostras! Non est ista vox catholica, non est germana, non est Petri, quia est contra Petram. Oves estis, sed illius, qui emit et nos, et vos. Unum Dominum habemus. Pastor est, sed non conductus. Suas pacit, et, quod nemo facit de ovibus, et pretium dedit, et instrumentum confecit. Quære pretium. Sanguis ipsius est. Quære instrumentum. Evangelium est, quod modo, cum recitaretur, audistis. Quid dixit Petro? « Amas » me? Amo. Pasce oves meas. » Numquid tuas? Vultis noscere, cui dicat tuas? Audite in Libro sancto, qui vocatur Canticum Canticorum. Leguntur ibi sancta Amatoria : Sponsus et Sponsa, Christus et Ecclesia. Et ille totus Liber quasi Carmen est Nuptiarum, quomodo dicunt Epithalamium, sed cubilis sancti, cubilis casti. « In » sole enim posuit tabernaculum suum, » hoc est, in luce, in publico, ubi pateret, et non lateret, « Et ipse tanquam » sponsus processit de thalamo suo[1]. » Accepit enim conjugem, humanam carnem. Thalamus ejus erat uterus virginalis. Illic sibi conjunxit Ecclesiam, ut impleretur, quod ante prædictum est : « Et erunt duo in carne una[2]. »

III. Loquebantur ergo inter se amantes isti, Christus et Ecclesia. Ait illi Ecclesia : « Annuntia mihi, quem » dilexit anima mea, ubi pascis, ubi cubas in meridie? » Quare volo, ut annunties mihi, « Ubi pascis, ubi cubas » in meridie? Ne forte fiam sicut operta super greges so» dalium tuorum. » Ideo, inquit, volo, ut annunties mihi, « Ubi pascis, ubi cubas in meridie, » ut quando ad te venio, non errem, « Ne forte quasi operta fiam super gre» ges sodalium tuorum[3], » id est, irruam in greges non tuos, sed sodalium tuorum, « Velut operta. » Quid est aliud « Operta (*a*), » nisi quasi latens et ignorata? Solent Donatistæ in his verbis dicere sensum suum, non sensum Scripturarum. Hoc enim solent dicere : Africa meridies est, escridies mundi Africa est; ideo Ecclesia interrogat Dominum, « Ubi pascis, ubi cubas? » et respondet ille : « In meridie; » quasi : Noli me quærere, nisi in Africa. Lege, et intellige, Mens hæretica, Speculum tibi proponitur modo. Hic te inveni. Intellige, quia adhuc Sponsa interrogat. Quare facis jses respondentem Sponsum? Vel fœminum genus agnosce. « Ubi pascis, ubi cubas in me» ridie? Ne forte fiam sicut operta. Operta, » puto, fœmina est, non masculus. Ergo, o Domine! sit meridies Africa. Sic intelligatur, quomodo ipsi intelligunt. Africa est meridies. Hic facta est pars Donatistæ (*b*). Hic magna divisio, et serra dissensionis ducta est per gregem Christi. Ideo interrogat velut Ecclesia transmarina, ubi non est facta ista divisio : « Annuntia mihi, quem dilexit anima » mea, ubi pascis, ubi cubas in meridie? » Audiu enim ibi dici partem Donati, alios Catholicos, alios Donatistas. Mihi annuntia, ubi pascis, ne veniam, et errem ibi. Quæro nuntium, ubi timeo incertum. « Annuntia mihi, » ubi pascis, ubi cubas in meridie? » Quare volo, ut annunties mihi? « Ne forte fiam sicut operta, » quia parti Donati quasi operta sum, quasi ignorata sum. Ibi prædicor, et illos latet.

IV. Hæc dicunt Scripturæ : « Erit in novissimis tem» poribus manifestus mons Domini paratus in cacumine » montium, et exaltabitur super colles, et venient ad eum » universæ gentes[4]. « Mons dicitur, et parti Donati opertus est mons. Qui offendit in lapidem, ignoscendum est illi. Qui offendit in montem, quales oculus habet? Fratres mei! Excusabiliores sunt Judæi. Judæi enim in lapidem offenderunt, Hæretici in montem offendunt. Quomodo offenderunt Judæi in lapidem? Quia adhuc Christus, quando patiebatur, parvulus erat, et dictum est : « Of» fenderunt in lapidem offensionis[5]. » Daniel autem sanctus vidit visum, et scripsit, quod vidit, et ait vidisse se lapidem præcisum « De monte sine manibus[6]. » Christus est de gente Judæornes veniens. Erat enim et ille (*c*) mons, quia regnum habet. Quid est « Sine manibus? » Sine opere humano lapis præcisus, quia masculinum opus non accessit ad Virginem, ut nasceretur sine opere humano. Lapis præcisus « De monte sine manibus, » et confregit statuam, in qua significabantur regna terrarum. Et quid dictum est? Iste est lapis, in quem offenderunt Judæi. « Offenderunt in lapidem offensionis. » Quis est mons, in quem offenderunt hæretici? Audi ipsum Danielem. « Et crevit lapis ille, ait, et factus est mons mag» nus, ita ut impleret universam faciem terræ[7]. » Merito Psalmus Christo Domino resurgenti ait : « Exaltare super » cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua. » Quid est « Super omnem terram gloria tua? » Super omnem terram Ecclesia tua, super omnem terram sponsa tua. Et tamen dicit : « Annuntia mihi, quem dilexit anima mea! » Jam ubique sum, jam omnes terras teneo, et Afris « Operta sues. Ergo annuntia mihi, ne forte fiam si» cut operta super greges, non ovium tuarum, sed so» dalium tuorum. » Sodales enim fecerunt schismata. Qui sunt sodales? Qui ad mensam Domini accesserunt, de quibus dicit alio loco Psalmus : « Qui edebat panes » meus[8]; » de quibus dicit : « Si inimicus exprobrasset » mihi, sustinuissem utique, et, si is, qui oderat me, su» per me magna locutus fuisset, absconderem me utique ab » eo[9]. Tu vero, homo unanimis, dux meus, et notus meus, » qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Do» mini ambulavimus cum consensu[10]. » Aliquando cum consensu, modo cues dissensu, quia sine sensu. Hi sunt sodales, quos timebat illa, ne in illos incideret. Timeo, inquit, ne errem; timeo, ne quasi « Operta » irruam in greges sodalium tuorum, ne errando peream; ne baptismues, quem accepi, iterando totum perdam.

V. Audistis sollicitudinem Sponsæ, audite responsum Sponsi. Cum hoc dictum esset a Sponsa, continuo Sponsus : « Nisi cognoveris temetipsam, o pulchra inter mu» lieres[11], » Catholica, pulchra inter hæreses! « Nisi » cognoveris temetipsam, » nisi attenderis ibi te nosse, ubi ese didicisti, nisi Scripturas meas præposueris humanis rumoribus, nisi te cognoveris, quia ubique es; nisi te cognoveris, quia tu designata es, ubi dictum est : « Pos» tula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam[12]; » nisi ergo cognoveris temetipsam, » quid? « Exi tu! » Nisi cognoveris, exi! » Malum verbum, luctuosum verbum : « Exi! » Avertat Deus a nobis! Videte, de quibus dictum est : « Ex nobis exierunt, sed non erant ex » nobis[13]. » Malo servo dicitur : Exi, quia « Servus non » manet in domo in æternum, filius manet in æternum[14]. » Vultis videre, quia malo servo dicitur : Exi? Bono servo

[1] Psal. xviii, 6. — [2] Gen. ii, 24, et Matth. xix, 5. — [3] Cant. i, 6. — [4] Isai. ii, 2. — [5] Rom. ix, 32. — [6] Dan. ii, 34. — [7] Ibid. 35. — [8] Psal. cvii, 6. — [9] Id. liv, 13. — [10] Id. liv, 13-15. — [11] Cant. i, 7. — [12] Psal. ii, 8 — [13] I Joan. ii, 19. — [14] Joan. viii, 35.

(*a*) Ita Hebr. עטיה. Græc. Περιβαλλομένη. Vulg. vero *vagans*, quasi נטיה. — (*b*) Ita membranæ; sed puto, *Donati*. — (*c*) Lego : *illa*, nempe Judæa gens.

quid dicitur? « Intra in gaudium Domini tui[1]. » Ergo unusquisque, qui audit, unusquisque, qui membrum est Sponsæ ejus, timeat quod dicitur : « Nisi cognoveris te» metipsam, o pulchra inter mulieres, exi tu in vestigiis » gregum[2]. « Quid est « In vestigiis gregum? » Per errores hominum, non in voce Pastoris. Nos, fratres, non exeamus « In vestigiis gregum. » Habemus vestigia Pastoris, quæ sequendo non erramus. « Christus pro nobis » passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamur » vestigia ejus[3]. Ergo, nisi cognoveris temetipsam, » exi tu in vestigiis gregum, ut pasce hœdos tuos[4]. « Et » Hœdos, et tuos. « Nostia oves ad dexteram, hœdos ad sinistram. « Et pasce hœdos tuos. » Quare « Hœdos tuos? » Quia exis, pascis, sicut Donatus, « Hœdos tuos. » Si autem non exis, pascis, sicut Petrus, « Oves meas[5]. «

SERMO XIII.

In Natali Laurentii martyris (a).

SYNOPSIS.

I. Laus S. Laurentii, et quomodo agenda Festa Martyrum. II. Martyrum exemplum stimulus ad bene vivendum, et vigilandum contra diabolum. III. Nos potius Abrahæ filii, quam Judæi. IV. Contra eos, qui Martyrum Memorias intemperantia profanant. V. Afflictis Pauli exemplum proponitur. VI. Charitas materna in Paulo, et magis in divina Sapientia. VII. Bona opera parit necessitas. VIII. Vita isthæc perpetua pugna est cum morte. IX. Bona vitæ æternæ captum nostrum excedunt. X. Mutuum Orationis suffragium commendatur.

I. Propter fastidium auditoris sermo subtrahendus fuit, sed propter obsequium Martyris exhibendus. Ita ergo adjuvante Domino moderabitur, ut nec onerosus sit, nec forte diminutus, (b) quantum sufficientiæ satis est. Illuxit dies Romæ solemnissimus, qui magna frequentia populi celebratur. Adjungimur nos, quamvis absentes corpore, præsentes tamen spiritu fratribus nostris in uno corpore sub uno capite. Neque enim, ubi sepulcrum corporis ejus est, ibi tantum memoria meriti ejus. Devotio ubique debetur. Caro uno loco ponitur, sed spiritus victor cum illo est, qui ubique est. Erat beatus Laurentius in corpore, sicut accepimus, adolescens, vir gravis in animo, quem multum commendabat ætas viridior, corona immarcescibilior. Erat autem diaconus, officio inferior episcopo, corona æquatus Apostolo. Hæc autem solemnitas omnium Martyrum gloriosorum ad hoc instituta est in Ecclesia, ut ad imitationem, qui non viderunt patientes, adducantur fide, commemorentur (c) solemnitate. Excideret enim fortasse de cordibus hominum, quod non anniversarius ordo repeteret. Et non omnium Martyrum ubique possunt esse ferventes solemnitates, nam quotidie non deessent. Non enim vel unus dies inveniri in anni cursu potest, quo non per diversa Martyres coronati sunt. Sed ferventiores solemnitates, si continuæ essent, afferrent fastidium; intervalla autem renovant affectum. Nos tantum audiamus quod jussum est, attendamus quod promissum est. In cujuslibet Martyris solemnitate ita præparemus cor nostrum festivitati ejus, ut non separemur ab imitatione ejus.

II. Homo enim erat, et nos homines sumus. A quo ille factus est, ab ipso et nos. Quo pretio emptus est, ipso et nos. Non debet itaque homo Christianus dicere : Quare ergo? Imo non debet dicere : Ego non. Sed : Quare et ego non? Audistis beatum Cyprianum martyrum et exemplum et tubam : « In persecutione, inquit, militia, « in pace conscientia coronatur (d). » Nemo ergo sibi putet deesse tempus. Non semper adest tempus passionis, semper autem est devotionis. Nec se quisquam infirmum putet, ubi Deus vires operatur, ne, cum sibi timet, de ipso operatore desperet. Propterea id exemplis Martyrum omnes ætates Deus esse voluit, et utrumque sexum. Coronati sunt senes, coronati sunt juvenes, coronati adolescentes, coronati pueri, coronati viri, coronatæ fœminæ. Et in fœminis omnis ætas coronata est, nec dixit fœmina : Impar sum sexu ad devincendum diabolum. Attendit magis hostem dejiciendum, a quo dejecta est, et expugnandum fide, cui consenserat seductione. Numquid et fœminæ de suis viribus præsumpserunt? Omni enim homini dictum est : « Quid enim habes, quod non acce» pisti[6]? » Gloria ergo Martyrum gloria Christi præcedentis Martyres, implentis Martyres, coronantis Martyres. Verumtamen, quamvis alio sit tempore pax, alio persecutio, deest alicui tempori occulta? Nunquam deest. Leo ille draco, nec semper sævit, nec semper insidiatur, sed semper persequitur. Quando sævitia est aperta, non sunt occultæ insidiæ. Quando occultæ sunt insidiæ, non est aperta sævitia. Id est, quando ut leo rugit, non ut draco serpit. Quando ut draco serpit, non ut leo rugit; tamen, quia aut leo est, aut draco, semper persequitur. Quando tacet fremitus, insidias cave. Quando insidiæ produntur, in fremitu leonem devita. Et leo autem, et draco devitatur, si semper cor in Christo servetur. Quidquid in hac vita metuendum est, transiturum est. In alia vero vita, et quod amandum est, non transit, et quod timendum est, non transit.

III. Certe modo in Evangelio Dominus alloquebatur Judæos, et dicebat eis : « Væ vobis, Scribæ, et Pharisæi! » quia extruitis monumenta Prophetarum, et dicitis : Si « essemus tempore patrum nostrorum, non consentiremus » eis in necem Prophetarum. Certe testimonium perhi» betis, quia filii estis eorum, qui occiderunt Prophetas. » Et vos implebitis mensuram patrum vestrorum. » Cum enim dixissent : « Si essemus tempore patrum nostrorum, » non consentiremus eis in necem Prophetarum[7], » confirmaverunt se filios esse illorum. Nos autem, si rectum iter tenemus, non dicimus patres nostros, qui occiderunt Prophetas, sed patres nostros dicimus, qui occisi sunt a patribus illorum. Sicut enim degenerat quisque moribus, sic filius fit moribus. Quia utique, fratres, filii Abrahæ dicti sumus, Abrahæ nec faciem novimus, nec de genere ejus stirpem carnis ducimus. Quomodo ergo ejus filii? Non in carne, sed in fide. « Credidit enim « Abraham Deo, et deputatum est illi ad justitiam[8]. » Si ergo justus Abraham, quia credidit, omnes post Abraham imitantes fidem Abraham facti sunt filii Abraham. Judæi ex carne nati degeneraverunt, nos ex alienigenis orti imitando assecuti sumus, quod illi degenerando perdiderunt. Absit ergo, ut pater illorum Abraham, quamvis de carne venerunt Abraham. Patres illorum illi fuerunt, de quibus et ipsi confessi sunt. « Si essemus, » inquiunt, tempore patrum nostrorum, non eis consen» tiremus in necem Prophetarum. « Quomodo dicis, te

[1] Matth. xxv, 21. — [2] Cant. I, 7. — [3] I Petr. II, 21. — [4] Cant. I, 7. — [5] Joan. XXI, 17. — [6] I Cor. IV, 7. — [7] Matth. XXIII, 29 30. — [8] Gen. XV, 6.

(a) In Codice fol. 31. pag. 2. inscriptus : *Sermo sancti Augustini ep. de Natali sancti Laurentii.* Initium monet, turbatum aliquid fuisse a quibusdam, qui Martyrum festos dies intempestivis tripudiis profanabant, quo etiam infra n. 4. pertinet. Cætera varii argumenti. Sermo in Editione collocandus post *Sermonem CCCV.* — (b) Excidit fortasse : *sed.* — (c) Putem *commoneantur.* — (d) Ita sanctus Pugil terminat Tractatum suum *de Exhortatione Martyrii*, qui in Africæ Ecclesiis publice legi solitus ex hoc loco Augustini videtur.

non fuisse consensurum eis, quos patres tuos dicis? Si patres erant, filius es. Si filius es, consensurus eras. Si autem consensurus non eras, filius non es. Si filius non es, non sunt illi patres. Dominus ergo ex hoc eos convincit facturos, quod illi fecerunt, quia patres suos eos esse nominaverunt. « Certe, inquit, testimonium ipsi » perhibetis vobis, quia filii estis eorum, qui occiderunt » Prophetas, » quia dixistis eos patres vestros. « Et vos » implebitis mensuram patrum vestrorum. »

IV. Et nunc consideremus, qui sint filii occisorum, et qui sint filii occidentium. Et videtis multos currere ad Memorias Martyrum, benedicere calices suos de Memoriis Martyrum, redire saturatos de Memoriis Martyrum, et tamen discute illos, et invenies inter persecutores Martyrum. Per ipsos enim tumultus, seditiones, saltationes omnis luxuriæ, quas odit Deus, et modo, quia illos jam coronatos lapidibus non possunt, calicibus persequuntur. Qui erant, et quorum filii erant, quorum saltationes recenti, et prope hesterna Memoria de loco sancti Martyris Cypriani prohibitæ sunt (*a*)? Certe saltabant ibi, et gaudebant ibi, et solemnitatem ipsam, quasi gauderent, magnis votis expectabant, et ad eum diem semper venire cupiebant. Inter quos numerandi sunt? Inter persecutores Martyrum, an inter filios Martyrum? Apparuerunt, quando prohibiti in seditionem tumuerunt. Filii laudant, persecutores saltant. Filii hymnos dicunt, illi convivia producunt. Non ergo interest, quomodo honorare videantur. Tales enim sunt, qui honorant, quales illi fuerunt, qui dixerunt : Si essemus illis temporibus, non consentiremus patribus nostris in necem Martyrum, aut in necem Prophetarum. Consentite modo fidei Martyrum, et credimus, qui non eratis consensuri interfectoribus Martyrum. Martyres unde coronati sunt? Credo, viam Dei ambulando, tolerando, inimicos etiam suos diligendo, pro eis obsecrando. Hæc est corona Martyrum, hoc meritum Martyrum. Amas, imitaris, laudas, filius es Martyris. Vitam fers contrariam, referes et tunc manum contrariam (*b*).

V. Proinde, dilectissimi, quoniam persecutio, sicut dixi, nunquam deest, et diabolus aut insidiatur, aut sævit, semper parati esse debemus corde fixo in Domino, et, quantum possumus, inter istas molestias, tribulationes, tentationes orare nos fortitudinem a Domino, quoniam per nos ipsi parvi et nulli sumus. Quid de nobis dicamus? Paulum Apostolum, cum legeretur, audistis. « Sicut abundant, inquit, passiones Christi in nobis, sic » abundat per Christum et consolatio nostra[1]. » Sicut in Psalmo dicitur : « Secundum multitudinem dolorum » meorum in corde meo, exhortationes tuæ, Domine, » jucundaverunt animam meam[2]. » Quomodo hoc dictum est in Psalmo : « Secundum multitudinem dolorum meo» rum in corde meo, ita exhortationes tuæ jucundant » animam meam, » sic dictum est ab Apostolo : « Sicut » abundant passiones Christi in nobis, sic abundat per » Christum consolatio nostra. » Deficeremus, cum adesset persecutio, si deesset consolator. Et quia vires ipsæ vel tolerandi, vel quædam relaxatio vivendi ad tempus propter necessarium ministerium non erant ab ipsis, videte quid dixerit. « Notum vobis facio, fratres, de tribula» tione nostra, quæ facta est in Asia, quia supra modum » et ultra vires gravati sumus[3]. » Tribulatio illa transcendit vires humanas, numquid et auxilia divina? « Su» pra modum, inquit, et ultra vires gravati sumus. » Quantum ultra vires? Vide, quia de animi viribus dicit : « Ita, ut tæderet nos etiam vivere. » Quomodo affectus erat Apostolus multitudine pressuram, ut, quem charitas vivere instigabat, tædium a vita prohiberet! Quomodo cum charitas vivere cogebat, charitas illa, de qua alio loco dicit : « Permanere autem in carne necessarium » propter vos[4]. » Ecce tanta increverat persecutio, et tanta tribulatio, ut tæderet eum etiam vivere. Ecce timor et tremor venerunt super eum, et contexerunt eum tenebræ; sicut audistis, cum diceretur in Psalmo. Vox enim corporis Christi est, vox membrorum Christi. Vis ibi agnoscere vocem tuam? Esto membrum Christi. « Timor, inquit, et tremor cecidit super me, et contexe» runt me tenebræ. Et dixi : Quis dabit mihi pennas » sicut columbæ, et volabo, et requiescam[5]! » Nonne hoc videtur dixisse Apostolus, cum ait : « Ita, ut tæde» ret nos etiam vivere? » Quodam modo tædium passus est a visco carnis, quando volare volebat ad Christum. Abundantia tribulationum infestabat viam, sed non intercludebat. Tædebat vivere, sed hoc non in illa æterna vita, de qua dicit : « Mihi vivere Christus est, et mori » lucrum[6]. » Sed quia ex charitate hic tenebatur, quid sequitur? » Si autem vivere in carne hic mihi fructus » operis est, et quid eligam, ignoro. Compellor autem e » duobus concupiscentiam habens dissolvi, et cum Christo » esse. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? Manere » autem in carne necessarium propter vos[7]. » Cesserat susurrantibus pullis suis, tegebat passis alis, fovebat pullos, sicut ipse ait : » Factus sum parvulus in medio » vestrum, tanquam nutrix fovens filios suos[8]. »

VI. Et videte, fratres; modo lectum est in Evangelio : « Quoties volui congregare filios tuos, tanquam gallina » pullos suos, et noluisti[9]. » Attendite gallinam, attendite et alias aves, quæ in nostris oculis nidificant. Ova fovent, pullos nutriunt. Nullam videbitis infirmari cum filiis. Videte gallinæ habitum, quando pullos alit, quemadmodum mutatur vox ejus, et in quamdam raucedinem frangitur. Pennæ ipsæ non collectæ et alacres, sed hispidæ et languidæ, ita ut si videas avem aliam, cujus nidum ignores, non agnoscas, an ova habeat, vel pullos. Gallinam autem cum videris, etiamsi ova ejus non videas, nec pullos ejus videas, ex ipsa voce, et habitu corporis intelligas matrem. Quid ergo fecit mater nostra Sapientia? In carne infirmata est, ut pullos colligeret, ut generaret, ut foveret; sed infirmum Dei fortius est hominibus. Sub has alas infirmitatis carnis suæ, sed sub occultam potentiam Divinitatis suæ colligere volebat filios Jerusalem. Hoc Apostolum suum docuerat, quia hoc in illo ipse faciebat. Hoc enim ait ipse Apostolus. « Vultis » experimentum accipere ejus, qui in me loquitur, » Christi[10]? » Et passiones Christi dicit in se abundasse, non passiones suas, sed passiones Christi. Erat enim in corpore Christi, et erat membrum Christi, et quidquid cum pullis fovendis agebatur in Apostolo, et in membro suo, caput agebat. Hic ergo Apostolus attendens infirmitatem pullorum suorum affectu et desiderio, ut columba, volare cupiebat, sed charitate filiorum, ut gallina, remanebat. « Ipsi, inquit, in nobismetipsis responsum » mortis habuimus, ut non fidentes in nobis simus, sed » in Deo, qui suscitat mortuos, qui de tantis mortibus » eruit nos, et eruet, in quem speramus, quoniam et » adhuc eruet[11]. Eruit, et eruet » quid ait? Servat vitam istam nostram vobis. De multis enim mortibus eruit, ne opprimeretur a persecutoribus, ne citius quam pullis opus erat, coronaretur, secundum illud, quod ait : « Ma-

[1] 2 Cor. 1, 5. — [2] Psal. xciii, 19. — [3] 2 Cor. 1, 8. — [4] Philip. 1, 24. — [5] Psal. liv, 6, 7. — [6] Philip. 1, 21. — [7] Ibid. 22-24. — [8] 1 Thess. ii, 7. — [9] Matth. xxiii, 37. — [10] 2 Cor. xiii, 3. — [11] Id. 1, 9, 10.

(*a*) Confer. *Serm. CCCXI. in Nat. Cypriani*, Edit. *Maur.* T. V. *col.* 1252. *n.* 5 ubi *Pestem illam ope episcopi sublatam ait.* — (*b*) *Sinistram* puto in extremo Judicio.

» nere autem in carne necessarium propter vos. Sed hoc » confidens, novi, quia manebo, et permanebo omnibus » vobis ad profectum vestrum, et gaudium fidei[1]. » Cupiditas ad alium rapiebat, necessitas alibi retinebat. « Dissolvi, inquit, et esse cum Christo multo magis opti» mum[2]. » Istud non dixit « Necessarium, sed optimum. » Quod est enim optimum, per se appetitur, quod necessarium, ex necessitate assumitur; inde necessarium nominatur.

VII. Necessariæ rei necessitas nomen imposuit. Proinde nunc nobis necessarius cibus est iste, quo utimur; ad sustentandam temporalem vitam necessarius cibus est; ille autem optimus cibus virtutis, et sapientiæ, panis vivus, semper efficiens, nunquam deficiens (a). Ille optimus est, iste necessarius est. Proinde cum transierit ista necessitas famis, et sustentandi mortalis corporis, non erit iste cibus jam necessarius. Quid enim ait Apostolus? « Esca ventri, » et venter escis; Deus autem et hunc et has evacuabit[3]. » Quando autem evacuabit? Quando corpus hoc animale resurgens fit spirituale. Ibi enim nulla erit indigentia, et non ibi erunt opera necessitatis. Omnia enim ista, fratres, et bona, quæ hic dicuntur, opera, et ea ipsa opera, quæ monemur ut faciamus quotidie, necessitatis opera sunt. Quid tam bonum, quid tam præclarum, quid tam laudabile Christiano, quam frangere panem esurienti? Egenum sine tecto inducere in domum? Videre nudum, et vestire? Videre mortuum, et sepelire? Videre litigantem, et concordare? Videre infirmum, et visitare, aut curare? Omnia hæc laudabilia opera sunt. Attendite et videte, quia necessitas ea peperit. Frangis enim panem, quia vides esurientem. Si nemo esuriret, cui frangeres panem? Tolle necessitatem alterius miseriæ, non erit opus tuæ misericordia. Sed tamen per hæc opera, quæ necessitas genuit, pervenimus ad illam vitam ubi necessitas non erit, quomodo per navem ad patriam. In patria semper mansuro, nunquam peregrinaturo navis opus non erit; sed illa navis, quæ ibi opus non erit, illuc ipsa perducit. Cum perventum fuerit, ista non erunt, sed nisi hic adimpleantur, illuc perveniri non potest. Estote itaque alacres in bonis operibus necessitatis, ut sitis beati in perfruitione illius æternitatis, ubi jam necessitas moritur, quia mater omnium necessitatum mors ipsa morietur. « Oportet enim » corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale » hoc induere immortalitatem. » Quando dicetur morti: « Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, aculeus » tuus[4]? » absumptæ morti, et devictæ dicetur: « Quia no» vissime inimica destruetur mors[5]. »

VIII. Modo autem omnibus necessitatis operibus cum morte pugnatur. Defectus enim omnis ad mortem trahit, et sustentatio omnis a morte revocat, et ita mutabile est corpus, ut quodam modo aliæ mortes aliis mortibus pellantur. Quidquid assumitur, ubi diu perseverari non potest, quodam modo inchoatio mortis est. Jam videte istam vitam. Si quidquid assumitur, ubi permaneri diutius non potest; ubi, si diutius permanseris, moreris, inchoatio mortis est, et tamen, nisi assumatur, alia mors non pellitur. Verbi gratia, non manducat. Si manducaverit, et digerit, reficitur. Cum non manducat, assumit jejunium, ut mortem, quam factura erat crapula, repellat a se. Nisi assumpserit abstinentiam et jejunium, non a se illud repellet. Rursus in hoc jejunio, quod assumpsit, ut mortem crapulæ repelleret, si perseverare in illo voluerit, aliam mortem famis timebit. Sicut ergo assumpsit jejunium, ut mortem crapulæ devitaret, sic assumpturus est cibum, ut mortem jejunii devitet. Quidquid enim horum assumpseris, si in eo perseveras, deficies. Ambulando fatigatus eras, si permanseris in ambulando, fatigatione ipsa deficies, et morieris. Ut ergo non deficias ambulando, requiescis sedendo. Perdura in sedendo, et inde morieris. Somnus te gravis oppresserat; evigilandum est, ne moriaris. Vigilando morieris, nisi rursus dormieris. Da mihi, quod assumas in adjutorium in malum, quod gravabat, pellendum, ubi securus ita sis, ut in eo perseverare velis. Quidquid assumpseris, hoc ipsum timendum erit. Ergo in omni mobilitate et mutabilitate defectionum, et adjutoriorum cum morte pugnatur. Cum autem corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem, dicetur morti: « Ubi est, mors, » contentio tua? ubi est, mors, aculeus tuus? » Videbimus, laudabimus, permanebimus. Nulla erit ibi indigentia, nullum adjutorium requiretur. Non invenis mendicum, cui panem frangas; aut peregrinum, quem in domum recipias. Non invenis sitientem, cui calicem porrigas; nec nudum, quem cooperias; nec ægrotum, quem visites; nec litigantem, quem concordes; nec mortuum, quem sepelias. Omnes cibo justitiæ et potu sapientiæ saginantur, omnes immortalitate vestiti sunt, omnes in patria sua æterna vivunt. Omnium sanitas ipsa æternitas est, æterna sanitas, æterna concordia. Nemo litigat, nemo judicem quærit, nemo arbitrum compositionis, nemo sententiam ultionis. Nulla ægritudo, nulla mora.

IX. Hæc dicere potuimus, quæ ibi non erunt; quæ vero ibi erunt, quis dicat? « Quod nec oculus vidit, nec » auris audivit, nec in cor hominis ascendit[6]. » Recte ergo Apostolus: « Non sunt condignæ passiones hujus » temporis ad superventuram gloriam, quæ revelabitur in » nobis[7]. » Quidquid passus fueris, o Christiane, scito nihil esse ad id, quod accepturus es. Certe hoc fide retinemus, de corde tuo hoc non recedat. Non potes hoc capere, et videre, quid eris, quale ergo erit, quod ab eo, qui capturus est, capi non potest? Utique nos erimus, quod erimus, et capere non possumus, quod erimus. Supergreditur omnem infirmitatem nostram, supergreditur omnem cogitationem nostram, supergreditur omnem intellectum nostrum, et tamen nos erimus. » Dilectissimi, ait » Joannes, filii Dei sumus; » utique jam adoptione, fide, pignore. Pignus accepimus, fratres, Spiritum sanctum. Quando fallit, qui tale pignus dedit? « Filii Dei, inquit, » sumus, et nondum apparuit, quid erimus. Scimus, in» quit, quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam » videbimus eum, sicuti est. » Dixit: » Nondum appa» ruit, » et id, quod « Nondum apparuit, » non dixit. « Nondum apparuit, quod erimus. » Diceret: Illud erimus, et tales erimus! Quidquid diceret, cui diceret? Non audeo dicere: Quis diceret? sed certe: Cui diceret? Et forte enim erat, qui diceret, quia ipse est, qui in Christi pectore recumbebat, et de ejus pectore in illo convivio sapientiam bibebat, qua sapientia saginatus eructavit: « In principio erat Verbum[8]. » Ergo hoc dixit: « Sci» mus, quia, cum apparuerit, quod erimus, similes ei eri» mus, quoniam videbimus eum, sicuti est. » Cui similes? Utique ei, cujus filii sumus. « Dilectissimi, ait, filii » Dei sumus, et nondum apparuit, quod erimus. Sci» mus, quia, cum apparuerit, similes ei erimus, » cujus filii sumus, « Quoniam videbimus eum, sicuti est[9]. » Jam modo, si vis esse, cui similis eris, si vis nosse, cui similis eris, attende ipsum, si potes. Nondum potes. Ergo nescis, cui similis eris, propterea nescis, quantum similis eris. Nesciendo ergo adhuc, quod est ille, nescis, quod eris et tu.

X. Hoc ergo meditantes, charissimi, semper expecte-

[1] Philip. I, 24, 25. — [2] Ibid. 23. — [3] I Cor. VI, 13. — [4] I Cor. XV, 53-58. — [5] Ibid. 26. — [6] I Cor. II, 9. — [7] Rom. VIII, 18. — [8] Joan. I, 1. — [9] I Joan. III, 2.

(a) Isthæc sequentia fortasse paulo aliter interpungenda foret.

mus gaudium nostrum sempiternum, et semper oremus fortitudinem in laboribus et tentationibus temporalibus, sive nos pro vobis, sive vos pro nobis. Nu putetis enim, fratres, nostras orationes esse vobis necessarias, et vestras orationes nobis non esse necessarias. Invicem nobis necessariæ sunt orationes pro invicem, quia ipsæ orationes pro invicem charitata conflantur, et hoc sacrificium tanquam de ara pietatis suavissime fragrat Domino. Si enim Apostuli dicebant, ut oraretur pro illis, quanto magis nos longe impares, sed utcumque vestigia eorum sequi cupientes, et quantum assequamur, nec scire valentes, nec dicere audentes. Illi ergo tales Viri orari pro se volebant ab Ecclesis, et dicebant : « Quia gloria vestra sumus, sicut et vos nostra in diem Domini nostri Jesu Christi [1]. » Invicem pro se orabant ante diem Domini nostri Jesu Christi, gloria in die, infimitas ante diem. Oretur in infirmitata, ut gaudeatur in gloria. Etenim diversis temporibus illuc tamen uno tempore omnes perventuri sumus. Hinc eseundi diversa sunt tempora; illic accipiendi unum tempus est. Semel enim et simul congregabimur, ut accipiamus, quod diversis temporibus et credidimus, et desideramus. Quemadmodum operarii illi in vinea alii ducti sunt hora prima, alii hora tertia, alii sexta, alii nona, alii decima [2]. Diversis temporibus vocati sunt, sed uno tempore merces omnibus persolvitur. Conversi ad Duminum, etc.

SERMO XIV.

In Natali Cypriani Martyris (a).

SYNOPSIS.

I. S. Cypriani Laus in Domino. II. Quibuscum confligendum Christiano. III. Contra Spectacula Paganorum. IV. Contra Superbiam. V. Cypriani laus repetita.

I. Sancta solemnitas beatissimi Martyris, quæ nos in nomine Domini congregavit, de meritis et gloria tanti Martyris exigit aliquid digne dici. Virtutibus enim ejus et gloriæ posset forte humana lingua sufficere, si se voluisset ipse laudare.. Verumtamen et nos devotione magis quam facultata laudemus eum, imo Dominum laudemus in eo, Dominum in illo, et illum in Domino. Quid enim esset in Domino, vox Martyrum de Psalmo modo, cum legeretur, audita est : « Auxilium nostrum in nomine Domini [3]. » Si auxilium omnium nostrum in nomine Domini, quanto magis Martyrum. Ubi major pugna, ibi majus auxilium necessarium est. Duo sunt enim, quæ faciunt Christinianorum angustam viam : voluptatis abjectio, et tolerantia passionis. Vincis, quicumque confligis, si viceris, quod libet, et terret. Vincis, inquam, Christiane, quicumque confligis, si viceris, quod libet, et terret. Aliud, quod libet; aliud, quod terret. Sed nunc de Martyrum agitur gloria. Facile est Martyrum solemnia celebrare; difficile est Martyrum passiones imitari.

II. Angustam, ut dicere cœperam, et arctam Christianorum viam duæ res faciunt : contemptus voluptatis, et tolerantia passionis. Quisquis ergo confligit, sciat se cum toto mundo confligere, et confligens cum toto mundo, hæc duo vincat, et vincit mundum. Vincat, quidquid blanditur; vincat, quidquid minatur. Voluptas enim falsa est, pœna transitoria. Si vis intrare per angustam portam, claude portas cupiditatis, et timoris. His enim tentat ille tentator ad evertendam animam. Janus cupiditatis promittendo tentat; janua timoris minando tentat. Est, quod cupias, ut ista non cupias. Est, quod timeas, ut ista non timeas. Non auferatur cupiditas, sed mutatur. Timor non extinguatur, sed in aliud transferatur. Quid cupiebas? Quid mundo blandienti cedebas? Quid cupiebas? Voluptatem carnis, concupiscentiam oculorum, ambitionem seculi. Nescio, quis istorum trium capitum est carnis infernus. Sed audi apostolum Joannem, qui super pectus Domini discumbebat, et hoc in Evangelio eructabat, quod in convivio Christi bibebat, audi eum dicentem : « Nolite diligere mundum, neque ea, quæ sunt in mundo. Si quis dilexerit mundum, non est charitas Patris in illo, quoniam omnia, quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio sæculi [4]. » Dicitur ergo mundus hoc cœlum et terra. Non ipsum mundum vituperat, qui dicit : « Nolite diligere mundum. » Qui enim istum vituperat, artificem mundi vituperat. Audiat mundum bis uno loco nominatum sub diversis significationibus. De Domino Christo dictum est : « In hoc mundo erat, et mundus per eum factus est, et mundus eum non cognovit. Mundus per eum factus est [5]. Auxilium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et tarram [6]. Mundus per eum factus est. Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi [7]. Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram. » Iste mundus a Deo factus est : « Et mundus eum non cognovit. » Dilector mundi, amator operis, contemptor artificis, amor tuus migret. Rumpe funes a creatura, alliga ad creatorem. Muta amorem, muta timorem. Non enim faciunt bonos et malos mores, nisi boni vel mali amores. Magnus iste vir, dicet aliquis, bonus est, magnus est. Unde? quæso. Multa novit. Quid diligat quæro, non quid sciat. « Nolite ergo diligere mundum, neque ea, quæ sunt in mundo. Si quis dilexerit mundum, non est charitas Patris in illo, quoniam omnia, quæ in mundo sunt, » (utique in dilectoribus mundi; ea, quæ sunt in dilectoribus mundi) « concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio sæculi. » In concupiscentia carnis voluptas est. In concupiscentia oculorum curiositas est. In ambitione sæculi superbia est. Qui tria ista vincit, non ei remanet omnino in cupiditate, quod vincat. Multi rami, sed triplex radix. Quanta mala habet, quanta mala facit carnalis voluptatis appetitio! Inde adulteria, fornicationes, inde luxuria, inde ebrietas. Quidquid titillat sensus illicite, et mentem penetrat suavitate pestifera; addicit carni mentem, deturbat exercitatorem, subit servienti imperantem. Et quid poterit homo facere rectum in se ipso perversus?

III. Quæ mala facit turpis curiositas, concupiscentia vana oculorum, aviditas nugacium spectaculorum, insanis stadiorum, nullo præmio consequente conflictus certaminum! Certant aurigæ aliquo præmio, litigant pro aurigis populi aliquo præmio (b). Sed delectat auriga, delectat venator, delectat scenicus. Ita-ne honestum delectat turpitudo? Muta etiam cupiditatem spectaculorum. Exhibet Ecclesia menti tuæ honorabiliora et veneranda spectacula. Modo legebatur Passio beati Cypriani. Aure audiebamus, mente spectabamus, certantem videbamus, periclitanti quodam modo timebamus, sed Dei adjutorium speraba-

[1] 2 Cor. 1, 14. — [2] Matth. 20. — [3] Psal. cxxiii, 8. — [4] 1 Joan. 2, 15, 16. — [5] Joan. 1, 10. — [6] Psal. cxxiii, 8. — [7] Id cxx, 1, 2.

(a) In Codice *fol.* 36. *p.* 2. inscriptus : *Item Sermo sancti Augustini ep.* De triplici Christianorum pugna, et graviter contra Paganorum Spectacula. Editioni inserendus post *Sermonem CCCXIII.* — (b) De ejusmodi contentionibus varia in Martialis Epigram. et in Scriptoribus Hist. Aug.

mus. Denique vultis nosse cito, quid intersit inter spectacula nostra et theatrica? Nos, quantum in nobis viget sana mens, Martyres, quos spectamus, cupimus imitari. Nos, inquam, sanctos Martyres, quos certantes spectamus, cupimus imitari. Honeste spectator! in theatris cum spectas, insanis, si audes imitari quem diligis. Ecce ego specto Cyprianum, amo Cyprianum. Si irasceris, maledic mihi, et dic: Talis sis! specto, delector, quantum valeo, lacertis mentis amplector. Video certatorem, audio victorem. Irascere, ut dixi, et dic mihi: Talis sis! Vide, si non amplector; vide, si non opto; vide, si non cupio; vide, si non indignum me possum dicere; refugere tamen, avertique non possum. Specta tu, delectare tu, ama tu. Noli irasci, si dixero: Talis sis! Sed parco, non dico. Agnosce amicum. Spectacula muta mecum. Tales amemus, quos imitari, quantum valemus, optemus. Sed infamis est ille, qui spectatur; qui spectat, honestus est. Cesset cupiditas emptoris, et nulla erit turpitudo venalis. Infamiam spectando confirmas. Quid provocas, quod accusas? Miror, si amati tui non te aspergit infamia. Sed non te aspergat, immaculata maneat honestas, si potest, spectatrix libidinum, emptrix turpium voluptatum. Audeo prohibere spectacula? Audeo prohibere? Audeo plane. Dat mihi fiduciam locus iste, et qui me constituit in isto loco. Potuit sanctus Martyr sævientes sustinere Paganos; ego non audeam audientes instruere Christianos? Ego metuam tacitas offensiones, cum ille contempserit apertos furores? Dicam prorsus. Certe redarguar in cordibus audientium, si falsa dico. Optime facit, omnino optime facit antiqua disciplina Romana, quæ omne genus Histrionum infami loco deputavit. Non illis ullus honor in Curia, non saltem in plebeia (*a*) tribuitur. Undique ab honestis remoti, et honesti venales (*b*) præpositi. Quid a te propter dignitatem Decurii (*c*) removisti, et propter voluptatem tibi in theatro posuisti? Consonet dignitati tuæ voluptas tua. Et ipsi miseri addicti sunt spectantium cupiditatibus, spectantium insanientibus voluptatibus. Remove ista omnia, et liberantur. Misericordiam in illos facit, qui spectare noluerit.

IV. Dicta sint hæc de concupiscentia oculorum. Ambitio sæculi quantum mali habet! Ibi omnis superbia. Et quid est pejus superbia? Sententiam Domini audi. « Deus superbis resistit; humilibus autem dat gratiam[1]. » Ergo et ambitio sæculi maligna est. Dicet aliquis: Sine illa non possunt esse sæculi Potestates. Prorsus possunt. Nescio, quis auctor ipsorum ait: Suam quisque culpam auctores ad negotia transferunt (*d*). Prorsus possunt. Rector est in potestate constitutus. Erigat, et rexit. Sed humana mens pergit in elationem. Frenetur elatio. Hominem se esse cognoscat, qui de homine judicat. Dispar est dignitas, sed communis est ipsa fragilitas. Hoc qui pie, sancteque cogitat, et habet potestatem, et non pergit in elationem. Vicit ista omnia Cyprianus. Quid enim non vicit, qui vitam ipsam omnibus tentationibus redundantem contempsit. Mortem illi minatus est judex; ille confessus est Christum, paratus mori pro Christo. Ubi mors venerit, nulla remanebit ambitio, nulla curiositas oculorum, nulla appetitio sordidarum et carnalium voluptatum. Una vita contempta omnia superantur.

V. Beatus ergo Cyprianus laudetur in Domino, quia omnia ista vicit. Quando hoc posset, si non adjuvisset Dominus? Quando vinceret, si non spectator, qui coronam parabat vincenti, subministraret vires laboranti? Gaudet plane et ipse, gaudet pro nobis, non pro se, quando in Domino laudatur. Mitis enim est valde et scriptum est: In Domino laudabitur anima mea. Audiant mites, » et lætentur[2]. » Mitis erat. In Domino vult animam suam laudari. « In Domino laudetur anima ejus. Honoretur etiam corpus ejus. Quia « Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus[3]. » Sancte celebretur, tanquam a Christianis celebretur. Non enim aram constituimus, tanquam Deo, Cypriano, sed Deo vero aram fecimus Cyprianum (*e*).

SERMO XV.

Item in Natali Cypriani Martyris (*f*).

SYNOPSIS.

I. Gaudium de religiosa Populi frequentia, et victoria Martyrum. II. Delusa Persecutorum a Martyribus consilia. III. Ecclesia Persecutorum victrix. IV. Persecutorum, ut Christi, ita Cypriani multi conversi.

I. Psalmum cantavimus: « Benedictus Dominus, qui » non dedit nos in venationem dentibus eorum[4]. » Donis Dei debita gratulatio. « Benedictus Dominus, qui non » dedit nos in venationem dentibus eorum. » Vox est certe gratulationis, et digna gratulatio. Et quando tantis donis divinis humana sufficit gratulatio? Quando in isto loco beatissimus Martyr sacrum sanguinem fudit, nescio utrum tanta hic fuerit turba furentium, quanta nunc est multitudo laudantium. Iterum dico; delectat enim me, populum videre in domo Domini religiosissime in hunc locum convenientem, et tempora temporibus comparare. Unde iterum dico, et repeto, et vestris sensibus, quanta possum, devotione commendo: Quando in isto loco beatissimus Martyr sacrum sanguinem fudit, nescio utrum tanta hic fuerit turba furentium, quanta nunc est multitudo laudantium. Sed, etsi fuit, fuit « Benedictus Dominus, qui non dedit nos in venationem dentibus eorum. » Quando occidebant, se vicisse credebant. Vincebantur a morientibus, et gaudebant, si vincebantur. Utique furebant. Abscessit ergo turba furentium, successit multitudo laudantium. Dicat, dicat multitudo laudantium: « Benedictus Dominus, qui non dedit nos » in venationem dentibus eorum. » Dentibus quorum? Dentibus inimicorum, dentibus impiorum, dentibus persecutorum Jerusalem, dentibus Babyloniæ, dentibus civitatis inimicæ, dentibus turbæ in sceleribus insanientis, dentibus turbæ Dominum persequentis, creatorem deserentis, ad creaturam se convertentis, manu facta colentis, cum a quo facta est, contemnentis. « Benedictus » Dominus, qui non dedit nos in venationem dentibus » eorum. »

II. Vox Martyrum est. Eorum profecto vox est, qui pro Christi nomine occidi, quam negando Christum vivere maluerunt. Si ergo illi occidere voluerunt, isti occisi sunt, fecerunt, quod voluerunt illi, passi sunt isti, quomodo: « Benedictus Dominus, qui non dedit nos in

[1] Jacob. IV, 6. — [2] Psal. XXXI, 3. — [3] Id. CXXII, 1. — [4] Id. CXXIII, 6.

(*a*) In Conventu plebis aliquo. — (*b*) Lego: *Vernales*, i. e. Servi domi, et in familia nati. — (*c*) Seu Decurionatus, quod munus in Coloniis et Municipiis Senatorii instar erat. — (*d*) An Seneca *epist.* 50 ad Lucil. *Ut intelligas, tua vitia esse, quæ putas rerum?* — (*e*) Confer finem *Sermonem CCCXIII.* et *Serm. CCCX. n.* 2, T. V. *edit. Maur.* — (*f*) In Codice *fol.* 37. *p.* 2, inscriptus: *Item Sermo sancti Augustini ep.* De Martyrum, et Ecclesiæ in illis victoria. Sermo fortasse notatus a Possidio in *Indiculo Opp. c.* 8. *De Venatoribus Dei et Sæculi.* Psalmi enim versiculus, qui supra citatur, exponitur de dentibus persecutorum, et de dentibus Ecclesiæ, ut in decursu liquet. Locandus in Editione post præcedentem XIII.

» venationem dentibus eorum? » Qualis gratulatio est : « Benedictus Dominus, qui non dedit nos in venationem » dentibus eorum? » Quia persecutores non occidere, sed devorare voluerunt, id est, in corpus suum transferre. Pagani erant, impii erant, dæmonum et idolorum cultores erant. Hoc nos facere volebant, quando devorare cupiebant. Intendite, quid cibo faciamus, quando manducamus. Quid utique facimus, nisi in corpus nostrum transferimus? Erat corpus impiorum, devoraverunt eos, qui eis ad impia consenserunt. In eorum corpus procul dubio transierunt. Martyres ergo illi instantibus, ut Christus negaretur, et idolum adoraretur, restiterunt constanter, idolum spreverunt, Christum confessi sunt, in corpus eorum consentiendo non transierunt. Dicant, dicant, gloriose dicant, feliciter dicant, veraciter dicant : « Benedictus Dominus, qui non dedit nos in vena- » tionem dentibus eorum. » Retia perfidia est, retia impietas est, retia Christi negatio est. Extenta sunt retia. Audis venantes. Si vis cavere venantes, contemne terrentes. Nostis, quid faciunt venatores. Ex alia parte tendunt retia, ab alia parte terrent feras, quas cogunt in retia. Malum times, quo terreris? Pejus est, quo fugis. Ergo Martyres sancti videntes, ubi venatores tetenderunt retia (ad hoc enim mortem persecutor minabatur, ut Salvator negaretur) passi sunt, sed patiendo non sunt capti. Quali sagina prædæ, quali pinguedine venationis Babylon impia pasceretur, si a Cypriano episcopo Dominus negaretur. Quali sagina, quali venatione, quam optima præda Babylon impia pasceretur, si a Cypriano episcopo, doctore gentium, frustratore idolorum, proditore dæmoniorum, lucratore Paganorum, confirmatore Christianorum, inflammatore Martyrum. Si ergo a tali et tanto Viro Dominus negaretur, quali venatione Babylon impia lætaretur! « Benedictus Dominus, qui non » dedit nos in venationem dentibus eorum. » Sævierunt, persecuti fuerunt, torserunt, incluserunt, alligaverunt, percusserunt, incenderunt, bestiis subrepserunt (a). Non est Christus negatus, Confessor Domini est coronatus. Illi sævitiam perdiderunt, gloriam Martyres invenerunt. « Benedictus Dominus, » dicat populus christianus, dicat omnino, decet, et dicat : « Benedictus Dominus, » qui non dedit nos in venationem dentibus eorum. » Modo, dicat, hic locus impletur populo confitentium, impletur populo unum verum Deum adorantium. Dicat : hic locus; tunc enim seges ista seminabatur, quando ille locus sanguine Martyris rigabatur. Noli mirari, Terra, fertilitatem tuam, si rigata es, ut hoc pullulares.

III. Ergo « Benedictus Dominus, qui non dedit nos » in venationem dentibus eorum. » Quibus enim viribus nos erepti sumus de dentibus impiorum? Nihil nobis arrogamus, non hoc nostræ potestati tribuimus. « Bene- » dictus Dominus, qui non dedit nos in venationem den- » tibus eorum. » Quid enim eramus, quando terrebamur infirmi a fortibus, humiles a sublimibus, egentes a divitibus, indigentes ab abundantibus? Quid eramus, nisi « Auxilium nostrum esset in nomine Domini ejus, qui » fecit cœlum et terram[1]? » Exulta, exulta, Jerusalem, exulta et tu non data in dentes venantium. Exulta et tu. Habes et tu dentes. « Dentes tui, sicut grex detonsarum. » Habes et tu dentes, o sancta Jerusalem, Civitas Dei, Ecclesia Christi, habes et tu dentes. Tibi dicitur in Cantico Canticorum : « Dentes tui sicut grex detonsarum » ascendens de lavacro, quæ omnes geminos creant, et » sterilis non est in illis[2]. » Bene, bene, quod non timuisti dentes Babyloniæ. Dentes Babyloniæ potestates sæculi fuerunt, dentes Babyloniæ doctores illicitorum sacrorum fuerunt. His dentibus data non es. Agnosce dentes tuos. Fac tu, quod illi facere voluerunt. Converte te. Et tu habes dentes. « Dentes tui sicut grex detonsarum. » Quid est « Detonsarum? » Sarcinas seculares ponentium. Quid est « Detonsarum? » Ponentium vellera, tanquam onera sarcinæ secularis. Illi erant dentes tui, de quibus scriptum est in Actibus Apostolorum, quia vendiderunt omnia sua, et pretia rerum suarum ante pedes Apostolorum posuerunt, ut distribueretur unicuique, sicut opus erat[3]. Percepisti vellera detonsarum tuarum. Ascendit grex ille de lavacro Baptismatis sancti. Omnes pepererunt, quia duo præcepta charitatis impleverunt. Meministis, recordati estis, tanquam instructi acclamastis, cum duo præcepta charitatis commemorarem; quæ autem essent, non dixi, et tamen indicium cordis vestri voce suscepi. Agnovistis. Dicam tamen propter eos, qui ad Ecclesiam rarius accedunt. Dominus dicit, Magister veracissimus dicit, Princeps Martyrum dicit : « Diliges » Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota » anima tua, et in tota mente tua, et diliges proximum » tuum tanquam te ipsum. In his duobus præceptis tota » Lex pendet et Prophetæ[4]. » Dentes ergo tui in Deo vicerunt, quia tales geminos pepererunt. Tibi dicitur habenti tales dentes, tibi dicitur, o Ecclesia, in figura beatissimi Petri : « Surge, macta, et manduca[5]. Surge, » Petro dictum est, quando vas submissum de cœlo in figura animalium omnis generis portabat esurienti Petro, id est, avidæ Ecclesiæ, « Surge, » quid esuris? « Surge, » cibus tibi paratus est. Dentes habes; « Macta, et man- » duca. » Occide, quod sunt; fac, quod es. Occide quod sunt, verte in quod es. Bene audisti tales dentes habens, bene mactasti, bene manducasti. Ipsos judices, quos non timuisti, ad te attraxisti; ipsas sæculi potestates, quas non timuisti, in te convertisti; sævientes sprevisti; honorantes fecisti. Impletum est, quod Domino tuo promissum est : « Et adorabunt eum omnes reges » terræ, omnes gentes servient illi[6]. »

IV. Hæc persecutores non credebant, quando sæviebant. Quam multi ex ipsis persecutoribus, qui viderunt beatissimum Cyprianum fundentem sanguinem, genua flectentem, cervicem percussori præbentem, hic viderunt, hic spectaverunt, hic de tanto spectaculo exultaverunt, hic, hic morienti insultaverunt. Quam multi ex eis, quod non dubito, postea crediderunt. Non dubitandum, sine dubitatione credendum est. Judæi Christi interfectores, qui pendente illo caput agitaverunt insultantes, et in illo verba, quæ voluerunt, dixerunt exultantes, postea in ipsum Dominum, quem crucifixerunt, crediderunt. Hæc enim poterat vacare vox Medici in cruce pendentis, et medicamentum sanitatis phreniticis de suo sanguine facientis? Non poterat ergo vacare, et inanis esse vox illa : « Pater, ignosce illis, quia nesciunt » quid faciunt[7]. » Non plane vacavit. Erat ibi multitudo eorum, propter quos hæc vox de ore resonuit Veritatis. Nam postea facto miraculo, adveniente de cœlo Spiritu sancto, cum linguis omnium gentium Apostoli loquerentur, stupentes repentinum miraculum, subito compuncti, ad eum, quem occiderunt, conversi sanguinem, quem sævientes fuderunt, credentes biberunt. Hoc plane et de beato Cypriano Christi sancto Martyre nullo modo est dubitandum, quod plurimi eorum, qui occisum impie spectaverunt, in ejus Dominum crediderunt, et forte etiam ipsi imitando pro Christi nomine sanguinem fuderunt. Postremo de illis incertum sit. De illis, qui tunc huic loco affuerunt, qui percussum in isto loco sanctum Cyprianum viderunt, incertum sit, utrum crediderint.

[1] Psal. cxxiii, 8. — [2] Cant. iv, 2, et vi, 5. — [3] Act. iv 35 — [4] Matth. xxii, 37 40. — [5] Act. x, 13. — [6] Psal. lxxi, 11. — [7] Luc. xxiii, 34.

(a) Ita manuscriptum. Fortasse : Subrepserunt, subtraxerunt.

Certe isti omnes, aut pene omnes, quorum voces audio exultantium, filii sunt insultantium.

SERMO XVI.

In Natali Martyrum Scillitanorum (a).

SYNOPSIS.

I. Exemplo Martyrum Christus nec propter superflua, nec propter necessaria mundi bona negandus. II. Amor proximi unde, et qualis. III. Salus et Amicus, duo necessaria, quomodo respicienda. IV. Certamen Martyris cum Persecutore de superfluis. V. Certamen Martyris cum Persecutore de necessariis. VI. Quibus modis negetur Christus. VII. Constantiæ merces in cœlo.

I. Martyres sancti, testes Dei, ne vivendo morerentur, moriendo vivere maluerunt, ne timendo mortem negarent vitam, amando vitam contempserunt vitam. Ut negaretur Christus, vitam promittebat inimicus, sed non qualem Christus. Credentes ergo, quod a Salvatore promittebatur, riserunt, quod persecutor comminabatur. Fratres, quando Solemnia Martyrum celebramus, exempla nobis proposita noverimus, quæ imitando assequamur. Non enim istam faciendo frequentiam, augemus Martyrum gloriam. Illorum corona populis nota est Angelorum. Nos, quod passi sunt, cum legeretur, audire potuimus. Quod autem acceperunt, « Nec oculus vidit, » nec auris audivit[1]. » Bona mundi hujus alia sunt superflua, alia necessaria. Hinc paululum, ut loquamur, attendite, et distinguamus, si possumus, quæ sint bona hujus mundi superflua, quæ necessaria, ut videatis, non esse negandum Christum nec propter superflua, nec propter necessaria. Superflua mundi hujus quis enumerat? Si ea commemorare voluerimus, magnas moras faciemus. Dicamus ergo necessaria. Quæcumque alia erunt, hæc erunt superflua. Necessaria sunt in hoc mundo duo ista : Salus, et Amicus. Ista sunt, quæ magni pendere, quæ non debemus contemnere. Salus, et Amicus naturalia bona sunt. Fecit Deus hominem, ut esset, et viveret. Salus est. Sed, ne solus esset, Amicitia quæsita est. Incipit ergo Amicitia a conjuge et filiis, et progreditur usque ad alienos. Sed, si consideremus, unum nos habuisse patrem, et unam matrem, quis erit alienus? Omni homini proximus est omnis homo. Interroga naturam. Ignotus est? homo est. Inimicus est? Homo est. Hostis est? Homo est. Amicus est? Maneat Amicus. Inimicus est? Fiat amicus.

II. Ad hæc duo in hoc mundo necessaria, Salutem, et Amicum, venit peregrina sapientia. Invenit omnes stultos, errantes, superflua colentes, temporalia diligentes, æterna nescientes. Hæc Sapientia stultis amica non fuit. Cum ergo stultis amica non esset, et a stultis longe esset, assumpsit proximum nostrum, et facta est proxima nostra. Hoc mysterium Christi est. Quid tam longe, quam stultitia a sapientia? Quid tam proximum, quam homo, et homo? Quid tam longinquum, inquam, quam a stultitia sapientia? Ergo suscepit hominem sapientia, et facta est homini proxima per id, quod erat proximum. Et ecce, quoniam dixit homini ipsa sapientia : Ecce pietas est sapientia ; ad sapientiam vero hominis pertinet colere Deum, quia hoc est pietas, data sunt nobis duo præcepta : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde » tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua. » Alterum : « Diliges proximum tuum tanquam te ipsum[2]. » Et ille, qui hoc audivit, ait : « Et quis est mihi proxi- » mus[3]? » Putabat dicturum Dominum : Pater tuus, et mater tua, conjux tua, filii tui, fratres tui, sorores tuæ. Non hoc respondit, sed qui volebat commendare omnem hominem omni homini proximum, instituit narrationem. « Homo, inquit, quidam. Quis quidam? » Tamen homo. « Homo quidam. Quis ergo homo? » Quidam, sed tamen homo. « Descendebat de Jerusalem in Jericho, et » incidit in latrones[4]. » Ipsi dicuntur latrones, qui et insequuntur nos. Vulneratus, spoliatus, semivivus, in via relictus a transeuntibus, a sacerdote, a levita contemptus est, a Samaritano autem transeunte animadversus est. Accessum est ad eum, inspecta cura, levatus est in jumentum, perductus ad stabulum, jussum est curam ei adhiberi, sumptus impensus est. Interrogatur, qui interrogaverat : Quis erat huic semivivo proximus? Quia duo contempserant, et contempserant proximi, accessit extraneus. Iste enim homo Jerosolymitanus proximos habebat sacerdotes, et levitas, Samaritanos alienigenas. Transierunt proximi, et extraneus factus est proximus. Quis ergo erat huic homini proximus? Dic tu, qui interrogaveras dicens : « Quis est mihi proximus? » Jam responde, quod verum est. Interrogaverat superbia. Loquatur natura. Quid ergo ait? « Credo, qui cum illo fecit misericor- » diam. » Et Dominus ad illum : « Vade, et tu fac similiter[5]. »

III. Redeamus ad causam. Jam tria videmus : Salutem, Amicum, Sapientiam. Sed Salus et Amicus etiam de hoc mundo ; aliunde Sapientia. Propter Salutem victus et tegumentum, et, si mala valetudo occurrerit, medicina. Salvis autem salvus loquens Apostolus ait : « Est » autem quæstus magnus pietas cum sufficientia. Nihil, » inquit, intulimus in hunc mundum, sed neque auferre » aliquid possumus. Victum et tegumentum habentes his » contenti simus. » Ista sunt necessaria propter salutem. Quæ autem propter superflua? « Nam qui volunt, inquit, » divites fieri (propter superflua utique) incidunt in » tentationem, et laqueum, et desideria multa stulta et » noxia, quæ mergunt hominem in interitum et perditio- » nem. « Ubi ergo Salus? Ergo propter Salutem » Victum, » et tegumentum habentes his contenti simus[6]. » Propter Amicum quid? Quid tibi amplius potuit dici, quam « » Diliges proximum tuum tanquam te ipsum? » Ergo Salus tibi, Salus sit et amico tuo. Propter tegumentum amici : » Qui habet duas tunicas communicet cum non

[1] 1 Cor. II, 9. — [2] Luc. X, 27. — [3] Ibid. 29. — [4] Ibid. 30. — [5] Ibid. X, 37. — [6] 1 Tim. VI, 8 9.

(a) In Codice *fol.* 39. inscriptus : *Sermo sancti Augustini ep. In Natali sanctorum Martyrum Scillitanorum.* Passi sunt hi Carthagine circa A. C. 200. numero, ut videtur, duodecim, oriundi ex oppido Scillo, aut Scillite Provinciæ Proconsularis Africæ. Acta eorum alia extant apud Baronium ad A. C. 202. alia e Bibliotheca Eccl. Tolet. apud Bollandistas *T. IV. Julii ad diem XVII.* quo illorum memoria agitur. In illorum Basilica Carthagine Augustinus *Sermonem* habuit in Editione CLV. Cum vero Possidius in *Indiculo Opp.* c. 3. *Tractatus duos* notet, de altero sic Guil. Cuperus in *Act. SS. T. cit. p.* 206. *Cum is Sermo nusquam inter Augustini Opera ne quidem novissime edita compareat, existimo eum aut excidisse, aut etiamnum alicubi cum pulvere luctari.* En jam non amplius indecoro pulvere sordidum Martyrum ipsorum cultus, et Reliquiæ Hispaniam, Galliam et Italiam pervaserunt, partimque Romæ in SS. Joannis et Pauli Æde in monte Cœlio quiescunt, quem Titulum, dum hæc commentarer, ornabat Joseph Card. Garampius, vir pietate, doctrina humanarum literarum amore, sacraque dignitate vere eminentissimus, mihique ab illo jam tempore, quo summi Pontificis ad Aulam Cæsaream legatione fungebatur, faventissimus, qui has Mentis Augustinianæ Reliquias avidissime præstolabatur. Verum, antequam typis absolverentur, ipsum ut pie speramus, Augustini consortio propius admotus est Romæ IV. Non. Majas. — Sermo hic porro in Editione post præcedentem XIII collocari potest.

» habente. » Propter victum amici : « Et, qui habet escas, similiter faciat[1]. » Pasceris, pascis; vestiris, vestis. Ista de hoc mundo; aliunde autem, quod est sapientia, discis et doces.

IV. Constituite jam vobis ante oculos agonem Martyrum. Venit inimicus, cogit Christum negare. Sed adhuc blandientem inducamus, non sævientem. Promittit divitias et honores. Superflua sunt. Qui talibus donis tentantur, ut Christum negent, nondum accesserunt ad agonem, nondum certamen invenerunt (*a*), nondum hostem antiquissimum vera pugna provocaverunt. Contempsit autem, cui talia promittebantur, Vir fidelis, et ait : Ego propter divitias negabo Christum? Ego propter divitias negabo divitias? Ego propter aurum negabo thesaurum? Nempe ille est : « Qui propter nos pauper factus est, » cum dives esset, ut ejus paupertate nos ditaremur[2]? » Nempe ille est, de quo item ait Apostolus : » In quo sunt » omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi[3]? » Attendis, quod promittis, quia non potes videre, quod tollere conaris. Ego fide video, quod mihi vis auferre, tu oculis carnis, quod vis dare. Meliora sunt, quæ cordis oculus intuetur, quam quæ oculus carnis videt. Quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna. Contemno ergo dona tua, inquit fidelis anima, quia temporalia sunt, superflua sunt, caduca sunt, volatica sunt, plena sunt periculis, plena tentationibus. Nemo hæc habet, quando vult, perdit et quando non vult. Contemptus est promissor; accedit alius, id est, persecutor. Contemptus est blandiens; esse incipit sæviens. Contemptus est coluber; in leonem conversus est. Non vis, inquit, accipere a me divitias ampliores? Si Christum non negaveris, auferam, quas habes. Adhuc in superflua mea sævis. » Sicut novacula acuta fecisti dolum[4]. » Capillos radis, cutem non præcidis. Aufer etiam ista mihi. Imo, quoniam videbas, quod pauperibus exinde dabam, hospites suscipiebam, quod monuerat Paulus, faciebam. « Præcipe, inquit, divitibus hujus sæculi, præcipe, non superbe sapere, neque sperare in » incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis » omnia abundanter ad fruendum. Bene faciant, divites » sint in operibus bonis, facile tribuant, communicent, » thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut » apprehendant veram vitam[5]. » Hæc mihi auferens, ista opera facturus non sum. Numquid apud Deum ideo minor ero, quia volo, et non possum? An usque adeo surdus sum adversus vocem Angelorum : » Pax in terra hominibus bonæ voluntatis[6]? » Tolle ergo superflua mea. » Nihil intulimus in hunc mundum, sed neque auferre » aliquid possumus. Victum et tegumentum habentes eo » contenti simus[7]. »

V. Sed ait persecutor : Tollo victum, tollo tegumentum. Accessum est ad certamen. Ferventius sæviebat inimicus. Transita sunt superflua, perventum est ad necessaria. » Ne discedas a me, quoniam tribulatio proxima » est[8]! » Nihil tam proximum animæ suæ, quam caro sua. Fames, et sites, et æstus in carne sentis. Ibi te volo videre, Martyr bone! Testis Dei! Vide, inquit, vide! « Quis nos separabit a charitate Christi? » Quid est, quod minaris? Tollo victum, tollo tegumentum. « Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas[9]? » Minetur ex altera parte : Tollo amicum, occido charissimos tuos ante oculos tuos, conjugem et filios trucidabo! Occidis, occidis? Non negent, et non occidis. Quid est, quia non me terres de me, terres me de meis? Si non negaverint, meos non occidis; si negaverint, alienos occidis. Adhuc addat persecutor, et sæviat, et dicat : Si tuos non curas, te ipsum huic luci auferam. Huic luci? Numquid æternæ luci? Cui luci me auferes? Quam communem habeo et tecum? Non est magna, quam vides et tu. Ego pro hoc lumine non negabo lumen. » Erat lumen » verum[10]. » Novi, cui dicam : « Quoniam apud te fons » vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen[11]. » Tolle vitam, tolle lumen. Habebo vitam, habebo lumen. Habebo vitam, ubi te non patiar interfectorem, habebo lumen, quod mihi, non dicam tu, sed nec ulla nox possit auferre. Vicit Martyr, an aliquid aliud est, ubi majus certamen spectare debeamus? Non minatur mortem; sævit in salutem, exarat ungulis, excruciat tormentis, urit flammis, admovet bestias; et hic vincitur. Quare vincitur? « Quia in his omnibus supervincimus per eum, qui » dilexit nos[12]. »

VI. Ergo, fratres mei, non negetur Christus propter superflua, non negetur propter necessaria. Nullus ipso est magis necessarius. Necessaria dicebam : Salutem et Amicum. Peccas propter Salutem, et negas Christum. Amando Salutem non habebis Salutem. Peccas propter Amicum tuum, et, ne illum offendas, negas Christum. Heu me miserum! Aliquando erubescendo negatur. Non sævit persecutor, non expoliat deprædator, non incumbit tortor; tantum ne displiceas amico tuo, negas Dominum tuum. Video, quid tibi abstulerit amicus, ostende, quid dabit. Quid dabit? Ipsas amicitias, per quas pecces, per quas involvaris, per quas inimicus Dei efficiaris. Iste tibi amicus non esset, si tu tibi esses. Sed quoniam ipse inimicus es tibi, amicum putas inimicum tibi. Unde autem ipse inimicus es tibi? Quia amas iniquitatem. « Qui » autem amat iniquitatem, odit animam suam[13]. » Sed non negatur Christus ut amico impio et perverso placeatur, non negatur, sed ab impio vituperatur, ab impio accusatur, et a fideli erubescendo non defenditur, deseritur, tacetur, non prædicatur. Sævit lingua blasphemantis, et nulla est laudantis. Quanta mala committuntur quasi pro necessariis, pro victu, pro tegumento, pro salute, pro amico, et omnia ista, quæ appetuntur, magis pereunt! Si vero præsentia contempseris, dabit tibi Deus æterna. Contemne salutem, habebis immortalitatem. Contemne mortem, habebis vitam. Contemne honorem, habebis coronam. Contemne amicum hominem, habebis amicum Deum. Sed illic, ubi amicum habebis Deum, sine amico proximo non eris. Ibi tecum amici erunt, quorum facta et confessiones paulo ante legebantur (*b*).

VII. Audivimus Viros fortiter agentes, viriliter confitentes. Audivimus et Fœminas (*c*) non tanquam fœminas tenentes Christum, oblitas sexum. Ibi erit cum istis illa amicitia, ubi nulla erit carnis concupiscentia, et sola erit cum amicis ad fruendum sapientia. Ecce quid perdimus, si ea hic amaverimus, et Christum negaverimus! Proximus ibi nos non terret, si moriatur. Nullus ibi luctus, ubi æterna vita erit, nec illud necessarium est : « Victum et tegumentum habentes his contenti simus. » Vestis nostra immortalitas erit, cibus iste charitas erit, vita æterna erit, nec opera ibi bona, quæ ab his appellantur, faciemus. Ad ea non perveniemus, si hic ea non fecerimus. Non tibi dicetur : » Frange esurienti panem » tuum[14], » ubi fames non erit. Non tibi dicetur : Suscipe hospitio, ubi nullum invenies peregrinum. Non tibi dicetur : Libera oppressum, ubi nullus inimicus erit. Non tibi dicetur : Concorda litigiosum, ubi pax æterna erit. Videte, fratres mei, quomodo hic toleretur quærendo. Ibi eam habebimus, ubi perire non possumus. Salutem quæ-

[1] Luc. III, 11. — [2] II Cor. VIII, 9. — [3] Coloss. II, 3. — [4] Psal. LI, 4. — [5] I Tim. VI, 17-19. — [6] Luc. II, 14. — [7] I Tim. VI, 8. — [8] Psal. XXI, 12. — [9] Rom. VIII, 35. — [10] Joan. I, 9. — [11] Psal. XXXV, 10. — [12] Rom. VIII, 37. — [13] Psal. X, 6. — [14] Isai. LVIII, 7.

(*a*) Malo : *invenerunt*. — (*b*) Martyrum nempe Scillitanorum. — (*c*) In utrisque *Actis supra cit.* loquentes inducuntur.

ris? Contemne, et habebis. Negas Christum timendo offendere amicitias hominum. Confitere Christum, et amica tibi erit civitas Angelorum, civitas Patriarcharum, civitas Prophetarum, civitas Apostolorum, civitas omnium Martyrum, civitas omnium bonorum Fidelium. Christus ipse « Fundavit eam in æternum[1]. »

SERMO XVII.

In solemnitate SS. Machabæorum (a).

SYNOPSIS.

I. Effata Evangelica ad omnes ætates pertinent. II. Expositio Parabolæ de Turris fabrica, et de duobus Regibus. III. Adolescens dives cum Christo congressus. IV. Post Apostolos et Judæi conversi, et deinceps multi Christiani rebus suis renuntiarunt. V. Quomodo probanda Christo fides vel in quotidianis. VI. Ad probandam fidem excitare debent Promissa. VII. Machabæorum Certamen collatum profanis Spectaculis. VIII. Dehortatio a profanis Spectaculis. IX. Dehortatio continuata.

I. Evangelium, et verbum Dei vivum, medullas animæ penetrans, et cardinem cordis inquirens salubriter profertur omnibus nobis, nec quemquam palpat, si se homo non palpet. Ecce propositum est nobis velut speculum, in quo nos omnes aspiciamus, et, si quid de facie nostra forsitan maculosum occurrerit aspectibus nostris, cura sollicita detergamus, ne rursus inspecto speculo erubescamus. Turba enim Dominum sequebatur, sicut, Evangelium cum legeretur, audivimus, et conversus locutus est ad eos, qui eum sequebantur. Nam, si ea, quæ dixit, solis illis duodecim Apostolis loqueretur, poterat nunsquisque nostrum dicere ; Illis dixit, non nobis. Aliud videtur pertinere ad pastores, aliud ad greges. Sequentibus turbis dixit, ergo et nobis omnibus, et vobis omnibus dixit. Non, quia tunc nondum eramus, ideo nobis non esse dictum putare debemus. In illum enim et nos credimus, quem illi viderunt, illum nos fide tenemus, quem illi oculis conspexerunt. Neque enim oculis carnalibus videre Christum, magnum fuit. Si hoc magnum fuisset, Judæorum gens prima salutem invenisset. Certe enim et illi viderunt, et tamen contempserunt, et tamen visum et contemptum insuper occiderunt. Nos autem certe non vidimus, et tamen credimus, et tamen, quem oculis non conspeximus, corde suscepimus. Unde dixit cuidam suo, qui tunc erat inter duodecim : « Quia vidisti, credidisti. Beati, qui non vident, et credunt[2]. » Si enim modo præsens esset in carne Dominus et Salvator noster Jesus Christus, et stans taceret, quid nobis prodesset? Si autem loquendo profuit, et modo loquitur, cum Evangelium recitatur. Verumtamen et præsentia sua multa præstat, ut Deus. Ubi autem non est Deus, aut quando absens est Deus? Tu noli esse absens a Deo, et tecum est Deus. Maxime, quia ipse promisit, et promissum ejus conscriptum quodam modo chirographum detinemus. « Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi[3]. » Sed nos prævidebat, nobis promittebat.

II. Redeamus ergo, et audiamus quid dixit, et, sicut dixi, inspiciamus nos, et, quidquid nobis deesse invenerimus, ad formam pulchritudinis, quæ placet oculis ejus, tota diligentia excolamus. Et, quia nos non sufficimus, illum in adjutorium invocemus. Reformet, qui formavit, recreet, qui creavit, ut perfectos recondat, qui condidit. Hoc ergo dixit : « Quis est homo, qui vult » turrim ædificare, et non sedens primum computat, si » habet sumptus, unde perficiat? Ne forte incipiat ædi» ficare, et non impleat, et transeuntes homines dicant : » Ecce homo, qui cœpit ædificare, et non potuit perfi» cere. Aut quis est iterum Rex, qui vadit gerere contra » alium Regem bellum, et non prius considerat, utrum » sit idoneus cum decem millibus occurrere illi, qui ha» bet viginti millia? Alioquin, cum adhuc ille longe est, » mittit legatos quærens pacem. » Et ad istas duas similitudines conclusit ita : « Sic, qui non renuntiat omni» bus, quæ sunt ejus, non potest esse meus discipulus[4]. » Si soli illi Discipuli vocarentur, nobis non esset dictum. Quia vero, sicut Scriptura testatur, omnes Christiani discipuli Christi sunt : « Unus est enim, inquit, vester » magister Christus[5], » ille solus Christi se neget esse discipulum, qui Christum negat magistrum. Neque enim, quia de superiore isto loco loquimur vobis, ideo magistri vestri sumus. Ille est enim omnium magister, cujus cathedra est super omnes cœlos, sub illo in unam scholam convenimus, et vos et nos condiscipuli sumus ; sed monemus vos, quomodo solent majores scholæ. Turris, et sumptus, fides, et patientia. Turris fides, patientia sumptus sunt. Si quis impatiens fuerit ad toleranda mala mundi hujus, deficit sumptibus. Rex malus cum viginti millibus diabolus est, rex cum decem millibus Christianus est. Simplum contra duplum, veritas contra falsitatem, quia simplicitas contra duplicitatem. Esto simplici corde. Noli esse hypocrita, aliud ostentans, aliud agens, et vincis eum duplicem, qui transfigurat se velut Angelum lucis. Unde isti, ubi illi sumptus? Ubi perfecta illa simplicitas, et omnino stabilis, atque inconcussissime perseverans? In eo, quod sequitur, quod durum videtur. Hoc est, quod dixi, quia sermo Dei neminem palpat. « Sic, inquit, qui non renuntiat omnibus, quæ sunt » ejus, non potest meus esse discipulus. » Multi hoc fecerunt, et se ipsos examinaverunt (b), antequam tempus persecutionis urgeret, et renuntiaverunt omnibus, quæ sunt mundi, et secuti sunt Christum. Inde fuerunt Apostoli, qui dixerunt : « Ecce nos dimisimus omnia, et se» cuti sumus te[6]. » Nec ipsi magnum aliquid dimiserunt, quia omnes pauperes fuerunt, sed magnas prorsus dimisisse judicantur facultates, qui vicerunt omnes cupiditates.

III. Denique Discipuli tunc dixerunt hoc Domino, quando dives ille tristis abscessit, qui consilium vitæ æternæ, sicut petierat a Magistro veracissimo, audivit. Ipse enim venit ad Dominum dives quidam Adolescens, et ait illi : « Magister bone. Quid boni faciam, ut vitam » æternam consequar[7]? » Credo inter delicias affluentissimas divitiarum suarum pungebatur stimulo futuræ mortis, et contabescebat, et, quia nihil eorum, quæ possidebat, ad inferos secum portare poterat, sciebat, et inter magnas carnis copias inops anima gemebat. Dicebat, ut existimandum est, apud semetipsum circumfusus affluentia divitiarum suarum : Bona sunt, pulchra sunt, deliciosa sunt, dulcia sunt ; sed una hora illa novissima quando venerit, cuncta relinquenda sunt. Nihil eorum hinc auferendum est. Restat vita et sola conscien-

[1] Psal. xlvii, 9. — [2] Joan. xx, 29. — [3] Matth. xxviii, 20. — [4] Luc. xiv, 28-33. — [5] Matth. xxiii, 10. — [6] Luc. xviii, 28. — [7] Matth. xix, 16.

(a) In Codice *fol.* 40, *p.* 2. inscriptus *Sermo sancti Augustini ep. In Natale sanctorum Machabæorum*. Illustris Sermo post commentationem in *Luc.* xiv, 28, et *Matth.* xix, 28. animatisque ad perseverantiam Fidelibus in profana Spectacula invehitur. Habitus est ab Augustino Bullæ Regiæ rogatu Episcopi Civitatis. Prædicabat enim Noster, ut ait Possidius *Vitæ* c. 9. *non in una tantum regione, sed ubicumque rogatus venisset*. Inserendus Editioni post *Sermonem CCCI*. — (b) Ut puto, Librarii lapsus pro : *exinaniverunt*.

tia, restat post corpus animæ vita, et sola conscientia. Quæ, si erit (a), non jam vita, sed mors altera, pejorque dicenda est. Nihil enim pejus illa morte, ubi mors non moritur. Hoc ille quia inter suas delicias cogitabat, habens tanta bona venit ad Dominum. Dicebat enim sibi: Post ista tanta bona si habuero et vitam æternam, quid me felicius? Unde ergo sollicitus erat, interrogavit, et ait: « Magister bone, quid faciam, ut vitam æternam consequar? » Respondit ei Dominus primo: « Quid me » interrogas de bono? Nemo bonus, nisi unus Deus [1]. » Hoc est dicere: Non te facit beatum, nisi unus Deus. Quæ habent divites, bona sunt enim; sed illa bona non faciunt bonos. Nam, si illa bona fecissent bonos, tanto esset quisque melior, quanto esset his abundantior. Cum vero videamus multos quanto copiosiores, tanto pejores, sine dubio alia sunt quærenda bona, quæ faciunt bonos. Ipsa enim sunt, quæ non possunt haberi a malis: justitia, pietas, temperantia, religio, charitas. Dei cultus, ipse postremo Deus. Ad illum bonum concurrere debemus. Illum, nisi his contemptis, non assequemur.

IV. Ego vos palpem, quando Evangelium nec vos, nec nos palpat? Exhortor ergo Charitatem Vestram, fratres, sicut dicit Apostolus: « Tempus breve est. Reliquum est, inquit, ut, et qui habent uxores, tanquam » non habentes sint, et, qui flent, tanquam non flentes, » et, qui gaudent, tanquam non gaudentes, et, qui emunt, » tanquam non ementes, et, qui utuntur hoc mundo, » tanquam non utentes [2]. » Dimiserunt ergo Apostoli tunc ea, quæ habebant, et ideo Petrus dixit: « Ecce nos di» misimus omnia. » Quid dimisisti, Petre? Unam naviculam, et unum rete? Responderet mihi: Totum mundum dimisi, qui mihi nihil dimisi. Omnium paupertas, id est, omnium pauperum, parvas habet facultates, sed magnas habet cupiditates. Non attendit Deus, quid habeat, sed quid velit. Voluntas judicatur, quæ ab illo, qui non videtur, invisibiliter perscrutatur. Ergo omnia dimiserunt, et prorsus totum mundum dimiserunt, quia quidquid sperabant in hoc mundo amputaverunt, et eum, a quo factus est mundus, secuti sunt, ejus promissis crediderunt, et postea multi hoc fecerunt. Et mirum est, fratres mei, qui hoc fecit? Ipsi hoc fecerunt, qui Dominum occiderunt. Ibi in Jerusalem, cum Dominus ascendisset in cœlum, et post decem dies misso Spiritu sancto impleret promissum, impleti Spiritu sancto Discipuli linguis omnium gentium locuti sunt [3]. Tunc audientes multi Judæi, qui erant in Jerosolymis, et expavescentes donum gratiæ Salvatoris, cum mirarentur, et stupentes ambigerent inter se, unde illud esset, acceperunt responsum ab Apostolis, quod ille hoc præstiterit Spiritu suo, quem ipsi occiderunt, et consilium salutis quæsierunt. Desperaverant enim et non arbitrabantur posse sibi donari tantum scelus, qui Dominum universæ creaturæ occiderunt. Et acceperunt consolationem ab Apostolis. Promissa venia, promissa impunitate crediderunt, et omnia, quæ habebant, vendentes, pretia rerum suarum ad pedes Apostolorum posuerunt, quanto plus territi, tanto magis boni. Major timor extorsit delicias. Fecerunt hoc illi, qui Dominum occiderunt; fecerunt postea multi et faciunt multi. Novimus, exempla conspicimus, in multis consolamur, in multis delectamur, quia verbum Dei non vacat in eis, qui fideliter audiunt. Sed aliqui non fecerunt, et veniente persecutione probati sunt? Quia utebantur mundo « Tanquam non utentes. » Non plebeii solum, non quicumque opifices, non pauperes, non egeni, non mediocres, sed multi etiam magni divites, senatores, clarissimæ etiam fœminæ veniente persecutione omnibus suis renuntiaverunt, ut turrim perficerent, et simplicitate fortitudinis atque pietatis duplicem ac fallacem diabolum vincerent.

V. Exhortans ergo ad martyrium Dominus Christus omnibus dixit: « Sic, qui non renuntiat omnibus, quæ sunt » ejus, non potest esse meus discipulus. » Interrogo ergo te, o anima christiana! Si tibi dicam, quod dictum est diviti: « Vade, vende et tu omnia tua, et habebis the» saurum in cœlo, et veni, sequere » Christum [4], forte et tu tristis abscedes? Sic enim et ille juvenis tristis abscessit. Tamen ista verba non potest audire nisi Christianus. Numquid, quando lectum est Evangelium, potuisti tibi contra salutem tuam aures claudere? Audisti: « Qui non » renuntiat omnibus, quæ sunt ejus, non potest meus » esse discipulus. » Cogita apud te ipsum: Fidelis factus es, baptizatus es, credidisti. Facultates tuas non dimisisti, sed fidem tuam interrogo. Quomodo credidisti? Ecce venit periculum fidei. Dicitur tibi: Si persistis, tollo, quod habes. Animum tuum interrogo. Si dicis in animo tuo: Tollat, quod habeo, fidem non dimitto! et tenes, et renuntiasti. Quia tenes, non teneris. Non est enim malum tenere. Teneri est malum. Sed deest persecutio, et non est, quomodo probes, quod Domino promisisti? Negotia quotidiana probant homines. Quid si enim aliquando, nescio, quis te ad falsum testimonium vocet, et sit potens, qui possit timeri pro tempore, et, si fuerit comminatus, pro tempore possit nocere, et persuadeat tibi dicere falsum testimonium? Non tibi dicit: Nega Christum; ad hoc te enim tu præparabas. Alio modo subrepsit duplex ille, ad quod non meditabaris, quod tibi non proponebas. Dic, inquit, falsum testimonium. Si non dixeris, faciam hoc, et illud. Minatur proscriptionem, minatur mortem. Ibi te proba, ibi te attende. Dicis falsum testimonium? Dimisisti Christum, quia ipse dixit: « Ego sum veritas [5]. » Falsum testimonium dixisti, contra veritatem fecisti, ergo Christum dimisisti. Et quid tibi ille facturus erat minando proscriptionem? Inopem redditurum? Quid tibi deesset, cum quo Deus esset? Sed plus minabatur. Quid est ipsum plus? Occisurum te minabatur. Carnem. Numquid animam? Quid ille minabatur, attendis. Quid tu facias, non attendis? Ille carnem occidere comminatur. « Os » autem, quod mentitur, occidit animam [6]. » Duo estis, inimicus, et tu; tamen et ille homo, ut tu. Ambo corruptibiles secundum carnem, ambo immortales secundum animam, ambo pro tempore transitori, et in hac terra hospites et peregrini. Minatur ille mortem, nesciens, utrum ante moriatur, quam impleat, quod minatur; sed tamen puta, quia et, quod minatur, impleat; discutio vos, videamus, quis sit tibi pejor inimicus, utrum ille, an tu. Profert ille machæram ad occidendam carnem tuam, profers tu falsam linguam ad trucidandam animam tuam. Quis gladius (b) percussit? Quis pejus occidit? Quis interius penetravit? Ille usque ad ossa, ille usque ad viscera, tu usque ad cor. Nihil tibi integrum dimisisti, quando cor tuum perdidisti. « Os, quod men» titur, occidit, » dixit, non carnem, sed « Animam. »

VI. Talia sunt quotidiana tentamenta hominum. Quando ventum fuerit ad iniquitatem, ut aut facias iniquitatem, aut patiaris ea, quæ voluerit Deus pati pro tempore, ibi jam attende duplicem illum, ibi jam attende sumptus turris illius. Sed cogitando deficis. Invoca eum, qui jussit. Adjuvet jussa sua in te, et reddet tibi promissa sua ex se. Quid enim nobis promittit Deus? Fratres

[1] Matth. xix, 17. — [2] 1 Cor. vii, 29-31. — [3] Act. ii. — [4] Matth. xix, 2. — [5] Joan. xiv, 6. — [6] Sap. i, 11.

(a) Omnium videtur: mala. — (b) Videtur excidisse: fortius.

mei! Quid dicam, ut desideremus illud? Quid dicam? Aurum est? Argentum est? Prædia sunt? Honores sunt? Quidquid novimus in terra, est? Vile est. « Quod oculus » non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascen- » dit, quæ præparavit Deus diligentibus se[1]. » Breviter dico, non promissa sua, sed se. Major est omnibus, qui fecit omnia. Pulchrior est omnibus, qui formavit omnia. Potentior est omnibus, qui virtutem dedit omnibus. Quidquid ergo amamus in terra, in comparatione Dei nihil est. Parum est : Nihil est, quod amamus, et nos ipsi nihil sumus. Ipse amator in comparatione rei, quæ amanda est, vilescere sibi debet. Ipsa est illa charitas, quæ jubetur, « Ex toto corde, ex tota anima, et ex tota » mente. » Sed adjunxit, et ait : « Diliges proximum » tuum, tanquam te ipsum. In his duobus præceptis » tota Lex pendet et Prophetæ[2], » ut, cum tu dilexeris Dominum, scias quia tunc te diligis, si diligis Dominum. Si vero Deum non diligis, nec te ipsum diligis. Cum ergo te didiceris diligere diligendo Deum, rape proximum ad Deum, ut simul fruaris bono, et tanto bono, quod Deus est.

VII. Modo spectavimus magnum certamen septem Fratrum et Matris illorum. Quale certamen, fratres mei, si noverunt mentes nostræ spectare? Comparate huic sancto spectaculo voluptates et delicias theatrorum. Ibi oculi inquinantur; hic corda mundantur. Hic laudabilis est spectator, si fuerit imitator; ibi autem et spectator turpis est, et imitator infamis. Denique amo Martyres, specto Martyres. Quando leguntur Passiones Martyrum, specto. Dic mihi : Talis sis, et laudasti. Tu specta Mimum, specta Pantomimum; dicam tibi : Talis sis, et noli irasci. Si autem dico tibi : Talis sis, et irasceris, faciunt te reum non verba mea, sed iracundia tua. Irascendo judicas de te ipso. Ecce quod amas, quod esse formidas. Opportune de spectaculo sanctorum Machabæorum, quorum victoriæ memoriam hodie celebramus, de spectaculis theatricis admonenda visa est Charitas Vestra. O fratres Bullenses (*a*), circumquaque prope omnibus civitatibus vicinis vestri lascivia pietas obmutuit. Non erubescitis, quia apud vos solos remansit turpitudo venalis? An delectat vos, inter frumentum, vinum, oleum, animalia, pecora, et quæcumque in Romanis (*b*), vel nundinis venundantur, etiam turpitudinem emere, et vendere? Et fortassis ad talia commercia huc veniant peregrini, et dicitur : Quid quæris? Mimos, Meretrices? Bullæ habes. Gloriam putatis? Nescio, an sit major infamia. Omnino, fratres mei, ex dolore dico, vicinitas aliarum civitatum condemnat vos in conspectu hominum, et in judicio Dei. Quisquis vult malum imitari, vos proponit. Ad Hipponem nostram, ubi jam talis pene defecerunt, turpes istæ Personæ de vestra Civitate ducuntur. Sed forte dicitis : Nos Carthagini similes sumus. Quomodo apud Carthaginem est plebs sancta et religiosa, sic tanta turba est in magna civitate, ut se excusent omnes de aliis. Pagani faciunt, Judæi faciunt : potest dici Carthagine. Hic, quicumque faciunt, Christiani faciunt. Cum magno dolore vobis hæc dicimus. Utinam aliquando vestra correctione vulnus cordis nostri sanetur? Dicimus Charitati Vestræ : Novimus in nomine Dei Civitatem et vestram, et vicinas vobis, quanta est hic multitudo, quantus populus. Potestis nisi noti (*c*) omnes ei, qui vobis dispensator est constitutus Verbi, et Sacramenti? Quis excusat ab hac turpitudine? Ecce Ludi sunt. Non eant Christiani, et videamus, si non tanta erit solitudo, ut sibi erubescat ipsa turpitudo. Videamus, si non ipsæ personæ turpes aut ad Dominum convertentur, et liberabuntur, aut, si in sua turpitudine permanebunt, de ista Civitate migrabunt. Hoc vobis præstate vos, Christiani. Theatra nolite intrare.

VIII. Sed paucos vos video. Ecce veniet dies Passionis Christi, ecce veniet Pascha, et ista spatia multitudinem vestram non capient. Ergo ipsi hæc loca implebunt, qui modo Theatra implestis? Vel comparate loca, et contundite pectora? Dicitis fortasse : Bene vos ab istis abstinetis, qui Clerici estis, qui Episcopi estis; non autem nos Laïci. Ita-ne vero hæc vox justa vobis videtur? Quid enim sumus nos, si peritis vos? Aliud est, quod sumus propter nos; aliud, quod sumus propter vos. Christiani sumus propter nos, Clerici et Episcopi non nisi propter vos. Apostolus non Clericis, non Episcopis et Presbyteris loquebatur, quando dicebat : « Vos autem estis mem- » bra Christi. » Plebibus dicebat, Fidelibus dicebat, Christianis dicebat : « Vos autem estis membra Christi. » Attendite, in quo corpore membra estis; attendite, sub quo capite in una corporis compage vivatis. Videte unum Spiritum, quem ab illo accepistis. Ipsa replico verba Apostoli : « Tollens ergo membra Christi faciam membra » meretricis[3]? » Et Christiani nostri non solum diligunt, sed etiam instituunt meretrices? Non solum diligunt eas, quæ erant, sed instituunt eas, quæ non erant, quasi non et ipsæ animas habeant, quasi non et pro ipsis effusus est sanguis Christi, quasi non dictum sit : « Mere- » trices et Publicani præcedunt vos in regnum cœlo- » rum[4]? » Cum ergo debeamus ipsas lucrari, cum illis perire eligitur, et hoc a Christianis fit! Nolo dicere, et a Fidelibus. Catechumenus forte contemnit se. Catechumenus, inquit, sum. Catechumenus es? Catechumenus. Alia frons tua accepit Christi signum, et aliam tollis ad Theatrum? Ire vis? Muta frontem, et vade? Ergo frontem, quam non potes mutare, noli perdere? Nomen Dei super te invocatur, Christus super te invocatur, Deus super te invocatur, signum crucis Christi tibi in fronte depingitur, atque figitur. Omnes exhortor, omnes alloquor. Videbitis, quam honestiores eritis in nomine Domini nostri Jesu Christi.

IX. Audeo dicere : Vicinam civitatem vestram imitamini? Vicinam civitatem Simittu (*d*) imitamini? Nihil aliud vobis dico. Apertius vobis dico in nomine Domini Jesu Christi. Nemo ibi intrat in Theatrum. Nullus ibi turpis remansit. Legatus ibi voluit agere hujusmodi turpitudines. Nullus principalis, nullus plebeius intravit. Nullus Judæus intravit. Ipsi honesti non sunt? Illa Civitas non est? Illa Colonia non est tanto honestior, quanto istis rebus inanior? Hæc vobis non diceremus, si bona de vobis audiremus. Si autem tacuerimus, timeo, ne pariter judicemur. Voluit ergo Deus, fratres mei, ut transirem hac. Frater meus (*e*) tenuit me, jussit, rogavit, compulit, ut verbum vobis facerem. Unde facerem, nisi unde plus timeo? Unde facerem, nisi unde plus doleo? Nescitis me et nos omnes gravissimam rationem reddituros Deo de laudibus vestris (*f*)? Putatis, quod istæ laudes honorent nos? Onerant, non honorant. Valde

[1] 1 Cor. II, 9. — [2] Matth. XXII, 37-40. — [3] 1 Cor. VI, 15. — [4] Matth. XXI, 31.

(*a*) Bulla dicta *Regia* urbs Africæ inter Hipponem, et Carthaginem, Plin. L. V. c. 3. Ptolemæo Βοὔλλαρια, *Augustino* memorata L. VII. *de Bapt. contra Donat.* c. 24. et in Conc. Carthag. II, an. 390. et III, an. 397, et in *Notit. Provinc. et civit. Afr.* a quibusdam Victori Vit. tributa T. I *Opp. Sirmondi*. et T. VIII. *Bibl. PP. Lugd.* Putatur hodie urbs dicta Beja inter Tunetum et Constantinam. Confer *Baudrand Lexicon geogr.* et *Itiner. Antonini* edit. *Wesseling*, p. 43. — (*b*) An excidit : *foris*? — (*c*) Fortasse supplendum : *esse*. — (*d*) Simittuense oppidum *Plinio* L. V. c. 3. *Ptolemæo* Σιμισθου 8. mill. pass. a Bulla Regia. Inter Episcoporum Nomina apud *Vict. Vit. supra cit.* occurrit Ubulensus *Simmuensis*, et Florentius *Semsenensis*, quorum alterutrum huc pertinere arbitror. Confer Baluz. *Collect. Conc.* in notis ad *Collat. Carthag.* et *Baudrandi Lex. geogr.* et *Antonini Itiner.* supracit. — (*e*) Loci Episcopus. — (*f*) Quibus Augustinum advenientem excepisse videntur.

gravis de illis laudibus ratio redditur. Valde timeo, ne dicat nobis Christus in judicio suo : Mali servi, laudes populi mei libenter accipiebatis, et mortem ipsorum eis tacebatis. Præstabit autem Dominus Deus noster, ut de cætero bona de vobis audiamus, et in illius miseratione consolemur de vestra correptione. Tanto enim erit majus gaudium, quanto magna modo tristitia.

SERMO XVIII.

In Natali Quadrati Martyris (a).

SYNOPSIS.

I. Triplex ambulantium ad Deum genus. II. Pauli exemplum ambulantibus propositum. III. Aliud perfectus viator, aliud perfectus perventor, in Exemplo S. Quadrati. IV. Justitiæ nunc saltem tantum dandum, quantum antea immunditiæ. V. Imo plus dandum justitiæ, quam immunditiæ. VI. Idque deposito omni respectu humano. VII. Et præcipue erga Paganos Christianis insultantes.

I. PRÆSTITIT Dominus Deus noster, cui gratias simul agimus, ut videremus vos, et videremur a vobis. Et si hoc est, unde « Impletum est gaudio os nostrum, et lin» gua nostra exultatione[1], » quia vidimus invicem in carne mortali, quale erit gaudium nostrum, quando ibi nos videbimus, ubi nihil de nobis invicem timeamus? Apostolus dicit : « Spe gaudentes[2]. » Gaudium ergo nostrum, quod nunc est, in spe est, nondum in re. « Spes autem, » quæ videtur, non est, ait, spes. Quod enim videt » quis, quid sperat? Si autem, quod non videmus, spe» ramus, per patientiam expectamus[3]. » Si autem peregrinantes comites ad invicem gaudent in via, quale gaudium consequentur in patria? In hac via Martyres certaverunt, et certando ambulaverunt, ambulando non hæserunt. Ambulant enim, qui amant. Non enim ad Deum passibus, sed affectibus currimus. Via ergo nostra ambulantes quærit (b). Tria sunt hominum genera, quæ odit Deus : Remanentem, retro redeuntem, aberrantem. Ab his tribus generibus malis Domino adjuvante vindicetur, et defendatur gressus noster. Jam vero, cum ambulantes sumus, alius tardius ambulat, alius celerius; ambo tamen ambulant. Excitandi sunt ergo remanentes, retro redeuntes revocandi sunt, errantes in viam ducendi, tardi exhortandi, celeres imitandi. Qui non proficit, remansit in via. Qui forte a meliore proposito declinat ad id, quod deterius reliquerat, reversus est retro. Qui fidem deserit, a via aberravit. Cum tardis sit nobis, sed a celerioribus ratio, cum ambulantibus tamen.

II. Quis est, qui non proficit? Qui se putaverit esse sapientem, qui dixerit : Sufficit mihi, quod sum; qui non attendit eum, qui dixit : » Quæ retro oblitus, in ea quæ » ante sunt extentus, secundum intentionem sequor ad pal» mam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu[4]. » Currentem se dixit; sequentem se dixit. Non remansit, non retro respexit, absit ut erraverit, qui viam ipsam docebat, qui et tenebat, et ostendebat. Celeritatem autem ejus ut imitaremur, ait : « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi[5]. » Arbitramur ergo nos, fratres charissimi, in via vobiscum ambulare. Si tardi sumus, prævenite nos. Non invidemus, quærimus quos sequamur. Si autem nos existimatis celeriter ingredi, currite nobiscum. Unum est ad quod omnes festinamus, et qui tardius, et qui celerius ambulamus. Hoc ait ipse Apostolus. » Unum autem, quæ re» tro oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, secundum » intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei » in Christo Jesu. » Ordo verborum est : « Unum autem » sequor. » Ut autem hoc diceret, supra quid dixit? « Fratres, ego me ipsum non arbitror apprehendisse[6]. » Ecce, qui non remanet, qui non se arbitratur apprehendisse. Ecce, qui non vult (c) peregrinari; ecce, qui non hæret in via, ecce, qui gaudebit in patria. » Ego, inquit, » Quis ego? Qui plus omnibus illis laboravi[7]; » Et tamen, ubi ait : » Plus omnibus illis laboravi, » non dixit : » Ego me non arbitror apprehendisse. » Bene ibi » Ego, » ubi humilitatis locus est, non elationis. « Ego, inquit, » quantum ad me attinet, non me arbitror apprehen» disse. » Hoc ipse. Ubi autem ait : » Plus omnibus il» lis laboravi, » sequitur : » Non ego autem, sed gratia » Dei mecum. » Numquid Dei gratia non apprehendit? Merito ibi » Ego. » Non apprehendere enim nostræ infirmitatis est, apprehendere adjutorii est gratiæ divinæ, non infirmitatis humanæ. Quis ergo est, qui ostendat nobis? quis est, qui doceat nos? quis est, qui digne insinuet nobis, quomodo verum sit, quod tamen sine dubitatione verum est, non esse in nobis nostrum, nisi peccatum? Hoc noverit pietas, hoc in se accuset infirmitas, hoc sanari appetit charitas! « Non, quia jam acceperim, ait, aut jam » perfectus sim[8]. » Et tunc subjecit : « Fratres, ego me » ipsum non arbitror apprehendisse et cum exhortaretur ad currendum, et » Ad ea, quæ ante sunt, » cor extendendum, » Quotquot autem perfecti, ait, hoc sapia» mus[9]. » Supra dixerat : » Non quia jam acceperim, aut » jam perfectus sim; » et postea dicit : » Quotquot autem » perfecti, hoc sapiamus. » Et ipsum tam magnum Apostolum dixeras esse imperfectum; modo jam plures perfectos invenis, et dicis : » Quotquot autem perfecti, » hoc sapiamus. » Est ergo perfectio et perfectio.

III. Est perfectus viator, qui nondum perfectus est perventor. Perfectus viator bene accedit, bene ambulat, viam tenet, sed tamen viator, nondum apprehendit. Nam utique, si ambulat, et in via ambulat, alioque ambulat, et ad aliquid pervenire conatur. Quo ergo pervenire conabatur Apostolus, nondum apprehenderat. Et hortatur perfectos, ut sciant se nondum esse perfectos, scirent imperfectionem suam. Perfectio viatoris est, scire nondum se pervenisse ad id, quo tendit. Novit enim, quantum transgressus est, quantum illi remaneat. Sciamus ergo nos non esse perfectos, quotquot sumus perfecti, ne remaneamus imperfecti. Quid dicemus, fratres? Nonne perfectus Martyr Quadratus (d)? Quid quadrato perfectius. Paria sunt latera, undique æqualis est forma, quacumque verterit, statio est, non ruina. O nomen pulchrum demonstrans figuram, et indicans rem futuram. Jam Quadratus et antea vocabatur, et nondum co-

[1] Psal. cxxv, 2. — [2] Rom. xii, 12. — [3] Rom. viii, 24. 25. — [4] Philip. iii, 13, 14. — [5] 1 Cor. iv, 16. — [6] Philip. iii, 13. — [7] 1 Cor. xv, 10. — [8] Philip. iii, 12. — [9] Philip. iii 15

(a) In Codice *fol.* 67. inscriptus : *Sermo sancti Augustini ep.* De emendatione vitæ, et profectu ad Deum, cum laude S. Quadrati Mart. Ex ipso ingressu patet, hunc etiam Sermonem non Hippone, sed peregre habitum fuisse, ubi vero Quadrati Memoria posita fuerat, ego saltem dicere non possum. Sermonis meminit Possidius in *Indiculo Opp.* c. 9. qui Editioni post præcedentem asseri posset. — (b) Sequens Sententia ad verbum legitur Cod. Bibl. Palat. *theol.* XIX. inter Sermones spurios *ad Fratres in Eremo* Serm. 19 a Maurinis non edito. Itaque Sermo præsens notus fuit Impostori, qui spurios illos consarcinavit. — (c) Excidit fortasse : *lente*, aut *diu*. — (d) *S. Quadrati Memoria*, verba sunt God. Henschenii Act. SS. T. VI. Maii ad diem 26 p. 369. *post Usuardum Adonem, Notkerum, aliosque recentiores ita inserta est Martyrologio Romano* : In Africa S. Quadrati Martyris, in cujus solemnitate S. Augustinus sermonem habuit. *Addit Baronius ejus Sermonis mentionem fieri in* Indiculo Possidii *Utinam hic prodeat aliquando !* En en impletum optimi Senis votum.

ronabatur. Nondum in tentatione apparuerat, per quam esset ille quadratus, et tamen, quando vocabatur, prænuntiabatur prædestinatus ante mundi constitutionem, et ut hoc vocaretur, hoc in illo compatitur, ut impleretur, et tamen ambulabat, et tamen adhuc in via erat, et quandiu erat in hoc corpore, totum timebatur, et ne remaneret, et ne retro rediret, et ne exorbitaret. Nunc vero cucurrit, viam finivit, in solido stetit, coædificatus est ab artificæ arcæ dominicæ, quæ in figura jussa est ædificari de lignis quadratis[1]. Modo jam nullam tentationem timet. Audivit vocatorem, audivit illum et ille invocatorem, secutus est salvatorem, portat habitatorem (*a*). Contempsit mundum blandientem, vicit terrentem, evasit furentem. Magna est, fratres. Martyrum gloria, prima in Ecclesia. Quæcunque sunt aliæ, sequentes sunt. Non enim frustra dictum est quibusdam : « Nondum usque ad sanguinem adversus peccatum certastis[2]. » Quando tolerat, quando sustinet mundum sævientem, qui spernere non potest blandientem?

IV. Ait idem Apostolus : « Humanum dico propter » infirmitatem carnis vestræ. Sicut exhibuistis membra » vestra deservire immunditiæ ad iniquitatem, sic nunc » exhibete membra vestra deservire justitiæ in sanctifica» tionem[3]. » Magnum est valde, quod videtur hortatus. Metiatur se unusquisque in his verbis Apostoli. Non adulatorie palpet se, appendat se, et dicat sibi verum. Quid a me expectat audire? Ipse sibi dicat. Ego disposui speculum proponere, ubi se quisque attendat. Non sum ego speculi fulgor, qui faciem suam intuenti renuntiet. Facies enim illas dico modo, quas habemus intus. Ipsas per aurem convenire possum, videre non possum. Speculum sane propono. Attendat se unusquisque, et renuntiet sibi. Ipsa verba Apostoli, quæ commemoravi, indicem speculi accipite. « Humanum dico propter » infirmitatem carnis vestræ. Sicut exhibuistis membra » vestra deservire immunditiæ ad iniquitatem, sic nunc » exhibete membra vestra deservire justitiæ in sanctifica» tionem. » Quid est « Sic? » Sicut illud, ita et istud. Quando exhibebas membra tua arma iniquitatis peccato ad immunditiam, delectabat te? Interrogo. Attende, responde. Delectabat te? Audio respondentem, etiam tacentem. Non enim faceres, nisi delectaret. Sicut ergo exhibuisti membra tua deservire immunditiæ ad iniquitatem, et cum delectatione ista fecisti, ita delectet te aliquando justitia. Nolo, timore facias, dicit tibi Deus. Numquid enim illud timore faciebas? « Sic, inquit, sic. Sicut » exhibuistis membra vestra deservire immunditiæ ad » iniquitatem, sic nunc exhibete membra vestra deser» vire justitiæ ad sanctificationem. » Ad justitiam timore compelleris, ad immunditiam amore currebas. Quid pulchrius sapientia? Rogo vos. Digna est vel sic amari, quomodo amata est immunditia. Quando currebas ad immunditiam, probibebaris, et ibas. Patrem offendebas, et currebas. Paratus eras exhæredari, et ab illius pravitate non separari. Quid dicturus es? Hoc a te exigit justitia, quod de te habuit immunditia. Audistis Evangelium : « Non veni pacem mittere in terram, sed gladium[4]. » Dixit se separaturum filios a parentibus. Ergo attende illam machæram. Forte vis Deo servire, et pater prohibet? Quando immunditiam diligebas, etiam patre prohibente currebas. Modo te prohibet justitia amatorem suum. Invenisti et hic patrem prohibentem. Exere libertatem tuam, qui exeruisti tunc cupiditatem tuam. Paratus eras tunc exhæredari, et ab illius immunditiæ pravitate non separari. Paratus esto exhæredari, et a justitiæ pulchritudine non separari. Magnum est, sed justum est. Quis est, qui audeat dicere : Sed plus debuit amari immunditia, quam justitia? Interim justitia gradum tibi facit. Certe, inquit, dissimilis sum; certe plurimum distat inter illius immunditiæ tenebras, et lucem meam, inter illam pravitatem et pulchritudinem meam, inter illius decus et decus meum. Certe plurimum distat. Interim gradum pono. Sic volo. Nam plus debeo, plus omnino debeo. Quantum disto, tantum debeo. Sed « Huma» num dico, « humanum differo, quare divinum differo? « Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. » Ideo « Sic; » quia parco adhuc infirmitati. Ideo « Sicut » exhibuistis membra vestra deservire immunditiæ ad » iniquitatem, » sic nunc plus quidem debetis, sed saltem sic ambulate, ad hoc pervenite, sed et hinc transite. Interim « Humanum dico, » sed sicut illud, ita et hoc.

V. Numquid Quadratus sic? Non plane sic, sed plus, et digne plus. Attendite enim illas immunditias, et videte, quid de vobis plus exigat pietas et charitas, et justitiæ pulchritudo, et sanctificationis dulcedo. Quid de vobis plus exigat, attendite. Amator immunditiæ facta sua mala sciri non vult; timet, ne inde damnetur, timet inde carcerem, timet judicem, timet carnificem. Uxoris alienæ pudicitiam appetit, maritum fallit, tenebras quærit, conscium perhorrescit, judicem metuit, timet sciri, quia timet inde puniri. Jam vero illud, quod sibi exigit plus pulchritudo justitiæ quod interim distulit Apostolus, cum diceret : « Humanum dico propter infirmitatem » carnis vestræ, » audi hoc a Domino : « Quod dico » vobis in tenebris, » hoc est, in occulto : « Dicite in » luce, et quod in aure auditis, super tecta prædicate[5]. » Numquid prædicat super tectum adulter flagitium suum? Sed quare ille non solum non prædicat super tectum, sed quærit occultari tecto? Quare hoc ille? Quia tunc (*b*) usque potuit amor immunditiæ; timet enim detegi, timet puniri. Hi vero amatores illius invisibilis pulchritudinis, amatores illius decoris, ubi est ille « Speciosus » forma præ filiis hominum[6], » amatores ergo illius pul» chritudinis unde non timeant prædicare super tecta, quod in aure audierunt? Quære, unde timeat ille, ne cognoscatur et puniatur; quære, unde iste non timeat. Ipse Dominus secutus adjunxit. Cum enim dixisset : « Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et quod » in aure auditis, super tecta prædicate. Nolite, inquit, » timere eos, qui corpus occidunt[7]. » Ut, quæ auditis in » tenebris, in lumine dicatis; ut, quod in aure auditis, » super tecta prædicetis : Nolite timere eos, qui corpus » occidunt. » Timeat adulter eos, qui corpus occidunt. Cum enim adulter ille perdiderit corpus, voluptatum perdit officinam. Ille timeat perdere corpus, qui vivit ex corpore. Totum enim, quod concupiscit, per corpus operatur; ideo in illo voluptas (*c*) non sufficit, inardescit cupiditate, quoadusque perveniat ad corporis immundissimam voluptatem. Tu autem, Homo Dei! si habes oculos cordis, unde videas pulchritudinem charitatis, unde videas pulchritudinem pietatis; si habes oculos cordis, vide, unde fruaris amata tua. Ut enim ea fruaris, non membra corporis quæris. Timeat perimi corpus amator sordidæ voluptatis, sed « Pax in terra in homini» bus bonæ voluntatis[8]! »

VI. Quam longe es ab hoc amore, o Christiane! Utinam usque ad illum humanum pervenias, et cum delectatione bene facias, sicut ante cum delectatione peccabas. Si enim cum delectatione bene facis, si cum delectatione in Christum credis, si cum delectatione sapientia ejus

[1] Exod. xxvii, 1. — [2] Hebr. xii, 4. — [3] Rom. vi, 19. — [4] Matth. x, 34. — [5] Matth. x, 27. — [6] Psal. xliv, 3. — [7] Matth. x, 28. — [8] Luc. ii, 14.

(*a*) A Græcis acceptum, quibus vero Sancti, Piique Θεοφόροι, Χριστοφόροι. Vide Cotelerii *notas ad Epist. S. Ignatii martyris.* — (*b*) Fortasse : *huc.* — (*c*) Putem : *voluntas.*

pro tua capacitate perfruaris, si cum delectatione præceptum audis et facis, cœpit in te esse illud « Humanum » propter infirmitatem tuam, » Jam cœpisti habere bonum datum, sed necdum implesti Quadratum. Sed sicut dixi, si pervenisti, accede; adhuc via est. Noli remanere. Est adhuc, quod facias. Noli timere, et abscondere facta tua bona timendo. Reprehensores, exagitatores quid tibi dicunt? Magnus tu Apostolus! de cœlo tibi pendent pedes. Unde venis? Et times dicere: De Ecclesia; ne dicatur tibi: Non te pudet, Barbate, ire, quo eunt viduæ, et aniculæ? Ne audias, times dicere: In Ecclesia fui. Quomodo ferres persecutorem, qui horrescis insultatorem? Et certe tempus est pacis; illi erubescere debuerunt. Erubescunt tam multi, qui accesserunt, et non erubescunt tam pauci, qui remanserunt. Et hi accesserunt, quo? Illi autem remanserunt, ubi? Accesserunt hi ad lucem pacis; remanserunt illi in tenebris confusionis. Non erubescitis glorianda erubescere? Non erubescunt illi pudenda, et vos erubescitis glorianda! Et ubi est, quod audistis: « Accedite ad eum, et illuminamini, et vultus » vestri non erubescent[1]. »

VII. Hæc dixi, fratres mei, quoniam scio, et plurimum doleo, timeri linguas paucorum paganorum non sævientium, sed tantum insultantium, et teneri animos credere volentium, cum non acquiescunt in exhortationibus Christianorum. Et quid plura? Aut quid ego dicturus sum? Vides exagitari, nescio, quem paganum, ne fiat Christianus, et tu Christianus taces, pro magno habes, quia tibi parcit, id est, quia tibi non insultat. Quando illum deterret, dicis in corde tuo: Deo gratias! Nihil mihi dixit. Fugis non carne, sed mente. Ibi stas, et fugis. Times, ne in te lingua maledica convertatur, et non subvenis ei, quem debes Christo lucrifacere. Non subvenis, taces, ut dixi, non carne, sed mente fugis, mercenarius es, vides lupum venientem, et fugis[2]. Et quid plus ego dicturus sum? Modo audivimus omnes. Dominus terreat. Qui amandus est, ipse metuendus. « Qui me, inquit, confes» sus fuerit coram hominibus » (Et videte, quando ista dicebat? Quando mundus non credebat, sed fremebat) « Qui me confusus fuerit coram hominibus, confundam » eum coram Patre meo, qui in cœlis est. Qui autem me » confessus fuerit coram hominibus, confitebor illum et » ego coram Patre meo, qui in cœlis est[3]. » Vis negari a Christo, ac vis confiteri a Christo? Longe habebis insultatorem, quando tui Christum inveneris negatorem. Veniet, quod pollicetur. Qui tanta exhibuit, de solo die judicii fallax inveniretur? Absit. Habeant illi perfidiam suam, imo vero et ipsi careant perfidia sua, sed proponite vos illis ad confessionem imitandos, non ad silentium superandos. Illi enim, si invenerint Christianos fortiores infirmorum defensores assertione fidei, libertate confitendi, prudentia docendi, charitate instruendi, silebunt, credite. Quod enim dicant, non habent. Vox inanis est, « Cymbalum tinniens[4], » quod destitit in templis ipsorum, remansit in ore ipsorum.

SERMO XIX.

De verbis Apostoli 1 *Cor.* XII, *vers* 31. Supereminentem vobis viam demonstro, etc. (*a*).

SYNOPSIS.

I. Charitas major omnibus donis, quæ etiam haberi possunt absque ea. II. Prophetia sine Charitate in Saul, et ejus Satellitio. III. Prophetia sine Charitate in Caipha. IV. Fides sine Charitate in dæmonibus. V. Charitatis mutuæ exemplum in membris corporis humani. VI. In membris dignitas diversa, sed magis respicienda sanitas. VII. Donatistæ, membra ægra, præcisa. VIII. Damnatio Crispini, et anterior Donatistarum in causa Cæciliani et Majorini. IX. Ab Ecclesia præcisis patet exitium. X. Ecclesia toto orbe diffusa catholica est, vera est. XI. Donum linguarum primis credentibus datum significabat, Ecclesiam futuram παντογλωσσον. XII. Hortatur Donatistas ad reditum.

I. Bonum est loqui de Charitate eis, qui diligunt eam, qua bene diligitur, quidquid diligitur. Est enim secundum Apostolum in Charitate supereminentissima via. Modo legebatur. Audivimus. « Supereminentem, inquit, » vobis viam demonstro[5]. » Deinde narravit multa dona, et ea quidem præclara, nec parvi facienda; nihil tamen ea dixit prodesse hominibus, qui non habuerint Charitatem. In quibus donis commemoravit: Linguis loqui hominum et Angelorum, habere omnem Prophetiam, omnem scientiam, omnem fidem, ita ut montes transferat, distribuere omnia sua pauperibus, tradere corpus suum, ut ardeat[6]. Hæc omnia magna atque divina sunt; sed si in fundamento Charitatis collocentur, et de radice Charitatis exurgant. Fuisse autem ex his donis multa in multis, qui non habuerunt Charitatem, non auderemus dicere, nisi doceremur exemplis non quorumlibet hominum, et undecunque petitorum, sed de ipsis sanctis Scripturis, quibus quisquis non habuerit fidem, non potest habere Charitatem. Sed inter præcipua, quæ dicta sunt, magnum ibi apparet vel Prophetia, vel Fides. Quid ergo de cæteris? Si Prophetiam quisquis habens nihil ei prodest, si non habuerit Charitatem, et Fidem quisquis habens non potest pervenire ad regnum Dei, nisi habuerit Charitatem, quid de cæteris loquamur? Vel linguis loqui, quid est ad Prophetiam, et Fidem? Vel distribuere omnia sua pauperibus, quid est ad Prophetiam, et tradere corpus suum, ut ardeat? Plerumque hoc faciunt temerarii præcipites. Ergo illa ibi duo magna sunt, de quibus vere mirandum est, si invenire potuerimus aliquem hominem habere Prophetiam, et non habere Charitatem, aut habere Fidem, et non habere Charitatem.

II. De Prophetia exemplum nobis dat Regnorum liber. Saül persecutor erat sancti David[7]. Cum eum persequeretur, et mitteret satellites, qui eum arriperent ad pœnas, illi, qui missi erant, ut adducerent David occidendum, invenerunt eum inter Prophetas, ubi erat et Samuël sanctus Annæ sterilis filius, quem concipiendum a Domino petierat, a Domino acceperat, et natum Domino dederat. Eo ergo tempore erat Samuël, quo tempore erat David, præstantissimus ille Prophetarum, nam ab ipso unctus est David. Cum itaque persecutionem a Saule pateretur, confugit ad Samuëlem, sicut modo verbi gratia, qui forte foris aliquam persecutionem patitur, con-

[1] Psal. XXXIII, 6. — [2] Joan. X, 12. — [3] Matth. X, 32, 33. — [4] 1 Cor. XIII, 1. — [5] 1 Cor. XII, 31. — [6] 1 Cor. XIII, 1 3. — [7] 1 Reg. XIX.

(*a*) In Codice *fol.* 84. inscriptus: *Sermo sancti Augustini ep. De Charitate.* Tractatus egregius præcipue directus contra schismaticos Donatistas, cujus pars posterior historica est. Memorat Possidius in *Indiculo Opp.* c. 9 *De Charitate Tractatus duos.* Præsens Editionis inserendus post *Sermonem CLXII.*

fugit ad Ecclesiam. Ergo eo confugerat, ubi erat non solus Samuël præstantissimus omnium Prophetarum, sed etiam multi cæteri Prophetæ. Inter illos, cum essent prophetantes, venerunt missi a Saüle, qui eum, sicut dixi, ad mortem arriperent. Insiluit in illos Spiritus Dei, et cœperunt prophetare, qui venerant hominem sanctum et justum Dei ad gladium adducere, et eruere de medio Prophetarum. Repente impleti Spiritu Dei Prophetæ facti sunt. Fuerit hoc fortasse istorum innocentia; non enim sponte ad illum arripiendum venerant, sed a Rege suo missi erant. Et forte venerant quidem ad eum locum, ubi erat David, sed non erant facturi, quod jusserat Saul. Forte et ipsi remansuri erant. Nam et hodie contingunt hæc. Mittitur aliquando apparitor a magna Potestate rapere aliquem de Ecclesia. Non audet facere contra Deum, et ne et ipse incurrat gladium, remanet ibi, ubi missus erat, ut raperet. Dixerit ergo aliquis admirans, quod Prophetæ isti repente facti sunt, quia innocentes fuerunt, testimonium illis innocentiæ ipsa Prophetia perhibuit. Venerunt missi, sed facturi non erant, quod jusserat malus ille. Credamus hoc de istis. Missi sunt alii. Et in ipsos insiluit Spiritus Dei, et ipsi prophetare cœperunt. Et hos cum illa innocentiæ merito numeremus. Missi sunt tertii. Hoc et ipsis factum est. Fuerint omnes innocentes. Cum tardarent, et non fieret, quod Saul præceperat, venit et ipse. Numquid et ipse innocens? Numquid et ipse missus ab aliqua potestate, et non perversus propria voluntate? Et in illo (*a*) tamen insiluit Spiritus Dei, et prophetare cœpit. Ecce Saul prophetat habens Prophetiam, sed non habens Charitatem. Factum est Vas quoddam, quod ab Spiritu tangeretur, non quod ab Spiritu mundaretur.

III. Tangit enim aliqua corda ad prophetandum Spiritus Dei, nec tamen mundat. Et si tangit, et non mundat, forte inquinatur ipse Spiritus? Divinæ enim substantiæ est, omnia contingere, nusquam inquinari. Nec miremini, si lux ista, quæ de cœlo funditur, omnia ubique sparsa immunda contingit, nusquam de immundo fuscatur. Nec ista sola, quæ de cœlo, sed etiam illa, quæ de lucerna mittitur, contingit, quacumque duxeris lumen, et fortasse, quisquis per cloacam transeat, ipse, si tetigerit, polluitur; si autem fert lucernam, splendor lucernæ supra omnia transit, nusquam maculam contrahit. Si hoc potuit Deus donare corporalibus luminibus, ipse lumen verum, et æternum, et incommutabile potest alicubi coinquinari? Aut potest alicubi deesse lux Dei, de qua dictum est: « Attingit a fine usque ad finem fortiter, et » disponit omnia suaviter [1]? » Tangit ergo quod vult, et mundat quod vult. Non quodcumque tetigerit, mundat, sed, quod mundaverit, tangit. Saulem itaque persecutorem Dei Spiritus non mundavit, sed tamen ad prophetandum tetigit. Caiphas princeps Sacerdotum Christi persecutor erat, et tamen Prophetiam locutus est, quando ait: « Expedit ut unus homo moriatur, et non tota gens » pereat [2]. » Secutus Evangelista exposuit Prophetiam, et ait: « Hoc autem non a se dixit, sed, cum esset Ponti» fex, prophetavit [3]. » Prophetavit Caiphas, prophetavit Saul. Habebant Prophetiam, sed Charitatem non habebant. Numquid Charitatem habuit Caiphas, qui persequebatur Filium Dei, quem ad nos Charitas duxit? Numquid Charitatem habebat Saul, qui persequebatur eum, per cujus manum fuerat ab hostibus liberatus? Non solum invidus, sed et ingratus. Ergo probavimus posse esse in aliquo Prophetiam, et non esse Charitatem. Istis autem Prophetia prodesse non potest, secundum Apostolum. « Si Charitatem, inquit, non ha» beam, nihil sum [4]. » Non ait: Nihil est Prophetia, aut nihil est Fides; sed nihil sum ego, si non habuero Charitatem. Habens magna nihil est, quamvis magna habeat, nihil est. Ipsa enim magna, quæ habet, non habet ad adjutorium, sed habet ad judicium. Non magna habere magnum est, sed bene uti magnis magnum est. Non autem utitur bene, qui non habet Charitatem. Etenim non utitur bene aliqua re, nisi voluntas bona. Voluntas bona esse non potest, ubi Charitas non est.

IV. Quid de Fide? Invenimus aliquem habere et Fidem, et non habere Charitatem? Multi sunt, qui credunt, et non amant. Nec enumerandi sunt homines. Dæmones invenimus credidisse quod credimus, et non amare quod amamus. Nam, cum argueret apostolus Jacobus eos, qui sibi putabant sufficere, ut crederent, et nolebant bene vivere, quod non fit, nisi de Charitate; bona enim vita ad Charitatem pertinet, nec potest habens Charitatem male vivere, quia hoc ipsum bene vivere nihil est aliud, quam impleri Charitate. Cum ergo quidam jactarent se, quod credidissent in Deum, et nollent bene vivere, atque congruenter tantæ Fidei, quam perceperant, dæmonibus eos comparavit dicens: « Tu, » inquit, dicis, quia unus est Deus. Bene credis; sed et » dæmones credunt, et contremiscunt [5]. » Si ergo tantummodo credis, et non diligis, adhuc cum dæmonibus tibi commune est. Petrus dixit: « Tu es Filius Dei; et » dictum est illi: Beatus es, Simon Bar-Jona, quia non » revelavit tibi caro et sanguis, sed Pater meus, qui in » cœlis est [6]. » Invenimus et dæmones dixisse: « Quid » nobis et tibi est, Fili Dei [7]! » Filium Dei confitentur Apostoli. Filium Dei confitentur et dæmones. Confessio videtur par, dilectio dispar. Illi credunt, et amant, illi credunt et timent. Amor expectat præmium, timor pœnam. Ergo invenimus posse quemquam habere etiam Fidem, et non habere Charitatem. Nemo ergo se jactet de quocumque Ecclesiæ dono, si forte eminet in Ecclesia aliquo attributo sibi dono, sed videat utrum habeat Charitatem. Nam locutus est idem apostolus Paulus, et enumeravit multa dona Dei [8], in membris Christi, quæ est Ecclesia, et ait dona propria quibusque membris esse attributa, nec posse fieri ut omnes habeant unum donum. Nec quisquam tamen sine dono remanebit. Apostolus ait Prophetas, Doctores, Interpretatores, linguis locutores, habentes virtutes sanitatum, habentes adjutoria, gubernationes, genera linguarum. Dicta sunt hæc, et alia videmus in aliis, alia in aliis. Non ergo doleat aliquis, non sibi esse concessum quod videt alii concessum. Habeat Charitatem, non invideat habenti, et cum illo habet, quod non habet. Quidquid enim habuerit frater meus, si non invidero, et amavero, meum est. In me non habeo, sed in illo habeo. Non esset meum, si in uno corpore, et sub uno Capite non essemus.

V. Sinistra manus verbi gratia in corpore habet annulum, et dextra non habet. Numquid illa sine ornamento remansit? Respice singulas manus, et videbis unam habere, aliam non habere. Respice compagem corporis, cui hærent ambæ manus, et vide eam, quæ non habet, in illa habere, quæ habet. Oculi vident, qua eatur; pedes eunt, quo oculi prospiciunt. Nec pedes possunt videre, nec oculi ambulare. Sed respondet tibi pes: Habeo et ego lumen, sed non in me, sed in oculo. Non enim oculus sibi videt, et mihi non videt. Dicunt et oculi: Et nos ambulamus, non in nobis, sed in pedibus. Non enim pedes se ipsos portant, et nos non portant. Singula ergo membra singulis et propriis officiis distributa peragunt, quod imperat animus. Omnia tamen in uno corpore

[1] Sap. VIII, 1. — [2] Joan. XI, 50. — [3] Ibid. 51. — [4] 1 Cor. XIII, 2. — [5] Jacob. II, 19. — [6] Matth. XVI, 16, 17. — [7] Id. VIII, 29. — [8] 1 Cor. XII.

(*a*) Lego: *illum*, ut paulo ante: *in ipsos*.

constituta et unitatem tenentia nec arrogant sibi, quod altera membra habent, si forte illa membra non habent, nec putant esse a se alienum, quod in uno corpore similiter habent. Denique, fratres, si alicui membro corporis molestiarum aliquid accidat, quæ membra suum auxilium denegabunt? Quid tam extremum videtur in homine, quam pes? Et in ipso pede quid tam extremum, quam planta? Et in ipsa planta quid tam extremum, quam ipsa cutis, unde terra calcatur? Ita tamen hoc extremum universi corporis compage detinetur, ut, si in ipso loco spina calcetur, ad auxilium spinæ eruendæ omnia membra concurrant. Continuo complicantur poplites, curvatur spina, non illa, quæ hæsit, sed quæ totum dorsum continet, sedetur, ut spina eruatur; jam sedere, ut hoc fiat, totius corporis est. Quam exiguus locus in molestia est! Tantillus locus est, quantum spina pungere potuit, et tamen illius extremi, et exigui loci molestia a toto corpore non relinquitur. Cætera membra nihil dolent, et in illo uno loco omnia dolent. Ipse inde Apostolus dedit Charitatis exemplum, exhortans nos, ut ita nos diligamus invicem, quemadmodum se in corpore diligunt membra. « Si patiatur, inquit, unum membrum, compatiuntur et alia membra, et si glorificatur » unum membrum, congaudent omnia membra. Vos estis » corpus Christi et membra [1]. » Si se diligunt membra, quæ habent caput in terra, quomodo se debent membra diligere, quorum caput in cœlo est. Certe nec ipsa se diligunt, si a suo capite deseruntur. Cum vero illud caput ita sit caput, et ita exaltatum sit, et ita in cœlo ad dextram Patris collocatum, ut tamen laboret in terra, non in se, sed in membris suis, ita ut dicat in fine: « Esurivi, » sitivi, hospes fui; » quando ei dicetur: « Quando te » vidimus esurientem, et sitientem? » et tanquam respondeat: Ego caput in cœlo eram, sed in terra membra sitiebant, denique ait: « Cum uni ex minimis meis fecis» tis, mihi fecistis, » rursusque non facientibus: « Cum » uni ex minimis meis non fecistis, neque mihi fecistis [2], » huic capiti non nisi per Charitatem connectimur.

VI. Sic enim, fratres, singula membra in officiis suis videmus agere opus proprium, ut oculus videat, non autem operetur; manus autem operetur, non tamen videat; auris audiat, nec videat, nec operetur; lingua loquatur, nec audiat, nec videat, et cum sint singula suis officiis distincta atque discreta, una tamen compage corporis colligata habent aliquid commune in omnibus. Officia diversa sunt, sanitas una est. Hoc est ergo in membris Christi Charitas, quod est in membris corporis sanitas. Meliori loco positus est oculus, in eminenti, et tanquam ad consilium in arce constitutus, unde prospiciat, unde videat, unde ostendat. Honor magnus in oculis, et loco, et sensu ardentiore, et agilitate, et vi quadam, quam cætera membra non habent. Proinde plerumque homines per oculos suos jurant, quam per quodlibet alterum membrum. Nemo alicui dixit: Sic te diligo quomodo aures meas, et est aurium sensus oculis suppar, et proximus. Quid de cæteris dicam. Quotidie dicunt homines: Sic te diligo tanquam oculos meos. Et Apostolus significans majorem in oculis habere (*a*) dilectionem, quam in cæteris membris, cum se dilectum ab Ecclesia Dei diceret, ait: « Testimonium enim vobis perhibeo, quia, si fieri posset, » oculos vestros eruissetis, et dedissetis mihi [3]. » Nihil ergo in corpore sublimius oculis et honoratius, et nihil in corpore extremius fortasse, quam digitus minimus pedis. Cum ita sint, expedit tamen in corpore digitum esse, et sanum esse, quam oculum esse, et in perturbatione lippire. Sanitas enim, quæ communis est omnibus membris, pretiosior est officiis singulorum. Ita vides in Ecclesia hominem parvum aliquod donum habentem, et tamen habentem Charitatem; alterum eminentem forte in Ecclesia aliquo majore dono, et tamen non habentem Charitatem. Ille sit extremus digitus, ille sit oculus. Ille magis pertinet ad corporis compaginem (*b*), qui potuit obtinere sanitatem. Denique molestum est corpori cætero, quidquid ægrotarit in corpore, et dator quidem ab omnibus membris opera, ut sanetur, quod ægrotum est, et plerumque sanatur. Si autem sanatum non fuerit, et tantam putredinem conceperit, quæ sanari non possit, ita consulitur omnibus membris, ut de corporis compage perdatur.

VII. Fuerit ergo, nescio quis, Donatus, quasi oculus in corpore, fuerit; ita non scimus, qualis fuerit, sed prorsus talis fuerit, qualis dicitur, quid illi profuit excellentia honoris et gloriæ? Tenere non potuit sanitatem, quia non habuit Charitatem. Denique ita isti putrefacti sunt, ut necessario præciderentur, et quod se habere aliquos dicunt, vermes putredinis sunt. Præcisi vermes sunt, nec sanitatem possunt admittere. Etenim tandiu membrum admittit sanitatem, quandiu est de corpore non præcisum. De cæteris enim sanis manat sanitas ad vulneris locum; cum autem fuerit præcisum membrum, ubi vulnus est, qua, et unde ad illud sanitas veniat, non invenitur. Ideo et sarmentis præcisis comparantur, et concurrit cum apostolica lectione evangelica lectio. Et ibi enim Dominus, ut maneamus in illo, non nobis maxime commendavit nisi Charitatem: « Ego sum, inquit, » vitis, vos estis sarmenta, Pater meus est agricola. Sar» mentum omne, quod in me dat fructum, purgat illud, » ut magis fructum afferat; quod autem in me non dat » fructum, præcidet illud [4]. » Fructus de ipsa Charitate, quia non venit fructus nisi de radice. Dicit autem Apostolus: « Ut in Charitate radicati et fundati [5]. » Ibi est ergo radix, unde omnis fructus exurgit. Qui cœpit dissentire a radice, quamvis videatur aliquantum manere, aut præcisus est latenter, aut aperte etiam præcidendus; fructum enim afferre nullo pacto potest. Illi erant aliquando in unitate. Præcisi sunt. Unde præcisi sunt? Ab unitate. Sed vos estis, inquiunt, præcisi. Quid facimus? Ego dico: Vos estis præcisi. Vos dicitis: Vos estis præcisi. Judicet Deus. Distulimus itaque quæstionem, et ad judicium Dei misimus? Non plane. In multis rebus facimus hoc, ubi nondum apparet sententia Dei. Ubi autem apparet, utamur, non differamus. Scripturam profero, et video, quis unde præcisus sit. Si enim Scriptura testimonium perhibuit Parti Donati, alicui Ecclesiæ in terrarum aliqua parte constitutæ, sicut in parte Africæ constituta est Pars Donati, dicant nos præcisos, et dicant se esse radicatos. Si autem Scriptura testimonium non perhibet nisi Ecclesiæ, toto orbe diffusæ, quid quærimus litis nostræ judicem hominem? Deum habemus. Nondum præsidet in judicio, jam præsidet in Evangelio.

VIII. Judicatus est modo Crispinus hæreticus (*c*). Sed quid ait? Numquid evangelica sententia superatus sum? Inde se asserens victum non esse, quia Proconsul contra illum judicavit, non Christus. Si ergo judicium hominis parvi pendit, quare a Proconsule ad Imperatorem appellavit? Ipsius Proconsulis judicium ipse flagitavit, ipse dixit: Audi me. Non sum hæreticus. Cujus judicium flagitasti ejus judicium displicet tibi? Quare? Quia contra te judicavit? Si pro te judicaret, bene judicaret. Quia con-

[1] 1 Cor. xii, 26. — [2] Matth. xxv, 35-45. — [3] Galat. iv, 15 — [4] Joan. xv, 1, 2. — [5] Ephes. iii, 17.

(*a*) Melius: *haberi*. — (*b*) Pro *compagem*, ut Ovid. Cels. Seneca, Plin. etc. — (*c*) Anno 404. Vide Augustini *Vitæ* L. V, c. 11. T. XI. edit. *Maur. col.* 159. ipsumque Augustinum variis locis.

tra te judicavit, male judicavit. Antequam judicaret, bonus judex erat, cui dixisti: Non sum hæreticus. Audi me. Sed judicavit Proconsul, inquit, secundum leges Imperatorum, non secundum leges Evangelii. Ita fecerit, secundum leges Imperatorum Proconsul judicaverit. Si ergo male contra te judicant Imperatores, quare a Proconsule ad eorum judicium provocasti? Jam erant leges Imperatorum contra te, an nondum erant? Si nondum erant, non secundum ipsas Proconsul judicavit. Si jam erant, numquid pro te Imperatores contra leges suas judicaturi sunt? Deinde quæro abs te: Ipsæ leges Imperatorum quæ sunt contra te? Quid factum est? doce me! Manifestum est enim, et non negatur, multas Imperatorum leges esse adversus ipsos. Unde hoc contigit? Unde hoc factum est? Nos forte persecuti sumus, et multa mala Imperatoribus de vobis diximus? Hoc quidem dicunt his, quos miseros decipiunt imperitos. Causam enim, quemadmodum illo tempore gesta est, penitus occultant eis, quos decipere volunt. Sed, quantumlibet occultent, eruitur, patescit, publicatur, in notitiam profertur etiam invitorum, et recusantium. Claudentes oculos, ac nolentes lucem videre ipsa lux feriat. Non eis liceat dissimulare manifesta! Non eis liceat averti a patentibus! Non eis liceat aperta operire! Urgeam eos manifesta veritate. Vos Imperatoris judicium flagitastis. Mentimini! inquit. Extant chartæ publicæ (a). Ipsi Donatistæ de Parte Majorini, qui prior ordinatus est, contra Cæcilianum adierunt Proconsulem tunc Anullinum (b), et detulerunt libellos accusatorios de nomine Cæciliani, et in aluta (c) signatos, dicentes, sed adversus Cæcilianum crimina (d) quæ illo libello scripsissent, et rogantes, ut ipsam accusationem eorum mitteret ad comitatum (e) Imperatori. Extat relatio Anullini Proconsulis scribentis ad Imperatorem Constantinum: quod homines de Parte Majorini venerint ad illum cum libellis de accusatione Cæciliani, rogantes ut eosdem libellos mitteret Imperatori, et se dicit fecisse, quod illi rogaverunt. Scripsit Imperator ad Meltiadem (f) episcopum et Marcum, transferens ad illos causam ecclesiasticam, et removens a se. In eisdem litteris scribit Imperator: misisse se chartas missas ab Anullino, et in ipsis litteris ignorat (g), quæ illæ chartæ sint, sed in relatione Anullini cognoscitur, quæ hodie publicis codicibus continentur. Deinde scribit idem Constantinus ad Anullinum, ut partes Romam dirigat ad episcopale judicium. Refert etiam Anullinus in extremo: misisse se partes. Vos ergo istis ad Imperatorem, vos causam Ecclesiæ ad humanam potestatem detulistis. Ille melior, quam vos. Vos enim ad Imperatorem deferebatis, ille ad Episcopos. Dicta est causa in episcopali judicio illis primo accusantibus. Prolata est sententia pro Cæciliano. Illi non contenti judicio ecclesiastico murmurare cœperunt, rursus eumdem Imperatorem adierunt, post episcopale judicium quærentes imperiale judicium. Dedit alterum ecclesiasticum apud Arelatum (h). Ab ipso etiam judicio illi ad ipsum Imperatorem appellaverunt. Victus importunitate eorum voluit et ipse causam suscipere, atque cognoscere. Suscepit, cognovit, Cæcilianum innocentissimum judicavit, etiam omnes jussiones Imperatorum contra illos. Quid mirum? Cujus judicium flagitasti, ejus sententiam recusare audes? Quare ad illum voluisti deferre judicium? Habebas Ecclesiam in Africa, non habebas in toto orbe terrarum? Sed quo ibant, unde se jam ipsi præciderant? Illi jam in Ecclesia non hærebant, sed Imperator ibi hærebat, ad quem judicium referebatur. Proinde ille mansuetissime Episcopos voluit judicare, et illis postea cessit, ut etiam ipse judicaret. Inde sunt leges adversus vos; videte, si non contra vos. Primo vos ipsi fuistis, vos primi accusatores, vos extremi appellatores, vos novissimi murmuratores. Numquid tamen, inquit, ex Evangelio superatus sum? Ex eo judicio superatus es, quod tu ipse delegisti.

IX. Sed non recusamus evangelicam sententiam. Plane, etsi non diceret, nos legeremus, nos erueremus, nos ostenderemus. Recitetur Evangelium? Videamus, ubi esse dicit Ecclesiam Dominus Jesus Christus. Illi certe et aures nostræ, et corda patere debent. Ipsum audiamus. Dicat nobis, Ecclesia ubi sit. Si in Africa esse dixerit Ecclesiam suam, omnes confluamus in Partem Donati. Si in toto terrarum orbe dixerit Ecclesiam suam, redeant ad corpus membra præcisa. Non enim sic fracti sunt rami, ut denuo inseri non possint. Habes apostolum Paulum dicentem. « Sed dicis: Fracti sunt rami, ut ego » inserar. Bene. Propter incredulitatem fracti sunt; tu « autem fide stas. Noli altum sapere, sed time. Nam, si » Deus naturalibus ramis non pepercit, neque tibi par« cet[1]. « Fracti enim erant Judæi, tanquam rami naturales, et insertæ erant Gentes, tanquam oleaster in olivam. Ex his insertis ramis, at ex hoc inserto oleastro omnes sumus participes olivæ. Sed, sicut minatus erat Apostolus superbientibus ramis oleastri, tales isti facti sunt superbiendo, ut cum illis naturalibus ante amputatis, et ipsi superbia præcidi mererentur. Sed quid ait Apostolus? « Et illi, inquit, si non permanserint in in» fidelitate, inserentur[2], » et tu, si non permanseris in fide, excideris. Nemo ergo in vite superbiat, nemo præter vitem desperet. Si superbis in vite, observa, ne præcidaris. Si præter vitem positi sunt, non desperent, audeant inseri. Non enim manu sua inserendi sunt. Ait enim: « Potens est Deus iterum inserere illos[3]. « Non dicant: Unde fieri potest, res præcisa, ramus fractus ut denuo inseratur? Recte dicis fieri non posse, si interroges humanam facultatem, non, si interroges divinam majestatem. Quid enim? Quod jam factum est a Domino, facere potest aliquis agricolarum? Oleastrum tulit, et in olivam inseruit, et oleaster in olivam insertus non baccas amaras, sed olivam dedit. Faciat hoc modo aliquis; inserat oleastrum in olivam, videbit nihil procedere, nisi baccas oleastri. Potens ergo fuit Deus non olivam in oleastro, sed oleastrum inserere in oliva, et oleastrum facere participem pinguedinis olivæ, ut exuta amaritudine pinguedine indueretur, et non erit potens te præcisum per superbiam inserere per humilitatem? Bene, inquit, hortaris me, sed prius me ostende præcisum, ne forte te ipsum hortari debeas, ut ad me venias, non me, ut in te inserar. Audeo dicere: Audi me, et tamen timeo dicere: Audi me. Timeo enim, ne contemnat hominem. Imo hortor, ut contemnat hominem. Si enim contemneret hominem, non esset de Parte Donati. Homo enim fuit Donatus. Ergo, si nostra verba dicimus, contemnamur; si Christi verba dicimus, ille audiatur, qui

[1] Rom. XI, 19-21. — [2] Ibid. 23. — [3] Ibid.

(a) Anterioris videlicet causæ sub Constantino M. inter Majorinum et Cæcilianum. Vide *Epist. Cleri Hippon.* inter Augustinianas LXXXVIII. edit. *Maur.* T. II. *col.* 213. ipsumque S. Patrem non uno loco.— (b) *Anulinum* scribunt Maurini, et rectius fortasse, quamvis in Ant. Pagi *Dissert. Hypat.* ad an. Chr. 199. P. Corn. *Anullinum*, ad an. vero 216 Sex. Corn. *Anullinum* habeamus Coss. — (c) Tenuior pellicula, membranæ instar, ut videtur, qua obvolvebantur Libelli supplices. Occurrit etiam in *Epistola Cleri suprascr.* — (d) Videtur omissum: *habere*. — (e) Id est, ad *Palatium*. Adi *Ducang. Gloss.* h. v. — (f) Melchiadem, Miltiadem Pont. Rom. Quis vero *Marcus* additus? An ille, qui deinceps a Melchiade secundus Pontificatum gessit? An unus e tribus Episcopis Gallicis judicio illi adjunctis? — (g) Putem: *ignoratur*, et paulo post *continetur*. — (h) Anno 314. altero post damnationem Romanam.

non gratis auditur, et non gratis contemnitur. Auditur enim ad præmium, non auditur ad supplicium. Ipsum audiamus. Ipse Dominus dicat nobis.

X. Ecclesiam innumerabilibus locis ostendit, sed tamen commemorem unum aliquod. Post resurrectionem, nostis, fratres, ostendit se Discipulis suis, cicatrices demonstravit, palpandum præbuit, non solum videndum. Illi autem tenentes, et palpantes, et agnoscentes, adhuc tamen præ gaudio hæsitabant, sicut Evangelium nos docet, cui oportet credere, cui nefas est non credere. Dominus autem adhuc hæsitantibus præ gaudio, et dubitantibus intulit firmitatem de Scripturis, et ait : « Hæc » dicebam vobis, cum adhuc essem vobiscum, quia » oportet impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege, et » Prophetis, et Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, » ut intelligerent Scripturas, et dixit eis : Quia sic opor- » tebat Christum pati, et resurgere tertia die, et prædi- » cari in nomine ejus pœnitentiam, et remissionem pec- » catorum per omnes gentes incipientibus ab Jerusalem[1]. » Ibi tu non es. Ibi ego sum. Quid expectas hominem, qui de te judicet de tribunali? Audi Christum de Evangelio. « Per omnes gentes, inquit, incipientibus ab Je- » rusalem. » Tu ibi es? Communicas omnibus gentibus? Communicas ei Ecclesiæ, quæ diffusa est per omnes gentes incipiens ab Jerusalem? Si communicas, ibi es, in vite es, præcisus non es. Ipsa est enim vitis, quæ crevit, et implevit totum orbem terrarum, corpus Christi, Ecclesia Christi, cujus caput in cœlo. Si autem non communicas, nisi Afris, et de Africa, quo potueris, clanculo mittis, qui consolentur peregrinos, non te invenis in Parte remansisse, a Toto præcisum esse? Quid dixisti in judicio Proconsulis? Catholicus sum. Vox est ipsius. De Gestis recitatur. Catholicus Totum tene. « Holon (a) enim Totum est, et inde appellata est Ecclesia catholica, quia per Totum est. Numquid Catamerica dicta est, et non Catholica? « Meros » enim pars est, « Holon » totum est. De græco verbo dicta est Catholica, secundum totum. Ergo communicas Universo? Non, inquit. Ergo in parte es, quomodo Catholicus es? Multum interest inter Totum, et Partem. Unde accipit nomen Catholica? Tu enim accepisti nomen de Parte Donati, Catholica nomen accepit ab universo orbe terrarum. Sed nos dicimus in universo esse, et Deus forte non dicit? Evangelium commemoravi, ex Evangelio recitavi. « Per omnes » gentes, inquit, incipientibus ab Jerusalem. » Non inde venit ad Africam? Si enim cœpit ab Jerusalem, implendo omnia venit ad te, non siccando. Quis est, qui dicat : Ductus est rivus de fonte, ut veniret ad me, siccavit (b) in via, et pervenit ad me? Si in via siccavit, ad te qua pervenit? Utique implendo omnia pervenit ad te. Ingrate rive, quare fontem blasphemas? Nisi manaret, non implereris. Sed timeo, ne tu siccaveris. Etenim omnis rivus a fonte præcisus siccet, necesse est. De siccitate aspera loquuntur adversus Ecclesiam; lenia loquerentur, si rigarentur. Catholicus sum. Quid est Catholicus? Homo de Numidia? Interroga saltem Græcos. Non est utique Catholicus verbum Punicum, sed verbum Græcum. Interpretem quære. Merito erras in lingua, qui non consentis omnibus linguis.

XI. Spiritus quando venit de cœlo, et implevit eos, qui in Christum crediderant, omnibus linguis locuti sunt, et hoc erat signum illo tempore accepisse Spiritum sanctum, si quis linguis omnium loqueretur[2]. Numquid modo fidelibus non datur Spiritus sanctus? Absit ut hoc credamus, alioquin spem non habebimus. Et illi utique fatentur dari fidelibus Spiritum sanctum, et nos hoc dicimus, hoc credimus, hoc maxime, et in sola Ecclesia catholica fieri assequamur (c). Sed illi sint Catholici, illic datur Spiritus sanctus. Nos simus Catholici, hic datur Spiritus sanctus; modo, quid intersit, non quæramus, qui sint Catholici; manifestum est, quia datur Spiritus sanctus. Quare modo linguis omnium non loquuntur, qui Spiritum sanctum accipiunt, nisi, quia tunc in paucis figurabatur, quod postea in omnibus ostenderetur? Quid enim pronuntiavit Spiritus sanctus commonens (d) corda eorum, quos tunc impleverat, et docens eos linguas omnes? Vix discit homo duas aut tres, aut per magistros, aut per regiones, in quibus versatur aliqua consuetudine, ut multum tres, aut quatuor linguas. Omnibus linguis loquebantur, qui impleti a sancto Spiritu erant, verum et locuti repente, non paulatim discentes. Quid ergo tunc ostendebat Spiritus? Dic mihi, quare modo hoc non facit, nisi quia aliquid significando faciebat? Quid significabat, nisi Evangelium per omnes linguas futurum? Audeo dicere. Et modo loquitur Ecclesia omnibus linguis. In omnibus enim linguis clamat Evangelium, et quod modo dicebam de membris, hoc dico et de linguis. Et quomodo dicit oculus : Mihi ambulat pes, sic et pes dicit : Mihi videt oculus, sic et ego dico : Lingua mea est Græca, lingua mea est Hebræa, lingua mea est Syra. Omnes enim una fides tenet, omnes enim una charitatis compago concludit. Quod per Dominum demonstratum est, hoc per Prophetas ante prædictum est. « In omnem terram exivit » sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum[3]. » Ecce quousque crevit Ecclesia, quæ appellatur a Toto Catholica. Et vide, quia omnes linguæ ierunt per omnes terras. « Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum » non audiantur voces eorum[4]. »

XII. Hanc ergo Ecclesiam teneo, tu illam non tenes. Si ergo præcisus es, agnosce, unde præcisus es. Redi, et inserere, ne arescas, et in ignem mittaris. Loquuntur Prophetæ, loquuntur Apostoli, loquitur Dominus de Ecclesia toto orbe diffusa. Contra te dicunt omnes isti sententiam. A Proconsule ad imperiale Judicium. Ab Evangelio quo? An forte ad Donatum? Donatus judicabit contra Christum? An Donatum judicat Christus? Quid tibi dicturus est Donatus? Ego Christum meum prædicavi de Africa. Quid dicturus? An : Me pro Christo opposui, et : Ego Christo successi? Hoc restat, ut dicat, quia a corpore præcidere ausus est homines, quia Christo successit. Ecce Christi sententia, ecce Evangelia. « Per omnes gentes, inquit, incipiens ab Je- » rusalem. » Cœpit ab Jerusalem. Ibi venit Spiritus sanctus, ibi erant Apostoli, quando in illos supervenit, inde cœpit Evangelium prædicari, inde diffundi per omnes gentes, inde postea venit in Africam. Quo postea venit? Ipsos deseruit? Imo non deseruit, si nolint. Nam et nos Afri sumus. Utique Evangelium, quod venit in Africam, manet hic in Catholicis Afris, quo modo in omnibus gentibus manet. Nam et per omnes gentes sunt Hæretici, alii ibi, alii hic, et non sunt nati (e) Afri, qui sunt in illis gentibus. De vite præcisi sunt. Catholica enim novit omnes, ipsi se non noverunt. Etenim vitis, unde sarmenta præcisa sunt, novit omnia sarmenta, et, quæ in se manent, et quæ de se præcisa

[1] Luc. xxiv, 44-47. — [2] Act. ii, 4 et xix. — [3] Psal. xviii, 5. — [4] Ibid. 4.

(a) Ὅλον. Et mox Μέρος. Inde, ut Καθολικὴ, formatum Καταμερικὴ. — (b) Neutrum verbum, ut apud Caton. de Re rust. *Ubi pluerit, et siccaverit.* — (c) Ita membrana, sed rescribo : *attestamur.* — (d) Puto : *commonens.* — (e) Membranæ prave : *nati.* Fortasse, quia sequitur : *novit, noverunt.*

sunt. Etenim ubique diffusa est Ecclesia catholica. Illa sarmenta, ubi præcisa sunt, ibi remanserunt, ad alias partes, et alias partes pervenire non potuerunt. Illa autem ubique diffusa ubique tenet suos, ubique plangit præcisos. Clamat ad omnes, ut revertantur, et inserantur. Clamor ejus non auditur, sed tamen ubera Charitatis manare exhortatione non quiescunt. Sollicita est pro præcisis, clamat in Africa ad Donatistas, clamat in Oriente adversus Arrianos, adversus Photinianos, adversus alios, atque alios. Quia enim ubique diffusa est, ubique invenit, contra quos clamet, quia in illa erant, et de illa præcisa sunt. Sarmenta cœperunt infructuosa esse, et præcisa sunt. Si non permaneant in infidelitate rursus inserentur. Hæc audite, fratres, cum timore, ne superbiatis; cum Charitate, ut etiam pro illis oretis. Conversi ad Dominum, etc.

SERMO XX.

De verbis Psalmi XXXVIII, *vers.* 1-5. Dixi : Custodiam vias meas, etc. (*a*).

SYNOPSIS.

I. Sollicitudo de profectu quotidiano, et inde divini auxilii imploratio. II. Usus Linguæ tam necessarius, quam periculosus. III. Lingua regitur ab animo. IV. Lingua dolosa Judæorum confusa. V. Linguæ bonus usus in muliere adultera. VI. Adulteræ confessio nobis instructio. VII. Quomodo agendum cum conviciatore. VIII. Conviciatoribus ignoscendum, et pro eis orandum. IX. Inquiritur in finem Hominis. X. Finis hominis Christus est. XI. Fide et operibus hic finis attingitur. XII. Scopus tentationum, et quomodo in iis versandum. XIII. Dictorum Repetitio.

I. Christianorum est, quotidie in Deum proficere, et de Deo, vel de donis ejus semper gaudere. Peregrinationis enim nostræ tempus brevissimum est, et Patria nostra sine tempore est. Inter æternitatem enim et tempus multum distat. Hic conquiritur pietas, illic requiescitur. Inde quotidianis diebus, quasi boni negotiatores, noverimus, quid profecerimus. Non tantum enim studiosi esse debemus in audiendo, sed vigilantes in operando. Hæc schola, in qua Deus solus magister est, bonos quærit discipulos, non fugitivos, sed studiosos. Apostolus dicit : « Studio non pigri, spiritu ferventes, spe gaudentes[1]. » In hac ergo schola, fratres, quotidie discimus. Aliud discimus in præceptis, aliud in exemplis, aliud in sacramentis. Sunt ista medicamenta vulnerum nostrorum, et fomenta studiorum nostrorum. Modo respondimus : « Exaudi orationem meam, et precem meam, » Domine! Inaurire (*b*), » hoc est : « Auribus percipe » lacrymas meas[2]. » Quid putas, iste petiturus est, qui primo sibimet Deum cupit propitium esse? Quid ab illo expetiturus est? Videamus, discamus. Forte divitias petiturus, forte in hac vita aliquam felicitatem? Dicat ergo nobis, quid petiturus est, qui primo Deum deprecatur. Vidit enim, quod ex se habere non potuit, sed a Deo habere potuit. Audierat enim : « Petite, et accipietis[3]. » Noverat ergo, quid esset petiturus, qui primo Deum rogavit. Ergo « Exaudi, Deus, orationem meam! » Et quasi interrogatus : Quid vis, quid pulsas, quid clamas, quid interpellas? Audiam. Quid vis? Quid volo? ait. Audi voluntatem meam, et perfice opera tua. Quæ est voluntas mea? « Dixi : Custodiam vias meas, ut non delinquam in » lingua mea[4]. » Arduam rem iste disponit, sed non dubitat, quoniam primo Dominum deprecatus est. Noverat enim magisterium Pauli : « Non ego, sed gratia Dei me» cum[5]. »

II « Dixi ergo : Custodiam vias meas. » Quas vias? Terrenas. Numquid per linguam ambulamus in terra? Aut pedibus nostris in terra ambulamus, aut pedibus alienis. Aut animalibus vehimur, aut pedibus nostris imus. Quid est ergo? Quam iste viam quærit? Ne delinquat in lingua sua. Magna doctrina, videte, fratres. Numquid enim, quemadmodum una hora possumus cibum accipere, et refecti recedere, sic possumus momento uno loqui etiam, et silere? Quemadmodum enim habemus oculos ad videndum, aures ad audiendum, cæterosque sensus ad percipiendum, sic iterum linguam ad loquendum. Est nobis magna necessitas linguæ. Aut aliquid auditurus es, ut respondeas, aut aliquid dicturus es, ut doceas. Numquid oculo dicturus, et non lingua? Et si aure auditurus es, lingua responsurus es. Quid facimus de tam utili membro? Inde Deum rogamus, inde satisfacimus, inde laudes dicimus, inde una voce concinentes Deo cantamus, inde quotidianis diebus aut misericordes efficimur, cum aliis loquimur, aut consilia damus. Quid facimus nunc? Ipsa lingua nostra vobis ministerium exhibet. Quid facimus, ut non delinquamus in lingua, maxime cum dictum sit : « Mors et vita in mani» bus linguæ[6]? » Et iterum dictum sit : « Multos vidi ca» dentes per casum gladii, sed non sic, quomodo qui ce» ciderunt per linguam[7]? » Iterum dictum est : « Et » lingua in membris nostris constituitur, quæ maculat » totum corpus nostrum[8]. » Inde iterum idem Dominus : « Docuerunt linguam suam loqui mendacium[9]. O docue» runt! » Facit enim consuetudinem loqui mendacium. Etiam, si non vis, illa loquitur mendacium. Quemadmodum enim, si rotam volvas semel[10], jam, ut manu impuleris, illa ipsa figura et rotunditate, vel ipso instabili, et quasi naturali cursu currit, sic et lingua nostra, opus est (*c*) ut non doceatur loqui mendacium ; jam enim ultro sponte currit ad id, ad quod facilius potest moveri. Aliud habes in corde, aliud illa aliquando volvit ex more. Quid facturus es? Quæ, videtis, fratres! quæ statera cordis facienda est, ut lingua aliquid proferat! Neque enim sponte movetur. Intus est, qui movet.

III. Est enim quædam vis, quæ se, et cætera ministeria sua movet. Opus est, ut bonus sit ille, qui regit, et quamlibet malam consuetudinem adjutus per gratiam vincit. Bonus sit minister, et quiescit ministerium. Miles habet arma, sed si non ferierit (*d*), nihil faciunt arma. Sic et lingua in membris nostris arma animæ nostræ sunt. De ipsa dictum est : « Inquietum malum[11]. O in» quietum! » Quis fecit istud malum, nisi inquietus? Tu noli esse inquietus, et non est hoc malum. Tu noli agitare (*e*), et non est, quæ se agitet. Neque enim animus est, ut moveatur; Corpus est enim. Jacet. Noli movere,

[1] Rom. xii, 11. — [2] Psal. xxxviii, 13. — [3] Joan. xvi, 24. — [4] Psal. xxxviii, 1. — [5] I Cor. xv, 10. — [6] Prov. xviii, 21. — [7] Eccli. xxviii, 22. — [8] Jacob. iii, 6. — [9] Jerem. ix, 5. — [10] Jacob. iii, 6. — [11] Ibid. 8.

(*a*) In Codice *fol.* 68. inscriptus : *Sermo sancti Augustini ep.* Agit præcipue de usu Linguæ, et de fine Hominis. Ut nihil dissimulem, quædam mihi minus cohærere videntur, quædam esse infra Augustini dignitatem, verba etiam *Psalmi* non semel inopportune repeti, et intrudi, atque adeo interpolatorem suspicor. Expendant, qui lectioni D. Doctoris me magis assueti sunt. Locus in Editione esset post *Sermonem XVI.* — (*b*) Insolens fictio verbi *Inaurior* ad græc. Ἐνωτίζομαι, quod LXX. hoc loco. — (*c*) Trajecit voces Librarius. Lege : *Opus non est, ut doceatur, etc.* — (*d*) Ita scripsi pro : *ferient*, quod habent membranæ. — (*e*) Rectius fortasse : *agitatur*.

et non movetor. Vide autem, quomodo moves (*a*). Ipsa est illa, de qua multi fraudibus studentes, et avaritiæ servientes, cum cœperint de negotiis aliquid agere, ejiciunt membrum factum ad laudem Dei, et ibi blasphemant Deum, et dicunt : Per Christum! tantum emi, tantum vendo. Quando (*b*) interrogavi te : Jura mihi, quantum vendis? Ego te interrogavi : quantum vendis? Decem follibus vendo, viginti follibus (*c*). Per Christum juras? Per oculos tuos jura, per filios tuos jura, et ipsa hora contremiscit conscientia. O impietas linguæ! Creatorem contempsisti, creaturam custodisti. « O inquietum malum, » plena veneni mortiferi! In ipsa benedicimus Deum, et » Patrem, » Deum propter naturam, Patrem propter gratiam, « Et in ipsa maledicimus hominem, qui factus est » ad imaginem Dei[1]. » Attendite, fratres, quid portetis! Ecce dico, quid portemus. Et ego enim vobiscum homo sum. Sed recurramus.

IV. « Exaudi, Deus, orationem meam. » Inde sunt illi Judæi, quos modo in Evangelio legimus. Utique lingua illos perduxit ad mortem. Modo enim in Evangelio audivimus. Adduxerunt, inquit, Judæi quamdam mulierem licet meretricem ad Dominum, tentantes illum, et dicentes : « Magister, hæc mulier modo comprehensa est » in adulterio[2]. » In lege Moysis scriptum est, ut quæcumque fuerit in adulterio comprehensa, lapidetur. » Tu » quid dicis? » Hoc lingua dicebat, sed creatorem non agnoscebat. Nolebant isti orare, ut dicerent : « Eripe ani» mam meam a lingua dolosa[3]. » Dolose enim accesserant, hoc enim volebant agere. Venerat enim Dominus « Non legem solvere, sed implere[4], » et peccata dimittere. Dixerunt ergo apud se Judæi : Si dixerit : Lapidetur! dicemus ei : Ubi est, quod peccata dimittis? Non tu es, qui dicis : « Donata sunt tibi peccata tua[5]? » Si dixerit : Dimittatur! dicemus : Ubi est, quod legem venisti adimplere, non solvere? Videte linguam dolosam ad Deum. Ille, qui venerat redemptor, non damnator (venerat enim « Redimere, quod perierat[6]) » aversus est ab ipsis, quasi conspicere eos nolens. Non vacat aversio ista ab ipsis. Intelligitur aliquid in hac aversione. Quasi diceret : Peccatricem mihi adducitis, Peccatores! Si putatis, quia damnare debeo peccata, a vobis incipio. Et ipse, qui venerat donare peccata, ait : « Qui se scit vestrum sine » peccato esse, prior in illam lapidem mittat[7]. » O responsio, vel propositio! Si mittere voluissent lapidem in peccatricem, ipsa hora iterum recitaretur : « In quo ju» dicio judicaveritis, judicabitur de vobis[8]. » Damnastis, damnabimini. Illi tamen, etsi creatorem non agnoscebant, conscientiam suam sciebant. Ponentes invicem faciem post faciem, ut nec ipsi se propter confusionem videre vellent, a senioribus (hoc dixit Evangelista) usque ad minores omnes egressi sunt. Dixerat enim Spiritus sanctus : « Omnes declinaverunt, simul inutiles facti » sunt. Non est, qui faciat bonum, non est usque ad » unum[9]. »

V. Et exierunt omnes. Remansit solus, et sola. Remansit creator, et creatura; remansit misera (*d*), et misericordia; remansit, qui suum reatum agnoscebat, et qui peccatum dimittebat. Nam ipsum est, quod conversus scribebat in terra. Scripsit enim in terra. Quando enim peccavit homo, dictum est ei : « Terra es[10]. » Peccatrici ergo cum daret indulgentiam, dans scribebat in terra. Indulgentiam dabat, sed, cum daret indulgentiam, erigens faciem suam ad illam : « Nemo, ait, te condemnavit (*e*)? Et illa non dixit : Quare? quid feci? Domine! Numquid enim rea sum? Non hoc dixit; sed ait : « Nemo, Domine! » Semetipsam accusavit. Probare illi non potuerunt, subduxerunt se. Sed illa confessa est cujus Dominus non reatum nesciebat, sed ejus fidem atque confessionem quærebat. » Nemo te condemnavit? » At illa : « Nemo, Domine! » Et « Nemo » propter confessionem peccatorum, et « Domine! » propter indulgentiam meritorum. « Nemo Domine! » Utrumque agnosco. Qui sis, novi. Quæ sim, novi. Tibi enim confiteor. Audivi enim : » Confitemini Domino, quoniam bonus est[11]. » Novi confessionem meam, novi misericordiam tuam. Ista dixit : « Custodiam vias meas, ut non delinquam in lin» gua mea. » Illi deliquerunt dolose agendo; ista magis se absolvit confitendo. « Nemo te condemnavit? » Illa inquit : « Nemo. » Et tacens ille iterum scribit. Bis scripsit. Hoc audiamus! Bis scripsit : semel indulgentiam dando, iterum præcepta renovando. Utrumque enim fit, cum indulgentiam accipimus. Subscripsit Imperator. Cum iterum Forma (*f*) procedit, quasi iterum alia præcepta dantur. Ipsa sunt, per quæ primo in Apostolo audivimus charitatem illam imperatam (*g*). Primo enim ipsam lectionem audivimus; inde hoc ipse Dominus dixit : « Diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, » et de tota anima tua, et de tota virtute tua, et diliges » proximum tibi tanquam te ipsum. In his duobus præ» ceptis tota Lex pendet, et Prophetæ[12]. »

VI. Ne aliquis nostrum laboraret, duo quædam sunt dicta : Deus et Proximus, qui te fecit, et, cum quo te fecit. Nemo tibi dixit : Dilige solem, dilige lunam, dilige terram, et quæcumque facta sunt. In his laudandus est Deus, benedicendus est Factor. « Quam magnificata » sunt opera tua! » dicimus. » Omnia in sapientia fe» cisti[13]. » Tua sunt. Tu fecisti omnia. Gratias tibi! Sed nos fecisti super omnia. Gratias tibi! Sumus enim imago et similitudo tua. Gratias tibi! Peccavimus. Quæsiti sumus! Gratias tibi! Neglieximus. Non sumus neglecti. Gratias tibi! Cum nos te contemneremus, non sumus contempti. Ne Divinitatem tuam obliti fuissemus, et te amitteremus, tu etiam nostram humanitatem Suscepisti. Gratias tibi! Ubi non gratias? « Dixi ergo : Custo» diam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. » Illa enim mulier, cum offerretur causa adulterii, accepit indulgentiam, liberata est, onerosum nobis est, quoniam per baptismum, per confessionem, per gratiam accipiunt omnes omnium peccatorum suorum indulgentiam? Sed nemo nunc dicat : Illa accepit indulgentiam; ego adhuc Catechumenus sum. Faciam adulteria, quoniam accepturus sum indulgentiam. Pone et me unum esse, quemadmodum illa mulier (*h*) confessa est, et liberata est. Deus noster bonus est, et, si peccavero, confiteor illi, et dimittet mihi. Bonitatem ipsius attendis, sed justitiam ejus considera. Quomodo bonitatem ad indulgentiam, sic justitiam ad pœnam. « Dixi ergo ; Custodiam vias » meas, ut non delinquam in lingua mea. » Vellem scire, si in hoc tempore, quo sermonem Vestræ Charitati ministramus, nemo delinquat in lingua sua. In hoc tempore, quo hic sumus, forte nemo nostrum aliquid locutus est mali, sed forte cogitavit aliquid mali. Attendite. « Dixi :

[1] Jacob. III, 8, 9. — [2] Joan. VIII, 4. — [3] Psal. CXIX, 2. — [4] Matth. V, 17. — [5] Id. IX, 5. Marc. II, 5-9. Luc. V, 23. — [6] Matth. XVIII, 11. — [7] Joan. VIII, 7. — [8] Matth. VII, 2. — [9] Psal. XIII, 3. — [10] Gen. III, 19. — [11] Psal. CV, 1. — [12] Matth. XXII, 37-40. — [13] Psal. CIII, 24.

(*a*) Videtur excidisse : *linguam*. — (*b*) Codex habet : *Quare*. — (*c*) Aut pro Marsupiis certam pecuniæ summam continentibus, ut est apud *Juvenal.* et *Veget.* aut pro ipsa quadam Nummorum specie, de qua vide *Sirmondum in not. ad Sermones August. Opp.* T. I. *Paris.* 1696. *col.* 345. Ipse S. Doctor *Folles* memorat T. V. *col.* 219. et 1499. — (*d*) Numquid rectius, *misera*? — (*e*) Ridiculo hic, et his infra pro *condemnavit* Librarius scripsit : *lapidavit*. — (*f*) Id est, Rescriptum, Decretum Principis, unde etiam *Formulæ*, *Litteræ Formatæ*. — (*g*) Lecta fuerit ante Sermonem *Epistola Jacobi* C. II. ubi v. 8. Legem Charitatis appellat Νόμον βασιλικόν, quo alludit τὸ *imperatam*, et tota de Imperatore similitudo. — (*h*) Hic interserito : *quæ*.

» Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. » Dic vere : « Posui ori meo custodiam, dum consistit » peccator adversus me[1]. »

VII. Attendite. « Posui ori meo custodiam, dum con- » sistit peccator adversus me. » Stat adversus te aliquis improbus, conviciatur tibi, dicit, quæ nescis. Tu pone ori tuo custodiam. « Dixi : Custodiam vias mea, ut non » delinquam in lingua mea. » Dicat ille, tu audi, et tace. Duæ enim res sunt, aut verum dicit, aut falsum. Si verum dicit, tu fecisti, ut diceret, et forte hoc misericordia est. Cum enim tu non vis audire, quod fecisti, Deus, qui curam tui gerit, per aliquem tibi dicit, quod fecisti, ut vel ipso pudore confusus aliquando ad medicinam recurras. Noli ergo rependere malum pro malo ; nescis enim, qui tibi per ipsum loquatur. Ergo, si aliquid dicit, quod fecisti, agnosce te misericordiam consecutum, ut aut oblitum te putes, aut ad confusionem tuam hoc dictum esse judices. Si non fecisti, libera est conscientia. Quid quæris? Quid irasceris de eo, quod non fecisti? Quid enim ait tibi : Fur! Ebriose? Cito tu recurre intus ad secreta conscientiæ. Vide te intus. Judex esto, discussor tui esto. Quære ibi. Ubi putas, posui peccata mea, quæ feci? Aut, si non sunt, dic : Non feci. Si : Non feci, dicit tibi conscientia tua, dic : « Gloria nostra hæc est, » testimonium conscientiæ nostræ[2]. » Dixit tibi hæc conscientia tua, tace, dole illum dicentem tibi. Dic etiam tu Deo : Pater, ignosce illi, quia nescit, quid dicat. Roga pro illo Deum. « Dixi : Custodiam vias meas, ut non de- » linquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, dum » consistit peccator adversus me. » Noli enim putare, quia tunc videris sanctus, si nemo te tentet. Tunc es sanctus, quando aliquo convicio non moveris, quando doles dicentem, quando non curas, quod pateris, sed tamen doles eum, a quo pateris. Ibi est omnis misericordia. Doles, quoniam et ille frater tuus est, membrum tuum est. Insanit adversum te, phreneticus est, ægrotat. Dole illum. Noli gaudere ; tantummodo de conscientiæ tuæ securitate gaude ; inde dole. Homo es enim ; vide, ne et tu tenteris. Dictum est enim : « Onera vestra portate, et sic » adimplebitis legem Christi[3]. » Modo, cum dicit, tace ; postea, cum quieverit, dic ei ; Frater, per salutem tuam, quare mihi dixisti, quod non feci? Peccasti in me, rogo Deum pro te. Ego tibi quidem veniam do, et rogo pro te Deum meum, cui fecisti injuriam, cum in me peccasti. Noli ulterius facere, noli superbire! Non dico : Redde illi, Deus, qui dixit mihi, quod non feci. Nolo hoc dicere. « Posui ori meo custodiam, dum consistit » peccator adversus me. »

VIII. « Obsurdui et humiliatus sum (hoc sequitur) » et tacui a bonis[4]. Obsurdui. » Non illum audivi dicentem. Iste animus quantum profecit, qui etiam intus in fratris errore, et conscientiæ suæ securitate gaudens, quod foris latretur, nescit! Qualis ista anima est, quam secura, quam gaudens! Ista est, quæ dicit Deo : « Am- » bulabam in innocentia cordis mei, in medio domus » tuæ[5] (a). Fores effractores pulsabant, sed idonea erat domus. « Obsurdui et humiliatus sum, » non adversus illum superbus extiti. « Et humiliatus silui a bonis ; » nec enim temporis erat, ut aliquid boni dixissem. Tempus est enim, ut taceas modo, posteaquam ille sinceraverit (b), loquere, tunc intelliget. Plerumque filii ægrotantes patres suos cæciderunt, tamen illi propter infirmitatem filiorum et vapulabant, et plorabant. Quem affectum adhibent filiis homines, ne moriantur, expectantes salutem filiorum! Sed : Non est filius meus, ais? Sed est opus Dei, imago Dei, filius Dei. Si contemnis, quia non est filius tuus, noli contemnere, quia filius Dei est, frater tuus est. Ergo « Obsurdui, et humiliatus » sum : » Non superbivi, sed « Silui a bonis, et dolor » meus renovatus est, » non de me, sed de ipso, quia non feci, quod dixit. Habui dolorem, sed, quia ita dixit, habui dolorem. Fratris enim mei curam gerans renovatus est in me dolor. Ista est via. Hoc enim fecit ipse Dominus Pater noster, qui etiam ipse Sponsus dictus est. « Non jejunabunt filii Sponsi, ait, quousque cum ipsis » est Sponsus[6]. » Vapulavit a phreneticis filiis, occiderunt illum phrenetici filii. Rogavit pro illis. Postea sinceraverunt, agnoverunt et crediderunt, et, qui noluerunt curari per medicum, curati sunt per discipulum medici ; per Petrum enim curati sunt. Cum enim illos Petrus increparet, aiunt : « Quid faciemus? » Ait tunc Petrus : « Pœnitemini, et baptizetur unusquisque vestrum in » nomine Domini Jesu Christi[7]. » Modo furebant, modo credebant. Videtis, quid facit infirmitas, et sanitas. Quando infirmi fuerunt, tolerati sunt, quando salvi facti sunt, redempti sunt. Inde et nos, fratres, quotiescumque talia patimur, taceamus, quo illa teneamus : Aut verum dicit, aut falsum. Etsi non dixerit, et feci, quid? Quia non dicit, et ego feci, optandum est, ut dicat, ut ego confundar, quia feci. Ista misericordia Dei est. Si autem hoc dicit, quod non feci, gaudeam de mea securitate, doleam de fratris infirmitate. « Caluit cor meum intra » me[8], » ferbuit cor meum intra me ex dilectione, quam habeo in fratrem, sed tempus loquendi non potui modo facere. Inde ipse Paulus dicit : « Non potui loqui vobis » quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus[9]. » Locutus est tamen. Quomodo locutus est? Ergo « Caluit cor meum » intra me, et in meditatione mea exardescit ignis. » Ignis est in me charitatis. Non habeo, cui dicam, quia infirmus est. Humiliem ergo me. Erit forte aliquando tempus, ut possim aliquid loqui. Tamen « Dimitte nobis debita » nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris[10]. » Dimittam illi, quod non habeo in conscientia. Parum est, quia nihil habeo in conscientia, sed rogem illum propter conscientiam.

IX. Jam iste percurrerat : « Dixi : Custodiam vias » meas. Ponam ori meo custodiam. Humiliatus sum, » et : « In meditatione mea exardescit ignis. » Nescio quid, subito educit hic aliud majus, et post tot certamina, magnosque labores, audite quid dicat. « Locutus sum » in lingua mea[11]. » Est enim lingua animæ motus ipsius voluntatis. Quemadmodum enim lingua motua est in corpore, sic voluntas motus est in anima. Ibi est prima lingua. Inde est, inde loquitur Deo. Hæc enim lingua ministerium exhibet extra positis hominibus ; illa autem lingua, quæ est in motu voluntatis, ministerium exhibet intus manenti in templo suo. Ipsa est vera lingua. Unde dixit Dominus, eos, qui adorant eum, « In spiritu, et ve- » ritate[12] » adorare debere. Ipsa est vera lingua. « Dixi in » lingua mea : Notum mihi fac, Domine, finem meum, » et numerum dierum meorum, qui sit, ut sciam, quid » desit mihi[13]. » Si attendat Sanctitas Vestra, intelligat primo sententiam, et sic Dominus misericordia sua, qua sæpe consuevit, dabit nobis orationibus vestris, ut possimus hanc discutere, quia satis est ardua. « Locutus sum » in lingua mea. Notum mihi fac, Domine, finem meum, » et numerum dierum meorum, qui sit, ut sciam, quid » desit mihi. » Videte, quid oret. « Notum mihi fac, Do-

[1] Psal. xxxviii, 2. — [2] 2 Cor. i, 12. — [3] Galat. vi, 2. — [4] Psal. xxxviii, 3. — [5] Id. c, 2. — [6] Luc. v, 34. — [7] Act. ii, 38. — [8] Psal. xxxviii, 4. — [9] 1 Cor. iii, 1. — [10] Matth. vi, 12. — [11] Psal. xxxviii, 5. — [12] Joan. iv, 23. — [13] Psal. xxxviii, 5, 6.

(a) Emendo : *meæ* — (b) Et paulo inferius : *sincearerunt*. Non reperio in Glossariis, nisi parte aptum *Sinceratus*

» mine, finem meum. » Finis est, fratres, ubi tendimus, ubi permansuri sumus. Quod exivimus de domibus nostris, finis nobis fuit ad Ecclesiam veniendi. Ergo iter nostrum hic finitum est. Hinc iterum unusquisque ad domum suam finem habet redeundi. Ibi finit, ubi tendebat. Modo ergo in hac peregrinatione constituti finem habemus, ubi tendimus. Ubi ergo tendimus? Ad patriam nostram. Quæ est patria nostra? Jerusalem mater piorum, mater vivorum. Illic tendimus. Finis noster ipse est. Et quia viam nesciebamus. Ipse civis civitatis ipsius fecit se viam. Nesciebamus, qua ire. Anfractus, nescio qui, spinosi, lapidosi, omnino graves erant in via. Descendit huc ipse primus, qui est ibi principalis, descendit quærens cives civitatis illius. Aberravimus enim, et, cum simus cives Jerusalem, facti sumus cives Babyloniæ, facti sumus filii confusionis; Babylonia enim confusio est. Descendit huc quærens cives suos, et factus est civis noster. Non noveramus civitatem istam, provinciam istam non noveramus. Sed, quia nos ad illam non venimus, descendit hac ad cives suos, et factus est ipse civis, non consentiendo, sed suscipiendo. Descendit huc. Quomodo descendit? In forma servi. Ambulavit hic inter nos Deus Homo. Si enim tantummodo Homo fuisset, ad Deum non perduxisset. Si tantummodo Deus fuisset, hominibus conjunctus non fuisset. Suscepit nobiscum conditionis æqualitatem, habens cum Patre Divinitatem. Suscepit nobiscum temporalitatem, habens cum Patre æternitatem. Hic nobiscum æqualis, ibi Patri æqualis. Descendit huc civis noster, et ait : Quid hic facitis? Cives Jerusalem! Imago et similitudo Dei non est erecta, nisi in Jerusalem. Statuæ Dei in hac vita non ponuntur. Laboremus, redeamus! Qua redimus? Ecce substerno me vobis, fio vobis via, ero vobis finis. Imitemini me! « Notum mihi fac, Domine, finem meum! » Ipsum credimus, qui est finis noster.

X. Deus Pater nunc loquitur. Ego dico tibi, o Anima, quam ego feci, o Homo, quem ego feci, ego dico tibi : Finieras. Quid finieras? Perieras. Misi tibi, qui te quæsisset; misi tibi, qui tecum ambularet; misi tibi, qui ignovisset. Inde ambulavit pedibus, ignovit manibus. Inde, quando post resurrectionem ascendit, manus, latus, et pedes ostendit : manus, unde indulgentiam dedit peccatorum; pedes, quibus pacem annuntiavit desertorum; latus, unde cucurrit pretium redemptorum. « Finis ergo legis Christus ad justitiam omni credenti[1]. » Notum mihi fac, Domine, finem meum. » Jam factus est tibi notus finis tuus. Quomodo tibi notus factus est? Finis tuus pauper fuit, finis tuus humilis fuit, finis tuus alapis cæsus est, finis tuus sputis oblitus est, adversus finem tuum falsum testimonium dictum est. « Posui ori » meo custodiam, dum consistit peccator adversum me. » Ipse factus est tibi via. « Qui dicit se in Christo manere, » debet, quomodo ille ambulavit, et ipse ambulare[2]. » Est via. Modo ambulemus, non timeamus, ne aberremus. Foris a via non ambulemus; dictum est enim : « Circa viam scandala posuerunt mihi, et circa viam » muscipulam (a) posuerunt mihi[3]. » Et ecce illam misericordiam. Ne in muscipulam incidisses, ipsam misericordiam habes viam. « Notum mihi fac, Domine, finem » meum. » Ecce habes finem. Christum redemptorem imitamini. « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi[4]. » Paulus quomodo imitatus est Christum? Attendite, quid dixit. « In fame, et siti, in frigore et nuditate, » et cætera usque : « Quis scandalizatur, et ego non uror[5]? Fac- » tus sum omnia omnibus, ut omnes lucrifacerem[6]. Posui » ori meo custodiam, dum consistit peccator adversum » me. » Quæ sunt verba Pauli, fratres. « Quis nos sepa- » rabit a charitate Christi? » Finem attende. « Quis me » separabit a charitate Christi? Tribulatio, an pressura, » an persecutio, an nuditas, an periculum[7]? » O amantem, o ferventem, o currentem, o pervenientem Virum! Quid patiebatur hæc anima, quomodo fervebat, quomodo docebat. « Quis me separabit a charitate Christi? » Angustia? » et cætera usque : « An gladius? » Quid passus est iste. Et ne aliquis putaret, quia inde superbiebat, ait : « Fratres, arbitror me non apprehendisse[8]. »

XI. Hoc ut quid : « Notum mihi fac, Domine, finem » meum, et numerum dierum meorum, qui sit : » Quantum hic habeo vivere. Ut quid tibi, scire diem? « Ut » sciam, quid desit mihi : » Quid desit, sed ad æternitatem. Modo attende Paulum. Post tantos labores dinumeratos adhuc « Me, ait, non arbitror apprehendisse. » Audi dicentem : « Quid desit mihi. » Nemo ergo dicat : Jam multum jejunavi, multum laboravi, multum donavi. Jam omnia præcepta Dei feci. Heri feci, hodie feci, et adhuc hodie erit, si aliquando fecisti. Heri semper hodie habet. Ad crastinum si veneris, hodie habebit, et ad annos decem si veneris, hodie erit. Semper tu hodie dic : « Quid desit mihi. » Si enim Paulus in tantis laboribus miles cœlestis, si enim ille post tantam exercitationem, et post tantas revelationes, raptus usque in tertium cœlum, et audivit ineffabilia verba, et tamen, ne in revelationibus extolleretur, accepit stimulum carnis, qui illum humiliaret, quis est, qui dicere valeat : Sufficit? Inde ergo « Notum fac mihi, Domine, finem » meum. » Et ecce habes ante te Christum finem. Non habes jam, quod quæras. Cum jam credidisti, jam agnovisti. Sed non in fide tantum res est, sed in fide, et opere. Utrumque necessarium est. Nam et « Dæmones » credunt (audistis Apostolum) et contremiscunt[9]; » non autem prodest illis, quia credunt. Parum est fides sola, nisi et opera conjungantur. « Fides, quæ per dilectionem » operatur[10], » ait Apostolus. « Notum fac mihi, Domine, » finem meum, et numerum dierum meorum, qui sit. » Istud non dicitur, quia, si unusquisque nostrum sciret, quando moreretur, decerneret sibi verbi gratia, ut bene viveret. Inde ipse Magister volens nos sollicitos fieri interrogatur de die, et hora, et dicit : « De die illa, et » hora nemo scit. » Nolebat enim, ut illi scirent. Inde dixit : « Neque Filius[11]. » Hoc est : non vobis expedit, ut sciatis; eritis enim negligentes, non solliciti. Eo magis bene vivetis, cum solliciti fueritis, non, quia nescio diem, nam « Omnia, quæ habet Pater, mea sunt[12]. No- » tum mihi fac, Domine, finem meum, et numerum die- » rum meorum, qui sit. » Notum fac mihi istud, ut semper sim sollicitus, quia nescio, quando veniet fur, ut noverim, « Quid desit mihi. »

XII. Ibi ergo, fratres, simus cauti, ut noverimus, quid desit nobis. Tentatio Christianorum probatio Christianorum est. Nam qui tentatur, ostenditur illi, quid illi desit. Duæ res sunt. Aut ostenditur illi, quid habeat, aut ostenditur illi, quid desit. Tentatus est Abraham, non, ut ostenderetur illi, quid ille habuisset, sed, ut ostenderetur nobis, quid imitaremur. Tentatus est autem in filio. Quæ illa tentatio fuit? Optavit filium in ætate provecta, de quo jam desperabatur. Tamen, dum promissionem Dei audivit, non hæsitavit omnino, credidit, accepit; meruit, suscepit. Natus est, nutritus est, in ætatem perductus est, lactatus (a) est, et dictum est ei : « In semine tuo benedicentur omnes gentes[13]. » Noverat

[1] Rom. x, 4. — [2] 1 Joan. ii, 6. — [3] Psal. cxxxix, 6. — [4] Philip. iii, 17. — [5] 2 Cor. xi, 27-29. — [6] 1 Cor. ix, 22. — [7] Rom viii, 35. — [8] Philip. iii, 13. — [9] Jacob. ii, 19. — [10] Galat. v, 6. — [11] Marc. xiii, 32. — [12] Joan xvi, 15. — [13] Gen. xxii, 18.

(a) Quod Hebræo מוקש et Græco παγὶς, Augustino et hic, et *Enarrat. II. in Ps. XXX. v. 5. Muscipula* est. — (b) Rescribo fidenter : *ablactatus.* —

ille, in quo semine. Habemos enim testimonium in Evangelio. « Abraham concupivit diem meum, ut videre; » et vidit, et gavisus est[1]. » Noverat ergo. Post illa autem omnia, quæ crediderat, audivit a Deo : Abraham, offer mihi filium tuum sacrificium. Tentatus est[2], Quare? Non noverat Deus fidem ipsius? Sed propter nos hæc ostendere dignatus est. Nobis enim dicitur : Offer mihi sacrificium saccelli (*a*) tui ; et dubitamus. Quod sacrificium? » Date eleemosynam, et ecce vobis munda sunt » omnia[3]. » Et iterum : « Misericordiam volo, quam sa» crificium[4]. » Da aliquid de saccello tuo, dicitur tibi, et ligas. Quid si tibi juberetur de filio tuo? Ecce de saccello tuo sic dubitas, de filio tuo quid fecisses? « Ut » sciam, quid desit mihi. » Dicturus sum non sine dolore et pudore. Pleræque fœminæ forte volunt Deo servire, et si audaces fuerint, dicunt parentibus : Dimitte me. Virgo Dei volo esse, aut servus Dei volo esse; et audiunt : Nec salva sis, nec salvus sis. Vere non facies, quod vis. Quod ego volo, hoc facies. Quid si diceretur tibi : Occide? Vivis, vita æterna promittitur tibi, ante te est, et resistis, et dubitas, et oppugnas? Certe Christianus es. Quare? Domne (*b*)? Quia Christianus sum, ideo non debeo habere nepotes? Debes habere nepotes? Scis, quantum tibi deest. Quod heri jejunasti? Canta, quod iste dixit : « Notum fac mihi, Domine, finem » meum, et numerum dierum meorum, qui scit, ut sciam, » quid desit mihi. » Præstet enim Deus, et misericordia ipsius, ut quotidie agitemur, aut tentemur, aut probemur, aut exerceamur, aut (*c*) proficiamus. » Tribulatio » patientiam operatur, patientia probationem, probatio » spem, spes vero non confundit[5]. »

XIII. Ergo, fratres mei, optemus quotidie scire, qui simus, ne, cum securi sumus, postea veniat dies, et nihil inveniatur de eo, quod putabamus, et dicatur nobis : » In inferno quis confitebitur tibi[6]? » Ergo, fratres mei, demus operam quotidie proficiendi in Deum, non parcendo rebus caducis, quas hic sumus dimissuri. Attendamus Abrahæ fidem, quia et ipse pater noster fuit, imitemur devotionem, imitemur fidem. Si in filiis nostris tentati fuerimus, non timeamus; si in saccello, non terreamur; si infirmitatibus corporis nostri aliquid fuerit ingestum, spem nostram in Deum collocemus. Christiani sumus, peregrini sumus. Nemo terreatur, patria hic non est. Qui hic vult habere patriam, et istam perdet, et ad illam non veniet. Ut boni filii ad patriam tendamus, ut cursus noster approbetur, et perducatur. Conversi ad Dominum, etc.

SERMO XXI.

De verbis Psalmi XXXII, *vers.* 1. *Exultate, Justi, in Domino, etc.* (*d*).

SYNOPSIS.

I. Quos deceat Laus Dei. II. Non judicandum de Deo e temporali Impiorum felicitate. III. Deus a Rectis corde etiam in adversis laudatur. IV. Castigatio divina paterna est. V. Usus facit divitias bonas, aut malas. VI. Exemplum Job Christianis proponitur. VII. Rectitudo cordis Job in omni tentatione. VIII. Dei consilia adoranda, non discutienda. IX. Implorandus tamen in adversis.

I. In Dei laude gaudere, et laudi Dei vivendo congruere, admonet nos, quod modo cantavimus. « Exultate, » justi, in Domino. Rectos decet laudatio[7]. » Si enim rectos decet, pravos non decet. Qui autem recti, ipsi etiam justi sunt, quibus dicitur, ut exultent in Domino; ipsos enim decet laudatio. Qui autem pravi, nisi peccatores et iniqui, qui in Domino exultare non possunt, quoniam non eos decet laudatio. Merito dicitur in alio Psalmo : » Peccatori autem dixit Deus : Ut quid tu enarras justi» tias meas, et assumis testamentum meum per os tuum[8]? » « Quoniam rectos decet laudatio, » et utique justificationes Domini, et testamentum Domini ibi est, ubi laus Domini. Merito et alibi dicitur : » Non est speciosa laus » in ore peccatoris[9]. » Ubi enim non decet, speciosa non est, et ubi speciosa est, ibi decet.

II. Qui sint tamen recti viri proprie, ut quisque agnoscat, utrum in ore suo speciosa sit laus Dei, quærentes Scripturas invenimus hoc modo. Psalmus quidam dicit : « Quam bonus Deus Israël rectis corde. » Et sequitur : « Mei autem pene commoti sunt pedes, quia zelavi in » peccatoribus pacem peccatorum intuens[10]. » Confitetur iste non quidem aversionem, et casum suum, sed tamen periculum. Non enim se cecidisse dicit, sed pedes suos nutasse, ut caderet. Hoc enim ait : » Quam bonus Deus » Israël rectis corde. Mei autem pene commoti sunt pe» des. » Cum autem se per hoc, quod est aversus, discernit a rectis corde, confitetur se aliquando non fuisse rectum corde, et ideo pene commotos pedes suos. » Bo» nus ergo, inquit, Deus Israël rectis corde; » mihi autem aliquando bonus non est visus, quia non eram rectus corde. Non est autem ausus dicere : Non est mihi Deus visus bonus; sed tamen hoc dixit. Cum enim ait : » Bo» nus Deus Israël rectis corde; mei autem pene commoti » sunt pedes, » ostendit, quia propterea moti sunt pedes, quia non ei videbatur bonus. Unde autem non ei visus est bonus Deus? » Paulominus effusi sunt gressus mei. Pau» lominus » quid est? » Pene effusi sunt. » Unde? » Quia » zelavi in peccatoribus pacem peccatorum intuens. » Attendi, inquit, peccatores non colentes Deum, blasphemantes Deum, irritantes Deum. Vidi, quod abundent pace, abundent felicitate, et visum est mihi, quod non recte judicet Deus blasphematoribus suis donans felicitatem. Hoc ergo cum intueretur, id est, felicitatem malorum, dixit nutasse pedes suos, ut non ei videretur bonus Deus. Sed, quia postea cognovit, sicut in ipso Psalmo dicit : « Suscepi, ut cognoscerem, » et addidit : « Hoc labor est ante me; » quare sint iniqui felices, « Hoc labor est ante me, ait, donec introeam in sanc» tuarium Dei, et intelligam in novissima eorum[11]; » quia, quibus modo iniquis ad tempus datur felicitas, servatur in novissimo pœna sempiterna. Hoc cum cognovisset, factus est rectus corde, et cœpit laudare Deum in omnibus, et in laboribus piorum, et in ipsis felicitatibus impiorum, attendens Deum justum esse retributurem in novissimis, nunc vero dare quibusdam temporalem felicitatem, quibus servat in extremo sempiternam infelicitatem, et quosdam pios exercere in præsenti infelicitate, quibus rursus servat æternam felicitatem, et oportere, ut mutentur vices, tanquam Divitis illius, « Qui epula» batur quotidie splendide[12], » et Pauperis illius ulcerosi jacentis ad januam Divitis, et de micis, quæ cadebant de mensa Divitis, saturari concupiscentis. Cum autem mortui essent ambo, ille in pœna in inferno esse cœpit; ille in sinu Abrahæ requievit, et cum indignum videretur Diviti, et vellet sibi de modico digito Lazari stillari

[1] Joan. VIII, 56. — [2] Gen. XXII. — [3] Luc. XI, 41. — [4] Matth. IX, 13, et XII, 7. — [5] Rom. V, 3. — [6] Psal. VI, 6. — [7] Id. XXXII, 1. — [8] Id. XLIX, 16. — [9] Eccli. XV, 9. — [10] Psal. LXXII, 1-3. — [11] Ibid. 16, 17. — [12] Luc XVI, 19.

(*a*) Ut supra *Serm. VII.* n. 3 ubi vide notam 6, p. 169. — (*b*) Non inusitata S. Doctori compellatio. — (*c*) Fortassis : *ut.* — (*d*) In Codice *fol.* 71. p. 2. inscriptus : *Sermo sancti Augustini ep. De Divite, et Lazaro.* Ex hoc, et Jobi Historia contendit Noster, Virum rectum nec propter Impiorum felicitatem, nec propter calamitates Justorum a laudando Deo desistere debere. Locus hujus Sermonis in Editione post *Sermonem XV.*

guttam aquæ, vicissim de digito ipsius desiderans guttam, de cujus mensa ille desideravit micam, audivit ab Abraham sententiam recti Dei. « Fili, inquit, memento, » quia recepisti bona in vita tua, Lazarus autem mala. » Nunc vero hic requiescit, tu autem torqueris[1]. » In hæc novissima intendit aspectum intrans in sanctuarium Dei ille, cui non videbatur bonus Deus, quia zelavit in peccatoribus pacem peccatorum intuens, et agnoscens judicium Dei verum, et justum, quod quidem modo agitur, sed occulte, futurum in fine in manifestatione, et tanquam correcto corde ex pravitate propria, admota velut regula justitiæ Dei, qua cor tortum corrigeretur, erupit in hanc vocem, et ait : « Quam bonus Deus Israël » rectis corde ! » Modo intelligo bonum, quia factus sum rectus corde; antea vero non mihi videbatur bonus, quia nutabant pedes mei. « Zelavi enim in peccatoribus pacem » peccatorum intuens. »

III. Si ergo jam tibi videtur bonus Deus, et quando malis dat felicitatem, unde solebas murmurare adversus Deum, factus es rectus corde, decet te laudatio; « Rectos » enim decet laudatio. » Si autem sis pravus, non te decet laudatio. Quare non te decet? Non erit perseverans laus, qua laudas Deum. Laudas enim Deum, quando tibi bene est; blasphemas Deum, quando tibi male est. Etenim tunc tibi placet, quando dat felicitatem; displicet autem, quando castigat. Non es rectus corde, non poteris dicere canticum illud alterius Psalmi: « Benedicam » Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore » meo [2]. » Quomodo enim « Semper, » si tunc, quando tibi bene est, laudas, non et, quando tibi male est? Quia et ipsum; quod dicitur male tibi esse, bene est, si castigatorem patrem esse intelligas. Puer insensatus amat plerumque magistrum blandientem, odit cædentem; puer vero intelligens intelligit magistrum bonum et blandientem et cædentem. Blanditur enim, ne puer deficiat; cædit, ne pereat. Tale itaque cor cum quisquam habuerit, id est, rectum, ut non ei displiceat Deus, et quando facit quod forte illi ad tempus adversari videatur, securus laudet Deum, quia « Semper » laudabit, et vere illum decet laudatio, et vere fideliter cantat : « Benedicam Do- » minum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. » Flagellat autem omnem filium, quem recipit [3]. » Quid ergo eligis? Flagellari, et recipi, an non tangi, et non recipi? Vide, qualis sis filius. Si hæreditatem paternam appetis, flagellum non recuses. Si flagellum respuis, nega hæreditatem. Quo enim te erudit, nisi ut det hæreditatem? Hæres patris tui ut esses, non te increpavit, non objurgavit, non castigavit, non verberavit? Ut quid hoc? Ut ei succederes in domum quandoque ruituram, et fundum quandoque transiturum, et aurum non diutius in hoc sæculo mansurum, quam tu ipse, qui aurum possides. Etenim aut vivens amissurus es, quod habes, aut moriens relicturus. Propter istam tamen temporalem hæreditatem pertulisti flagella patris tui, et murmuras ad Deum erudientem, ut det tibi regnum cœlorum?

IV. Cum ergo talis es, ut placeat tibi Deus, et castigans placeat tibi; aut enim est in te aliquid, quod flagello corrigatur, aut ipsa rectitudo tua in flagello probatur; cum ergo talis es, lauda; securus enim laudas. Quare securus laudas? Quia decenter laudas, quia perseveranter laudas. Non enim timeo, ne modo laudes, post paululum blasphemes. Non timeo, ne sanus laudes, et ægrotus blasphemes. Non timeo, ne de sani ore procedat laus Dei, de ægroti lingua quæratur Mathematicus, aut Sortilogus, quæratur Præcantator, et remediorum diabolicorum Alligator (a). Non timeo, quia jam intellixisti bonum Deum esse, et cum castigat, et scis, quia ille, qui percutit filium, novit et quando parcat. Decebit te laudare, quia semper perseveranter laudabis, et erit semper laus Dei in ore tuo. Accipis libenter blandientem patrem, accipis libenter et flagellantem patrem. Non ad illum curris, cum blanditur, et fugis ab eo, cum flagellat. Si enim hoc feceris, eris tanquam puer, qui, cum fugeret a flagellante patre, incurrit in blandientem mangonem (b), et putavit eum bonum, patrem vero suum malum, et prætulit dolos blandimentorum veritati flagellorum, præferendo autem amisit hæreditatem, incurrit in conditionem (c). Muta tu consilium, et fac cor tuum rectum. Non enim mutatus est Deus, quia flagellat te, sed tu mutabilis es. Agit ille aliquid per commutationem, ut tu in melius commutatus percipias hæreditatem. Nam si relinquat te, et negligat te, quando tibi videtur bonus, tunc multum irascitur. Intendat Charitas Vestra, quid dicat in alio Psalmo Scriptura Dei. « Irritavit Dominum peccator, » Ait. Quare irritavit? Videte, ubi exclamaverit de irritato Deo. Utique ad iracundiam majorem irritavit Dominum peccator. « Præ magnitudine, inquit, iræ suæ non exquiret [4]. »

V. Contra Job sanctus benedicens Dominum in omni tempore, in cujus ore semper erat laus ejus, cum esset dives, benedixit Dominum in divitiis suis, faciens de illis omnia opera bona, quæ in Libro ejus enumerantur, frangens panem esurienti, vestiens nudum, suscipiens peregrinum, et cætera, quæ sola divites de divitiis suis percipiunt, quæ divites sola lucrantur. Neque enim lucrantur, aut præsumunt de lucris, quæ filiis suis relinquunt. Nesciunt enim, quis post eorum mortem sit possessurus labores ipsorum. Et hanc vanitatem Scriptura dixit: « Verumtamen universa vanitas omnis homo vi- » vens. Thesaurizat et nescit cui congreget ea [5]. » Ergo lucrum totum, quod fit de divitiis, thesaurus est regni cœlorum. Unde Dominus dedit consilium, non ut perdas, sed ut mutes locum auro tuo. Non enim ait tibi : Cum dederis, perdes, sed male habens in terra, in cœlo ego tibi servabo. Quid times, ne perdas? In cœlo ponis, custode Christo. Si locus te sollicitat, cœlum erit; si custos, Christus erit. Quid times, ne perdas? Ergo cum hæc de talibus faceret Job, utique operabatur, et in ipsis operibus ejus Deus laudabatur, et benedicebat Dominum in his, quæ acceperat. Non enim vere, fratres, divitiæ accusantur. Putatis, quando videtis divites malos, divitias esse malas? Divitiæ non sunt malæ, sed illi; divitiæ autem dona Dei sunt. Da illas justo, et vide, quæ bona inde faciat. Numquid ideo malum vinum, quia, nescio, quis se inebriat? Da sobrio bene utenti, et vide munus Dei. Sic da aurum homini avaro. Ut amplius faciat hoc, quod habet, quærit committere omnia facinora. Da aurum homini justo, et vide, quemadmodum distribuat, quemadmodum impertiatur, quemadmodum, quibus potuerit, necessitatibus hominum subveniat. Non ergo divitiæ, sed utens male divitiis ipse est malus. Job ergo bene usus est divitiis, sicut bene usus est Abraham. Certe enim, fratres, ille mendicus ulcerosus jacens ante januam divitis ita egens erat, ut canes lingerent ulcera ejus. Sic certe legimus, sic scriptum est, et tamen quo ablatus est? « In » sinum Abrahæ [6]. » Recense Scripturas, vide, si pauper hic fuit Abraham. Invenies illum habuisse hic multum auri, multum argenti, multum pecorum, multum mancipiorum, et prædiorum. Ergo pauper levatur in

[1] Luc. XVI, 25. — [2] Psal. XXXIII, 2. — [3] Hebr. XII, 6. — [4] Psal. X, 4. — [5] Psal. XXXVIII, 6, 7. — [6] Luc. XVI, 22.

(a) *Mathematicus*, i. e. Astrologus, Divinator, ut sæpe in Opp. S. Doctoris. Pro *Sortilogo* malo *Sortilegum*, ut T. III. P. II. *In Evang. Joan. c. 1. Tract. 7. col.* 344. ubi etiam *Præcantores*. Remedia, quæ memorat, alibi pluries *Ligaturas*, i. e. Amuleta vocat. — (b) Similia supra *Serm. VII. n.* 3. — (c) In servitutem. Quo pertinet sensus vocis obscœnus apud *Suet. Jul. Capitol.* et *Lamprid.*

sinum divitis. Si meritum illi paupertas faceret, non eum ad requiem Abraham ipse præcederet, et eum succedentem susciperet, sed quia hoc in paupere Lazaro erat, quod erat in divite Abraham, id est, humilitas, pietas, Dei cultus, Dei observantia, nec illi obfuerunt divitiæ, nec huic paupertas, sed illius meritum pietas fuit. Inde in illo divite, qui male mutavit vices, non reprehenduntur divitiæ ipsius, sed animus ipsius. « Induebatur enim » purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide [1]. » Et patiebatur ulcerosum mendicum jacere ante januam suam? et eum superbe contemnens non satiabat ejus inopiam. Quid putatis dixisse divitem fastidientem mendicum? Quid hic jacet iste! Sed merito illa lingua, quæ contempsit pauperem, guttam de digito ejus desiderabat.

VI. Cum ergo Job sanctus, ut dixi, haberet multas divitias, laudavit Deum, tentatus, ut probaretur; probatus, ut ostenderetur. Latebat enim non solum homines, sed et ipsum diabolum latebat, qui diligentius inspicit, quam quisquam hominum. Latebat ergo eum, quis esset Job, sed Dominum non latebat. Permisit tentatorem probator; probator autem non sibi, sed nobis, ut nobis manifestaret, quid imitari debeamus. Non enim ipsi diabolo voluit ostendere Job, sed per diabolum nobis, ut diabolo victo nos haberemus, quod imitaremur. Ergo amissis omnibus, non paulatim, sed repente, ait: « Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino placuit, » ita factum est. Sit nomen Domini benedictum. Sicut » Domino placuit, ita factum est [2]. » Non potest pravum esse, quod recto placuit. Non potest malum esse, quod bono placuit. « Bonus enim Deus Israël rectis corde. » Rectus corde erat Job, ideo decebat eum laudatio. « Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino placuit, » ita factum est. » Confessus est laudans: « Sit nomen » Domini benedictum. Dominus dedit, et Dominus abs» tulit. » Erat copia, nunc est inopia. Apud me res mutatæ sunt, ille non est mutatus. Ego aliquando dives, aliquando pauper. Ille semper dives, semper rectus, semper pater. » Sit nomen Domini benedictum! » Non enim benedictum erat nomen Domini in copia mea, et maledictum erit in inopia mea. Absit hoc a me. Hoc dicebat Job divitiis interioribus ditatus. Totam domum amiserat, sed pectus plenum erat. Amiserat domum, aurum, impleverat pectus. Deus pro his omnibus, quæ dederat, ipse aderat. « Dominus dedit, Dominus abs» tulit. » Videte, quemadmodum intelligat supereminentissimam potestatem. Ne forte Deum velis colere, o Christiane! propter regnum cœlorum, et diabolum timeas propter bona terrena. Omnino penes illum est tota potestas et summa. Diabolus nocere tantum voluit, non permissus non potuit. Apud illum ergo potestas est. Cæterum, si tantum liceret diabolo, quantum vult, quis Christianorum remaneret? Quis Dei cultor in terra relinqueretur? Non videtis templa ejus cadere, simulacra confringi, sacerdotes ejus ad Deum converti? Non putatis hinc dolere, et torqueri diabolum? Si ergo pro dolore suo et potestas ei esset, quæ Ecclesia in terra remaneret? Proinde cum Job sanctus per diaboli insidias omnia perdidisset, non dat ei aliquam potestatem. Cum laudat Deum, non ait: Dominus dedit, diabolus abstulit; sed ait: « Dominus dedit, Dominus abstulit. » Nihil sibi arroget diabolus. Et quod dives eram, Dei erat, et quod pauper sum, Dei est. Et si permissus est ut tentaret, non est permissus ut suffocaret. Suffocaret autem non gulam tenens et confringens, sed spiritum intercludens. Si forte ille tribulationis passus angustias unum verbum blasphemum ex ore emitteret, tunc exhalaret extremum suffocatus excluso a se spiritu vitæ. Hoc nec in illa repentina paupertate fecit, nec in illo ultimo vulnere.

VII. Nam, cum parum fuisset diabolo abstulisse omnia, quæ ille possidebat, abstulit et filios, quibus ille possidebat, sola relicta uxore. Solam enim illam non abstulit, et hoc utique sciens, quid faceret. Noverat Adam per Evam deceptum. Servabat ego suam potius adjutricem, quam mariti consolatricem. Cum ergo abstulisset illa omnia, et reliquisset unam, per quam rursus tentaret, parum ei fuit; petit etiam auferre sanitatem corporis. Et ipsam permissus est auferre, ut et in illo vulnere positus Job laudaret Deum rectus corde, in nullo varians, quem decebat laudatio. Accessit ad eum illa ad hoc, relicta, et persuasit, imo suasit blasphemiam. Ait enim: « Quanta mala patimur! Dic aliquid in Deum, » et morere [3]! » Primo Eva a diabolo quasi ad vitam invitata seducta est, et invenit mortem. Etenim diabolus ait: « Non morte morieris [4]. » Et putans se habituram vitam, mortem invenit, quia contra præceptum Dei fecit, et contra præceptum Dei viro persuasit. Modo contra: « Dic aliquid in Deum, et morere! » Sufficiat Evæ, quia persuasit facere contra præceptum Dei. Illa adhuc Eva. Ille jam non Adam. Illa a diabolo impleta, ille exemplo correctus. Melior Job in stercore, quam Adam in Paradiso. Ut noveritis quantum sit rectum cor habere, Job quomodo prostravit diabolum in illa inopia, in illo vulnere? Respondit enim mulieri, et ait: « Tan» quam una ex insipientibus mulieribus locuta es. Si » bona percepimus de manu Domini, mala non sustinebi» mus [5]? » Benedixit Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore illius. Rectus enim erat corde, propterea illum decebat laudatio. Estote recti corde. Si vultis autem esse recti corde, non vobis displiceat in aliquo Deus. Aut enim vides causam, quare faciat, quod facit, et causam intuens non reprehendis, aut, si te causa latet, scito, quia ille facit, qui in nullo poterit displicere.

VIII. Dejicit, nescio, quis domum suam, reprehenditur. Si causam noveris, fors non reprehendis hominem facientem. Utique in hac modo Basilica sumus, et angusta est, et habet aliquid parvum, et placuit Domino alteram fieri, et destruenda erit hæc. Quicumque forte viderit dejicientes, cum cœperit dejici, dicet: Hic non oratum est? Hic nomen Dei non invocatum est? Quid patiuntur isti, ut dejiciant? Displicet opus, quia latet consilium. Sic ergo et Deus aliquid facit. Quare faciat, aut scis, et laudas, aut nescis, et credis, si rectus es corde. Ipse est enim rectus corde, qui et in ipsis causis, quas novit, laudat Deum, et in his, quas nescit, non dat insipientiam Deo. Injuste, et stulte reprehenderis, Homo gubernator domus tuæ! ab ignaro causarum, et ignaro consiliorum tuorum, et tu audes Gubernatorem totius mundi, et Creatorem cœli et terræ reprehendere, quia flavit ventus, et aruerunt vites, aut surrexit nubes, et fudit grandinem? Noli reprehendere. Novit ille omnia opera sua et gubernare, et numerare. Tu certe non potuisti fabricare cœlum et terram, et tamen, si tibi liceat, diceres Deo: O si ego gubernarem, non facerem quod facis. Quando enim tibi displicet, nescio quid, factum a Deo, nonne velles te esse gubernatorem? Erubesce. Cui velis succedere, vide. Moriturus immortali, homo Deo. Melius est te illi cedere, quam quærere succedere. Cede Deo, quia Deus est, etsi forte contra voluntatem tuam fecit, non est forte contra utilitatem tuam. Quanta faciunt medici contra ægrotorum voluntatem, et tamen non faciunt contra sanitatem. Et errat medicus aliquando, Deus nunquam. Si ergo committis te medico aliquando

[1] Luc. XVI, 22. — [2] Job. I, 21. — [3] Job. II, 9. — [4] Gen. III, 4. — [5] Job II, 10.

erranti, committis te humano consilio, non ut adhibeat cataplasma, quod leve est, aut emplastrum, unde tibi dolorem non faciat, sed plerumque ut urat, ut secet, ut auferat membrum tibi, et tecum totum, committis te illi, non dicis : Hic forte errat, et ego minus habebo unum digitum; permittis ut tollat unum digitum, ne forte inde totum corpus putrescat, et non permittis Deum secare, ut tollat aliquid de fructibus tuis, si forte in ipsa moderatione habeas disciplinam?

IX. Ergo, fratres, estote recti corde, id est, ut in nullo vobis Deus displiceat. Non dico, ut eum non rogetis. Rogate, quantum potestis, in afflictione. Suspendit umbrem; rogandus est, sed et, si pluerit, laudandus, sed et, si non pluerit, laudandus, tamen rogandus. Non enim dicimus, ut non rogetis. Aliquando enim flectitur, et concedit rogantibus, et non vult concedere non rogantibus. Arrogans est Deus, ut non concedat, nisi roganti. Sed tunc anima parvula ad magnitudinem Dei proficiet, si ei in tribulatione subveniat, ut nobis rogantibus et tribulatis det consolationem. Dulcescere nobis vult bono nostro, non suo. Videte enim, quid mali est, ut tibi dulcis factus sit mundus, et amarus sit Deus, qui fecit mundum. Nonne mutandus es, nonne corrigendus es, ut habeas rectum cor? Imo sit amarus mundus, et dulcis sit Deus. Misceat itaque Dominus Deus noster amaritudines mundo huic. Misceat plane! Hic fruere (*a*), circumfluere, abundare deliciis, oblivisci Deum delectat. Si habet aliquid amplius pecuniæ, nugari inde vult, non vult inde aliquid utile facere, aliquid cœleste comparare; perdere vult et pecuniam, et se, et cæteres, in quos impendit pecuniam. Non vultis ergo, ut resecet Deus superflua, ne de putredine totum putrescat? Novit ergo, quid agat. Dimittamus illum, tantum nos curandos demus, non medico consilium præbeamus. Conversi ad Dominum, etc.

SERMO XXII.

De verbis Psalmi LI. *vers.* 10. Speravi in misericordia Dei (*b*).

SYNOPSIS.

I. Quandiu debeat durare Spes nostra. II. Spes humanæ longæ, inanes, fallaces. III. Quænam vera Spes nostra.

I. Primo respondeam Fratri et Collegæ meo. Ego mane inquietam dixi debere esse charitatem, non pigram, sed quia hoc voluit, nos obaudiamus et illi, et Deo per illum, et vobis, et det (*c*) in vobis obedientiam. Cantavimus : « Speravi in misericordia Dei[1]. » De spe nostra pauca dicamus. Et verba quidem sermonis nostri competentem tempori finem habebunt, Spes autem ipsa, de qua sermo est, perdurare debet, et non cum sermone nostro cessare. Nos loquamur, et desinamus, illa semper clamat ad Deum. Sed et ipsa Spes (durum erit fortasse, quod dico, sed non offendet, si ostendero, quare dico, et credo, quia non offendet) sed et ipsa spes non erit sempiterna. Cum enim res venerit, Spes non erit. Tandiu quippe dicitur Spes, quandiu nondum tenetur res, dicente Apostolo : « Spes autem, quæ videtur, non est » Spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem » quod non videmus, speramus, per patientiam expecta- » mus[2]. » Si ergo Spes, quæ videtur, non est Spes, quia quod videt quis, quid sperat, et ideo vocatur Spes, quia, quod non videmus, speramus, cum venerit, quod videamus, Spes non erit, quia res erit. Nec tunc maledictum erit, esse sine Spe; modo vero cuicumque sine Spe esse, maledictum est, et opprobrium. Et væ illi, qui sine Spe modo est! Male est enim sine Spe esse, quia nondum est cum re. Tunc esse desinat Spes, quando tenebitur res.

II. Res autem ipsa, quæ est, quæ tenebitur? Quid est, quod succedet Spei? Videmus enim modo homines multa terrena sperare, et secundum sæculum. Ipsa vita nullius hominis est sine Spe, et, donec moriatur, quisque non est sine Spe. Spes in pueris, ut crescant, ut erudiantur, ut aliquid noverint. Spes in adolescentibus, ut uxores ducant, ut filios generent. Spes in parentibus filiorum, ut nutriant, ut erudiant, ut grandes videant, quibus parvulis blandiebantur. Ut ipsam vitam Spei humanæ potissimum (*d*) nominem, quæ quasi naturalior, et excusabilior, et tristior (*e*) est. Sunt enim multæ Spes vulgares, multum reprehensibiles; sed hanc teneamus, quæ civilis et naturalis est. Ad hoc enim quisque nascitur, ut crescat, ut conjungetur, ut filios procreet, ut erudiat, etiam ut pater dicatur filiorum. Quid amplius quærit? Et nondum est finita spes. Optat conjungere filiis suis uxores, et adhuc sperat. Et cum et hoc adeptus fuerit, optat nepotes. Et cum hos habuerit, jam ecce tertia successio est, et piger est senex dare locum pueris. Adhuc quærit sibi quid optet, quærit quid speret, et benevolus videtur. Utinam, inquit, vocet me puer ille avum, et audiam hoc de ore ipsius, et moriar! Crescit puer, vocat avum, et ille nondum se cognoscit avum. Utique enim, si avus est, si senex est, quare non agnoscit, migrare jam debere, ut succedant, qui nati sunt? Et cum audierit a voce parvuli honoris nomen, vult illum ipse erudire. Numquid deest, ut speret et pronepotem? Sic moritur, et sperat, et sperat aliud atque aliud, cum illud, quod sperabat, acceperit. Sed accipiendo, quod sperabat, non satiatur, inhiat in aliis. Quare veneras, quod sperabas? Certe jam, ut finias, quo pergis. Non finis extenditur. Et quantos fallit hæc Spes, Spes trita! Primo non satiat, cum venerit, et quantis non venit! Quanti speraverunt uxores, et ducere non potuerunt! Quanti speraverunt, cum quibus eis bene esset, et duxerunt, a quibus cruciarentur! Quam multi optaverunt filios, et suscipere nequiverunt! Quam multi de susceptis malis gemuerunt! Sic omnia. Speravit aliquis divitias; non adeptis cruciatus est cupiditate, aut adeptis tortus timore. Et nemo est, qui sperare desinat, nullus satiatur. Tam multi falluntur, et ab spe sæculi non quiescunt.

III. Sit aliquando et Spes nostra non fallax, sed satians, et aliquid tam bonum, ut amplius esse non possit. Quæ est ergo res, quam speramus, quæ cum venerit, cessabit Spes, quia succedet res. Quid est illud? Terra est? Non. Aliquid, quod in terra nascitur, sicut aurum, argentum, arbor, seges, aqua? Nihil horum. Aliquid,

[1] Psal. LI, 10. — [2] Rom. VIII, 24, 25.

(*a*) Mendum Librarii pro *frui*. Sequens usque ad: *Si habet — impendit pecuniam*, intrusum videtur. — (*b*) In Cod. *fol.* 71. inscriptus : *Sermo sancti Augustini ep.* De Spe humana et divina præclare disserit. Habitum fuisse in Officio vespertino docet Exordium. Quis fuerit Episcopus ille, qui Charitatem quietam inquietæ prætulit, ignoro. Sermonem Augustini *de Charitate inquieta* notat Possidius in *Indiculo Opp. c.* 8. reperiendum fortasse, si Bibliothecarum scrutatores non contenti fuerint Elenchos Mss. percurrere, aut sola Codicum terga lustrare. Eodem C. Possidius et præsentem memorat, qui Editioni post *Sermonem XX* inseri potuit. — (*c*) Fortassis excidit : *Deus*. — (*d*) Lego : *Ut ipsam spem vitæ humanæ potissimum*. — (*e*) Potius : *tritior*, et paulo infra *Spes trita*.

quod in aëre volitet? Abhorret anima. Numquid forte cœlum est, tam speciosum, ornatumque luminibus? Quid enim in his rebus visibilibus delectabilius, quid pulchrius? Neque hoc est. Et quid est? Delectant ista, pulchra sunt ista, bona sunt ista. Quære, qui fecit. Ipse est Spes tua. Ipse est modo Spes tua, ipse erit postea res tua. Spes est credentis, res erit videntis. Dic ei : « Spes mea es tu. » Bene enim modo dicis : » Spes » mea es tu. » Credis enim, nondum vides. Promittitur tibi, nondum tenes. Quandiu es in corpore, peregrinaris a Domino, in via es, nondum in patria. Ipse rector, et conditor patriæ via factus est, ut te perducat. Dic ergo illi modo : « Spes mea es tu. » Quid postea? « Por» tio mea in terra viventium[1]. » Quæ modo Spes tua est, postea erit portio tua. Sit Spes tua in terra morientium, et erit portio tua in terra viventium. Conversi ad Dominum, etc.

SERMO XXIII.

De verbis Psalmi CXLV, *vers.* 1. Laudabo Dominum in vita mea, etc. (*a*).

SYNOPSIS.

I. Dei laus producenda ultra hanc vitam. II. Nihil in hac vita diu Christiano non imponat felicitas transitoria. IV. Extrema Divitis et Lazari nos erudiant.

I. De verbis istius Psalmi, quem modo cantavimus, donet Dominus, ut vobis loqui valeamus. Diximus enim : » Laudabo Dominum in vita mea. Psallam Deo meo, » quandiu vivo[2]. » Quibus verbis hoc primo admoneamus Charitatem Vestram, ne, cum auditis, vel dicitis : « Quandiu vivo, psallam Deo meo; » existimetis, cum hæc vita finita fuerit, finiri nobis laudem Dei. Magis enim tunc laudabimus, quando sine fine vivemus. Si enim laudamus in peregrinatione, unde transimus, quomodo laudabimus in domo, unde nunquam migrabimus? Sicut dicitur, et legitur, et canitur in alio Psalmo : « Beati qui habitant in domo tua. In sæcula sæculo» rum laudabunt te[3]. » Ubi audis : « In sæcula sæculo» rum, » finis nullus est, et vivere beata vita, ubi Deus sine dubitatione conspicitur, sine offensione amatur, sine fine laudatur. Prorsus hoc erit nostrum vivere, Deum videre, amare, laudare. Si ergo laudamus, quando credimus, quomodo laudabimus, cum viderimus. Quomodo laudabitur species, si sic laudatur fides. Dicit enim Apostolus : « Quandiu enim sumus in corpore, pe» regrinamur a Domino. Per fidem enim ambulamus, et » non per speciem[4]. » Modo ergo per fidem, tunc per speciem. Modo credimus, quod non videmus, tunc videbimus, quod credebamus. Non confunditur, qui credit, quia verum est, quod videbit; Dominus autem noster prius in nobis ædificavit fidem, ubi (*b*), si merces fidei reddatur, non præpostere ante quæratur.

II. Dicit aliquis : Cur ergo Psalmus dixit : « Psallam » Deo meo, quandiu vivo, » et non dixit : » Psallam » Deo meo semper? » Ubi enim dicitur : « Quandiu vivo, » quasi finis significatur, sed si (*c*) non intelligatur. Si putas de hac vita dictum : « Quandiu vivo, » discute vitam istam, utrum sit diu. Quantumcumque hic vixeris, diu non est. Quomodo est diu, quod te non satiat? Dicit puer diu vixisse hominem, quem videt senem, sed cum pervenerit, quo ille pervenit, tunc videt, quam non fuerit diu. Prorsus sic volat ætas, ita in se momenta transcurrunt, ut videamus, nudiustertius fuisse nos pueros, heri juvenes, hodie senes. Ubi ergo putas de hac vita esse dictum : « Quandiu vivo, psallam Deo » meo, » ideo, quia dixit : « Quandiu vivo, » ibi verax intellectus est, de hac vita non esse dictum, quia dixit : « Quandiu. » Nunquam enim diceret Veritas : » Quan» diu, » de ista vita, ubi nihil est diu. Potuerunt hoc videre Sapientes hujus mundi, et non hoc possunt videre Christiani? Quidam Sapientum mundi eloquentissimus homo dixit : « Quid est enim hoc omnino ipsum diu, in quo est aliquid extremum[5]? » Omnino negavit diu esse, quod ad finem quandocumque potuerit pervenire. Prorsus quandocumque, non quousque tu vixisti, si forte ad senectutem ultimam pervenisti. Unius enim hominis vita, præsertim hoc tempore, » Vapor est ad » modicum apparens. » Hoc, quod dixi, Scriptura dixit exultantibus hominibus, et per superbiam multam pollentibus, et, an continuo moriantur, nescientibus, Scriptura divina dixit, et eos ita superbientes, et in vanis confidentes suæ transitoriæ fragilitatis admonuit. » Quæ » est enim, inquit, vita vestra? Vapor est ad modicum » apparens, deinceps exterminabitur[6]. » Qui ergo se erigit in elatione, confidit in vapore, extollitur in honore, et perit cum vapore. Reprimenda est ergo superbia, et quanta possumus, intentione calcanda, et intelligendum nos in hac terra mortaliter vivere, et cogitandum esse de fine, ubi non erit finis. Homo enim, si tu, ut dicere cœperam, quicumque senuisti, valde extolleris, si putas te diu vixisse, qui aliquando finiturus es, sed ipse Adam, si adhuc viveret, et non modo, sed in fine sæculi moreretur, nihil haberet diu, in quo aliquid esset extremum (*d*). Et verissime dictum est, et prudenter intellectum est, et verum esse non tantum prædicatur, sed etiam ab auditoribus agnoscitur.

III. Referamus animum ad Psalmum, quem cantavimus, et inveniamus, quia ille non diceret : « Psallam » Deo meo, quandiu vivo, » nisi de illa vita, ubi diu est. Si enim in ista vita ideo nihil diu, quia est aliquid extremum, non ad istam vitam desiderandam vocamur, quando Christiani efficimur. Non enim propterea Christiani efficimur, ut bene nobis sit in hac vita. Si enim propterea putaverimus nos fieri Christianos, ut hic nobis bene sit secundum vitam istam temporalem, secundum felicitatem volaticam, et vapoream, valde erramus, et nutabunt pedes nostri, videntes aliquem tanta dignitate pollere, ut emineat cæteris, cum quibus vivit, sanum esse corpore, ad senectutem decrepitam pervenire. Videt hoc Christianus pauper, ignobilis, in gemitibus quotidiano labore suspirans, et dicit forte apud semetipsum : Quid mihi prodest, quia Christianus sum factus. Numquid ideo melior sum, quam ille, qui non est? Quam ille, qui in Christum non credit? Quam ille, qui Deum meum blasphemat? Admonet eum Psalmus. « Nolite fidere in » principes. » Quid te delectat flos fœni? « Omnis caro » fœnum, » Propheta loquitur, non solum loquitur, sed exclamat. Exclamavit illi Dominus. » Exclama, » inquit. Et respondit : » Quid exclamabo? Omnis caro fœnum,

[1] Psal. CXLI, 6. — [2] Id. CXLV, 1. — [3] Id. LXXXIII, 5. — [4] 2 Cor. v, 6, 7. — [5] *Cicero*, Orat pro M. Marcell'o. n. 28. — [6] Jacob. IV, 15.

(*a*) In Codice *fol.* 74. *p.* 2 inscriptus. *Sermo sancti Augustini ep.* De vitæ brevitate, et felicitate transitoria egregie rursus exemplo Divitis et Lazari illustratus. In Editione locandus post *Sermonem XXXIII.* — (*b*) Pro *ubi* videtur reponendum : *ut*, q. d. non debere quæri mercedem fidei ante ipsam fidem. — (*c*) Videtur legendum : *etsi*. — (*d*) Ineptum Emporium, quod sequitur, in margine scriptum patem.

» et omnis honor carnis, ut flos fœni. Fœnum aruit. Flos » decidit. » Ergo totum periit? Absit. » Verbum autem » Domini manet in æternum[1]. » Quid te delectat fœnum? Ecce periit fœnum. Vis non perire? Tene te ad verbum. Sic et in isto Psalmo. Attendebat enim forte Christianus pauper, humilis in Pagano forte divite ac potenti, attendebat florem fœni, et eligebat eum fortasse patronum habere magis, quam Deum. Hunc alloquitur Psalmus: » Nolite fidere in principes, et in filios hominum, qui» bus non est salus[2]. » Ille continuo respondet: Numquid de isto dicit, cui est salus? Ecce sanus est. Hodie illum vegetum video. Ego magis assidue miser ægroto. Quid attendis ista, quæ tibi placent, et quæ te delectant? Non est salus. « Exiet spiritus ejus, et revertetur in ter» ram suam. » Ecce tota salus, » Vapor ad modicum » apparens. Exiet spiritus ejus, et revertetur in terram » suam. » Transeant aliquot anni. Moveatur fluvius, sicut fieri solet. Per diversa transcurrens aliqua sepulcra mortuorum discerne ossa divitis ab ossibus pauperis. Exeunte spiritu suo revertitur in terram suam. Optime de spiritu ejus nihil dixit, quia et ille, cum viveret, nihil spiritualiter cogitavit. » Revertetur in terram suam, » secundum carnem utique, secundum corpus, ubi pollebat, ubi efferebatur, ubi te decipiebat, in cujus te carnis felicitate fallebat. « Exiet spiritus ejus, et revertetur » in terram suam. In illa die peribunt omnes cogitationes » eorum[3]. » Cogitationes illæ, quæ terrenæ erant: Ecce facio, ecce impleo, ecce pervenio. Ecce illud emo, ecce illud acquiro, ecce ad talem et talem honorem pervenio. » In illa die peribunt omnes cogitationes ejus. » Si autem, quoniam « Verbum Dei manet in æternum, » teneas te ad verbum, ut det tibi vitam æternam, non solum cogitatio tua tunc non peribit, sed tunc venit. Quando illius perit, tua tunc venit. Ille enim cogitabat temporalia atque terrena, opes opibus addere, pecuniarias facultates exaggerare, nitere honoribus, tumere potentia. Ergo, quia talia cogitabat, « In illa die peribunt omnes » cogitationes ejus. » Tu autem, si cogitabas, quia Christianus factus es, non temporalem felicitatem, sed requiem sempiternam, quando corpus tuum redierit ad terram suam, tunc invenit anima tua requiem suam.

IV. Attende Evangelium, et vide, atque inspice cogitationes duorum hominum. « Erat quidam Dives, qui » induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie » splendide[4]. » Quotidie fœnum, et flos fœni. Non te seducat illius felicitas, qui » Induebatur purpura et bysso, » et epulabatur quotidie splendide. » Superbus erat, impius erat, vana cogitabat, vana concupiscebat. Quando mortuus est, in illa die perierunt cogitationes ejus. Erat autem ante januam ipsius quidam Pauper, nomine Lazarus. Tacuit nomen Divitis, et dixit nomen Pauperis. Cujus nomen ventilabatur, ipsius tacuit Deus. De cujus nomine silebatur, ipsum dixit Deus. Nolo, mireris. Deus, quod in Libro suo scriptum invenit, hoc recitavit. De impiis enim dictum est: « Et in libro tuo non scriben» tur[5]; » itemque Apostolis, cum gloriarentur, quia in nomine Domini dæmonia illis subjecta fuerant, ne de hac re sicut homines extollerentur, seseque jactarent, quamvis de re magna, quamvis de virtute præclara: « Nolite, » inquit, in hoc gaudere, quia dæmonia vobis subjecta » sunt; sed gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in » cœlo[6]. » Deus enim inhabitator cœli tacuit nomen Divitis, quia scriptum non invenit in cœlo; dixit tamen Pauperis, quia ibi scriptum invenit, imo ibi scribi jussit. Sed videte illum Pauperem. Diximus enim de cogitationibus impii Divitis, præclari, induentis purpuram et byssum, et epulantis quotidie splendide, quia, cum mortuus esset, perierunt omnes cogitationes ejus. Pauper autem Lazarus erat ante januam Divitis, » Ulceribus » plenus, et cupiebat saturari de micis, quæ dejiciebàn» tur de mensa Divitis, et nemo illi dabat. Sed et canes » veniebant, et lingebant ulcera ejus[7]. » Ibi te volo videre, Christiane. Dicuntur enim exitus duorum istorum. Potens est quidem Deus, et in hac vita salutem dare, et egestatem auferre, et sufficientiam donare Christiano. Et tamen, si etiam hoc non esset, quid eligeres? Ut ille pauper esse, an, ut ille, dives esse? Non te fallat. Audi finem, et observa malam electionem. Sine dubio enim Pauper ille, quoniam pius erat, in ærumnis temporalibus constitutus finiendam quandoque illam vitam, et adipiscendam æternam requiem cogitabat. Mortui sunt ambo, sed illius Pauperis non illa die perierunt cogitationes. Contigit enim mori inopem illum, et auferri ab Angelis in sinum Abrahæ. In illa die sanatæ sunt omnes cogitationes ejus. Et, quoniam Lazarus in latina lingua interpretatur « Adjutus (*a*), » qui in hebræa Lazarus, bene admonuit Psalmus: « Beatus, cujus Deus Jacob » adjutor ejus[8]. » Quando spiritus ejus exibit, et caro ejus revertetur in terram suam, non peribunt cogitationes ejus, » Quia spes ejus in Domino Deo ejus. » Hoc discitur in schola Christi doctoris, hoc speratur ab animo fidelis audituris, hæc est merces verissima Salvatoris.

SERMO XXIV.

De verbis Evangelii Luc. XVI. *vers.* 19-31, Homo quidam erat dives, etc. (*b*).

SYNOPSIS.

I. Oraculis Propheticis de Christo, et ejus Ecclesia Judæi nondum credunt. II. Judæorum incredulitas coarguitur exemplo divitis Epulonis. III. Dives Epulo salubre nobis exemplum. IV. Satis de futuris præmoniti nullam excusationem habemus. V. Fides nostra confirmanda ex jam impletis, et ex promissis a Deo. VI. Dei Promissa in Gente Judæorum ex Abraham, cujus fides commendatur. VII. Dei in exolvendis promissis fidelitas, et insania Idololatrarum. VIII. Deus quærit imaginem suam in anima, ut Cæsar in nummo. IX. Quanta promissa Dei jam exoluta sint. X. Abrahæ fides nobis exemplum. XI. De tolerandis adversis duplex similitudo. XII. Dei patientia nobis utendum est, et illa imitanda. XIII. Committere nos debemus Deo in adversis absque querela. XIV. Exhortatio ad patientiam.

I. Christianorum fides, quæ ab impiis et infidelibus irridetur, hæc est, quia nos dicimus, esse aliam vitam post istam vitam, et esse a mortuis resurrectionem, et esse post transactum sæculum in fine judicium. Hoc cum in rebus humanis non crederetur, prædicaretur autem, et annuntiaretur a Prophetis servis Dei, et a Lege, quæ per Moysen data est, et adhuc incredibile hominibus videretur, venit Dominus et Salvator noster Jesus Christus, qui hoc hominibus persuaderet. Qui cum sit Filius Dei natus

[1] Isai. XL, 6-8. — [2] Psal. CXLV, 3. — [3] Ibid. 4. — [4] Luc. XVI, 19. — [5] Psal. LXVIII, 29. — [6] Luc. X, 20. — [7] Id. XVI, 21. — [8] Psal. CXLV, 5.

(*a*) Ita et Hieronymus in *Interpret. Nom. Hebr.* Videlicet a *Deo adjutus* ab אל et עזר. Idem, quod אליעזר, aut עזריה. — (*b*) In *Codice fol.* 80. inscriptus: *Sermo sancti Augustini episcopi De Divite et Lazaro.* Veritas potens Religionis christianæ comprobata ex hactenus impletis, et deinceps implendis Dei Promissis cum Exhortatione ad Patientiam. Meminit insignis Sermonis Possidius in *Indiculo Opp. c.* 8. Collomandus in Editione post *Sermonem CXIII.*

de Patre invisibiliter, et ineffabiliter, coæternus Patri, et æqualis Patri, et cum Patre unus Deus, cum sit Verbum Patris, per quod facta sunt omnia, et Consilium Patris, per quod reguntur omnia, tantam magnitudinem suam, et incomprehensibilem majestatem, ac potestatem, quæ non poterat cognosci ab hominibus, deposuit ad terras (*a*) accipiendo carnem, et apparendo oculis hominum. Cum ergo Deus, id est, ipsa Divinitas, in Christo non videretur, caro visa contemnebatur; ille autem interiorem suam Divinitatem miraculis approbabat (*b*). Et cum talis videretur, qui humanis oculis posset sperni, tantum faciebat, ut in ipsis operibus appareret Filius Dei. Cum ergo magna faceret, utilia præciperet, corrigeret vitia, castigaret, virtutes doceret, sanitates etiam corporum operaretur, ut sanaret mentes infidelium, iratus populus, ubi est natus, et nutritus, et tanta ista fecit, occidit eum. Ille autem, qui nasci venerat, utique et mori venerat. Nec mortem carnis suæ, quam propter exemplum demonstrandæ resurrectionis acceperat, voluit esse infructuosam, sed permisit eam magis manibus impiorum, ut, cum illi nollent facere, quod jubebat, pateretur ille, quod volebat. Factum est. Occisus est Christus, sepultus, resurrexit, ut novimus, ut testatur Evangelium, ut jam toto orbe prædicavit (*c*), et adhuc Judæi, videtis, quia nolunt credere in Christum, jam posteaquam resurrexit a mortuis, et glorificatus in oculis Discipulorum suorum ascendit in cœlum, cum jam impleantur per totum orbem terrarum præconia Prophetarum. Etenim omnes Prophetæ, qui prænuntiaverunt Christum nasciturum, et moriturum, et resurrecturum, et in cœlum ascensurum, prænuntiaverunt etiam Ecclesiam ejus per omnes gentes futuram. Judæi autem, si non viderunt Christum resurgentem, et ad cœlum euntem, viderent saltem Ecclesiam toto orbe diffusam, quod utique cum impleretur, prædicta Prophetarum dicta implerentur.

II. Fit in illis, quod modo audivimus ex Evangelio. Ideo enim non audiunt Christum, qui a mortuis resurrexit, quia Christum in terra positum non audierunt. Hoc enim dixit Abraham illi Diviti, qui apud inferos torquebatur, et volebat aliquem mitti ad superos, ut fratribus ejus nuntiaret, quid agatur apud inferos, et antequam venirent ad loca illa tormentorum, viverent bene, agentes pœnitentiam de peccatis suis, ut mererentur ire potius in sinum Abraham, non ad illa tormenta, quo Dives ille pervenit. Cum ergo hoc ageret ille Dives sero misericors, qui Pauperem jacentem ante januam suam contempserat, et propterea forte (*d*) superbus in illum erat, ipsa lingua ardebat, et ibi stillam aquæ desiderabat, cum ergo non egisset apud superos, quod agendum illi erat, ne illuc veniret, sero cœpit esse misericors pro aliis. Sed quid ait Abraham? « Si Moysen et Prophetas » non audiunt, neque, si quis a mortuis resurrexerit, per» suadebit eis[1]. » Omnino verum est, fratres. Ideo Judæis hodie non persuadetur, ut credant in eum, qui resurrexit a mortuis, quia Moysen et Prophetas non audierunt (*e*). Nam si illos audire vellent, ibi invenirent prædictum esse, quod modo impletum est, et nolunt adhuc credere. Quod ergo de Judæis diximus, de nobis agamus, ne cum alios attendimus, et nos in ipsam impietatem incidamus. Evangelium, charissimi, Judæis non legitur, Moyses et Prophetæ leguntur, quos nolunt audire. Quod si audire vellent, crederent in Christum, quia Moyses et Prophetæ Christum venturum prædicaverunt. Non ergo nos tales simus, quando nobis legitur Evangelium, quales sunt illi, quando illis leguntur Prophetæ. Apud ipsos enim, ut dixi, Evangelium non recitatur, apud nos recitatur.

III. Ecce audistis modo ex Evangelio duas vitas : unam præsentem, alteram futuram. Præsentem habemus, futuram credimus. In præsenti sumus, ad futuram nondum pervenimus. Cum in præsenti sumus, futuræ meritum comparemus; nondum enim mortui sumus. Numquid Evangelium apud inferos recitatur? Quod utique si recitaretur, frustra illud Dives audiret, quia jam fructuosa pœnitentia esse non posset. Nobis ibi legitur, et ibi a nobis auditur, ubi dum vivimus corrigi possumus, ne ad illa tormenta veniamus. Credimus quod legitur, an non credimus? Absit ut hoc opinemur de Charitate Vestra, quia non creditis! Christiani enim estis, nec Christiani ullo modo essetis, si Evangelio Dei non crederetis. Quia ergo Christiani estis, manifestum est vos Evangelio credere. Audivimus. Modo recitatum est. Erat utique Dives superbus, utique extollens se in divitiis, qui « Induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie » splendide[2]. » Jacebat autem ad januam ejus ulcerosus pauper quidam nomine Lazarus, cujus etiam ulcera canes lingebant, et cupiebat « Saturari de micis, quæ ca» debant de mensa Divitis[3], » et non poterat. Ecce crimen Divitis, quia utique de micis saturari cupiebat, et non poterat, cui participanda humanitas erat. Ille ergo Dives, si compateretur Pauperi ante januam suam jacenti, et vellet esse de divitiis illis misericors, illuc veniret et ipse, quo venit et ille Pauper. Non enim illum Lazarum paupertas duxit ad requiem et non humilitas, aut vero illum Divitem ab illa tanta requie divitiæ retraxerunt, et non superbia et infidelitas. Nam, ut noveritis, fratres, quis apud superos Dives iste infidelis fuit, de verbis ipsius approbemus, quæ dixit apud inferos. Intendite. Voluit aliquem a mortuis ire, ut nuntiaret fratribus ipsius, quid agatur apud inferos, et cum illi hoc non concederetur dicente Abraham : « Habent Moysen, et » Prophetas. Audiant illos. Non, pater Abraham, in» quiens, sed, si quis hinc ab inferis ierit, persuadebun» tur; » ostendit, quia et ipse, cum esset apud superos, non credebat Moysi et Prophetis, sed aliquem surgere sibi a mortuis cupiebat. Attendite tales modo, et videte, ubi ex exemplo hujus Divitis admonemur, si fidem habetis. Quanti sunt, qui modo dicunt : Bene nobis sit, cum vivimus! Manducemus, et bibamus, et deliciis istis perfruamur! Quid est, quod nobis dicitur, quis erit postea? Quis huc inde rediit? Quis huc inde surrexit? Dicuntur hæc. Hoc dicebat Dives ille, et, quod non credebat vivus, expertus est mortuus. Melius vivus fructuose corrigeretur, quam mortuus infructuose torqueretur!

IV. Nunc ergo mutemus verba ipsa, si quis forte in nobis est, qui hæc solet dicere. Non enim ostendit Deus modo, quod nos jubet credere. Ideo illud non ostendit, ut merces sit fidei. Si enim ostendat tibi, quod meritum habes, quia credis! Non est jam credere, sed videre. Magis tibi hoc non ostendit Deus, ut credas. Imperat tibi, quod credas, servat tibi, quod videas. Sed si non credas, cum imperat fidem, speciem suam non tibi servat, sed illud tibi servatur, unde Dives ille apud inferos torquebatur. Et, cum venerit Dominus noster et Salvator Jesus Christus, qui sic annuntiatur modo venisse, ut speretur etiam esse venturus, veniet cum retributionibus fidelium, et infidelium : fidelibus præmia daturus, infi-

[1] Luc. XVI, 31. — [2] Ibid. 19. — [3] Ibid. 21.

(*a*) Rescribendum puto : *ad tempus*. — (*b*) In membranis : *approbat*. — (*c*) Nempe Evangelium. Fortasse autem legendum : *prædicatur*. — (*d*) Intersero : *quia*, quod excidisse videtur. — (*e*) Numquid potius : *audiant*.

deles in ignem æternum missurus. Et dixit hoc in Evangelio, quomodo sit in fine judicaturus. Positurum se alios ad dexteram, alios ad sinistram, et discreturum omnes gentes, sicut pastor separat oves ab hœdis; justos ad dexteram futuros, impios ad sinistram; justis se dicturum: « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod » vobis paratum est ab initio mundi. » Impiis autem et infidelibus: « Ite in ignem æternum, qui paratus est dia» bolo et angelis ejus[1]! » Quid tibi amplius potuit prodesse Judex, quam ut definitivam sententiam suam tibi diceret, ne in illam possis incurrere? Fratres, omnis qui minatur, non vult ferire. Nam, si subitaret (*a*), et feriret. Qui dicit: Observa; non vult invenire, quem feriat. Homines sibi plagas conciliant, homines sibi pœnas comparant, qui tandiu dicenti Deo: Observate; nolunt credere. Et quidem errantis pœna, quæ hic est forte aliqua afflictio, et aliquod flagellum, aut emendatorium, aut probatorium est. Aut enim emendatur quisque pro peccatis suis, ne incidat in majores pœnas non emendatus, aut probatur uniuscujusque fides, qua tolerantia, aut qua patientia sub flagello patris permaneat, non murmurans de patre castigante, et gaudens ad blandientem, sed ita gaudens ad blandientem, ut gratias agat et castiganti, quia « Flagellat omnem filium, quem recipit[2]. » Quanta Martyres passi sunt, quanta toleraverunt! Quas catenas, quos squallores, quos carceres, quos cruciatus, quas flammas, quas bestias, quæ genera mortis! Calcaverunt omnia. Videbant enim aliquid spiritu, ut, quod videbant corpore, non curarent. Erat in illis oculus fidei, tendebatur oculus in futura, contemnebant præsentia. Cujus autem oculus de futuris extinctus est, expavescit ad præsentia, et non pervenit ad futura.

V. Est ergo fides, quæ ædificatur in nobis. Modo, quicumque non vult credere, quia natus est Christus de Maria Virgine, quia passus est, quia crucifixus est, credat Judæis, quia fuit, et occisus est, credat Evangelio, quia de Virgine natus est, et resurrexit. Est enim, unde credat. Et inimici Judæi non audent dicere: Non fuit Christus in gente nostra, aut: Non fuit iste homo, nescio quis, quem colunt Christiani. Fuit, dicunt, et parentes nostri occiderunt illum, et mortuus est, ut homo. Si ea, quæ consecuta sunt mortem ipsius, invenimus dicta (*b*) a Prophetis, quia in nomine ejus cursurus (*c*) erat totus mundus, quia adoraturæ illum erant omnes gentes, et omnes patriæ gentium, quia omnes etiam reges sub jugum ipsius mittendi erant, et videmus impleta post mortem Christi, quæ prædicta erant ante nativitatem Christi, quomodo nos fallimus, si cætera credere nolumus, cum videamus in nobis multa impleta? Nos enim ipsi, fratres, non soli nos, qui hic sumus Christiani, nos totus mundus sumus modo. Ante paucos annos non eramus, et mirum est, quomodo factum sit, ut, quod per tot secula non erant, modo sint. Legimus illud in Prophetis. Ne putemus casu evenisse, invenimus prædictum esse. Hinc enim augetur fides nostra, hinc ædificatur, hinc confortatur. Nemo est, qui dicat: Subito accidit. Unde? Ecce hoc, quod nunquam fuit in terra. Nonnunquam in Scripturis debitor in illis (*d*) Deus tenebatur, sed tempore suo debitum redditurus. Unde autem debebat Deus? An ab aliquo mutuum acceperat, qui omnibus omnia insuper donat? Qui fecit, quibus donaret? Non enim vel ipsi homines, quibus aliqua donarentur, erant. Potest aliquis dicere: Meritis meis Deus concessit hæc bona? Puta, concessit meritis tuis bona ista. Ut esses, cui concessit? Qui non eras, quid tibi donavit? Ut esses gratis. Non enim promerueras illud, antequam esses. Crede ei, quia et cætera gratis tibi donare dignatus est. Habemus ergo gratiam Dei, at tenebat Deum quodam modo debitorem mundus totus. Imo non tenebat, quia cautionem, quam fecerat, nesciebat. Promittendo se fecit debitorem, non mutuum accipiendo. Nam duobus modis dicitur debitor: Redde, quod accepisti, aut quod promisisti. Quia, quod promisit Deus, non potest dici: Redde; nihil enim ab homine accepit, qui totum homini dedit; restat ut debitor non sit, nisi quia polliceri dignatus est.

VI. Hæc pollicitatio in Scripturis erat, hæ Scripturæ in una gente Judæa, quam elegit nasci de carne servi sui, fidelis sui, qui in illum credidit. Et quomodo gens illa nata est? De Abraham sene, et de Sara sterili. Ut parturiretur, ut nasceretur ipse Isaac, unde venit gens Judæorum, miraculum fuit[3]. Nihil de membris suis senex sperabat, nihil de sterilitate conjugis suæ optare audebat. Quod omnino non computabat, Deus illi obtulit, et offerenti Deo credidit, qui a Deo optare non ausus est. Et cum credidisset, et natus ei esset filius, de quo credidit, nascituram innumeram prolem, petiit Deus ipsum filium immolari sibi[4]. Tantæ autem fidei fuit Abraham, ut non dubitaret immolare unicum, de quo acceperat promissum. Numquid hæsitavit, et dixit Deo: Domine, pro magno mihi concessisti filium in senectute, pro magnis votis, pro magna lætitia, insperato mihi natus est filius. Hunc exigis, ut occidam? Nonne melius erat, ut non dares, quam ut datum auferres? Non hæc dixit, sed credidit utile esse, quidquid Deum videbat velle. Hæc est fides, fratres. Certe Pauper ille in sinum Abrahæ sublatus est, et Dives ille ad tormenta inferorum. Ut sciatis non in culpa esse divitias, Abraham dives erat, in cujus sinu Lazarus requiescebat. Dives hic erat in terra: sicut habemus docentem Scripturam. Habebat multum auri, argenti, pecorum, familiæ. Dives erat, sed superbus non erat. Ut noveritis, quia in divite sola torquebatur superbia, sola torquebantur vitia. Ipsa meruerant pœnam, non substantia Dei. Substantia enim Dei bona cuicumque datum (*e*) fuerit. Sed bene utenti merces acquiritur, male utenti pœna retribuitur. Attendite autem, quomodo habebat Abraham divitias. Numquid filiis suis servabat? Si ipsum filium jubente Deo obtulit, divitias quomodo contempsit?

VII. Ergo hæc Scriptura, ubi se Deus promittendo fecerat debitorem, latebat apud Judæos. Venit Dominus noster Jesus Christus, secundum ipsam Scripturam natus, quia secundum ipsam redditus (*f*). Secundum ipsam Scripturam passus, quia in ipsa prænuntiatus passurus. Secundum ipsam Scripturam resurgens, quia in ipsa prænuntiatus resurrecturus. Secundum ipsam Scripturam ascendens in cœlum, quia in ipsa prænuntiatus ascensurus. Posteaquam ascendit ignoratus a Judæis, cœpit mittere Apostolos suos ad gentes, et quodam modo excitare dormientes, et dicere: Surgite, recipite debitum, quod olim vobis promissum est! Quis est, qui excitat creditorem suum, et offert illi quod debet? Non enim gentes, quia debitorem habebant Deum, surrexerunt. Vocatæ sunt, in Scripturam intendere cœperunt, et ibi invenire, quia, quod accipiebant, jam olim ipsis promissum erat. Acceperunt Christum promissum, et exhibitum, acceperunt gratiam Dei, Spiritum sanctum promissum, et

[1] Matth. xxv, 34-41. — [2] Hebr. xii, 6. — [3] Gen. xvii et xxi. — [4] Id. xxii.

(*a*) Id est: *obrueret illico*. Vox Afris familiaris, qua usus S. Cyprianus *Epist.* 57, et Pontius Diac. in ejus *Vita*, Tertul. et alii. — (*b*) Puto: *prædicta*. — (*c*) Fortassis: *in nomen ejus cursurus*, vel *crediturus* pro *cursurus*. — (*d*) Aut redundat *in illis*, aut subintelliguntur prædicta, vel promissa — (*e*) Lego *data*. — (*f*) Fortasse legendum: *promissus*.

exhibitum, acceperunt ipsam Ecclesiam per omnes gentes, dispersam, promissam, et exhibitam. Idola, quæ colebant gentes, promiserat Deus se eversurum. Legitur in Scripturis; ibi illud invenis[1]. Videtis quemadmodum hoc temporibus nostris fecit Deus, quod ante tot millia annorum promisit. Etenim converterant se homines ab eo, a quo facti erant, ad illud, quod ipsi fecerant. Et cum sit semper melior, qui facit, quam illud, quod facit, ideo melior est Deus non solum homine, quem fecit, sed omnibus Angelis, Virtutibus, Potestatibus, Sedibus, Thronis, Dominationibus, quia omnia ipse condidit[2], ut sit inferius, quidquid facit homo, quam est ipse homo. Ad tantam dementiam ducti erant homines, ut adorarent idolum, qui damnare deberent. Si adorarent fabrum, qui fecerat idolum, manifestum est, fratres, quia faber melior, quam idolum, quod fecit. Et cum detestandi essent homines, si fabrum adorarent, ipsum idolum adorant, quod factum est a fabro. Detestandi essent adorando fabrum, sed meliores essent, quam qui adorant idolum. Si ergo damnantur meliores, quomodo plango pejores? Si vero adorantem fabrum damnandum esse dixi, qui dimittit fabrum, et adorat idolum, qui utique meliorem dimisit, ad inferiorem se contulit, quomodo damnandus est? Sed quem meliorem primo dimisit? Deum a quo ipse factus est. Imaginem Dei quærit. In se habet. Non enim potuit facere faber imaginem Dei, sed Deus potuit facere imaginem sibi. Non fecit autem aliud tibi, sed te ipsum fecit ad imaginem suam. Adorando autem imaginem hominis, quam fecit faber, conteris imaginem Dei, quam tibi impressit Deus. Ideo, cum te vocat, ut redeas, reddere tibi vult illam imaginem, qua tu ipse cupiditate terrena quodam modo confricando perdidisti, et obsoletasti (*a*).

VIII. Inde est, fratres, quod imaginem suam a nobis quærit Deus. Hoc commemorat Judæos illos, quando illi obtulerunt nummum. Primo enim tentare illum voluerunt, cum dicerent: « Domine, licet tributum dare Cæsari[3]? » ut, si diceret ille: Licet; calumniarentur illi, quia in maledicto vellet esse Israël, quem volebat esse tributarium, ut subjugatus esset Regi, ut daret tributa. Si autem diceret: Non licet reddere tributa; calumniarentur illi, quia contra Cæsarem præciperet, et auctor esset, ut non redderent tributum suum, quod debebant, quia subjugati erant. Vidit tentantes, tanquam veritas falsitatem, et convicit breviter mendacium ex ore mentientium. Non enim dixit in illos sententiam, ex ore suo, sed fecit, ut illi in se dicerent sententiam, quia scriptum est: « Ex ore tuo » justificaberis, et ex ore tuo damnaberis[4]. Quid me, in» quit, tentatis? Hypocritæ, ostendite mihi nummum. » Ostenderunt. «Cujus, ait, habet imaginem, et inscrip» tionem? Responderunt: « Cæsaris. » Et ille: « Reddite » ergo Cæsari, quod Cæsaris est, et Deo, quod Dei est[5]. » Sicut Cæsar quærit imaginem suam in nummo tuo, sic quærit Deus imaginem suam in animo tuo. Redde Cæsari, ait, quæ Cæsaris sunt. Quid a te quærit Cæsar? Imaginem suam. Quid a te quærit Deus? Imaginem suam. Sed Cæsaris in nummo est, Dei imago in te est. Si quando nummum perdis, plangis quia imaginem Cæsaris perdidisti. Quando adoras idolum, non plangis, quia injuriam facis in te imagini Dei?

IX. Tenete ergo, fratres, pollicitationem Domini Dei nostri, et numerate jam ex illo numero pollicitationum suarum, quanta reddidit. Christus nondum erat natus. In Scriptura erat promissus. Reddidit illum. Natus est. Nondum erat passus, nondum resurrexerat. Et hoc reddidit. Passus, crucifixus, resurrexit. Passio ipsius præmium nostrum est. Sanguis ipsius redemptio nostra est. Ascendit in cœlum, sicut promiserat. Et hoc reddidit. Misit Evangelium per omnes terras. Ideo quatuor Evangelia esse voluit, ut significaretur quaternario numero totus orbis terrarum, ab Oriente et Occidente, ab Aquilone et Meridiano. Ideo duodecim Discipulos habere voluit, ut terni quodam modo per quatuor distributi viderentur, quia in Trinitate vocatus est mundus, in Patre, et Filio, et Spiritu sancto. Reddidit hoc. Misit Evangelium, sicut prædixit. « Quam speciosi pedes evangelizantium » eorum, qui annuntiant pacem, evangelizantium bona[6]! » Sicut prædixit: « Non sunt sermones, neque verba, » quorum non audiantur voces eorum. Per omnem ter» ram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba » eorum[7]. » Quomodo dixit, sic misit. Evangelium per omnes terras scribitur. Etiam Ecclesia persecutionem primo passa est. Reddidit, quia et Martyres promiserat. Recita cautionem: « Pretiosa in conspectu Domini mors » justorum ejus[8]. » Reddidit etiam Martyres, quia et ipsos promiserat. Quid postea reddendum erat? « Ado» rabunt in conspectu ejus omnes reges terræ[9]. » Crediderunt et reges, qui primo persequendo Martyres fecerant. Videmus ergo et modo reges credidisse. Reddidit etiam, quod promiserat, ut jubentibus regibus idola frangerentur, quibus primo jubentibus Christiani occidebantur. Abstulit etiam idola, quia promiserat: « Et in » idolis nationum non erit respectus[10]. » Cum tanta ergo reddiderit, fratres, quare non illi credimus? Minus idoneus debitor est Deus? Si omnino nihil adhuc nobis reddidisset, idoneum debitorem tenebamus, qui fecit cœlum et terram. Non enim pauper futurus erat, ut non haberet, unde redderet, aut fallit, cum ipse sit Veritas, aut tanta potestas est Deus, cui possit succedi, ut non habeat tempus reddendi?

X. Justum est, fratres, ut credatur Deo, antequam aliquid reddat, quia utilibet mentiri non potest, fallere non potest. Deus est. Sic illi crediderunt Patres nostri. Abraham sic illi credidit. Ecce vere laudanda fides, et prædicanda. Nihil ab illo acceperat, et credidit promittenti. Nos nondum credimus, qui tanta jam accepimus. Numquid poterat illi dicere Abraham: Credam, quia illud mihi promisisti, et reddidisti? A primo jussu credidit, nihil tale aliud acceperat. « Exi de terra tua, dictum » est illi, et de cognatione tua, et vade in terram, quam » tibi dabo[11]. » Et credidit statim, et non dedit illi ipsam terram, sed semini illius illam servavit, et semini ipsius promisit quid? « In semine tuo benedicentur omnes » gentes[12]. » Semen ipsius Christus, quia de Abraham Isaac, de Isaac Jacob, de Jacob duodecim, de duodecim populus Judæorum, de populo Judæorum Virgo Maria, de Virgine Maria Dominus noster Jesus Christus. Et factus est semen Abraham Dominus noster Jesus Christus, et quod promissum erat Abrahæ, invenimus impletum in nobis. « In semine tuo, inquit, benedicentur omnes » gentes. » Credidit hoc, antequam aliquid vidisset. Credidit, et non vidit quod promittebatur. Nos autem videmus quod illi promissum est. Et quidquid illi promittebatur, futurum erat. Quid enim nondum reddidit Deus? Labores in sæculo isto futuros denuntiavit, et sanctos suos, et fideles suos futuros in laboribus, et fructum allaturos cum tolerantia[13]. Prænuntiavit, et videmus. Ipsis laboribus atterimur. Qui nondum labores prænuntiati sunt? Neque enim putetis, fratres, quia, quod videtis atteri res humanas modo, non est scriptum

[1] Isai. II, 18. Ezech. VI, 6, et Mich. I, 7. — [2] Ephes. I, 21, et Coloss. I, 16. — [3] Matth. XXII, 17. — [4] Id. XII, 37. — [5] Matth. XXII, 18-21. — [6] Rom. X, 15. — [7] Psal. XVIII, 4, 5. — [8] Id. CXV, 15. — [9] Id. LXXI, 11. — [10] Sap. XIV, 1. — [11] Gen. XII, 1. — [12] Gen. XXII, 18. — [13] Luc. VIII, 15.

(*a*) Ita Tertullianus Augustini πατριωτης Apolog. c. 5. *obsoletant*. Scorp. c. 6. *obsoletassent*.

in Scriptura Dei. Totum scriptum est, et tolerantia indicta est Christianis, et magis futura bona, quia venerunt mala, quæ prædicta ventura erant. Nam si non venirent, quæ dicta (*a*) erant, etiam de bonis nobis fidem auferrent, sed ideo venerunt ante mala, ut credamus futura bona.

XI. Modo mundus sic est, quomodo et torcular in pressuris est. Sed si amurca (*b*) es, per cloacas vadis; si oleum, in gemellario (*c*) manes. Nam necesse est, pressuræ sint. Attendite amurcam, attendite oleum. Pressura fit aliquando in mundo, verbi gratia : fames, bellum, inopia, egestas, mortalitas, rapina, avaritia, pressuræ pauperum, labores civitatum. Sunt ista. Videmus. Et prædicta sunt futura, et videmus, quia sunt. Invenimus homines inter istas pressuras murmurare, et dicere : Ecce temporibus christianis quanta mala sunt! Ante tempora christiana quanta bona abundabant! Non erant tanta mala ista. De pressura amurca exit. Per cloacas currit. Os ipsius propterea nigrum est, quia blasphemat. Non splendet. Oleum relucet. Invenis autem alium hominem de pressura ipsa, et de ipsa tritura, quæ illum trivit. Numquid non ipsa tritura est, quæ illum trivit? Audistis vocem amurcæ, audite vocem olei. Deo gratias! Benedictum nomen tuum! Ista omnia mala, quibus nos conteris, prædicta erant. Securi sumus, quia ventura sunt et bona. Quando nos, et mali simul emendamur, fit voluntas tua. Te novimus Patrem promittentem, te novimus Patrem flagellantem. Erudi nos, et redde hæreditatem, quam in fine promisisti. Benedicimus sanctum nomen tuum, quia nusquam fuisti mendax. Omnia, quemadmodum prædixisti, sic exhibuisti. In his laudibus de ipsa pressura emanantibus oleum currit in gemellario. Tamen quia torcular est totus iste mundus, unde etiam dicitur alia similitudo (*d*). Sicut in fornace probatur aurum et argentum, sic probat justos tentatio tribulationis; et de fornace aurificis similitudo ponitur. In angusto cacabo tres res sunt : Ignis, aurum, et palea. Et hi vides imaginem totius mundi. Est ibi palea, est ibi aurum, est ibi ignis. Palea comburitur, ignis ardet, aurum probatur. Sic et in isto toto mundo sunt justi, sunt impii, est tribulatio. Mundus tanquam fornax est aurificis, justi tanquam aurum, impii tanquam palea, tribulatio sicut ignis. Numquid aurum purgaretur, nisi palea ureretur? Fit, quod impii ad cineres rediguntur. Cum enim blasphemant, et murmurant contra Deum, cinis efficiuntur. Ibi aurum purgatum justi, qui tolerabiliter ferunt omnes molestias mundi, et in suis tribulationibus laudant Deum, ut aurum purgatum, rediguntur in thesauros Dei. Habet enim Deus thesauros, quo mittat aurum purgatum; habet etiam loca sordida, quo mittat cinerem paleæ. De isto mundo totum exigit. Tu vide, quid sis. Nam necesse est, ut veniat ignis. Si aurum te invenerit, sordes tollet; si paleam te invenerit, comburet, et ad cinerem perducet. Elige tibi, quid sis. Nam non potes dicere : Sine igne ero. Jam in fornace es aurificis, quo necesse est, veniat ignis. Magis te ibi esse necesse est, quia sine igne esse non poteris.

XII. Quare ergo non credimus, fratres, et venturum finem sæculi, et diem judicii, ut ibi recipiat unusquisque nostrum ea, quæ gessit in corpore, sive bonum, sive malum? Quando videmus tot res promissas, exhibitas, et datas, quare non nobis eligimus, cum vivimus, illud, ubi semper vivamus? Puta, quia negligentes fuimus, hodie simus diligentes. Negligentes non debemus semper (*e*) esse. Crastinus dies, nescis, quid sit. Dei patientia id agere nos admonet, ut et nos, et vitam nostram, si mala fuerit, corrigamus, et, cum tempus est, meliora eligamus. An putatis, quia Deus dormit, et non videt facientes mala? Sed forte patientiam nos docet, et patientiam prior exhibet. Invenit autem hominem forte profecisse, et non facere, quod faciebat, id est, malum. Patitur iste aliquem malitiosum, et vult, ut tollat illum Deus, et murmurat adversus Deum, quia retinet inimicum ipsius fortem, et male facientem, et non illum tollit. Oblitus est, quia in ipsum patienter egit, et si prius agere vellet severiter, non esset qui loqueretur. Severitatem exigis Dei? Quia tu transisti, transeat et alter. Non enim, quia tu jam transisti, præcidisti pontem misericordiæ Dei. Adhuc est, qui transeat. Fecit te bonum, cum esses malus, vult et alium, ut sit et ipse bonus ex malo, sicut tu ex malo factus es bonus. Sic omnes veniunt, ordinibus suis. Sed alii nolunt venire, alii veniunt. Talibus enim dicit Apostolus : « Tu autem secundum » duritiam cordis tui, et cor impœnitens thesaurizas tibi » iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei, qui » reddet unicuique secundum opera sua[1]. » Deinde si malus vult perseverare in malo, non est socius tuus, sed erit probator tuus. Etenim, si malus est, et tu bonus, tolerando malum probaris bonus. Tu accipies coronam probationis tuæ; ille autem habebit pœnam in malo perseverationis suæ. Deus autem, quid agat, patienter expectemus bonam ejus patientiam, paternam ejus disciplinam. Pater est, benignus est, misericors est. Magis si dimiserit nos fluere, tunc male irascitur nobis.

XIII. Attendite enim, fratres, et videte Amphitheatra ista, quæ modo cadunt. Luxuria illa ædificavit. Putatis, quia illa pietas ædificavit? Non illa ædificavit nisi luxuria hominum impiorum. Non vultis, ut aliquando cadat, quod luxuria ædificavit, et surgat, quod pietas ædificat? Permisit enim Deus, quando ista ædificabantur, ut quandoque cognoscerent homines mala sua, quæ faciebant. Sed quia noluerunt cognoscere, venit Dominus Jesus Christus, cœpit illis mala sua prædicare, cœpit evertere, quod pro magno habebant, et dicunt : Mala sunt tempora christiana. Quare? Quia evertitur tibi, ubi moriebaris. Sed : Abundabant, inquiunt, omnia bona, quando ista fiebant. Utique sic, ut bona de illis fierent. Si ergo nosti, quia dedit tibi Deus aliquando abundantiam, et male usus es, et ad perditionem usus es, vide, quia abundantia illa fecit te fluere, et perdere animam tuam. Nonne venit severus pater, et cœpit dicere : Indisciplinatus est puer iste. Commisi illi hoc, aut illud. Quomodo illud perdidit, et illud. Si nos semen terræ, nisi bona fuerit, non damus, ne semen intereat, quomodo vultis, ut Deus nobis indisciplinatis, et negligentibus vitam nostram det abundantiam suam ad male utendum, et non vultis, ut præcidat Deus defluxus hominum? Fratres mei, medicus est, et membrum putre novit præcidere, ne putrescant inde et alia loca. Unus, inquit, digitus inde præciditur; quia melius est, ut unus digitus minus sit, quam totum corpus putrescat. Si hoc homo medicus per artem suam facit, si ars medicinæ aliquam partem membrorum tollit, ne omnia putrescant, quare Deus, quidquid novit putre esse, non secet in hominibus, ut perveniant ad salutem?

XIV. Nolite ergo, fratres, tædiari (*f*) ad Deum fla-

[1] Rom. II, 5.

(*a*) *Certe : prædicta.* — (*b*) Αμοργη ab Αμεργω, prima fex olivarum premi incipientium. Vide *Plin. L. XV.* c. 18. Memorat Noster et alibi. — (*c*) Columellæ *Gemellar. L. XII.* c. 50. Noster in *Psal. CXXXVI.* T. IV. col. 1518. *Oleum in Gemellaria non videas.* An igitur rectius *Gemellarium*, an *Gemellaria*? Vas fortasse duplex a *Gemellis.* — (*d*) Locus turbatus : Quid si legas : *Tamen, quamvis — inde etiam ducitur alia similitudo.* Subolet pariter in mox sequentibus aliqua interpolatio. — (*e*) *Non semper* pro *nunquam* — (*f*) *Tædiare* apud Veget. Lamprid. Tertull. etc.

gellantem, ne dimittat vos, et in æternum pereatis, sed magis rogemus illum, ut moderetur ipsas plagas, et sic temperet, ne sub ipsis deficiamus, et rogemus, ut emendet cum salute, metiatur, et reddat postea, quod promisit sanctus suis. Videte, quid dixit Scriptura : « Irritavit Dominum peccator. Secundum magnitudinem iræ » suæ non exquiret[1]. » Quid est : « Pro magnitudine iræ » suæ non exquiret? » Quia multum irascitur, « Non exquiret, » id est, dimittet illos perire. Si ergo multum irascitur, quando non exquirit, etiam multum misericors est, quando exercet. Tunc autem exercet, quando flagellat, quando cor nostrum affligit ad se. Teneamus ergo salutare ejus, et non fugiamus flagellum ipsius. Hoc nos docet, hoc monet, in hoc nos ædificat. Ipse filius ipsius, qui ad hoc venit, ut consoletur nos, quid boni hic pertulit? Dicite mihi. Certe Filius Dei est, Verbum Dei est, per quod facta sunt omnia. Quid boni hic pertulit? Non ipse est, qui, cum dæmonia ejiceret, tales contumelias audiebat, ut diceretur illi : « Dæmonium habes[2]? » Filio Dei, qui dæmones ejiciebat, Judæi dicebant : « Dæmonium habes. » Jam meliores dæmones, qui confitebantur Filium Dei, quam illi[3]. Nam et illi confitebantur, et illi non confitebantur. Tanta autem erat potentia illius, et tanta magnitudo, et tanta patientia, ut omnia toleraret. Flagellatus est, contumelias audivit, alapas accepit, consputus est in faciem, spinis coronatus est, irrisus est, delusus est, ad extremum ligno suspensus interfectus est, postea sepultus est. Filius Dei tanta hic pertulit. Si Magister, quanto magis Discipulus. Si ille, qui nos creavit, quanto magis nos creatura illius. Qui, ut nobis exemplum daret, patientiam nobis dimisit. Quare nos deficimus in ipsa patientia, quasi caput nostrum perdiderimus, quod nos præcessit ad cœlum? Ideo enim caput nostrum præcessit ad cœlum, tanquam dicens : Ecce qua. Venite, per molestias, per patientiam. Hæc est via, quam vobis tradidi. Sed quo ducit via, qua me videtis ascendere? In cœlum. Qui non vult hac ire, non vult illuc pervenire. Qui vult ad me pervenire, per viam veniat, quam monstravi. Et non potestis pervenire, nisi per viam molestiarum, dolorum, tribulationum, angustiarum. Sic pervenies ad requiem, quæ tibi non tollitur. Si autem vis istam requiem, quæ est ad tempus, et recedere a via Christi, observa tormenta Divitis illius, qui apud inferos torquebatur, quia et ipse requiem præsentem desideravit, et pœnas sempiternas invenit. Fratres charissimi, eligite potius duriora, quæ sine fine requiem habebunt in æternum. Conversi ad Dominum, etc.

SERMO XXV.

De verbis Evangelii Matth. XII, *vers.* 41-50. Ecce plus quam Jonas hic, etc. (*a*).

SYNOPSIS

I. Judæi deteriores Ninivitis, et Regina Saba. II. Quomodo hominis a spiritu immundo liberati novissima fiant pejora prioribus. III. Parentes a Christo docentur, non impedire filios in bono opere. IV. Cum Christus nascendo utrumque sexum honoraverit docetur officium Prolium. V. Refelluntur Manichæi asserentes Christum non habuisse Matrem. VI. Concluditur contra Manichæos Christum habuisse matrem. VII. Unde Mariæ Virginis excellentia. VIII. Quomodo Christianus fieri possit mater Christi.

I. Ea, quæ de sancto Evangelio recitata sunt, fratres charissimi, si omnia pertractare cupiamus, vix tempus sufficit singulis, quanto magis non sufficit omnibus. Jonam prophetam, qui dejectus in mare belluæ marinæ utero exceptus est, et die tertia vivus evomitus, figuram gessisse Salvatoris, qui passus est, et die tertia resurrexit, ipse Salvator ostendit. Accusatus est populus Judæorum in comparatione Ninivitarum, quoniam Ninivitæ, ad quos missus est redarguendos (*b*) Jonas propheta, agendo pœnitentiam iram Dei placaverunt, et misericordiam meruerunt. « Et ecce, inquit, plus quam Jonas hic[4], » volens intelligi se ipsum Dominus Christus. Audierunt illi servum, et vias suas correxerant; audierunt isti Dominum, et non solum se non correxerunt, sed insuper illum occiderunt. « Regina Austri exurget, inquit, in ju- » dicio cum generatione hac, et condemnabit eam. Venit » enim a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, et » ecce plus quam Salomon hic[5]. » Non fuit magnum Christo plus esse quam Jonas, plus esse quam Salomon. Ille enim Dominus, illi servi erant. Sed tamen quales sunt, qui præsentem Dominum contempserunt, quando alienigenæ servos ejus audierunt?

II. Deinde sequitur : « Cum autem spiritus immun- » dus exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens » requiem, et non invenit. Tunc dicit : Revertar in do- » mum meam, unde exivi. Et veniens invenit eam va- » cantem, scopis mundatam, et ornatam. Tunc vadit, et » assumit secum alios septem spiritus nequiores se, et » inhabitantes habitant in ea, et fiunt novissima hominis » illius pejora prioribus. Sic erit generationi huic pessi- » mæ[6]. » Hoc ut intelligatur, si congruenter exponatur, multum sermo immorabitur. Breviter tamen attingam, quantum Dominus donat, ne vos ab hujus rei intellectu jejunos dimittam. Quando fit in Sacramentis remissio peccatorum, mundatur domus, sed habitator est necessarius Spiritus sanctus. Spiritus autem sanctus non habitat nisi humiles corde. Deus enim dicit : « Super » quem requiescet Spiritus meus? » et respondet propo- sito : » Super humilem, et quietum, et trementem verba » mea[7]. » Ille ergo cum fuerit habitator, implet, regit, agit, frenat a malis, ad bona excitat, suavem facit justitiam, ut homo bene faciat amore recti, non timore supplicii. Hoc, quod dixi, agere per semetipsum homo minus idoneus est; sanctum autem Spiritum si habuerit habitatorem, ipsum in omnibus bonis etiam invenit et

[1] Psal. x, 4. — [2] Joan. viii, 20. — [3] Luc. iv, 41. — [4] Matth. xii, 41. — [5] Ibid. 42. — [6] Ibid. 43-45. — [7] Isai. lxvi, 2.

(*a*) In Codice *fol.* 89. inscriptus : *Feria quarta Hebdomadæ primæ de Quadragesima. Sermo sancti Augustini ep. contra Manichæos.* Contra hos posteriori parte subtiliter disputatur. Priora de Judæorum cæcitate, Peccatorum recidivis, Parentum, Proliumque officiis agunt. Tractatus inserendus post *Sermonem LXXII.* — (*b*) Membranæ mendose . *sed arguendos.*

adjutorem. Superbi autem quidam, peccatis sibi remissis, si præsumpserunt ad bene vivendum de solo libero humanæ voluntatis arbitrio, ipsa superbia a se excludunt Spiritum sanctum, et remanet domus quasi mundata a peccatis, sed inanis omnibus bonis. Dimissa sunt peccata tua, caruisti malis, sed non te nisi Spiritus sanctus implebit bonis. Hunc repellit superbia. Præsumis de te, dimittit te. Confidis tibi, donaris tibi. Sed illa cupiditas, qua malus eras, repulsa ab homine, hoc est, a mente tua, quando remissa sunt peccata tua, vagatur per deserta quærens requiem, et non inveniens requiem redit ad domum illa cupiditas, invenit mundatam, « Adducit » secum alios spiritus septem nequiores se, et erunt pejora hominis illius novissima, quam erant prima. Septem alios adducit secum. » Quid est, « Alios septem? » Ergo et ipse immundus spiritus septenarius est? Quid est hoc? Per septem universitas significatur. Totus ierat, totus venit, et utinam solus veniret. Quid est: « Adducit secum alios septem? » Quos non habebat, quando erat malus, habebit alios falso bonus. Intendite, ut, si possum, quantum adjuvor, explanem quod dico. Spiritus sanctus operatione septenaria commendatur, ut sit in nobis « Spiritus sapientiæ et intellectus, consilii, et » fortitudinis, scientiæ, et pietatis, et timoris Dei[1]. » Huic septenario bono constitue a contrario septenarium malum: spiritum stultitiæ et erroris, spiritum temeritatis, et ignaviæ, spiritum ignorantiæ, et impietatis, et spiritum superbiæ contra timorem Dei. Isti sunt septem nequam. Qui sunt « Alii septem nequiores? » Alii septem nequiores in hypocrisi inveniuntur. Unus malus spiritus stultitiæ, alter pejor simulatio sapientiæ. Spiritus malus spiritus erroris, alter pejor simulatio veritatis. Spiritus malus spiritus temeritatis, alter pejor simulatio consilii. Spiritus malus spiritus ignaviæ, alter pejor simulatio fortitudinis. Spiritus malus spiritus ignorantiæ, alter pejor simulatio scientiæ. Spiritus malus spiritus impietatis, alter pejor simulatio pietatis. Spiritus malus spiritus elationis, alter pejor simulatio timoris. Septem non ferebantur, quis ferat quatuordecim? Necesse est ergo, ut, cum malitiæ fuerit addita simulatio veritatis, sint pejora hominis novissima, quam erant prima.

III. « Hæc eo loquente ad turbas (Evangelium sequor) » mater ejus, et fratres ejus stabant foris volentes loqui » cum illo. Nuntiavit ei quidam dicens: Ecce mater tua » et fratres tui foris sunt, loqui tecum volunt. Et ille: » Quæ mihi mater est, aut qui fratres? et extendens manum super Discipulos suos ait: Hi sunt mater mea, et » fratres mei. Et quicumque fecerit voluntatem Patris » mei, qui in cœlis est, ipse mihi frater, soror, et mater » est[2]. » Hinc solum vellem loqui, sed, quia superiora nolui præterire, non parvam partem temporis, quantum sentio, consumpsi. Hoc enim quod modo proposui, multos habet sinus, nodosque quæstionis, quomodo pie Dominus Christus contempserit matrem, non qualemcumque matrem, sed quanto magis Virginem matrem, tanto magis talem matrem, cui sic attulit fœcunditatem, ut non adimeret integritatem, matrem Virginem concipientem, Virginem parientem, Virginem perpetuo permanentem. Talem matrem ille contempsit, ne operi, quod agebat, maternus se insereret, eumque impediret affectus. Quid enim agebat? Populis loquebatur, veteres homines destruebat, novos ædificabat, animas liberabat, vinctos solvebat, cæcas mentes illuminabat, bonum opus faciebat, in bono opere actu et sermone fervebat. Inter hæc nuntiatus illi est carnalis affectus. Audistis quid responderit, ut quid ego repetam? Audiant matres, ne impediant carnali affectu bona opera filiorum. Si enim voluerint impedire, et agentibus sic irruerint, ut saltem interpolent, quod differri non oportet, contemnentur a filiis. Audeo dicere: Contemnentur, pietate contemnentur. Et quando erit filio suo bono operi mente intento, et ideo matrem venientem contemnenti, quando erit irata mulier, sive maritata, sive vidua, quando contempta est Virgo Maria? Sed dictura es mihi: Ergo filium meum Christo comparas? Nec illum Christo comparo, nec te Mariæ. Non ergo Dominus Christus maternum damnavit affectum, sed contemnendæ matris pro opere Dei magnum in se ipso demonstravit exemplum. Et in loquendo doctor erat, et in contemnendo doctor erat, et ideo dignatus est contemnere matrem, ut pro Dei opere te contemnere doceret et patrem.

IV. Non enim poterat Dominus Christus homo fieri sine matre, qui potuit sine patre. Si oportebat, imo quia oportebat, ut homo fieret propter hominem, qui fecit hominem, considerate et recolite, unde ipsum primum hominem fecit. Primus homo factus est sine patre, sine matre. Quod potuit primo humanis instruendis rebus aptare, non potuit postea tale aliquid ad reparandas res humanas sibi coaptare? Difficile erat Sapientiæ Dei, Verbo Dei, Virtuti Dei, unigenito Filio Dei, difficile erat, quem sibi coaptaret, facere hominem, undecumque voluisset? Angeli se homines hominibus præbuerunt. Abraham sanctos Angelos pavit, et tanquam homines invitavit, nec tantum vidit; sed et tetigit; nam pedes lavit[3]. Numquid illa, quasi per phantasmata ludicra, ab Angelis facta sunt? Si ergo potuit Angelus humanam speciem, cum voluit, veram exhibere, non potuit Dominus Angelorum, undecumque vellet, quem susciperet, verum hominem facere? Sed noluit hominem habere patrem, ne per concupiscentiam carnalem veniret ad homines, voluit tamen matrem, ut matrem haberet inter homines, quam pro Dei opere contemnendo doceret homines. Voluit sexum virilem suscipere in se, et muliebrem sexum honorare dignatus est in matre. Etenim antiquitus et fœmina peccaverat, et viro peccatum propinaverat[4]. Utrumque conjugium diaboli fraude deceptum est. Si veniret Christus vir non cum fœminei sexus commendatione, desperarent de se fœminæ, maxime, quia per illam lapsus est homo. Utrumque honoravit, utrumque commendavit, utrumque suscepit. De fœmina natus est (*a*). Nolite desperare, viri. Vir esse dignatus est Christus. Nolite desperare, fœminæ. De fœmina nasci dignatus est Christus. Ad salutem Christi sexus uterque concurrat. Veniat masculus, veniat fœmina. In fide nec masculus est, nec fœmina[5]. Docet ergo te Christus contemnere parentes tuos, amare parentes tuos. Tunc enim ordinate et pie amas parentes, quando Deo non præponis parentes. « Qui amat (Domini verba sunt) » qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me » dignus[6]. » His verbis quasi videtur admonuisse, ne amares. Imo, si attendas, admonuit, ut amares. Potuit enim dicere: Qui amat patrem aut matrem, non est me dignus. Non hoc dixit, ne loqueretur contra legem, quam dedit. Ipse enim legem illam per Moysen famulum suum dedit, ubi scriptum est « Honora patrem tuum, et matrem tuam[7]. » Non contrariam legem promulgavit, sed illam commendavit, et ordinem te docuit, non pietatem subvertit. « Qui amat patrem aut matrem, sed plus » quam me. » Amet ergo, sed non plus quam me. Deus Deus est, homo homo est. Ama parentes, obsequere parentibus, honora parentes; sed, si te Deus ad aliquid amplius vocat, ubi possit impedimento esse parentalis affectus, serva ordinem, noli evertere charitatem.

[1] Isai. XI, 2, 3. — [2] Matth. XII, 46-50. — [3] Gen. XVIII. — [4] Id. III. — [5] Galat. III, 28. — [6] Matth. X, 37. — [7] Exod. XX, 12, et Deut. V, 16.

(*a*) Addo: *vir*. Ita videntur exigere, quæ sequuntur.

V. In tanta veritate doctrinæ Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi quia credat calumniam quæsivisse Manichæos, qua conarentur asserere Dominum Jesum Christum non habuisse ullam matrem? Hoc enim sapiunt, imo desipiunt, quod Dominus Jesus non habuerit hominem matrem, contra Evangelium, contra lucem ipsius veritatis. Et, unde argumententur, attendite. Ecce, inquiunt, ipse dicit. Quid dicit? « Quæ est mater mea, aut » qui sunt frares mei [1]? » Ipse, inquiunt, negat, et tu ei vis imponere, quod negat. Ipse dicit: « Quæ est mater » mea, aut qui sunt fratres mei? » et tu dicis: Habet matrem. O stulte, o contentiose, o merito odiose! responde mihi, unde scias dixisse Dominum: « Quæ est mater » mea, aut qui sunt fratres mei? » Tu negas Christum habuisse matrem, et quod intendis, per hoc docere conaris, quia dixit: » Quæ est mater mea, aut qui sunt fratres » mei? » Si alius existat, et dicat hoc Dominum Christum non omnino dixisse, unde convinces? Responde, si potes, ad hominem negantem, quod hoc dixerit Christus. Unde convinces, inde convinceris. Numquid enim, hoc se dixisse, in aurem tibi Christus ipse indicavit? Responde, ut ore tuo convincaris. Responde ut, hoc Christum dixisse, convincas. Novi, quod dicturus es. Codicem sumam, Evangelium aperiam, verba ejus recitabo scripta in sancto Evangelio. Bene, bene! Ipso Evangelio tenebo te cum ipso, Evangelio alligabo te, de ipso Evangelio suffocabo te. In ipso Evangelio recita, quod pro te putas. Aperi, lege. « Quæ est mater mea? » Quare hoc dixit, supra leges. Nuntiavit ei quidam: « Ecce mater » tua, et fratres tui foris stant [2]. » Nondum premo, nondum teneo, nondum suffoco, Adhoc potes dicere: Ille quidem falsus nuntius fuit, non verum dixit, mendacia suggessit. Propterea Dominus falsum nuntium refutavit. Post nuntium quippe ejus respondit: « Quæ est mater » mea? » Quasi diceret: Tu dicis: Foris stat mater tua. Ego dico: « Quæ est mater mea? » Cui vis, inquit, credamus? Nuntio suggerenti, an, quod nuntiaverat, Christo respuenti. Audi ergo. Adhuc interrogo te. Tantum Evangelium tene. Noli mihi codicem projicere post te. Tene, da auctoritatem Evangelio, quam nisi dederis, non erit unde probes Dominum dixisse: » Quæ est mater « mea? » Cum vero auctoritatem dignam tribueris Evangelio, vide quid interrogem. Paulo ante interrogaveram, unde scires utrum dixerit Christus: « Quæ est mater » mea? » Quid præcesserat? Nuntius quidam dixerat Christo: Mater tua foris stat. Antequam hoc diceret nuntius, vel, ut hoc diceret nuntius, quid præcessit? Cogo, (a) ut legas. Video te jam timere, ne legas. « Res» pondit Dominus, et dixit. » Quis dixit? Non dico, quia dixit: « Quæ est mater mea? « respondebis enim: Dominus dixit. « Respondit Dominus. » quia dixit? Responsurus es: Evangelista dixit. Evangelista iste verum dixit, an falsum? Dicturus es, quod verum dixit, aut (b) falsum. « Respondit Dominus, et ait illi, » quod Evangelista dixit, verum dixit, an falsum? Si dicturus es falsum dixisse Evangelistam, Dominum respondisse, unde scis: « Quæ est mater mea? » Dominum dixisse? Si autem proterea convincis: » Quæ est mater mea? Dominum dixisse, quia hoc enm dixit Evangelista dixisse, non convincis hoc Dominum dixisse, nisi credideris Evangelistæ. Jam si credis Evangelistæ, quia nihil dicis, si non credideris Evangelistæ, lege superius quid dixerit ipse Evangelista.

VI. Quandiu tibi moras facio! Quandiu te suspendo! Beneficium est, ut cito vincaris. Attende, inspice, lege. Video te nolle. Da codicem. Ego lego: « Hæc eo loquente » ad turbas. » Quis hoc dicit? Evangelista, cui si non credis, nihil Christus dixit. Si nihil Christus dixit, » Quæ » est mater mea? » Christus non dixit. Si autem, « Quæ » est mater mea? » Christus dixit, verum est quod Evangelista scripsit. Vide, quid ante dixit. « Hæc eo loquente » ad turbas, mater ejus et fratres ejus foris stabant, volen» tes loqui cum eo. » Nondum aliquid nuntius ille nuntiavit, quem potes dicere fuisse mentitum. Quid nuntiaverit vide, quid Evangelista præmiserit attende. « Hæc » Domino loquente ad turbas, mater ejus, et fratres ejus » foris stabant. « Quis hoc dicit? Evangelista, cui credis, Dominum dixisse: Quæ est mater mea. » Sed si hæc dicta non credis, ut illa, Dominus ergo non dixit: » Quæ » est mater mea: « Sed vere Dominus dixit: « Quæ est mater » mea? » Crede ergo ei, qui dixit, Dominum dixisse: Quæ » est mater mea: » Qui enim dixit, Dominum dixisse: « Quæ est mater mea? » ipse dixit: « Hæc eo loquente, » foris stabat mater ejus. » Quare ergo negavit matrem suam? Absit! Intellige. Non negavit, sed aliquid, quod faciebat, matri præposuit. Postrema sola (c) causa est quærere, quare Dominus dixerit: » Quæ est mater mea? » Prima causa est videre, quod habuerit, de quo diceret: » Quæ est mater mea? « Habuit, foris stabat, loqui cum eo volebat. Dic mihi, unde scis? Evangelista dicit, cui si non credidero, nihil Dominus dicit. Ergo habuit matrem; sed quid est: » Quæ est mater mea? » Ad ista, quæ ego facio, « Quæ est mater mea? » Si dicas alicui periclitanti, et patrem habenti: Liberet te pater tuus; quem scit ille non esse idoneum liberando filio suo, nonne respondet tibi summa pietate, integra veritate: Quid est pater meus? Ad hoc quod volo, ad hoc quod mihi nunc opus esse sentio, quid est pater meus? Ad illud ergo, quod agebat Christus, quod vinctos solvebat, cæcas mentes illuminabat, interiores homines ædificabat, templum spirituale sibi fabricabat, quæ est mater ejus? Sed si putas ideo Christum non habuisse matrem in terra, quia dixit: « Quæ est mater mea? » nec Discipuli ejus habuerunt patres in terra, quia dixit eis ipse Dominus: « Ne » vobis dicatis patrem in terra. « Domini verba sunt: « Ne vobis dicatis patrem; unus est enim Pater vester » Deus [3]. » Non patres non habebant, sed ubi venturum est ad regenerationem, quæratur pater regenerationis, non damnetur pater generationis, sed ei præponatur pater regenerationis.

VII. Ecce illud magis attendite, charissimi fratres mei, illud magis attendite, obsecro vos, quod ait Dominus Christus extendens manum super Discipulos suos: « Hæc est mater mea, et fratres mei. Et qui fecerit vo» luntatem Patris mei, qui me misit, ipse mihi et frater, » et soror, et mater est. » Numquid non fecit voluntatem Patris Virgo Maria, quæ fide credidit, fide concepit, electa est, de qua nobis salus inter homines nasceretur, creata est a Christo, antequam in illa Christus crearetur? Fecit, fecit plane voluntatem Patris sancta Maria, et ideo plus est Mariæ, discipulam fuisse Christi, quam matrem fuisse Christi. Plus est felicius discipulam fuisse Christi, quam matrem fuisse Christi. Ideo Maria beata erat, quia. et antequam pareret, magistrum in utero portavit. Vide, si non est, quod dico. Transeunte Domino cum turbis sequentibus, et miracula faciente divina, ait quædam mulier: « Felix venter, qui te portavit (d). » Beatus venter, qui te portavit. » Et Dominus, ut non felicitas in carne quæreretur, quid respondit? « Imo » beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt [4]. » Inde ergo et Maria beata, quia audivit verbum Dei, et custo-

[1] Matth. XII, 48. — [2] Ibid. 47. — [3] Id. XXIII, 9. — [4] Luc. XI, 27, 28.

(a) Fortasse: *Rogo*. — (b) In membranis: *an*, quod ἄλογον videtur. — (c) Numquid: *solum*? — (d) Videtur redundare hæc sententia.

divit. Plus mente custodivit veritatem, quam utero carnem. Veritas Christus, caro Christus. Veritas Christus in mente Mariæ, caro Christus in ventre Mariæ. Plus est, quod est in mente, quam quod portatur in ventre. Sancta Maria, beata Maria, sed melior est Ecclesia, quam Virgo Maria. Quare? Quia Maria portio est Ecclesiæ, sanctum membrum, excellens membrum, supereminens membrum, sed tamen totius corporis membrum. Si totius corporis, plus est profecto corpus, quam membrum. Caput Dominus, et totus Christus caput et corpus. Quid dicam? Divinum caput habemus, Deum caput habemus.

VIII. Ergo, charissimi, vos attendite. Et vos membra Christi estis, et vos corpus Christi estis. Attendite, quomodo sitis, quod ait: « Ecce mater mea, et fratres mei. » Quomodo eritis mater Christi? Et « Quicumque audit, et » quicumque facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis » est, ipse meus frater, et soror, et mater est[1]. » Puta, « Fratres » intelligo, « Sorores » intelligo; una est enim hæreditas, et ideo Christi misericordia, qui, cum esset unicus, noluit esse solus, voluit nos esse Patri hæredes, sibi cohæredes. Talis est enim illa hæreditas, quæ cohæredum multitudine angusta esse non possit. Intelligo ergo fratres nos esse Christi, sorores Christi esse sanctas et fideles fœminas; matres Christi quomodo possumus intelligere? Quid igitur? Audemus nos dicere matres Christi? Imo audemus nos dicere matres Christi. Dixi enim vos fratres ejus omnes, et matrem suam non auderem? Sed multo minus audeo, quod Christus dixit, negare. Eia, charissimi, intendite, quomodo sit Ecclesia, quod manifestum est, conjux Christi, quod difficilius intelligitur, sed tamen verum est, mater Christi. In ipsius typo Maria Virgo præcessit. Unde, rogo vos, Maria mater est Christi, nisi quia peperit membra Christi? Vos, quibus loquor, membra estis Christi. Quis vos peperit? Audio vocem cordis vestri: Mater Ecclesia. Mater ista sancta, honorata, Mariæ similis et parit, et virgo est. Quia parit, per vos probo. Ex illa nati estis, et Christum parit; nam membra Christi estis. Probavi parientem, probabo virginem. Non me deserit divinum testimonium, non me deserit. Procede ad populum, beate Paule. Esto testis assertionis meæ. Exclama, et dic, quod volo dicere. « Sponsavi vos uni viro virginem castam exhibere » Christo[2]. » Ubi est ista virginitas? Ubi timetur corruptio? Ipse dicat, qui virginem dixit. « Sponsavi vos uni » viro virginem castam exhibere Christo. Timeo autem, » inquit, ne sicut serpens Evam seduxit versutia sua, sic » et vestræ mentes, inquit, corrumpantur a castitate, quæ » est in Christo. » Tenete in mentibus virginitatem mentis. Virginitas fidei catholicæ integritas. Ubi corrupta est Eva sermone serpentis, ibi debet esse virgo Ecclesia dono Omnipotentis. Ergo in mente pariant membra Christi, sicut Maria in ventre Virgo peperit Christum, et sic eritis matres Christi. Non est longe a vobis, non est præter vos, non abhorret a vobis. Fuistis filii, estote et matres. Filii matris, quando baptizati estis, tunc membra Christi nata estis. Adducite ad lavacrum baptismatis, quos potestis, ut sicut filii fuistis, quando nati estis, sic etiam ducendo ad nascendum matres Christi esse possitis.

[1] Matth. XII, 49, 50. — [2] 2 Cor. XI, 2.

SANCTI AURELII

AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

SERMONES X

EX COD. CASSINEN. RECENS EDITI

CURA ET STUDIO

D. OCTAVII FRAJA FRANGIPANE

MONACHI CASSINATIS EJUSQUE BIBLIOTHECÆ PRÆFECTI.

15

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

PIO PAPÆ VII.

Beatissime Pater.

Quandoquidem gratulandum mihi plane video quod illud fuerit sorte datum, ut novos quosdam Divi Aurelii Augustini Sermones in Codicibus Mss. Cassinensis hujus Archicœnobii delitescentes, omniumque oculis hactenus impervios nunc primum e blattis eruerem, lucisque usura donarem, patiare quæso, Beatissime Pater, ut illorum Tibi specimen sistam, quod quidem, nec temere, in antecessum procudendum curavi. Istud, inquam, sermonum specimen Beatitudini tuæ jure, meritoque sistendum putabam, tum quod monumenta exhibet pretiosissima Magni illius Ecclesiæ Doctoris, et Magistri, cujus doctrinæ præstantia, ac divina quædam celsitudo in Apostolicæ Sedis Tuæ culmine potissimum sibi semper propugnaculum vindicavit, tum quod illuc Sermones isti sunt deprompti, unde Benedictina Soboles est propagata, cui Sanctitas tua olim in minoribus emancipabatur, cujusque nunc et Parens existis, et Decus, et Præsidium. Renidentiori

igitur fronte quam quisquam alius illos excipias ac benigniori veluti sinu foveas, præsentissimum iis columen præstans; ne quis pateat obtrectationi, invidiæque locus : eo vel magis quod Benedictina Familia illud fere privilegium non immerito sibi arroget, ut per suos præcipue Alumnos tanti Doctoris opera recognoscantur, illustrentur, edantur. Tu igitur votis, cœptisque annue, Beatissime Pater, quem dum Christianus Orbis Parentem publicum jamdiu colit, ac veneratur, simul et scientiarum, et Artium Mecænatem, Patronumque beneficentissimum suspicit, ac miratur : Cujus demum Sanctissimis provolutus pedibus paternæ Benedictionis pignus in me, meùmque Archicœnobium istud, Congregationemque universam quam humillime deposco.

Sanctitatis Tuae

Humillimus, atque Obsequentissimus Filius
D. Octavius Fraja Frangipane Monachus Cassinas.

PRÆLOQUIUM EDITORIS.

Codices manuscriptos Bibliothecæ hujus Cassinensis in novum catalogum digerere aggredienti, tum ad rerum materias, tum ad characterum formam, tum ad ætates ipsas æquiore qua possem lance expendendas, nihil mihi optatius, nec auspicatius contigisset unquam, quam ut in plerosque inciderem magni Doctoris Augustini sermones, quos in editis Exemplaribus, iisque probatissimis vel desiderari prorsus, vel pluribus intercipi lacunis perspexi. Horum aliquos licet enuntiatos invenerim in Bibliotheca Medicea cum Laurentiana Leopoldina, in illa S. Marci Venetiarum, aliisque, quarum extant Catalogi Codicum Mss. typis impressi; de iis tamen singulis ibidem annotatum legi ab Editione exulare. Nonnullos vero ad numerum viginti quinque nuper reperi in lucem editos apud Germanos anno 1792 per Virum clarissimum Michaëlem Denis Præfectum Bibliothecæ Vindobonensis; cæteros in tenebris adhuc delitescere dolui. Quibus lucem amplius invideri ægrius ferens nil potius habui, quam ut investigandis, si quæ forent, laciniis adlaborarem, ex quibus nimirum *unus et alter videretur assutus pannus:* neque enim me fugiebat mos ille præposterus, qui apud sequiores præcipue ætates invaluerat, concinnandi videlicet ex Patrum Excerptis unum aliquem veluti nothum partum, quem temere cui vellent adjudicarent. Verebar scilicet ne operam luderem, neve quid audacius molirer supra sedulam hoc in genere, vixque sane æquiparandam curam doctissimorum Monachorum Congregationis S. Mauri in sua Parisiensi Editione: meritoque etiam suspicabar ne cæterarum longe præclariorum Bibliothecarum dignitati, spectatæque præcellentiæ derogatum a me vel aliquantulum videretur.

Ad locupletiorem proinde rei evidentiam ipsos consulendos duxi præstantes doctrina Viros, et quavis fere exceptione majores, nec non alios egregios rerum hujusmodi æstimatores in variis Italiæ urbibus degentes, mihique litterarum familiaritate conjunctos, inter quos principem profecto locum tenet doctissimus Aloysius Vincentius Cassittus ex Prædicatorum Familia, cujus sagacitati, solertiæque hac in re plurimum et honorem testor, et gratiam; qui quidem omnes sermones istos (quot nempe præ oculis habuere) unanimi prope judicio novos pronuntiarunt, necnon et Augustinianam redolere dicendi formam: quin et ab iis additos mihi stimulos fateor, ad illos quam citius publici juris faciendos. Quorum mehercule gravissimorum hominum et stimulis, et votis amplius obluctari non valens, deque litterarum Republica præclare me meriturum confidens, iis morem gessi; illudque unum mihi cavendum statui, quod cautum cuique optimo novimus, ut ne quid falsi auderem, ne quid veri non auderem.

Et sane non inconsultum quoddam aucupandæ celebritatis studium, non præceps quædam judicandi libido, non ipsum denique in magnum Doctorem obsequium me illos Augustino vindicare jusserunt; at cum cæteris probatæ Critices præsidiis suffultus, tum una potissimum fretus fide Codicum, quos in reliquis omnibus ad unguem conspirare cum excusis Exemplaribus animadverti, quidni illorum auctoritati acquiescerem? Quod si qui forte vel dissonantis styli, qui dicitur, vel argumentorum levitate, vel alia quavis de causa non satis digni tanti Doctoris nomine inveniantur, quique proinde vel ut apocryphi expungendi, vel inter dubios videantur amandandi, prudentiorum judicium non moror; eosque peroptem linceis oculis instructos, quibus et Verlinus ipse, et Vindingus invideant.

Num vero ex stylo præcipue satis certum argumentum eliciatur ad auctorem definiendum hæret aqua. Perarduum sane, ac perdifficile dixerim, cæteris tamen paribus; illudque sit exemplo. In Homiliario Patris Combefisii sermo habetur: *Hodie verus sol:* (T. 1, pag. 519) quem Ipse Origeni adjudicatum refert, quem contra P. Bruni Divo

Maximo vindicat, f. 413; Vallarsius putat inter Hieronymi apocrypha amandandum; Bibliotheca vero Laurentiana apud Bandinium Divo Ambrosio accenset. Anne Patrum stylus novus veluti Proteus in novas, et varias sese fingit species?

Ipse etiam Augustini stylus quantopere, quamque multis de causis varius sit, et multiplex, graphice exponunt ipsi Editores Monachi in Præfatione ad Tomum quintum: qui simul doctissime, ut assolent, persuadent unum in omnibus, eumdemque existere Augustini *spiritum*, quo veluti animatur illius stylus. *Ubique enim*, inquiunt, *agnoscitur Augustinus proprio quodam eloquentiæ gravis, ac seriæ genere, quod sibi lectorum animos subjicit, non lepore comptæ, et affectatæ elocutionis, sed efficacia quadam judicii, prudentiæ, pietatis.*

Neque illud hic prætereundum putem, dictiones ipsas, ac sententias, ipsasque fere periodos, quæ alicubi in Augustino occurrunt, in novis etiam istis sermonibus passim iterari. Cave tamen ex hoc laciniosos dixeris, dubiæque fidei: id ipsum enim præfati Editores sæpenumero deprehenderunt vel in ipsis authenticis Augustini partubus, et Augustinum legentibus ubique patet, in libris præsertim *De Quæstionibus*. Nonnulla autem in nonnullis sermonibus adesse, quæ et alibi adsunt, longe secus est ac sermones verbis ejus consarcinari. Ecquis autem neget S. Doctorem innumeros prope sermones aut ex tempore fundentem, aut scriptis consignantem facillime potuisse iisdem verbis nonnunquam easdem reddere sententias?

Quod si quid curiosius sciscitetur quî factum sit ut doctissimi illi Monachi nullibi sermones istos meminerint, percontari et mihi liceat, quî fieri unquam potuerit, ut meminissent, cum nec ipsos Cassinenses Codices in exornanda Augustini Editione vel a limine salutarint? idque ex eo vel maxime patet, quod inter Manuscriptos omnes ab iis singillatim recensitos, et suaviter collatos nostri prorsus silentio prætereantur. Nec tamen arguas eos idcirco fuisse posthabitos, quod vel ut minus probatæ fidei, vel ut apocryphi omnino in nullo habiti sint numero: namque apocryphis saltem contentas Homilias accensuissent, uti promum est colligere ex trina apud ipsos instituta sermonum classe; quos nempe integerrimis illis Editoribus libuit dispescere in authenticos, dubios, et apocryphos.

Si quem porro cupido incesserit dignoscendi penitius, qua potissimum de causa ea in Editione nulla Bibliothecæ Cassinensis habita sit ratio, fieri hoc potuit seu quod ipsa fuerit minus celebratæ famæ apud Gallos priusquam Mabillonius, Montfauconius, aliique hujusce subsellii homines suum illi testarentur honorem, seu quod ingruentia undique bella, quæ tunc temporis, ætate nimirum Ludovici Magni Regis Christianissimi Europam pene totam fatigabant, communicandi libertatem adimerent, ipsaque fortasse litterarum diribitoria præpedirent. Quod si hæc naso suspenderis adunco, nullo plane negotio evincerem ex syllabo Codicum quos contulere, hoc iis fuisse propositum, ut ex Bibliothecis Italis omnibus Vaticanam tantum, necnon et S. Crucis in Jerusalem de Urbe consulerent, reliquis universis posthabitis, vel ipsa nobilissima Medicea.

Ipsum autem Mabillonium, Montfauconium, cæterosque apud nos diversatos sæpe sæpius ad expiscanda litterarum, et vetustatis monumenta, quoad Homilias istas cæcutire pene visos esse, neque iverim inficias, neque mirari subit. Cum enim post adornatam jam Parisiensem Editionem eruditissimi illi hospites huc perrexerint, nullum putarunt pretium operæ ad Sermones istos attendere impensius, quos facile censebant cum reliquis omnibus luce donatos. Quin et suspicari merito licet Codices ipsos utpote sequioris ævi præ aliis longe remotiorum ætatum minime fuisse iis exhibitos; vel demum, quod multo verosimilius, tempus eos defecisse Codices nostros singulos trutinandi numero quidem supra quingentos. Idque Montfauconii ipsius exemplo liquido patet, qui cum cæterarum Bibliothecarum, tum et Cassinensis Codices omnes recensendo enumerat, quavis seclusa peculiari analysi. Quid quod et ab ipso in Bibliotheca Monasterii SS. Severini, et Sosii Neapoli Ordinis S. Benedicti Codex inter cæteros recensetur, et describitur Num. 7°. quin de thesauro illo nec nova proferat, nec vetera? Codex, inquam, tunc temporis Monasterio illi deputatus, nunc Bibliothecæ Vindobonensi plurimis ab hinc annis addictus, unde scilicet præfatus perspicacissimus Denisius novos Augustini sermones auspicatissimo elicuit; in quo hercle hanc nobis gloriam invidit non ita multis annis ante, viam tamen munire visus est ad confirmandam Codicum nostrorum authentiam.

Sed ad rem universam secundis curis recognoscendam, utque ex Horatiano præcepto *nonum prematur in annum*, certum mihi est decem duntaxat ex sermonibus hisce (quos complures datum est detegere) in præsens typis mandare *Speciminis* instar; atque eo vel magis quod frustrari ulterius spem publicam non liceret, neu quis illud in nos merito obganniret: *Fortunati sua si bona norint.* Modicis vero, iisque pernecessariis annotationibus, animadversionibusque illos communire ad rem duxi, uti et in antecessum annotatu dignum est illos e Codicibus Membranaceis prodire, et quidem sæculi ut plurimum X, et XI, characteres Longobardos præ se ferentibus, ad typum porro eorum, quos exhibet Mabillonius de Re Diplom. Tom. I. Num. 4°. ex Codice Chisiano sign. Num. 1521, et Num. 5, ex Codice Mediceo Laurentiano; quosque et idem P. Bruni annotat in Editione Rom. S. Maximi; quos et Trombellius refert in sua Arte internoscendæ ætatis Codicum Latinorum, et Italorum pag. 79. quos denique et P. Blasi meminit in serie Principum, qui Longobardorum ævo Salerni imperarunt.

Tab. III. Num. III. Quibus Codicibus omnibus licet solertissimi isti Diplomatices Magistri nullam præscripserint ætatem, cum characteres Longobardi diu obtinuerint, comparati illi tamen cum Cassinensibus, cum eo imprimis, qui signatur exterius Num. 148, interius vero annum refert decimum supra millesimum, vix alter ab altero videtur internosci. Quod satis superque innuit, quotquot eosdem præ se ferunt characteres nonnisi ad sæculum X, sive XI, referri oportere.

In hisce autem Cassinensibus Codicibus ut bene multa insunt Augustini opera, sic et duplicem licuit dignoscere sermonum classem. Prima suæ integritati restituit mutilos, et imperfectos jam typis vulgatos, sarcitque fragmenta, et lacunas, quibus restaurandis Maurini Editores locupletiora expetissent Exemplaria. Sic enim ad sermonem in Natali Domini, qui et hic prodit quarto loco, annotantes dolent: *Sunt et alii quidam loci forte minus integri; sed iis sanandis necessaria Exemplaria nos deficiunt.* Secunda e tenebris evocat sermones quos tum Possidius in *Indiculo*, tum et alia æque certa indicia e regulis sanæ Critices hausta fidem faciunt fuisse illos ab Augustino elucubratos, attamen deperditos nonnisi vota superarant assequendi.

Harum Classium specimen in decem istis Homiliis deprehendere est; quarum priores quatuor ad priorem classem, posteriores sex ad secundam revocantur. Quod superest, præmonere juvat, Codices istos eosdem plane esse ac qui exarati leguntur jussu Theobaldi, et Desiderii Abbatum Cassinensium, quorum posterior ascito dein nomine Victoris III clavum tenuit Ecclesiæ, meruitque in Sanctorum Album cooptari: cujus quidem rei testis est locuples Leo Ostiensis (Lib. 2. Chron. c. 51, et lib. 3, c. 63.) qui apud Baronium dicitur *integerrimæ fidei*, quique Codices singulos enuntiat, quamvis plures temporum injuria deperierint, non semel expilata Bibliotheca Cassinensi. Characterum forma, ipsaque ætas nonnullis per eamdem manum apposita rem videntur conficere.

Ii vero Codices, licet elegantissima characterum forma, et splendidissimo maximarum Litterarum ornatu præoptandum nil habeant, tamen non satis accurate conscripti sunt. Quamvis enim librarius ipse, vel quivis alius ferme ejus æqualis qua interscribendo, qua ad marginem notando, qua eradendo litteras correxerit errata, non raro tamen vel neglectu verborum intercipitur dictionis sensus, vel maculatur mendo, vel solœcismo. In quibus emendandis eo usque mihi licuit, quod ex collatione Codicum inter se germanam lectionem successerit adipisci. Ut autem in sermonibus jam a Parisiensibus vulgatis, sed nostrorum Codicum fide instauratis, facilius internoscatur, quid nunc primum publici juris fiat, visum est idipsum litteris, quas Italicas dicunt, monere[1]; seduloque opportunis animadversionibus annotare quæcumque Editio Parisiensis aut varie legit, aut lectioni nostrorum Codicum supplet: quæ vero annotanda occurrunt, ut diximus, ea vel sermonum initio præfiguntur, vel ad oram paginæ differuntur. Permagni quippe intererat sermonum istorum perspicuitati, dignitatique pro viribus consulere; nec mediocris in eo collata diligentia est.

Num vero cœptis e sententia successerit, severioris Censuræ judicium esto: quæ utinam *nec vexet Columbas*, dicam cum Juvenali, *nec veniam det Corvis!*

[1] In præsenti vero nostra Editione inter uncinos posuimus loca deprompta.

NOS D. STEPHANUS ALESSANDRI

ABBAS S. BENEDICTI SUBLACI, PROCURATOR GENERALIS, ET DELEGATUS APOSTOLICUS CONGREGATIONIS CASINENSIS.

Cum D. Octavius Fraja Frangipane Congregationis Nostræ Monacus, et in Archicœnobio S. Benedicti Montis Casini Tabularii, et Bibliothecæ Custos, Nobis constare fecerit sequentes decem Sermones in Codicibus MSS. qui in præfato Tabulario asservantur, conscriptos reperiisse Sancto Doctori Augustino attributos, tenore præsentium, quantum nostra interest, eos publici juris faciendi facultatem eidem in Domino concedimus.

Dat. Romæ ex Æd. S. Callixti die 6. *Decembris* 1819.

D. STEPHANUS ALESSANDRI Ab. Proc. Gen. et Delegatus Apost.

L ✠ S

D. Aloysius Belmonte Pro-Canc.

SANCTI AURELII

AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

SERMONES X

EX COD. CASSINEN. RECENS EDITI.

SERMO I.

(a) De decem plagis, et decem præceptis, quæ per Mosen data sunt Populo Judæorum.

Sermonem hunc ediderunt Maurini (Tom. V. Column. 41), uti fragmentum ex Eugipio, et in manuscriptis Regio, et Victorino repertum. Eumdem integritati quidem restituit Codex Casinensis n. 17., cui titulus Augustini Sermones de verbis Domini, et de aliis, *sed incuriosius exscriptum emendat Codex num. 13 inscriptus* Eugipii Sententiæ excerptæ ex libris Augustini, *in quo tamen nonnisi vulgatum fragmentum adest, paucis variantibus. Si quæ supersunt menda, intemerata servavi, quippe qui unicum illum Codicem nactus fuerim ex tot MSS. Casinensibus Sermonem hunc integrum exhibentem. Sunt autem in illo Codice* 21 *Sermones de verbis Domini eodem ordine dispositi, quos ediderunt Lovanienses; hos excipiunt* 58 *alii quorum* 27 *in Editione Maurina,* 23 *in nupera appendice Denisii,* 8 *denique vel ex parte, vel ex toto adhuc sub cinere latebant.*

I. [Domino Deo nostro, cujus cultores sumus, in laude dictum est quodam Scripturarum loco: « Omnia in » mensura, et numero, et pondere disposuisti[1]. » Deinde Apostolica doctrina edocemur « Ea quæ facta sunt intel» lecta conspicere, et ea, quæ latent per manifesta inves» tigare[2]. » Unde interrogata quodam modo ubique creatura, Dominum Deum se artificem habere, ipsa speciei suæ voce, respondet. Deinde Apostolus Paulus ea quæ scripta sunt in libris Veteris Testamenti in figura contigisse commemorat: « Scripta autem sunt, inquit, ad » correptionem nostram, in quos (*b*) finis sæculorum ob» venit[3]. » Proinde, charissimi, ea quæ videntur in rerum natura fortuito provenire interrogata diligenter, atque discussa, et prudenter vestigata, et inventa laudem intimant Creatoris, divinamque Providentiam per cuncta diffusam, et disponentem suaviter omnia, ut dictum est, cum « Attingit a fine usque in finem fortiter[4]. » Quanto magis ea, quæ non solum (*c*) faverunt, sed etiam divinis Litteris commendata recitantur? Unde propositam nobis a fratribus quæstionem, imo inquisitionem, et disputationem, quid sibi velit quod decem plagis percutiuntur Ægyptii, et decem præceptis instituitur populus Dei, suscipimus in nomine Domini Dei nostri, adjuvante ipso, et donante, adveniente nobiscum pia intentione cordis vestri, quantum possumus explicare. Arbitramur enim ipsum adjutorium etsi non propter nos, certe propter vos, ut ea dicamus certe, quæ (*d*) didici, et audiri ut ille est, ut in via veritatis ejus pariter ambulantes, et ad patriam pariter festinantes, insidiatores itineris nostri, agnoscendo voluntatem legis, evitare mereamur. Decem

[1] Sap. XI, 21. — [2] Rom. I, 20. — [3] I Cor. X, 11. — [4] Sap. VIII, 1.

(*a*) Maurini hunc enuntiant *de decem plagis, et decem præceptis.* Codex Eugipii habet: *Expositio decem præceptorum, salva firmitate sui ad litterarum fundamenti, ex Decalogi expositione ad Populum.* Augustinus in Psal. 77. num. 27. hunc memorat, et ibi compendiose explicat decem plagas. — (*b*) Juxta versionem antiquam, seu Italam Scripturæ Textus recitat Augustinus, qui versionem illam L. 2. De doct. Chr. c. 15. cæteris præferendam dicit. Utinam id advertisset clarissimus Denisius! Qui non sic temere censuisset in Sermone de Laude Cerei nota (*b*): *lapsus videtur memoria Auctor apem formicis Proverb.* 6. 6. *substituens*; adinvenisset enim apud Italam post LXX. proferri exempla tum apis, tum formicæ. — (*c*) Sic in Codice. — (*d*) Locus intricatus, profecto irrepsit mendum librarii.

sunt plagæ, quibus Pharaonis percussus est populus; decem sunt præcepta, quibus populus Dei instructus est. Videamus ergo, fratres, quomodo corporaliter facta, spiritaliter intelligenda sunt. Non enim negamus esse facta, ut putemus tantum dicta, atque conscripta, non facta; sed facta credimus quemadmodum facta legimus, et tamen ipsa facta umbram fuisse futurorum Apostolica Doctrina cognoscimus. Putamus ergo spiritualiter esse investiganda, quæ facta sunt, facta tamen esse. Nemo ergo dicat : Scriptum est quidem aquam conversam in sanguinem in plaga Ægyptiorum; sed significat aliquid; non enim revera fieri potuit. Hoc qui dicit, ita quærit voluntatem Dei, ut injuriam faciat potentiæ Dei. Qui enim, si dicendo significare potuit, etiam faciendo non potuit? An non? Non est natus Isaac, aut non Ismaël? Nati erant, homines erant, ex Abraham nati erant, et « Unus ex ancilla, » alter de libera[1]. » Quamvis ergo homines fuissent, quamvis nati essent, figurarunt tamen duo Testamenta, Vetus, et Novum. Ita (*a*) » prius in fundamento posita rerum gestarum firmitate (1) significantia debemus inquirere, ne subtracto fundamento in aëre velle ædificare videamur. « Arbitror enim omnes qui decem legis præcepta contemnunt, et non observant, spiritaliter pati ea, quæ Ægyptii corporaliter passi sunt. Hoc propositum donec adjutorio Dei explicem, intentos vos volo, et orantes pro nobis, ut dicamus vobis. Quod enim ad nos pertinet fortasse cogitamus, quod autem loquimur vobis servimus. Illud ergo prius accipite ne in numero fallamini (2) ad plagas istas] decem non pertinere quod primo factum est signi causa, ut virga in serpentem converteretur. Aditus enim (3) erat iste ad Pharaonem, quo commendabatur (4) Moses educturus ex Ægypto populum Dei[2]; nondum autem contumaces feriebantur, sed divino signo jam terrebantur. [Neque opus est, neque propositum nobis est de ipsa virga in serpentem conversa aliquid dicere. Veruntamen quia ejus mentionem necessitate fecimus, ne quis in numero erraret, nec debet in cujusquam auditoris animo tanquam non intellectæ rei scrupulus remanere (*b*), breviter dicimus (5),] virgas significare regnum Dei, idemque regnum esse utique populum Dei, serpentem autem tempus mortalitatis hujus; mors enim a serpente propinata est. Tanquam ergo cadentes de manu Domini in terram mortales effecti sunt; unde projecta virga ex manu Mosi serpens effecta est. Fecerunt et Magi (6) similiter : virgis eorum projectis, serpentes facti sunt. Sed prius serpens Mosi, id est, virga Mosi, devoravit omnes serpentes Magorum; tunc demum cauda comprehensa identidem virga facta est, et (7) regnum remeavit ad manum. Sunt enim virgæ Magorum populi impiorum. Qui autem populi impiorum? Victi Christi nomine; cum in ejus corpus transferuntur, tanquam a serpente Mosi devorantur : donec (8) redeamus ad regnum Dei, sed in finem mortalis sæculi, quod significat cauda serpentis, magnum signum fiat. Audistis quæ debeatis desiderare, audite quæ debeatis vitare.

II. Primum præceptum in Lege de colendo uno Deo : » Non erunt, inquit, tibi Dii alii præter me[3]. » Prima plaga Ægyptiorum aqua conversa in sanguinem[4].

III. Compara primum præceptum primæ plagæ. Deum unum ex quo sunt omnia (9) in similitudinem intellige aquæ, ex qua generantur omnia. Quo autem pertinet sanguis, nisi ad carnem mortalem (10)? Quid ergo conversio aquæ in sanguinem? nisi quia » Obscuratum est » insipiens cor (11) ipsorum? dicentes enim (12) se sa» pientes, stulti facti sunt, et commutaverunt glo» riam (13) incorrupti Dei in similitudinem imaginis cor» ruptibilis hominis. » Gloria incorruptibilis Dei (*c*) sicut aqua, similitudo imaginis corruptibilis hominis sicut sanguis. Et hoc quidem fit in corde impiorum, nam Deus incommutabilis manet; neque enim (14) quia Apostolus dixit : « Commutaverunt, » ideo mutatus est Deus.

IV. Secundum præceptum : » Non accipies nomen Do» mini Dei tui in vanum, qui enim (15) accepit nomen Do» mini Dei in vanum, non mundabitur[5]. » Nomen Domini Dei nostri Jesu Christi veritas est, ipse enim dixit : « Ego » sum veritas[6]. » Veritas ergo mundat, vanitas autem inquinat. Et quoniam qui loquitur veritatem (16) « De Dei » veritate loquitur; qui enim loquitur mendacium, de suo » loquitur[7] : » veritatem loqui est rationabiliter loqui; vanitatem (17) loqui est strepere potius quam loqui : merito, quia secundum præceptum est dilectio veritatis, cui contraria est dilectio vanitatis. Loquitur autem veritas (18), est per strepitum vanitas. Huic præcepto secundo contrariam (19) vide esse secundam plagam. Quæ est illa secunda plaga? Ranarum abundantia. Habes (*d*) expressam (20) significatamque vanitatem, si attendas ranarum loquacitatem. Vide amatores veritatis, non (21) accipientes nomen Domini Dei sui in vanum, loqui sapientiam inter perfectos, etiam inter imperfectos; non quidem loqui quod capere non possunt, non tamen recedere a veritate, et pergere in vanitatem. Quamvis (22) imperfecti non capiant si quid paulo excelsius fuerit disputatum de Verbo Dei « Deo apud Deum, per quod » facta sunt omnia; » possintque capere quod inter eos loquitur Paulus tanquam inter parvulos Christi. » Jesum » Christum, et hunc crucifixum; » non tamen illa est Veritas, et ista vanitas. Vanitas autem esset (23) si Christus mortem non implevisset, sed finxisse diceremus. Si vulnera illa in phantasmate fuissent, si sanguis non verus, sed simulatus de vulneribus emanasset, si falsas cicatrices, tanquam post falsa vulnera demonstrasset. Cum vero ista omnia (24) dicimus facta, dicimus certa, expressa, impleta credimus, et prædicamus. Quamvis de sublimi illius, et incommutabili veritate non loquamur, non tamen imus in vanitatem. Qui autem illa omnia in Christo falsa, et simulata dicunt, ranæ sunt clamantes in palude. Strepitum vocis habere possunt, doctrinam sapientiæ insinuare non possunt. Denique in Ecclesia loquuntur hærentes veritati veritatem (*e*), per quem facta

[1] Galat. iv, 22. — [2] Exod. vii, 10. — [3] Id. xx, 3. — [4] Id. vii, 20. — [5] Id. xx, 7. — [6] Joan. xiv, 6. — [7] Id. viii, 44.

(*a*) Ab his verbis exordiuntur Maurini, et Codex Excerptorum Eugipii, qui quidem amplissime concordant. — (*b*) Prolixius enim dixerat in Sermone octavo n. 7., et in Psal. 73. n. 5. — (*c*) *Gloria incorruptibilis Dei sicut aqua, similitudo imaginis corruptibilis hominis* supplevi ex Codice Excerptorum, vix enim potes non aberrasse oculum a voce priori ad eamdem posteriorem redditam, animo a sensu verborum abstracto, et ad exemplandum unice intento. — (*d*) Codex Excerptorum Eugipii habet : *expressam significatam vanitatem*. — (*e*) *Per quem facta sunt omnia, Veritatem Verbum carnem factum, et habitantem in nobis* supplevi ex Cod. Excerptorum Eugipii; hæc cum lacuna etiam e verbis similibus hic positis inducta est.

(1) *Edit.* *habet* significantiam. — (2) *Edit.* Sed ad plagas decem non pertinet quod primum. — (3) *Edit.* ipse erat. — (4) Codex Casinensis continuo legit *Moses* pro *Moyses* uti legitur in Editione. Sufficiat semel hoc annotasse. — (5) *Edit.* virga significat regnum Dei, idemque regnum Dei esse utique populum Dei, Serpens autem. — (6) *Edit.* Magi Pharaonis. — (7) *Edit.* ergo. — (8) *Edit.* redeat regnum Dei ad manum Dei, sed in fine. — (9) *Edit.* in similitudine. — (10) *Edit.* quid est ergo. — (11) *Edit.* eorum. — (12) *Edit.* Se esse sapientes. — (13) *Edit.* incorruptibilis. *Ad Rom.* I. 21. — (14) *Edit.* quia et Apostolus. — (15) *Edit.* accepit nomen Domini Dei sui. — (16) *Edit* de Deo loquitur. — (17) Vanitatem autem loqui. — (18) *Edit.* perstrepit vanitas. — (19) *Edit.* videte secundum. — (20) *Edit.* significatam. — (21) Non accipientes in vanum nomen Domini Dei sui. — (22) *Edit.* quamvis enim imperfecti non capiunt. — (23) *Edit.* Si Christum mortem non implevisse, sed finxisse diceremus, si vulnera illa in phantasmate fuisse, si sanguinem non verum, sed simulatum de vulneribus emanasse, si falsas eum cicatrices. . . . demonstrasse. — (24) *Edit.* vera dicimus, facta dicimus certa

sunt omnia, veritatem Verbum carnem factum, et habitantem in nobis, Veritatem Christum natum Deum de Deo, unum de uno, Unigenitum et Coæternum, Veritatem accepta forma servi natum ex Virgine Maria, passum, crucifixum, resurgentem, ascendentem, ubique veritatem, et (1) quam parvulus capere non potest, veritatem (a) et in pane, et in lacte, in pane magnorum, in lacte parvulorum. Idem quippe panis, ut lac fiat, per carnem trajicitur. Qui autem huic veritati contradicunt (b), et in sua vanitate decepti decipiunt, ranæ sunt, tædium (2) offerentes auribus, non cibum mentibus. Audi denique homines rationabiliter loquentes a » Non » sunt, inquit, loquelæ, neque sermones, quorum non » audiantur voces eorum : » sed voces non inanes, quia » In omnem terram exiit (c) sonus eorum, et in fines or» bis terræ verba eorum[1]. » Si autem et ranas vis e contrario intelligere, illum versum Psalmi recole : » Vana » locuti sunt unusquisque ad proximum suum[2]. »

V. Tertium præceptum : » Memento diem Sabbati sanc» tificare eum[3]. » In tertio isto præcepto insinuatur quædam vacationis indictio, quæ est cordis tranquillitas, et mentis, quam facit bona conscientia. Ibi sanctificatio, quia ibi Spiritus Dei. Denique videte vacationem, hoc est, quietem : » Super quem, inquit, requiescit Spiritus » meus, nisi super humilem, et quietum, et trementem » verba mea[4] (3). » Inquieti ergo resiliunt ab Spiritu sancto, rixarum amatores, calumniarum seminatores, contentionis quam veritatis cupidiores inquietudine sua (4) non admittunt quietem (d) Sabbati spiritalem. Contra istorum inquietudinem dicitur, tanquam ut Sabbatum habeant in corde, sanctificationem Spiritus Dei (5) : » Esto mansuetus ad audiendum verbum, ut » intelligas. » Quid intellecturus sum? Deum dicentem : Cessa ab inquietudine tua, non sit tumultus quidam in corde tuo, per corruptionem volitantibus (6) phantasmatis, et compungentibus te; non sit ita (e). Deum enim intellecturus es dicentem tibi (7) : « Vacate, et cognos» cite, quia ego sum Deus[5]. » Tu per inquietudinem vacare non vis (8), contentionumque tuarum corruptione cæcatus exigis videre quod non potes.

VI. Attende enim, et contrariam tertiam plagam huic præcepto tertio, » Sciniphes natæ sunt in terra Ægypti de » limo, » muscæ (9) quædam minutissimæ, inquietissimæ, inordinate volitantes, in oculos irruentes, non permittentes hominem quiescere, dum abiguntur et irruunt, dum abactæ rursus redeunt, sicut omnino vana phantasmata cordis contentiosorum (10). Tene præceptum, cave plagam.

VII. Quartum præceptum est : » Honora patrem tuum, » et matrem tuam[6]. » Huic contraria quarta Ægyptiorum plaga (11) Cynomia (f). Quid est Cynomia? Cynomia est canina musca; græcum vocabulum est. Caninum est parentes non agnoscere; nihil tam caninum, quam cum illi, qui genuerunt, non agnoscuntur : merito ergo et catuli canum cæci nascuntur.

VIII. Quintum præceptum est : » Non mœchaberis[7]. » Quinta plaga est » Mors in pecora Ægyptiorum[8]. » Comparemus. Da hominem (12) mœchantem, conjugio non contentum suo; appetitum quemdam carnis in se domare non vult, qui est nobis pecoribusque communis. Etenim concumbere, et generare etiam (13) porcinum est; et intelligere, hominum est. Ideo ratio, quæ præsidet in mente motus inferiores carnis, tanquam regnans, et dominans frenare debet; non immoderate, et illicite, passim vagoque laxare. Ideoque ipsis pecoribus natura datum est, instituente Creatore, ut non moveantur ad fœminas, et ad concubitum, nisi certis temporibus; neque enim se ratione cohibet alio tempore pecus, sed omnino motu ipso frigescente torpescit. Homo autem ideo semper moveri potest, quia et (14) frenare motum potest. Tibi dominationem rationis Creator dedit, tibi præcepta continentiæ, tanquam in bestias inferiores lora, concessit. Tenes tu quod pecus non (15) habet, et ideo speras tu quod pecus non potest. Labores aliquantum (16) continendo, quod non laborat pecus; sed gaudebis in æternum, ad quod non pervenit pecus. Si opus fatigat, merces consoletur, et ipsa enim patientia est interiorem motum frenare, et quod habes commune cum pecore, non tanquam pecus in omnia (17) relaxare. Quod si contempseris te (18) in te, et imaginem Dei, in qua fecit te neglexeris victus cupiditate (19) bestiarum, tanquam amisso homine eris pecus; non quasi conversus in naturam pecoris, sed in hominis forma habens similitudinem pecoris, qui non audis dicentem : » Nolite esse sicut » equus, et mulus (20) quibus non est intellectus[9]. » Et forte eligis tibi esse pecus, et (21) liber vagari libidine, nulla lege appetitum carnis ad continentiam refrenando : attende plagam (g); si pecus esse non times, saltem mori sicut pecus time.

IX. Sextum præceptum : » Non occides[10]; » Sexta plaga : » Pustulæ in corpore, et vesicæ bullientes, et (22) scaten» tes, et incendia vulnerum ex favilla fornacis[11]. » Tales sunt animæ homicidales, ardent ira, quia per iram homicidii fraternitas deperiit. Ardent homines (23) iracundia, ardent et gratia. Sed alius est fervor sanitatis, alius fervor ulceris. Ardentes papulæ per totum corpus concepta homicidia scatent, et sanum non est, quod fervet. Fervet, sed non de Spiritu Dei. Nam et qui vult subvenire fervet, et qui vult occidere fervet; ille præcepto (24), ille morbo, ille bonis operibus (25), ille saniosis ulceribus. Nam si possemus animas videre homicidarum, plus plangeremus, quam putrescentia corpora ulceratorum.

X. Septimum (26) præceptum sequitur : » Non furabe» ris[12]. » Plaga septima » Grando in fructibus[13]. » Quod contra præceptum subducis, de cœlo perdis; nemo enim habet injustum lucrum sine justo damno. (27) Furatur verbi gratia; qui furatur acquirit vestem, sed cœlesti judicio amittit fidem. Ubi lucrum, ibi damnum. Visibiliter lucrum, invisibiliter damnum. Lucrum de sua cæcitate, damnum de Domini nube. Neque enim aliquid sine

[1] Psal. XVIII, 4, 5. — [2] Id. XI, 3. — [3] Exod. XX, 8. — [4] Isai. LXVI, 2. — [5] Psal. XLV, 11. — [6] Exod. XX, 12. — [7] Ibid. 14. — [8] Id. IX, 6. — [9] Psal. XXXI, 9. — [10] Exod. XX, 13. — [11] Id. IX, 10. — [12] Id. XX, 15. — [13] Id. IX, 23.

(a) Codex Excerptorum legit : *Veritatem, quæ in pane.* — (b) Beda ad Corinth. c. I. comm. c. 2 legit : *et sua vanitate.* — (c) Codex Excerpt. *exivit.* — (d) Codex Excerpt. : *id est Sabbatum spiritale.* — (e) Editio diverse interpungit, sed Codex Excerpt. conformis est lectioni nostræ. — (f) *Quid est cynomia?* Supplevi ex Cod. Excerpt. Hieronymus epist. ad Sun. et Fret. omne muscarum genus designatum contendit, et describendam vocem illam Κοινομυία per δίφθογγον οι, non Κυνομυία per υ. — (g) Codex Excerpt. Reg. legit : *Si pecus es, et non times.*

(1) *Edit. addit* et quam perfecti capiunt. — (2) *Edit.* inferentes. — (3) *In edit. interrogatio præponitur voci* super. — (4) *Edit.* non ad se admittunt. — (5) Ecclesiast. V, 13. — (6) *Edit.* phantasmatibus. — (7) *Edit.* vacate, et videte quoniam. — (8) *Edit.* contentionum. — (9) *Edit.* quædam sunt. Exod. 8, 18. — (10) *Edit.* tenete... cavete. — (11) *Edit.* Κοινομυία . . . Κυνομυία. — (12) *Edit.* mœchari meditantem, conjugio non contentum suo. — (13) *Edit.* pecorum est, ratiocinari, intelligere hominum est. — (14) *Edit.* refrenare. — (15) *Edit.* potest *pro* habet. — (16) *Edit.* in continendo, non laborat pecus, sed gaudebis semper in æternitate, ad quam. — (17) Laxare. — (18) *Edit.* et in te imaginem. — (19) *Edit.* insensatarum rerum *pro* bestiarum. — (20) *Edit.* non habentes intellectum. Sed forte. — (21) *Edit.* libere. — (22) *Edit.* Scaturientes. — (23) *Edit.* ira. — (24) *Edit.* iste. — (25) *Edit.* iste furore. *Eugip. leget cum nostro Cod.* — (26) *Edit. præponit vocem* Sequitur. — (27) *Edit.* verbi gratia qui furatur, acquirit vestem.

providentia, charissimi. Aut vere putatis ea, quæ patiuntur homines, Deo dormiente pati? Passim videntur fieri hæc, nubes colligi, imbres infundi, grandinem jaci, (1) tonitru terram concuti, coruscatione terreri; passim putantur fieri, et quasi ad divinam Providentiam non pertinere. Contra tales cogitationes vigilat ille Psalmus: « Laudate Dominum de terra (cum laudes dictæ essent de cœlo) dracones, et omnes abyssi, ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis, quæ faciunt verbum ejus [1]. » Ergo qui malo desiderio suo forinsecus furantur, justo Dei judicio intrinsecus grandinantur. Oh! Si (2) possint inspicere agrum cordis sui, profecto lugerent, dum ibi non invenirent quod in os mentis mitterent, (a) etsi in furto suo invenirent, quod in aviditatem ventris mitterent. Major fames (3) est hominis interioris, major fames est, et periculosior plaga, et gravior mors, multi mortui ambulant, et multi (4) famelici de vanis divitiis exultant. Denique Servum Dei Scriptura intus dicit locupletem; inquit: « Absconditus cordis vestri homo, qui est ante Deum dives. » Non ante homines dives (5), sed ante Deum, dives ubi Deus. Vide tibi dives, quid ergo tibi prodest? (6) Ubi homo non videt furaris, et ubi Deus videt grandinaris.

XI. Octavum præceptum: « Falsum testimonium non dices [2]. » Octava plaga: « Locusta, animal dente noxium [3]. » Quid autem vult falsus testis, nisi nocere mordendo, et consumere mentiendo? Denique admonens homines Dei Apostolus, ne se falsis criminationibus appetant: « Si mordetis, inquit, et comeditis invicem, videte ne abinvicem consumamini [4]. »

XII. Nonum præceptum: « Non concupisces uxorem proximi tui [5]. » Nona plaga: « Densæ tenebræ [6]. » Etenim est quædam mœchia contra quam supra (7) præceptum datum est, etiam in non appetenda castitate uxoris alienæ. Mœchus est enim et qui non it ad uxorem alienam; tantum quia non contentus est sua. Jam vero non solum post suam peccare, sed etiam alienam attentare veræ densæ sunt tenebræ. Nihil enim sic dolet in corde patientis, et qui hoc facit alteri nihil sic (8) vellet pati. Ad alia paratior est omnis homo, hoc autem nescio (9) utrum inventus est qui tolerabiliter ferat. O densas tenebras ista facientium, talia concupiscentium! Vere excæcantur furore (10) terribili, furor enim indomitus est (11) commaculare viri uxorem.

XIII. Decimum præceptum est: « Non concupisces ullam rem proximi tui, non pecus, non possessionem, non subjugium, non aliquid omnino proximi tui concupisces [7]. » Huic malo plaga contraria est decima: « Mors primogenitorum [8]. » In qua plaga (12) cum comparatione quædam quæro; nihil mihi interim occurrit, fortassis occurrat melius, ac diligentius inquirentibus (13), nisi quia omnes res (b) quas homines habent hæredibus servant. Reprehenditur hic autem concupiscens rem proximi; concupiscit enim et qui furto aufert: et qui furatur aliquid proximi, non potest nisi concupiscendo rem proximi furari. Sed de furto jam superius præceptum est (14), ut ibi intelligas et rapinam. Non enim de furto præciperet, et de rapina taceret Scriptura, nisi te intelligere voluisset, quia si pœnale est clanculo auferre, multo majoris pœnæ est violenter eripere (15). Auferre nolenti sive occulte sive palam habet præceptum suum. Concupiscere autem rem proximi, quod notat Deus in corde, etiamsi justam ibi successionem quæras, non licet. Denique qui volunt res alienas tanquam juste possidere, hæredes se quærunt fieri a morientibus. Quid enim tam justum videtur, quam rem sibi derelictam possidere, habere jure communi? Quid apud te facit homo? Dimissum est mihi (16); hæreditatem consecutus sum; testamentum lego. Nihil videtur justius ista voce avaritiæ (17). Tu: juste tenes; et laudas quasi jure possidentem. Deus damnat injuste concupiscentem. Vide qualis es, qui optas te ab aliquo hæredem fieri: non vis ut habeat hæredes (18). In hæredibus nihil charius primogenito, proinde in primogenitis tuis (19) puniris qui concupiscendo res alienas, id, quod tibi jure non debebatur (c) quasi juris umbra perquiris. Et facile est quidem, fratres, corporaliter amittere primogenitos; moriuntur enim homines sive ante parentes suos, sive post parentes suos; morituri moriuntur. Illud molestum est, ne per hanc occultam, et injustam concupiscentiam primogenita cordis tui perdas. Primogenitus enim in nobis imaginem habet gratiæ Dei: novus natus, prior natus, inter omnes tanquam natos cordis nostri primogenita fides est. Nemo enim bene operatur, nisi fides præcesserit, sicut dicit Apostolus: » Sine fide, inquit, impossibile est placere Deo [9]. » Omnia opera tua bona filii tui sunt spirituales, sed inter hos tibi (20) primo nata est fides. Quisquis ergo rem alienam occulte concupiscis (21) internam fidem perdis. Eris enim primo sine dubio simulator, obsequens non charitate, sed fraude; veluti amans eum, a quo te cupis fieri hæredem: amando, eum mori quæris (d), et ut in re ejus te videas possessorem, illi invides successorem.

XIV. Eja (e), fratres decursis decem præceptis, et decem plagis, comparantes contemptores præceptorum contumaciæ Ægyptiorum, cautos vos fecimus, ut habeatis securi res vestras in præceptis Dei, res vestras, inquam, res vestras (22) interiores arcæ vestræ, interiores thesauri vestri; res vestras, quas vobis nec fur, nec latro, nec vicinus potens possit auferre, ubi nec tinea, nec rubigo metuenda est, cum quibus (23) extitit naufragus. Sic enim eritis et populus Dei inter iniquos Ægyptios (f) illis hæc in corde patientibus, vobis autem incolumibus in ipsis interioribus vestris hominibus, donec educatur populus de Ægypto quodam (24) Exodo, quod et fit, nam illud semel factum est, hoc non cessat fieri.

XV. [Nam (g) si attendamus etiam expoliamus Ægyp-

[1] Psal. cxlviii, 7, 8. — [2] Exod. xx, 16. — [3] Id. x, 13. — [4] Ad Galat. v, 15. — [5] Exod. xx, 17. — [6] Id. x, 22. — [7] Exod. xx, 17. — [8] Id. xii, 29. [9] Hebr. xi, 6.

(a) *Etsi in furto suo invenirent, quod in aviditatem ventris mitterent.* Supplevi ex Cod. Exc. patebat enim lacuna non dissimilis a præcedentibus. — (b) In Excerp. Eugip. habetur: *quas habet hæredibus servare deprehenditur. Hic autem clamat.* — (c) In iisdem Excerp. legitur: *juris sub umbra.* — (d) In Editione deest conjunctio, quæ tamen habetur in Eugipio. — (e) Noster Codex habet: *Hæc, fratres, decursa decem præcepta, et decem plagas, comparatos contemptores præceptorum contumaciæ Ægyptiorum, cautos vos facimus.* Huic lectioni fortasse minus integræ alteram præposui desumptam ex Codice Excerp. Eugypii. — (f) *Illis hæc in corde patientibus, vobis autem incolumibus in ipsis interioribus vestris hominibus, donec educatur populus de Ægypto.* Supplevi ex Cod. Exc. Eug. ex voce enim *Ægyptios* ad illam *Ægypto* manifeste aberravit oculus, ut jam vidimus in præcedentibus. — (g) Vide lib. 22. cont. Faust. c. 71, et seqq.

(1) *Edit.* tonitruis. — (2) *Edit.* possent. — (3) *Edit.* esset hominis interioris, major fames, et periculosior. — (4) *Edit.* facinorosi. — (5) *Edit.* hominum dives, sed ante Deum dives, et ubi Deus videt, ibi dives. — (6) *Edit.* Si ubi. — (7) *Edit.* præceptum est. — (8) *Edit.* volet pati. Ad alienam. *Codex Excer. conformis lectioni nostræ.* — (9) *Edit.* utrum ne est. — (10) *Edit.* horribili. — (11) *Edit.* conculcare. — (12) *Edit.* cum comparationem quamdam. — (13) *Edit.* nisi qui omnes res quas habet hæredibus servat, reprehenditur. Hic autem clamat qui rem proximi concupiscit, et qui furto aufert, et qui furatur aliquid proximi, non potest nisi rem proximi furari. — (14) *Edit.* ubi intelligas. — (15) *Edit.* auferre ergo nolens. — (16) *Edit.* hæreditate. — (17) *Edit.* tu laudas quasi jure. — (18) *Edit.* in hæredibus autem. — (19) *Edit.* punieris. *Eugipius confirmat lectionem nostram.* — (20) *Edit.* primogenita. — (21) *Edit.* interius. — (22) *Edit.* interioris. . . . interiores. — (23) *Edit.* exsit et naufragus. — (24) *Edit.* Exodo suo.

tios. Neque enim illud præter mysterium factum est. quomodo homines minus intelligentes accusare hic audent Deum, quia jussit peti ab Ægyptiis aurum, et argentum, et vestes; data sunt hæc, et ablata[1]. Fures isti essent, nisi Deo jubente fecissent. Intendat Charitas Vestra, fures, inquam, isti essent nisi Deo jubente fecissent; quia vero Deo jubente fecerunt, fures non fuerunt. Hos jam non accusas, ipsum Deum accusare paratus es. Ad illos obtemperare pertinuit (a); apud Deum fuit jubentis consilium, qui novit quid quis pati debeat; quis, quid, quo merito patiatur. Parricidium apertissimum et funestum esset Abrahæ, si ultro filium percussisset; hoc tantum secus, laudabiliter faciebat, quia Deo jubenti obediebat, et quod esset in spontanea voluntate crudelitas, sub Dei præcepto facta est pietas[2].]

XVI. [De Actibus Apostolorum volo aliquid dicere. Petrus cum esset inclusus in carcere, venit ad eum Angelus salutis, qui (b) catenis de manibus ejus jussit exire[3]. Egressus ille secutus est Angelum; de carcere liberatus est Domini imperio, Dei auctoritate. Postero die judex eum quæsivit ad audiendum; abscessisse cognovit, custodes carceris duci jussit; « Milites, inquam, interrogatos » duci jussit; » dedit in illos sententiam, legem, quam sibi (c) videbatur, nisi invenirent Petrum. Quid dicis? Petrus auctor fuit mortis illorum? Nonne esset perverse pius, si voluntati Dei contradiceret, diceretque Angelo jubenti, ut exiret: Non exeam, ne propter me miseri homines, custodes carceris moriantur? Responderetur ei: Dimitte ista Creatori; quia non es artifex ut homo nascatur, non esse judex potes quomodo moriatur: nemo enim moritur, nisi quem vult Deus. Mori consilium judici Deo dimittitur, sed tamen concupiscentia homicidæ damnatur. Neque enim hic attendendum est quid Deus judicaverit, sed quid mala gens cogitaverit (d). Judas quippe tradidit ad passionem Filium Dei, et per passionem Filii Dei omnes gentes redemptæ sunt ad salutem; nec tamen pro salute gentium merces reddita est Judæ, sed pro ejus malitia debitum supplicium retributum est. Nam si traditio Christi, et non tradentis animus considerandus est, hoc fecit Judas, quod fecit Deus Pater, de quo scriptum est: « Qui Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum[4]. » Hoc fecit Judas, quod fecit ipse Dominus noster Christus, de quo scriptum est: « Qui » se ipsum tradidit pro nobis oblationem, et hostiam Deo » in odorem suavitatis; » et iterum: « Sic Christus, inquit, dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, ut » eam sanctificaret[5]. » Et tamen gratias agimus Deo Patri, qui « Unico Filio suo non pepercit, sed pro nobis » omnibus tradidit eum. » Gratias agimus ipsi Filio Dei, « Qui se ipsum tradidit pro nobis, et in eo voluntatem » Patris implevit. » Et detestamur Judam, de cujus facto tantum beneficium præstitit Deus, et recte dicimus: « Reddidit ei Dominus secundum iniquitatem ejus, et » secundum malitiam ejus disperdidit eum[6]. » Non enim pro nobis tradidit Christum, sed pro argento, quo vendidit eum, quamvis Christi venditio sit nostra Redemptio.]

XVII. [Nemo ergo, fratres, nemo discutiat Deum. Superbum est, impium est, stultum est. Tu concupiscentias tuas frena, nihil facias animo malo, obtemperare paratus esto, non nocere. Itaque fecerunt illi, fecit Deus. Si illi furtum fecissent, etiam sic voluerat forte Deus Christus pati qui paterentur, quando permisit eos, qui fecerunt, facere; servaret tamen (e) furibus pœnam, exigeret aliquam temporalem vindictam de iis, qui passi sunt furtum. Nunc vero illi ultro non fecerunt, Deus justo judicio fieri voluit. Cum si appendas causam, forte non aurum alienum tulerunt, sed debitam mercedem exegerunt. Injuste oppressi dum in Ægypto lateres fecerunt, pro duris operibus servitutis sine mercede non exierunt, et tamen Deus certa aliqua causa fecit hoc (f). Si sumus, tanquam populus Israël in Ægypto, in hoc mundo, certe audeo vobis dicere, puto enim quia Spiritu Dei loquor ad vos, tollite aurum, argentum, vestes Ægyptiis. Aurum ipsorum sapientes, ipsorum argentum eloquentes ipsorum, vestes ipsorum varietas linguarum ipsorum. Nonne hæc omnia videmus in Ecclesia? Nonne quotidie hoc facit Ecclesia? Quanti sapientes in sæculo credunt Christo? Ablatum est aurum Ægyptiis (g). Sanctus, cujus mensa ista vocatur, fuit aliquando vel aurum, vel argentum Ægyptiorum. Vestes autem Ægyptiorum, quibus quodam modo sensus induuntur, linguæ sunt variæ. Videtis eas ex Ægypto ad populum Dei migrare: « Non sunt enim loquelæ, neque sermones, quorum non » audiuntur voces eorum[7]. » Hic aurum, hic argentum Ægyptiorum, et videntes eximus, et mercedem nostram ferimus; non enim sine causa in luto Ægypti laboravimus. Sic omnia, fratres, sive quæ exponi a nobis possunt, sive quæ nondum possunt, sive quæ potestis intelligere, sive quæ nondum potestis, sive hoc modo, quo a nobis dicta sunt, sive alio meliori modo, credite omnino, quia « Omnia tunc in figura contingebant eis, scripta autem » sunt ad correptionem nostram, in quos (h) fines sæcu- » lorum devenerunt[8]. » Itaque ego non fierem intentus ad ea? Et tu quilibet, Christiane spiritualis, non essemus intenti, et sine causa factum diceremus, quod in tertiam plagam Magi Pharaonis defecerunt? Nihil hic quærerem, frustra factum vel scriptum putarem? Faciunt Magi Pharaonis (i) contra Mosen de virgis serpentes, de aqua sanguinem, faciunt ranas, faciunt hæc. Veniunt ad tertiam plagam, id est, ad illas muscas, quæ appellantur Sciniphes, et ibi deficiunt qui fecerunt serpentes, qui fecerunt ranas deficiunt, deficiunt ad muscas. Non est prorsus, non est sine causa. Pulsate mecum (j). Tertia plaga hæc cui contraria est? Præcepto Dei tertio, ubi de Sabbato præcipitur populo, ubi quies prædicatur, ubi sanctificatio commendatur, ibi enim dicitur: « Me- » mento diem Sabbati sanctificare eum. » Denique et in primis operibus mundi fecit Deus diem, fecit cœlum, terram, mare, luminaria, stellas, animalia ex aquis, ex terra hominem ad imaginem suam. Facit hæc omnia, nusquam sonat aliquid sanctificatum. Peraguntur ista sex diebus, sanctificatur dies septimus vacationis Dei: opera non sanctificat, vacationem sanctificat[9]. Quid dicturi sumus? Quomodo nobis laborantibus plerumque dulcius est otium, quam opus, ita putamus et Deum? Non hoc putare debemus, nec sic laborando fecisse, et non jubendo creavisse, « Dixit Deus: Fiat, et factum est. » Hoc modo faciendo, nec ipse homo laboraret. Sed in

[1] Exod. XII, 35. — [2] Gen. XXII. — [3] Act. XII. — [4] Rom. VIII, 32. — [5] Ephes. V, 2 et 25. — [6] Psal. XCIV, 23. — [7] Id. XVIII, 4. — [8] Cor. 8. — [9] Gen. II, 3.

(a) Vide lib. 2. Quæstionum in Exodo, quæstione sexta. — (b) Aliquid profecto omissum est, forte adjunctum vocis catenis. — (c) Sic in Codice: forte deest aliquid. — (d) Quæ sequuntur verba, iterata inveniuntur in Psal. 93. usque ad illa nostra redemptio — (e) Vide in Psal. 104. num. 28. (f) Libro sec. de Doctrina christiana ditati dicuntur Ægyptiorum divitiis Cyprianus, Hilarius, Victorinus, Optatus, aliique. — (g) Fortasse ad mensam Cypriani loquebatur, qui rethor cum docuerat priusquam a Cæcilio converteretur. — (h) In orationibus pro tempore, et data occasione habitis Augustinum suo, ut ita dicam, more aliquoties Scripturæ verba annotavit doctus Sabatier in Præfat. ad veterem Bibliorum versionem. Hinc apud eumdem S. Doctorem omnes sunt tot ejusdem textus variantes lectiones, quarum hoc vides exemplum. — (i) Vide resp. ad Epist. Januar. c. 11. 15. 18. — (j) Vide Sermonem 9. num. 6., et Serm. 251. num. 5., necnon lib. 4. de Genesi ad litteram a cap. 13 ad 20., ubi de sanctificatione diei septimi.

illo die commendata nobis quædam requies ab omnibus operibus nostris, ut post bona opera nostra intelligeremus nos requieturos sine termino. Nam omnes dies ibi habent vesperum, septimus non habet; operamur enim cum fine, requiescimus sine fine. Ibi sanctificatio sonat magno quodam mysterio, pertinens ad Spiritum sanctum. At eum me dicentem, fratres: Accipite cum venia, obsecro vos, magis inquirentes quid coner, quam quid explicem: novi quis loquar, et quid vobis loquar; Divina hominibus homo[1]. Ecce annitimini mecum, laborate mecum, ut quiescatis mecum, quantum Dominus donat, quantum aperit, quantum significat, quantum innuit ipsa sapientia ostendens se amatoribus suis in viis hilariter, et in omni providentia occurrens eis. Sanctificatur dies Sabbati, quies Dei. Ibi primum sonat sanctificatio, quantum mihi videtur, quantum et vos cognoscitis, quantumque credimus (*a*).] Sanctificatio nulla divina et vera est, nisi ab Spiritu sancto. Non enim frustra dictus est proprie Spiritus sanctus; cum sit et Pater sanctus, cum sit et Filius sanctus, nomen tamen hoc proprium Spiritus accepit, ut tertia in Trinitate Persona Spiritus sanctus diceretur. Ipse « Requiescit » super humilem, et quietum » tanquam in Sabbato suo. Ad hoc septenarius numerus etiam Sancto spiritui deputatur. Hoc Scripturæ nostræ satis indicant; viderint meliora meliores, et majora majores, et de isto septenario numero subtilius aliquid, et divinius dicant, et explicent. Ego tamen, quod in præsenti sat est, illud video, illud vos ad videndum commemoro, septenariam istam rationem (1) numeri proprie sancto Spiritui deputatam, quia (2) septenario die sonat sanctificatio. Et unde probamus sancto Spiritui deputari septenariam (3) numerationem? Dicit Isaias spiritum Dei venire super fidelem, super Christianum, super Christi membrum « Spiritum » sapientiæ, et intellectus, consilii, et fortitudinis, » scientiæ, et pietatis, Spiritum timoris Dei[2] (*b*). » Si secuti estis septem res percurri, tanquam descendentem ad nos Spiritum Dei a sapientia, usque ad timorem, ut nos ascendamus a timore ad sapientiam. « Initium » enim sapientiæ timor (4) Domini[3]. » Ita ergo et septenarius spiritus et unus spiritus septenaria ratione unus. An aliquid evidentius vultis? Pentecosten diem festum Scriptura sancta de septimanis factum commemorat. Habetis in Scriptura Tobiæ (5), ubi etiam evidenter dicitur istum diem festum de septimanis. Septies enim septem quadraginta et novem in summa redeunt; sed tanquam ut redeatur ad caput; Spiritu enim sancto ad unitatem colligimur, non ab unitate dispergimur; ideo ad quadraginta et novem additur unum honor unitatis, et fiunt quinquaginta. Non ergo jam sine causa quinquagesimo die per Ascensionem Domini venit Spiritus sanctus (6). Resurgit Dominus, ascendit ab inferis, nondum in cœlum. Ab illa resurrectione, ab illa ab inferis assumptione numerantur quinquaginta dies, et venit Spiritus sanctus in quinquagenario numero, tanquam natalem sibi apud nos faciens. Quadraginta enim diebus hic conversatus est Dominus cum Discipulis suis, quadragesima die ascendit in cœlum, et peractis ibi decem diebus, tanquam (7) decem præceptorum signa, venit Spiritus sanctus, quia nemo implet legem nisi per gratiam Spiritus sancti. Itaque, fratres, manifestum est septenarium istum numerum ad Spiritum sanctum pertinere. Quisquis autem non cohæret unitati Christi (*c*) et oblaterat adversus unitatem Christi, intelligendus est non habere Spiritum sanctum. Contentiones enim, et dissentiones, et divisiones non faciunt nisi animales, de quibus Apostolus ait: « Animalis autem homo non percipit quæ sunt » Spiritus Dei[4]. » Deinde scriptum est et in Epistola Judæ apostoli: « Hi sunt, qui segregant semetipsos (8) animales spiritum non habentes. » Quid manifestius, quid evidentius? Merito veniant etsi eadem credentes, quæ nos, tamen accepturi Spiritum sanctum, quem habere non possunt quandiu sunt hostes unitatis. Hos autem comparat Apostolus Magis Pharaonis: « Habentes, inquit, formam pietatis, sed virtutem ejus abnegantes[5]. » Habendo formam pietatis similia fecerunt, sed virtutem ejus abnegantes (9) in signo tertio defecerunt. »

XVIII. [Sed adhuc quærite mecum quare in tertio signo? Defecissent enim in secundo, defecissent in quarto, quid interest ubi deficerent defecturi? Quare ergo in tertio (*d*)? Sed prius videte quod promiseram, utrum illis Magis hæreticos comparaverit apostolus Paulus. « Habentes, inquit, formam pietatis, virtutem autem ejus » abnegantes, et hos evita. Ex his sunt qui penetrantes » domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur a variis desideriis, semper discentes » et ad veritatis scientiam nunquam pervenientes. » Testimonium quippe de Ecclesia catholica semper audiunt, et ad Ecclesiam catholicam venire nolunt. Semper discentes, neque enim non semper audiunt: « In semine tuo » benedicentur omnes gentes[6]: » non semper audiunt: « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, » et possessionem tuam terminos terræ[7]; » non semper audiunt: « Commemorabantur, et convertebantur ad » Dominum universæ Patriæ gentium[8]; » non semper audiunt: « Dominabitur usque ad mare, et a flumine usque ad fines orbis terræ[9]. » Semper ista audiunt, semper discentes, et ad veritatis scientiam nunquam pervenientes. Videte jam quod promisi. Quid Apostolus sequitur? « Sicut autem Jamnes, et Mambres restiterunt Mosi, sic » et isti restiterunt veritati; homines mente corrupti, reprobi circa fidem. » Quid deinde? « Sed ultra non » proficient, dementia enim eorum manifesta erit omnibus hominibus, sicut et illorum fuit[10]. » Jam videte quare in tertio signo defecerunt. Mementote eos, qui adversantur unitati, non habere Spiritum sanctum. Tria vero illa præcepta prima in Decalogo ad Dei dilectionem pertinere intelliguntur, ut septem cætera intelligantur ad dilectionem pertinere proximi; ut duabus tabulis legis, et decem præceptis, duo illa tanquam summaria præcepta teneantur. « Diliges Dominum Deum tuum ex toto » corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua; » et diliges proximum tuum (10) sicut te ipsum: In his » duobus præceptis tota Lex pendet, et Prophetæ[11]. » Referamus ergo tria prima præcepta ad dilectionem Dei. Quæ tria prima? Primum: « Non erunt tibi dii alii præter me; » Cui contraria plaga est aquæ conversæ (11) in sanguinem, propter quod summum principium Creatoris ad simulationem (12) humanæ carnis adductum. Secundum præceptum: « Ne accipias in vanum nomen

[1] Isai. LXVI, 25. — [2] Isai. XI, 2. — [3] Prov. I, 7. — [4] Cor. II, 14. — [5] 2 Tim. III, 5, et seqq. — [6] Gen. I, 2. — [7] Psal. II, 8. — [8] Id. XXI, 58. — [9] Id. LXXI, 18. — [10] 2 Tim. III, 8, et seqq. — [11] Matth. XXII, 37, 38.

(*a*) Hic resumitur lectio editionis. — (*b*) *Si secuti estis septem res percurri tanquam descendentem ad nos Spiritum Dei* supplevi ex Codice Excerp. Eug. manifesta enim erat lacuna. — (*c*) *Et oblaterat adversus unitatem Christi* supplevi ex Cod. Excerpt. — (*d*) Hoc explanatione frequenter abrupta, forsan etiam longiore, genuinitatem Sermonis non hebetari Augustini familiares noverunt, aut saltem præfationem Erasmi ad Augustini opera legentes.

(1) *Edit.* inveniri proprie. — (2) *Edit.* septimo die. — (3) *Edit.* numeri rationem. — (4) *Edit.* Dei. — (5) Tob. 2. 1. juxta Italam post septuaginta Interpr. — (6) *Edit.* resurrexit. — (7) *Edit.* decimo præceptorum signo. — (8) *Edit. addit* (reprehendens loquebatur) hi sunt qui segregant semetipsos. *Judæ* I. 19. — (9) *Edit.* qui pro in. — (10) *Edit.* tanquam. — (11) *Edit.* aqua conversa. — (12) *Edit.* simulationem, *et in animadversionibus* Simulationem. *Eugip. conformis est nostro Codici.*

» Domini Dei tui. » Pertinet, quantum arbitror ad verbum (1) Dei, quod est Filius Dei. « Unus enim Deus, » et unus Dominus noster Jesus Christus, per quem » omnia[1]. » Contra verbum ranæ. Vide (2) contra verbum ranas, contra rationem strepitus, contra veritatem vanitatem. Tertium præceptum de Sabbato, pertinens ad Spiritum propter sanctificationem, quæ prima in Sabbato sonuit, quod vobis paulo ante vehementer, quantum potuimus, commendavimus. Huic præcepto contraria plaga inquietudo in muscis de corruptione nascentibus, in oculos irruentibus. Ideo in hoc tertio signo defecerunt, qui unitatis inimici Spiritum sanctum non habuerunt, facit enim hoc Spiritus sanctus pœna: aliud enim facit gratia, aliud pœna; aliud enim facit implendo, aliud deserendo. Denique ut jam evidenter ipsis confitentibus Pharaonis Magis agnoscere valeamus, quomodo appellatus est in Evangelio Spiritus Dei videamus, quod nomen (3) accipit. Objicientes Domino convicium Judæi, cum dixissent: « Hic non ejicit dæmonia, nisi in » Beelzebub principe dæmoniorum, » respondit ille. « Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia, certe supervenit » in vos regnum Dei[2]; « quod alius Evangelista sic enarrat: « Si ego (4) digito Dei ejicio dæmonia. » Quod alius Evangelista dixit, « Spiritus Dei[3]. » Alius dixit « Digitus » Dei; » ergo Spiritus Dei digitus Dei. Ideo lex data, scripta digito Dei; quæ lex data est in monte Sina quinquagesimo die post occisionem ovis, celebrato Pascha a populo Judæorum. Implentur quinquaginta dies post occisionem ovis, et datur lex scripta digito Dei; implentur quinquaginta dies post occisionem Christi, et venit Spiritus sanctus. Gratias Domino occultanti providenter, aperienti suaviter. Jam videte hoc etiam (5) Pharaonis Magos evidentissime confiteri; deficientes in tertio signo dixerunt: « Digitus Dei est hic[4]. » « Laudemus Dominum Datorem intellectus, Datorem verbi. Hæc si non mysteriis gererentur, non studiose quærerentur; si autem non studiose quærerentur, non tam suaviter invenirentur.]

[1] Rom. xi, 36. — [2] Matth. xii, 24. — [3] Luc. xi, 20. — [4] Exod. viii, 19.

(1) *Edit.* regnum Dei — (2) *Edit.* Videte. — (3) *Edit.* accepit. — (4) *Edit.* in digito — (5) *Edit.* addit fratres.

SERMO II.

(*a*) *De proprio Natali.*

Codex MS. num. 17, de quo supra, discerptos ex hoc uno indicat Sermones 339 et 40. Editionis Maurinæ. Conjectanti mihi qui factum quod in Gallia præsertim distractum, et mancum habeant hunc Codices, juxta quos Amerbachius, Erasmus, Parisienses, Lovanienses, et Maurini editiones suas concinnarunt, hæc subit cogitatio fortasse minus absonas fidei; quoniam scilicet, iisdem Maurinis fatentibus (præf. tom V.), Cæsarius Arelatensis jam gravis ætates jubere solitus erat a Sacerdotibus, et Diaconis recitari non modo Sermones proprios, verum etiam Augustini, aliquando mutilos, quandoque etiam novo exordio, et peroratione donatos, potuit quispiam illorum disjungere præcipua Sermonis argumenta, prout opportunitas ipsi erat, his posthabitis, quæ partem redditam ex omissa nectebant. Id autem sum non fuerit, qua decebat sagacitate præstitum, supersunt adhuc indicia, quibus firmatur auctoritas nostri Codicis copulantis in unum partita illa membra. Interea Sermo Arelate concisus, et ita perlatus in publicum, Codices primum Gallos pervasit, deinde regiones dissitas, ad quas Cæsarius, ut lib. 1 ejus vitæ legitur, transmittebat per eosdem Sacerdotes quid in Ecclesiis suis prædicare facerent. *Operæ pretium hinc erit pristinam integritatem vindicare Sermoni in editis hactenus Bibliothecis desiderato.*

I. Hodiernus dies (1), fratres, admonet me attentius cogitare sarcinam meam, de cujus pondere etiamsi mihi dies, noctesque cogitandum sit, nescio quo tamen modo anniversarius dies iste impingit eam sensibus meis, ut ab ea cogitanda omnino dissimulare non possim, et (2) quantum anni accedunt, imo decedunt, nosque propinquiores faciunt diei ultimo, utique quandoque sine dubitatione venturo, tanto mihi est acrior cogitatio, et stimulis plenior, qualem Domino Deo nostro rationem possim reddere pro vobis. Hoc enim interest inter unumquemque vestrum et nos, quod vos, pene de vobis (3) solliciti estis reddituri rationem, nos autem et de nobis, et de omnibus vobis. Ideo major est sarcina, sed bene portata majorem comparat gloriam, infideliter autem (4) gestata ad immanissimam præcipitat pœnam. Quid ergo mihi hodie maxime faciendum est, nisi ut commendem vobis periculum meum, ut sitis gaudium meum? Periculum autem meum est, si attendam quomodo laudatis, et dissimulem quomodo (5) vivitis. Ille autem novit, sub cujus oculis loquor, imo sub cujus oculis cogito, non me tam delectari laudibus popularibus, quam stimulari, et angi quomodo vivant qui laudant. Laudari autem a male viventibus nolo, abhorreo, detestor, dolori mihi est, non voluptati; laudari autem a bene viventibus, si dicam nolo, mentior, si dicam volo, timeo ne sim inanitatis appetentior, quam soliditatis. Ergo quid dicam? Nec plene volo, nec plene nolo. Non plene volo, ne in laude humana pericliter; nec plene nolo, ne ingrati sint quibus prædico. Sarcina autem mea est, quam modo audistis cum Ezechiel propheta legeretur. Parum est enim quia dies ipse admonet nos eamdem sarcinam cogitare; insuper talis lectio (6) recitatur, quæ nobis incutiat magnum timorem, ut quid portemus cogitemus; quia nisi nobiscum, qui imposuit, portet, deficimus. Ecce audistis: « Terra, inquit, super quam (*b*) induxero gladium, et posuerit sibi exploratorem, qui videat gladium supervenientem, et dicat, et denuntiet (7). » Veniente autem gladio taceat ille explorator; superveniens (8) gladius super peccatorem occidat; peccator » quidem pro sua iniquitate morietur, sanguinem autem » ejus de manu exploratoris inquiram. Si autem viderit » gladium supervenientem, et tuba cecinerit, et (9) nuntiaverit, et ille, cui (10) nuntiat, non observaverit, ille » quidem in sua iniquitate morietur, explorator autem » animam suam (11) liberaverit. Et tu, fili hominis, exploratorem posui te filiis Israël[1]. » Exposuit quid dixerit gladium, exposuit quid dixerit exploratorem, exposuit quam (12) dixerat mortem: non nos permisit in obscuritate lectionis excusare negligentiam nostram. « Posui ergo te, inquit, exploratorem. Si dixero peccatori: » Morte morieris, et tu tacueris, et ille in peccato suo » mortuus fuerit, ille quidem in peccato suo morietur » digne et juste « Sanguinem autem ejus de manu tua (13) » inquiram. Si autem tu dixeris peccatori: Morte morieris, et ille si non observaverit, ille in iniquitate sua morietur, tu vero animam tuam liberasti. » [Et addit verbo, quæ voluerit dici populo Israël. « Dices itaque » filiis Israël: Quid est quod dicitis apud vosmetipsos: » iniquitates nostræ super nos sunt, in peccatis nostris » contabescimus, quomodo vivere possumus? Hæc dicit » Dominus, quoniam nolo mortem impii, quantum reverti impium a via sua perversa, et vivere. » Hoc voluit, ut nuntiemus vobis. Hoc si non annuntiamus malam rationem hujus speculationis reddituri sumus. Hoc autem si nuntiamus, egimus quod ad nos pertinet. Vos videte; nos jam securi sumus. Sed quomodo securi? vos periclitantes, et morituri. Nolumus sit nostra gloria cum vestra pœna. Data est quidem securitas, sed facit sollicitos charitas. Ecce dicimus, et scitis me semper dixisse, scitis me nunquam tacuisse: « Hoc dicit Deus, nolo » mortem impii, quantum reverti impium a via sua per-

[1] Ezech. XXXIII, 2, et seqq.

(*a*) Editio inscribit: *In die Ordinationis suæ:* Natalem dici Anniversarium Consecrationis Episcopi, eumque solemnem diem esse testantur S. Paulinus epist. 20 ad Delphin. Sixtus PP. epist. ad Cyrill. anno 430. Leo M. Ser. 1, et 3. Hilarus PP. epist. 2 ad Episc. Terracon. Et Augustinus ipse epist. 258, ut alibi. — (*b*) Ita septuaginta Interpretes [illegible] quibuscum [illegible] Itala.

(1) *Edit.* dies iste. — (2) *Edit.* quanto. — (3) *Edit.* Solis pro Solliciti. — (4) *Edit.* gesta. — (5) *Edit.* vivatis. — (6) *Edit.* recitata est. — (7) *Edit.* Si veniente. — (8) *Edit.* et superveniens. — (9) *Edit.* annuntiaverit. — (10) *Edit.* annuntiat. — (11) *Edit.* liberavit. — (12) *Edit.* dixerit — (13) *Edit* requiram.

» sima, et vivere. » Quid est qood dicebat impius? « Dixit verba impiorum, et iniquorum : iniquitates nos» træ super nos sunt, in peccatis nostris cootabescimus, « quomodo vivere possumus? » Æger desperat, sed medicus spem promittit. Homo sibi dixit : « Quomodo » possum vivere[1]? » Deus dicit, potes vivere. « Si omnis « homo mendax, Deus solus verax » deleat quod dixit homo, et scribat quod dixit Deus. Noli desperare, potes vivere, non de præteritis malis tuis, sed de futuris bonis tuis : delebis mala, si recedis a malo. Omnia sive bona, sine mala motatione delentur. De vita bona inclinasti te ad malam, delesti bonam; de vita mala profecisti ad bonam, delesti malam. Vide quid attendas, quid percipias, thesauri don sunt tibi præparati; quod miseris, hoc invenies; fidelis custos est Deus, reddet tibi quod feceris. Sunt autem alii, qui non desperatione pereunt, non sibi dicunt : « Iniquitates nostræ super nos sunt, io peccatis « nostris contabescimus, qoomodo vivere poterimus? » Sed alio modo se fallunt. De nimia misericordia Dei blandiuntur sibi, ut nunquam corrigantur; hoc enim dicunt : Etsi facimus mala, etiamsi iniquitates committimus, etiamsi luxuriose, et facinorose vivimus, etiamsi pauperem, et egentem contemnimus; etiamsi superbia nos extollimus, etiamsi oullom dolorem cordis de nostris malis habemus, perditorus est Deus tantam moltitudinem, et paucos liberaturus (*a*)? Duo sunt ergo pericula, onom quod modo audivimus ex Propheta, alterum quod noo tacuit Apostolus; nam contra eos, qui desperaodo moriootur, qoomodo gladiatores quasi destinati ad ferrum, inhiando voluptatibos, et vivendo nequiter, quasi addictas jam animas auas contemnunt (*b*), ait quod dicunt sibi : « Iniquitates nostræ soper nos sunt, et in pec« catis nostris contabescimus, quomodo vivere poteri« mus? » Aliud autem unde Apostolua dicit : « Ao « divitias bonitatis, et misericordiæ, et longanimitatis « ejus contemnis[2]? » Contra eos qui dicunt : Bonus est Deus, misericors est Deus, non perdet tantam multitudinem peccatorum, et liberat paucos, nam utique si nollet illos esse, nec viverent; quando faciont tanta mala, et vivunt, utique si Deo displiceret, de terra eos statim auferret (*c*). Contra hos Apostolos ignoras, inquit, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? « Tu aotem « secundum duritiam cordis tui, et cor impœnitens the» saurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judi» cii Dei, qui reddet uoicuique secundum opera ejus. » Qoibus hoc dicit? qui dicunt : Bonus est Deus, non reddet. Reddet prorsus unicuique secundum opera ejus. Tu quid facis? Thesaurizas, quid? Iram. Appone iram super iram, auge thesaorum; reddetur tibi quod thesaorizas, non defraudat cui commendas. Si aotem in alium thesaurum mittas bona opera fructus justitiæ, vel continentiam, vel virginitatem, vel pudicitiam conjugalem; a fraude, ab homicidio, ab scelere alienus sis; memineris egentis quia et tu eges; memineris pauperis, quia et tu pauper es; quantomlibet abundes divitiis, pannis carnis indutus es. Si hæc cogitans, et hæc agens mittis in thesaurum bonum per diem jodicii, ille qui neminem fraodat, et reddet uoicuique secundum opera sua, dicet tibi : Tolle quod misisti, quia abundat : Quaodo mittebas, non videbas, sed ego servabam quomodo redditurus eram. Quia et revera, fratres, unusquisque quod mittit in thesaurum quia mittit scit, nec videt cum miserit. Pone thesaurum in terra obrutum habentem unum aditum, vel rimulam, qua mittas; paulatim quidqoid acquisieris mittis, et non vides; si quod miseris et non videris servat tibi terra. Non tibi servabit qui fecit cœlum, et terram?]

II. Relevate ergo, fratres, relevate sarcinam meam, et portate mecum, bene vivite (*d*) pascendos habemus hodie compaoperes nostros, et cum eis communicaoda est humanitas. Vobis autem fercula mea verba ista suot. Pascere omnes pane tractabili, et visibili, non sufficio, inde pasco unde pascor : minister sum, paterfamilias non sum; inde vobis appono, unde et ego vivo de thesauro Dominico, deepulis illius patrisfamilias « Qui propter nos » pauper factus est, cum dives esset, ut ejus paupertate » uos ditaremur[1]. » si panem vobis ponerem, fracto pane singuli frusta ablaturi eratis; et si ego multom ponerem, perparum ad singulos perveniret. Modo autem quod dico et omne totum habent, et singuli quique totum habent. Numquid enim verbi mei inter vos syllabas divisistis? Nomquid ipsius (*e*) producti sermonis singula verba abstulistis. Unusquisque vestrum totum audivit. Sed videat quomodo audivit, quia erogator som, non exactor. Si non erogem, et pecuniam servem, terret me Evangeliom. Possem enim dicere : Quid mihi est tædio esse hominibus? dicere iniquis : Inique agere nolite? sic vivite? Sic agite? Sic agere desistite? Quid mihi est, oneri esse hominibus? Accepi quomodo vivam. Vivam quomodo jussus sum, quomodo præceptoa sum. As-

[1] Rom. III, 4. — [2] Rom. II, 4. — [3] 2 Cor. VIII, 9.

(*a*) Vide Serm. 20. N 3. 4. ubi similia occurrunt. — (*b*) Fuate aliquid deest. — (*c*) Vide Serm. 18. n 3. et in Psal. 104. Serm. 1. n. 10. et in Psal. 144. n. 11 Vide etiam lib. 1. cont. advers. leg. et Proph. c. 17. n. 34. — (*d*) Editio addit *natalis Domini imminet*. Dandum ne incuriæ Librarii, quod verba : *natalis Domini imminet* prætereantur in MS? An invecta fuerunt in tot Codicibus Gallis a quopiam Cæsarii Ministro, vel alio nescio quo de Episcopi ordinatione dicente circa Natalis festum? Dicam quod sentio, conjectura sequens probabile. A Maurinis tom. V in appendicem rejicitur Sermo 118 Cæsario inscriptus a Codice Corbeiensi, cujus n. 6 legitur : *Natalis Domini imminet... ad convivia vestra frequentius pauperes evocate* et num. 3. *Pauperes ante omnia ad convivium frequenter vocemus* : Cæsarium vero mense Decembri renuntiatum Episcopum conjicere haud prohibet ejus vitæ scriptor, qui Æonio e vivis sublato XVI Kal. Septembris *non longo tempore post* Cæsarium Arelatensi Ecclesiæ præpositum dicit : Quibus verbis malueris designari intervallum paucorum mensium, potiusquam dierum nonnullorum spatium opinatum a Bollandianis. Quidam ergo ex Diaconis, vel Sacerdotibus Cæsarii, de ejusdem Ordinatione, adventante Natali verba faciens, illius Episcopi Sententiam cum Augustini sermone consuit, immutando vocem *hodie* in illas : *Natalis Domini imminet*, ut de conviviis pauperum diceret, arrepta occasione a metaphora spiritualis alimoniæ, in quam perhumaniter luserat Augustinus. Sed quæras aut ex denegem Episcopi Hipponensi? Nullibi, quod sciam, S. Doctor de peculiari hac præparatione ad Domini Natalem locutus est, hic proinde unus esset locus, in quo pro illa sentiret. Ecquis autem in Augustini lectione vel minimum versatus dixerit, potuisse Eum hujusmodi præparationis necessitatem furtim, raptimque, simplici commate urgere, ac dum prælimus in ea immorari? Siquidem ejus Scripta legentem non fallit, eumdem ipsum qui in speculativis auditores acutos requirit, in practicis, et moralibus exponere homines laboris patientes, dicam cum Erasmo (præfat. ad Oper. Aug.), et eis æque semper arridentes Sententias, quibus notandum ipse duxerit. Præterea difficile suam credam, S. Doctorem præoptasse illo die suos spiritaliter pascendi fideles a futura Solemnitate mutuari, potius quam a Pastoris ministerio, de quo tanta præmiserat. Sed Pagium, Bollandianos, Maurinos, Tillemontium, cæterosque primi subsellii criticos inscius offendo, qui tamen textui Editionis lubentissimum adstipulantur, ut inde Ordinationem Episcopi Hipponensis peractam concludat mense Decembri. Porro ad hanc Epocham definiendam nullam de penu meo, sed Divi Prosperi sententiam recito, quam Cassiodorus in Cronico, et Hermannus Contractus apud Canisium secuti sunt, quamque ipse Tillemontius auctoritate Domini Pontac certam fatetur (Memoires pour servir a l'histoire Ecclesiast. tom 13, not. 24, §. 85). Digna autem illa Augustini discipulus testatus (Chronici parte Secunda) imperante adhuc Theodosio cum filio Arcadio, et Honorio, Coss. autem Olybrio, et Probino, anno scilicet 395 ad Hipponensem Cathedram evectum fuisse inclytum illud Ecclesiæ decus : At cum Socrates dicat hist. Ecclesiast. l. 6, c. 1. Theodosium vita functum XVI Kal. Februar. ejusdem anni, omnesque chronographi ad unum consentiant; profecto Augustinus mense Januario renunciatus est Episcopus Hipponensis. His omnibus ergo positis, firmatur veritas Codicis Casinensis *hodie* pro *Natalis Domini imminet* legentis — (*e*) Quomodo *productus* dicitur Sermo, si vix dimidiam Editionis paginam excrevit. Ablata ergo fuerant, quæ a MS. Casinensi restituuntur

signem (1) quod accepi, de aliis (2) reddere rationem quo mihi? Evangelium me terret. Nam ad istam securitatem otiosissimam nemo me vinceret: nihil est melius, nihil dulcius, quam Divinum scrutari nullo strepente thesaurum; dulce est bonum est. prædicare autem, arguere, corripere, ædificare, pro unoquoque satagere, magnum onus, magnum pondus, magnus labor. Quis non refugiat istum laborem. Sed terret me Evangelium. Processit servus quidam, et ait Domino suo: » Sciebam te » hominem molestum metere ubi non seminasti » servavi pecuniam tuam, nolui eam erogare; tolle quod tuum est; si aliquid minus est (3) judica; si integrum est, noli mihi molestus esse. Ait autem ille: « Serve nequam, ex » ore tuo te (4) condemno [1]. » Quare hoc? quia avarum me dixisti, lucra mea quare neglexisti? Sed timui dare, ne perdem. Hoc dicis? plerumque enim dicitur: Quid corripis? perit ad illum quod dicis; non te audit; et ego, inquit ille, nolui dare, ne perderem pecuniam tuam. Ait illi: Si tu dares pecuniam meam et ego veniens cum usuris exigerem; erogatorem, inquit, posueram te, non exactorem; si tu exerces erogationem, mihi relinqueres exactionem, Hoc timens ergo, unusquisque videat quomodo accipiat. Si ego erogans timeo, qui accipit securus esse debet? Qui malus fuit heri, bonus sit hodie. Hæc est erogatio mea: qui malus fuit heri, bonus sit hodie. Malus fuit heri et non est mortuus; si mortuus esset (5) malus, isset, unde non rediisset. Malus fuit heri, vivit hodie; prosit illi quod vivit, non male vivat. Quare ergo diei hesterno hodiernum vult addere malum? Longam vitam vis habere, bonam non vis? Quis longum ferat malum, vel prandium? Usque adeo cæcitas mentis obcalluit, usque adeo surdus est homo interior, ut omnia bona velit habere, præter se ipsum? Vis habere villam? nego te habere velle malam villam. Uxorem vis habere (6) nonnisi bonam; domum nonnisi bonam. Quid curram per singula? Caligam non vis habere malam, et vis habere vitam malam? quasi plus tibi noceat mala caliga, quam vita mala. Cum tibi caliga mala, et constricta nocuerit, sedes (7) dedecalceas te, abjicis, aut corrigis, aut mutas ne digitum lædas, et calceas te (8). Malam vitam, qua animam perdit, corrigere non curas. Sed hoc plane video unde falleris. Caliga nocens dolorem facit, vita nocens voluptatem facit; illud nocet, illud libet, sed quod ad tempus libet, postea pejus dolet; quod autem ad tempus dolet salubriter, postea infinita voluptate et abundantia gaudio lætificat (9). » Videte (*a*) libentem, et dolentem, divitem illum libentem, et pauperem illum dolentem; ille epulabatur, ille cruciabatur; ille circumdatus familia honestabatur, ille a canibus linguebatur; ille epulis crudior reddebatur, ille nec micis saturabatur (*b*). Transiit voluptas, transiit necessitas; prætererunt bona divitis, mala pauperis; successerunt mala diviti, bona pauperi. Quæ prætererunt non revocabantur; quæ successerunt, non minuebantur. Ardebat dives apud inferos, lætabatur pauper in gremio Abrahæ. Desideraverat prius pauper de mensa divitis micam, desideravit postea dives de digito pauperis guttam. Illius egestas satietatis fine terminata est, illius voluptas succedente dolore sine fine peracta est. Epulis successit sitis, voluptati dolor, puræ ignis (*c*). Hoc est prandium, quod Lazarus visus est habere in gremio Abrahæ, hoc volumus, ut omnes habeatis; hoc volumus, ut simul habeamus. Numquid esset prandium, quod vobis exhiberem, si omnes vos invitarem, et ista Ecclesia plena esset mensis epulantium? Transitoria ista sunt. Ista cogitate, quæ dico ut ad illas epulas veniatis, quas nunquam finiatis. Ibi enim nemo est indigestus epulando, nec ipsæ epulæ tales sunt, ut sua corruptione nos pascant, et sua defectione reficiant. Et illæ integræ erunt, et nos ab eis reficiemur. Si oculus noster pascitur luce, nec deficit lux, quales erunt illæ epulæ in contemplatione veritatis, in conspectu æternitatis, in laudibus Dei, securitate felicitatis, mente stabili, corpore immortali, nullo senio tabescente carne nostra, nulla fame laxante animam nostram? Ibi nemo crescit, nemo decrescit; ibi nemo nascitur, quia nemo moritur; ubi nec ulla opera vos cogimini facere, quæ modo hortamur, ut faciatis. Modo enim audistis (*d*) Dominum dicentem, omnibus nobis dixit: « Quando fa» cis epulum, noli vocare amicos tuos. » Ostendit ubi esses largus: » Noli parentes, qui habent unde tibi retri» buant; sed voca pauperes, debiles, cæcos, claudos, » egentes, qui non habent unde tibi reddant [2]. » Et numquid perdes? » Retribuetur tibi in retributione justo» rum [3]. » Tu eroga, inquit, ego accipio, annoto, reddo: Deus hoc dixit, et hoc nos hortatus est, ut faciamus ista, et reddet nobis. Quando nobis reddiderit, quis nobis auferet? « Si Deus pro nobis, quis contra nos [4]? » Peccabamus, et mortem Christi nobis donavit; juste vivimus, et nos decipiet? » Non enim Christus pro justis, sed pro » impiis mortuus est [5]. » Si donavit iniquis mortem Filii sui, justis quid servat? quid illis servat, non habet melius quod illis servet, quam quod pro illis dedit. Quid pro illis dedit? « Filio proprio non perpecit [6]. » Quid illis servat? Ipsum Filium. Sed Deum ad fruendum, non hominem ad moriendum. Ecce quod vos vocat Deus; sed quomodo attendis? quo dignare attendere, (*e*) et qua dignare attendere, et quomodo? sed plane cum veneris, numquid hoc » dicetur tibi: « Frange panem tuum esurienti; si vides nudum, vesti: » Numquid recitatur tibi hoc capitulum? » Cum facis epulum voca claudos », cæcos, egentes, inopes [7]. » Ibi inops nullus ibi erit, nullus claudus, cæcus nullus, nullus debilis, nullus hospes, nullus nudus, omnes sani, omnes vegeti, omnes abundantes, omnes æterna luce vestiti. Quem ibi vides peregrinum? Patria nostra ipsa est; hic sumus peregrini. Illam desideremus, jussa faciamus, ut promissa exigamus. Imo non bene dixi; emendo quod dixi: absit, ut promissa exigamus, ultro data sumemus. Si enim exigimus, quasi Deus nolit dare; prorsus dabit, neminem fraudabit. Hoc considerate, fratres mei, videte Dominus Deus noster quanta bona det malis, lucem, vitam, salutem, fontes, fructus, generationes, plerumque honores, celsitudines, potestates, hæc omnia dat bona et bonis et malis. Putamus-ne nihil est quod servat bonis, qui tanta bona dat et malis? Nemo hoc inducat in cor suum. Fratres mei, magna bona servat Deus bonis, sed » Quod ocu» lus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis » ascendit [8]. » Non potes cogitare antequam accipias, videre potes cum acceperis; cogitare antequam accipias

[1] Luc. XIX, 21, et seqq. — [2] Id. XIV, 12. — [3] Id. v, 14. — [4] Rom. VIII, 31. — [5] Ibid 5, 6. — [6] Ibid. 32. — [7] Isai. LVIII, 7. — [8] Cor. I, 2-9.

(*a*) Editio subnectit insuper clausulam Augustino a Maurinis denegatam, ibique desinit sermo 339. Natalis Alexander (hist. Eccles. Sæc. V. c. 4.) opinatur repetendam esse integram ultimam periodum, et perorationem ab illis verbis: *postea pejus dolet:* Verum nullos dubito quin nostra adhæsisset lectioni, si novisset. — (*b*) Vide in Psal. 48 Serm. 1. n. 10, et Serm. 36, num. 6. — (*c*) Forte aliquid deest, nullum enim antecedens, cui referantur voces illæ *Hoc est prandium.* — (*d*) Lectum fuerat eo die de Evang. Lucæ c. 14., quod frequenter assignatum in antiquis Lectionariis videmus. — (*e*) Sic in Cod.

(1) *Edit.* quomodo. — (2) *Edit.* de aliis me reddere. — (3) *Edit.* indica. — (4) *Edit* condemnabo. — (5) *Edit.* Si mortuus esset, et malus esset, isset. — (6) *Edit.* non vis pro nonnisi. — (7) *Edit.* discalceas. — (8) *Edit.* mala vita est. — (9) *Edit. addit:* Secundum illud quod Scriptum est. Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent. Et illud: Beati qui lugent, quoniam ipsi saturabuntur.

non potes. Quid est quod vis videre (a)? Non est cithara, non est tibia, non est sonus, qui facit in auribus voluptatem. Quid vis cogitare? In cor hominis non ascendit. Et quid facio? Nec video, nec audio, nec cogito. Quid facio? Crede Magnum compendium. Vas magnum, ubi possis accipere magnum donum, fides est. Para tibi vas, quia ad magnum fontem habes accedere: para tibi vas. Quid est para? Crescat fides tua, augeatur fides tua, firmetur fides tua, non sit lubrica, et lotea fides tua, tribulationibus hujus mundi non frangatur, sed coquatur fides tua. Cum autem feceris, et habueris fidem, tanquam vas idoneum, capax, firmum, implebit illum Deus. Non enim dicet tibi quomodo dicunt homines deprecanti, et dicenti: Da mihi aliquid vini, rogo te: et ille: Do, veni, et facio. Ille urnam attulit, et dicit: Ut jusseras veni; et ille: Ego putabam te allaturum unam laucellam, quid attulisti, aut quo venisti? Ego non sufficio tantum dare, revoca vas majus, quod attulisti, et affer aliquid breve; affer mihi, cui possit paupertas mea sufficere. Non hoc dicit Deus; plenus est, plenus eris, et cum te impleverit, ipse tantum habebit quantum habebat antequam te impleret: copiosa sunt dona Dei, nulla talia invenis in terra; crede et probabis. Sed non modo; et quando inquies? sustine Dominum, viriliter age, et confortetor cor tuum, ut cum acceperis dicas: Dedisti lætitiam in cor meum (b). » Sustine (1) Dominum, viriliter age, et confortetor cor tuum, et sustine Dominum. Quid est: Sustine Dominum? ut tunc accipias, quando dabit, non tunc exigas quando vis. Tempus dandi nondum est; sustinuit te, sustine illum. Quid est quod dixi, sustinuit te, sustine illum? si jam juste vivis, si jam ad illum conversus es, si tibi displicent facta tua præterita, si jam placuit tibi eligere vitam bonam novam, noli festinare exigere, sustinuit te, ut mutares vitam malam, sustine illum, ut coronet vitam bonam. Si te ille non sustineret, non esset cui daret; sustine ergo quia sustentatus es (c). Tu vero, qui non vis corrigi; o quisquis hic es, qui adhoc non vis corrigi; quasi unus sit; magis dicere debui quicumque hic estis. Tu tamen qui hic es, si tamen hic es, qui non statuisti corrigi; sic loquar quasi ad unum. Quisquis non vis corrigi, quid tibi promittis? Desperando peris, an sperando? Quisquis desperando peris hoc dicis in animo tuo: » Iniquitas mea super me est, in Peccatis meis contabesco, » quæ mihi spes est vivendi? » Audi Prophetam dicentem: « Nolo mortem impii, quantum (2) revertatur impius a via sua pessima, et vivat[1]. » Sperando (3) peris? quid est, sperando peris? Hoc dicis in animo tuo: Bonus est Deus, misericors est Deus, ignoscit omnia, non reddet mala pro malis. Audi Apostolum dicentem: « Ignoras (4) quoniam patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? » Quid ergo restat (5)? Quasi fecisti aliquid, si intravit in cor quod dixi. Video quid mihi (6) respondeatur: verum est, nec despero ut desperando peream, nec male spero, ut sperando peream; non mihi dico: Iniquitas mea super me est, jam nullam spem habeo; nec illud mihi dico: Bonus est Deus nemini (7) reddet mala, nec illud dico, nec illud dico; premit me Propheta, premit (8) Apostolus. Et quid dicis? Adhuc modicum tempus vivam quomodo volo. Isti sunt qui nos fatigant; plurimi sunt, molesti sunt. Adhuc modicum tempus vivam quomodo volo, postea, quando me correxero; utique verum est quod dixit Propheta; Nolo mortem impii (9), quantum revertatur impius a via pessima, et vivat: quando conversus fuero, delebit omnia mala mea, quare non addo aliquid voluptatibus meis, et vivo quantum volo, quomodo volo, postea me conversurus ad Deum? Quare hoc dicis, frater? quare? Quia promisit Deus indulgentiam, si me mutavero. Video, scio (10) promisit indulgentiam per sanctum Prophetam, hanc promittit (11) per me minimum servum suum. Promittit? verum est quod promittit, hanc promisit per unicum Filium suum. Sed quid vis addere dies malos diebus malis? sufficiat diei malitia sua: malus dies hesternus, malus et hodiernus, malus et crastinus. An putas bonos dies esse, quando facis satis voluptatibus tuis? quando in luxuriis enutris cor tuum? quando insidiaris alienæ pudicitiæ? quando fraude contristas proximum tuum? quando commendata negas? quando falsum pro nummo juras? quando exhibes tibi bonum prandium, ideo putas quia bonum diem ducis? Unde fieri potest, ut dies bonus sit, cum malus sit homo? malos dies addere vis malis diebus? rogo aliquantum, inquit, dimittatur mihi; quare? quia promisit mihi Deus indulgentiam, sed crastino die te victurum nemo tibi promisit, aut lege mihi. Quomodo mihi legis Prophetam, Evangelium, Apostolum; quia cum te converteris delet Deus omnes iniquitates tuas: lege mihi, ubi tibi promissus est crastinus dies, et vive crastino die male. Quanquam, frater meus, non tibi hoc debui dicere. Longa erit forte vita tua: si longa erit, bona sit. Quare vis habere vitam longam, et malam? aut longa non erit: et illa longa te debet delectare, quæ non habet finem. Aut longa erit, et quid mali erit quia diu bene vixisti? To male vis diu vivere, bene non vis, et tamen crastinum diem nemo tibi promisit. Corrige te (d), audi (12) de Scriptura, Ne me quasi hominem natalitiarium contemnas. De Scriptura tibi loquor. » Ne tardes converti ad Dominum: » Verba ista mea non sunt, sed et mea sunt; si amo, mea sunt; amate et vestra sunt. Sermo iste, quem modo dico, Scriptura sancta est, si contemnis illum adversarius tuus est. Sed audi Dominum dicentem: « Concorda » cum adversario tuo cito (e)[2]. » [Quis est iste sermo terribilis? Ad lætitiam venistis: natalis hodie Episcopi dicitur: numquid aliquid ponere debeo, unde vos contristem? imo hoc pono, unde gaudeat dilector, irascatur contemptor: melius est mihi contemptorem contristare, quam fidelem fraudare.]

III. Audiant omnes, verba recito (13) de Scriptura, o male dilator, o crastini male appetitor, audi Dominum dicentem, audi Scripturam sanctam prædicentem; de isto loco speculator sum: » Ne tardes converti ad Deum, ne-

[1] Ezech. xxxiii, 11. — [2] Matth. v, 25.

(a) Aliquid omissum, uti patet ex his verbis Serm. 381 n. 3 Oculus non vidit, quia non est color; Auris non audit, quia non est sonus: etc. — (b) Hic incipit Sermo 40 Editionis sic inscriptus: *De eodem loco Ecclesiastici* 5. 8. Ne tardes converti ad Deum, etc. *In eos qui conversionem de die in diem differunt, quorum alii male sperando, alii desperando pereunt*: Qui Sermo ab iisdem codicibus profertur, e quibus ille 339. fuerat evocatus.— (c) Emunctæ naris judices legant, perlegant, meditentur, nexum denique admirentur inter hanc primam periodum, uti jacet in Editione, exordii vice fungentem, et Sermonis partes reliquas. Quod si nullo conatu præstiterint, fateantur Sermonem Editionis integritate destitui, periodum hanc primam præcedentibus colligari, et disputationem de nimia fiducia et desperatione hic donec urgeri, tum quia moralis locus erat, tum quia in illa anouontiouda universam rationem suæ Pastoralis sollicitudinis sitam esse jam dixerit. — (d) En verba de industria omissa ab eo, qui orationem mutilam fecit, ut de sola conversione loqueretur. Vox *Natalitiarius* deest in Glossariis. — (e) En rursus verba consulto omissa; vide interim *Natalem* dici diem Anniversarium Ordinationis. Sententiam vero hic *terribilem* non illam Matthæi, sed Ecclesiastici dixisse ex sequentibus patet.

(1) *Editio sic exorditur Sermonem* 40. Frequenter, fratres, cum Psalmum cantavimus: Sustine. — (2) *Edit.* tantum. — (3) *Edit.* Qui sperando peris hoc dicis in animo tuo *et omissis interrogationibus*. — (4) *Edit.* quia. — (5) *Edit.* quia si obtinuimus apud te aliquid. — (6) *Edit.* respondeas. — (7) *Edit.* reddit. — (8) *Edit.* premit me Apostolus. — (9) *Edit.* tantum. — (10) *Edit.* promisit Deus. — (11) *Edit.* *Sic legit verba quæ sequuntur.* Promisit Deus indulgentiam per sanctum Prophetam, hanc promittit et per me minimum servum suum promittit. Verum est, etc. — (12) *Edit.* audi Scripturam. — (13) *Edit.* Scripturæ divinæ.

» que differas de die in diem. » Vide, si non vidit illos, vide si non inspexit illos, qui dicunt : Crastino bene vivo, hodie male vivam. Et cum cras venerit, hoc dicturus es. « Ne tardes converti ad Deum, neque differas » de die in diem, subito enim veniet ira ejus, et in tem» pore vindictæ disperdet te[1] (1). » Quid ego feci? delere illud possum? timeo deleri. Tacere illud possum? timeo taceri (2). Prædicare cogor, territus terreo. Timete mecum, ut gaudeatis mecum. « Ne tardes converti ad » Deum. » Domine, vide, quia dico, Domine, tu scis quia terruisti me, cum tuus Propheta legeretur; Domine, nosti in illa cathedra (3) tremorem meum (*a*) cum tuus Propheta legeretur. Ecce dico : « Ne tardes converti » ad Deum, neque differas de die in diem, subito enim » veniet ira ejus, et in tempore vindictæ disperdet te » sed nolo perdat te; nolo mihi dicas : Perire volo; quia ego nolo : melius (4) est nolo meum, quam volo tuum. Si lethargicus pater tuus ægrotaret inter manus tuas, at adesses juvenis ægrotanti seni, et diceret medicus : Periclitatur pater tuus, somnus iste gravedo est quædam lethalis, observa eum, noli eum permittere dormire. Si videris eum dormire (5) excita; si parum est excitare, vellica; si et hoc parum, stimula eum, ne moriatur pater tuus. Adesses (6) et esses juvenis seni onerosus. Ille iu dulcem morbum resolutus iret, oculos gravedine illa premente clauderet. Tu contra (7): Noli dormire; at ille : Dimitte me, dormire volo; et tu : Sed medicus dixit : Si voluerit dormire, non dormiat; at ille : Rogo, dimitte me, mori volo; sed ego nolo, dicis (8) filius patri. Cui? utique optanti se mori. Et tamen vis differre mortem patris tui, et aliquanto diutius vivere cum morituro sene patre tuo. Dominus tibi clamat : Noli dormire, ne in æternum dormias; evigila ut mecum vivas, et Patrem habeas, quem nunquam efferas; et tu surdus es. Quid ergo feci speculator? liber sum, non vos gravo. Scio dicturos quosdam, quid nobis voluit dicere? terruit, gravavit nos, reos nos fecit. Imo a reatu volui liberare. Fœdum est, turpe est, nolo dicere malum, nolo dicere periculosum, nolo dicere exitiosum; turpe est, ut vos fallam, si Deus me non fallit. Dominus minatur mortem impiis, nequissimis, fraudatoribus, sceleratis, adulteris, voluptatum inquisitoribus, suis contemptoribus, de temporibus murmurantibus, et mores suos non mutantibus; Dominus illis mortem minatur, gehennas minatur, interitum sempiternum minatur. Quid volunt, ut ego promittam, quod ille non promittit? Ecce (9) dabit tibi securitatem procurator; quid tibi prodest, si Paterfamilias non acceptet? Procurator sum, servus sum. Vis dicam tibi : Vive quomodo vis, Dominus te non perdet? securitatem tibi procurator dedit; nihil valet securitas Procuratoria. Utinam Dominus tibi daret, et ego te sollicitum facerem! Domini enim securitas valet, etiamsi nolim; mea vero nihil valet, si ille noluerit. Quæ est autem securitas, fratres, vel mea, vel vestra, nisi ut Domini jussa intente, et diligenter audiamus, et promissa fideliter expectemus? In his, quibus fatigamur, quia homines sumus, ipsius adjutorium imploremus, ad illum ingemiscamus; preces nostræ non sint pro rebus sæcularibus, prætereuntibus, transitoriis, et vice vaporis evanescentibus; sed sint preces nostræ pro ipsa implenda justitia, et sanctificatione pro nomine Dei; non pro vincendis vicinis, sed pro vincenda libidine; non pro (10) satianda, sed pro domanda avaritia. Hinc sint preces nostræ; intus nos adjuvent luctantes, ut coronent vincentes.

[1] Eccle. v, 8, 9.

(*a*) Vide Augustinum dicentem se esse speculatorem, se fuisse territum, et a Propheta territum cum legeretur. At de speculatione, et de illa Ezechielis lectione nihil dictum in hoc Serm. 40 Editionis, sed tantum in Serm. 339; ergo illi duo conjungendi; ergo certa est fides nostri Codicis illos copulantis.

(1) *Edit. Sic legis verba quæ sequuntur :* Numquid ego hoc scripsi? Numquid ego delere illud possum? Si delevero, timeo deleri, etc. — (2) *Edit.* tacere. — (3) *Edit.* timorem. — (4) *Edit.* melius est ergo — (5) *Edit.* excita eum — (6) *Edit.* adesses juvenis seni. — (7) *Edit.* Tu contra clamares patri. — (8) *Edit.* dicit. — (9) *Edit.* dat. — (10) *Edit.* Sananda carne.

SERMO III.

(*a*) *De contemptu temporalium rerum.*

Codex MS. num. 173, *cui titulus* Augustini Operum Tom. 12. *Tractatus, et sermones continet, quorum potior pars cum editis ad unum congruit, reliqui vero præter lectiones variantes exhibent periodos ab editis exulantes. Ex his postremis unum selegi variantibus prope innumeris refertum. Cum enim dijudicare non ausim utrum a Notariis præpropere exscribentibus, scriptaque postea instaurantibus eædem profluxerint, an illas intulerit Augustinus, qui forte sermonem ex tempore prius dictum postea conscripsit, ut lib. 15 de Trinitate alias a se factum professus est, satius esse duxi, ut id judicent eruditi, et ex hoc uno statuant quid de aliis in eodem Codice exaratis sentiendum sit. Sed et Codex num.* 219, *inscriptus,* Dydimus de Spiritu Sancto, et alia, *habet sermonem hunc, nihilo quidem a priori codice disparem. Maurini Tom.* 5, *num.* 345, *hunc ediderunt a Colbertinis, et Sirmondianis exemplatum, quem sua integritate destitui nullimode suspicati sunt.*

Admonet (*b*) nos et solemnitas Martyrum, et Dominicus dies hoc (1) loqui Charitati Vestræ, quod pertineat ad contemptum præsentis sæculi (2), et ad spem futuri (3). Si quid contemnas (4) quæris? omnis (5) sanctus, et pius Martyr etiam vitam præsentem contempsit. Si quid speres quæris (6)? Hodie Dominus resurrexit (7). Si titubas in re, esto (8) fortis in spe. Si (9) te opus turbat, erigat (10) merces (*c*). Prima Apostolica lectio in Epistola, quam scribit ad Timotheum (11) nos quoque admonet, quod ei præcepit dicens: « Præcipe divitibus mundi » hujus non superbe sapere, neque sperare in incerto » divitiarum, sed (12) in Deo vivo, qui præstat nobis » omnia abundanter ad fruendum. Divites sint in operi» bus bonis, facile tribuant, communicent, thesaurizent » sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant » veram vitam[1]. » [Et ista lectio non nobis videatur minus congrua solemnitati Martyrum beatorum; habet enim contemptum sæculi. Nam cum divitibus præcipitur, ut thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, et apprehendant veram vitam (*d*), sine dubio ista falsa vita est.] Et maxime hoc divites audire debent (13) quos quando pauperes intuentur, murmurant, gemunt, laudant, invident (14) æquari optant (15), impares se esse dolent, et inter laudes divitum hoc plerumque dicunt: soli isti sunt (16), isti soli vivunt (17). Propter hæc ergo verba, quibus homines tenues divitibus adulantur (18) [Quia ipsi vivunt, et soli vivunt, ne his adulantium inflati verbis putent se vivere, « Præcipe, inquit, divitibus » hujus mundi, non superbe sapere, neque sperare in » incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis » omnia abundanter ad fruendum (*e*). Divites sint » sed ubi? » In operibus bonis: facile tribuant » quia non perdunt quod tribuunt: communicent cum eis, qui non habent. Et quid ex hoc? » Thesaurizent sibi fundamen» tum bonum in futurum, ut apprehendant veram justi» tiam, » non assentientes adulantibus, qui eos dicunt vivere, et solos vivere.] Vita ista (19) somnium est; divitiæ istæ velut in somnis fluunt (20). Audi (21) Psalmum? o dives pauperrime (22) « Dormierunt somnum » suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in » manibus suis[2]. » Aliquando et mendicus in terra jacens (23), frigore tremens, occupatus (24) tamen somno thesauros somniat, et gaudet (25) et superbit in somnis, et patrem suum pannosum (26) non dignatur agnoscere, et donec evigilet dives est. » Cum ergo dormierit invenit quod falsum gaudeat? cum evigilaverit invenit quod verum doleat. » Dives ergo moriens, similis est (27) pauperi vigilanti, qui thesauros videbat in somnis. Nam et (28) ille induebatur purpura, et bysso. Quidam dives nec nominatus, nec nominandus, contemptor pauperis jacentis ante januam suam, induebatur purpura, et bysso, sicut Evangelicum testimonium est, et epulabatur quotidie splendide (29); mortuus est (30), sepultus est: evigilavit et se in (31) flammis invenit[3]. » Dormivit ergo som» num suum et (32) nihil invenit ille vir divitiarum in » manibus suis, » quia nihil boni egit (33) manibus suis (34). Propter vitam ergo quæruntur divitiæ, non vita propter divitias. Quam multi cum suis hostibus pacti sunt, ut (35) totum tollerent, et vitam relinque-

[1] 1 Tim. vi, 17, et seqq. — [2] Psal. lxxv, 6. — [3] Luc. xvi, 19.

(*a*) Inscribitur a Maurinis, *de Contemptu mundi*, et habitus est diebus Paschalibus, et in Solemnitate SS. Tuburbitanorum, quæ ex Sirmondo duæ, Felicitas, et Perpetua; ex Henrico Valesio tres, Maxima, Donatilla, et Secunda, testantibus eisdem Maurinis Patribus. — (*b*) Exordium ab adjuncto temporis evidentius hic aperitur, quam in editione. — (*c*) Primæ lectionis nomine venit Epistola Pauli, quam sequebantur Psalmi et Evangelium, aperte hoc innuit Augustinus Ser. 177, ubi tria illa indiscriminatim lectionum nomine donavit. In præsenti Liturgia etiamnum idem servatur ordo, sola tamen Epistola nomen lectionis retinet. — (*d*) Frequenter Augustinus hunc Pauli textum commentans reputat falsitatem præsentis vitæ. Aptissime autem hoc in loco, ut nulla suspicio sit de genuinitate istius periodi. Vide præ cæteris Serm. 39. n. 5. — (*e*) Non dissimilis sententiam, et ordo verborum 10 Serm. 39. n. 5.

(1) *In Edit. exordium est :* loquar hoc Charitati Vestræ, fratres, quod pertineat, etc. — (2) *In Edit deest, etc.* — (3) *In Edit. additur* sæculi. — (4) *In Edit. præponitur* vo quæris. — (5) *In Edit.* omnis Martyr. — (6) *In Edit. additur* resurrectionem dico, quia hodie, etc. — (7) *In Edit.* o tu homo o, etc. — (8) *In Edit.* firmus *pro* fortis. — (9) *In Edit.* Si autem. — (10) *In Edit.* ipsa merces. — (11) *In Edit.* nos quoque admonet Apostolus cum præcipit Timotheo, dicens. — (12) *Edit.* in Deum vivum. — (13) *Edit. addit.* audite divites qui aurum, et argentum habetis, et tamen cupiditate ardetis, quos quando, etc. — (14) *Edit. legit.* et invident. — (15) *Edit. addit.*, etc. — (16) *Edit.* ipsi *pro* isti. — (17) *Edit.* pro his verbis, *quibus*. — (18) *Edit.* cum dicunt isti soli vivunt; ne in superbiam erigamini, o vos divites; sed potius Apostolum audite morbi curatorem, et non verbi adulatorem, Vita ista, etc. — (19) *Edit.* vita ista somnus vester est. — (20) *Edit. addit.* Paulus dicit: Ut apprehendant vitam veram. Paulum audite et superbire nolite. — (21) *Edit.* Audi et Psalmum. — (22) O tu dives pauperrime, quid habes, si Deum non habes? vel quid non habes, si Deum habes? De divitibus dicit Psalmus; Dormierunt, etc. — (23) *Edit.* et frigore. — (24) *Edit.* occupatus a Somno. — (25) *Edit.* gaudet, exultat, superbit. — (26) *Edit.* pannosum videre indignatur. In somnis est quod vides o tu mendice, qui dormis, et gaudes. Tamen donec evigilet dives est: cum dormierit invenit quod certum doleat. — (27) *Edit.* illi pauperi dormienti et thesauros somnianti. — (28) *Edit.* Nam ille dives qui induebatur. — (29) *Edit.* postea mortuus est. — (30) *Edit.* et sepultus. — (31) *Edit.* in flamma. (32) *Edit.* post somnum nihil. — (33) *Edit.* nihil operatus est de manibus. (34) *Edit. addit.* id est, de divitiis suis. — (35) *Edit.* vitam solam redimerent.

rent (1) : quantumcumque habuerunt (2) tanti vitam emerunt. Quanti comparanda est vita æterna, si tam pretiosa est vita peritura (3)? Da Christo aliquid, ut vivas beatus, si totum das hosti, ut vivas mendicus. A vita tua temporali, quam tanto pretio redimis, appende quanti valeat æterna quam negligis, ut (4) vivas diebus paucis, etsi ad senectutem perventurus sis. Omnes enim dies hominis ab infantia usque ad (5) senectam pauci dies sunt (*a*). Et si ipse Adam hodie moreretur, paucos dies vixerat, quia omnes finierat (6). « Paucos ergo dies, et hos laboriosos in tanta inopia; in tanta (7) tentatione redimis? Quanti? nihil habere vis, ut habeas te. Vis nosse quanti valeat vita æterna? adde et te. » Ecce inimicus qui te captivaverat (8) dixit tibi : Si vis vivere quidquid habes da mihi, et ut viveres dedisti totum, hodie redemptus, cras forte moriturus; ab isto (9) dimissus, forte ab illo trudendus. Erudiant nos (10) pericula, fratres mei. Quid tam indocti, et inter Dei verba, et inter humana experimenta? Ecce totum dedisti, et (11) abiisti gaudens quia vivis (12) etsi pauper, etsi nudus, etsi egens, etsi mendicus (13), gaudes tamen quia vivis, et dulcis est lux. Appareat Christus, paciscatur et ipse (14), non qui te (15) captivavit, sed qui pro te captus est, non qui te quærit occidere, sed qui pro te occidi dignatus est (16), qui dedit se pro te. Quantum pretium? Qui te fecit (17) dicit tibi. Mecum paciscere (18) : te vis habere, et totum perdere? Si habere vis te (19), me habere oportet, ut oderis te (20), ut diligas me et vitam tuam perdendo (21) invenias, ne tenendo perdas (22). De divitiis istis tuis, quas amas possidere, et quas tamen pro vita tua præsente paratus es dare (23) jam dedi salubre consilium (*b*). Si (24) amas et ipsas, noli (25) et illas perdere (26) : sed ubi eas amas, tecum perituræ sunt. Consilium et de ipsis do (27) : Amas eas? Mitte (28) eas quo sequaris eas, ne cum eas amas in terra aut vivus (29) amittas, aut mortuus dimittas. Et hinc, inquit (30), consilium dedi : non dixi : Perde, sed serva (31) : thesaurizare vis, non dico noli, sed dico ubi, Consultorem (32) accipe, non (33) prohibitorem. Ubi ergo dico thesaurizare (34)? « Thesaurizate vobis thesaurum in » cœlo, quo fur non accedit, nec tinea, nec rubigo ex» terminat[1]. » Sed (35) non video, inquis (36), quod pono in cœlo (37). Vides enim quod obruis in terra. Securus es obruendo in terra (38) et sollicitus es (39) ei dando, qui fecit cœlum, et terram (40)? Serva (41) ubi vis, si inveneris meliorem (42) Christo, (43) custodi, commenda (44). Commendo (45) inquis, servo meo (46). Quanto melius Domino tuo (47)? Servus (48) fortassis (49) aufert (50), atque fugit; et inter tanta mala, quæ jam acciderunt, hoc optandum fuit, ut servus auferret, et fugeret, non ad Dominum suum hostes duceret (51). Multi (52) servi dominis suis repente inimici extiterunt, et eos cum (53) illo quod habebant, hostibus (54) prodiderunt. Cui ergo commendas? Interim, inquis, servo (55) meo (56); commendo aurum meum (57). Aurum tuum (58) servo : animam tuam cui (59)? Commendo, inquis, Deo animam meam. Quanto melius (60) illi et aurum tuum, cui et animam tuam? An forte fidelis est in custodiendo animam tuam, et infidelis est in custodiendo pecuniam tuam? Non servat tibi, qui servat te? Fac ergo fidem. Servus agit ne tollat : numquid agit ne perdat? Tota fides ejus est ne te fraudet; fidem ejus attendis, (61) et infirmitatem non attendis? Posuit, non latuit (62); venit alius (63), abstulit. Numquid hoc Christo quisquam facturus est? Pigritiam excute, consilium accipe : thesauriza in cœlo. Et quid dixi, pigritiam excute? quasi labor sit in cœlo thesaurizare : etsi labor esset, faciendum erat (64) et suscipiendus labor erat, et reponenda ea, quæ pro magno habemus in loco munito unde (65) ea nemo posset auferre. Non tamen dicit tibi Christus, in cœlo thesauriza (66), scalas quære (67) pennas apta (68), sed mihi in terra da, et ibi (69) servabo. In terra, inquit, mihi da, ideo veni (70) pauper hic esse, ut (71) tu ibi dives sis. Fac trajectitium (72). Times fraudatorem ne perdas (73). Quæris qui portet (74) quo migras? Christus tibi in utroque adest. Non (75) facit imposturam, sed facit (76) laturam. Sed Christum, inquis, ubi invenio (77)? Cum habeat fides mea, quod (78) audivi in Ecclesia; hoc didici, sic credidi, hoc Sacramento imbutus sum (79) : sepultus est, resurrexit tertia die, post quadraginta dies ascendit (80) in Cœlum coram oculis Discipulorum suorum, sedet (81) in dextera Patris, in fine venturus est; quando hic enim invenio? cui dabo (82)? Noli satagere, totum audi, aut

[1] Matth. vi, 20.

(*a*) Hæc ipsa lectio occurrit in serm. 302. n. 9. — (*b*) Vide sermonem 38 a n. 7 usque ad finem. Ibi omnes hujus Sermonis sententiæ iteratæ leguntur.

(1) *Edit. habet interrogationem, quam silet Codex.* (2) *Edit. addit* totum dederunt tantum ne vitam amitterent. Totum dedisti barbaris quod habuisti, frater? totum, inquit, dedi, nudus remansi; et si nudus vivam. Et quare? totus occidendus eram, ideo totum dedi. Et quare hoc tibi contigit? Vis dico tibi? quia antequam barbarus superveniret, pauperi non subveniebas, ut per pauperem eleemosyna ad Christum perveniret? Christo modicum non dedisti, et barbaro totum quod habuisti dedisti, et hoc cum Sacramento dedisti. Christus rogat et non accipit : ille torquet, et totum aufert. Si tanti redemisti vitam perituram, quanti comparanda, etc. — (3) *Edit. transponit commata hujus hypoteticæ sententiæ, et habet* qui *pro* si. — (4) *Edit.* ut vivas paucis diebus, quod hostis exigit, facis, et quod Christus exigit, contemnis? — (5) *Edit.* ad senectutem. — (6) *Edit. addit* qui usque sex millia annos vixerat et tamen pauci erant, quia cunctos finierat. — (7) *Edit.* tantis tentationibus plenos redimis, ut modicam terram habeas, id est, nihil. — (8) *Edit.* dixit. — (9) *Edit.* redemptus ab alio trucidandus. Ecce quanta a barbaris patiuntur homines propter vitam temporalem, et nos piget aliquid pati pro vita æterna. — (10) *Edit.* ista pericula. — (11) *Edit.* et abjecisti; et gaudes. — (12) *Edit.* et hoc dicis ita. — (13) *Edit.* gaudeo quia vivo, et istam lucem dulcem non perdidi. — (14) *Edit.* ipse tecum : non barbarus. — (15) *Edit.* captivaverat. — (16) *Edit.* ille qui se dedit pro te, ipse tibi dicit. — (17) *Edit.* ipse tibi dicit mecum. — (18) *Edit. cum interrogatione legit.* — (19) *Edit.* habere me. Oportet. — (20) *Edit.* et pro ut. — (21) *Edit. punctum præponit voci* vitam, *sicque legit* vitam tuam perdendo invenies. — (22) *Edit. addit* eam. — (23) *Edit.* do consilium quid facias. — (24) *Edit.* si et ipsas amas. — (25) *Edit.* noli eas. — (26) *Edit.* quod si hic eas amas. — (27) *Edit.* si amas eas *absque interrogatione.* — (28) *Edit.* præmitte eas. — (29) *Edit.* vivus eas omittas. — (30) *Edit.* jam dedi consilium. — (31) *Edit.* jam dixi : Thesaurizare vis? bene : non dico. — (32) *Edit.* me accipe. — (33) *Edit.* non perditorem. — (34) *Edit.* scriptum est : Thesaurizate. — (35) *Edit.* sed forte dicis. — (36) *Edit.* non video locum in cœlo, ubi ponam. — (37) *Edit. addit* quam scalam, quam machinam quæsiturus sum, quæ ad cœlum attingat ut videam ubi ponam pecuniam meam? Quid dicis? Vides in terra locum ubi obruas? Video inquit. Bene satis : et securus. — (38) *Edit.* quare ponis. — (39) *Edit.* de Deo. — (40) *Edit. addit* da securus Deo. Ipsi te commenda, qui tibi pecuniam in cœlo servat; quia ipse et te in terra, quamdiu vivis, gubernat. Pecuniam servare vis? serva. — (41) *Edit.* quomodo vis. — (42) *Edit.* custodem quam Christum. (43) *Edit.* commenda et pecuniam tuam. — (44) *Edit.* inquit. — (45) *Edit. addit* bene. (46) *Edit. addit* o Christianum virum! — (47) *Edit.* servus tuus. — (48) *Edit.* auferet. (49) *Edit.* et fugiet. — (50) *Edit.* numquid Christus hoc facturus est? Multi. (51) *Edit.* Multi ad dominum suum servi repente. — (52) *Edit.* cum ipso auro hostibus tradiderunt. — (53) *Edit.* tradiderunt *pro* prodiderunt. — (54) *Edit.* servo inquit meo. — (55) *Edit. addit* novi fidem servi mei, ideoque commendo servo meo aurum. (56) *Edit. addit* bene satis, præfers servum tuum. — (57) *Edit.* tuum commenda servo tuo. — (58) *Edit.* animam meam commendo Deo meo. — (59) *Edit.* o homo, illi. — (60) *Edit.* et tu? Laudas fidem servi tui? Etiam ego novi fidem servi mei. Tota fides ejus est, ne fraudet, ne tollat. — (61) *Edit.* Ecce posuit, et. — (62) *Edit.* invenit alius, et tulit. — (63) *Edit.* da Christo esurienti, thesauriza in cœlo. Numquid labor est in cœlo thesaurizare? — (64) *Edit.* ad ponendam pecuniam tuam in loco munito. — (65) *Edit.* nemo eam possit auferre. Cum tamen. — (66) *Edit.* dicit tibi. — (67) *Edit.* machinas liga, pennas. — (68) *Edit.* Hoc dicit mihi. — (69) *Edit.* et tibi in cœlo servo. — (70) *Edit.* ideo veni egere ego in terra. — (71) *Edit.* ut sis tu. — (72) *Edit.* Forte times. — (73) *Edit. aufert interrogationem, et addit* et quæris. — (74) *Edit.* qui migret. — (75) *Edit.* facit. — (76) *Edit.* facit semper et laturam. — (77) *Edit.* invenio, inquit, in terra? Eum ibi invenio, ut dem illi? Cum. — (78) *Edit.* audio : — (79) *Edit.* passus est, mortuus, et sepultus. — (80) *Edit.* in cœlos. — (81) *Edit.* ad dexteram. — (82) *Edit. addit* ut ad eum deferat?

si totum audisti, totum dic. Scio quia hoc accepisti, suspensus est Christus in Cruce, depositus est de ligno, positus est in sepulcro, resurrexit ascendit in Cœlum (1); sed et illud legisti (2) quia cum ejus Ecclesiam Saulus persequeretur (3) superbiens, crudelis, anhelans cædes, et Christianorum sanguinem sitiens, cum sæviret, cum persequeretur litteras portans Damascum, ut quos inveniret hujus disciplinæ viros, ac mulieres vinctos ad pœnas adduceret[1] (4). Audisti quid declamavit, quem sedentem confiteris in cœlo? Recole (5) ergo quid dixit, quid audisti, quid legisti : « Saule, Saule, quid me persequeris (6)? » Paulus enim nec eum videbat, nec tangebat (7) et tamen dicebat ille : « Quid me persequeris? » Non ait : Quid persequeris familiam meam, servos meos, sanctos meos, adde honorem (8), fratres meos, nihil horum; sed quid ait? « Quid me persequeris (9)? » id est, membra mea, pro quibus in terra calcatis caput de cœlo clamabat; quia (10) et pro pede tuo, si calcetur in terra, clamat lingua tua; non calcas pedem meum, sed calcas me (11). Quid ergo dubitas cui des (12)? Qui dixit : « Saule, Saule; quid me persequeris? » ipse tibi dicit : Pasce me in terra (13) : Saulus sæviebat, et (14) tamen Christum persequebatur. Sic et tu in terra eroga, et Christum (15) pascis. Nam istam quæstionem, qua moveris, prædixit ipse Dominus. « Commovebuntur, et » illi qui ad dexteram ponentur, et cum dixerit : Esurivi, » et dedistis mihi manducare; respondebunt : Domine, « quando te vidimus esurientem? et audient continuo : » Cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis[2] (16). » Si ergo non vis dare, habes quod in te accuses, nam non habes quod excuses. De divitiis ergo (17) istis dicit tibi Dominus tuus : dedi consilium (18) Saluberrimum : amas (19) eas? migra eas; et cum migraveris (20) sequeris, sequere eas interim corde (21) « Ubi enim est the- « saurus tuus (22), illic erit et cor tuum (23). » Si terræ commendas thesaurum, in terra obruis et cor : cum autem in terra obrueris cor, erubesce (24) cum respondes, (quando audis « Sursum cor) habemus ad Dominum. « Dedi ego, inquit salubre consilium (25) de divitiis tuis, si feceris, si audieris, si talis dives fueris, qualem describit Apostolus, ut non superbe sapias, neque speres in incerto divitiarum, facile tribuas, communices (26). Thesaurizes tibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendas veram vitam. Jam interroga (27) me, inquit Dominus tuus; ecce uhmigravi in cœlum quod habeo, sive totum erogando, sive quod remansit sic habendo tanquam non habens, utens hoc mundo tanquam non utens. Tanti valet regnum cœlorum[3] (28)? Ecce si feci hoc, tanti valet. Chare est? Charius valet. Non enim vere tale est ut tanti (29) valere debeat; in æternum vives. Qui omnes thesauros istos pro vita paucorum dierum dares, ibi verus dives eris, quia non egebis. Sed hoc agis cum esse dives vis, ne in terra egeas. Et ideo tibi exaggeras, et congeris densum lutum, quo graveris, quo premaris, quo siccato arctius concludaris (30). Ideo itaque ne egeas, quæris ad vectionem multa animalia, ad victum epulas copiosas, ad indumentum (31) pretiosissimas vestes. Ne vero multa habendo tu dives (32) et Angelus pauper, qui nec equo utitur, nec rheda vehitur, nec (33) implet apparatibus mensam, nec ei vestis texitur, quia luce (34) vestitur (35) disce veras divitias. Tu istas (36) habere vis, ut habeas unde (10) fauces mulceas, et ventrem impleas : ille te vere divitem facit, qui tibi donat ne (37) esurias. Hoc est non egere omnino, non esurire : Nam quantumvis habeas, cum venerit hora (38) qua prandeas, vel antequam ad mensam accedas, cum esuris (39) egenus es. Postremo (40) remotis epulis anhelas superbus. Non est expletio ista indigentiarum, sed fumus curarum (41). Vide quid cogitas de divitiis istis tuis augendis. Vide si facile dormis (42) cum cogitas vel ne perdas ubi servasti, vel ut augeas quod servasti. Divitias ergo invenisti, qui requiem invenisti. Cum vigilas, augmentum divitiarum cogitas; cum dormis, latrones somnias : in die sollicitus (43), in nocte pavidus, semper mendicus (44). Verum divitem te vult facere, qui tibi promittit regnum Cœlorum. Et (45) quanti putas empturus es illas veras divitias, illam veram (46) vitam, eamque æternam? Quid? Ideo veram putas quod tanti eam empturus es, quanti paratus fuisti emere paucos istos laboriosos, et miseros dies? Aliquid (47) plus valere debet quod (48) longe majus est. Et quid faciam, inquis (49)? Totum quod habui pauperibus dedi, et quod habeo cum indigentibus communico, quid plus possum (50)? Habes (51) plus, te ipsum; te habes plus; tu es de rebus tuis; tu addendus es. Attende consilium Domini tui (52) quod dedit diviti : « Vade, vende omnia quæ habes, et da » pauperibus. » Et numquid dimisit eum posteaquam dixit hoc? Et ne se ille quod amabat perdere putaret (53), primo eum securum fecit, quia non perdidit, sed condidit : « Habebis, inquit, thesaurum in cœlo (54). » Sufficit hoc? Non. Et quid? « Veni, sequere me[4] (55). » Amasti? sequi vis? Cucurrit, volavit : quære qua? nes-

[1] Act. vi, 2. — [2] Matth. xxv, 35. — [3] 1 Cor. vii. — [4] Matth. xix, 21.

(1) *Edit.* vel legisti. — (2) *Edit.* addit an istud nunquam audisti. — (3) *Edit.* superbus. — (4) *Edit.* Non audisti quid ei clamaverit. — (5) *Edit.* Recole. Quid ergo dixit? — (6) *Edit.* Quem Paulus nec videbat. — (7) *Edit.* In cœlo clamat. — (8) *Edit.* vel fratres? nihil eorum dixit. Et quid dixit? — (9) *Edit.* ait, id est, membra mea. Pro — (10) *Edit.* et si pedem tuum in terra calcet aliquis, lingua tua de capite clamat. — (11) *Edit.* dicis : Quid ergo? — (12) *Edit.* quid dicis? Qui dixit Saule : Quid me. — (13) *Edit.* in terra Saulus sæviebat. — (14) *Edit.* et Christum in cœlo tangebat. — (15) *Edit.* Christum in cœlo pascis. — (16) *Edit.* si audieras hoc aperte dic : Nolo dare et non habes unde te excusare, sed vere tua te damnare. — (17) *Edit.* ergo tuis dicit. — (18) *Edit.* quid facias. — (19) *Edit.* amas divitias. Amo, inquit. Ergo migra. — (20) *Edit.* migraveris eas sequere eas. — (21) *Edit.* addit cum vivis : quia ubi fuerit thesaurus. — (22) *Edit.* ibi pro illic. — (23) *Edit.* Si autem in terra obruis cor tuum, erubesce. — (24) *Edit.* erubesce quia mentiris cum respondes quando audis sursum cor. Nam dicitur : Sursum cor, et continuo respondes : Habemus ad Dominum. Deo mentiris. Una hora in Ecclesia verum non dicis, Deo mentiris, quod semper hominibus facis. Dicis : Habemus ad Dominum, et in terra obrutum habes cor, quia ubi fuerit thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum. — (25) *Edit.* si feceris de divitiis tuis, quod audisti, si talis dives fueris qualem Apostolus dicit, non superbe. — (26) *Edit.* ut thesaurizes. — (27) *Edit.* interroga Deum, et Dominum tuum, et dic illi : Ecce jam migravi, Domine, in cœlum quod habeo sic habeo, tanquam si non habeam. Tanti valet. — (28) *Edit.* quantum patrimonium meum? Charius valent. — (29) *Edit.* tanti valeat. Hoc dicit Dominus tuus, quem interrogasti de patrimonio tuo : ad tempus victurus es et postea moriturus, in regno meo nunquam moriturus, sed in æternum victurus es. Verus ibi dives eris ubi nunquam egebis. — (30) *Edit.* Nam ideo ad subvectionem multa animalia quæris, ne deficias; ad victum, etc. — (31) *Edit.* pretiosas. — (32) *Edit.* Ne vero tu multa habendo dives es, et Angelus meus pauper est, nihil habet, nec equo etc. — (33) *Edit.* nec mensam honestis implet apparatibus. — (34) *Edit.* addit æterna. — (35) *Edit.* Disce o homo dives, veras divitias appetere. — (36) *Edit.* addit divitias. — (36) *Edit.* unde multum manduces, quia deficis. — (37) *Edit.* addit in æternum. — (38) *Edit.* hora quinta, antequam. — (39) *Edit.* esuris et deficis, quia miser es. Numquid Angelus sustinet? Absit, nec esuriem, nec defectionem habet Angelus. — (40) *Edit.* his epulis. — (41) *Edit.* cum cogitas de divitiis augendis, vide. — (42) *Edit.* Ni fallor, ubi divitias invenisti requiem perdidisti. — (43) *Edit.* et in nocte. — (44) *In editione adest transpositio verborum in hoc commate.* — (45) *Edit.* et putas quia tanti empturus. — (46) *Edit.* veram et beatam vitam, quanti paratus es redimere istos miseros et laboriosos dies? — (47) *Edit.* multo plus. — (48) *Edit.* quod multo plus est, quia regnum cœlorum est. — (49) *Edit. addit,* ecce sancte Episcope, monita tua audivi, consilio tuo parui, jussum Domini non sprevi, quod habui. — (50) *Edit. addit* facere? — (51) *Edit.* habes, adhuc temetipsum habes, tu ipse plus es, tu dees rebus tuis. — (52) *Edit.* tui fecisti? Feci, inquit. Quid mentiris? Non totum fecisti : ex una parte fecisti, ex alia nihil tetigisti. Audi quod jubet. vade, etc. — (53) *Edit.* quod pauperibus erogavit, securum eum reddidit dicens : Et habebis. — (54) *Edit.* numquid sufficit. — (55) *Edit.* dicit. Amas et sequi vis eum; quo eum?

cio qua. O Christianum! nescis qua ivit Dominus tuus? Vis dico tibi qua eum sequaris? Per pressuras, per opprobria, per falsa crimina, per sputa in faciem, per (1) alaparum, et flagellorum verbera, per coronam spineam, per crucem, per mortem. Quid piger es (2)? Sequi volebas, demonstrata est via. Et tu : quis illum sequitur? Erubesce, barbate (3). Fœminæ secutæ sunt, quarum hodie natalitia celebramus. Fœminarum Martyrum (4), Tuburbitanarum solemnitatem hodie celebramus. Dominus vester, Dominus noster, Dominus illarum, Dominus omnium, Redemptor vitæ nostræ, de via angusta, et aspera præcedendo stratam (5) fecit, stratam regalem, munitam (*a*), [et puram, in qua delectaret et fœminas ambulare, et adhuc piger es? Non vis fundere sanguinem pro tanto sanguine? Hoc dicit tibi Dominus tuus : prior pro te passus sum ; da quod accepisti, redde quod bibisti. Non potes tu? Potuerunt pueri, et puellæ ; potuerunt delicati, et delicatæ ; potuerunt divites, et magni divites, qui subito irruente tentatione passionis non retenti sunt copia divitiarum, nec capti hujus vitæ dulcedine, cogitantes illum divitem finientem divitias, et invenientem tormenta, et non suas divitias præmiserunt, sed eas potius in martyrio præcesserunt. Tantis exemplis præcedentibus piger es? Et tamen festa Martyrum celebras. Natalis est hodie Martyrum ; præcedam, dicis, et forte cum meliore tunica. Vide qua conscientia, ama quod agis ; imitare quod celebras ; fac quod laudas. Sed ego non possum. Dominus in proximo est, nihil solliciti fueritis [1]. Ego, inquis, non possum ; tu fontem ipsum noli timere : unde impletæ sunt illæ potes et tu impleri, si avidus accedas, si non quasi collis tumescas, sed quasi vallis humilieris, ut impleri merearis. Non ergo nobis dura sint, fratres, maxime his temporibus abundante (*b*) pressura. Contemptus est a Martyribus mundus cum floreret. Vere magna laude contemptus est florens, et amatur periens. Contempserunt illi flores ejus, et tu amplecteris spinas ejus. Si migrare piger es, vel domus ruinosa te terreat. Sed insultat tibi Paganus. Unde tibi insultat Paganus? Re vera tempus est ut insultet tibi Paganus, quia implentur prædicta Domini tui. Rectius tibi insultaret, si non implerentur quæ ille prædixit. Ille Deum negat, quem colis, tu ex his quæ patitur mundus, ostende veracem, et non contristatus prædictis, gaudeas promissis. Venit enim eo tempore, quo jam mundus, ætate vergente, quasi ita factus, ut finiendus, abundaturus erat cladibus, et calamitatibus, et angustiis, et molestiis. Ad solatium tuum venit qui tunc venit ; ne deficeres in pressuris vitæ pereuntis, atque transeuntis, promisit alteram vitam. Antequam mundus his afflictionibus, et calamitatibus laboraret, missi sunt Prophetæ ; missi sunt servi ad ægrotum istum grandem, ad genus humanum, quasi unum hominem languidum ab Oriente usque ad Occidentem distentum, et jacentem ; misit Medicus potens servos suos. Ventum est ut tales accessiones venirent ægroto huic, in quibus multum laboraturus erat. Et ait Medicus : Multum laboraturus est iste ægrotus, ego sum necessarius. Jam stultus ægrotus dicat Medico : Domine, laboro ex quo venisti : Stulte non laboras de eo, quia veni, sed, quia eras laboraturus, veni. Compendio igitur, fratres, quid multa dicimus? « Verbum consummans breviavit Dominus super terram [2]. » Bene vivamus, et pro bona vita nostra bona terræ transeuntia non speremus (*c*). Vilis merces est bonæ vitæ terrena felicitas ; non tanti valet quod hic bene vivis, quanti valet quod hic concupiscis ; quamvis talia concupiscendo nec bene vivis, si vis mutare vitam, muta concupiscentiam. Servas fidem Deo, et ideo ut in terra sis felix ; et hoc tibi est totum. Quare servas fidem Deo? fides tua tanti valet? tanti illam æstimas? sic illam adducis? si aliquid venale habeas in terra, et cum emptore paciscaris, tu charius pretium dicis, ille vilius ; tanti valet, inquis, quoniam quod vendis exaggeras ; et ille : Non valet tanti, sed tanti ; et dat sibi minus pretium, volens vilius emere. Dominus Christus corrigit te. Dicis tu Domino tuo Christo : Domine, servo tibi fidem, et tu da mihi in terra. Stulte, non tanti valet quod vendis ; erras, nescis quod habes. Servas fidem, et quæris terram? Plus valet fides tua, quam terra, nescis illam appretiare. Ego novi quanti valeat, qui tibi donavi ; tanti valet quantum est tota terra ; adde terræ et cœlum : plus valet. Et quid est plusquam terra, et cœlum? Ille qui et terram fecit, et cœlum. Conversi ad Dominum (*d*).]

[1] Philip. IV, 6. — [2] Rom. IX, 28.

(*a*) Vide Serm. 235, n. 1 et mutilam periodum restauratam agnosces. — (*b*) Ingruente prima persecutione Vandalica, sermonem habitum duco post annum 427. Vide Serm. 296 a N. 6 ad 11. Sed ibi de urbis Romæ vastatione, hic Africam ipsam vexatam dicit. — (*c*) In Epilogum arctissime cum reliquo Sermone connexum, ejusque perficientem integritatem. — (*d*) Sermones editi varias post hæc verba *Conversi ad Dominum* subjiciunt clausulas ; anceps ergo est, qua potius usus fuerit Augustinus, quoties nihil insuper additur. Vide Serm. 67, 100, 141, etc.

(1) *Edit.* per alapas, et flagellorum. — (2) *Edit.* ecce demonstrata est tibi via. Sed dura est, inquis, via ; quis per istam illam sequatur? — (3) *Edit.* *addit* erubesce : a virtute vir diceris. — (4) *Edit.* Suburbitarum, in *animadversione autem* Suburbitanarum *ex Sirmondo*. — (5) *Edit.* stratam eam vobis fecit, stratam, securam, munitam, Christus Dominus noster, qui regnat in secula seculorum. Amen. *Sicque explicit sermo.*

SERMO IV.

De Natali Domini.

Sermonem num. 189 Tom. V. Maurini dolent nusquam vidisse in MS. ut loca minus integra, vel male sarta reficerent. Eamdem in integritatem suam restitutam exemplavi a septem Codicibus, quorum tres sunt antiqua lectionaria, quibus in officii recitatione solemni Monachi utebantur in choro, quos inter præstat Codex num. 106. elegantissime exscriptus manu propria Leonis Ostiensis, qui epocham, et nomen suum apposuit, et Codicem figuris ornavit. Duo alii Codices sunt Breviaria characteribus latinis sæculi XIV. ante ætatem Urbani V. nam Psalmos ex editione Romana legunt, non ex Gallicana, quam ille Pontifex Cassinensibus præscripserat. Reliqui duo continent sermones diversorum, sicque etiam inscribuntur. In his vero septem Codicibus una et constans est sermonis lectio, unaque inscriptio, quæ cum Maurina editione concordat. Bibliotheca Medicea Laurentiana monet extare in Cod. 1. Plut. XIV. hunc eumdem sermonem integrum, ut in nostris Codicibus.

Sanctificavit nobis (1) istum diem dies, qui fecit omnem diem, de quo Psalmus (2) cantat (a) « Cantate » Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra; » cantate Domino, et benedicite (3) nomen ejus[1], » (4) bene nuntiate de die in diem salutare ejus. Quis est iste dies de die, nisi Filius de Patre, lumen de lumine. Sed dies ille (5) qui genuit diem, qui de Virgine nasceretur hoc die. Dies ergo ille non habet ortum, non habet occasum. Diem dico Patrem Deum. [Non enim esset Jesus dies de die, nisi esset et Pater Dies.] Quid est dies nisi lumen? non oculorum carnalium, non lumen, non lumen commune hominibus, (6) et pecoribus, sed lumen quod Angelis lucet, lumen cui videndo corda purgantur. Transit enim ista nox, in qua modo vivimus, in qua nobis accenduntur lucernæ Scripturarum, et veniet illud, quod in alio Psalmo canitur: (b) « Mane astabo tibi, et con» templabor te[2]. » Dies ergo ille Verbum Dei, dies, qui lucet Angelis, dies, qui lucet in illa Patria, unde peregrinamur, vestivit se carne, et natus est de Maria Virgine. Mirabiliter natus est. Quid mirabilius Virginis partu (7)? Concepit et virgo est, parit et virgo est. Creatus est enim (8) de illa quam creavit, et attulit ei fœcunditatem, non corrupit (9) integritatem. Maria unde? ex Adam. Adam unde? de terra (10). Si Adam de terra, et Maria de Adam, ergo et Maria terra. Si (11) Maria terra, agnoscamus quod cantamus: « Veritas de terra orta est. » Quale nobis beneficium præstitit (c), « Veritas de terra orta est? » et justitia de cœlo prospexit[3]. Judæi enim, sicut dicit » Apostolus, ignorantes Dei justitiam, et suam volentes » constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti[4]. » Unde potest homo esse justus? a semetipso? Quis pauper sibi dat panem? quis nudus cooperitur, nisi acceperit vestem? [Justitiam non habebamus; peccata hic sola erant.] Unde justitia? quæ justitia sine fide? » Justus enim ex » fide vivit[5]. » Qui sine fide se dicit justum, mentitur (12). Quomodo non mentitur in quo non est fides? si vult verum dicere convertat se ad veritatem. Sed (13) longe erat. « Veritas de terra orta est. » Dormiebas, venit ad te; stertebas, excitavit te; viam tibi fecit per se, ne perderet te. Ergo (14) quia veritas de terra orta est, Dominus noster Jesus Christus de Virgine natus est; « Justitia de cœlo pros» pexit (15), » ut haberent homines justitiam non suam, sed Dei. Quantam dignationem! Qualis præcessit indignatio! Indignatio quæ præcessit? Mortales eramus peccatis (16) premebamur, pœnas nostras portabamus. Omnis homo, quando nascitur, inchoat a miseria. Noli quærere prophetantem; interroga nascentem, et vide flentem. Cum (17) ergo ista esset in terra magna Dei indignatio, qualis subito facta est dignatio? « Veritas de terra » orta est. » Creavit omnia, creatus est inter omnia; fecit diem, venit in diem; erat ante tempora, signavit tempora. Dominus Christus in æternum sine initio apud Patrem (18); [et tamen hodie quære quid est. Natalis est. Cujus? Domini. Habet Natalem? Habet. In principio Verbum, Deus apud Deum, habet natalem? Habet.] Nisi haberet ille humanam generationem, nos non perveniremus ad divinam regenerationem: natus est, ut renasceremur. Nemo dubitet renasci, Christus natus est; generatus est, non regenerandus. Cui enim necessaria erat regeneratio, nisi cujus est damnata generatio? Fiat itaque in cordibus nostris misericordia ejus. Portavit eum Mater in utero, portemus (19) in corde; gravidata est Virgo incarnatione Christi, graventur pectora nostra fide Christi; peperit (20) Salvatorem, pariamus laudem. Non simus steriles; animæ nostræ fœcundæ sint Deo. Generatio Christi a Patre sine Matre (21); generatio Christi a Matre sine Patre: ambæ generationes mirabiles. Prima generatio æterna, secunda temporalis. [Quando natus est de Patre? Quid est quando? Quæris ibi quando, ibi.

[1] Psal. xcv, 1, 2. — [2] Id. v, 5. — [3] Id. lxxxiv, 12. — [4] Rom. x, 3. — [5] Id. 1, 17.

(a) Versio Itala habet: *Cantate Domino; benedicite nomen ejus, bene nuntiate diem de die Salutare ejus.* Idcirco Maurini opinati sunt hunc Psalmi versum a Mss. ad hanc lectionem restitui posse. At Codices nostri conjecturæ illi stabiliendæ non sufficiunt. Sed annotat Cl. Sabatier in sua veteri versione Bibliorum, semel tantum usum fuisse Augustinum lectione illa, cæteris autem in locis semper scripsisse *de die in diem*, vel *de die ex die*. — (b) Singularis prorsus hic locus. Licet enim in Psal. 36, 58, 142, et in Tract. 14 in Joan. legatur: *Mane astabo tibi, et contemplabor*; hic tamen solum additur pronomen *te*. — (c) Diverse interpungitur in editis: præcedit enim interrogatio.

(1) *Edit. addit* Fratres. — (2) *Edit.* canit. — (3) *Edit.* nomini. — (4) *Edit.* benedicite. — (5) *Edit.* hunc genuit diem, qui de Virgine natus est hodie. — (6) *Edit.* cum *pro* et. — (7) *Edit.* concipit. — (8) *Edit.* de ea. — (9) *Edit. addit* ejus. — (10) *Edit. legitur:* Si Maria de Adam, et Adam de terra, ergo etc. — (11) *Edit.* si autem. — (12) *Edit. est sine interrogatione* quoniam mentitur. — (13) *Edit.* Longe enim veritas est. Dormiebas venit ad te, gravi opprimebaris somno, excitavit te. — (14) *Edit.* Ergo veritas de terra orta est, quia Christus de Virgine natus etc. — (15) *Edit.* ut per justitiam homines reciperent qui per injustitiam deperierunt. Mortales etc. — (16) *Edit.* opprimebamur. — (17) *Edit.* hæc esset. — (18) Hæc *omnia desunt in editione pro quibus hæc solum legitur:* habet et natalem in principio Verbum, quis non etc. — (19) *Edit.* et nos in corde. — (20) *Edit. addit* Virgo. — (21) *In editione pro verbis* Generatio Christi *habetur* etc.

ubi non invenies tempus? Noli ibi quærere quando. Hic quære quando: Quando de Matre bene quæris. Quando de Patre non bene quæris; natus est, et non habet tempus;] natus est æternus de æterno, coæternus. Quid miraris? Deus est. Fit consideratio Divinitatis, et perit causa admirationis, [Et quando dicimus, natus est de Virgine; magna res! miraris? Deus est; noli mirari:] transeat admiratio. (1), accedat laudatio. Fides adsit; crede (2) quia factum est. [Si non credideris illud factum est, tu remanes infidelis. Dignatus est homo fieri, quid quæris amplius?] Parum-ne pro te humiliatus est Deus? Qui Deus erat, homo factus est; angustum erat diversorium, involutus pannis in præsepe positus (3): audistis cum Evangelium legeretur. Quis non (4) miretur? Ille, qui mundum (5) implebat, in diversorio locum non (6) inveniebat; in præsepe positus (7) cibaria nostra factus est. Accedant ad præsepe duo animalia, duo populi (8): agnovit enim bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui. Attende ad præsepium; noli erubescere (9) esse jumentum Domini. Christum portabis, non errabis (10); ambulans per viam, [sedet supra te via. Meministis asellum illum adductum ad Dominum? Nemo erubescat, nos sumus.] Sedeat supra nos Dominus, et quo vult nos (11) vocet. Jumentum ipsius (12) sumus, ad Jerusalem (13) imus. Ipso (14) sedente non (15) premimur, sed elevamur; ipso ducente non (16) erramus, ad illum imus, per illum imus, non perimus.

(1) *Edit.* ascendat. — (2) *Edit.* quod *pro* quia. — (3) *Edit.* positus est. — (4) *Edit.* admiretur. — (5) *Edit.* implet. — (6) *Edit.* invenit — (7) *Edit.* cibus noster. — (8) *Edit.* cognovit. — (9) *Edit.* Dei esse jumentum — (10) *Edit.* ambulans per viam, sedet super te. — (11) *Edit.* dirigat *pro* vocet. — (12) *Edit.* simus. — (13) *Edit.* eamus. — (14) *Edit.* insidente. — (15) *Edit.* opprimemur. — (16) *Edit.* errabimus, per ipsum ad ipsum eamus, ut cum nato hodie puero in perpetuum gaudeamus.

SERMO V.

Habitus Carthagine ad (a) Mensam B. Cypriani sexto Idus Septembris de eo, quod Apostolus ad Galatas dicit : Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales, etc.

Non adhuc vulgati sequentes sermones classem alteram constituentes nunc primum lucem aspiciunt, habituri, ut opinor, vindices quotquot in Augustini lectione tantisper versati fuerint. Primum hunc exscripsi ex cod. 17, de quo supra, eumdemque signavi titulum quem in cod. præfert. In bibliothecis editis non reperi, eumque si adamaveris inserere sermonibus Editionis Maurinæ, præpones serm. 164. Ex hoc fonte hausisse Florum sententias ad priores versiculos capit. 6. epistolæ ad Galatas explanandos ipsius commentarium legentibus patet. Maurini sermonem hunc ignorantes ex laudato serm. 164 easdem transtulisse Florum censuerunt; sed ibi de proprio et alieno onere ferendo tantum agitur, hic autem sex priores versiculi exponantur, et Flori commentarium ab hac expositione non abhorret.

1. Recolite commemorantem Epistolæ apostolicæ lectionem : « Fratres, inquit, si præoccupatus fuerit homo in » aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujus» modi in spiritu lenitatis, intendens te ipsum, ne et tu » tenteris. Alter alterius onera portate, et sic adimplebi» tis Legem Christi. Qui enim putat se esse aliquid, cum » nihil sit, se ipsum seducit. Opus autem suum probet » unusquisque, et tunc in semetipso tantum habebit glo» riam, et non in altero. Communicet autem qui cate» chizatur verbum ei, qui se catechizat in omnibus » bonis. Nolite errare, Deus non subsannatur ; quod enim » seminavit homo, hoc et metet ; quia qui seminaverit » in carne, ex carne metet corruptionem ; qui autem se» minaverit in spiritu, de spiritu metet et vitam æter» nam. Bonum autem facientes non infirmemur ; tem» pore enim suo metemus infatigabiles. Itaque dum » tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime » autem ad domesticos fidei[1]. » Huc usque recitatum est de Epistola Pauli : huc usque vobis tanquam lector fui. Sed, fratres mei, si intellectus est lector, cui rei necessarius est disputator ? Ecce audivimus, intelleximus, faciamus et vivamus Et quid opus est vestram onerare memoriam ? tenete ista et inde cogitate. An forte movet aliquem vestrum quomodo intelligendum sit quod ait : « Invicem » onera vestra portate, » et paulo post ait : « Unusquisque » proprium onus portabit ? » Dicitis enim in cordibus vestris qui tamen hoc advertistis : Quomodo invicem onera nostra portamus, si unusquisque proprium onus portabit (b) ? si invicem onera nostra portamus ? Fateor, quæstio est. Pulsate, et aperietur vobis : pulsate intendendo, pulsate studendo, pulsate etiam pro nobis, ut aliquid dignum vobis dicamus, orando ; ita pulsantes adjuvatis nos, et cito ista quæstio soluta erit. Utinam quam cito solvetur, tam efficaciter quisque quod intellexerit operetur ! In pondere infirmitatis « Invicem onera nostra » portamus : » in ratione pietatis unusquisque proprium » onus portabit. » Quid est quod dixi ? Omnes homines quid sumus nisi homines, ac per hoc infirmi, et qui omnino sine peccato non sumus ? In hoc enim « Invicem » onera nostra portamus. » Si enim tædium passus fueris ad peccatum fratris tui, et ille ad tuum, negligitis invicem, et facitis vere grande peccatum. Si autem quod ille non potest toleras tu, et quod tu non potest toleret ille, invicem onera vestra portatis, et quia invicem onera vestra portatis, impletis legem sacratissimam charitatis. Ipsa est enim Lex Christi ; lex charitatis est Lex Christi. Ideo venit quia nos amavit, et non erat quod amaret, sed amando amabiles fecit. Audistis quid sit, « Invicem onera vestra » portate, et sic adimplebitis Legem Christi. » Quid est ergo « Unusquisque proprium onus portabit ? » Unusquisque pro peccato suo rationem reddet ; de peccato alieno nemo redditurus est rationem. Habet quisque causam suam ; Deo redditurus est rationem suam. Sed et ipsi Præpositi, qui rationem reddunt de gregibus Christi, de peccato suo rationem reddunt, si neglexerint de gregibus Christi. Ergo, fratres, « Si præoccupatus fuerit » homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, quicum» que estis qui spirituales estis, instruite hujusmodi in » spiritu lenitatis. » Et si clamas, intus ama ; hortaris, blandiris, corripis, sævis ; dilige et quidquid vis fac. Non enim pater odit filium, et tamen pater, si opus est, verberat filium, incutit dolorem ut tueatur salutem. Hoc est ergo » In spiritus lenitatis : » si enim « Præoccupa» tus fuerit homo in aliquo delicto » et dixeris : Non ad me pertinet ; et dixero tibi : Quare ad te non pertinet ? et responderis mihi : « Quia unusquisque proprium onus » portabit : » respondebo tibi : Certe libenter audistis, et intellexistis : « Invicem onera vestra portate. Ergo si » præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, » tu qui spiritualis es, instrue hujusmodi in spiritu lenitatis. De peccato quidem suo ipse redditurus est rationem, quia « Unusquisque proprium onus portabit : » sed tu vulnus illius si neglexeris, de peccato negligentiæ tuæ malam redditurus es rationem : ac per hoc si invicem onera vestra non portaveritis, malam rationem habebitis in eo quod » Unusquisque proprium onus portabit. » Facite illud ut invicem onera vestra portetis, et parcit vobis Deus quod unusquisque proprium onus portabit. Si enim portabis onus alterius, quando præoccupatur in aliquo delicto, ut in spiritu lenitatis instruas eum, venies ad eum locum ubi audisti : « Unusquisque proprium onus » portabit : » et bona conscientia dicis Deo : « Dimitte no-

[1] Galat. VI, 1, et seqq., juxta Italam versionem.

(a) Quæ fuerit Carthagine B. Cypriani mensa videsis in serm. XIII. n. 2. — (b) Fortasse abundat in Codice hæc altera interrogatio.

» bis debita nostra. » Ergo, fratres, mementote « Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, » non transeuntes accipias, homo : potuit enim dicere : Si præoccupatus fuerit quispiam, si præoccupatus fuerit quicumque. Non hoc dixit, sed dixit, homo. Valde autem difficile est, ut non in aliquo delicto præoccupetur homo; quia quid est homo? Sed spirituales isti, quos admonuit, ut in lenitate instruant eum hominem, qui delicto fuerit præoccupatus, forte dicebant in cordibus suis : Portemus onera eorum qui præoccupantur delictis, quia nos non habemus quid in nobis ipsi portare possint. Audi, quia non debes esse securus, sequentia verba : « Vide, intendens te ipsum, ne et tu tenteris. » Ne superbirent spirituales, ne se extollerent; quanquam si sunt spirituales non se extollent; timeo ne propterea se extollant, quia carnales sunt; tamen attendat et spiritualis, ne et ipse tentetur. Numquid enim quia spiritualis est, homo non est? numquid quia spiritualis est, non portat corruptibile corpus quod aggravat animam [1]? Numquid quia spiritualis est, finivit hanc vitam, quæ « Tota tentatio est super terram [2]? » Ergo bene illi dictum est, omnino bene : « Intendens te » ipsum, ne et tu tenteris. » Et cum admonuisset illos, id est, spirituales, intulit continuo generalem illam sententiam : « Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis Legem » Christi. » Quid est alter alterius? Carnalis portet onus alterius carnalis; Spiritualis portet alterius spiritualis : « Invicem onera vestra portate; » peccata vestra invicem nolite negligere : apud quos fiducia est vobis, arguite; apud quos arguendi fiducia non fuerit, admonete [3]; et si hoc necesse est, ne quisquam peccet, orate, rogate. An forte humiliavi vos, quia dixi, rogate? Apostolum audite : « Præcipientes autem, inquit, et rogamus, ne in va» cuum gratiam Dei suscipiatis [4]. » Medicus si vires invenerit in ægroto, corripit; si autem vires non invenerit, et timet ne sub amaritudine correctionis forte deficiat, supplicat, rogat ut audiat, faciat, et vivat. Constat ergo propter hoc dixisse Apostolum, « Invicem onera vestra » portate; » quia spiritualem admonuerat, et dixerat : « Intendens te ipsum, ne et tu tenteris; » ne tantum sibi arrogaret iste spiritualis, ut putaret se non habere onus, quod debeat ab altero supportari. Audi ipsum rursus propter typhum, propter tumorem, propter inflationem, audi ipsum iterum : « Qui enim putat se esse ali» quid, cum nihil sit, se ipsum seducit. » Non potuit dici melius, « Se ipsum seducit. » Non in omnibus diabolus est accusandus; aliquando enim ipse homo diabolus suus est. Cur enim cavendus est diabolus? Nempe ideo ne te seducat. Nonne ergo tu ipse es diabolus tuus, quando te ipsum seducis? Quid deinde? « Opus autem suum probet unus» quisque, et tunc in semetipso tantum habebit gloriam, » et non in altero. » Quando facis aliquid boni, si propterea tibi placet, quia laudat te alter; si autem alter te hinc non laudaret, in faciendo opere bono deficeres destitutus vocibus laudatoris : in altero habes gloriam, non in te ipso. Si laudat, facis; si forte bonum opus tuum displicuerit homini stulto, non facis. Nonne vides homines res suas effundentes histrionibus, et nihil pauperi porrigentes, quam multorum ore laudantur? Numquid ideo bonum est quod faciunt quia laudantur? Expergiscere tandem : « Laudatur peccator in desideriis animæ » suæ. » Omnes acclamastis, quia Scripturam sanctam, unde testimonium commemoramus, nostis. Audiant et qui nesciunt. Scriptura sancta dixit, Scriptura sancta prædixit, quoniam « Laudatur peccator in desideriis ani» mæ suæ, et qui inique gerit, benedicitur [5]. » Modo jam si laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et qui iniqua gerit benedicitur, quære laudatores. Dilaniant te desideria mala? fac iniquitates quotidie ad explenda desideria tua, et quære laudatores. Mihi crede, non invenis, nisi adulatores, aut seductores. Quomodo seductores, quomodo adulatores? Debeo verborum meorum reddere rationem. Adulatores sunt qui sciunt te male facere, et tamen laudant; qui vero ideo te laudant malum facientem, quia bonum putant esse quod facis, non sunt adulatores, quia ex animo laudant, sed sunt seductores, quia ad illa mala facienda te suarum laudum frequentatione seducunt, et respirare non sinunt : is enim in auras inanes, putas bonum esse quod facis; præcipitas bona tua; exinanis domum tuam; nudos relinquis filios tuos : laudes illæ insanum fecerunt; curris, manus moves, favores accipis, ad os ponis, fundis domum, et colligis ventum. Quomodo, inquis, sunt isti seductores mei qui me ex animo laudant? Ideo sunt seductores tui, quia prius errando fuerunt et sui. Itane vero scalas ad te ponere laborabit, ut non te seducat, qui se ipsum seducit? Ergo « Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et qui » iniqua gerit, benedicitur. » Cave talem laudatorem, vita hujusmodi benedictorem. Imo tu bonum fac. Sed inquies, displicebo tali illi, si fecero : et displice illi, et place Deo. Si enim illi displicueris, et Deo placueris, in te ipso habebis gloriam, et non in altero. Sed detrahunt mali bonis, et amatores hujus sæculi maledicunt contemptoribus sæculi, dicunt opprobria, quærunt quid reprehendant; mox ut aliquid mali dictum fuerit, continuo credunt; si aliquid boni dictum fuerit, credere nolunt, et turbatur cor tuum, ut deficias in bono faciendo, quia non est inventus laudator, vel adulator, vel deceptor. Et non tibi sufficit testimonium conscientiæ tuæ? In theatro pectoris tui, sub oculis Dei quare turbaris : obsecro te, quare turbaris? Quia multa dicuntur de me mala. Hoc dicis? non turbareris in navi cordis tui, nisi Christus dormiret (*a*). Audisti cum Evangelium legeretur : « Irruit magna tempestas, et navis turbabatur, et » operiebatur fluctibus; » quare? quia » Christus dormie» bat [6]. » Quando dormit Christus in corde tuo, nisi quando oblivisceris fidem tuam? Fides Christi in corde tuo tanquam in navi Christus est. Audis opprobria, fatigaris, turbaris : dormit Christus. Excita Christum, excita fidem tuam. Habes quid facias vel turbatus : excita fidem tuam, evigilet Christus, et loquatur tibi : turbant te opprobria? quæ non ego prior audivi pro te? Hoc tibi dicit Christus, sic te alloquitur fides tua. Audi illam, et vide quia si te alloquitur an forte oblitus es, quia « Pro » nobis passus est Christus [7]? » et antequam pro nobis tanta mala pateretur, audivit opprobria? Dæmonia ejiciebat, et dicebatur ei : « Dæmonium habes [8]. » De illo per Prophetam dictum est : « Opprobria exprobrantium » tibi ceciderunt super me [9]. » Excita ergo Christum, et dicet tibi in corde tuo : « Cum vobis detraxerint homi» nes et dixerint omne malum adversum vos propter me, » gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est » in cœlis [10]. » [Crede quod dictum est, et fit in corde tuo tranquillitas magna.] Si ergo « Putat se esse aliquid » homo, cum sit nihil, se ipsum seducit; opus autem » suum probet unusquisque, et tunc in semetipso glo» riam habebit, et non in altero. » Sive laudet, sive reprehendat, tu in temetipso habes gloriam, quia gloria tua Deus tuus est in conscientia tua, et eris similis virgi-

[1] Sap. IX, 15. — [2] Job. VII, 1, juxta Italam. — [3] 2 Cor. VII, 4. — [4] Id. VI, 1, ex Itala. — [5] Psal. IX, 24. — [6] Matth. VIII, 24. — [7] 1 Petr. II, 21. — [8] Joan. VIII, 48. — [9] Psal. LXVIII, 10. — [10] Matth. V, 11, ex Itala.

(*a*) Ad cognoscendam liturgiam Carthaginensem vide eo die lectum fuisse de capite 6 Epistolæ ad Galat., et de cap. 8. Evang. Matth.

nibus sapientibus, quæ tulerunt oleum secum in vasis, ut non in altero haberent gloriam, sed in se ipsis[1]. Nam illæ, quæ non tulerunt oleum secum, mendicaverunt ab ipsis, et extinctæ sunt lampades earum et dixerunt: « Date nobis de oleo vestro. » Quid est, « Date nobis de » oleo vestro (*a*) » nisi, laudate opera nostra, quia non nobis sufficit conscientia nostra? Quod obscurum videbatur in apostolica lectione, sicut Dominus donavit, exposui. Cætera plana sunt, non quærunt expositionem, sed factorem. Ut autem quod audivimus facimus, ipsum rogemus, sine cujus adjutorio facere nihil boni poterimus, quoniam ipse dixit suis Discipulis: « Sine me nihil » potestis facere[2]. » Conversi ad Dominum, etc.

(*b*) *Et post Sermonem*

Quia plebs postulavit ut ante diem Natalis beati Cypriani non proficisceretur, adjecit: Vere dico Charitati Vestræ, quia nostrum desiderium, et querelas etiam per litteras ferre non possumus; sed quia hoc, quod petitis, jam jussit et sanctus Senex, sic concludo sermonem: Natalis beati Cypriani jam propinquat; propter eam solemnitatem in me retinendo violenti esse voluistis; ergo qui verbo studemus, bonum est ut etiam corpore jejunemus.

[1] Matth. xxv. 8. — [2] Joan. xv, 15.

(*a*) Hunc eumdem Matthæi locum sæpe de inani gloria interpretatus est S. Doctor. Vid. enarr. in Psal. 140. n. 13. — (*b*) Hujusmodi additiones frequentes sunt in sermonibus editis. Prima autem verba sunt alicujus notarii, vel exceptoris. Porro ex hoc loco confirmatur, quod Possidius in Augustini vita testatus est, sæpe Episcopos, et populum, apud quos S. Doctor diversabatur, non solum fuisse deprecatos, sed eum insuper ad sermocinandum adegisse: quod eximium argumentum est probatissimæ scientiæ, florentisque famæ illius inclytæ.

SERMO VI.

(a) *De pluribus Martyribus.*

Ex Cod. n. 12, cui titulus Sermones Augustini et aliorum, *prodit hic Sermo Augustini quidem nomine insignitus, et genuinis ejusdem fœtibus permixtus. In bibliothecis editis, quas adire licuit, nulla occurrit sermonis istius memoria. In Maurina editione collocabis post sermonem 326. Exordium, et sententia in eo posita iterantur serm. 286, et fere iisdem verbis. Vide etiam serm. 328, n. 2 post medium.*

Martyrum nomen græcum est, latine testes dicuntur: si ergo testes sunt, pro testimonii sui veritate tanta perpessi sunt. Serviebat veritas Deo, mentiebatur iniquitas sibi. Sic enim scriptum est; corpus Christi loquitur in Psalmo, quod est Ecclesia « Et surrexerunt mihi testes » iniqui, et mentita est iniquitas sibi[1]. » Testes et testes; testes iniqui, et testes justi; testes diaboli, et testes Christi. Utriusque testis genus vidimus, expectavimus, audivimus cum beatorum Martyrum, quorum dies solemnitatis agitur, passio legebatur. Interrogati, responderunt collecta se egisse, quia Christiani essent. Hoc est testimonium veritatis. Judex dicebat: Quoniam de scelere confessi estis. Hoc est testimonium iniquitatis. Prædicabatur Deus, et vocabatur scelus. In prædicatione Dei obediebat veritas Deo; in appellatione sceleris mentiebatur iniquitas sibi. In ipsos enim quod dicebat, revertebatur, et falsum scelus vero scelere damnabatur. Non faciebant scelus Martyres nostri; non faciebant scelus Christi Martyres congregando se in collecta ad laudandum Deum, ad audiendam veritatem, ad sperandum Regnum Cœlorum, et contemnendum præsens nequissimum sæculum. Non faciebant isti scelus. Hæc pietas vocatur. Hujus rei nomen religio est. Hujus rei nomen devotio est. Hujus rei nomen verum testimonium est. Quod ergo scelus faciebant qui de pietate confessos insu-per occidebant? Illum et illum, ait judex iniquitatis, testis falsitatis, illum et illum et illum gladio animadverti placet. Ecce scelus. Audi et vocem pietatis: Deo gratias, dixit testimonium primus (b). Primus clausit testimonium victoria perpetua. Credo quod advertit Charitas Vestra, quando Sanctorum passio legebatur, qui primus confessus est; primus vocabatur ante novissimum; victoria in fine perpetua. O victoria sine labe! o finis sine fine? Quid est enim victoria perpetua, nisi victoria sine fine? Hoc est vincere carnis illecebras, vincere perversi judicis minas, vincere corporis dolorem, vincere vitæ amorem. Dicam si potuero, Domino adjuvante, fratres mei, quod sentio: in sanctis Martyribus amor vitæ amore victus est vitæ. Qui acclamastis, intellexistis, sed propter eos qui non intellexerunt, patimini me qui intellexistis, paulisper aperire quod dixi. Hoc dixi: in sanctis Martyribus amor vitæ amore victus est vitæ. Amando vitam contempserunt vitam. Quis amando argentum contemnit argentum? Quis amando aurum contemnit aurum? Quis amando prædia contemnit prædia? Nemo contemnit quod amat. Invenimus Martyres, qui amaverunt vitam, et contempserunt vitam. Non pervenirent ad illam, si non calcarent illam. Noverant quod agebant, qui erogando acquirebant. Ne putetis eos, charissimi, consilium perdidisse, quando vitam amabant, et vitam contemnebant; non consilium perdiderunt. Semina spargebant, et messem quærebant. Video agricolæ consilium, et cognosco in Martyribus sapientiam. Agricola amando triticum spargit triticum (c). Qui nescis quid faciat seminator, forte corripies illum, et dicis: Quid agis, insane? quod tanto cum labore collegisti, profers, spargis, ab oculis tuis aufers, in terram projicis, insuper obruis? Respondet tibi: Amo triticum, ideo projicio triticum; si non amarem, non projicerem; crescat volo, non pereat.

[1] Psal. xxvi, 12.

(a) Licet sermonis inscriptio sit indiscriminatim *de Pluribus Martyribus*, certos tamen hic laudari Martyres constat ex actorum lectione, quæ præcessisse dicitur his verbis: « Quando sanctorum passio legebatur. » Arbitror autem hic locutum fuisse Augustinum de Martyribus Carthaginensibus, quorum meminit in Breviculo Collationis diei tertiæ c. 17 ubi hæc leguntur « Confitebantur se passionibus suis se collectam, et Dominicum egisse. » Eos XLVIII. fuisse narrant Optatus Milevitanus, Balutius, et Ruinartius, et martyrium subiisse pridie Idus Februarii an. 304. Et mera collectæ hic exprobrantur a judice veluti unica reatus causa, easque Martyres cum gratiarum actione se peregisse fatentur. Vix autem credibile est nullum sermonem habuisse Augustinum de his Martyribus tota Africa celebratissimis, cum Carthaginense Calendarium recenseat quinque distinctas istorum solemnitates, quibus deinceps et sexta accessit postquam Justinianus Imperator in suis ædibus templum extruxit inclytæ Virgini Primæ, ut refert Procopius (de ædific. a Justinian. extruct. 6), quam inclytam Baronius ex his Martyribus unam fuisse tenet. In editis autem huc usque collectionibus desiderabatur aliquis sermo de his Martyribus, quem duo Codices Casinenses 12 et 17 servabant, Carthagine fortasse habitum, ubi celebrior eorum memoria compulit Augustinum, ut peculiari exercitione moneret fideles, ne in ebrietates, et comessationes diffluerent nimia gestientes lætitia. Sic enim dicendi finem fecit: « Celebramus Martyrum dies, honorando Martyrum passiones, non amando potiones: » quod etiam fere similibus verbis in solemnitatibus Divi Cypriani Carthagine monuit, et in festivitate viginti Martyrum Hypponeregio celeberrima. Porro ubi res ista se habeat, falsitatis arguendus erit Collector Donatista apud Optatum, et Balutium (tom. 1 Miscell. p. 14 edit. 1761.), qui in suis additamentis refert, Martyres sanctos famis atrocitate adhuc in custodia detentos occubuisse; siquidem judex nonnullus saltem eorum gladio hic jubet animadverti. Baronius, et Ruinartius jam additamenta illa rejecerant Mensurii, et Cæciliani historiam improbantes; non igitur abs re si auctor Donatista famae falsus, etiam in cæteris falsus extiterit. Denique Codices Colbertinus, Compendiensis, et Pratellensis quibus Ruinartius usus est, et additamentis illis destituuntur, et in actorum titulo inscribunt sanctos illos Martyres diebus locisque diversis sanguinem suum fudisse. Ex quo titulo etiam illud cognoscere datur, cur discretis suis diebus Sanctorum illorum memoria sigillatim ageretur Carthagine. Casinensibus ergo codicibus acceptam referamus veridicam martyrii historiam, quæ et illorum codicum fidem astruit. — (b) Aliquid hic positum per figuram, quam rethores *notationem nominis* dicunt, verba illa *vincere*, et *victoria* toties iterata forsitan evincunt. In sermone enim 325 de Fidentio et Victore per eamdem figuram dixit S. Doctor: « Initium a Fide, finis ad Victoriam. » Certum est autem unum ex his Martyribus Carthaginensibus nominari Victoriam, cui nisi mea me fallat opinio, nomini hoc loco intendit Augustinus. — (c) Eamdem hanc similitudinem reperies serm. 311, n. 1.

Ecce quod fecerunt Martyres nostri incomparabiliter sapientiores agricolis. Pauca enim grana spargunt seminatores, et colligunt multa messores. Sed et quod spargunt, et quod colligunt habet finem. Quod spargitur non est multum, multum est quod colligitur, tamen utrumque finitur. Et nolebatis ut Martyres nostri spargerent vitam quandoque mortem finiendam, ut acciperent vitam, quæ non habet mortem? Boni fœneratores, boni seminatores, qui multiplicat Deus est. Ipse multiplicat et in agro fruges; ipse quidquid de terra gignitur nutrit. Grana multiplicare Deus potest, Martyres suos servare non potest? Ecce dico vobis, audite quod audierunt. Audistis et vos modo cum Evangelium legebatur; quid eis promissum sit, accepistis : « (a) Tradent, inquit, vos in conciliis, » et in synagogis suis; flagellabunt vos, et ex vobis occi» dent : dico autem vobis : Capillus de capite vestro non » peribit, et in vestra patientia possidebitis animas ves» tras[1]. » Possidebitis, et non perditis (a). Nemo enim ibi persequitur inimicus; nemo moritur amicus. Ibi eritis ubi perpetuus dies non habet hesternum præcedentem, nec crastinum consequentem. Ibi eritis boni fœneratores, quo vos diabolus sequi non potest. Ferte ad tempus; gaudete in æternum. Dura sunt quæ toleratis, sed magnum fructum habet quod seminatis. Legite quid de vobis, cum seminaretis, dictum est : « Euntes ibant » et flebant mittentes semina sua[2]. » Quo fructu? quo fine? qua consolatione? « Venientes autem venient in exul» tatione portantes manipulos suos. » De manipulis istis coronæ fiunt. Celebremus ergo Martyrum dies honorando Martyrum passiones, non amando potiones. Conversi ad Dominum, etc.

[1] Matth. x, 19, et Luc. xxi, 18, 19. — [2] Psal. cxxv, 6, 7.

(a) Duo Scripturæ testimonia hoc loco permixta sunt, quamvis de Evangelio eo die in liturgia posito se dicere profiteatur Augustinus. Scilicet hoc illud est, quod cum Cl. Sabatier (præfat. ad vers Antiq. Biblior.) annotavi in primo sermone, SS. Patres non semper recitasse Scripturæ textus ex libris, sed quandoque solum retinuisse verborum sensum, quandoque compendium exhibuisse, quandoque prout suggerebat memoria protulisse, quandoque etiam textus similes confudisse, quod factum hic vides. — (b) Hanc sententiam sexcentis in locis iteratam reperies, præsertim in sermonibus de Martyribus.

SERMO VII.

De Sancto Joanne Baptista.

Extat hic Sermo in quatuor codicibus MS. Cassinensibus, in Cod. videlicet n. 12, et in tribus lectionariis sæculi XII. constanter Augustino nuncupatus. In bibliotheca vero Leopoldina Blandinii tribuitur auctori anonymo. Sermonis exordium excripsi ex cod. 12, breviatum enim legitur in Leopoldina, et lectionariis forsan ex eo, quod alienum tantisper visum fuerit ab hac festivitate. At clausulam a lectionariis positam retinui, ne mutilus prodiret sermo; Codex enim 12 clausulæ loco subdit quæstionem de verbo et voce, quæ et lacunis intercepta, et insoluta omnino ab incurioso librario relicta fuit. Cæterum hujusmodi immutationum in lectionariis frequentium exempla passim afferunt Editores Maurini, qui in serm. 44. de verbis Isaiæ c. 53. hæc scite annotant:» Nam qui in Ecclesia legendi essent Augustini tractatus, necessario plerumque decurtabantur, iisque exordium aptabatur, et idonea conclusio.» Possidii Indiculus plures enumerat (c. 8. 9. 10.) de hac festivitate sermones, quos inter accensendos esse hunc, et sequentem confirmant jam editia Maurinis Tom. V. n. 288, 293. et seqq.; nam cum iis sæpe cohærent horum sermonum verba, et sententiæ. In illa autem editione hunc inseres post Serm. 293, eritque VIII. de Nativitate S. Joannis Baptistæ.

Quoniam (a) voluit Dominus hodierno die reddere Charitati Vestræ vocem et præsentiam nostram, et hoc fecit ipse non secundum dispositionem nostram, sed secundum voluntatem suam, agimus ei gratias vobiscum, et reddimus vobis sermonis obsequium, quod est ministerium nostrum, in quo nos servire vobis et oportet, et decet. Vestrum est autem, charissimi, dispensationem qualemcumque servorum Dei accipere cum charitate, et illi gratias agere nobiscum (b), qui nobis donavit hunc diem simul agere vobiscum. Unde ergo loquimur hodie, nisi de illo cujus natalis est hodie? Joannes ergo sanctus natus de sterili, Præcursor Domini nati de Virgine, factus est Domini sui salutator, ex utero annuntiator. Huic Joanni mater sterilis, quæ parere non noverat, Salvatoris autem mater virgo unde pareret non habebat: genuit sterilis præconem, virgo peperit judicem. Sed multos præcones Dominus ipse Jesus Christus ex utero virginis venturus ad homines præmiserat ante se. Omnes Prophetæ ab ipso præmissi sunt, sed ipse in illis loquebatur; qui venit post illos erat ante illos. Cum ergo multos præcones ante se miserit Dominus, quid tantum iste meruit? quid tantæ excellentiæ amplius habuit, cujus natalis hodie commendatur? Nam neque hoc sine signo cujusdam magnitudinis est ut non lateat dies natalis ejus, sicut non latet dies natalis Domini ejus. Alii Prophetæ quando nati fuerint ignoramus, de Joanne nescire non licuit quando natus sit. Etiam hinc magnum ipsius meritum apparuit, quia cæteri prænuntiaverunt Dominum, et videre desideraverunt, et non viderunt, et si viderunt in spiritu, futurum viderunt; præsentem autem non hic fuerunt ut viderent. Dicit autem ipse Dominus de illis ad Discipulos suos, quia « Multi Prophetæ, et justi voluerunt » videre quæ videtis, et non viderunt, et audire quæ » auditis, et non audierunt [1]. » Numquid non ipse illos mittebat? Sed erat in omnibus desiderium, si fieri posset, videre hic in carne Christum. Sed quia præcesserunt moriendo, sicut præcesserant nascendo, non hic eos Christus invenit, sed tamen eos in æternam vitam Christus redemit. Et ut noveritis quale circa omnes desiderium erat videre hic Christum, recordamini senem illum Simeonem, cui non pro parvo bono nuntiavit Spiritus Dei, quod non esset exiturus de hoc sæculo, nisi vidisset Christum. Natus est Christus; cognovit illum infantem in manibus matris, accepit, tenuit in manibus, cujus Divinitate ipse portabatur; et tenens in manibus infantem Verbum, benedixit Deum dicens: » Nunc dimittis, Do» mine, servum tuum in pace, quoniam viderunt oculi » mei salutare tuum [2]. » Prophetæ ergo alii non hic viderunt Christum, Simeon infantem vidit; Joannes conceptum agnovit, et salutavit: Joannes annuntiavit et vidit, digito demonstravit, et dixit: « Ecce Agnus Dei, » ecce qui tollit peccata mundi [3]. » Excellentior ergo iste omnibus cæteris. Audi de illo testimonium Domini, ubi se illi prætulit, neminem alium. Valde magnus erat cui qui se præferretur, præter Christum, non erat. Proinde ipse Dominus ita dicit: « In natis mulierum nemo exur» rexit major Joanne Baptista [4]. » Et ut se illi præponeret, secutus adjunxit: » Qui autem minor est in regno » cœlorum major illo est. » Se dixit minorem, et majorem; minorem nascendo, majorem dominando; minorem ætate, majorem verò majestate. Post Joannem natus est Dominus. Sed in carne, sed de Virgine, ante illum autem « In principio erat verbum. » Magna res post Joannem Christus, et tamen Joannes per Christum: « Om» nia enim per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est » nihil [5]. » Quare ergo venit Joannes? Ostendere viam humilitatis, ut præsumptio hominis minueretur, gloria Dei augeretur. Venit ergo Joannes magnus commendans magnum; venit Joannes mensura hominis. Quid est mensura hominis? Plusquam Joannes nullus homo esse poterat: quidquid Joanne plus erat, jam plusquam homo erat. Si enim mensura magnitudinis humanæ fuerat, terminata in Joanne, non inveniebas jam hominem majorem, et tamen invenisti majorem, confitere Deum,

[1] Matth. XIII, 17. — [2] Luc. II, 29. — [3] Joan. I, 29. — [4] Matth. XI, 11. — [5] Joan. I, 3.

(a) In Leopoldina, et lectionariis exordium sic se habet: « Solemnis dies » hodie, fratres charissimi, de Nativitate S. Joannis Baptistæ, et præcurso» ris Domini illuxit. Quid, inquam, et primum admirer, o charissimi, nativitatem Salvatoris, an Præcursoris? Huic Joanni mater sterilis, quæ pa» rere non noverat, etc. » — (b) Fortasse hæc verba indicant se loqui ex tempore, et extra suam Ecclesiam; minis enim officiose diceret, si suos alloqueretur

quem profecto homine potuisti invenire majorem. Joannes homo, et Christus homo; sed Joannes solum homo, Christus Deus et homo. Secundum quod Deus est, ipse fecit Joannem; secundum quod homo, natus est post Joannem. Sed tamen ille præcursor Domini sui Dei et hominis quantum se humiliat videte: quo nemo exurrexit major inter natos mulierum interrogatur, utrum ipse esset Christus? Tam magnus erat, ut possint falli homines: dubitatum est de illo, utrum ipse esset Christus, et ita dubitatum est ut interrogaretur. Jam si esset filius superbiæ, non doctor humilitatis, apponeret se hominibus errantibus, et non ageret ut id putarent, sed jam quod putabant, acciperet. Forte nimium illi erat velle persuadere hominibus, quod ipse esset Christus? Si conaretur persuadere, ei non crederetur: remansisset abjectus et dejectus, et inter homines contemptus, et apud Deum damnatus. Sed non illi opus erat persuadere hominibus, jam videbat eos hoc putare; acciperet errorem illorum, et augeret honorem suum. Sed absit hoc a fideli amico Sponsi, ut se pro illo ab sponsa diligi vellet. Confessus est se non esse quod non erat, ne perderet quod erat. Non enim erat ille Joannes sponsus; nam cum interrogaretur, ait: « Qui habet sponsam, sponsus est; amicus autem sponsi stat, et audit eum, et gaudio gaudet » propter vocem sponsi. Ego quidem baptizo vos in aqua » in pœnitentiam; qui autem venit post me, major me » est [1]. » Quantum major? « Cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere. » Videte quantum minor esset, si dignus esset; quantum se humiliaret, si hoc diceret: Major me ille, cujus ego dignus sum corrigiam calceamenti solvere; dignum enim se curvare ad pedes ejus dixerat. Nunc autem quam multum commendavit humilitatem, quando et ipsis pedibus, imo calceamentis ejus indignum se dixit! Venit ergo Joannes docere superbos humilitatem, annuntiare viam pœnitentiæ. Venit vox ante Verbum. Quomodo vox ante Verbum? De Christo enim dicitur: « In principio erat Verbum, et Verbum » erat apud Deum, et Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum [2]. » Sed ut veniret ad nos, Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis. Ergo quia Christum Verbum audivimus, quia vox Joannes est audiamus. Nam dum diceretur illi: » Tu quis es? respondit: » Ego » sum vox clamantis in eremo: parate viam Domino, rectas facite semitas ejus. » Audiamus Joannem clamantem, et paremus viam Domino, veniat ad nos Verbum (*a*), quoniam « Omnis caro fœnum, et claritas » hominum, ut flos fœni. Fœnum aruit, flos decidit; » Verbum autem Domini manet in æternum [3]. »

[1] Joan. III, 29. — [2] Id. I, 1. — [3] Isai. XL, 7, 8.

(*a*) Quæ sequuntur ex lectionariis, et ex Leopoldi » Codice excripta fuerunt. Codex enim n. 12 loco hujus clausulæ hæc subdit: « Paululum ergo, » charissimi, paululum, quantum dat Dominus, de verbo et voce tractemus. » Christus verbum est, Verbum quod non sonat et transit, vox est, non verbum; Verbum ergo Dei, per quod facta sunt omnia, Dominus noster Jesus » Christus est. Vox clamantis in eremo, Joannes est. Quid est prius, vox, an » verbum? Videamus quid est verbum, et quid est vox, et ibi videmus quid sit » prius. Quid putatis esse verbum, fratres? Omittamus illud verbum Dei, » per quod facta sunt omnia; de verbis nostris aliquantum loquamur, si possumus de his ad summa capere gradus aliquos similitudinis. Verbum Dei, » per quod facta sunt omnia, quis comprehendit? quis dignus, qui vel cogitare possit, nedum eloqui paululum? Ergo illius Majestatem ineffabilem, æternitatem, et cum Patre coæternitatem ponamus, ut credenda videre mereamur. » Quis porro non videt tot lapides hic sine calce positos, et confusim in aggerem redactos, ne imaginem quidem tugurii mentis oculis exhibere?

SERMO VIII.

De Sancto Joanne Baptista.

Appellationem hanc, Fratres charissimi, *initio sermonis positam Maurini Editores annotarunt (serm. 243. Append. T. 5.) in spuriis Sermonibus solemnem, et consuetam esse. At cum hic manifeste sese prodat Augustinus, dicere præoptarem exordium in lectionariis n. 115 et 123, a quibus exscripsi immutatum fuisse ea ipsa ex causa, quam a Maurinis Patribus in præcedenti mutuam sumpsi. Quod si ibi sorte datum, ut germanum principium detegerem, de clausula autem ambigerem, hic e contrario anceps mihi exordium est, clausula vero certissima. Permagni autem faciendum sermonem hunc ea docent, quæ sub finem posita sunt; nam superstitionem in pervigilio festivitatis hujus a plebe servari solitam monent, quam nullus huc usque ejusdem S. Doctoris sermo indicaverat. Incassum hunc quæsivi in Bibliothecis editis, quem in Maurinam editionem transferre poteris sub num. 295, et* nonus *erit* de Nativitate S. Joannis Baptistæ.

I. Fratres charissimi, natalem hodie magni hominis celebramus; et vultis nosse quam magni? « Nemo, inquit Scriptura, surrexit major inter mulierum natos » Joanne Baptista [1]. » Hoc de illo dixit Virginis natus; Hoc testimonium perhibuit testi suo; hanc sententiam protulit Judex de præcone suo; sic voluit Verbum honorare vocem suam; sicut nostis, et audistis hodie etiam in Sermone (*a*) matutino.

II. Verbum Christus est; vox Joannes. Quoniam de Christo scriptum est, quia « In principio erat Verbum [2]. » Joannes autem cum de se ipso loqueretur: « Ego sum, inquit, vox clamantis in deserto [3]. » Verbum ad cor pertinet; vox ad aurem. Quando vox fuerit ad aurem, et verbum non perducit ad mentem, habet inanem usum, sed non habet utilem fructum. Ut autem nascatur in corde meo Verbum, voce non indiget; ut autem perferatur ad tuum cor, quod in corde meo jam natum est, ministerium vocis assumit. Potest ergo verbum vox [4] præcedere, sed non potest Verbum sine voce procedere. Ad hoc vox creatur, non ut Verbum, quod noverat, gignat; sed ut quod erat emittat. Hoc ergo quod de Verbo, et voce diximus, id est, Christo, et Joanne, videamus quale Christus Verbum, qualis sit et Joannes vox. « In principio erat verbum. » Ubi erat? « Et Verbum erat apud Deum. » Quantum ante nos! Quantum supra nos! « Et Verbum caro factum est, » ut habitaret in nobis [5]. » Et hoc unde sciremus, si vocem non audiremus? Ambulabat enim inter homines Christus mortali jam carne vestitus, et tamen veniebant homines ad Joannem, et dicebant ei: « Tu es Christus? » respondebat Joannes: « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit » peccata mundi [6]. » Audite illum, agnoscite illum; ipsum præcedo, ipsum annuntio. Mementote quid dixerit: « Ego » sum vox clamantis in deserto: parate viam Domino; » Non mihi, sed Domino. Quando enim ego clamo, illum annuntio; quoniam vox præconis, adventus est Judicis. Quando autem venerit ille, quem ego annuntio et in vestro corde requieverit, « Illum oportet crescere, me autem minui [7]. » Nostis enim? (*b*) Dixerunt novimus. Quoniam Verbum quando adjumento vocis arrepto per semitas arctius in regionem cordis influxerit, verbum illud in corde crescit, in aure vox deficit. Non enim permanet sonus, qui percussit aurem; quia non permanet infinitus, quia descendit ad mentem. Hoc quare? quia « Illum oportet crescere, me autem minui. » Baptizat Joannes, baptizat et Christus. Dictum est Joanni: « Super » quem videris Spiritum descendentem sicut Columbam, » et manentem super eum, ipse est, qui baptizat in Spi» ritu sancto, et igne [8]. » Nostis hoc, fratres. Factum est quando baptizatus est Christus. Ecce jam toto orbe terrarum, ipse est, qui baptizat. Crevit ubique baptismum Christi; baptismum vero Joannis quamvis habeat mysterium in recordatione præteriti, non tamen habet mysterium in celebratione præsenti. Cessavit baptismum Joannis, et crevit baptismum Christi: Unde et dicit: « Il» lum oportet crescere, me autem minui. » Hanc sententiam et in nativitatibus amborum, et in passionibus invenimus. Quamvis enim de Joanne dixerit Joannes, hoc est, Joannes Evangelista de Joanne Baptista; quamvis dixerit de eo: « Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes; » hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de » lumine [9]; » hodie tamen natus est, fratres, quando nox crevit, et minui incipit dies. Christus vero hyemali solstitio, sicut nostis, natus est, quando in luctum lucis noctis incipiunt damna transferri: « Quoniam fuimus » aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino [10]. » Quare sic nati sunt? « Quia illum opportet crescere, hunc » autem minui. » In passionibus etiam: Joannes decollatur gladio; Christus autem exaltatur in ligno. Ille vero erigitur, iste vero prosternitur. Iste ut minuatur est capite truncatus; ille vero ut crescat, in crucis patibulo est exaltatus. Hi vero duo, Dominus, et servus. Dominus in patibulo crucis, servus in decollatione mortis; unde et dicimus: Illum oportet crescere, hunc autem minui. Non immerito, quantum arbitror, etiam ætates in Parentibus eliguntur. Parit enim Joannem mulier grandæva, Christum Virgo Juvencula. In utero portabatur Virginis, et in cœlis adorabatur ab Angelis. Istum desperata edit sterilitas, illum intacta virginitas. Postremo illum Juvencula crescens, istum senecta deficiens. Illud autem, quale est, fratres mei? quanta est hujus hominis dignitas

[1] Matth. XI, 11. — [2] Joan I, 1. — [3] Ibid. 23. — [4] Forte *vocem*. Sed in Codicibus vox. — [5] Joan. I, 1 et 14. — [6] Ibid. 29. — [7] Id. III, 30. — [8] Matth. III, 15. — [9] Joan. I, 6. — [10] Ephes. III, 8.

(*a*) Patet sermonem fuisse habitum in Officio vespertino; quisnam vero sermo fuerit mane habitus hariolari non auderem, nullus enim sermo est de Joannis nativitate, in quo Augustinus illud Evangelii testimonium non protulerit, et nominibus testis, præconis, et vocis Joannem non decoraverit. — (*b*) Fortasse hæc duo verba ab exceptoribus notata sunt: *Dixerunt Novimus.*

quod nasciturum, sicut Dominum Christum, Angelus parentibus nuntiavit? Quare hoc meruit? « Quia nemo » surrexit major inter mulierum natos Joanne Baptista [1]. » Sicut enim vos scitis, Gabriel angelus et ad Virginem Mariam mittitur, promittitur utrique filius, accepit ab utraque responsum. Respondit Zacharias ad Angelum filium promittentem: « Unde hoc sciam? Ego enim sum » senex, et uxor mea sterilis, et provecta in diebus » suis [2]. » Respondit et Maria: « Quomodo fiet istud, » quoniam virum non cognosco [3]? » Ambo de naturæ lege desperant, adhuc, credo, nesciebant, [accedente dono gratiæ Dei, legem cessare Naturæ.] Ergo ambo (a) de dubitatione respondent, et tamen ille punitur, ista benedicitur. Illi dicitur: « Ecce eris tacens. » Mariæ dicitur: « Benedicta tu inter mulieres [4]. » Zacharias amittit vocem; Maria concipit Verbum. Post hæc vero quid? Verbum caro fit in Virgine, et vox nascitur de tacente. Joannes natus reddit patri vocem; pater loquens dat filio nomen. Mirantur omnes, stupescunt omnes, et inter se murmurant alterna miscentes. Dicunt sibi: « Quid putas erit puer iste [5]? » De Evangelio loquamur (b) « Etenim manus Domini erat cum illo. » Quid putas erit qui sic cœpit; adhuc tantillus est, et jam magnus est; et si iste qui modo cœpit, magnus erit, qui semper erat, quid erit? Ille, quem Joannes adhuc in secreta materni ventris inclusus etiam ipsum jacentem in thalamo uteri virginalis agnovit, et quia nondum poterat vocibus, motibus salutavit. Ille ergo quid erit? Vultis scire quid erit? breviter dicam, audite Prophetam: « Ipse, » inquit, Dominus universæ terræ vocabitur [6]. » Beati ergo Joannis Dominici præcursoris, hominis magni natalem diem festis cœlestibus celebrantes orationum ejus auxilia postulemus. Quia enim sponsi amicus est, potest etiam et nobis præstare, ut ad sponsum pertinere possimus, ut ejus gratiam invenire mereamur.

III. Sed si volumus invenire ejus gratiam, non faciamus natali ejus injuriam. Cessent religiones sacrilegiorum, cessent studia, atque joca vanitatum; non fiant illa, quæ fieri solent, non quædam jam in dæmonum honorem. Sed adhuc tamen secundum dæmonum morem. Hesterno die post vesperam putrescentibus flammis antiquitus more dæmoniorum tota civitas flagrabat, atque putrescebat, et universum aërem fumus obduxerat. Si parum attenditis Religionem, saltem injuriam cogitate communem. Scimus, fratres, hæc a pauperibus fieri, sed a majoribus fieri prohiberi debuerant. Ait enim quidam: Qui non vetat peccare, cum potest, jubet quidem. Fratres, in nomine Domini, et Dei nostri Jesu Christi, quia proficit Ecclesia per annos singulos, ista utique, et omnis diminutio tendit ad nihilum, sed nondum ita consumpta sunt, ut securi tacere possimus. Nihil est vetustas et novitas, nisi pervenerit ad debitos fines, et vetus superstitio consumetur et nova religio perficiatur; Per Dominum nostrum Jesum Christum, cui est honor et gloria, et potestas, una cum Deo Patre omnipotente, et cum Spiritu sancto, nunc, et semper, et per omnia sæcula sæculorum. Amen.

[1] Matth. xi, 11. — [2] Luc. i, 18. — [3] Ibid. 34. — [4] Ibid. 42. — [5] Ibid. 66. — [6] Isai. liv, 6

(a) Vide Serm. 291. n. 5. ubi distincte exponitur hæc sententia; forte in matutino sermone fusius de ea pertractaverat, quam breviter innuere hic tantum voluit. — (b) Liturgia illius Ecclesiæ idem Evangelium præscribebat, quod hodie in Missa legitur.

SERMO IX.

De Evangelio Luc. XVII, 4. Dimitte, et dimittetur tibi.

Ex Codice Ms. n. 170, cui titulus : S. Augustini Operum Tom. IX ; hunc exscripsi tractatum (sic enim inscribitur in Codice) aliis jam editis permixtum in Codice illo contentis. Augustinus de hoc ipso Lucæ capitulo alias locutus fuerat ad mensam S. Cypriani, præsente Comite Bonifacio, ut testatur sermo 114. Editionis Maurinæ, post quem locandus hic noster erit. Collatis autem in se his duobus, una eademque manus recognoscitur. Hunc in Bibliothecis editis non reperi. Elucubratum vero fuisse opinor post annum. 429. postquam divus Prosper ad Augustinum scripserat de hæresi Semipelagianorum jam in Gallia gliscente, qua gratiam ad initium fidei necessariam inficiabantur presbyteri Massilienses; nam, occasione arrepta a laudibus Dei, sibi ipsi quæstionem movet, num primitiæ fidei sint a Deo? quam ex Apostolo ad Philipp. confirmat. Cæterum egregius sane sermo est, continetque maximi momenti doctrinas ad fidem, et mores spectantes.

Præceptum saluberrimum audivimus de sancto Evangelio ut dimittamus fratri, qui in nos peccaverit. Ne sufficiat hoc semel fecisse, sed quotiescumque peccaverit dimittendum esse, si veniam postulabit; hoc ergo ait : « Si septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te dicens : Pœnitet me ; dimitte illi[1]. » Si septies in die intelligas, ergo quotiescumque; solet enim numerus septenarius pro universitate poni. Unde est illud : « Septies cadet justus, et resurget[2] ; » id est, quotiescumque fuerit aliqua tribulatione humiliatus, non deseritur, sed ab omnibus suis tribulationibus liberatur. Inde etiam est illud : « Septies in die laudabo te[3]. » Hoc est enim « Septies in die » quod est semper. Hoc ergo « Septies in die » quod alibi dicitur : « Semper laus ejus » in ore meo[4]. » Non enim laudes Domini lingua tantummodo personamus, et quando tacemus non laudamus. Plane in omnibus bonis cogitationibus nostris, in omnibus actibus, et bonis moribus nostris illum laudamus, a quo hæc nos accepisse gaudemus. Videmus enim etiam Apostolos petere, ut augeatur eis fides[5]. Numquid primitias fidei ipsi sibi dederunt, et augmentum a Domino petiverunt? Absit. Hoc ergo petierunt, ut qui inchoavit ipse perficiat, secundum Apostolum : « Quoniam qui in vobis opus bonum cœpit, perficiet usque » in finem[6]. » Et quod cantavimus modo (*a*) quid aliud demonstrat, charissimi : « Deduc me, Domine, inquit, in » via tua, et ambulabo in veritate tua[7]. » Non ait : Adduc me ad viam tuam ; nam et hoc ipse facit ; sed non, cum adduxerit, dimittat. Parum ergo est ad viam adduxisse, nisi sequatur, in via deduxisse, et ad patriam perduxisse. Cum ergo bona omnia habeamus a Deo, in bonis omnibus operibus nostris quando datorem bonorum omnium cogitamus, Deum sine fide laudamus; cum autem Deum, si bene vivimus, sine fide laudamus, « Benedicamus Dominum in omni tempore, et semper laus » ejus propter hoc in ore sit nostro[8]. » « Septies, inquit, » in die laudabo te, » septenario numero universitatem significans. Ergo si septies in die frater tuus peccaverit in te, et veniens dixerit : Pœnitet me ; dimitte illi. Non tibi sit tædium semper ignoscere pœnitenti. Si non es debitor, impune esses molestus exactor; cum vero debitor habeas debitorem, et tu ejus sis debitor, qui non habet debitum, vide quid facias cum debitore tuo ; hoc enim Deus facturus est cum suo. Audi, et time : « Lætetur, » inquit, cor meum, ut timeam nomen tuum[9]. » Si lætaris quando tibi dimittitur, time ut dimittas. Quantum enim timere debeas, idem ipse Salvator ostendit proponens servum illum in Evangelio, cum quo rationem Dominus fecit, et invenit eum debitorem centum millium talentorum ; « Jussit eum venumdari, et omnia quæ ha- » bebat, et reddi[10]. » Ille provolutus ad pedes Domini sui orare cœpit, ut acciperet dilatationem, et meruit remissionem. Ille autem exiens a facie Domini sui, omni sibi debito relaxato, invenit etiam ipse debitorem suum conservum suum, qui ei debebat centum denarios, et obtorto collo cœpit trahere ad solutionem. Quando ei dimissum est, lætatum est cor ejus; sed non sic ut timeret nomen Domini Dei sui. Servus dicebat conservo quod servus dixerat Domino : « Patientiam habe in me, et reddam » tibi. » At ille : Non : hodie reddis. Renuntiatum est patrifamilias; et quod nostis, non solum minatus est ei quod deinceps non esset remissurus (*b*), si debitorem inveniret, sed totum quod relaxaverat, in caput ejus replicavit, et reddere eum quidquid donaverat jussit. Quomodo ergo timendum est, fratres mei, si est in nobis fides, si credimus Evangelio, si mendacem Dominum non putamus? Timeamus; observemus; caveamus; dimittamus. Quid enim perdis ex eo, quod dimittis? Veniam das, non pecuniam ; quanquam et in ipsa eroganda pecunia, aridæ arbores non esse debetis. In eroganda pecunia, indigenti tribuis; in danda venia, peccanti ignoscis; utrumque Dominus videt, utrumque remunerat, utrumque uno loco commendavit : « Dimittite, et dimittetur vo-

[1] Luc. XVII, 4 — [2] Prov. XXIV, 16. — [3] Psal. CXVIII, 164. — [4] Id. XXXIII, 2. — [5] Luc. XVII, 5. — [6] Philip. I, 6. — [7] Psal. LXXXV, 11. — [8] Id. XXXIII, 2. — [9] Id. LXXXV, 11. — [10] Matth. XVIII, 32.

(*a*) Ex tribus lectionibus in Liturgia positis eo die duas solum commemorat, secundam de Psal. 85. v. 11., tertiam de capite 17. Luc., de quo sermocinatur; primam vero omisit, ni forte illis verbis : *videmus etiam Apostolos petere ut augeatur eis fides*, innuere voluerit lectum fuisse de Ep. ad Philip., cujus attulit testimonium. — (*b*) Quamvis in Evangelio id non legatur, Augustinus tamen ad moralem locum insinuandum deducit illatione legitima, et tanquam in Evangelio positum reputat ; unde etiam in Ser. 5. n. 2. Editionis ex eadem deductione loquens dixit : « Caveant ne si quis in illos » peccaverit, et noluerint ipsi dimittere, non solum deinceps non illis dimittatur, sed etiam omnia, quæ dimissa fuerant, replicentur. »

» bis, date et dabitur vobis[1]. » Tu autem nec ignoscis, nec erogas : tenes iram, servas pecuniam. Observa iram, ubi non possis liberari per pecuniam : (*a*) « Non prode» runt thesauri iniquis : » non est ista mea, sed divina sententia. Noverunt qui legerunt. Legi ut dicerem, credidi ut loquerer : « Non proderunt thesauri iniquis[2]. » Videntur prodesse, sed non proderunt. Forte in præsenti? forte; si tamen aliquid prosunt; sed in die illo non proderunt. Teneantur et non proderunt; contemnantur et proderunt. Justitia tunc bene uteris si amaveris, quia si non amaveris, non habebis fortitudinem, temperantiam, castitatem, charitatem. Aliis animi bonis bene uteris si amaveris; pecunia tunc bene uteris, si non amaveris. Postremo pecunia si amatur, in cœlo servetur. Si timendum est ne amittatur, loco tutiore custodiatur. Neque enim in conservanda pecunia fidem tibi servat servus tuus, et fallit te Dominus tuus. Non eum dicentem audis : « Thesaurizate vobis thesaurum in cœlo? » Ecce non tibi præcepit perdere, sed migrare : « Thesaurizate » vobis thesaurum in cœlo, quo fur non accedit, neque » tinea corrumpit; ubi enim est thesaurus tuus, ibi et cor » tuum[3]. » In terra thesaurizas, in terra cor ponis. Quid futurum est in terra cordi tuo? Tabescit, putrescit, cinerescit. Sursum leva quod amas, et ibi ama, et noli putare hoc te recepturum esse quod ponis. Ponis enim mortalia, recipies immortalia; ponis temporalia, recipies æterna; ponis terrena, recipies cœlestia; postremo erogas quod tibi dedit Dominus tuus, et mercedem accipies ab ipso Domino tuo. Sed dices : Quomodo sum in cœlo positurus, per quas machinas cum auro, et argento meo sum ascensurus in cœlum? Quid quæris machinas? Migra (*b*). Laturarii tui pauperes sunt, et per contritionem mundi facti sunt laturarii. Postremo trajectitium facis; hic das, et ibi accipis. Prorsus si hic dederis, ibi accipies, et cui dederis, ab illo accipies. Non tibi modo veniat in mentem pannosus quisque mendicus; sed veniat in mentem, « Quando uni ex minimis meis fecistis, » mihi fecistis[4]. » In paupere accipit, qui pauperem fecit; a divite accipit, qui divitem fecit; quod enim dedit inde accipit; de suo das Christo, non de tuo. Quid enim te jactas, quia hic multa invenisti? Recole qualis venisti. Cuncta hic invenisti, et multis inventis si male uteris, superbia tumuisti. Nonne de ventre matris nudus existi? Da ergo, da, ne perdas quod habes. Si dederis, ibi inventurus es; si non dederis, hic relicturus es : tamen dederis non dederis, migraturus es. Sed aliquando, etsi nugatoriam et improbandam et respuendam ab auribus fidelium, tamen habet aliquam excusationem avaritia nolens erogare pauperi ex eo quod abundat. Dicit enim sibi : Si dedero, non habebo; et multum dando, egebo; et postea requiram a quo et ipse accipiam; debet mihi abundare non solum ad victum, et tegumentum, et domui meæ, et familiæ meæ, sed etiam propter bonos casus, ut habeam quid calumniatori impendam, ut habeam unde redimam; casibus plenæ sunt res humanæ, debeo mihi servare unde me possim liberare. Hæc dicis cum vis pecuniam servare. Quid dicturus es quando peccanti non vis dare veniam? Si pecuniam piget erogare indigenti, eroga veniam pœnitenti. Quid perdis si dederis? Novi quid perdas, novi quid amittas; video, sed bono tuo amittis. Amittis iram, amittis indignationem, amittis de corde odium fratris. Maneant illic ista, ubi eris? Ira, indignatio, odium permanent; quid de te facit? Quid mali de te non facit? Audi Scripturam : « Qui odit » fratrem suum, homicida est[5]. » Ergo et si septies in die peccaverit in me, dimittam illi? Dimitte, Christus hoc dixit, veritas dixit cui cautasti : « Deduc me, Domine, in » via tua, et ambulabo in veritate tua. » Noli timere, non te decipit. Sed nulla, inquies, erit disciplina; impunita erunt semper quæcumque peccata; delectat enim semper peccare, quando te ille qui peccat cogitat semper ignoscere. Non est ita. Et disciplina vigilet, et benevolentia non dormitet. Quid enim putas malum pro malo te reddere, cum peccanti dederis disciplinam? Absit. Bonum pro malo reddis, et tunc non bene facis si non dederis. Aliquando quidem etiam ipsa disciplina mansuetudine temperatur, data tamen est. Sed non aliud est eam negligentia extinguere, aliud mansuetudine temperare? Vigilet disciplina, ignosce et cæde (*c*). Videte ipsum Dominum, audite ipsum Dominum, cogitate cui quotidiani mendici dicimus : « Dimitte nobis debita nos» tra[6]. » Et tædia pateris quando tibi frater assidue dicit : Ignosce mihi pœnitenti. Tu quoties hoc dicis Deo? taces ab hac supplicatione in omni oratione. Numquid vis ut dicat tibi Deus : Ecce heri ignovi, nudiustertius ignovi, per tot dies ignovi, quoties adhuc ignosco? Non vis ut dicat tibi : Semper cum illis verbis venis, semper dicis : « Dimitte nobis debita nostra : » semper pectus tundis, et tanquam ferrum durum non corrigis? Sed quia agebamus de disciplina, numquid non dimittit nobis Dominus Deus noster, quia ex fide dicimus : « Di» mitte nobis debita nostra? » Et tamen quamvis dimittat nobis, quid de illo dictum est? quid de illo scriptum est? « Quem enim diligit Deus corripit : » sed forte verbis? « Flagellat autem omnem filium, quem recipit[7]. » Ne indigetur peccator filius flagellatus corripi, et ipse unicus sine peccato dignatus est flagellari. Ergo da disciplinam, sed ex corde dimitte iram. Sic enim ait et ipse Dominus, cum de illo ageret debitore, cui replicavit omne debitum, quod inhumanus fuerit in conservum : « Sic » et vobis, inquit, faciet Pater vester cœlestis, si non » dimiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris[8]. » Ubi Deus videt, ibi dimitte; inde noli perdere charitatem; exerce salubrem severitatem; dilige et cæde; dilige et verbera. Aliquando enim blandiris et sævis. Quomodo blandiris et sævis? quia peccata non arguis, et illa peccata interfectura sunt eum, quem perverse parcendo diligis. Verbum tuum aliquando asperum, aliquando durum; quod est læsurum, attende, quid est facturum. Peccatum cor vastat, interiora demolitur, animam suffocat, animam perdit : miserere, cæde. Constituite vobis, charissimi, ante oculos, ut planius intelligatis, quod loquor, homines duos (*d*). Puerulus quilibet incautus volebat sedere ubi noverant in gramine latere serpentem. Si sederet, morderetur, et moreretur. Noverant hoc homines duo. Ait unus : Noli ibi sedere; contemptus est. Ivit sedere, ivit perire. Ait alter : Non vult iste nos audire, corripiendus, tenendus, avellendus, colapho est percutiendus, quidquid possumus faciamus ne hominem perdamus. Ait alius : Dimitte, noli ferire, noli offendere, noli lædere. Quis horum misericors? Parcens, ut homo a serpente moriatur; an sæviens, ut homo liberetur? Et sic

[1] Luc. VI, 37. — [2] Prov. X, 2. — [3] Matth. VI, 20, 21. — [4] Id. XXV, 40. — [5] Joan. V, 15 — [6] Matth. VI, 12. — [7] Hebr. XII, 6. — [8] Matth. XVIII, 35.

(*a*) Vide juxta Sixti Senensis criticem Augustini genus dicendi mixtim quam plurima secum rapiens aliquando, quod lectorem, et familiarem, et acutum, et attentum, et bene memorem requirit. (Bibliot. Sanc. Voc. Aug.) Etenim cum docuisset iram temperare quem eleemosynæ liberare non posset, occasione data prius de usu divitiarum loqui autumavit, ut postea a contrariis primam illam sententiam firmaret, resumens ab his verbis periodum, quam producta quidem digressione abruperat : hæc dicis cum vis pecuniam servare, etc. — (*b*) Vocem hanc *laturarii*, et aliam *trajectitium* solemnes Augustino fuisse demonstrant Maurini. Vide serm. 18. n. 4. serm. 38. n. 9. serm. 60. n. 8. etc. — (*c*) En excursu alio abruptam periodum, ad quam redit per illa verba : *sed quia agebamus de disciplina.* — (*d*) Eamdem fere similitudinem posuit serm. 82. n. 2. Edit.

intelligite, eos qui sunt vobis subditi corrigitis, moribus imponite disciplinam. Servate benevolentiam, de corde dimittite, intus non sit ira, quia ira illa recens festuca est, tenuis, et quasi contemptibilis. Ira recens turbat oculum tanquam festuca in oculo: « Turbatus est in ira » oculus meus[1]. » Sed festuca illa suspicionibus nutritur, productione temporis roboratur, ad trabem perventura est ista festuca. Inveterata ira odium erit; jam ubi odium homicidium erit: « Qui odit fratrem suum, homicida est, » inquit (*a*). Et aliquando homines habentes in corde odium, reprehendunt irascentes: odium tenes, irascentem reprehendis? « Festucam in oculo fratris tui vides, » trabem in tuo non vides[2]? » sermo concludatur. Dominus invocetur, ut quod præcipit, donare dignetur: « Dimittite, et dimittetur vobis; date, et dabitur vobis[3] (*b*). »

[1] Psal. vi, 8. — [2] Matth. vii, 3. — [3] Luc. vi, 37, 38.

(*a*) Brevis quidem digressio, stylum tamen indicans Augustini. Vide *Pope* Blount Censura Auctor. pag. 271. edit. 1710. Sententiam autem eamdem iterat Augustinus sæpissime; præcipue serm. S. 42. 82 — (*b*) In fine sermonis legitur in Codice, *explicit de Evangelio Luc.* 17. *Tractatus.*

SERMO X.

In Dedicatione Ecclesiæ.

Ex codicibus Ms. n. 98, 115, 123 et 543, quorum duo inscribuntur collectiones sermonum Augustini, duo vero sunt lectionaria variorum sermones complectentia, sermonem hunc exemplavi, nomine Augustini insignitum, et tanto Doctore dignum. Sed et in Codice n. 2. Biblioth. Pomposianæ Monasterii S. Benedicti Cartusiæ Ferrariensis, cujus index completus in Archivo Casinensi inter Miscellanea asservatur, extat fol. 77 a ter. Hic idem sermo Augustino pariter nuncupatus, et in tres lectiones divisus VI, VII, VIII. Codex vero ille est membranaceus in folio characteribus Latinis sæculo XI. exaratus, 79 habens paginas, et ad oram primi folii legitur recentiori manu annotatum. Iste liber est Monachorum Congregationis S. Justinæ de Padova, deputatus usui Conventus S. Mariæ de Pomposa, signatus n. 5. *In editis Bibliothecis non reperi. In editione Maurina insere post serm.* 338, *eritque* IV, in Dedicatione Ecclesiæ. *Familiares autem in Augustini lectione, inspectis sententiis simul cadentibus, aliisque figuris, quas in deliciis habuit S. Doctor, non secus ac transitionibus, ambagibus, argutiis, quibus Auditores recreare solebat, germanum Augustini partum recognoscent.*

I. Admoneo vos, dilectissimi, ut demus operam, ut simus domus Dei, ut habeamus in nobis habitantem Dominum; nam si habemus in nobis Deum habitatorem, semper eum habebimus adjutorem. Congratulemur istis bonis operibus, quæ in suis fidelibus operatus est Christus, et unusquisque in quantum divinitus adjuvatur bonorum operum profectus jugiter imitetur. Hoc est autem necessarium, fratres, ut omnis ædificet domum Deo. Ædificet autem dives, ædificet pauper; ædificet sublimis, ædificet humilis; ædificet dominus, ædificet servus. Sed quomodo simul hæc dicimus et diviti, pauperi, et sublimi et humili, et domino et servo? Quandoquidem nec facultas illis æqualis, nec dignitas, nec potestas? Potest denique fiducialiter respondere dives, et dicere: Ædifico domum Deo, quia copiosam possideo facultatem. Respondet sublimis: Ædifico domum Deo, quia excelsam adeptus sum in sæculo dignitatem. Respondet dominus: Ædifico domum Deo, quia magnam habeo in subditis potestatem. Quam bene gaudemus in istis, qui nos lætificant, et sermonibus, et operibus bonis! Sed ut isti nobis talia responderent, securus est dives de abundantia facultatum, attendit sublimis excellentiam honorum, considerat Dominus multitudinem subditorum. Audivimus ergo responsum divitis, audiamus et pauperis; audivimus responsum sublimis, audiamus et humilis; postremo audivimus responsum domini, audiamus et servi. Illi enim habuerunt quod promitterent, habent isti forsitan quod excusent. Dicit enim nobis sine dubio pauper: Quomodo possum domum Deo ædificare, qui sum inopis paupertatis astrictus? Dicit nobis humilis: Quando possum fabricare domum Deo, qui sum ignobilitate dejectionis comprehensus? Deinde dicit servus: Quomodo possum fabricare domum Deo, qui teneor jugo servitutis obnoxius, et cum a domino meo vix diurni panis mihi prorogetur annona, ad ædificandum domum Deo unde mihi sufficiens potest esse substantia? Quasi videntur rationabiliter respondisse. Sed si responsionem nostram velint libenter accipere, nullatenus se ab ædificatione domus Dei poterunt excusare. Respondemus ergo primitus pauperi quod donaverit Dominus, ut ipse potius ædificetur dum ad ædificandum domum Deo salubriter admonetur. Audi quisquis de paupertate conquereris, et ideo ad ædificandum domum Dei te invalidum protestaris. Quare solam attendis paupertatem tuam, et despicis interiorem substantiam? Ibi enim domum Deo construere, ibi oportet te spiritualibus divitiis abundare: Proinde si pauper es inopia terrenæ facultatis, esto dives abundantia charitatis; non possides villam, possides sapientiam; non est nummus in sacculo, sit Deus in animo. Esto nitidus paupertate mentis, quod multo melius est, quam si pretiosis splendeas indumentis; non habes deliciosos cibos, quibus corpus pascitur, sunt tibi boni mores, quibus anima saginatur: deliciosi enim cibi quod aliud noverunt, quam in corpore nutrire libidinem? boni autem mores sanctam in corde enutriunt charitatem. Noli ergo pro magno quærere divitias, quæ hic remanebunt; spirituales enim divitias si habueris, pauper non eris; imo si talis fueris, ut per corporales divitias spirituales inquiras, in eo vere dives eris, quia pauper laudabilis eris: Sic vere domum Deo ædificabis, quia ipsa domus Dei tu eris. Ædificando quippe domum Deo non necesse est abundantis nummorum, quia non placet Deo numerositas solidorum, sed puritas animorum. Veram ergo domum Dei charitas ædificat, non facultas. Quod nobis donavit Deus respondimus pauperi; tempus est ut respondeamus et humili. Opponit enim nobis excusatione, quia nullam habuit in sæculo celsitudinis dignitatem.

II. Audi, et esto, charissime, humilis in corde, ut ob hoc existimes domum Dei ædificare te posse. Humilitas tua plus sit in voluntate, quam in necessitate. Esto humilis in corde, et incipiens in te domum Deo ædificare. Ipse enim dicit: « Super quem requiescit Spiritus meus, » nisi super humilem, et quietum, et trementem verba » mea[1]? » Quanto ergo te fecit voluntas humilem, tanto te cognosce esse in sublimem; et in quantum servaberis humilitatem cordis, in tantum Deo sanctissime fabricabis.

III. Jam nunc servis respondeamus, qui dum nobis opponunt servitutis conditionem, putant sibi ad fabricandum domum Deo nullam suppetere facultatem. Audi quisquis es temporaliter servus, quisquis teneris quocumque jure dominationis obstrictus, quisquis conditione qualibet obnoxius, ut ædifices domum Deo esto servus, esto et liber. Esto servus humiliter obediendo, esto liber

[1] Isai. LXVI, 2.

fideliter serviendo, esto servus Domini tui, et noli esse servus peccati. Cum servieris homini, Deum cogita, Dei præcepta conserva, Dei voluntati semper obtempera, a Deo mercedem bonæ servitutis expecta : custodi fidem, fuge fraudem, cognosce Deo te reddere rationem de omni opere tuo : non te faciat pigritia contemptorem, non segnitia negligentem. Ista fiet, ut dum bonam exhibes servitutem, a Deo recipies perpetuam libertatem. Sit ergo in tuo corpore libertas, quæ in se habet veras magnasque divitias, non quibus homo mortalis inflatur, sed ex quibus Deo domus delectabilis fabricatur. « Apud Deum enim, » ubi non est servus neque liber[1], » ille veram domum Deo ædificat, qui bonam conversationem in Dei timore conservat. Quantum existimo, fratres, donante Domino, pauperibus, humilibus, servisque respondimus, ut agnoscant ædificare se debere domum Deo non extra se, sed in se. Verumtamen quia et divitum et pauperum, et sublimium et humilium, et dominorum et servorum servi sumus in Christo, quia ipse hoc præcepit, qui primum hoc fecit, « Qui cum sit verus dives, pro nobis pauper factus est, ut illius paupertate nos divites essemus[2]; » cum sit verus Altissimus, « Humiliavit semetipsum pro nobis, » factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis[3]; » cumque sit verus rerum omnium Dominus, semetipsum servus fecit, quando formam servi non solum pro nobis, verum ex nobis accepit. Ergo quia in Christo servi omnium sumus, sicut pauperibus, humilibus, et servis, ita divitibus, et sublimibus, et dominis debemus servitutem nostri redhibere sermonis. Facilius enim solet et divites facultas inflare, et sublimes dignitas ventilare, et dominos potestas extollere. Proinde ipsi sunt sollicitius instruendi, ut studium quod habent in construendis Ecclesiis adhibeant semper operibus bonis, domumque veram Deo in semetipsis ædificent, cujus sancta ædificatio nulla vetustate concidat, nulla reprehensione succumbat. Vos ergo nunc alloquimur, vos in charitate ipsius nostri ædificatoris hortamur, qui divitiis abundatis, qui honoribus excellitis, qui dominatione potestatis gaudetis. Curam gerite, ut domum Dei ædificetis in vobis non lapidibus, et lignis, sed moribus sanctis. Talis autem erit ædificatio vestra, qualis fuerit operatio vestra. Principaliter itaque estote stabiles in fundamento, et permanete in Christo. Deinde contra ipsam copiam, et abundantiam vestram custodite congruam in corde cautelam. Tunc enim ædificatis Deo veram domum, si nullum patiamini vestræ animæ detrimentum. Fugite superbiam, si non vultis pati ruinam; « Nolite sperare in incerto divitiarum[4], » et stabile semper habetis ædificii firmamentum. Divites estote semper in operibus bonis, ut non destructioni, sed ædificationi vestræ proficiant. Estote proni ad misericordiam, et nolite esse faciles ad rapinam. Facultas vestra non sit violenta; dignitas vestra non sit superba; potestas vestra non sit injusta. Omnes ergo fideles ædificate domum Deo bene vivendo. Attendamus, fratres, quid nos beatus Petrus admoneat, et quomodo nobis curam hujus ædificationis injungat. Dicit enim : « Et vos tanquam lapides vivi superædificamini domus » spirituales[5]. » Ecce, fratres, in ista Ecclesia, quam cernimus, quomodo nobis placet lux, novitas, et firmitas. Proinde et nos, qui domus Dei sumus, bonis operibus luceamus, « Veterem hominem deponamus[6], » et novum laudabiliter induamus; firmitatem quoque sanctæ charitatis indefessam jugiter habeamus. Ecce videmus columnas, quibus sunt superpositi parietes, videmus etiam lapides in ædificio sibi invicem cohærentes. Qui sunt in domo Dei columnæ, a quibus lapidum multitudo portatur, nisi viri spirituales, per quos multitudo fidelium gubernatur? Qui sunt lapides mutua sibi connexione conjuncti, nisi omnes fideles, qui sunt unitatis vinculo colligati, qui habentes animam unam et cor unum in Deum, ædificant in semetipsis Deo habitaculum sempiternum? Conjungantur ergo lapides vivi lapidibus vivis in ædificio domus Dei; adhæreant sibi invicem sancti lapides, et insolubiliter socientur non admixtione calcis, sed dulcedine charitatis. Quisquis ergo intras in domum Dei, esto domus Dei; custodi fidem, tene unitatis Ecclesiæ charitatem, « Declina a malo, et fac bonum[7], » fuge avaritiam, dilige misericordiam, fuge fornicationem, dilige castitatem; et si nondum potes esse in domo Dei columna, ut onus multorum lapidum portes, esto lapis adhærens lapidibus, ut in ædificio perseveres. Bonum est quidem, ut ædifices Deo etiam visibilem domum in jure tuo, in solo tuo, in prædio tuo; sed multum melius est ut ædifices Deo domum invisibilem in animo tuo. Extra te est domus orationis humanæ, intra te sit domus orationis tuæ. Hic frequenter habeto illam, et in te jugiter porta : ibi te Deus tanto exaudiet libentius, quanto in ea dignatur licentius habitare. In corde ergo tuo domum Deo semper ædifica, ipsam munda, illam Deo præpara, ubi et tu Deum semper possis habere præsentem, et ille te salubriter audiat orantem. Cui est honor, et regnum, et summa potestas in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Galat. III, 28. — [2] 2 Cor. VIII, 9. — [3] Philip. II, 8. — [4] 1 Tim. VI, 17. — [5] 1 Petr. II, 5. — [6] Ephes. IV, 22. — [7] Psal. XXXVI, 28.

INDEX

SUPPLEMENTI QUARTI.

SERMONES RECENS EDITI A MICHAELE DIONYSIO,

CUI INDICI JUNGIMUS INITIA SERMONUM.

SERMONES X RECENS EDITI AB OCTAVIO FRAJA FRANGIPANE.

EXPLICIT INDEX.

61

16_6is_